GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM, QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Opera & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS QUINTUS,

Ubi de provinciis Mechliniensi & Moguntinensi agitur.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXXXI.

BREVIS ADMONITIO.

ANTEQUAM ulterius progrediamur, lectori benevolo faciendum est satis super eo quod nostra incipiamus instrumenta a pagina, seu columna 289. cum a prima incipere deberent. Ratio est, quam nemo non videt, jam pridem edita esse Mechliniensis ecclesiæ instrumenta, ut scilicet probationibus ecclesiæ Lugdunensis in tomo quarto subjicerentur, & ipsa ejusdem ecclesiæ historia eidem tomo insereretur, sed nimiam ecclesiæ Lugdunensis materiem ea nos rejicere ad hunc tomum quintum coëgisse. Jam vero id amplius non eveniet, haud prius edituris nobis alterius provinciæ instrumenta, quam primæ ediderimus historiam, quæ si sufficiat ad justum opus, alteram cum suis instrumentis ad sequens volumen rejiciemus.

HOC IN TOMO CONTINENTUR.

ARCHIEPISCOPATUS.

EPISCOPATUS.

ABBATIÆ.

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

INDEX VETERUM MONASTERIORUM
AD HUNC TOMUM SPCTANTIUM.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO post editum tomum quintum.

COL. 53. n. XXXVII. *adde* Obiit 1728. mense Sept. *vel* Octob. in abbatia Gemblacensi ad quam relegatus fuerat, & inde ad suum monast. relatus est. Cui successit

Leonardus Lenaerts solemni benedictione donatus 29. Junii 1729. in sacello palatii archiepiscopalis ab eminentissimo cardinali d'Alsace archiepisc. Mechlin. assistentibus Gerardo Rubben S. Bernardi ad Scaldim & Gerlaco van Malsem Bernensi abbatibus.

Col. 58. E. abbatissis Bigardiæ majoris addenda N. de Gages domicella, beneficio archiducissæ nominata mense Sept. 1727. per obitum dominæ de Vallejo.

Col. 104. a abbatibus Parci addendus R. P. Alexander Sloetmans alumnus loci & præpositus monialium Vallis S Catharinæ d'Oosterhault, nominatus abbas per obitum Hieronymi de Waerseggere ab archiducissa, 22. April. 1730.

Col. 138. E. n. XII. *adde* obiit nocte 20. Octob. an. 1727. ætatis 61. antea canonicus ecclesiæ Colon. & administrator nunciaturæ apostolicæ. Nec multo post, mense Nov. scilicet ejusdem anni tres electi ad successionem, Carolus de Spinosa Capucinus, episc. Tricalensis & suffraganeus Mechliniensis, N. de Corsillon major vicarius Gandav. & N. de Marmoles major decanus Antuerp. offeruntur Imperatori, ex quibus

Carolus de Spinosa nominatur episc. Antuerp. 1727. mense Decembri. Filius est Domni Diego de Spinosa castrorum Imperatoris generalis præfecti, Ostendæ gubernatoris, deinde castri Gandav. & postremo urbis & castri Antuerp. & admittitur in consistorio pontificio 14. Junii 1728.

Col. 168. n. XV. *adde* obiit Gandavi 3. Febr. 1730. ætatis 91. cui successit

Johannes Bapt. de Smet ab episcopatu Iprensi translatus ad Gandavensem ab archiducissa mense Apr. 1730. qui statim ab acceptis bullis confirmationis visitationem suæ diœceseos instituit sub finem Sept. ejusdem anni.

Col. 211. n. LXX. *adde* obiit 3. Aug. 1730. ad cujus eligendum successorem Imperator commissarios nominavit episcopum Gandav. Præsidem Flandriæ & comitem de Lalaing.

Col. 322. n. XVII. *adde* translatus est ad episcopatum Gandavensem Archiducissæ beneficio mense Apr. 1730. cui successit in cathedra Iprensi Guillelmus Delvaux doctor & professor theologiæ in Universitate Lovan. ac præses collegii *de vigiliis*, necnon archipresbyter districtus Lovan. nominatus ab Archiducissa ep. Iprensis mense Apr. 1730.

Col. 359. abbatibus Warnestonii addendus Yvo Del-Motte alumnus loci, nominatus ab Archiducissa 22. Apr. 1730.

Col. 370. E. abbatibus S. Nicolai de Furnis addendus R. P. Reginaldus Beel nominatus ab archiducissa mense Maio 1731.

Col. 426. A. Abbatibus Bernensibus addendus Gerlacus van Malsem qui 1729. die 29. Junii adjuit archiepiscopo Mechliniensi Leonardum Lenaerts abbatem Ulierbacensem inauguranti.

Col. 532. C. n. LVI. lin. ult. functus est *adde* Moguntiæ, successorem nactus in episcopatu Bambergensi comitem de Schomborn.

Ibid. n. LVII. *adde* tanquam Moguntinus coadjutor, solemni pompa urbem suam ingreditur 25. Nov. 1727. & postridie possessionem apprehendit, ac deinde Uratislaviensem episcopatum abdicavit.

Col. 626. n. LXIX. *adde* sub quo Armandus Eufeck Fuldensis monachus proponitur in consistorio pontificio 25. Jan. 1728. pro episcopatu de Tecmisire.

Col. 692. n. LXXX. *adde* suffraganeum habet ad munia episcopalia Johannem Antonium Walventher Vormatiensem canonicum, propositum episc. Sareptanum & suffrag. Vormat. in consistorio pontificio 12. Januar. 1731. & in altero 5. Martii ejusdem anni.

ADDENDA HUIC TOMO V. ET EMENDANDA.

COL. 14. E. lin. 6. an. 1620. *adde* designatus hoc anno 21. Junii.

Col. 23. D. Hanc nostram præpositorum & decanorum seriem hausimus ex fonte, quem nefas erat suspectum habere, ex actis scilicet S. Rumoldi non ita pridem editis; Verumtamen monet clar. dominus Hoynck de Papendrecht, non omni ex parte purum esse illum fontem, sive non accuratam esse illam historiam, quam sic emendat.

I. S. RUMOLDUS episcopus & martyr, apostolus, ac patronus Mechliniensium fundavit in hac urbe monasterium canonicorum, cui primus præfuit, testibus Molano, Miræo & aliis. Occisus fuit a duobus sicariis circa an. 775. die 24. Junii, ut creditur: sed ea die concurrente cum festo S. Johan. Bapt. translata fuit solemnitas S. Rumoldi in diem 1. Julii.

II. S. Libertus, filius Adonis comitis Mechliniensis precibus S. Rumoldi a Deo impetratus, inde submersus & ad vitam revocatus, ab eodem S. Rumoldo presbyter ordinatus perhibetur, eique successisse in præpositura, seu abbatia prædicta, quam opibus parentis ejus Adonis dotatam fuisse arbitrantur. Circa an. 880. a Normannis Belgium depopulantibus in monasterio S. Trudonis, ante ipsam illius aram martyrio coronatus est. Vide Gurnesium in vita S. Liberti Differt. 8. & 9.

III. Franco filius, &c. canonicus ecclesiæ S. Lamberti Leod. fuit etiam præpositus ecclesiæ Mechliniensis circa an. 1100. eo scilicet tempore, quo inter canonicos ecclesiæ cathedral. Leod. filii Regum novem, Ducum quatuordecim, comitum viginti-novem & Baronum septem numerabantur.

IV. R. præpos. Mechlin. de cujus infortuniis & captivitate Fredericus ep. Leod. scripsit anno 1119. epistolam consolatoriam ad capitulum Mechliniense. Exstat in novissima collectione Diplomatum D. Edmundi Martenne & D. Ursini Durand tom. 1. pag. 653.

V. Godefridus de Hannonia, Balduini III. Hannoniæ comitis nepos, præposituram hanc simulque alteram B. M. Virg. Brugis, uti & præbendas in cathedralibus ecclesiis Leod. & camerac. possedit. Obiit anno 1178. *al.* 1188. sepultus Valencenis in abbatiali ecclesia canonicorum Regularium S. Johannis.

VI. N. &c. ut in serie nostrâ n. II.

VII. Henricus, &c. n. III. Viennæ, *lege* Viandæ in ducatu Luxemburgensi.

VIII. Ottho præpos. an. 1245.

IX. Balduinus, &c. ut in serie nostra n. IV.

X. Alexander, &c. *adde* canonicus Lambertinus Leodii.

XIII. Zegerus de Novo-lapide, vulgo, *Newesteyn*, decanus S. Rumoldi circa an. 1369. ac dein præpos. ecclesiæ S. Servatii Trajecti ad Mosam, obiit 1383. XV. cal. Febr. *lege* Januarii, sive 18. Decemb.

XIV. Johannes de Dunghen, &c.

XVI. Jacobus de Lovelde, ecclesiarum S. Lamberti Leod. & S. Donatiani Brugensis canonicus, itemque secularis abbas ecclesiæ B. M. Virg. Traject. ad Mosam obiit 27. Nov. 1452.

XVIII. Waltherus de Corswarem, &c.

XIX. Simon de Slusa, vulgo, *Van de Sluys*, Roterodamensis Batavus, favore Caroli Audacis, Burgundiæ ac Brab. ducis, cujus erat physicus, id est medicus, & cubicularius, plurima consecutus est beneficia. Enim vero fuit primum præpositus ad S. Pharaildem Gandavi, & ad S. Rumoldum Mechliniæ; præpositus quoque & major archidiac. in ecclesia cathedrali Ultrajectina, canonicus & custos in cathedrali Leod. & canonicus ad S. Donatianum Brugis. Lovanii cellam fundavit apud Carthusianos, collegio S. Spiritus theologorum & sacello S. Antonii ibidem munificum se præbuit. Itemque Mechliniæ fundationem pro choralibus reliquit, & alia pro anniversario dedit, &c.

XX. Conradus de Sarto, &c. abbas secularis ecclesiæ colleg. B. M. Virg. Namurc. Lovanii cellam fundavit apud Carthusianos, ibique sepultus jacet.

XXI. Sigismundus, &c. *adde* dubitatur, num idem sit cum Sigismundo Hofwegher, qui die 19. Nov. 1502. institutus fuit decanus ecclesiæ S. Mariæ Antuerp.

XXII. Ludovicus de Veere, *al.* Weyere, *adde* fuit etiam præpos. B. M. Virg. Brugis, & S. Hermetis Rotnaci. Obiit in Hispania, &c.

XXIII. Guillelmus de Croy, *adde* clericus diœc. Remensis, postulatus in præpositum an. 1506. die 18. Julii, sed frustra. Deinde fuit postulatus in abbatem commendatarium

Affilighem. monast. Tum episc. Camerac. &c. cum Imperii comitiis Vormatiæ adesset, ibidem in venatione ex equo delapsus interiit an. 1521. die 10. Jan. &c.

XXV. Philibertus Naturelli, nobilis Burgundio J. V. doctor, præpos. ecclesiarum cathedralium Cameracens. & Ultraject. item collegiatarum S. Rumoldi Mechliniæ & S. Waldetrudis Montibus Hannoniæ, abbas commendatarius Athanacensis in Gallia, & Villariensis in Brab. cancellarius ordinis Aurei velleris ab an. 1504. & consiliarius intimus, legatusque Maximiliani & Caroli V. imperatorum ad Regem Galliæ, &c. Vide tom. 3. Gall. Chr. col. 591.

XXVI. Willelmus Enckevoort, natus in Mierlo territorii Buscoducensis municipio, canonicus ecclesiæ cath. Ultraject. præpositus S. Rumoldi Mechlin. ab an. 1516. & ecclesiæ collegiatæ Silvæducensis decanus ab an. 1519. item in ecclesia Leod. canonicus & archidiac. Famennæ, & in Antuerpiensi B. Mariæ canonicus. Hunc Adrianus VI. papa familiarem suum & datarium 10. Sept. 1523. renunciavit presbyterum card. tit. SS. Petri & Pauli, ac suum, quem ante pontificatum habuerat episcopatum Derthusensem in Hispania, uti & præposituram suam ecclesiæ S. Salvatoris Ultrajecti in eum transtulit. Postmodum etiam accepit possessionem episcopatus Ultrajectensis 24. Julii 1530. Obiit Romæ an. 1534. die 18. Julii, existens utriusque Germaniæ in curia Romana protector. Vide ejus epitaph. apud Ciaconium de vitis cardinalium, tom. 3. pag. 441.

XXVII. Eustachius de Croy (omissus in serie nostra) episc. Atrebat. præpos. ecclesiarum collegiatarum B. Mariæ Virg. Audomar. & S. Petri Aëriensis in pago Atrebat. canonicus item cathedralis ecclesiæ Leod. litteris Caroli V. Cæsaris designatur præpos. S. Rumoldi Mechlin. die 12. Aug. 1534. vi indulti a sede apostolica obtenti, & consequenter electus ac postulatus fuit a capitulo die 24. ejusdem mensis. Obiit 5. nonas Octob. 1538. ætatis suæ anno 33. sepultus in ecclesia cathedr. Audomarensi cum epitaphio, quod vide tom. 3. novæ Gall. Chr. pag. 348.

XXVIII. Claudius de Boisset, *al.* Boisot, nobilis Burgundus, Caroli V. senatus præses an. 1527. electus fuit ac nominatus præpositus S. Rumoldi an. 1538. fuit insuper præpos. ecclesiæ cathedr. Ultraject. decanus collegiatarum B. M. Virg. Dolanæ, & S. Hypoliti Poligniacensis in Burgundia, necnon canonicus & archidiac. cathedral. Atrebat. Item canonicus Harlebacensis & abbas commendat. Favernaii, &c.

XXIX. Antonius Perrenot de Granvelle, Burgundio, J. V. doctor. in actis S. Rumoldi, pag. 121. dicitur iterum assumtus in præpositum hujus ecclesiæ; quod scilicet prima vice eam an. 1536. abdicaverit in manibus Pauli III. pontificis. Attamen, inquit vir clar. de Papendrecht, constat ex actis capitularibus, quod cardinali Enckevordio proxime successerit Eustachius de Croy, & quod an. 1538. Claudius de Boisset fuerit præpos. Fuit autem Antonius Perrenot simul canonicus & archidiac. in metropoli Bisuntina, & in cathedrali Camerac. præpos. B. M. Vir. Ultrajecti, canonicus cathedr. Leod. episc. Atrebat. ab an. 1539. & abbas S Amandi Elnonensis, &c. Demum anno 1561. creatus fuit primus archiep. Mechliniensis, fuitque in ejus gratiam & successorum præpositura ecclesiæ Mechlin. una cum jure conferendi præbendas, unita mensæ archiepiscopali, secundum Bullam Pii IV. pontificis, de qua Miræus, pag. 614. & 615. novæ editionis.

XXX. Johannes, &c. Mechliniensis, J. V. L. canonicus *graduatus*, atque decanus eccles. Metropolitanæ, an. 1643. constitutus fuit primus præpositus, &c. fuit etiam consiliarius ecclesiasticus in supremo Mechliniensi senatu. Renunciavit præpositturæ an. 1655. factus ep. Namurc.

XXXI. Dismas I. &c. Mechliniensis, fit præpositus 1656.

XXXII. Franciscus, &c. Mechliniensis, J. V. L. canonicus *graduatus*, præpositturæ possessionem accepit die 5. Aug. 1658.

XXXIII. Philippus, &c. præpositturæ adeptus est possessionem an. 1689. Renunciavit præpositturæ an. 1694. factus episc. Gandav. ubi decessit in senectute bona 3. Febr. 1730. ætatis anno 92.

XXXIV. Dismas II. &c. Mechliniensis, in metropoli canonicus graduatus & cantor, necnon præpos. ac patronus dictæ ecclesiæ colleg. B. Virg. trans Diliam, possessionem præpositturæ S. Rumoldi accepit die 10. Junii 1695.

XXXV. Philippus, &c. adiit possessionem die 7. Sept. 1697. vicarius etiam generalis & apostolicus ad exercitus regios in Belgio an. 1717. Vivere desiit Mechliniæ die 17. Aug. 1728. ætatis anno 59.

XXXVI. Alexander Ludov. Roose, Mechliniensis, J. V. licentiatus, ex baronibus de Leeuw S. Petri, toparcha de Carnin, &c. nobilis canonicus graduatus, & scholasticus ecclesiæ metropolitanæ, possessionem præpositturæ adeptus est 28. Octob. 1728.

Col. 27. Idem clar. D. de Papendrecht sic emendat nostram decanorum seriem.

III. N. *de Ucaio*, quem nos *de Ucato* vocamus.

IV. Garsilius, a nobis omissus, an. 1245.

VI. Johannes *Canis*, vulgo *de Hondt*, ex cantore decanus ann. 1283. & 1288. post quem omittitur Nicolaus n. VI.

IX. Cornelius Magnus, alibi dictus *Magistri* anno 1370.

XII. Henricus de Ghestel, sacræ theol. baccalaureus formatus, primos inter Lovaniensis academiæ rectores ac professores memoratus.

XIII. Johannes, &c. fatetur auctor laudatus ita in actis S. Rumoldi haberi: attamen, inquit, legitur ad an. 1509. in actis ecclesiæ S. Rumoldi: *Johannes Oeckel* canonicus ecclesiæ Daventriensis, olim hujus ecclesiæ decanus & canonicus fundavit hic anniversarium, &c. ex qua nominum affinitate eumdem conjicit esse cum Johanne Boëchem.

XIV. Henricus, &c. simul fuit cantor & canonicus ecclesiæ colleg. S. Gummari Liræ, & in visitatione reliquiarum S. Rumoldi an. 1480. ex actis reverendi patris Sollerii, pag. 39. memoratur plebanus & canonicus hujus ecclesiæ. Obiit an. 1501. die 9. Decemb. *al.* 10.

XV. Johannes Robyns, electus in decanum 27. Dec. 1501. &c.

XVI. Philippus, &c. fuit primum coadjutor, ac deinde successor præcedentis in decanatu Mechliniensi.

XVII. Philippus II. &c. successit avunculo primum an. 1543. in munere consiliarii ecclesiastici in supremo senatu Mechlin. ac deinde 1546. in decanatu S. Rumoldi. Sepultus est in choro, &c.

XIX. Johannes, &c. electus est in decanum die 9. Aug. 1585.

XX. Franciscus, J. V. L. canonicus eccles. cathedralis Atrebat. & S. Waldetrudis Montibus Hannoniæ, electus est die 5. Febr. 1593. canonicus graduatus in jure, eodemque die hujus eccl. decanus; qua dum fruitur dignitate, Patres Societatis Jesu in urbem Mechliniam induxit, eorumque collegii fundator primarius fuit. Archiepiscopus vero eorumdem collegium Hallense fundavit.

XXI. Jacobus, &c. Antuerpiensis, J. V. L. canonicus graduatus nobilis ab an. 1604. tum anno 1611. consiliarius ecclesiasticus in supremo Mechlin. senatu, demum an. 1612. die 22. Junii electus est in decanum.

XXII. Antonius, &c. Bruxellensis, sacræ theol. licentiatus, eligitur decanus die 17. Januarii, *al.* 12.

XXIII. Johannes, &c. Mechlinienses, J. V. licentiatus, officialis, & ab an. 1635. consiliarius ecclesiasticus in supremo consilio Mechlin. electus fuit in decanum die 2. Jan. 1636. dein an. 1643. primus præpositus a restauratione præpositturæ, ut supra

XXIV. Johannes, &c. Nivellensis, J. V. licentiatus, olim canonicus Luthosanus, an. 1638. declaratus fuit consiliarius ecclesiasticus in supremo senatu Meclin. & anno 1643. electus in decanum. Tum anno 1653. evocatus Bruxellas, constitutus fuit consiliarius ecclesiasticus in sanctiore consilio. Obiit Bruxellis sepultus in choro ecclesiæ metrop. cum epitaphio, quod vide in actis S. Rumoldi, pag. 143.

XXV. Michaël, &c. Bruxellensis, canonicus ab an. 1645. electus fuit in decanum die 17. Apr. 1656. abdicavit 14. Dec. 1685. ob senium & infirmitates. Obiit Mechliniæ relictis in ea ecclesia præclaris fundationibus.

XXVI. Johannes de Cuyper Bruxellensis, sacræ theol. licentiatus, antea successive pastor Begginagii Lovaniensis, Novi gymnasii SS. Trinitatis ibidem moderator, tum pastor in Merbeck, dein ad S. Catharinam Bruxellis, necnon archipresbyter districtus Bruxell. an. 1683. electus est canonicus graduatus, & die 30. Aprilis 1686. decanus eccl. metropol. Obiit an. 1703. die 6. Dec. ætatis 69. sacerdotii 43. canonicatus 20. decanatus 18.

XXVII. Leodegarius Carolus, &c. olim philosophiæ primarius professor in pædagogio castri Lovan. dein canonicus regalis basilicæ B. M. Aquisgran. factaque permutatione canonicus metropolitanæ Meclinensis ab anno 1692. Electus tandem fuit decanus die 16. Maii 1704. mortuus 14. Octob. 1723. ætatis 79.

XXVIII. Hieronymus, &c. antea sacræ theol. professor in

archiepiſcopali ſeminario Mechlinienſi, dein ſucceſſive paſtor in Waelhem, & in majori Begginagio Mechlinienſi, electus decanus die 3. Novemb. 1723. judex atque indagator ſynodalis, librorum cenſor, &c. Adhuc erat decanus 1730. exeunte.

Col. 161. A. lin. 8. deſignatur, *adde* & a Pio IV. confirmatur 6. Julii 1565.

Ibid. col. 162. B. lin. 5. ab adepta poſſeſſione, *adde* 22. Julii ejuſdem anni.

Ibid. col. 164. A. lin. 2. Carolus, *adde* Bruxellenſis.

Ibid. col. 165. n. IX. *adde* Juris utriuſque Licentiatus & lin. XI. traducitur, *adde* deſignatus 12. Julii 1620.

Ibid. col. 168. n. XIV. lin. ult. die 4. Junii, *al.* Julii.

Ibid. n. XV. lin. 6. ſubvectus, *adde* 1694. & lin. 7. confirmatus, *adde* 1. Decembris, qua die litteras confirmationis accepit, ac deinde 4. ejuſdem menſis poſſeſſionem adiit per decanum. Obiit Gandavi 3. Febr. 1730.

Col. 433. Notandum hac nos in ſerie in primis ſecutos eſſe Georgium Chriſtianum Johannis, tom. 1. rerum Moguntiacarum, in quo Serarium ex aliis auctoribus trutinatur. Neque vero ulla videtur habenda ratio chronici Alberici, cum pag. 34. ſic habet:

De paſſione S. Albani Maguntinenſis, epiſcopi Maguntini, S. Creſcentius, Martinus, Bocladus, Suffronius, Rotharius, Aureus frater S. Juſtinæ virg. & mart. Maximus, Sidonius, Sigimundus, Leuguſius, Bezelinus, Lanthwaldus, Lupoaldus anno DCXXVI. & pag. 49. *cui* (Lupoaldo) *ſucceſſerunt iſti, Sigibertus, Geroldus, Gowilib, Bonifacius, qui martyr occubuit nonas Junii.*

Col. 449. D. n. VII. *adde* Exſtant Nicolai papæ ad Carolum archiep. litteræ circa 863.

Ibid. n. VIII. *adde* prius abbas Elwangenſis, ac deinde etiam Stabulenſis.

Col. 479. E. lin. antepenult. Auguſti, *adde* & VIII. cal. Octob. in fragmento cujuſdam necrologii apud D. Cl. Eſtiennot, tom. XI. Fragm. hiſtor.

Col. 481. B. n. XVIII. Sigefridus, &c. *adde* quem antea Bingenſem præpoſitum vocat Aubertus Miræus in chronico.

Col. 495. C. lin. 13. an. 1328. quarto idus Septemb. *al.* in craſtino Nativ. B. M. hoc eſt V. idus, an. 1329. in Miltenberg, ex geſtis Bertholdi ejus fratris apud Urſtiſium, pag. 168.

Col. 496. B. lin. 1. æque canonico, *adde* & præpoſito Bonnenſi, ex Alberto Argentin. in geſtis Bertholdi epiſc. Argentin. apud Urſtiſium, pag. 169.

Col. 531. E. lin. 7. 965. *al.* 966. nempe in magno chronico Belgico.

Col. 534. A. n. XVI. de Iſenburg, *adde* cognominatur *de Moguntia* an. 1196. ind. XIV. in charta Conradi archiep. pro Hainenſi monaſt.

Col. 535. B. n. XXVII. Vide chronicon Alberti Argent. apud Urſtiſium, pag. 140.

Col. 547. A. lin. 4. 1474. *adde* Legimus tamen in chronico de comitibus Templimontanis auctore Wernero Hackio Henricum de Reus factum fuiſſe decanum eccleſiæ Mog. anno circiter 1469.

Col. 559. D. ante n. XL. addendus videtur Johannes epiſc. Sidonienſis, Jacobi Mogunt. archiepiſcopi vicarius generalis in pontificalibus, qui 1507. die 25. Maii novam capellam cum altari in Monte S. Gereonis Tarnrodæ conſecravit, &c. ex chronico de comitibus Templimontanis. Fortaſſe vero ſuffraganeus erat alibi quam in Moguntia, nempe in Erfordia.

Col. 571. E. lin. 3. Crato I. Miles, *al.* Meilius, qui præerat circa 1521.

Col. 587. C. n. XIV. cœnobium Bened. *al.* ord. Ciſt. filia Morimundi.

Col. 600. D. ante Rodenkirchenſe, *adde* VI. Vallis-Beatorum, Germanice *Seeligenthal* in ſilva Ottoniana, & archidiœceſi Mogunt fundatur an. 1239.

VII. Vallis cœlorum, Germanice *Himmelſthal.*

Col. 602. C. addenda eſt abbatia Tueldeenſis ordin. Præm. infula & pontificalibus conſpicua, quam Perpetuus Noyſet abbas Leffienſis ejuſdem ord. in diœc. Leod. ſibi traditam ad ordinis abbate generali, ſuo monaſterio Leffienſi uniri curavit 17. Maii 1657. in capitulo generali, uti tom. 3. col. 1050. diximus.

Col. 615. B. ante n. XXXI. *adde* Obiit Wirceburgi, quo depoſitus ſeceſſerat, an. 1134. ex Breviario Fuldenſi.

Ibid. C. n. XXXII. Berthous I. Schlitzius, *al.* de Gorze, qui mortuus eſt 1135. ex Breviario Fuldenſi.

Col. 625. n. LXXV. *adde* Promotus fuit ad cardinalitiam dignitatem volente Imperatore 22. Febr. 1672.

Col. 641. C. n. XXVI. *adde* Trithemius in epiſt. XIII. lib. 2. ei ridiculum *Melanii* cognomen affingit, quod eſſet facie nigra, ibidemque ejus redarguit electionem quaſi minus canonicam. Conſulenda etiam epiſtola XVII.

Col. 650. E. n. II. *adde* adhuc ſuperſtes 1141. indict. IV. quo anno Marcolfus archiep. ei munificum ſe præbuit.

Col. 651. B. abbatibus Fontis-Reinhardi addendi Fridericus 1391. quo anno Johannes Carthuſiæ prior tempore capituli generalis ei ſuffragia ordinis concedit, ex annal. Iſenacenſibus, pag. 103.

Dytherus, Dei & apoſt. ſedis gratia abbas monaſterii in Reinherſborn pro anniverſario Ludovici Landgravii, mariti S. Eliſabethæ in perpetuum celebrando, dat villam *Kauvers* cum ſuis omnibus pertinentiis, pratum *in Taufert*, & etiam decem talenta denariorum cenſus reemtionis pro centum talentis denariorum communis Warandiæ ad ſtipam unam faciendam, ad dandam conſueto modo ſingulis annis in panibus & carnibus, omnibus pauperibus advenientibus in anniverſario die prædicti domini, anno 1406. in die S. Crucis Exaltationis, ex annal. Iſenacenſibus, pag. 103.

Nicolaus abbas Fontis-Reinhardi curiam Salzæ vendidit cœnobio virginum S. Catharinæ, an. 1457. ex annal. Iſenacenſibus, pag. 119.

Col. 666. B. n. XVIII. *adde* Legimus in annal. Heremi ad an. 919. pag. 34. Adeluardum epiſc. Vormat. cum Herigero Moguntino, Richuino Argentin. & aliis, adfuiſſe Vormatiæ obſequio, quod Burchardus dux Henrico imperatori præſtitit; ubi tamen irrepſiſſe putamus mendum, ſive omiſſionem nominis epiſcopatus Adeluardi, & nominis epiſcopi Vormat.

Col. 692. E. n. VIII. Martinus, *ſeu* Marcianus videtur Gaudentio poſtponendus ex bulla Friderici imp. de limitibus diœc. Conſtant. Ch. X. inter inſtr. col. 517.

Col. 693. In decanus Vormat. Henrico ſubſtituendus, Meinhardus an. 1180. indict. V. III. nonas Jan. in privilegio Friderici imper. pro Conrado epiſc. Vormat apud Martinum Cruſium, tom. 2. annal. Suevicorum, part. 2. cap. IX. pag. 471.

Col. 711. D. ante Scaunaugiam, *adde*

Luterenſe monaſterium ordin. Præmonſtr. in diœc. Vormatienſi, ac inferiore Palatinatu, filia Rothenſis, ad quod Otho primus abbas Rothenſis præpoſitum & monachos miſit an. 1144. Ceſſit acatholicis.

Col. 714. a abbatiis diœc. Vorm. addendæ:

Franca-vallis, Germanice *Franckental* ord. Ciſt. virorum in diœceſi Vormat. & Palatinatus inferioris præfectura Neoſtadienſi, diſſita tribus milliaribus Spira, fundatur ab Erckenbrechto equite aurato vetuſtiſſimæ & opulentiſſimæ familiæ de Dalberg, Buggonis epiſc. Vormat. miniſteriali an. 1148. quam deinde jam pridem deſolatam Fridericus III. Elector Palatinus una cum vicino cognomine parthenone, Belgis & Batavis ob deſertam religionem catholicam patria extorribus incolendam conceſſit. Hoc autem monaſt. videtur idem eſſe cum alio cognomine ord. S. Aug. de quo ſupra.

Vallis-Roſarum, German. *Roſenthal* in diœceſi Vormat. & Palatinatu inferiori duobus a Vormatia milliaribus prope pagum Vilheim, fundatur an. 1298. in cujus templo tumulum habet Adolfus Naſſovius imperator Alberti Auſtriaci æmulus, & ab eodem propria manu confoſſus.

Col. 720 C. n. XXVI. *adde* Reperitur apud Baronium in præcepto Henrici II. imp. pro Romana eccleſia, quod perperam revocatur ad an. 1014.

Col. 738. E. n. LXXV. *adde* Nunc eſt coadjutor epiſcopi Conſtant & an. 1730. menſe Apr. cum ſuo Spirenſi capitulo litigabat.

Col. 739. E. ante n. V. collocandus eſt Conradus de Geiſenheim, qui 1376. unus fuit ex procuratoribus Wenceſlai Romanorum regis ad petendam ipſius electionis confirmationem a Gregorio papa XI. ex collectione Baluziana actorum veterum ad vitas Pap. Avenion, pag. 800.

Col. 748. D. ante vocem *Sigefridus*, addendus Stephanus, ſimul abbas Wirtſburgenſis, Selzenſis, Novientenſis & Limburg. circa an. 1104. vide col. 860. A.

Col. 750. B. ante vocem *Udalricus*, addendus Stephanus mox dictus.

Col. 762. D. ante ſeriem abb. *adde* Adhuc perſeverat hæc abbatia, ubi an. 1720. præter abbatiſſam ſanctimoniales erant 16. & octo ſorores laïcæ.

Col. 763. C. abbatiſſis Lucidæ-vallis, addenda Maria-Agnes Briſgoia-Friburgenſis, electa 1719.

Col. 774. n. XLVIII. Wunibaldus *adde* Zaercher, qui exſul a ſuo monaſterio in bello Suecico, obiit in dynaſtia Bluemenegg prope Bluzenziam, Weingartenſis monaſterii propria an. 1664. 18. Octob. natus Bludentiæ haud igno-

bili loco Rhætiæ an. 1605. 3. Febr. professus in Weingartensi cœnobio 1621. 24. Aug. sacerdos factus 1629. & abbas Hirsaug. creatus an. 1637. 5. Maii.

Ibid. E. lin. penult. De cetero, &c. *dele*, & sic lege: Hæc abbatia uno milliari Turckheimio inferioris Palatinatus oppido dissita, desiit an. 1586. hæreticis prævalentibus.

Col. 822. in præpos. Argentin. ante n. III addendus videtur Heribertus ex Argentinensi præposito factus episc. Curiensis an. 1088. & ante confirmationem mortuus, ex Bucelino in catalogo episc. Curiensium.

Col. 828. D. ante n. XVIII. addendus videtur Volmarus, quo annuente Fridericus episcopus an. 1387. confirmavit Jacobo priori S. Valentini de Rufbiaco possessiones omnes & omnia privilegia ab episcopis & principibus collata, eumque a talliis & aliis impositionibus exemit, ex tabul. Rufbacensi, vel forte abradendus Hugo n. XVIII.

Col. 838. B. abbatibus Hugonis-curiæ addendus, Paulus Voltius, qui scripsit post Trithemium de plurimorum initiis monasteriorum, ex Guillimanno in episc. Argent. pag. 73.

Col. 851. D. n. II. *adde* Johannes Goffelini de Merero abbas Vernerivillerii obiit VI. nonas Martii 1574. ex necrol. Villarii diœc. Mettensis.

Col. 855. C. n. XXXIV. Tobias, *adde* monachus San-Blasianus, curante Leopoldo Austriæ duce fit abbas an. 1624. die 28. Martii, Offenburgi vero moritur exsul an. 1638. die 29. Julii.

Ibid. ante n. XXXVI. addendus Benedictus monachus itidem S. Blasii, qui creatus abbas 1639. mortuus est 1641. die 14. Martii, ex hist. MS. S. Blasii.

Ibid. D. n. XXXVIII. Blasius, &c. *adde* obiit 1674. die 4. Apr.

Col. 865. D. ante n. VII. addendus Fridericus e S. Blasio accitus, qui obiisse creditur an. 1147. ex hist. MS. S. Blasii.

Col. 878. A. n. XII. lin. 2. aliquot annis, *al.* sex. *Ibid.* & lin. 4. 12. Sept. *al.* 9.

Ibid. n. XIII. *adde* Obiit an. 1660. 2. Julii, cui successit XIV. Gallus Wagner postulatus eodem anno ex monast. Rhenaug. in diœcesi Constant.

Col. 889. B. abbatibus Novi-castri addendus, Jacobus Gacier Dauvilliers doctor Sorbonicus, qui an. 1720. sub se habebat septem sacerdotes & quinque professos fratres.

Ibid. D. ante Abbatissæ Pontis-regis, *adde*: Hodie Mulbruno exstincto, Lucellæ paret.

Col. 904. C. n. XXXI. Gebhardus, *lege* B. Gebhardus.

Col. 911. D. in Gebhardo, vide infra col. 972.

Col. 925. B. n. LXXVIII. lin. 6. ante vocem *Sane* adde: Verum an. 1501. die 22. Maii Philippum abbat. Isnensem confirmavit, & eodem anno parochiam Engeratshofen ipsius monasterio univit, ex hist. MS. hujus monasterii.

Col. 927. D. lin. 9. titul. sui *adde* S. Mariæ trans Tyberim in Urbe.

Col. 929. lin. 2. *adde* m. Jan. Marispurgi, sepultus ibidem apud patres Capucinos, quorum monasterium denovo erexerat.

Ibid. n. LXXXVIII. lin. 2. major præpos. *al.* decanus.

Ibid. lin. ult. *al.* 1628. *lege* 15. Nov. in ecclesia cathedrali tumulatus.

Ibid. n. XC. lin. penult. an. 1689. *adde* die 7. Martii.

Ibid. n. XCII. lin. 4. an. 1704. *adde* 21. Julii, & lin. 5. Augustani episcopatus *adde* donec ab infirmitate sua convalesceret proprius episcopus; *adde in fine*: Ipse vero annis gravis & meritis sibi quoque coadjutorem eligi curavit Damianum Hugonem S. R. E. cardinalem, comitem de Schomborn & episcopum Spirensem.

Col. 930. A. n. XI. ex præposito *adde* ab an. 1461.

XII. Johannes Blet 1496.

XIII. Mathias, *vel* Matthæus 1512. dein Salisburg. antistes.

XIV. Balthasar 1530. tum episc. Constant. LXXIX. ubi vide

XV. Johannes Joachim Schad von Millelbiberg 1536.

XVI. Johannes Mathias Hundpiss de Waltrambs 1555.

Ibid. n. XII. Jacobus Fugger de Weissenhorn præpositus *adde* an. 1593.

Ibid. n. XIII. Marcus, &c. major præpos. Constant. *adde* jam an. 1605.

XIX. Leopoldus archidux Austriæ 1620. ep. Argentin.

Ibid. n. XIV. Sixtus Wernherus, &c. *nota* quod hic illos inter quindecim præpositos, quos accepimus, non habeat locum.

Col. 931. A. n. XV. Maximilianus, &c. *adde* an. 1627.

XXI. *aut* XXII. Serenissimus princeps dominus episc. Frisingensis, 1653.

Ibid. n. XVII. Alexander, &c. *adde* præpos. jam anno 1684. coadjutor episcopi Augustani *adde* & Constant.

Ibid. n. XVIII. lin. 2. præpos. *adde* jam an. 1693.

Col. 930. B. Decanis Constant. præponendus, Albertus baro de Ramstein monachus Sangall. & decanus capituli Constant. qui deinde factus abbas Augiensis anno 1262. superstes erat 1286.

Ibid. ante n. V. addendus Georgius Dietherich germanus frater Francisci abbatis Weingart. qui ex decano evasit episc. Curiensis.

Col. 935. B. Post Gerhardum abb. addendus Hugo, absens in abbatem electus anno 1099. ad breve tempus.

Ibid. Adalbertus I. *adde* de Mesingen, antea prior monasterii, eligitur ex hist. MS. ad nos transmissa an. 1102.

Ibid. Conradus I. omittitur in prædicta historia, & Adalberto alter Conradus de Klingenberg an. 1154. successisse dicitur.

Eberhardus eligitur 1167.

Adalbertus II. memoratur 1179. in bulla Alexandri III. papæ monasterii privilegia confirmantis.

Hugo II. an. 1192. abbas esse jubetur.

Conradus II. an. 1203. abbatiales infulas impetravit.

Burckardus salutatur abbas 1231.

Hugo III. ex præposito Graffenhausensi an. 1256. ad abbatiale fastigium evectus est.

Conradus III. Henckart an. 1260. fit abbas.

Huldricus de Imendingem an. 1284. infula insignitur abbatiali.

Conradus IV. de Liebenfels an. 1300. proclamatur, ex hist. prædicta, imo vero jam erat abbas 1299. ex annal. Heremi.

Conradus V. de Randenburg eligitur 1313.

Johannes I. in Thurn. moritur 1333.

Jacobus Hun de Beringen moritur 1353.

Johannes II. Dartllinger successit.

Jacobus II.

Berchtoldus I. Wiechser obiit 1361.

Walterus de Seglingen 1394.

Berchtoldus II. de Sissach successit an. 1396. mortuus 5. Apr. 1425. Jacet sub aula magna veteris abbatiæ, quam Otto episc. Constant. erexit, ac tempore pestis inhabitavit, cum suis fratribus germanis in capella S. Johannis sepultus.

Johannes III. Peyer Scaffusanus, 1443.

Berchtoldus III. Wiechser,

Conradus VI. de Tettikoffen fit abbas 1466.

Henricus Wittenhau rexit ab an. 1466. ad 1500.

Michael Eggenstorff Constantiensis, ultimus abbas hujus monasterii, a fide catholica defecit, uxorem sacrilego sibi matrimonio copulavit, accepto interim ad dies vitæ monasterio in beneficium. Tandem vero sacrilegam efflavit animam 25. Jan. 1552.

Col. 937. A. lin. 9. fundatum est *adde* sub patrocinio SS. mart. Felicis, Regulæ & Exuperantiæ.

Col. 972. A. lin. 7. Schwiggerus *adde* Fortasse hic est Swigerus a Thuno monachus Fabariensis, quem in hist. MS. hujus monast. legimus missum ad Augiam-Brigantinam an. 1112. rogatu B. Eberhardi episc. Constant. *lege* Gebhardi, ex quo notandum venit Gebhardum episc. necdum obiisse hoc anno.

Col. 991. ante n. LIX. addendus Gallus electus, per cujus cessionem, Marcus nobili familia ortus, Augiensis monachus & præpos. Schinensis, cum jam ante octo ferme annos post Martini abbatis obitum Augiæ administrationem tenuisset, variis artibus in thronum abbatialem evectus est 1520. a suis nepotibus misere seductus.

Ibid. n. LIX. *adde* nono cœnobii episcopo traditi mense defunctus est, & in choro ecclesiæ Cellensis (Cellæ Ratholdi) ante summum altare sepultus 1540. de quo hic versus,

Vicenus Marcus regnans fit traditor antri.

Col. 1000. B. n. XX. Benedictus, *al.* Diethelmus.

Ibid. n. XXII. Exstinctus est an. 1455. Legimus tamen an. 1456. monasterium incendio deformatum curavisse a Johanne Bellinensi & Henrico Constantiensi præsulibus benedici.

Ibid. D. n. XXXVI. *adde* obiit in exilio Clignoviæ Helvetiorum an. 1632. ubi & sepultus.

Ibid. n. XXXVII. ex priore abbas *adde* 1633. Cessit autem an. 1665. sequenti defunctus

Ibid. addendus Romanus Edel ex monasterio Zwifaltensi postulatus magno S. Trudperti commodo. Obiit in exsilio Zurzachii ad Rhenum 3. Maii 1694. ætatis 72. ibidem sepultus, postquam 28. annos præfuisset. Ei successit Augustinus Sengler Sceletladii in Alsatia natus die 7. Octob. 1653. professus die 13. Novemb. 1669. primam missam decantavit die 24. Septemb. 1678. in principali S. Galli asceterio, ac demum abbas electus est ex gremio 17. Maii 1694. Novam basilicam crexit a fundamentis in honorem SS. apost. Petri & Pauli adjuncta justæ altitudinis & formæ turri, eamque sacram ædem 10. altaribus tam

tam pretiosis, quam artificiosis exornavit, choro lapideo fornice picturisque renovato, spectabilique organo condecoratam, & abs Reverendissimo domino Francisco-Johanne-Antonio de Sirgenstein episcopo Utinensi ac episcopi Constant. suffraganeo die 5. Octob. 1727. solemni ritu consecrari fecit. Hactenus feliciter præest.

Col. 1006. C. abbatibus S. Georgii in Nigra-silva addendus Michael hodiernus abbas.

Col. 1027. n. XLV. Franciscus *adde* Schenk.

Col. 1046. B. ante n. II. addendus fortasse Marquardus de Veringis, monachus Fabariensis, quem in histor. MS. hujus monast. missum legimus an. 1112. ad Isnense sancti Georgii monasterium.

Col. 1049. n. XLIII. *adde* natus Oeniponti 1664. 8. Novemb. professus in Weingarten 1684. 6. Jan. sacerdotii primitias celebravit 6. Jan. 1689.

Col. 1053. A. n. XXXV. *adde* Nonnisi XXXIII. dicitur in schedis post editionem transmissis; ubi etiam natus in Altorf ad Vineas an. 1598. 24. Aug. professus an. 1615. primo sacris operatus an. 1624. 17. Martii, in abbatem electus an. 1637. 12. Oct. tandemque die 2. Aug. anno 1673. apoplexia percussus, die 7. Septemb. abbatiam resignavit & 15. Sept. ejusdem anni pie defunctus est.

Post hunc addendus Alphonsus Stadelmayr, natus Oeniponti Tyroleos metropoli an. 1610. 4. Martii, professus 1626. 29. Octob. Primitias sacerdotii Deo obtulit in archisterio S. Galli an. 1634. 23. Sept. Tum domi & Salisburgi theologiam docuit, ac deinde rector fuit electus almæ & archiepiscopalis Salisburg. universitatis an. 1652. quod munus cum laude gessit annis 21. Tandem anno 1673. die 7. Septemb. electus est abbas sub quo facta est unio & confœderatio inter congregationes Helveticam & Suevicam sub certis conditionibus, multum proficuis utriusque membris. Sub eo mortuus est Gabriel Bucelinus monachus Weingart. tot libris conscriptis commendatus an. 1681. 9. Julii. Obiit autem Alfonsus anno 1683. 19. Julii.

Ibid. B. n. XXXVI. *seu* XXXV. ut volunt, Wilibaldus *adde* Roboldt, natus in imperiali civitate Lindau apud lacum Acronianum an. 1641. 21. Febr. professus 1658. 8. Maii primitias celebravit 1666. 25. Nov. Aliquandiu Salisburgi præfectum convictus, seu ut nunc vocant, Regentem egit. Eligitur in abbatem anno 1683. 23. Julii. Moritur 1697. 17. Junii, ac proinde delendum *&* 1699.

Post hunc addendus Sebastianus Hyller, qui natus Juliomagi in Suevia 1667. 5. Febr. & professus 1685. 1. Apr. primitias egit sacerdotii 1691. dumque se parat philosophiæ Salisburgi proximo anno tradendæ, mortuo interim Wilibaldo sufficitur 1697. 20. Junii. Statim vero Hofense monasterium, quod antecessor, vendito S. Johannis-Baptistæ in Weldkirch, cum sedis apostolicæ facultate, monasterio, propter vicinitatem inchoaverat, ex integro curavit absolvere, in quod an. 1702. quatuordecim monachos suos immisit in pervigilio S. Andreæ. Moritur an. 1730. 10. Maii sepultus in ecclesia monasterii quam ædificavit, ante altare S. Patroni sui titularis: ubi tumulo ejusdem epitaphium incisum æri legitur, &c.

Alfonsus Jobst Nurnbergensis ex domo Teutonica, natus an. 1684. 30. Novemb. professus 1706. 18. Apr. Primitias celebravit 1710. 29. Sept. abbas electus 1730. 13. Maii.

Col. 1056. a n. XXXVIII. Georgius Rhaw, *al.* Rauch ex Weissenhorn electus est 1578. 21. Jan. Resignare cogitur anno 1598. reliquo vitæ transacto in Morenthal loco præpositi, ubi 30. Octob. 1608. obiit.

Ibid. n. XXXIX. Michael *adde* Muller de Prachsenberg electus 15. Maii anno 1598. optimus œconomus. Obiit 17. Maii 1628. sepultus in basilica monasterii ante aram Divisionis apostolorum.

Ibid. n. XL. Balthasar Maderus *adde* Uberlingæ natus, eligitur abbas 18. Maii 1628. Peste interiit *adde* in parthenone Montis B. Virg. 3. Octob. 1635. & in vili sacello, quod erat in cœmeterio dicti parthenonis terræ mandatus est.

Ibid. ante n. XLI. *adde* Ulricus Gleuzius ex Daugendorff eligitur absens 28. Dec. an. 1635. Obiit 3. Dec. an. 1658. septuagenario major, terræ mandatus in basilica monasterii juxta aram S. Annæ.

Ibid. n. XLI. Christophorus Rassler *adde* Constantiensis, eligitur 21. Dec. 1658. Hic congregationis Benedictino-Suevicæ bis præses ad regulæ sanctæ observationem stabiliendam novas constitutiones elucubravit, ac monasterium S. Trudperti ne in alienas manus dilaberetur sua prudentia cavit. An. 1675. propter belli motus die 18. Jan. in monasterium Pethrusianum concessit, ubi paulo post dies absolvit 19. Martii annos natus sexaginta, sepultus in ecclesia prædicti monasterii ad gradus extra chorum in latere dextro.

Ibid. ante n. XLII. addendus Johan. Martinus Gleuz, patria Riedelinganus, electus 4. Apr. 1675. Obiit 1692. XI. Martii sepultus in basilicæ monasterii australi parte ad aram S. P. Benedicti.

Ibid. n. XLII. Udalricus *adde* Rotheusler, patria Altorfensis ad vineas, 17. Martii 1692. eligitur abbas. Obiit 23. Apr. 1699. in sacello domestico B. Virg. ad latus epistolæ tumulatus.

XLIII. Wolfgangus Schmid, electus 30. Apr. 1699. Obiit 1715. 2. Apr. anno ætatis 59. sepultus in ecclesia ante altare S. Wolfgangi ex latere australi.

XLIV. Beda Summerberger electus est 30. Apr. 1715. Cessit omnibus invitis an. 1725.

XLV. Augustinus Steegmuller Gundelfinganus ex Recopalatinatu, quondam clericus & parochus secularis in Pussen eligitur 27. Septemb. 1725. Hactenus feliciter præest.

Col. 1058. a abbatibus S. Petri in Nigra-silva addendus Maurus, cui successit Udalricus ex priore abbas hodiernus.

Col. 1062. a post lin. ult. *adde* Hoc tandem monasterium an. 1648. ducale Gymnasium evasit, cui Lutheranus præsidet, testante Iselin in suo lexico universali, ac proinde vetera inter monasteria reponendum fuerat.

Col. 1064. n. XXXVI. *adde* natus 1595. 2. Julii, professus 1611. 22. Julii, sacerdotii primitias festive peregit an. 1619. XI. Novemb. in abbatem Blauburanum postulatus in 1631. 19. Jan. Denique e suo monasterio pulsus an. 1648. a Wirtenbergensibus hæreticis, ad suum prius monasterium Weingartense revertitur, ubi decessit an. 1684. 5. Julii, ætatis 89. profess. 73. sacerdotii 65. & abbatiæ 53.

Col. 1065. A. ante n. VI. addendus Conradus, qui anno 1456. a Friderico IV. imperatore omnium privilegiorum obtinuit confirmationem.

Ibid. n. VI. 1493. *adde* quo anno Eberhardus comes Wirtenbergicus pro tempore advocatus monasterii, curiam in Sulz omnino liberam decrevit.

Ibid. n. VII. lin. ult. 1504. *adde* quo anno Maximilianus imperator ei jus gladii in territorio Losberg & aliis locis huic monasterio subditis titulo feudali legaliter exercendum indulsit.

Ibid. n. VIII. Alexius *adde* jam præerat 1514.

Ibid. n. IX. lin. ult. & 1530. *adde* Paucis post annis, anno scilicet 1535. die festo SS. apost. Simonis & Judæ dux Wirtembergensis monasterium rebus omnibus tam sacris quam profanis spoliavit. Restituitur autem hoc monasterium anno 1548. auctoritate Caroli V. imperat. a quo tempore catholicum abbatem habuit usque ad an. 1559. quo religio monastico-Benedictina ibi desiit usque ad 1630. at non nisi ad an. usque 1648. ac proinde reponendum hoc monasterium in classe veterum.

Ibid. n. XI. Matthæus Vogelius abbas erat *adde* Lutheranus, ut quidem videtur.

Col. 1071. A n. XLVI. *adde* qua iterum perculsus interiit sub finem anni 1730. successorem sortitus

Emmanuelem Crivelli electum die 16. Jan. 1731. vixdum per duos annos sacerdotem & omnium capitularium patrum juniorem. Hoc autem monasterium ante duos annos flamma vorax funditus evertit.

Col. 1097. E. n. IV. a Selinin, *dele* a: ante quam abbatissam duæ ponuntur in serie ad nos transmissa, nempe Adhelaidis Apollreutterina, de qua nos n. VI. & Tudecha von Raumspurg. Deinde post Margaretam Selinin habentur Bertha Seufflin, Gutta von Gundelfingen, Mechtildis von Blueningen, Elisabetha von Neyffron, Elisab. Schenkhin, Anna von Konigsegg, Catharina comitissa de Werdenberg, quam numeramus IX. Adhelaidis Holbainin, Anna von Humerastriedt, Engeltrudis von Gommeringen, Hilditrudis von Konigsegg, defuncta 1358. Christina von Stegen, Elisab. Grosslin, Margar. Saltzlin, Cathar. Ledermannin, Engeltrudis Marthin, Margar. Wielin, Margar. von Humpiss mortua 1401. de qua n. XI. Fides von Humpiss, Christina Holbainin, de qua n. V. Ursula von Prassperg, de qua n. VII. an. 1321. *lege* 1421. Fides Kircherin, Christina Schindelin, de qua n. XII. Adhelaidis Apostreutterin de qua n. VIII. an. 1446. Anna Schenkhin 1449. Wandelberga, &c. de qua n. XIII. Waldpurga Aiglerin, de qua n. XIV. Anna von Rumbs, Margar. am

Feldt 1504. de qua n. XV. Verena am Feldt, de qua n. XVI. Anna Schlaywekin, de qua n. XVII. Margar. de qua n. XVIII. *adde* 1555. Anna Wittmayerin von Mengen 1588. Ursula Steinhaverin 1595. Elisab. Hartmannin 1625. Juliana Remboldin von Augspurg 1629. Catharina Rueffin Waldsee 1643. Barbara Weglinin von Bergents 1645. Scholastica Klokhlerin von Munchenstein 1671. Barbara Sautherin, de qua n. XIX. *adde* von Radolffzell 1688. Maria-Anna, de qua n. XX. *adde* Tannerin von Baindt 1722. Maria-Anna Haugin von Mengen 1723. Maria Magdal. de Deirheimb Filia Frederici in consilio aulico senatoris & Annæ-Catharinæ Salomon de Salomonsegg de Burgberg hodie præest.

Col. 1101. B. lin. 2. *adde* Obiit an. 1723.

Col. 1103. B. lin. 7. Bertholdus I. *adde* Hic quem XVI. numeramus abbatem, in serie MS. post editam nostram perhumaniter ad nos transmissa, numeratur VIII. natusque dicitur in oppido Kellmunz prope Illeram, dynastiæ lib. baronum imperialium de Rechberg, ac mortuus 18. Maii 1273.

Ibid. n. XV. & in serie MS. prædicta n. IX. *adde* natus in Fehlheim dominationis baronum Reichlen de Meldeck, loci alumnus & parochus Berckhemii, obiit 29. Nov. 1305. cum 32. annos laudabiliter præfuisset.

Ibid. n. XIV. & in prædicta serie MS. n. X. *adde* Rexit 4. annos pie defunctus 1309. die 29. Nov.

Ibid. n. XXII. & in prædicta serie MS. n. XI. *adde* cognomento *Scheralis*, regimine 34. annorum clarus obdormivit in Domino die 30. Apr. 1343.

Ibid. n. XXIII. & in serie MS. prædicta XII. usque ad 1356. *lege* 1365. postquam ad annos 22. suum regimen produxisset.

Ibid. n. XXIV. & in prædicta serie MS. XIII. *adde* cum obiisset 18. Maii 1369.

Ibid. n. XXV. &c. sive n. XIV. N. Kurchenwis, *lege* Henricus Kruchenwiss. & *adde*, obiit 1380. eique successit Conradus cognomento *Fruensses* ex pago Haslach ditionis Rothensis oriundus, qui decessit an. 1391.

Ibid. n. XXVII. *seu* XVI. *adde* natus in Sulgau civitate jurisdictioni Austriacæ subjecta, obiit 1397.

Ibid. n. XXVIII. *seu* XVII. *adde* Mortuus creditur an. 1402. successorem nactus

Johannem Galderich Minoris Augiæ professum; qui vivere desiit 1414. die 29. Septemb.

Ibidem n. XXXIII. & in prædicta serie MS. n. XIX. Henricus Mereln, *lege* Merck, & *adde* Leonardo Truchsess presbytero seculari, qui monasterii administrationem invaserat, expulso (Hic est, profecto, quem inter abbates numero XXI. computamus) tres annos sedit defunctus in vigilia SS. Crispini & Crispiniani an. 1420.

Ibid. n. XXXIV. *seu* XX. lin. 5. annis 30. *lege* 37. & *adde* obitus diem 19. Apr.

Ibid. n. XXXVI. *seu* XXII. lin. 2. post tres annos, *lege* quinque lin. 3. 1473. *lege* 1475. die 16. Decemb.

Ibid. n. XXXVII. *seu* XXIII. *al.* Kienlein, legitur *Henlin* in serie MS. eligitur an. 1473. *lege* 1475. & an. 1484. in Galliam proficiscitur ad capitulum generale Launduni celebratum ab Huberto Præmonstratensis ordinis abbate generali, in quo Henricus per Sueviam & Bavariam visitator generalis constitutus est, & lin. 4. 1499. *lege* 1501. die 7. Martii.

Ibid. n. XXXVIII. *seu* XXIV. lin. 2. ab an. 1500. *lege* 1501. & *adde* obiit 1520. die 24. Octob.

Col. 1104. lin. 3. *adde* 18. Apr.

Ibid. n. XLI. *seu* XXVII. lin. 3. 1547. *al.* 1546. & lin. 7. in Autumno, *lege* 1. Sept.

Ibid. n. XLII. *seu* XXVIII. Tector, *al.* Textor & lin. 3. 1549. *adde* 12. Sept. *&* *usque ad* 1556. (adde) quo pie defunctus est, 29. Junii.

Ibid. n. XLIII. *seu* XXIX. 1560. *adde* die 25. Octob. mortuus anno seq. 15. Febr.

Ibid. n. XLIV. *seu* XXX. lin. 2. infulatus *adde* 1587. & lin. 3. 1589. *adde* 17. Nov.

Ibid. n. XLV. *seu* XXXI. 1591. *adde* die 20. Octob.

Ibid. n. XLVI. *seu* XXXII. lin. ult. *adde* mortuus 14. Octob. 1614.

Ibid. n. XLVII. *seu* XXXIII. Joachim Gieteler *adde* electus die 20. Octob. 1611. idem visitator circariæ Suevicæ; & lin. 3. *abdicavit* (adde) 4. Nov. 1630. mortuus anno seq. 15. Octob. ac sepultus in medio sanctuario.

Ibid. n. XLVIII. *seu* XXXIV. Ludovicus Locher, *adde* ex subpriore electus postridie quam abdicaverat Joachimus, & ipse simul vicarius generalis in circaria Suevica & lin. 2. *adde* obiit 7. Sept. 1667. ætatis suæ 67. professionis 52. dignitatis 37. & vicariatus circariæ Suevicæ 28.

Ibid. ante n. XLIX. addendus Fridericus Romel, Uberlingensis, ex priore & Philosophiæ lectore 12. Septemb. 1667. abbas electus, obiit 13. Maii 1672. in Seefelden, unde Wilthinum ord. Præm. monasterium & Rothi filiam deportatus, ibi in ecclesia parochiali sepultus est.

Ibid. n. XLIX. *adde* cognomento *Ertle*, eligitur 21. Maii 1672. cum tunc esset parochus in Haisterkirch, quem postea Michael Colbert Præmonstrati vicarium generalem ac visitatorem per Sueviam, annexasque provincias constituit. Abdicavit tandem 1711. die 1. Octob. ac mortuus est die XI. Maii 1712. ætatis 71. profess. 55. sacerdotii 48. & dignitatis abbatialis 40. cui successit

Hermannus Vogler, natus Oberstorffii an. 1680. 5. Octob. eligitur abbas an. 1711. 1. Octob. cum tunc esset parochus Haisterkirchii, ac sacræ theol. & sacrorum canonum professor emeritus; ac deinde totius Sueviæ provinciæ visitator ac vicarius generalis constituitur. Hactenus feliciter præest sacerdotibus 31. fratribus canonicis 3. & conversis totidem.

Col. 1105. A. n. 1. Hermannus *adde* assumtus ex Rotho.

Ibid. B. n. VI. Conradus *adde* Adelbergensis cœnobii alumnus.

Ibid. C. n. I. Henricus, lin. 3. ac postremo *dele* usque ad vocem *præfecturam*.

Ibid. n. IV. Henricus de Anekenrut, *lege* de Ankenreute.

Ibid. n. IX. lin. 2. annis 42. *lege* 40.

Ibid. n. X. 1350. ad novem annos, *lege* 1348. ad undecim annos.

Ibid. n. XII. Wernherus II. Ruth, *lege* Ruch.

Ibid. n. XIII. de Kupferbergo, *lege* de Kupfenberg.

Col. 1106. A. n. XVII. Johannes IV. Sagittarius (*adde*) *al.* Schuz ex Altdorff.

Ibid. n. XIX. Johannes VI. Villicus (*adde*) *al.* Mayr.

Ibid. n. XXIII. Jacobus lin. 2. 1557. *lege* 1556.

Ibid. n. XXVII. lin. 2. electus 1582. *adde* 6. Nov. & lin. ult. *adde* Obiit V. cal. Aug. 1595.

Ibid. n. XXVIII. lin. 2. infulatus, *adde* eligitur 1595. mense Julio. Idem quoque Suevicæ provinciæ visitator, obiit 1599. IV. idus Jan. ac proinde delenda hæc verba *sedit annis tribus*.

Ibid. n. XXIX. Jacobus III. Mayer, *lege* Mayr, lin. 2. 1599. *adde* pridie idus Jan. præfuit annis 17. mens. 4. & 23. diebus summa cum laude, ac tandem vivere desiit 1616. 2. nonas Junii.

N. XXX. Christophorus Herdtlin, *lege* Johannes Christophorus Hartlin ex Altschusio, electus 1616. VIII. idus Junii.

N. XXXI... ex oppido Sulgen, *al.* de Saulgen, electus 24. Sept. 1654. ætatis suæ 48. præfuit annis 26. mens. 7. ac diebus 12. defunctus jubilæus 6. Maii 1681.

Ibid. ante n. XXXII. *adde* Norbertus Schaller Uberlinganus Acronianus, electus die 9. Maii an. 1681. ætatis suæ 58. professionis 39. sacerdotii 32. præfuit annis 3. mens. 6. diebus 9. & resignavit 18. Nov. 1684.

Ibid. n. XXXII. Michael *adde* Muesacker electus 18. Novemb. 1684. præfuit 12. annis. Viennæ in Austria mortuus 15. Junii 1696. & in ecclesia parochiali S. Michaelis sepultus.

Ibid. *adde* XXXIV. Johannes Christophorus Korrostetanus, electus 20. Junii 1696. resignavit 1704.

XXXV. Leopoldus Mauch Wangensis, electus 17. Julii 1704. necnon Suevicæ provinciæ visitator & vicarius generalis, cum præfuisset 18. annis & mens. 6. resignavit.

XXXVI. Michael Helmling ex Ravenspurg, electus 22. Jan. 1722. præfuit 2. annis & 8. mens.

XXXVII. Antonius Unold de Wolffegg, electus 15. Octob. 1624. hactenus feliciter præest.

Col. 1111. A. n. II. lin. 1. assumtus, *adde* an. 1198. Ibid. D. ante n. XII. *vel* XIII. addendus Reinhardus, ex Rothensi monasterio assumtus circa 1372. ex hist. MS. hujus cœnobii.

Inter Instrum. Col. 467. ch. X. inter alia quæ Obrechtus in suo prodromo rerum Alsaticarum in hac charta reprehendit, non minimum est quod Bartus archiepisc. Mogunt. sive sit Erkembaldus per abbreviationem, sive Bardo, ut ipse Obrechtus interpretatur, præsens in charta memoratur an. 1005. indict. 2.

ERRATA MINORA.

COL. 26. E. lin. penult. exertus, *lege* exercitus. Col. 198. D. lin. 4. Theodori, *lege* Theodorici. Col. 215. B. lin. 1. Husto, *lege* Hulsto. Col. 320. D. n. XIV. lin. 4. 1679. *lege* 1678. mense Septemb. Ibid. E. lin. 6. an. 1695. *lege* 1693. & alibi 1689. mens. Junio. Ibid. E. in margine de Rotabon, *lege* de Ratabon. Col. 322. B. lin. 10. Ipsensis, *lege* Iprensis. Col. 338. D. n. L. lin. 1. d'Auchoult, *lege* d'Aurhoult, *vel* d'Averhoult. Col. 459. A. lin. 8. Ottone, *lege* Henrico. Col. 464. E. lin. 1. Sigebertus, *lege* Sigesfridus. Col. 468. C. lin. 4. an. MXCI. *lege* MCXI. Col. 470. A. lin. ult. 1148. *lege* 1140. Col. 472. B. lin. 11. Pontecosten, *lege* Pentecosten. Col. 488. B. lin. 4. Romonarum, *lege* Romanorum. Col. 489. A. lin. 9. inita quinetiam, *lege* inita; quinetiam. Col. 495. E. XXVII. Henridus, *lege* Henricus. Col 496. A. lin. 7. Johannis, *lege* Johannes. Col. 499. E. lin. 5. 1334. *lege* 1344. Col. 502. E. lin. 8. concinasse, *lege* concinnasse. Col. 507. A. lin. 7. dignitatem, *lege* dignitatum. Col. 543. A. lin. 13. Sangellensi, *lege* Sangall. Col. 612. D. lin. 9. reperat, *lege* receperat. Col. 629. in serie abbatum lin. 4. ubi vide, &c. *dele*. Col. 636. C. lin. 5. Bigensis, *lege* Bingensis. Col. 657. A. lin. 2. 1379. *lege* 1373. Col. 666. E. lin. 4. Gatto, *lege* Hatto. Col. 681. A. lin. 8. monast. Naboris, *lege* S. Nab. Col. 716. C. Eisengeinius, *lege* Eisengreinius. Col. 726. B. lin. ult. Dochinum, *lege* Dodechinum. Col. 750. B. lin. 1. Augustanus, & *adde* abbas. Col. 751. D. n. VI. lin. 5. & pago *adde* qui. Col. 756. B. lin. 8. ab Eugenio, *lege* Innocentio. Col. 760. D. His abbatibus, &c. *dele*. Col. 766. E. lin. 6. Adeldelbertum, *lege* Adelbertum. Col. 803. lin. 10. Georgico, *lege* Georgio. Col. 814. B. lin. 1. decanatum, *lege* præposituram. Col. 822. B. lin. 11. die 8. *lege* 18. Col. 839. E. lin. 9. degenaverant, *lege* degeneraverant. Col. 842. lin. 13. immunitorum, *lege* imminutorum. Col. 849. D. lin. 7. quo *adde* tempore. Col. 860. A. lin. 6. Sebzensem, *lege* Selzensem. Col 877. D. lin. 6. abbatis ordinum, *lege* abbatum ordinis. Col. 906. E. n. XXXVI. lin. 2. Eindsilensis, *lege* Einsidlensis. Col. 939. E. lin. 2. an. 1091. *lege* 1191. Col. 931. A. lin. 5. propos. *lege* præpos. Col. 935. D. lin. 3. Fidolinum, *lege* Fridol. Col. 944. B. lin. 2. sub Lecellensium, *lege* Lucell. Col. 947. A. lin. 13. S. Gallo, *lege* a S. Gallo. Col. 967. A. lin. 9. Othmar, *lege* Othmari. Col. 989. n. XLIV. lin. 1. de Kimmern, *lege* de Zimmern. Col. 990. E. lin. ult. antem, *lege* autem. Col. 1021. A. n. XL. Hossmam, *lege* Hoffman. Col. 1071. C. in Oschenhusio lin. 1. spectantissimum, *lege* spectatiss.

Instrum. 451. C. lin. 14. Sylvalicum, *lege* Sylvaticum. Ibid. E. lin. ult. atque pidultum, *lege* indultum. 453. C. lin. 8. nostræ, ecclesiæ scilicet, *lege* nostræ ecclesiæ, scilicet. Col. 468. A. lin. 10. repararet, *lege* repararem. 480. A. lin. 10. refragato rexisteret, *lege* refragator existeret.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO GALLICANO,
post editum tomum primum.

COL. 116. abbatissis de Mercoria addenda N. de Montmorin de S.t Herem a Rege nominata 9. Jan. 1729.

Col. 262. C. abbatibus Bonæ-vallis diœc. Ruthen. addendus N. Puymartin.

Col. 269. A. abbatisses S. Saturnini Ruthen. addenda N. du Bourg du Mayne nominata mense Jan. 1730. &

N. de Clermont du Bosc designata mense Junio ejusdem anni 1730.

Col. 340. D. Johannes Bapt. de Brancas regia nominatione ab episcopatu Rupell. transfertur ad sedem archiepiscopalem Aquensem mense Junio 1729. pro qua Regi fidem clientelarem pollicitus est 4. Sept. ejusdem anni.

Col. 383. E. abbatibus Vallis-sanctæ addendus N. de Narbonne Pelet decanus ecclesiæ Belli-cadri, nominatus exeunte Jan. 1731.

Col. 447. E n. LV. *adde* Nunc est episcopus Grassensis ab an. 1727. ac simul præpos. Forojul.

Col. 695. C. abbatibus S. Victoris Massil. addendus N. de S.t Aignan antiquus episc. Bellovacensis, a Rege nominatus mense Febr. 1728.

Col. 885. E. Abbatibus S. Andreæ Avenion. addendus N. Southkoot superior generalis Benedictinorum Anglorum, nominatus 5. Maii 1728.

Col. 964. B. Abbatibus Sinanquæ addendus N. de Roquefort nominatus mense Maio 1729.

Col. 1010. D. In mutationibus cleri tom. 4. præfixis diximus Melchiorem de Polignac S. R. E. cardinalem renunciatum fuisse archiepisc. Auscienseṁ, *adde* An. 1728. die 16. Maii designatus est ord. S. Spiritus præceptor.

Col. 1016. E. n. XXIX. *adde* Obiit in sua diœcesi Digniensi circa finem Jan. 1728. in abbatia successorem sortitus N. de Pujet nominatum mense Martio 1728.

Col. 1067. B. abbatibus Cagnotæ addendus N. de Bouexie de Bec de Lievre nominatus mense Apr. 1731.

Col. 1183. D. Abbatibus S. Johannis de Castella, addendus N. de la Velle nominatus abbas regularis ineunte Julio 1731.

Col. 1242. D. In mutationibus cleri tomo 2. præfixis diximus Annam-Franciscum-Guillelmum du Cambout nominatum fuisse ep. Tarb. *adde* Obiit in sua diœcesi mense Julio 1729. ætatis circiter 43. simul abbas *de Memie*, hoc est S. Memmii *S. Mange* diœc. Catal.

Ei successit Carolus-Antonius de la Roche Aymon episc. Sareptanus, designatus Tarb. mense Octobri 1729. propositus in consistorio pontificio 8. Febr. 1730. & in altero 2. Octob. ejusdem anni.

Col. 1252. E. abbatibus S. Savini diœc. Tarb. addendus N. de Langle canonicus ecclesiæ cathedralis Rhedonensis, nominatus mense Febr. 1729.

Item N. de Montlezun nominatus mense Jan. 1730. ac propositus in consistorio pontificio 12. Febr. 1731.

Col. 1302. A. In mutationibus cleri tomo 4. præfixis, diximus Martinum de la Cassagne nominatum fuisse episc. Lascurr. *adde* obiit in sua diœcesi 13. Jan. 1729. pene nonagenarius.

Ei successit Harduinus de Chalon major vicarius Senonensis, nominatus mense Maio 1729. sacratus 5. Febr. 1730. in ecclesia noviciatus Jesuitarum ab archiep. Senon. assistentibus Tarb. & Aniciensi episcopis, Regique fidem pollicitus 12. Febr. 1730.

Col. 1324. C. n. L. *adde* Obiit in sua diœcesi exeunte Novembri vel ineunte Decembri an. 1727. simul abbas Angeriac.

Ei successit in cathedra Baionensi Petrus-Guillelmus de la Vieuxville decanus ecclesiæ cathedralis Nannetensis, nominatus exeunte Martio 1728. propositus in consistorio pontificio 14. Junii ejusdem anni, ac denique sacratus 22. Aug. 1728. in ecclesia cathedrali Meldensi ab eminentissimo cardinali de Bissy, assistentibus Andegav. & Europæano Aurelianensis episcopi coadjutore.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM PRIMUM.

COL. 10. A. n. XXXII. lin. I. Hic præsul, *adde* Anno 1019. chartam in conventu, seu concilio Gerundensi factam confirmavit, ex marca Hispan. col. 430. & 1015.

Col. 40. B. n. LXXXV. lin. 10. sed post, *lege* ante.

Col. 43. E. Guillelm. Petri, &c. *adde* & adhuc 1184. ex appendice Baluzii ad Marcam Hispan. col. 1379.

Col. 45. E. in præpositis Albiæ ante Johannem Brissi addendus Armandus Moischeti, uti diximus tom. 1. col. 1325. n. I.

Col. 52. abbatibus Galliaci addendus Gaudemarus, ut jam diximus tom. 1. col. 295. C. in additionibus.

Col. 53. n. I. *vel* II. Robertus *adde* memoratur VIII. cal. Julii in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Col. 55. D. abbatibus Galliaci addendus Pontius notatus in necrol. S. Roberti de Cornilione IX. cal. Sept.

Col. 65. B. n. XXXI. *adde* Fortasse is est Guillelmus abbas de Castris notatus in necrol. S. Roberti Cornilione XII. cal. Maii.

Col. 78. C. n. XXIX. *adde* & cleri Gallicani procurator generalis, *Agent du Clergé*, obiit (adde) ætatis suæ anno 80.

Col. 83. B. n. XV. lin. 2. & 1496. &c. *dele* cessit enim ante 1493. quo quidem anno hæc cessio in gratiam ejus sororis Catharinæ de Cardaillac retentis fructibus abbatiæ, omni jurisdictione & correctione, ac ceteris præeminentiis exerceri solitis per abbatissam cum regressu ad eamdem abbatiam, cedente vel decedente prædicta Catharina, cassata fuit edicto parlamenti Tolos. in vigilia Purificationis B. Mariæ & Irsanda de Lauritio a sororibus electa contra Johannam, quam abdicasse certo audiverant, in abbatissam confirmata fuit, ac proinde expungendæ

Juliana n. XVI. & Catharina n. XVII. iisque substituenda Irsanda de Lauritio, &c.

Col. 84. B. n. XXIII. vide tom. 1. col. 1326. n. IV.

Ibid. C. In additionibus seu animadversionibus tomo 3. præfixis, jam diximus abbatiis hujus diœcesis addendam S. Claram Urbanistarum in urbe Castrensi, hujus autem parthenonis abbatissa nominatur a Rege N. de Tressan ejusdem ordinis alumna 16. Nov. 1676.

Col. 96. lin. 8. *adde* Anno 1302. indict. I. die 26. Nov. Romæ versabatur, ex qua scilicet urbe litteras suas cum bulla Bonifacii VIII. data Laterani XVII. cal. Nov. pontific. anno VIII. Guidoni episcopo Tornacensi inscripsit, quibus suas eidem vices committit pro causa percussionis quorumdam S. Genesii Clarom. canonicorum in fratrem Bernardum de S. Floro priorem domus ordinis B. M. de Monte Carmeli Claromont. Has litteras & bullam præ manibus habemus.

Col. 97. n. XXXIII. In animadversionibus tomi 1. præfixis tomo IV. minus attente diximus non indicare dominum Raybaud ubi doceat Baluzius hunc P. esse Petrum Gomes de Barroso cardinalem Toletanum, hoc enim docetur in ipsomet loco a nobis citato in tom. 1. nempe in notis Baluzii ad vitas Pap. Avenion. tom. 1. p. 765. de quo etiam consulendus Ciaconius, qui refert ipsius epitaphium, ubi tacetur titulus episcopi Mimat. ex quibus optime infert D. de Mazaugues, indicandum potius, quam in episcoporum serie ponendum.

Col. 109. D. Præpositis Mimat. præmittendus Maganfredus, ut diximus tom. 1. col. 1325. n. I. ex instrumentis pag. 203. col. I.

Col. 110. C. n. LXVIII. lin. ult. desinente, *lege* 13. Decembris.

Ibid. E. lin. penult. Carolus, &c. *adde* jam annis 1595. & 96. simul vicarius generalis episcopi Mimat.

Col. 118. lin. 6. ante episcopos Cadurc. (translatum est ab Hermengaudo, *al.* Smaragdo, uti monet Baluzius legi in quadam Chiffletii collectione in quarto.)

Col. 119. n. VIII. *adde* Eum Baronius sanctum appellat ad an. 583.

Col. 120. E. lin. 2. mox referenda, *lege* relata in veteri Sammarthanorum fratrum Gallia Christ.

Ibid. in nota lin. ult. (circiter 584.) Sirmondus & Cointius habent 588.

Col. 126. E. n. XXV. In additionibus tomo 3. præfixis diximus eum adfuisse fundationi abbatiæ S. Satyri prope Sacrum-cæsaris *Sancerre* an. 1034. *melius* 1035. *vel* etiam 1036. anno scilicet 4. Henrici regis ex charta LVIII. col. 51. inter instrumenta.

Col. 138. E. n. XLIII. lin. 7. *idem m*, dele ultimum *m*.

Col. 153. C. n. LXX. lin. 7. 9. Martii an. 1680. *lege* 6. Septemb.

Col. 161. C. n. XVI. *adde* Is esse videtur Raimundus, qui notatur III. calend. Julii in necrolog. S. Roberti de Cornilione.

Col. 172. B. n. LIII. lin. 3. ad an. 1662. *lege* ad mortem, quæ contigit 9. Martii 1661.

Col. 174. B. n. XX. lin. 3. epistolam 7. *lege* 1.

Ibid. E. n. XXVI. *adde* Hugo ep. Claromont. eum benedictione donavit 1245. mense Jan. ex schedis Cluniac.

Col. 175. A. n. XXVIII. in margine *adde* X. cal. Oct. ex MS. codice Glanderiensi, & XIII. cal. Oct. ex necrol. Artigiæ, ubi vocatur Walardus de Cardailhac.

Ibidem B. n. XXX. obiit an. 1288. *adde* XI. Martii, ex fragmento veteris cujusdam necrologii.

Ibidem n. XXXI. Lucas *adde* de Grisis.

Ibid. n. XXXII. lin. 3. accedentem, *adde* cum suo conventu 50. monachis constante pluvialibus, seu cappis induto, ubi de novo factus abbas dicitur.

Col. 176. C. n. XLI. *adde* Adhuc erat contentio de abbatiali dignitate an. 1449.

Ibid. D. n. XLII. Johannes de Narbonesio *adde* antea abbas S. Salvatoris Lodov. creatur Figiacensis 1447. æmulos passus Antonium de Naucaza priorem S. Lupi & Johannem de Castro-novo episcopum Caturcensem. Obiit vero 1475. 24. Oct. unde suboritur dubitatio de Johanne Lupi n. XLI.

Ibid. n. XLIII. Raimundus Bonnaut, *al.* Bonant, electus 28. Octob. *al.* 30. vel ultima.

Ibid. n. XLIV. *adde* Benedicitur a Johanne de Bourbon abbate Cluniac. 2. Apr. 1476.

Col. 178. A. n. LII. Johannes Arm. *al.* Petrus Armandus.

Col. 180. D. n. XX. *adde* In rotulo mortuorum anni 1498. legitur ad Soilhacum ord. S. Bened. diœc. Caturc. Petrus de Ornaco abbas, qui ante annos X. obierat.

Col. 186. C. n. XXVII. lin. 2. 1463. *dele*, & *adde* Johannes de Torondel nobilis Petracorensis, abbas a custodia Dei, & decanus ecclesiæ de Montpezat in diœc. Cadurc. ab. an. 1456. ad 1464.

Ibid. n. XXVIII. Johannes, &c. *lege* Johannes de Ramond Folmon ex linea dominorum d'Auty.

Col. 187. n. XXXVI. lin. 3. *dele* 1616.

Col. 193. A. n. XXVI. lin. 2. Alb. *lege* Albensi.

Col. 195. E. de episcopatu Arisitensi, vide tom. 1. col. 1325. E. lin. penult. n. III.

Col. 196. A. addendæ duæ Urbanistarum abbatiæ, altera in ipsa urbe Caturc. cujus abbatissa nominatur 16. Nov. 1676. N. le Franc ejusdem parthenonis alumna; & altera in loco de Gourdon ejusd. diœc. cujus abbatissa designatur 16. Nov. 1676. N. de Perigal de S.t Augustin ejusdem loci sanctimonialis.

Col. 213. n. XXX. vide tom. 1. col. 1327. n. VI. in additionibus.

Col. 217. C. lin. 5. de Calo-monte, *lege* de Calvomonte, ex Baluzio.

Col. 218. n. XXXVI. vide tom. 1. col. 1327. A. lin. 2. n. V. in additionibus.

Col. 220. n. XXXVIII. lin. 1, *nepos*, legendum monet Baluzius *frater*.

Col. 226. B. ante hæc verba *ante sopitas lites* (adde) An. 1437. die 7. Aug. Eugenius IV. papa litem composuit hunc inter episcopum & pagi Ruthenensis comitem, super juribus in civitate percipiendis, ex schedis D. de Ganieres.

Col. 230. C. n. L. *adde* Memoratur 23. Dec. an. 1571. in charta authentica D. de Ganieres vol. X. in Bibl. regia.

Col. 232. n. LVII. lin. ult. 1684. *lege* 1682. ætatis suæ 75.

Col. 245. n. XXIX. *adde* notatur VII. cal. Maii in fragmento veteris cujusdam necrologii.

Col. 248. A. n. XLIV. lin. 4. de Conchis, *adde* & XVIII. cal. Sept. in fragmento veteris cujusdam necrol.

Ibid. n. XLVI. *adde* adhuc sedebat 1325. *registre* 64. *acte* 471. ex Baluzio.

Col. 249. A. n. LI. vide tom. 1. col. 1327. B. n. VII. in additionibus.

Ibid. n. LVII. *adde* adhuc præerat 1523. ex tabul. S. Fidis de Coulommiers.

Ibid. n. LXIII. Johan. Armandus, *al.* Petrus Armandus *Fumée des Roches de S. Quentin*, 1670. & 1680.

Col. 256. E. XXXVI. potitur hac abbatia *adde* a die 23. Apr. 1707.

Ibid. addendus N. Soccot monachus Claræ-vallis, & postea abbas Bonæ-cumbæ in Vasconia, qui scripsit doctissimas conciones super Dominicas totius anni, quæ MSS. servantur in Clara-valle. Ita Carolus de Visch in Bibliotheca scriptorum ord. Cisterc.

Col. 257. E. lin. 8. R. Armandus, *lege* Raimundus, uti col. 233. C. n. III.

Col. 267. A. lin. 3. *adde* obiit 14. Julii 1723. ætatis suæ 82.

Ibid. E. Lemma memoratur abbatissa S. Saturnini in tabulario Vabrensi, sed incerto tempore. Vide etiam quæ diximus tom. I. col. 296. in additionibus.

Col. 269. A. ante n. XIII. vide tom. I. col. 1327. C. n. VIII. in additionibus.

Col. 274. B. addendum monasterium S. Salvatoris in pago Ruthenico juxta castrum Severaci, cujus abbatissa I. fuit Adalgundis, ex fragm. hist. Aquitan. tom. 3. nostri D. Cl. Estiennot.

Col. 276. B. n. XII. lin. 4. Paulo post, &c. Id attribuendum videtur Petro abbati laudato in charta prædicta anni 1062. tom. IV. annal. Bened. pag. 629.

Col. 279. A. n. III. vide tom. I. col. 1327. D. n. IX. in additionibus.

Col. 284. lin. 3. mense Apr. *lege* 14. Jan.

Col. 286. D. n. XXVI. Johannes *adde* Baptista.

Ibid. n. XXVII. lin. 2. 1694. *adde* 24. Decemb. per obitum præcedentis.

Ibid. E. abbatibus Nanti addendus Geraldus notatus in necrol. S. Roberti de Cornilione XII. cal. Octob.

Col. 292. C. n. VIII. Petronilla *adde* filia nobilis Fortunii Valetta domini de Parisot & Alexandræ de Najac ex illustri prosapia de la Valette Parisot in pago Ruthenensi.

Col. 303. B. n. XI. *adde* Is etiam est procul dubio Benedictus memoratus in cap. I. capitularii tertii Ludovicii Pii Aug. de 4. conventibus episcoporum in regno Francorum faciendis. Illud autem capitularium Aquisgrani conscriptum est, sicque incipit *anno sexto-decimo regnante domno nostro Ludov. &c.*

Ibid. n. XII. lin. 6. in causa *adde* Gilberti.

Col. 307. B. lin. XI. facta *adde* an. 1057.

Col. 309. n. XXV. vide tom. I. col. 1327. D. n. X. in additionibus.

Col. 311. B. n. XXIX. Monemur a viro Cl. D. de Mazaugues præside in Aquensi senatu, hunc Guillelmum perperam a nobis insertum fuisse catalogo Aquensium præsulum, & quæ istic de illo dicuntur adscribenda esse Guillelmo III. Auxiensi archiepiscopo, qui revera sub hoc tempus monasterio Casæ-Dei munificum se præbuit, ex necrologio hujusce abbatiæ.

Ibid. E. in margine *Bertrandum* dele.

Col. 314. B. lin. 8. a Petro *adde* Vallium Cernaii monacho.

Col. 317. B. n. XXXVIII. *adde* suum testamentum Romæ condidit in ecclesia S. Crucis & obiit Viterbii sepultus apud Minoritas ejusdem urbis.

Col. 319. B. lin. I. *Februario:* Monet D. de Mazaugues senatus Aquensis præses notari ejus obitum III. cal. Febr.

Ibid. n. XLII. lin. 2. *pagi Lodov.* Amalricus Augerius coævus scriptor habet *Nemausensis diœcesis.*

Col. 321. A. lin. 9. *an. 1360.* (adde) 14. Nov. apud Avenionem, ex quo testamento liquet eum fundasse capellaniam apud S. Salvatorem, cujus collationem dat successoribus.

Col. 325. A. lin. 4. 1394. *adde* 22. Septemb.

Col. 326. n. LVI. in animadversionibus tomi I. præfixis tomo IV. diximus hunc archiep. nominari Avinionem in bulla Martini V. Vir Cl. D. de Mazaugues legendum monet Ammonem, qui fuit etiam episcopus Oscensis in Hispania, non Ostiensis, ex ipsius epitaphio apud S. Salvatorem.

Col. 329. C. lin. penult. Turonum archiepiscopus *adde* qua in dignitate obiit 1520. mense Octobri.

Ibid. E. n. LXII. Petrus Fillioli, *lege* Filholi.

Col. 339. C. lin. 5. Eodem anno *adde* 3. Decemb.

Col. 340. E. n. II. vide tom. I. col. 1327. n. X. in additionibus.

Col. 342. n. XXI. Johannes II. Guissi, *lege* Gucii.

Col. 348. E. addenda abbatia Urbanistarum S. Claræ Aquisextiensis, cujus abbatissa fuit a Rege nominata 16. Nov. 1676. N. de la Baume.

Col. 354. B. n. XXIII. Stephanus I. *dele totum:* neque enim ipsi bullæ Benedicti VII. subscripsit, sed illum longe postea, in quodam, ut videtur, concilio approbavit, ut constat ex aliorum præsulum XI. seculi subscriptionibus; ac proinde idem est cum Stephano II. n. XXVII. & sic etiam Nartoldus I. n. XXII. idem est ac Nartoldus II. n. XXIV. vide appendicem Baluzii ad Marcam Hispanicam col. 922.

Col. 355. C. n. XXVII. lin. 4. implevit *adde:* Anno 1019. chartam in conventu seu concilio Gerundensi factam confirmavit, ex Marca Hispanica col. 430. & 1015.

Col. 356. E. n. XXIX. *adde* notatur Alfantus episc. Aptensis in necrol. abbatiæ S. Egidii in Bibliotheca Fratr. Prædicatorum Chamberiaci, XVII. cal. Jan.

Col. 366. D. n. LXII. lin. 4. & cardinalem *adde*: necnon cognatum Johannem de Boisy episc. Ambianensem, ex hist. Segusians, pag. 305.

Col. 375. E. n. XLV. *adde* adhuc præpositus 1606. quo cleri Gallicani negotia procuravit tanquam deputatus ab Aquensi provincia.

Ibid. n. XLVII. *adde* & adhuc 1615. deputatus ad comitia cleri Gallicani.

Col. 381. B. n. XL. *adde*: Hic Johannes dictus episc. Auraycensis & abbas S. Eusebii Apt. in bulla Clementis papæ data Romæ V. idus Febr. 1592. (hoc est 1593.) professionem fidei fecit an. 1593. coram Perillo episcopo Aptensi. Vide tom. I. col. 785. A.

Col. 388. & 389. in ecclesia Regensi, lin. 10. *archidiaconus* (adde:) qui sunt dignitates, sacrista vero & capiscolus, personatus; *& octo alii canonici* (adde) & presbyteri 15. *al.* clerici, beneficiati perpetui.

Ibid. lin. XI candidorum & Cinereorum, vulgo *les Bourras: Nota* desiisse ab an. 1707. lin. 12. Nigrorum: *Nota* hic nunquam visos fuisse: *Cæruleorum:* Desiere ab annis amplius 60. Quibus sodalitatibus potiori jure substituendus perpetuus XV. presbyterorum cœtus, qui tamen non sunt præbendati.

Lin. 14. Simon Bartelli presbyter Aquensis, *lege* Simon Bartel civis Regensis, doctor theologus & parochus ecclesiæ Podii sanctæ Reparatæ in Aquensi diœcesi, dum librum suum exarabat. Hæc & alia docet nos vir clarissimus Johannes Solomé presbyter beneficiatus ecclesiæ cathedralis Regensis in libello de Regensi ecclesia typis edito 1728.

Col. 392. E lin. 2. *aliquo tempore*, &c. Idcirco vixit in exsilio Regis Ariani jussu, quod ausus fuisset contra Arianos tunc Provinciæ dominos scribere; exsulavit autem in diœcesi Lemovic. an. 477. nec prius rediit ad urbem Regensem quam impio rege defuncto 484.

Col. 393. n. III. lin. penult. Festum ejus cum octava 4. cal. Octob. antiquissimis adscriptum calendariis ab omni memoria Regensis ecclesia celebrat. Item ad 21. Maii (sub ritu dupl. majoris) Cabellionensis, quæ sanctum ipsius corpus, sub nomine B. Faustini Lirinensis abbatis, exhibet venerationi fidelium. Unum e basilicæ cathedralis sacellis habebat S. Fausti nomen. Natalis illius ad XVII. calend. Febr. in Gallic. martyrol. notatus anniversarium ipsius in episcopum consecrationis videtur esse festum, quod seculo V. natalis vel natale dicebatur. Si vero attendas ad diem obitus S. Maximi 27. Novembris, natalis Fausti mirifice congruit ad diem XVII. cal. Febr.

Ibid. B. ante n. IV. auctor prædicti de Regensi ecclesia libelli collocat Didimum, qui, ait, interest cuidam episcoporum cœtui sub S. Cæsario Arelat. cum jam vidisset a Visigothis ad Ostrogothos pariter Arianos transiisse Provinciam Orientalem ad usque Druentiam an. 510.

Col. 394. B. lin. 2. 473. *lege* 573.

Col. 395. D. n. XI. Absalon, *lege* Absolon.

Col. 398. n. XIX. Iste Hugo erat episc. Senecensis, non Regensis.

Ibid. n. XX. Bertrannus *adde* filius Alberti domini de Barjolis, an. 1060. adest concilio Avenionensi & anno 1066. die 5. Apr. confirmat. una cum decem aliis prælatis, communia a Geraldo Sistaricensi episcopo in ecclesia Forcalq. instituta.

Ibid. n. XXI. Addit auctor prædicti libelli, sub Agelrico Guillelmum principem terræ Regensis ac seniorem de Monasterio, seu dominum, donasse S. Victori & abbati Bernardo ecclesiam S. Johannis sitam in territorio villæ, quæ dicitur Monasterium, *seu* Mosterium. Bernardus autem præfuit ab an. 1065. ad 1079.

Ibid. n. xxii. *adde* In sua basilica, quam fere destructam maxima parte reædificat, archidiaconum & sacristam restituit, ac observationem canonicam instituit, cui præpositus, aliique se subdunt regulam vitam professi. Decimas a laicis occupatas strenue recuperat, & inde laudatur in diplomate Paschalis II. papæ, quo Regensis diœceseos termini definiuntur 28. Maii an. Incarn. 1115.

Ibid. lin. 2. 1069. Johannes Solomé legit 1096. idemque non Montis-majoris, sed Sanvictorinis monachis factam fuisse hanc donationem tradit; cumque, ait, sedisset annos 43. obiit 14. Martii an. circiter 1133. dum iret Romam, & Vapinci sepelitur.

Col. 399. n. xxiii. lin. 10. ex duodecim clericis præbendatis, *lege* 15. presbyteris seu clericis beneficiatis, ut ipsemet Johannes Solomé observat in sua nova episcoporum nomenclatura jam publici juris facta; idemque Fulconis obitum consignat 5. Apr. an. 1138.

Ibid. n. xxiv. *adde* Donationem ecclesiæ Podii-Moissonis factam hospitalariis, confirmat 20. Jan. an. Incarn. 1155. & insuper addit ecclesiam S. Hilarii an. 1156. Obiit autem an. vigesimo secundo episcopatus die 29. Jan. an. circiter 1160. Ita Johannes Solomé.

Col. 400. A. n. xxv. Hugo *adde* Piniacensis præpos. qui ad sedem Aquensem archiep. transfertur an. 1165.

Ibid. n. xxvi. *adde* Anno 1170. die 20. Octob. Lirinensibus ecclesiam S. Petri de Albiosco donavit vel confirmavit.

Ibid. lin. 4. An. 1167. &c. Non Henricus Regensis, sed Milo Tervanensis episc. (inscio verisimiliter Henrico) sacras S. Maximi episcopi, suæ quoque patroni ecclesiæ, reliquias transtulit.

Ibid. n. xxvii. Addit Johannes Solomé, cessisse aut depositum fuisse ineunte an. 1191. ac obiisse 1. Decemb. 1208.

Ibid. E. n. xxix. lin. 1. Lirinensis monasterii solitudo, *lege* Lura, ex quadam Capituli charta quæ sic habet: *Imbertus tenuit episcopatum novem annis, postea reversus est ad Luram,* (1200.) *unde assumtus fuerat, & ibi XIV. cal. Junii obiit,* (anno incerto.)

Col. 401. l. 19. cum R. *lege* B.

Col. 402. A. lin. 3. sanctæ sedi *adde* An. 1215. accitur ad concil. Lateran. ab Innoc. papa III. qui eum plurimi faciebat, sicut & Honorius III.

Ibidem D. n. xxxii. Guillelmus iste nobis suspectus, omnino reprobatur ab Johanne Solomé.

Ibid. n. xxxiii. lin. 11. *calendis Januarii,* Johannes Solomé legit *31. Decemb.*

Ibid. *adde* Ipsi & successoribus episcopis Raimundus Berengarius Provinciæ comes dono dat suum S. Johaneti de Bras & in dóminos ejusdem, dominium 2. Octob. 1241. Ipsi quoque suam Regensis dominii partem testamento legat Agnes Spata conjux Bonifacii de Castellana 25. Nov. 1242. unde gravissima inter eorum liberos & Fulconem dissidia, quæ demum componuntur a Bonifacio Diniensi episc. 21. Junii 1258. & 20. Jul. 1263.

Col. 403. B. lin. 1. *dele* asteriscum & vocem *Scorpo* in margine: & lin. 3. apud Bartellum. *adde* Item fundavit collegium septem canonicorum Regul. ac hospitale pauperum. Die 24. Nov. 1271. S. Theclæ reliquias in argentea theca, quæ caput ipsius exhibet, inclusit.

Ibid. xxxiv. lin. 2. 1274. *lege* 1273. mense Sept. & *adde* Obiit mense circiter Junio 1288.

Ibid. n. xxxv. lin. 1. de Millia (post Bartellum) *lege* Negrellus, monente Johanne Solomé, qui Petrum de Millia Petri Negrelli episcopi procuratorem docet, & *adde* jam electus confirmatus prima die Septemb. 1288. medio Januario sequente inauguratur. An. 1304. Petro de Millia prædium ab ipso emtum in territorio S. Johaneti laudat & confirmat. Obiit die 5. Junii an. Incarn. 1306.

Ibid. n. xxxvi. ut supposititius amandatur a Johanne Solomé, qui sic habet de Petro sequenti: (col. 404. B) Petrus III. Gantelmi e Regensi canonico & præposito Forcalq. in episcopum eligitur a Rostagno metropolita suo, per Regensis capituli compromissum, 13. Julii 1306. Ab eodem inauguratur Aquis, operam præstantibus Jacobo Sistaricensi Petri Germano, & Gaufrido Vapincensi; quibuscum 40. dies de injuncta pœnitentia relaxat iis, qui reparationi ecclesiæ S. Salvatoris Aquensis manus porrexerint adjutrices 8. Nov. 1306. Regi comiti præstat Hominium una cum B. Senecensi episc. & Guillelmo S. Victoris abbate 8. Decemb. 1309. Vir admodum pacificus, decessoris lites transactione componit 23. Martii 1309. & 28. Decemb. 1310. Obiit &c.

Col. 404. D. ante n. xxxix. inducitur a Johanne Solomé Gaillardus II. de Preissac qui Tolosana sede pulsus, & ad Regensem translatus, eam renuit acceptare.

Ibid. n. xxxix. Petrus de Pratis *adde* legum doctor, antequam episcopus, cum Gaillardo 1. Regensi episcopo 22. Apr. 1317. delegatus fuerat contra maleficos, qui Papam & cardinales magicis artibus & veneno tollere tentaverant. Exeunte eodem anno, vel ineunte 1318. Gaillardo sufficitur ab eodem Papa Johanne XXII. a quo 26. Apr. 1318. delegatur contra Cadurcensem episcopum 18. Maii seq. igni damnatum. Fratres Minores Regenses adigit ad postulandum toties quoties crucem portandi licentiam in exsequiis defunctorum 30. Maii 1319. & tamen legimus ipsum Franciscanum. Paulo post ad sedem Aquensem transfertur, tum ad Prænestinam, inde dictus card. Prænestinus. Prioratum vero de Mosteriis in commendam tenuit ab anno 1336. ad obitum usque, 13. scilicet Maii 1361. Hæc in ejus testamento, anno superiore condito legere est: *Item legamus,* &c. *violatam, videlicet planetam & pluviale de diaspio, tunicellam & dalmaticam de chacasmito.*

Ibid n. xl. Franciscus Rossolininus *lege simpliciter*, Rossolinus (de Baucio secundum quosdam) ordinis Minorum, ab eodem Papa, Petro sufficitur 1. die Oct. 1319. cujus litteræ sic habent: *Frater Rossolinus miseratione divina Regensis episcopus.* *adde* Reliquias sacras a priore de Mosteriis (Arnaldo de Via diacono card. S. Eustachii,) missas, in ejusdem urbis basilicam defert & crystallo includit 6. Septemb. 1323. Nobilem Audebertum de Barreria investit de quodam prædio 14. Nov. 1327. unde concludendum Johannes Solomé relinquit, Bernardum, qui sequitur, ab eodem Papa 12. Maii 1327. ex falso rumore obitus Rossolini, fuisse designatum episc. Regensem. Obiit Rossolinus 1329.

Col. 405. A. n. xli. ex modo dictis amandandus est Bernardus.

Ibid. B. n. xlii. Arnoldus, &c. *adde* Utramque Roberti Regis, Provinciæ comitis neptem in hæredem ejus agnoscit, cum Albarono Regensi præposito 7. Apr. 1331. obiit 5. Aug. 1334.

Ibid. n. xliii. Gaufridus Rabeti *dele* quod sequitur ad an. 1336. Econtrario enim hoc anno 14. Martii, quod dictus card. Arnaldus prior de Mosteriis, pensionem annuam ecclesiæ Regensi debitam, nunquam, dum viveret, solverit, graviter expostulat coram ipsius testamenti exsecutoribus.

Ibid. lin. ult. exeunte, *lege* 26. Julii, forsan ex peste tunc grassante.

Ibidem D. n. xliv. lin. v. *adde* Inauguratur 22. Martii 1349. inde Valentinensis *adde* ad quam ecclesiam translatus est 2. Martii 1353. ante Pascha, &c.

Ibid. n. xlv. Petrus Fabri *adde* Lemovicensis, jam erat consecratus episc. 20. Febr. anno Incarn. 1352. qua die recognitiones a vassalis sibi fieri jubet. Aliquot miracula in ecclesia B. Mariæ inter Rupes de Mosteriis, noviter evidenterque patrata publicas in tabulas referri mandat 20. Sept. 1363. Aptensi concilio trium provinciarum interest die 14. Maii & coronationi Caroli IV. imper. in Regem Arelat. Arelate celebratæ die 4. Junii 1365. obiit ante diem 13. Decemb. an. Incarn. 1369. Vide etiam tom. 1. col. 1327. E. n. xi. in additionibus.

Ibid. n. xlvi. Johannes de Mailhaco *adde* ord. Minorum, prius Guardiensis, tum Eugubinus episcopus, ad sedem Regensem transfertur an. 1370. Librum recognitionum fieri jubet, quarum 1. 23. Martii anno Incarn. 1370. *seu* 1371. ante Pascha, & ultima 17. Martii a Nativitate 1396. Sub eo in *capitaneum* electo, civitas sub antecessore non a Raimundo vicecomite Turenæ, sed ab Hispanis occupata, vastata, depopulata (præter castrum episcopale) an. 1361. muris ac turribus etiamnum exstantibus munitur. Obiit an. 1396. *vel* 1397.

Col. 406. A. n. xlvii. Guillelmus *adde* Regensis antea præpositus, sacram inunctionem acceperat mense Jan. anno Incarn. 1397. *seu* 1398. ante Pascha. Fratribus Minoribus crucem portandi licentiam concedit, modo illam quotannis a capitulo Regensi postulent 1. die Junii & 18. Octob. ac solemnem illis diebus missam de *Requiem* celebrent, cum vesperis defunctorum die præcedenti, pro defunctis episcopis & canonicis Regensibus 30. Novemb. 1412. *Vassalagium* & fidelitatis juramentum ipsi præstiterat anno superiore die 27. Julii Johannes de Castellana pro tertia parte dominii & *Senhoriæ* civitatis Regensis, quam acquisierat a Bonifacio de Castellana fratre suo, domino Vallis Alamaniæ. Obiit Guillelmus 30. *vel* 31. Dec. 1413.

Ibid. B. ante n. XLVIII. *addendus* Petrus VI. Fabri, antea præpositus, Guillelmo statim suffectus. Regi-comiti præstat hominum 1. Martii 1413. *seu* 1414. ante Pascha, & eodem anno geminam synodum Arelate celebrat, uti vicarius generalis cardinalis Arelat. archiepiscopi. Ipsi in episcopali castro Regensi 26. Junii 1414. & 14. Maii 1415. *Vassalagia* præstantur. Illum vero postremo hocce anno interemtum opinatur Johannes Solomé, horrenda peste, quæ vix tertiam Provincialium partem in vivorum numero reliquit.

Ibid. n. XLVIII. Michael de Bolleriis, a Johanne Solome, Taurinensis creditur Dominicanus, anno 1416. 11. Maii procuratorem constituit ad Regi-comiti præstandum hominium, quod exinde per semetipsum præstat die 16. Sept. 1435. Causam suscipit S. Juliani Montanerii, cujus parochiani per annum & ultra sacramentis omnino caruerant, 15. Nov. 1417. Grave cum syndicis, seu consulibus urbis Regensis, de clavium ejus custodia dissidium habet an. 1426. Illius demum licentia & assensu (strenue siquidem obluctatus fuerat) Eugenius papa IV. monasterium de Sorpo in prioratum Regularem sine cura erigit, abbatiali prius dignitate supressa, 17. Apr. 1437. Obiit die circiter 29. Sept. 1441.

Ibid. C. n. XLIX. Michael, &c. *adde* Nova quædam civitatis statuta confirmat, una cum Johanne Chasaudi præposito, ceterisque condominis 13. Dec. anno a Nativ. 1445. Obiit die XI. Febr. 1449.

Ibid. D. n. LI. Johannes Faci *adde* Exortam inter se & Regense capitulum litem animo vere paterno componit die 9. Maii 1454. & lin. 12. 1464. *adde* 22. Dec. Ita quidem legitur in albo ministrorum generalium ordinis Carmelitarum, at serius, ut opinatur Johannes Solomé: *Nam die 22. Martii anno Incarnat. 1462. Pontius de Villa-nova, commissarius ad administrationem temporalitatis totius terræ Regensis ecclesiæ, ad manus regias existentis, auctoritate regia deputatus, investit N. de quodam prædio, subjecto majori & directo dominio Regensis episcopi.* Tunc ergo vacabat sedes, diuque vacavit; *Franciscus enim Gomberti Castellanus, ejusdem temporalitatis ad manus regias existentis, alterum cuidam dedit prædium ad accapitum, sub annuo censu & perpetuo 4. gallinarum Regensi episcopo, die 16. Septemb. anno Incarnat. 1465.* Cum autem Johannis Facy anniversarium in veteribus necrologiis adscribatur ad diem 4. Martii, illum hoc circiter tempore interiisse putat prædictus Johannes Solomé, & quidem an. 1462. *seu* 63. ante Pascha. Ratio est, inquit, quia vivebat adhuc die 24. Decemb. anno 1462. qua nobilem Florentium de Castellana investiit de condominio civitatis Regensis, & die 20. Martii seq. ejusdem pariter anni Incarn. temporalitas ejus ecclesiæ regias ad manus jam devenerat, ut supra dictum est. Obierat igitur inter 24. Decemb. & 22. Martii ejusdem anni Incarn. 1462.

Ibid. E. n. LII. Omittitur a Johanne Solomé.

Col. 407. n. LIII. Marcus *adde* possessionem apprehendit an. 1466. ante diem XI. Maii. An. 1469. die 14. Martii inter ipsum, capitulum & sacristam capitulariter congregatos in ecclesia Nostræ-Dominæ de sede, sitæ extra muros civitatis Regensis & in capella S. Spiritus ejusdem ecclesiæ facta fuerat compositio, per quam omnia sacristiæ jura referuntur in capitulum, reservata tamen sacristæ Regensi annua ac perpetua 60. saumatarum racemorum pensitatione. Suorum ergo, suique fratris Honorati Tendæ comitis (Renati Regis, Provinciæ comitis cambellani & consiliarii) in dictum Regem meritorum, ab eodem donatur regaliorum jure in terris Regensis ecclesiæ, quandiu illi præfuerit, 18. Octob. 1472. Idem Johannis-Antonii (dicti quondam Honorati & Margaritæ de Carreto filii) nomine, cum duce Medio anensi (Galeaz) *adhærentiam* facit Papiæ 1. die Octob. 1474. pro loco & castro *Mari* diœcesis Albing. aliisque terris & castris, quæ habebat in riparia occidentali Januæ (de Genes.) Conjunctim, uti mos erat, cum suo capitulo, de vicaria S. Juliani Montanerii providet 1. Novemb. 1476. Præposituram suam de Vesolano Casalensis diœcesis Antonio Lascaris Thomæ fratris sui filio 20. Jan. tradit, ac ipsum etiam Regensem episcopatum post diem 14. Sept. an. a Nativ. 1490. A die vero 21. mensis ejusdem & anni legitur in chartis *Marcus Lascaris de Tenda olim episc. Regensis, nunc vero vicarius generalis in spiritual. & temporal. pro reverendo D. Antonio de Tenda electo Regensi.* Paulo ante abdicationem, ecclesiæ novæ secus muros civitatis fundamenta jecerat, sed opus intermissum fuit usque ad an. 1498. quo & sequentibus, partim e lapidibus matricis ecclesiæ B. Mariæ de sede, dictæ per oscitantiam structæ a Thoma antistite, quem jure merito expunximus n. 9. ut pote Regiensem in Italia episcopum (illæso tamen remanente venerabili S. Johannis baptisterio.) * nova construi cœpit sub eodem titulo parochia, ad quam mox officii divini celebratio, tum sensim episcopalis sedes ab Antonio Lascaris transfertur. Tunc cathedralis B. Maximi vetus dicta, & nova eccl[illegible], cathedralis nova. Obiit ineunte circiter an. 1493. * Cum in hoc admirandæ structuræ & venerandæ antiquitatis monumento, etiamnum superstite, sacro fonte baptismatis per 12. circiter secula Regenses abluti fuerint, non mirum si priscum juxta morem, servatum hactenus, perpetuoque servandum, & ipsi Regenses episcopi, & annui magistratus, sive consules, in dicto S. Johannis sacello recipiantur; ut ipsis profecto intelligi detur, præcipuas eorum partes in eo sitas esse, ut Christianam religionem tueantur, observent, observandamque curent, ac juxta normam ejus fideliter administrent, præsintque populo.

Ibid. B. n. LIV. Antonius Lascaris *adde* filius Thomæ Regii & Castri-novi secus Grassam condomini ex Simoneta de Adurnis (Adorne) lin. 2. Marci fratris, *lege* patrui.

Ibid. n. LIV. lin. 3. assecutus est *adde* medio circiter Sept. anno 1490. sed ob juvenilem ætatem ultra decennium mansit *electus*. Adiit possessionem 1491. mense Octob. Dein post obitum Marci vicariatum tradidit Antonio Dignensi episcopo 17. Nov. 1493. Saluberrima in synodo statuta condit 22. Octob. 1495. Prioratum de Sorpo auctoritate apostolica, sedi suæ curat uniri, cujus antea prioratus Regularis possessionem accepit 6. Octob. 1499. Regensem archidiaconatum in commendam obtinet ab an. 1505. ad 1518. item præcentoriam an. 1522. & prioratum curatum de Mosteriis ab an. 1510. ad 1521. itemque præposituram Avenion. ab an. 1517. ad 1546. Dum vero pestis grassatur Regii, cum Thoma præposito Regensi in castro suo de Montahaco residet an. 1506. Nova Regensis ecclesiæ, veteribus abrogatis, statuta condit tanquam episcopus & archidiac. 18. Octob. 1513. Regi Franco I. Provinciæ nomine sacramentum dicit 1515. Mox clericus Aquensis parlamenti consiliarius creatur, & Provinciæ gubernatoris locum tenens. Denique innumera & continua serie, supersunt unius & ejusdem Antonii præsulis instrumenta a die 21. Sept. 1490. ad initium Aprilis 1523. quo ad Bellovac. transfertur ecclesiam, tum ad Lemovic. an. 1529. Igitur & Antonius in duos cognomines male discissus, & Hugo Rangon, vere Regiensis in Æmilia antistes. Regensibus perperam intermistus.

Ibid. n. LV. Ex modo dictis, e numero Regensium in Provincia episcoporum eradendus est, qui quidem (dum Antonius Lascaris nova statuta condebat an. 1513.) Lateran. conc. aderat an. 1512. 1513. & 1514.

Ibid. n. LVI. Idem est ex dictis ac Antonius n. LIV. ubi vide.

Ibid. E. n. LVII. Thomas *adde* Innocentius, &c. adiit episcopatus possessionem 1523. 12. Apr. retenta præpositura ex dispensatione.

Col. 408. A. lin. ult. Bellovacensi *adde* qui præposituram Regensem obtinuit, Regii commorari solitus, ob tutelam Claudii de Castellana domini de Tornono, cujus maternus erat avus per Honoratum Lascaris.

Ibid. n. LVIII. lin. 4. eodem anno *adde* 7. Julii procuratorio nomine, & lin. 8. Autissiodorensem *adde* 6. Maii 1530.

Ibid. B. n. LIX. lin. 6. regem *adde* Diœcesim mense Decembri visitare cœpit ac pergit 1531. quo peroptima statuta condit in synodo. Paulus alter, ac pastorum Phenix appellatus frequentes ad populum conciones habet, inde molestatus & munere cedere compulsus 1532.

Ibid. C. n. LX. lin. 14. Bariolensis *adde* a die 16. Febr. 1542.... Regensis *adde* & præcentor ejusdem ecclesiæ Regensis. Pignanensem vero præposituram an 1532. Helioni Lascaris sub pensione cesserat. *Lin. 17.* de Soricinio *adde* factus an. 1535. *Lin. 24.* Avenione, *lege* Barbentanæ, die Dominica 25. Julii 1546. sepultus Avenione.

Col. 409. lin. 1. Maria *lege* Merita. lin. 9. Aquensis, *adde* Diœcesim per vicarios administrat, residere solitus in una e paternis toparchiis. Vicarium suum generalem Honoratum de Spatron, dictum de Villa-nova, Regensem præcentorem & abb. de Soricinio, sibi coadjutorem designari curat, ad exemplum Antonii Lascaris, qui illum in abbatia sibi coadjutorem adsciverat; sed Honoratus Regii in propriis ædibus non sine veneni suspicione, repentina morte periit 20. Jan. 1549. Obiit vero Johannes de Bolleriis sub initium Aug. an. 1550.

Ibid. n. LXII. Lancelotus de Carles, *lege* de Carle. lin. XI. an. 1550 *lege* medio circiter anno 1551. quo vacabat adhuc sedes 20. Maii & *adde* Claudium de Castellana

ceterosque Regenses condominos an. 1554. ad hominium compellit. Ab Aquensi provincia delegatus interest colloquio Pisciacensi cum 50. episcopis 1561. Conjunctim cum capitulo die 25. Febr. 1565. primum creat & instituit canonicum theologum, fratrem Johannem Salvatoris, ordinis Prædicatorum, tum Parisios revertitur. Absente pastore Calvinianum virus Regium usque serpit, ac ibidem & in aliis aliquot parochiis, a quibusdam laïcis, nobilibus præsertim, hauritur, necnon a Prioribus, seu rectoribus ecclesiasticis de Castro-novo, de Varaginibus, & de Lagneros 1567. & 68. Parisiis, uti creditur, Lancilotus obiit anno 1568. exeunte circiter Julio.

Ibidem E. n. LXIII Honoratus, *dele* totum ex dictis in Johanne Ludovico n. LXI.

Col. 410. A. n. LXIV. Nicolaus & aliis Jacobus Ebrard de S. Sulpicio, veluti designatus perhibetur in instrumento institutionis vic. gener. sede vacante 29. Aug. 1568. nec plura; ac proinde dubium est, seu potius falsum sub eo captam fuisse urbem a novatoribus.

Ibid. B. n. LXV. *adde* veteranorum tribunus militum & intus calvinista lin. 7. *1576.* designatum tradit Johannes Solomé anno 1570. & procuratorio nomine possessionem adiisse 7. Jan. 1573. cum tamen alicubi legamus sedem vacasse 4. Maii 1571. lin. ult. *adde* 4. Sept. 1577. Tum uxorem duxit, & ad fidem catholicam revertitur, notus in seculo sub nomine domini de Soleas, vicecomitis, tum comitis de Boulbon; sub quo administratore civitas capta die 4. Julii 1574. ab Hugonotis.

Ibid. C. n. LXVI. lin. 4. circa an. 1585. *lege* 4. Sept. 1577. tum 8. Febr. 1578. possessionem adiit procuratorio nomine, & sequenti mense Regium solemniter intrat. Adest Aquensi concilio 24. Febr. 1585. tum sub Autumnum Romam pergit. Redux dolet de lue, *seu* peste quæ Regii grassatur a die 16. Octob. 1586. ad finem Aprilis sequentis. Avenionem profecto Elzeario, Noranta, Claudii de Castellana domini de Tornon filius Regense castrum episcopale munitissimam in arcem convertere cœpit exeunte anno 1588. Exinde stipendio præsidiariorum militum assignatus proventus domini episcopi, necnon pecuniariæ cleri decumæ; lin. 10. nomen dedit *adde* 1589. lin. 12. 1590. *adde* 25. Jan. & 19. Sept. & ad Regem Hispaniæ 23. Jan. 1591. Post priorem vero e Sabaudia reditum in suo Montagnaci castro obsessus a duce Valetæ, medio circiter Junio 1590. ad deditionem cogitur.

Ibid. E. lin. 6. ad patrias ædes *adde* ubi dum moratur cathedralem suam pneumaticis organis decorari jubet anno 1595. & fratribus Eremitis S. Augustini permittit die 30. Jan. ut cœnobium construant Valentoliæ; quo anno, pacata tandem Gallia, Regenses a Guisio duce, Provinciæ præfecto, diruendæ arcis facultatem obtinent Aquis die 4. Maii. Elzearius interim a sex annis redditibus orbus & absens, Regium, ubi Guisius habebat Provinciæ comitia, demum ineunte Septembri redit anno 1596. & omni jam carens domicilio, novæ domus prope novam cathedralem fundamenta jecit. Perpetuum in ecclesia paroch. de Montagnaco vicarium instituit per litteras Baudonii datas die 26. Apr. 1597. tum comitiis Provincialibus Aquis adest 23. Junii, & in patriam regressus, ibidem obiit die 28. Octob. 1597.

Col. 411. A. lin. 3. *& alteri* hoc delendum jam diximus, seu potius transferendum ad Carolum successorem, cum re vera illud concilium an. 1612. habitum sit.

Ibid. n. LXVII. Carolus *adde* ordinarius Regis eleemosynarius, &c. lin. 14. adipiscitur 1601. *lege* 22. Novemb. 1599. Regium vero solemniter intrat 25. Martii 1600. tum die 10. Jan. 1601. demum episcopalem sibi & successoribus comparat, eodemque anno tres confert Carolo Vapincensi electo majores ordines a die 30. Maii ad 6. Junii seq. Cum Diniensi episcopo præstat operam Ebredunensi archiepiscopo Honorato germanum suum Gasparem a Laurentiis Arelatensem archiepisc. inauguranti 1605.

Col. 412. n. LXIX. lin. 2. Rhodiensis *adde* & Franciæ comprotector: lin. 19. præficitur 1622. *adde* & eodem an. 24. Oct. procuratorio nomine adiit possessionem: lin. 27. an. 1626. *lege* 15. Sept. 1625. sub annua pensione.

Ibid. n. LXX. Franciscus de Lupis, *lege* de Lopis.

Col. 413. lin. 14. 1625. *adde* 26. Octob. uti jam notavimus: lin. 20. *post aliquot menses*, nempe Regium advenit 4. Jan. 1626.

Ibidem B. lin. 6. præsulibus *adde* 26. Octob. 1625.

Ibid. C. lin. 2. postremus, *adde* 28. Septemb.

Col. 414. D. lin. 12. die 2. Maii 1631. *adde* postquam an. præced. 23. Aug. possessionem procuratorio nomine adiisset Societatem ecclesiæ suæ cum Vernonensi renovat 5. Martii 1632.

Col. 415. E. lin. 2. *adde* in qua obiit 2. Julii 1664. *al.* ultima Junii.

Col. 416. in præpositis, Præmittendus est Pontius sub Almerando episcopo anno circiter 1020.

Ibid. n. III. Guillelmus *adde* de Mosteriis 1114. & 1115.

IV. Berardus 1154. & 1155.

V. Raimundus I. 1156. & 1169.

VI. Guillelmus II. de Mosteriis mense Sept. 1191.

Ibid. n. III. *lege* VII. Petrus II. ad quem Gregor. VIII. *lege* IX. an. 1227.

Ibid. n. IV. *lege* 8. Elzear *seu* Elzearius I. jam an. 1234. & adhuc 1265.

IX. Petrus III. Giraudi de Podio-Michaëlis 1272. dein episc. Sistaric. electus III. cal. Nov. 1277.

X. Hugo I. de Penna, *sive* Penne, 1280. & 1288.

Ibid. n. VI. *lege* XI. Hugo Caille (antea Regensis archid.) mense Nov. 1289. & 28. Dec. 1310. lin. 2. de Montamant, *lege* Gantelmi.

Ibid. n. VII. *lege* XII. Guillelmus II. *lege* III.

Ibid. n. VIII. *lege* XIII. *& adde* prapos. jam an. 1322.

XIV. Albaronus I. de Albarono 7. Apr. 1331.

XV. Albaronus II. de Lertio 22. Decemb. 1334.

XVI. Bernardus de Deucio, Ebredun. archiep. & presb. card. tit. S Marci 15. Sept. 1343.

XVII. Cardinalis S. Sabinæ 1352. forte Johannes du Moulin qui Fratrum Prædicatorum minister generalis extiterat.

XVIII. Helias de Livron Cubicularius Papæ 13. Junii 1361.

XIX. Johan. II. de Agouto 2. Martii 1378. idem verisimi iter, qui creatur Aquensis archiep. 1. Junii 1379.

XX. Guillelmus IV. Fabri 18. Febr. 1382. 1385. &c. Creatur Regensis episc. exeunte circiter an. 1396.

XXI. Petrus IV. Germani (Prior antea Vallis-Moyssinæ) 1397. 1405. Transit ad archidiaconatum Ebredun.

XXII. Petrus V. Fabri 1408. 1409. dein Regensis episc. electus die circiter ultima Dec. 1413.

Col. 417. lin. XI. mense Aug. *lege* 15. Aug. & lin. 16. episcopis *adde* possessionem apprehendit 9. Febr. 1695. Transfertur vero ad ecclesiam Ausciensem 21. Julii 1713. Obiit Parisiis 27. Nov. 1725.

Ibid. n. LXXIV. l. 1. d'Herbault *adde* Parisinus, & sacræ facult. Paris. doctor, &c. Procuratorio nomine possessionem accepit 15. Febr. 1714. & 18. Aug. seq. Regium intrat ab omni pompa solemni abstinens. Diœceseos visitationem 4. Maii 1716. suscipit Pauperum gratia domum hospitalem (anno 1717.) emit & ampliat, in quam illos transfert 1718. Seminario primarium lapidem ponit 29. Martii 1719. & collegio, seu scholæ publicæ. 21. Apr. 1720.

Ibid. In præpos. Reg. n. IX. *lege* XXIII. Christinus Fabri 7. Febr. 1413. *seu* 1414. ante Pascha, 1418. 1419. 1423. 1430.

XXIV. Johannes III. Chasaudy 1445. & 6. Decemb. 1460.

XXV. Elzearius II. de Villa-nova Senecensis episc. & Regensis præpos. 14. Martii 1469.

XXVI. Antonius I. Rebioty, 2. Aug. 1471. in possessionem inducitur, & adhuc erat præpos. 3. Junii 1473. Telonensis quoque præpositus & D. Papæ magister principalis cæremoniarum.

XXVII. Hieronymus Calagran de Ceva, cubicularius D. Papæ & mox episc. Montis-Regalis, *seu* Mondovi, 1484. 87. & 96.

Ibid. n. X. *lege* XXVIII. Thomas *adde* Innocentius, &c. 1497. Dein creatus episc. Regensis præposituram servat ad obitum, qui contigit 10. Apr. 1526.

Ibid. n. XI. *lege* XXIX. Bartholomæus Correst, *lege* Corvesi, ejusdem ecclesiæ beneficiatus, eodem die a capitulo præpos. eligitur; at jus suum tradit in manus Papæ in favorem Antonii mox subjiciendi, die 10. Aug. & 1. Octob. 1526.

Ibid. n. XII. *lege* XXX. Antonius, &c. ep. Belvacensis; tum Lemovic. ac demum Regensis, præposituram tenet ab an. 1526. ad obitum usque, scilicet ad diem 25. Julii 1546.

XXXI. Johannes Bapt. de Massilia, ex comitibus Vintimilii possessionem accepit 10. Aug. 1546. Obiit anno circiter 1560. cujus avia paterna supradicti Antonii episcopi soror erat.

XXXII. Magdalon, *seu* Magdelon de Massilia fratri suo Johanni-Bapt. succedit, fato functus 8. Sept. 1595.

XXXIII.

XXXIII. Philibertus de Massilia patruo successor datur a Regensi capitulo 8. Sept. 1595. Præposituram resignat in manus capituli 7. Sept. 1596.

XXXIV. Honoratus Turrel eadem die creatur a capitulo. Jus vero suum tradit in manus cardinalis legati Avenion. in gratiam Horatii du Revest, qui Magdelonis præpositi gentilis erat, ac ex ejus sorore nepos, die 22. Febr. anno Incarn. 1596. *seu* 1597. ante Pascha.

XXXV. Horatius Parisius du Revest usque ad an. 1633.

XXXVI. Johannes IV. de Vintimille du Luc avunculo succedit anno ætatis 19. possessionem accepit 8. Decemb. 1633. Transiit ad decanatum Tarascon. tum ad episcopatum Diniensem, ac demum ad Tolonensem, resignata præpositura in gratiam sequentis affinis sui.

XXXVII. Paulus Albertus de Forbin de la Barben, possessionem adiit 27. Junii 1669. tum vero præposituram permutat cum Ludovico sequente pro prioratu de la Barben, adhuc superstes 1726.

XXXVIII. Ludovicus Maurel possessionem apprehendit 5. Jan. 1679. Postea resignat sub pensione in favorem sequentis.

XXXIX. Johannes-Franciscus de Ricard possessionem accipit 29. Martii 1699. & post tres menses abdicat.

XL. Ludovicus Maurel iterum, & iterum resignat in favorem sequentis 1701. retenta sibi pensione.

XLI. Josephus Gravier, antea Diniensis archidiaconus, iniit possessionem die 10. Nov. 1701. & adhuc sedebat 1726.

Ibid. E. nn. XIII. & XIV. delendi sunt.

Col. 424. lin. 9. Belto, *lege* Betto.

Col. 434. n. XLI. *adde* Rexit Forojul. ecclesiam annis XI. nempe ad annum 1310. & anno 1312. Sabb. quatuor temporum Adventus factus est cardinalis.

Col. 445. A. lin. 3. 16. Junii *adde* in ecclesia Sorbonæ.

Col. 446. E. ante n. XXVII. ponendus est Raimundus de Castellana, uti tomo 1. diximus col. 1327. n. XII. in additionibus, nisi forte hic Raimundus idem sit ac Raimundus de Gazellis n. XXVII.

Col. 453. A. n. XLIII. d'Arbaut, *al.* d'Herbault.

Col. 471. E. n. LIX. lin. ult. Aubracensi, *adde* 3. Apr. ejusdem anni.

Col. 473. n. XXI. Felix Bouvier, &c. *lege* Felicianus Bouyer Regi a consiliis & eleemosynis an. 1625. in comitiis cleri Gallicani.

Col. 485. A. n. XXVII. *adde* Memoratur in schedis Cluniac. an. 1082. mense Jan.

Col. 492. n. XL. vide tom. 1. col. 1328. A. n. XIV. in additionibus.

Col. 498. E. n. LIX. *adde* Renato regi fuisse a consiliis innotescit ex dono, feodi de Magagnosc prope Grassam, quod hic princeps nobili Petro Saurini sibi a secretis contulit 21. Nov. 1476. *contemplatione reverendi in Christo patris A. episcopi Sistaricensis, consiliarii & fidelis nostri.* Et a tergo ipsius chartæ scriptum legitur *per Regem magistro Johanne Cureti ac Magistro Johanne Escanardi præsentibus.* Hic ultimus Andreæ postea successit. Ita D. de Mazaugues.

Col. 512. In mutationibus cleri post editum tom. 1. præfixis tomo IV. diximus N. de Valavoire filium esse N. de Valavoire, *lege* fratrem Francisci Augusti de Valavoire subpræfecti generalis pedestrium exercituum, non classium; hic enim absque liberis mortuus est, monente D. de Mazaugues.

Ibidem addendus Ludovicus de Vento ex nobili familia Massiliensi, qui nobis innotuit ex libello inscripto *Leonis Trimundi Mediensis* (des Mées) *regii in senatu Nemausensi consiliarii, & in dicta civitate ecclesiæ cathedr. canonici orationes, epistolæ & epigrammata Lugduni 1612. in 16.* in versibus latinis pag. 159 in honorem D. Ludovici de Vento abb. de Lure sacræ theol. doct. & in ejus nomen allusione. Idque confirmatur ex hist. Massil. D. Ruffy, t. 2. p. 383. ad an. 1580. ac proinde reponendus ante n. XI.

Col. 560. A. in Bernardo n. XLVIII. lin. penult. VI. nonas *al.* IV. nonas & II. nonas in necrol. Canonicæ.

Ibid. n. XLIX. *adde* Is esse videtur, qui notatur in necrol. abbatiæ S. Egidii asservato in biblioth. FF. Prædicatorum Chamberiaci, V. cal. Jan.

Col. 568. n. LVII. vide tom. 3. Spicil. pag. 171.

Col. 569. B. lin. 1. Eodem anno, *lege* An. 1241. &c. ex libro nigro archivi archiep. Arelat. fol. 122. uti monet D. de Mazaugues.

Col. 571. A. in Florentio n. LX. lin. ult. Junii, *lege* Julii.

Col. 572. n. LXII. *adde* Vocatur electus Arelatensis an. 1274. mense Febr. in codice 9919. Biblioth. regiæ, ex Baluzio.

Col. 573. n. LXIV. *adde* Fuisse professorem utriusque juris in Aquensi academia docet Jacobus de Bello-visu initio suæ practicæ judiciariæ, ex Baluzio.

Col. 580. E. n. LXXVII. vide tom. 1. col. 1328. n. XV. in additionibus.

Col. 581. n. LXXVIII. vide tom. 1. col. 1329. B. in additionibus.

Col. 592. D. n. XCV. Gaspar, &c. *adde* filius Ludovici de Laurens doctor medici Sabaudi viri summe pii, ex nobili matrona Ludovica de Castelan, Regii nata, quæ obiit Arelate 31. Decemb. 1599. & lin. 6. an. 1603. *adde* ac inaugurationem accipit 1605. a suo fratre Honorato Ebredun. archiepisc.

Col. 597. A. n. XVIII. lin. 7. *an.* 1220. legendum monet 1219. vir Cl. D. de Mazaugues, ex libro viridi archiepisc. Arelat. fol. 275. non autem ex chartophylacio albo, quod non exstat.

Col. 598. n. XXXIII. vide tom. 1. col. 1328. E. lin. 6. in additionibus.

Col. 619. C. n. II. *adde* Hujus meminit S. Cyprianus ep. Tolonensis in vita S. Cæsarii, lib. 9. n. 33. ubi ejus virtutes commendat. Ipsa vero præclaram scripsit epistolam ad Richildem & S. Radegundem salutaribus monitis plenam, misit illis regulam S. Cæsarii, easque dehortata fuit a nimia vitæ austeritate. Integra refertur a nostro D. Edmundo Martenne, tom. 1. Anecdot. pagg. 3. 4. 5. & 6. scripta est circa an. 570.

Col. 624. n. II. lin. 4. Bernardo Willelmi, *lege* Bernardo, Willelmo.

Col. 625. lin. 2. quo anno, &c. Id falsitatis arguitur ex transactione anni 1233. inter cœnobium & incolas de Mari, in qua cavetur expresse ut ipsa transactio approbetur ab abbate Bonæ-vallis.

Ibid. n. IX. *adde* Adhuc præerat 1226. ex schedis D. Polycarpi de la Riviere Carthusiani.

Ibid. n. X. lin. 4. An. 1251. &c. Id valde dubium videtur clarissimo D. de Mazaugues in Aquensi senatu præsidi, qui putat hoc pactum non aliud esse a transactione supradicta an. 1233. maxime cum Arnoldus episc. Nemausensis jam obiisset anno 1242. ex Sammarthanis in veteri Gall. Christ. & revera tanquam arbiter a partibus electus sententiam tulerit 1233. die 3. Aug.

Ibid. n. XI. loco Bernardi 1251. admittendus videtur *frater Johannes abbas monasterii* Sylvæ regalis Arelatensis diœc. 1257. Imo jam an. 1251. præerat ex quadam sententia inter illum & consules nomine universitatis de Mari relativa ad transactionem anni 1233. & ejusdem explicativa, VIII. idus Octob. 1251. Ita memoratus D. de Mazaugues.

Ibid. n. XVI. Raimundus, &c. *adde* & adhuc 1299. 23. Junii.

Col. 628. C. abbatissis S. Claræ Arelat. addenda N. de Caderousse nominata 16. Nov. 1676. Itemque Maria-Johanna-Eleonora de Simiane de Gordes ordinis alumna, ante vel post Annam-Gabrielem ejusdem gentis, de qua in mutationibus cleri tomo 3. præfixis.

Col. 649. D. lin. 4. an. 1286. *lege* 1186.

Col. 661. n. XLIX. vide tom. 1. col. 1328. E. lin. antepenultima, in additionibus.

Col. 675. n. LXXII. lin. 1. filius Josephi, *al.* Johannis Baptistæ.

Col. 677. E. n. XVIII. Hugo de Mataplan, &c. *adde* An. 1288. die 4. exeunte mense Octobri adfuit conventionibus & pactis apud Campum-Francum habitis inter Reges Angliæ & Arragoniæ ac principem Salernitanum, super liberatione dicti principis, tom. 2. Rimerii, p. 375. & seq. ac proinde delenda est ea vox *anno 1281.* in sequenti præposito Guillelmo de Ferreriis.

Col. 678. E. n. XXXVI. *adde* adhuc erat præpositus 1606. quo anno deputatus erat a sua provincia ad comitia cleri Gallicani.

Ibid. n. XXXIX. *adde* adhuc 1682. subscripsit declarationi cleri Gallic. super ecclesiastica potestate.

Col. 682. D. n. XIV. lin. 4. la Chadiere, *lege* la Cadiere.

Col. 698. E. n. XXXVIII. lin. 2. de Velleron, *al.* de Marsillon.

Col. 704. B. Abbatissis S. Claræ Massil. addenda Margareta de Fourbin de la Barben sanctimonialis ord. Cisterc. abbatissa nominata 16. Nov. 1676.

Col. 712. n. XXXVII. *adde* Vivebat circa 1131. ex tomo 1. Anecdotorum Martennii nostri pagg. 380. & 381. & adhuc 1134. ex chartul. S. Bernardi Romanensis.

Col. 718. n. XLVI. *adde* Vivebat 1293. ex documentis eccl. Tricastinæ, & 1294. VII. cal. Junii, ex Baluzio.

Col. 734. E. n. LXXVIII. vide ad calcem tomi 1. fol. ultimo.

Col. 738. E. n. XX. *adde* An. 1628. deputatus fuit ab Arelatens. provincia ad comitia cleri Gallicani.

Col. 752. n. XLVI. vide tom. 1. col. 1329. n. XVI. in additionibus.

Col. 753. E. n. LIII. *adde* An. 1585. fuit e Sabaudia legatus ad Regem Christianiss.

Col. 756. n. LIX. lin. 3. S. Benedicti *adde* necnon senatore in curia Subsidiorum.

Col. 757. A. n. LX. lin. 1. præpositus Rejensis *dele*.

Col. 760. D. n. XXVI. Antonius I. Rebiol, *lege* Rebioty, idem quoque præpositus Regensis.

Col. 761. A. n. XXXIX. *adde* doctor in legibus & præpos. jam annis 1605. & 1606. deputatus a sua provincia ad comitia cleri Gallic.

Col. 764. C. *addenda* est abbatia Urbanistarum S. Claræ d'Oillioules, cujus abbatissa fuit nominata 16. Novemb. 1676. Magdalena Joubert ejusdem loci professa.

Col. 768. A. *adde* Ejus ita meminit martyrologium S. Steph. Autissiodor. *VI. cal. Nov. in civitate Aurasica S. Florentii episcopi.*

Col. 771. D. lin. 8. vide Guillelmum Tyrium histor. Belli sacri, lib. 9. cap. 1.

Col. 776. n. XXXIV. vide tom. 3. Spicil. p. 171.

Col. 779. n. XLIII. lin. 9. 1349. *adde* ad quem annum vide prob. hist. domus de Chastillon, p. 190.

Col. 786. n. LXXI. Alexander, &c. *adde* nominatus mense Martio anni. 1661.

Col. 807. n. XXXI. Wernerius subscribit, chartæ Burchardi Lugdun. archiepiscopi pro cœnobio Saviniac. datæ an. 949. apud Chiffletium in prob. hist. Trenorchiensis, pag. 282. sed longe post hunc annum subscripsit, uti sæpius contigisse multoties diximus.

Col. 817. A. lin. 5. ab an. 1242. *adde* sed dominus de Mazaugues toties a nobis laudatus illum reperit tanquam *electum* an. 1241. VI. cal. Apr. in hominio seu recognitione Renaudi Porcelleti eidem electo facta pro castro de Becco-jejuno, vel de Belveder prope *Salson*; quod & ipsi præstiterunt Pontius & Bertrandus de Alamanone fratres IV. cal. Martii 1251. ac Bertrandus & Petrus d'Alamanon patruus & nepos, XVIII. cal. Sept. 1260.

Col. 819. E. lin. 6. 17. Junii, *al.* XVII. cal.

Col. 823. ante n. LXVI. addendus videtur Johannes ep. Avenion. & postea Mirapic. an. 1362. excunte, ex regesto Urbani V. ait Baluzius in notis MSS. ad Gall. Christ.

Col. 825. A. ante n. LXVIII. addendus videtur Petrus qui tanquam episc. Avenion. 8. Febr. 1370. ind. VIII. Pontific. Urbani V. anno octavo a Johanne de Laner hominium excepit pro castro de Becco-jejuno. Conjicit autem D. de Mazaugues eum esse Petrum de quo nos col. 831.

Ibid. n. LXIX. vide tom. 1. col. 1329. n. XVII. in additionibus.

Col. 840. D. n. X. B. *adde* adhuc memoratur præsens in hominio seu recognitione Rainaudi Porcelleti pro castro de Becco-jejuno, *vel* de Belvezer, an. 1241. VI. cal. April.

Col. 882. n. XXXIV. lin. ult. 1455. *lege* 1456.

Col. 885. E. n. XLVI. Ludov. Franc *adde* Grimoard.

Col. 924. ante n. XVII. addendus videtur Odolbertus Vallensis episc. circa 955. in epistola episcoporum Burgundiæ ad Provinciæ episcopos contra invasores terrarum S. Symphoriani Æduensis. Vide concil. Labb. ad hunc annum.

Col. 933. B. ante n. XLVII. addendus videtur Ludovicus episc Vasensis, qui sacrosanctæ synodi Basileensis in ducatu Britanniæ orator & nuncius cum plenaria potestate legati a latere, an. 1443. privilegium dedit Guillelmo abbati de Precibus, in ejus monasterio constitutus, ut per se, vel per alium quemcumque sacerdotem celebrare posset super altari portatili in locis congruis & in præsentia domesticorum dicti monasterii.

Col. 934. n. LI. vide tom. 1. col. 1329. E. n. XVIII. in additionibus.

Col. 975. n. XXVIII. vide tom. 1. col. 1330. D. in additionibus.

Col. 985. n. LXIV. lin. 1. An. 1148. *al.* 1149. epacta XX. indict. XII. quæ optime convenit.

Col. 996. n. LXXIII. *adde* antea Carpentorat episc. ut si nos diximus, col. 907. n. LV.

Col. 997. C. n. LXXV. vide tom. 1. col. 1325. in additionibus.

Col. 998. E. lin. 2. an. 1408. *adde* 8. Octob. quindecim post suam ad cardinalatum promotionem diebus.

Col. 1000. C. n. LXXXI. Franciscus *adde* prior Paterniaci in diœcesi Lausan.

Col. 1008. C. 1661. *al.* 1662. mense Junio.

Col. 1014. D. de Simorra vide Baluz. tom. 2. capitular. col. 1573.

Col. 1052. n. XXXVI. vide tom. 1. col. 1325. C. in additionibus.

Ibid. n. XXXVII. vide t. 1. col. 1325. in additionibus.

Col. 1060. n. LVII. D. lin. penult. cessit, &c. verumtamen remansit episcopus usque ad an. saltem 1688. quo cœtui cleri Gallic. interfuit tanquam verus ep. Aquensis.

Col. 1065. abbatibus Sorduæ *addendus* Carolus A. de la Roche Aymont nominatus 26. Julii 1731.

Col. 1067. abbatibus Artonæ *addendus* N. de la Coré major vicarius Santonensis ecclesiæ, nominatus 26. Julii 1731.

Col. 1076. A. n. XI. *adde* memoratur VII. cal. Martii in necrol. Bonæ-saniæ, ex Baluzio.

Col. 1078. n. XX. vide t. 1. col. 1326. in additionibus.

Col. 1088. n. LIII. Ludov. *lege* Petrus Ludov.

Col. 1091. A. lin. 1. S. Gaudent, *lege* S. Gaudens; lin. 2. l'Isle d'Odon, *lege* l'Isle en Dodon; lin. 4. Montreal, *lege* Montrejau. *Ibid.* Ursulanarum, *lege* monialium Nostræ Dominæ.

Col. 1111. A. n. LII. vide ad calcem tomi 1. fol. ultimo.

Col. 1112. n. LIV. lin. 1. de Brezay, *lege* de Brizay.

Ibid. lin. 3. ex cantore, *al.* decano.

Col. 1114. A. addendus archidiaconis Convenarum Petrus Behety canonicus & archidiac. 1615. antiquus cleri Gallic. syndicus.

Col. 1115. n. VI. lin. 4. de Landorra, *lege* de Landorta.

Ibid. n. VII. lin. 8. quæ non nisi, &c. *lege* quam hoc ipso anno composuit Rogerius episc. Conseranensis, uti legitur col. 1129.

Col. 1116. B. n. XXII. Dantissan, *forte* d'Antichamp, & n. XXIII. & XXVIII. d'Olson, *forte* d'Osson.

Col. 1119. D. n. XXXII. *lege* Franciscus II. Couret de la Carthe.

Ibid. n. XXXIII. *lege* Josephus de Qué de Montaut.

Ibid. XXXV. *lege* Johannes II. Olle.

Col. 1122. n. XXIX. *lege* Maria III. de Cabrerolles de Ville-Spassant.

Col. 1125. nn. II. & IV. & col. 1126. n. V. legantur si placet quæ docti critici Trevoltiani observarunt in mense Julio an. 1730. a pag. 1306. ad 1311.

Col. 1127. D. ante n. X. addendus est Ato, qui anno 1019. XII. cal. Dec. cum Petro Gerundensi episcopo, Ermengaudo Urgellensi, Deus dedit Barcinonensi, Adalberto Carcasson. & Berengario Elnensi, necnon Bernardo abbate Crassensi & aliis interfuit conventui, seu concilio apud Gerundam, ubi decretum est consensu communi, ut exemplo ecclesiæ Barcinonensis vita canonica in Gerundensi constitueretur, ex Marca Hispanica, pagg. 430. & 1015.

Ibid. E. n. XI. lin. ult. Adhuc præsens fuit *adde* anno 1043. XII. cal. Apr. & iterum cal. Augusti concilio Narbonensi, ex Marca Hispanica, col. 442.

Col. 1129. C. ante n. XVII. addendus Stephanus, de quo vide ad calcem tomi 1. fol. ultimo.

Col. 1130. C. lin. penult. Innuimus hunc episcopum ad an. 1215. pervenisse, quanquam in instrumentis ad calcem ch. 1. pag. 185. incertam esse hanc temporis notam fatemur. At vero ante celebrem illam Mureti pugnam, hoc est ante an. 1213. mortuus esse videtur. Nam in confesso est apud omnes hunc præsulem unum ex acerrimis Albigensium adversariis semper exstitisse, cum Fulcone episcopo Tolosano conventibus omnibus præfuisse, in quibus media quærebantur ad compescendos eorum motus, ac eo ipso anno, qui Mureti pugnam præcessit, in cœtu quem Appamiis habuit Simon de Monte-forti, electum fuisse cum episcopo Tolosano, & aliis decem illustribus viris ad statuta quædam præsenti rerum statui necessaria componenda; & tamen in relatione hujusce pugnæ celeberrimæ, quæ quocumque missa fuit, nomen episcopi Conseranensis inter aliorum episcoporum non reperitur, ex qua omissione optime conjicitur antea mortuum fuisse. De hoc episcopo consulantur Guillelmus de Puylaurens capp. 5. & 65. Rainaldi historia eccles. ad an. 1208. & epistolæ Innoc. III. editionis Baluz. tom. 2. p. 259.

Ibid. D. ante n. XXI. addendus Sancius, qui an. 1216. Dominica post festum Omnium SS. adfuit cum pluribus aliis episcopis celebrationi nuptiarum in urbe Tarbensi inter Petronillam comitissam Bigorritanam & Guidonem de Monfort, quorum matrimonialis contractus reperitur in archivo Palensi, cui subscripsit Sancius cum aliis episcopis, ex hist. Benearnensi, p. 823.

Col. 1131. n. xxiii. Cerebrunus *adde* vocatur Celebrunus a D. de Marca in historia Bearnensi, pag. 756. & in historia Condomiensis abbatiæ laudata a domno Luca d'Acheri, Spicil. t. 13. p. 505. *Cenebrunus de Gothesio*, & pag. 506. *Cenebrunus de Gothesio.*

Ibid. n. xxii. *adde* Hic est fortasse Petrus Raimundus de Sanholca de quo Spicilegii, tom. xiii. pag. 506. sic habetur: *Religiosus vir & famosus Cenebrunus de Gothesio instituit duo anniversaria; videlicet unum pro se, & aliud pro domino Petro Raimundo de Sanbolca,* olim episcopo Conseranensi.*

* f. Sambolia, vel Sabolia de Sabolies.

Col. 1135. B. ante n. xxxii. addendus P. ordinis Fratrum Prædicatorum, de quo vide ad calcem tomi 1. fol. ultimo.

Col. 1146. n. xxx. lin. 2. a concionibus *adde* & eleemosynis, qui sedebat 1670.

Col. 1180. E. n. xxxix. *adde* obiit 1544.

Col. 1183. A. n. xxi. *adde* doctor facultatis Paris. abbas jam an. 1560.

Col. 1184. A. ante n. vii. addendus P. Cyber de Vaguel an. 1577. in protestatione cleri contra novas impositiones.

Col. 1185. A. n. xv. lin. 4. de Poudenx *adde* postea.

Col. 1186. B. ante n. ix. addendus Aymardus de Sariac qui & Isnardus, simul abbas Scalæ-Dei 1625. & 1626. ab Ausciensi provincia deputatus ad comitia cleri Gallicani.

Ibid. D. n. xi. lin. 3. Cessit vero, &c. Legimus tamen in comitiis cleri Gallicani N. de Sariac abbatem de Paimpont antiquum cleri syndicum & promotorem cœtus an. 1635.

Col. 1188. C. ante n. xl. addendus videtur Maria-Magdalena de Poudenx Ursulana professa, abbatissa nominata 16. Nov. 1676.

Col. 1217. ante n. ix. addendus videtur Jacobus de Bayriaco olim abbas Blasimontis memoratus in rotulo mortuorum anni 1498.

Col. 1241. n. li. 1681. *al.* mense Martio 1682.

Col. 1245. A. n. ix. Bertrandus de Palaya *adde* in 4. vita Urbani V. apud Baluz. pag. 419. cognominatur de Palayano, & factus doctor dicitur an. 1365. a Guillelmo de Agrifolio protonotario papæ.

Col. 1252. D. n. xxxix. Johannes Michael de S. Sivié &c. *adde* An. 1625. erat syndicus cleri Gallicani, & 1626. & 28. canonicus & archidiac. ecclesiæ Tolos.

Col. 1258. D. lin. ult. de Pardaillan, *lege* de Pardeilhan.

Col. 1262. n. xxvii. Bernardus de Sariac, &c. Isnardum de Sariac legimus abbatem simul de Paimbo in comitiis cleri Gallic. an. 1625. & Aymardum 1626. tanquam deputatum ab Ausciensi provincia.

Ibid. n. xxix. N. *lege* Simon.

Ibid. n. xxx. *adde* 1. die Nov.

Col. 1280. n. l. lin. 6. & consecratus *adde* in eccl. S Lazari.

Col. 1284. B. Nescimus quid sit abbatia *de Sainte Grive* diœc. Olorensis, cujus abbas Petrus Behety an. 1625. deputatus erat a clero suæ provinciæ ad comitia cleri Gallic.

Col. 1300. n. xlvii. lin. 4. 1658. *adde* in abbatiali ecclesia S. Genovefæ.

Col. 1320. A. n. xxxvi. *adde* Exstant in collectionibus MSS. D. de Ganieres n. 31. plures epistolæ manu ejus propria scriptæ & vicissim ad illum plures authenticæ.

In Instrumentis, pag. 70. col. 1. E. ch. xxvi. lin. 4. in manibus R. *id est* reverendi, ac proinde delenda vox *Roberti* in margine.

Pag. 106. col. 1. ch. i. lin. 4. idem, &c. *lege* id est Viernerius & Arimadis una cum Raisinburgiis, *ex Baluzio.*

Col. 134. ch. viii. hanc in multis vitiosam esse Monet vir clar. D. de Mazaugues, ex quibus id unum, denotat, nempe post *Septembris*, lin. 2. loco *Decembris*, legendum *dominis Raimundo de, &c.* absque *Antonio*, quod quidem Antonii nomen rarissimum ea ætate fuisse testatur.

Pag. 165. ch. xii. lin. 3. Bernardo Auscitano, *lege* Geraldo.

Pag. 180. col. 1. C. lin. 10. de Laredorta, *lege* de Landorta.

In Glossario, pag. 209. Rocetus, *lege* Recetus, pag. 112. col. 2. E. hoc est procuratio: *Similiter decrevimus, ut castrum de Albunea cum suis pertinentiis vicecomites ab ecclesia & ab episc.* (Massil.) *& canonicis in feudum & fidelitatem deinceps habeant, & pro eodem feudo in Natale Domini & in Pascha duos rocetos*, lege *recetos facient in prædictis diebus totum refectorium omnibus hominibus qui in canonica fuerint, vel in illis diebus honorifice, sicut in tantis festivitatibus procurabunt.*

In Romanis Pontificibus n. ccxli. Clemens xi. *adde* Obiit 19. Martii an. 1721.

Innocentius XIII. eligitur 8. Maii 1721. moriturque 7. Martii 1724.

Benedictus XIII. electus 29. Maii 1724. diem suum obiit 21. Febr. 1730. annos natus 80. & 19. dies.

Clemens XII. nobilis Florentinus e gente Corsini, antea dictus Laurentius Corsini eligitur 12. Julii 1730.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO GALLICANO

post editum tomum secundum.

COL. 111. B. per cessionem cardinalis de Gesvres, Fredericus-Hieronymus de Roye major vicarius archiepiscopi Rotomag. nominatur a Rege ad archiepiscopatum Bituric. 27. Jan. 1729. Admittitur in consistorio D. Papæ 6. Julii 1729. sacraturque die 7. Aug. ejusdem anni in sacello Theatinorum Parisiensium ab archiep. Rotomag. assistentibus Laudunensi & Bellovac. præsulibus; ac denique Regi sacramentum dixit 14. Aug. ejusdem anni.

Col. 141. D. n. xlix. *adde* Idem etiam Nobiliaci & S. Florentii Salmuriensis abbas, & alter 40. virorum academiæ Franciciæ, obiit in sua diœcesi 2. Aug. 1730. ætatis suæ circiter 58.

Ei successit nominatione regia mense Novemb. 1730. N. de Bouecxie *Bec de Lievre*; & huic paulo post, mense scilicet Aprili 1731. N. de Charand.

Col. 171. A. *adde* N. Bousquet Episcopus titularis de Samos nominatur a Rege coadjutor Quebecensis mense Febr. 1729. ac proponitur in consistorio pontificio 24. Julii 1730.

Ibid. E. abbatibus Podii-Ferrandi addendus N. de Coetlosquet nominatus a Rege 1730. mense Martio.

Col. 174. B. Abbatissis S. Laurentii addenda N. de la Roche-Aymon, nominata 1730. mense Junio.

Col. 189. D. abbatibus S. Satyri addendus Cæsar le Blanc episc. Abrincensis, nominatus abbas mense Novemb. 1727.

Col. 194. E. abbatibus Callovii addendus N. Terrisse doctor Sorbonicus, nominatus abbas 1730. mense Junio.

Col. 215. C. Abbatibus Oliveti addendus Antonius Josephus de Fiennes, simul abbas de Allodiis in diœcesi Pictav. & Campaniæ in diœcesi Cenoman. mortuus Parisiis 30. Dec. 1727. ætatis 56. cui successit in abbatia Oliveti N. de Polastron nominatus a Rege 1728. exeunte Martio.

Col. 401. C. abbatibus Montis-petrosi addendus N. de Puiduval de Conros propositus in consistorio D. Papæ, 1. Octob. 1727.

Col. 406. D. abbatibus Boscheti addendus N. Rousset canonicus Tullensis, nominatus abbas mense Junio anni 1730.

Col. 451. C. abbatissis Blasiliæ addenda N. du Bos nominata mense Julio 1729.

Col. 544. D. Episcopis Lemovicensibus addendus Benjaminus de Lisle du Gast a Rege nominatus per cessionem præcedentis mense Januar. 1730. propositus in consistorio D. Papæ 8. Febr. ejusdem anni, admissusque in altero consistorio 14. Aug. 1730. qui deinde inauguratus 21. Sept. ejusdem anni in sacello archiepiscopi Paris. ab eodem archiepisc. assistentibus Massil. & Carnot. præsulibus, Regi sacramentum dixit 24. Septemb. ejusdem anni.

Col. 565. E. abbatibus S. Martialis addendus N. de Bourzac nominatus mense Octob. 1729.

Col. 623. E. abbatibus Stirpi addendus N. de Maillé la Tour Landry nominatus 1729.

Col. 628. C. abbatibus Dalonæ addendus N. de Vignac *al.* de Vignaux major vicarius episcopi Catalaun. nominatus mense Maio 1729. & in consistorio D. Papæ 21. Maii 1731. propositus.

Col. 632. D. abbatibus Bulii addendus N. Sardine nominatus mense Febr. 1729.

Col. 639. C. abbatibus Obasinæ addendus N. de Saint Aulaire Reginæ ab eleemosynis, nominatus ineunte Junio 1728.

rursumque *addendus* Carolus A. de la Roche-Aymon ep. Sareptanus, nunc Tarbensis, nominatus abbas 9. Jan. 1729. quam abbatiam postea dimisit, accepta Sorduensi die 26. Julii 1731.

Col. 773. B. abbatibus S. Jacobi de Doa addendus R. pater Genestet nominatus 1729. mense Octob.

Col. 856. B. In mutationibus cleri præfixis tomo 3. jam diximus Armandum fuisse translatum ad Rotomag. cathedram, & successisse in Burdegal. sede Eliam Franciscum de Voyer de Paulmy d'Argenson. Hic porro decanus erat ecclesiæ collegiatæ S. Germani Autissiodor. apud Parisios, quando mense Aprili 1702. nominatus est episc. Dolensis, sacratusque 18. Martii an. seq. tum an. 1713. mense Jan. designatus archiepisc. Ebredun. Regique sacramento dicto pro Burdegal. cathedra 16. Junii 1720. obiit tandem Burdegalæ 25. Oct. 1728. ætatis 75. simul abbas Pruliaci in diœcesi Turon. & Reliquiarum in diœcesi Leonensi. Ei vero successit in cathedra Burdegal. Honoratus Franciscus de Maniban, antea episcopus Mirapicensis, nominatus a Rege mense Octob. 1729. admissus in consistorio D. Papæ 8. Febr. 1730. Regi sacramentum dixit xi. Apr. & pallium obtinuit in consistorio D. Papæ 24. Julii ejusdem anni.

Col. 884. E. abbatibus S. Romani de Blavia addendus N. le Blond cardinali de Polignac a secretis, nominatus mense Maio 1729.

Col. 934. C. n. LXX. *adde* Obiit Parisiis 20. Augusti 1728. ætatis 78. cui successit Johannes Dyse de Saleon, doctor in theologia, antea designatus episc. Digniensis, nominatus vero Aginnensis exeunte anno 1728. tum admissus in consistorio Rom. 8. Febr. 1730. sacratur 16. Apr. ejusdem anni in sacello archiepiscopi Parif. ab episcopo Santon collaborantibus Cabilon. & Tarbensi episcopis; Regique sacramentum dixit 30. Aprilis ejusdem anni 1730.

Col. 950. C. abbatibus S. Maurini addendus N. de Bocaud canonicus eccl cathedr. Montispessulani, designatus exeunte Maio 1731.

Col. 952. B. abbatibus Gondonii addendus N. Despujols nominatus 1729. mense Octob.

Col. 1108. E. n. LXVI. *adde* Obiit in sua diœcesi 1727. exeunte Nov. vel ineunte Decembri, cui successit in abbatia N. de Pezé Regi ab eleemosynis, ab eodem nominatus mense Julio 1728.

Col. 1112. E. abbatibus Bassaci addendus N. de la Vigerie nominatus mense Martio an. 1730. propositus in consistorio pontificio 22. Nov. & admissus in altero 21. Dec. ejusdem anni.

Col. 1118. D. abbatibus Talniaci addendus N. de Gyemare canonicus ecclesiæ cathedralis Lexov. nominatus abbas exeunte Novembri 1730.

Col. 1127. B. abbatibus Masdionis addendus N. de la Coree visitator generalis Carmelinarum in Francia, nominatus abbas mense Martio 1730.

Col. 1133. D. n. XII. *adde* Hic obtenta pinguiori abbatia, nempe Oliveti, successorem habuit N. de Becherand sub initium anni 1728. & hic paulo post N. de Beingues nominatum mense Julio 1728.

Col. 1244. E. Abbatibus Nobiliaci addendus Michael Poncet de la Riviere episc. Andegav. & abbas Virzionis, necnon S Florentii Salmur, mortuus 2. Aug. 1730. eique successit in hac abbatia Michael Poncet de la Riviere nominatus mense Octob. ejusdem anni.

Col. 1277. C. Abbatibus S. Jovini de Marnis addendus N. Chauvelin per cessionem præcedentis nominatus mense Junio 1730.

Col. 1296. A. n. XVIII. N. de Fiennes, *lege* Antonius Josephus de Fiennes abbas de Allodiis diœc. Pictav. & Oliveti diœc. Bituric. necnon Campaniæ diœc. Cenoman. mortuus Parisiis 30. Decemb. 1727. ætatis 56.

Ei vero successit in hac abbatia episcopus Aptensis, nominatus exeunte Martio 1728.

Col. 1297. A. abbatibus S. Leonardi de Ferrariis addendus N. de la Boissiere præcentor ecclesiæ Nannetensis, nominatus mense Julio 1728.

Ibid. addendus N. de Menou major vicarius Nannetensis, nominatus mense Apr. 1731.

Col. 1298. B. abbatibus B. Mariæ de Brinione addendus N. Luthier de S. Martin diaconus diœc. Parif. & canonicus Ebroicensis, nominatus per cessionem præcedentis an. 1728.

Col. 1350. B. n. XIV. *adde* Obiit Parisiis tunc episcopus Bajoc. 9. Junii 1728. ætatis 64.

Col. 1352. C. abbatibus B. Mariæ de Pinu addendus domnus Ludovicus le Grand factus abbas an. 1719. ex Pruliacensi priore.

Col. 1379. In mutationibus cleri tomo 4. præfixis, diximus Johannem Bapt. de Brancas datum fuisse successorem Stephano Champflour episcopo Rupellensi, *adde* fuit translatus ad sedem archiepiscopalem Aquensem mense Junio 1729. cui successit in sede Rupellensi

Augustinus de Menou de Charnisay major vicarius episcopi Carnot. nominatus a Rege 1729. mense Octobri, propositus in consistorio pontificio 8. Febr. 1730. admissus in altero 14. Aug. sacratusque 10. Sept. ejusdem anni in sacello archiepiscopi Parif. ab archiepisc. Burdegal. assistentibus Carnot. & Santon. episcopis, Regi fidem pollicetur 17. Septemb.

Col. 1384. E. abbatibus Absiæ addendi Carolus Emmanuel de la Vieuville Regi ab eleemosynis, Lutetiæ mortuus 8. Octob. 1730. ætatis 51. & Franciscus Madot episc. Cabilon. ad hanc abbatiam nominatus mense Nov. 1730.

Col. 1431. E. abbatibus Granateriæ addendus episcopus Bellicensis, nominatus mense Maio 1729.

Col. 1438. B in B. Maria de Angla, lin. 7. *Johannem Pharamundum de Sainte-Hermine* (adde) eum fortasse hujusce gentis, quem abbatem designatum reperimus anno 1703.

Col. 1440. B. abbatibus Brolii-Grollandi *addendus* N. de la Baste officialis & major vicarius Nannetensis, nominatus mense Maio 1729.

Col. 1497. C. abbatibus Turturiaci addendi N. de Moncheuil nominatus ineunte Junio 1728. &

N. de Beaupoil designatus mense Junio 1730.

Col. 1501. A. *adde* N. de Beaupoil Saint-Aulaire ex priorissa Ligurii designatur coadjutrix mense Nov. 1730.

Col. 1504. B. n. XXV. *adde* Idem superior generalis canonicorum Regularium ejusdem ord. obiit in sua abbatia 27. Septemb. 1730. ætatis 78. relicto successore Antonio Gros de Belair a Rege nominato coadjutore 1722.

Col. 1507. E. abbatibus Bosci-cavi *addendus* N. de Pons nominatus mense Jan. 1729.

Col. 1536. C. abbatissis Fontis-Gauferii *addenda* N. de Beaupoil de Pendri nominata 1729 mense Maio.

Col. 1543. B. abbatibus Cadunii addendus N. de Gontaut de Biron propositus in consistorio D. papæ 27. Sept. 1727.

Col. 75. D. lin. penult. ante epitaphium Simonis, loco *cenotaphium* legendum *sepulcrum*, ubi revera sub finem Junii an. 1728. reperta sunt ossa exsiccata, teste oculato D. Rivot medico, ut ipse ad dominum de la Roque scripsit, & hic quidem hanc epistolam inseruit suo Mercurio ejusdem anni mense Decembri, pag. 2605.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM SECUNDUM.

PAG. 3. sub finem, *adde* post decanum dignitates sunt Cantor, archidiaconus major, & cancellarius. Præbendati sunt 32. *vel* 34. quorum unus est theologalis; ac denique chorus inferior constat semicanonicis, vicariis & cantoribus.

Col. 30. n. XLVII. lin. 10. si fides, &c. Hæc eadem habentur in annalibus Bertinianis ab auctore coætaneo scriptis, ac proinde in dubium minime possunt revocari.

Col. 43. E. in nota: *adde*: & IX. cal. Maii in necrolog. S. Roberti de Cornilione.

Col. 45. D. n. LVIII. *adde*: Hic est profecto Adelbertus notatus in necrol. S. Benigni Divion. nonis Septembr. & in necrol. S. Roberti de Cornilione, VIII. idus Sept.

Col 47. B. lin. 8. *orationem*: Id falsitatis arguit Baluzius; nam quæ Gallico sermone edita est an. 1586. cum vita Roberti, esse non potest istius archiepiscopi, cum in ea fiat mentio hæreticorum Albigensium, S. Dominici, Innoc. III. papæ & Philippi Aug. Franc. regis.

Col. 57. B. lin. 8. *ant* 1183. *adde*: Huic notæ chronicæ convenit ab Henrico facta querelæ inter abb. S. Sulpitii & cantorem ecclesiæ cathedralis compositio an. 1186. pontificatus sui anno quarto. Chartam habemus integram.

Col. 59. C. lin. 2. quæ sic incipit *nec universa* (lege) Ne si universis, quæ est epist. 117. lib. 1. & lin. 3. alteram *adde* quæ est 214. ejusdem libri.

Ibidem. D. *adde* Idem Henricus archiepisc. mortuus dicitur in Exaltatione S. Crucis in Septembri, ex Baluzio

laudante regestum Philippi Augusti, fol. 254. cap. 1.

Ibid. D. lin. 1. Johanne Nivernensi, *lege* T. (Theobaldo) Nivern.

Col. 80. E. lin. 5. testamenti *adde* quod editum est a Baluzio, lib. VI. Miscellaneorum, pag 559.

Col. 88. B. lin. 12. profectus est, *adde* eidem concilio associatus 22. Maii 1433.

Col. 94. n. XCII. Antonius Boyer, &c. *adde* Jam an. 1514. die Dominica *Esto Domine* 13. Febr. hoc est 1513. pro veteri computandi more, S. Sulpitii monasterium more consueto solemniter ingressus est, & inde ad ecclesiam cathedralem solemni pompa deductus, ex charta, quam habemus ad manum.

Col. 95. n. XCII. B. lin. 4. Christianissimi regis, *adde* Et certe hoc anno, die 25. Maii nuncupatus presbyter cardinalis bullam erectionis Casalinæ congregationis confirmavit.

Col. 96. B. lin. 1. & possessionem init. *adde*: an. 1522. die 1. Maii, ex charta conventus S. Sulpitii dictum archiep. rogantis, ut quandoquidem a se processionaliter, ut moris est, exceptus fuit in suo monasterio & pastus, ejus quoque privilegia de more dignetur confirmare.

Col. 98. D. *adde* Hic rogatu Petri Leger abbatis S. Sulpitii, qui prædictum archiep. paulo ante, & quidem pridie quam ecclesiæ suæ adiret possessionem, in suo monasterio solemniter exceperat, & ei cœnam exhibuerat, dicti monasterii privilegia confirmavit die XI. Jan. an. 1539.

Col. 99. n. XCVI. lin. 7. ejusdem anni; *adde* qua ipsa die, postquam præcedenti, ut moris est, solemniter a monachis S. Sulpitii exceptus fuisset & pastus, non quidem in suo monasterio, quod tunc bellicis tumultibus devastatum erat, sed apud S. Gregorium intra urbem, ubi tunc degebat conventus, ejusdem monasterii privilegia confirmavit.

Col. 100. A. lin. 10. *moliebatur. adde*: Habemus chartam datam hoc anno 1581. 15. Oct. ex qua patet hunc archiep. dum esset in aula interiori monasterii S. Sulpitii, & sederet in cathedra, quam ipsi paraverat conventus pro novi ad archiepiscopatum adventus celebratione, rogatum fuisse a prædicto conventu ut sua privilegia confirmaret; quod & fecit, nisi quod juxta concilium Tridentinum conventus adesse processionibus teneretur, quas fieri præciperet Rex.

Col. 103. lin. 3. *decano. adde*: Hoc ipso anno die 29. Octob. feria VI. rogatus a conventu S. Sulpitii, ejusdem privilegia confirmavit.

Col. 105. B. lin. 8. *adde* Hoc ipso anno 1622. 10. Junii precibus monachorum S. Sulpitii eorum privilegia confirmavit.

Col. 110. D. ante n. VI. addendus Renco episc. Claromontanus & decanus eccl. Bituric. uti col. 259. n. LIV. diximus; & hoc quidem confirmatur ex synodo, quam Aimo Bituric. archiepisc. habuit in sua civitate, de qua col. 41. E. n. LVI. ac insuper ex charta exinde confecta, quam habemus, ubi sic legitur: *Factum est autem hoc sub testimonio trium episcoporum, nomina quorum hic titulare jussimus: scilicet domnus Rinco Monte-Claro vir apostolicus & sectator bonorum operum, atque ecclesiæ hujus sedis nostræ decanus, &c.*

Col. 112. D. ante n. XXVII. addit Baluzius in suis notis MSS. ad veterem Gall. Christianam Stephanum de Mulseare Lemovicensem an. 1347. unde videretur expungendus Petrus de Murato, vide infra n. XXIX.

Ibid. E. n. XXIX. Petrus de Murato *adde* Arvernus, &c. adhuc decanus 1377.

Col. 113. B. n. XXXVII. *adde* Vivebat adhuc decanus Bituric. & S. Germani Autissiod. apud Parisios an. 1473. 29. Junii.

Col. 117. n. XXI. *adde* adhuc thesaur. sacræ cap. Bitur. & canon. eccl. Paris. 1606. & 1610. deputatus a clero Bituric. provinciæ ad comitia cleri Gallic.

Col. 124. n. XX. *adde* jam an. 1577. deputatus a clero.

Col. 130. ante n. LVII. *adde* Petrus Leger XI. Januar. 1539. sui monasterii privilegia Jacobo le Roy archiepiscopo Bituric. quem paulo ante solemniter in dictum cœnobium pridie quam solemni apparatu ecclesiæ suæ possessionem adiret, exceperat & ad cœnam admiserat, ut moris est, exhibuit confirmanda.

Col. 139. B. n. XXI. *adde* Adhuc præerat 1226. uti jam observavimus, ejusdem voluminis col. 783.

Col. 140. A. ante n. XXIX. addendus Stephanus circa 1326. ut infra ejusdem voluminis col. 783.

Col. 152. n. XXXII. lin. 2. *Johanne* episcopo Lemovicensi, *lege* Reginaldo.

Col. 159. B. n. XVIII. *adde*: Jam sedebat 1235. ut infra col. 783.

Col. 161. B. n. XLVI. Combaret, *lege* Comberel, ut infra col. 783.

Col. 174. A. n. XXVII. lin. 3. num eadem, &c. *lege* Eadem prorsus, quæ fuit antea priorissa de Tournan, *seu* Tournehem, quod est monasterium virginum in pago Brigensi.

Col. 180. C. in margine: *Capitaine des gardes de l'appartement, &c.* lege *de la porte.*

Col. 186. C. n. II. *adde* superstes anno 1200. ut infra col. 783.

Col. 206. C. n. XXV. *adde* jam annis 1625. & 26. comitiorum cleri Gallicani promotor, a clero Parif. deputatus, senator in parlamento Parif. Regi ab omnibus consiliis, & ejusdem hospitii libellorum supplicum magister ordinarius.

Col. 212. E. ante n. XVIII. addendus Arnaldus d'Ossat 1587. ut infra col. 783.

Col. 213. B. post primum abbatem Bliardum addendus Laurentius 1221. ut infra col. 783.

Col. 214. C. n. VI. vide infra col. 783.

Col. 260. C. lin. penult. *obiit 17. Septemb.* In necrologio S. Roberti de Cornilione ita legitur: *XVI. cal. Oct. ob. Renco Arvern. episc. cujus præcipue consiliis & ope B. Robertus locum Casæ-Dei fundavit.*

Col. 263. C. lin. 4. *benedictionem. adde*: Memoratur in necrol. S. Benigni Divion. XIII. cal. Decembris, & in necrol. S. Rob. de Cornilione.

Col. 265. n. LVIII. *adde* Hic esse videtur W. Arvern. episc. notatus in necrolog. S. Rob. de Cornilione VII. cal. Novemb.

Col. 267. B. lin. 10. die 19. Octob. Habetur 18. *seu* XV. cal. Nov. in necrologio S. Roberti de Cornilione.

Col. 277. D. n. LXVI. lin. 8. *a Petro de Colle-Medio.* Notat Baluzius consecratum eum fuisse a Philippo Bituric. archiep. teste carthul. archiepiscopi Bitur. fol. 70. V.

Col. 279 B. de sepultura Guidonis, vide infra col. 783.

Col. 289. D. n. LXXVI. lin. 8. quo tempore aut anno, &c. *lege* An. 1357. hunc obtinuit episcopatum, ex charta XXVII. inter instrumenta col. 96.

Col. 291. n. LXXVIII. M. episc. Clarom. memoratur 1417. die 27. Apr. in schedis Cluniac. & adhuc ibidem 1434. & 1440.

Col. 292. A. lin. ult. animam die V. Martii, *lege* animam. Die &c.

Col. 315. E. n. XXXVIII. *Obiit anno 1612.* Legimus tamen eum Murergii in diœcesi Claromont. Recollectorum conventum instituisse an. 1613. cujus deinde sacellum Joachimus d'Estain in honorem S. Michaelis consecravit die XI. Sept. 1629.

Idid. ante n. XXXIX. addendus Gabriel du Croq deputatus ad negotia cleri Gallicani 1615.

Col. 327. n. XXXIV. *adde* Johanni cuidam resignavit hanc abbatiam, sed postea eum pœnituit, & cum eo litigavit, qua in causa Antonius de Rupe prior Caritatis a sede apostolica executor delegatus est, qui Johannem prædictum in possessionem abbatiæ immitteret.

Col. 331. B. lin. 8. *idibus Julii.* Ita etiam necrologium S. Roberti de Cornilione, ad quam diem sic habetur: *Idibus Julii apud Avenionem depositio D. Siguini abbatis*, qui tertius a B. Roberto rexit cœnobium Casæ-Dei annis XIII. mense IX. & diebus XIV. at vero necrologium Benignianum & abbatiæ S. Ægidii in Biblioth. Fratrum Prædicatorum Chamberiaci habent 2. *idus.*

Col. 334. lin. ult. *IV. cal.* legitur IV. nonas in necrologio S. Roberti de Cornilione.

Col. 336. B. lin. ult. 2. idus Oct. Ita necrol. S. Roberti de Cornilione.

Ibid. n. X. D. lin. 1. VIII. cal. Octob. *adde*, ad quam diem notatur in necrol. S. Roberti de Cornilione, ubi dicitur quondam abbas Casæ-Dei.

Col. 337. B. n. XI. Lantelmus, &c. *adde* Memoratur VII. idus Junii in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Ibid. n. XIV. Bernardus Balon, &c. sic memoratur in necrol. S. Roberti de Cornilione: *VIII. cal. Maii Bernardus de Varon, qui Casæ-Dei exstitit abbas.*

Col. 338. n. XVII. lin. penult. III. cal. Octob. *lege* Nov. ut in necrol. S. Roberti de Cornilione, ubi dicitur quondam abbas.

Ibid. n. XVIII. Guillelmus de Boissonnelle, &c. Vocatur de Bosson in necrol. S. Roberti de Cornilione VIII. idus Julii.

Col. 339. n. XIX. lin. ult. III. cal. legitur IV. cal. in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Col. 349. n. XXXVIII. lin. 2. ex Diana de Poitiers, *lege* ex N. de Leviston nobili femina e Scotia.

Col. 351. E. abbatibus Casæ-Dei addendus videtur Robertus de Sainclete S. memoriæ abbas Casæ-Dei, cujus depositio notatur II. cal. hoc est pridie Octobris, in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Col. 353. n. XIII. *adde* Jam an. 1200. Cluniaci existens litem composuit inter lanienos, *forte* lanios monasterii & conventum, a quo illi tanquam debita prætendebant, quæ a decessoribus ex mera liberalitate concessa fuerant. Reperitur adhuc 1202. cum Girardo Crudatensi abbate.

Col. 354. n. XVII. Petrus de Yssarpano, &c. *adde* vacante abbatia per obitum Aimerici abbatis, electus est a conventu sub finem Sept. 1252. unde colligas ante hunc Petrum dandum esse locum huic Aimerico cui cognomen de Yssarpano, vel de Valeriis, ex infra observandis n. XXII. Idem Petrus an. 1255. in abbatem confirmatur a Guidone episc. Clarom. Idem an. 1261. fuit collector decimæ abbati Cluniacensi in omnibus beneficiis ordinis a domino Papa concessæ. Quo demum abdicante 1269. mense Julio, ac petita eodem mense eligendi facultate a Cluniacensi abbate, electus est P. de Firmitate Chauderonis, sed utrum confirmatus incertum relinquitur.

Ibid. n. XX. Aymo Brum, *lege* Bruni, &c. lin. 2. an. 1284. *adde* Anno seq. excusat se a capitulo generali, quod nondum benedictus esset; & lin. 3. 1286. *adde* die Sabb. post octavam B. M. in Septembri.

Ibid. n. XXI. E. lin. 4. Decessit anno seq. *adde* post octavam Epiphaniæ.

Ibid. n. XXII. Petrus de Valeriis *adde* nepos Aimerici & Petri de Yssarpano abbatum Mauziaci.

Col. 355. n. XXIII. Guido de Grezolles præerat jam anno *adde* 1312. quo se a capitulo generali excusavit & iterum 1327.

Ibid. n. XXVII. *adde* Legimus in schedis Cluniac. vacasse abbatiam per ejus obitum an. 1405. die 1. Martii, hoc est 1406. ante Pascha.

Ibid. n XXXI. *adde* An. 1458. litigabat in curia contra Ludovicum de Banson suum decessorem.

Col. 356. n. XXXII. *adde* Præerat jam anno 1477. obiitque 10. Jan. 1510.

Col. 358. A. ante n. VI. addendus videtur Pontius, de quo sic habet necrol. S. Roberti de Cornilione: *III. cal. Julii obiit Pontius abbas Iciodorensis nutritius S. Roberti.*

Ibid. B. n. IX. *adde* Is est fortasse Ayraldus memoratus in necrol. S. Roberti de Cornilione idibus Febr.

Col. 362. D. ante n. XIV. addendus Guillelmus 1279. ex Baluzio, ut infra col. 783.

Col. 364. B. n. III. *adde* Is esse videtur Hugo comes & abbas Thiernensis, memoratus idibus Julii in necrolog. S. Roberti de Cornilione.

Post hunc addendus Stephanus, qui in charta an. 1236. dicitur abbas fuisse ab annis quadraginta.

Ibid. n. V. *adde* Obiit 1275. circa festum S. Johannis.

Ibid. n. VI. Hugo, &c. *adde* antea prior de Fossato ex nominatione Guillelmi abbatis Cluniac. memoratur abbas Thierni 1296. 7. Jan.

Ibid. ante n. VIII. inserendus videtur alter Hugo abbas Thierni, ac deinde prior Celsiniarum, qui abbatiam Thierni resignavit in manibus Henrici abb. Cluniac. an. 1309. qui quidem Henricus XVIII. calend. Maii eligendi licentiam dedit.

Col. 365. A. ante n. X. addendus Chatardus, cui Andruinus abbas Cluniacensis scribit an. 1360. 21. April. ut inquirat de reditibus prioratus Pontis-castri in Arvernis.

Ibid. n. XIII. Obiit an. 1419. *adde* 21. Aug.

Ibid. B. ante n. XIV. addendus videtur Guillelmus Alays (vel potius Guillelmus de Croso n. XIII. duplici donatus erat cognomine) quo mortuo

Ibid. n. XIV. Gaufridus, &c. electus est 1419. de mandato Cluniac. abbatis, 3. Septemb. *al.* XI. quo recusante eodem anno

XV. Robertus de Larera, non de la Rue ejusdem abbatis Cluniac. præcepto eligitur 10. *vel* 17. Novemb. 1419. non autem 7. Nov. Obiit 14. Aug. 1432.

Ibid. n. XVII. Simon, *adde* de Lareria, *al.* sed mendosé, ut putamus, de Tarreria an. 1449. excusat se a capitulo generali; mortuus est anno 1450. 17. Julii, cui successit

N. XVIII. Henricus de Lariere, non de la Rue, qui jam an. 1451. ab Odone Cluniac. abbate obtinuit uniri mensæ communi prioratum de Augerolis, ubi dicitur quod monachi 20. debeant esse apud Thiernum. Obiit an. 1465. die 5. Octobris.

Ibid. n. XIX. *adde* Successit eodem an. 1465.

Ibid. n. XIX. XX. & XXI. Johannes Petitde (non Petri) episcopus (Mimat.) & abbas Thierni, Johannes de Moriaco & Claudius de Agia in rotulo mortuorum apud Thiernum an. 1498.

Ibid. n. XXI. Adhuc memoratur 1484. quo tandem monachi elegerunt fratrem Johannem de Motiel monachum Thierni an. 1497. *al.* 1498. die 2. Maii contra jura Cluniacensis abbatis, ad quem de jure nominatio & institutio abbatum Thierni pertinet; unde & abbas Cluniac. hac electione cassata fratrem Nicolaum de Messiaco creavit abbatem an. 1499. die Apr. penultima.

Ibid. E. n. XXII. abbas erat commendatarius 1502. sed obiit 1503. Et quidem *vacabat sedes an. 1504.* Nempe duo tunc de abbatia contendebant, frater Franciscus de Montaignat, *vel* Montignat electus & confirmatus a Cluniacensi abbate die 20. Octob. 1503. adhuc memoratus 1504. ex Baluzio, & Johannes Raulin doctor in theologia nominatus anno 1504. a Jacobo d'Amboise Cluniac. abbate, quorum primus abbatia diu per vim potitus fuisse dicitur.

Col. 366. n. XXIV. Claudius de Croso, *adde* per obitum Antonii a conventu subrogatus abbas 9. Martii 1524.

Col. 369. A. ante n. XXX. *addendus* Armandus Augustus Langlois de Blacfort abbas commend. Menati, prior d'Albaret S. Mariæ in diœcesi Mimat. canonicus sacræ capellæ Paris. & serenissimæ dominæ Delphinæ ab eleemos. 1685. in comitiis cleri Gallic.

Col. 370. E. n. XVIII. *adde* Memoratur ultima Febr. 1431. in charta authentica D. de Ganieres.

Col. 374. D. n. V. Raimundus *adde* de Toulouse.

Ibid. n. VI. Raimbertus *adde* de Sabran.

Ibid. ante n. VII. *addendus* est Ricfridus, de quo supra in quarto abbate Iciodorensi, col. 358. A.

Col. 375. n. XX. *adde* consanguineus & coætaneus Wilelmi de Basia episcopi Clarom. qui ei roganti ecclesiam S. Pardulfi cum sua capella de Turre concessit.

Col. 376. n. LXVIII. *adde* Anno 1406. erat vicarius Raimundi abb. Cluniacensis. Deinde fuit abbas Cluniac. 1416.

Ibid. ante n. LXIX. seu potius intra, *adde*: Agnus de Boissonoya Roberti abb. Cluniac. capellanus, ab eodem Roberto antea priore Celsiniacensi nominatus fuit ad hunc prioratum 1417. 18. Martii. Nimirum fortasse Robertus abbas Cluniac. primum improbavit permutationem Johannis de Vinzelle cum Andrea Textoris, quam deinde ratam habuit.

Ibid. n. LXIX. postea major prior Cluniac. ex permutatione cum Andrea Texoris, qui sequitur.

Ibid. n. LXX. *adde* ex majori priore Cluniac. prior Celsiniarum a Roberto Cluniacensi abbate creatus 26. Junii 1418

Col. 379. n. XVII. *adde* Adhuc præerat anno saltem 1404. die 22. April. quo bulla Benedicti XII. papæ collectio subsidii sex mille florenorum permittitur Raimundo abbati Cluniac. in cujus exsecutionem nominatur H. de Yssarpano prior Silviniaci, Hugo de Castellione abbas Belli-loci, Odo de Pereria prior Cluniac. & Robertus de Chaudessola Celsiniarum cum 4. definitoribus capituli generalis, qui singulos taxarent.

Ibid. n. XVIII. *adde* Fuit etiam prior S. Martini de Campis nominatus a Roberto Cluniac. abb. 1417. 25. Julii per obitum Johannis Avernhaci, & postea Caritatis, non quidem per conventum electus, sed modo tamen canonico, & confirmatus a Roberto Cluniac. abbate precibus Borbonii ducissæ die 1. Aug. 1421. per cujus obitum Johannes de Vinzelles ex majori priore Cluniac. factus est prior Caritatis.

Ibid. ante n. XIX. *addendus* Odo de Pereria ex majori priore Cluniacensi nominatus ad prioratum Silviniaci vacantem promotione Guidonis de Nourry ad prioratum S. Martini de Campis, a Roberto Cluniac. abbate apud Constantiam die 8. Sept. 1417. & adhuc præerat 1421.

Ibid. n. XX. *adde* idem ac Gaufridus, qui 1428. excusavit se a capitulo generali. Idem quoque decretorum doctor, procurator in curia Romana constitutus est cum Philippo de Vienne priore seu administratore S. Marcelli Cabilon. ab Odone Cluniac. abbate an. 1435. 18. Febr.

Ibid. ante n. XXII. *adde* Petrus de Beginno prior Silviniaci diffamatus de quibusdam excessibus citatur ad certum diem an. 1494. a Johanne Laurentii juris utriusque doctore, vicario Jacobi de Ambasia Cluniac. abbatis.

Ibid. n. XXII. *mortuus an. 1500.* Ultra hunc annum vitam produxisse videtur: legimus enim in schedis Cluniac. an. 1505. prioratum Silviniaci vacantem per obitum D. Ludovici de Rupe-cavardi collatum fuisse D. Dionysio

Mariette a Guillelmo le Gris priore claustrali Cluniaci & vicario generali Jacobi d'Amboise abbatis Cluniac. absentis, ex quibus videtur *addendus* ante n. XXIII. Dionysius Mariette.

Col. 391. B. n. XXXII. lin. 7. Matuer, *lege* Mazuer.

Col. 393. D. n. IX. *adde* Erat canonicus ecclesiæ Portus Claromonti, quando factus est decanus S. Amabilis.

Col. 400. A. n. XI. Robertus Valette *adde* filius nobilis Petri Valette militis domini de Parisot in pago Nethenensi & senescalli Petragoric. ex domina Aglaya de Levis filia baronis Mirapicensis.

Col. 407. D. ante n. IV. *addenda* Delphina 1291. mense Sept. ex Baluzio, ut infra col. 784.

Ibid. E. ante n. VI. *addenda* Anneta 1435. mense Julio, ex eodem Baluz. ut infra 784.

Col. 420. C. abbatiis diœc. Clarom. *addenda* S. Clara Claromont. cujus abbatissa nominatur Angelica de Canillac, ejusdem loci alumna, per obitum Carlottæ de la Chetardie 1. Nov. 1684.

Col. 424. D. n. V. *vide* col. 784.

Col 427. n XI. Bertrandus &c. Legitur in schedis Cluniac. Valentinus prior Caritatis nominasse procuratores suos pro concilio Constant. Bertrandum S. Flori episcopum, Robertum priorum Celsiniarum & alios an. 1410.

Col. 431. E. n. XX. lin. ult. anno *adde* 1540. & anno 1543. comiti de Ventadour cessit terram de Vauvert.

Col. 435. D. ante n. II. *addendus* Johannes Gouges de Charpagne, ut infra col. 1542.

Col. 444. C. ante n. XXII. *addendus* videtur W. ut infra col. 784.

Col. 447. B. n. LIV. *vide* col. 784.

Col. 448. E. ante n. XIV. *addendus* ex Baluzio Marquesius an. 1410. ut infra col. 784.

Col. 456. C. n. IV. Petronilla de Valette, *adde* filia nobilis Jordani militis, domini de Parisot senescalli Ruthen. & Esther de Foix, ac soror Reginaldi abbatis Boni-loci.

Col. 506. E. ante n. XXIX. *addendus* Roricius, ut infra col. 1542.

Col. 545. A. n. XV. *vide* infra col. 1542.

Ibid. C. n. XXII. *vide* infra col. 1542.

Col. 548. A. Præpositis Lemov. *addendus* P. de Veyrac, ut infra col. 1542. D.

Col. 550. D. n. XX. abbas Doratensis *adde* secularis, jam an. 1338.

Col. 559. E. lin. antepenult. direxit, *adde* qua ei subjectio abbatiæ S. Sori confirmatur.

Col. 560. E. n. XXIV. aut XXV. *adde* Alteruter precum iniit societatem cum Hugone abbate S. Germani a Pratis.

Col. 562. n. XXXI. *adde* An. 1246. ejus litteras procuratorias ad tractandum coram cardinali Petro S. Marcelli, auditore in partibus a Papa delegato, super pensione quam Cluniacensis abbas postulat a S. Martialis abbate, confirmavit Aimericus episcopus Lemovic.

Col. 563. D. n. XXXIX. *adde* An. 1316. die 5. Nov. Petro Castri-lucii, monacho, decretorum doctori octoginta libras annuæ pensionis ad vitam creavit pro multis ejusdem in se officiis.

Col. 565. C. n. LVI. Petrus du Verdier *adde* Reginæ ab eleemosynis, &c. sepultus in ecclesia patrum Recollectorum S. Leonardi, cujus conventus fundator erat ipsius pater Johannes du Verdier, regiminis an. 54.

Ibid. ante n. LVII. *addendus* Johannes Jacobus de Flayres, simul etiam prior S. Crispini & S. Cristoli, deputatus ad negotia cleri Gallic. a provincia Narbon. anno 1621.

Col. 585. B. n. XXXIV. Eustachius Bidonis, *seu* Vidonis, memoratur in rotulo mortuorum anni 1498. tanquam a sex annis mortuus.

Col. 592. B. n. XXIX. Carolus Maumont, *al.* Geraldus de Malomonte in rotulo mortuorum anni 1498. mortuus dictus 18. Sept. hora vespertina.

Col. 596. E. n. XXIV. In rotulo mortuorum anni 1498. dicitur mortuus paulo ante hunc annum.

Col. 605. n. XIII. an. 1076. &c. Id non exacte verum est; *vide* chartam Urbani II. papæ Hugoni abbati Cluniac. inscriptam, de donatione ipsi facta abbatiæ Belli-loci, Biblioth. Clun. col. 525.

Col. 607. C. ante n. XXXVII. restituendus Dominicus de Ponte abbas Belli-loci citatus an. 1437. ante abbatem Cluniac. quod is contra jus monachum incarcerasset.

Col. 617. A. lin. 6. an. 1170. *lege* 1710. & adhuc præerat 1721.

Col. 630. A. n. XII. Reginaldus Valette *adde* filius nobilis Jordani militis domini de Parisot senescalli Petragoric. ex domina Esther Foxensi ex comitibus Foxensibus, filia scilicet Raimundi Rogerii comitis Foxensis & Philippæ de Arragonia.

Col. 655. D. n. II. lin. XI. *adde* An. 1340. Sabb. ante Natale Domini constituit procuratorem suum fr. Raimundum Guitaut, ut ejus nomine percipiat summam X. librarum super dominio regio in Pictonibus, ex charta regiæ Biblioth.

Col. 686. E. lin. ult. Parasceves: *adde* In necrol. abbatiæ S. Egidii ex biblioth. Fr. Prædicatorum Chamberiaci legitur: *V. idus Julii dedicatio ecclesiæ B. M. Aniciensis.*

Col. 694. A. n. XXVIII. lin. 7. Rodulpho rege *adde* Burgundiæ, ac proinde an. 999. *Vide* Mabill. ad hunc an. n. 102.

Ibid. n. XXXIX. lin. 8. comes Arverniæ, *lege* Ludovicus Transmarinus.

Col. 708. n. XLVII. *adde* Hic esse videtur Bernardus notatus 2. nonas Martii in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Col. 714. n. LI. E. *adde* In epistola asservata in archivis Parlamenti Paris. promittit se ratum habiturum quidquid definitum fuerit in caussa Stephani de Vissac, apud Podium 1247. *tom. 3. Invent. des Reg. du Roy, fol. 268.*

Col. 727. n. LXXVIII. *vide* infra col. 1542. D.

Col. 730. n. LXXIII. *vide* infra col. 1543. C.

Col. 733. n. LXXVII. *vide* infra col. 1543. C.

Col. 744. A. lin. 3. episcopi Aniciensis, *lege* Suession.

Col. 757. D. n. X. lin. ult. 1294. & 98. *adde* Attamen in necrol. S. Juliani Brivatensis ad IV. nonas Martii anno 1293. dicitur quondam decanus ecclesiæ Brivat. ex D. de Ganieres.

Col. 769. C. abbatibus S. Theofredi *addendus* Odilo notatus in necrol. S. Roberti de Cornilione V. cal. Oct.

Col. 782. n XII. Itail, *al.* d'Yral.

Col. 800. B. n. XXI. Baluzius in fragmentis MSS. putat illum esse Islonem Sanctonensem episcopum, qui rexit alio vivente, sed paralytico.

Col. 837. D. n. L. *adde* Obiiit die 7. Maii, ex Lopezio.

Col. 857. A. n. XII. *adde* In schedis Baluz. dicitur electus episc. Convenarum an. 1466. & anno seq. abdicasse, propterea que donatus abbatia S. Severi diœc. Adur.

Col. 866. n. XLI. lin. 4. *dele* quod est in margine.

Ibid. n. XLII. lin. 6. an. 1642. *dele.*

Col. 875. E. n. XXXVIII. *adde* Memoratur in rotulo mortuorum anni 1498.

Col 878. lin. 1. fuerat. *adde* Possessionem accepit 2. Junii 1679. per magistrum Johannem de Tartas priorem Mansi Aginnensis.

Ibid. E. n. XVIII. Comte Taurel, *al.* Contarel.

Ibid. n. XIX. Henricus, *al.* Franciscus ad 1613.

Col 881. A. n. VIII. *adde* In rotulo mortuorum anni 1498. memoratur, & hoc anno sedes vacare dicitur.

Col. 914. lin. 1. ut superius diximus. *adde* Quinimo legitur B. episc. Aginn. an. 1205. tom. XI. fragm. histor. D. Cl. Estiennot.

Col. 968. n. XII. *adde* Erardus primo infirmarius & monachus Condom. vitam traxit usque ad an. 1544. quo testamentum condidit 19. Febr.

Col. 986. n. XXIII. D. lin. 1. cal. Apr. *al.* 12. cal. an. 940. ex chron. Engolism.

Col. 987. ante n. XXV. inserendus videtur Hugo, qui sedisse dicitur an. 958. ex chronico Engolism.

Col. 1020. n. LXX. lin. XI. Ad Altissiodor. &c. 1363. *lege* permutatione facta cum Philippo de Lenoncourt Regi a consiliis intimis Autissiodor. præsule, mense Sept. anni 1562. cum beneplacito Regis, sed hæc permutatio sortita non est effectum suum. Sed postmodum Philibertus card. transactione facta 22. Julii 1566. suum Engolism. episcopatum transcripsit Carolo de Bony abbati Burneti, sub pensione bis mille librarum, quam an. 1567. 10. Junii sibi ab œconomis episcopatus Engolism. persolvi obtinuit arresto consilii, cum nondum prædictus Carolus bullas accepisset; ex regestis consilii Regii, ex quibus emendanda quæ diximus in successore Carolo de Bony n. LXXI.

Col. 1025. D. ante n. II. *addendus* P. Rossignol 1216. ut infra col. 1543. D.

Col. 1035. A. n. XXXI. *adde* Permutavit pro prioratu B. M. de Barbezillo diœc. Santon. cum Raimundo Pellegalli circa 1441. Cujus scilicet anni die 4. Septemb. Odo Cluniac. abbas eidem Fulcherio hunc prioratum confirmavit. Cessit autem Fulcherius & hunc prioratum paulo post, quem scilicet vacantem per ultimi prioris dimissionem prædictus Odo Cluniac. abbas Martino Audiart contulit 13. Jan. 1441. hoc est 1442.

Ibid n. XXXII. Raimundus Pellerau, *lege* Pellegalli ex modo dictis in decessore, jam abbas die 3. Aug. 1442.

Col. 1071. n. XXX. *adde* fuit primum archidiaconus Bruxell. in diœc. Camerac. circa an. 1156. ex Carpentario 1. p. hist. Camerac. pag. 450. Idem porro Aimarus episc. Santon. memoratur in necrol. S. Roberti de Cornilione, XIX. cal. Febr.

Col. 1073. n. XXXV. *adde* Jam præerat 1223.

Col. 1101. n. XVII. *adde* Is esse videtur Ugo abbas S. Johannis notatus in necrol. S. Roberti de Cornilione V. idus Aug.

Col. 1103. n. XXV. lin. 2. *IV. idus Sept.* legitur III. idus Sept in necrol. S. Roberti de Cornilione.

Ibid. n. XXX. *adde* Anno 1297. societatem iniit cum Bertrando Cluniac. abbate.

Col. 1106. B. n. XLVI. eleemosynarius, *adde* major.

Col. 1115. ante n. XII. *addendus* Fulcaudus, ut infra col. 1543. D.

Col. 1121. D. Abbatibus Fontis-Dulcis *addendus* N. de la Coste de la Mechaussée.

Col. 1122. D. n. XVIII. *adde* Memoratur 1516. 10. Dec. in schedis D. de Ganieres.

Ibid. n. XX. Johannes Dugua, *al.* Dugue, *adde* tanquam procurator Francisci d'Aux S. Crucis Burdegalensis abbatis maximam redituum partem, quam idem abbas in insula de Macau percipiebat, Henrico des Angues, *forte* des Aigues civi & mercatori Burdegalensi pretio 1130. Burdegalensis monetæ Francorum in annum elocavit XI. Junii anno 1522.

Col. 1126. E. n. III. *adde* & 1461. quo anno electus est abbas Monasterii-novi.

Col. 1196. n. LXXIII. *adde* fuit antea Camerac. archidiac. secundum quosdam, ex Carpentario p. 1. histor. Camerac. pag. 440.

Col. 1219. n. LII. *adde* fuit secretarius cleri Gallicani in comitiis Pontisaræ ann. 1660. & 1661. obiitque episc. Dolensis 1692.

Col. 1234. n. XVII. Rainaldus, lin. ult. *adde* & in necrol. S. Roberti de Cornilione X. cal. Julii.

Col. 1267. n. VII. *adde* Hic esse videtur Petrus abbas Pictav. notatus in necrolog. S. Roberti de Cornilione 2. nonas Apr.

Ibid. n. X. *adde* Bullam confirmationis ecclesiarum accepit ab Alexandro III. papa anno ejusdem pontificatus 20. Christi 1178. indict. XII. octavo cal. Junii.

Col. 1268. n. XIV. lin. 3. & 1211. *adde* quo anno cum abbate Cluniac. paciscitur de quadam pecuniæ summa, & majorem promittit, si pontificalium usum sibi abbati Monasterii-novi obtineat. *Ibid.* linea antepenult. *Cessit*, &c. Id confirmatur ex schedis Cluniac. nisi quod (mendose, ut putamus) non Hulricus, sed Hugo hic abbas dicitur, & quidem Pictaviensis, qui de licentia Stephani abbatis Cluniac. suam abbatiam resignavit, pensione sibi ab eodem Cluniac. abbate in alimentis, pecunia, famulis, & supellectile argentea, & in possessionibus assignata 1233.

Ibid. n. XV. *adde* Legitur in schedis Cluniac. Fulcone abbate Pictav. mortuo, electionem permisisse conventui Yvonem abb. Cluniac. an. 1259.

Ibid. ante n. XVII. *addendus* Guillelmus prior de Fayamonachali electus abbas Monasterii-novi a conventu & prioribus forensibus, qui vocem ad hoc habebant, anno 1266. & confirmatus eodem anno mense Aprili ab Yvone Cluniac. abbate.

Ibid. E. n. XVII. *adde* prior de Boëto diœcesis Santon. electus abbas mense Junio anni 1270. ubi inter electores nominatur frater Guillelmus quondam ibidem abbas.

Col. 1269. A. n. XIX. Petrus de Tremollia, *al.* de Trenorchia, &c. vacante abbatia Monasterii-novi per cessionem Willelmi Garini, longo post tempore electus Petrus confirmat compositionem, quæ a conventu facta fuerat cum B. abbate Cluniacensi super electione abbatis Monasterii-novi anno 1290. Petrum vero electum fuisse anno 1297. confirmatur ex eo quod in schedis Cluniac. abbatia Monasterii novi hoc anno vacasse dicitur. Abbatiam resignavit an. 1302.

Ibid. n. XX. Aymo, *lege* Simon de Vaher prior de Boëto quem anno 1302. conventus Monasterii-novi B. abbati, Cluniacensi commendat, ut eligatur in abbatem

Ibid. N. XXI. Martinus Laufredus, *al.* Lanfredi, &c. *adde* Moritur 1320. fortasse prius abbatiam resignaverat; Idem vero an. 1325. nuper defunctus dicitur.

Ibid. n. XXV. *adde* Memoratur eodem an. 1325.

Col. 1270. lin. 3. (pag. 193.) *adde* Anno 1336. 12. Apr. excusat se a capitulo generali.

Ibid. C. ante n. XXXIII. *addendus* est Reginaldus, qui an. 1358. a capitulo generali se se excusavit.

Ibid. n. XXXV. *Aimericus de Coucy 1390.* Cognomen de Coucy & hic annus 1390. emendanda videntur: sic enim legitur in schedis Cluniac. *Imberto abbate Monasterii-novi mortuo an. 1394. electus est Aimericus Cressonis prior de Amberio, mense Aprili.*

Ibid. n. XXXVII. lin. 4. confirmatur 21. Septembr. *al.* 29. Aug.

Col. 1271. A. lin. 3. *adde* Sepultus ante majus altare, quo an. 1461. 26. Aug. licentia datur eligendi successoris.

Ibid. n. XXXVIII. lin. 2. monachus, *adde* & prior de Marigniaco.

Ibid. n. XLI. D. lin. 3. die 30. Aug. *al.* mense Octobri.

Col. 1287. n. X. Gervasius, &c. *adde* Ita memoratur in necrol. S. Roberti de Cornilione: *X. cal. Julii ob. Rainaldus abbas S. Cypriani & Gervasius abbas S. Savini, ambo monachi Casæ-Dei.*

Col. 1296. C. ante n. IX. *addendi* Robertus de l'Espinay ep. Nannetensis, & Fr. Totin, ambo S. Leonardi de Ferrariis abbates in rotulo mortuorum anni 1498.

Col. 1297. B. n. I. *adde* abbas memoratur 1472. 9. Dec. 1473. 10. Nov. & 1478. ult. Decemb. in chartis authenticis a D. de Ganieres collectis.

Col. 1308. n. XXXIX. *adde* memoratur 1545. 18. Martii in apocha authentica collectionis D. de Ganieres.

Col. 1322. A. n. XI. *adde* Adhuc præerat 1251.

Col. 1324. C. n. XXI. *adde* Memoratur 1408. 18. Nov. 1416. 16. Junii, & 1425. 12. Nov. in chartis authenticis collectionis D. de Ganieres.

Ibid. n. XXII. *adde* Recensetur 1440. 20. Novemb. 1447. 15. Nov. & 1451. 10. Aug. in chartis authenticis, ejusdem collectionis.

Col. 1350. B. n. XIII. lin. 2. abbas erat de Castellariis *adde* jam an. 1625. quo interfuit comitiis cleri Gallicani.

Col. 1363. A. abbatiis diœc. Pictav. *addenda* abbatia de Bresuire ordin. S. Claræ Urbanistarum, cujus N. de Crillorre ejusdem loci alumna nominatur abbatissa 16. Novemb. 1676.

Item abbatia S. Claræ de Sancto-Justo Urbanistarum ejusdem diœcesis, cujus N. Dorat ejusdem ordinis alumna nominatur abbatissa 16. Nov. 1676.

Item abbatia S. Claræ de Thouars ejusdem diœc. cujus Maria-Catharina de Mailly ejusdem ord. alumna nominatur abbatissa 16. Nov. 1676.

Col. 1384. n. XVIII. Jacobus Habert, vocatur Petrus 1605. & 1606. deputatus a clero provinciæ Rem. ad negotia cleri Gallicani.

Col. 1397. n. XXIII. Hic videtur abradendus, ut pote non abbas de Moroliis, sed B. Mariæ de Morellis ordinis S. Bened. in diœc. Pictav. ut ibidem diximus col. 1298. D. n. VII. pro quo substituendus N. d'Aquin filius archiatri regis per cujus cessionem

N. XXIV. Ludov. d'Aquin frater præcedentis hanc abbatiam obtinuit 8. Sept. 1678.

Ibid. n. XXV. Hic pariter amandandus videtur ad abbatiam B. Mariæ de Morellis, col. 1298. ante n. VII. & hic substituendus Ludovicus Gasto Fleuriau d'Armenonville mense Apr. 1687. postea episc. Adurensis, & hodie Aurelianensis.

Col. 1403. C. B. Maria in Insula Rea *adde* diœcesis olim Santon.

Col. 1429. A. ante n. VII. *addendi* Andreas Roiraud & Johannes de Hacheten abbates Orbisterii in rotulo mortuorum anni 1498.

Col. 1432. C. n. V. Alanus, &c. cui subjiciendus Petrus Rezay, qui ambo memorantur abbates Insulæ Calveti in rotulo mortuorum anni 1498.

Col. 1433. C. ante n. III. *addendus* Guillelmus Butys abbas B. M. de Brolio Arbaudi memoratus in rotulo mortuorum anni 1498.

Col. 1437. A. n. XXX. *adde* jam an. 1635. in comitiis cleri Gallicani.

Col. 1438. B. n. II. Is est G. abbas an. 1158.

Col. 1444. D. ante n. V. *addendus* Guido Chevalier a clero Narbon. deputatus 1577. & 1580. ad negotia cleri Gallicani.

Col. 1464. B. n. XXIV. Iste est Guillelmus, ut videtur, cujus obitus dies assignatur in necrol. S. Roberti de Cornilione VIII. idus Febr.

Col. 1466. n. XXVI. Gaufridus *adde* memoratur 1144. in schedis Cluniac.

Col. 1488. veteribus abbatiis accensenda ecclesia sancti Theodori de Rocabaucourt, de qua in Guillelmo episcopo

Petragoric.

Petragoric. ad an. 1121. cujus scilicet se abbatem inscribit archidiaconus Petragoricensis, qui hanc postea dimisit Petro Cluniacensi abbati.

Itemque Sedaciacum vetus monasterium apud Petrocorios, quod S. Eparchius postmodum abbas Engolismensis, nunc ejus nominis abbatiæ, anno ætatis suæ 15. expetiit, & ad pedes Martini abbatis prostratus, se monachum fieri postulavit, idque, invitis licet parentibus, obtinuit sub an. 530. *vide* Mabill. tom. 1. Annal.p. 180.

Col. 1491. n. VII. Is esse videtur Willelmus, qui notatur XII. cal. Sept. in necrol S. Roberti de Cornilione.

Ibid. n. VIII. Aumarus, *al.* Aimarus & lin. ult. III. cal. Febr. *al.* 2. cal ex necrol. S. Roberti de Cornilione.

Ibid. ante n. IX. *addendus* Raimundus anno 1144. ex schedis Cluniac.

Col. 1492. B. ante n. XIV. *addendus* Petrus, ut infra col. 1543. D.

Ibid. n. XIV. *vide* infra col. 1543. D.

Col. 1507. E abbatiis hujus diœcesis, *addenda* S. Clara Petragoric. Urbanistarum, cujus abbatissa nominatur N. de Condroy Genier sanctimonialis Benedictina 16. Novemb. 1676.

Item, S. Clara de Alba-terra Urbanistarum, cujus Ludovica Jaumar de Brangelie ejusdem loci professa nominatur abbatissa 16. Novemb. 1676. & per hujus cessionem Ludovica de Beynac de Tayac ejusdem loci alumna 15. Aug. 1688.

Col. 1509. n. XIII. *adde* Notatur Raimundus abbas Sarlat. III. nonas Julii in quodam fragmento veteris necrol. tom. XI. fragm. hist. D. Cl. Estiennot.

Col. 1531. D. n. IV. *adde* Adhuc erat decanus & canonicus Sarlatensis 1606. a clero suæ provinciæ deputatus ad negotia cleri Gallic.

Col. 1532. B. *addenda* vetus abbatia S. Cypriani diœc. Sarlatensis, modo prioratus a canonicis Regularibus Cancellatæ possessus, qui ibidem strictiori vivendi ratione conversantur.

SEQUUNTUR PRIORES.

I. HUGO DE BEYNAC (e nobili Sarlatum inter & S. Cypriani oppidum familia) 1287.

II. Bertrandus archiepisc. Burdegal. 1300. Hunc vero Bertrandum, qui fuit canonicus Burdegalensis ecclesiæ, verisimile est fuisse canonicum regularem, hæc enim ecclesia aliquando cessit canonicis Regularibus S. Augustini.

III. Sicardus Memmani prior 1324.

IV. Hugo II. de la Roca 1331.

V. Guillelmus Deloin 1340.

VI. Bernardus Cavaleri 1393.

VII. N. Artusii 1404.

VIII. Bertrandus Cavaleri 1421.

IX. Petrus de Fuxo card. 1425.

X. Raimundus Clerici 1427.

XI. Johannes de Puy la Mousque 1447.

XII. Bertrandus de la Cropte 1449.

XIII. Blasius archiepiscopus Burdegalensis 1462.

XIV. Godefridus de Pompadour, præpositus Lugdunensis, episc. Engolism. Petragoric. & Aniciensis, 1464. 67. 74. & 89.

XV. Johannes II. de Puy la Mousque 1503.

XVI. Johannes III. de Salignac 1505. episcopus Sarlatensis.

XVII. Dionysius de la Cassagne 1514.

XVIII. Carolus de Grammont archiepiscopus Burdegalensis 1531.

XIX. Franciscus de la Cassagne 1532.

XX. Bertrandus de Fages 1543.

XXI. Johannes IV. de Fages 1561.

XXII. Petrus Baleme 1573.

XXIII. Ludovicus de Cousages 1583.

XXIV. Johannes V. de Cousages 1590.

XXV. Bartholomeus de la Gardere 1596.

XXVI. Antonius Asturgie 1600.

XXVII. Nicolaus Contesoulles 1625.

XXVIII. Johannes-Jacobus de Montesquieu 1642.

XXIX. N. Langlade.

XXX. Hugo las Vergnias 1665.

XXXI. N. du Mas 1676.

XXXII. Jacobus I. Vitet 1679.

XXXIII. Jacobus II. du Noyer 1685. Erat canonicus regularis B. M. de Cancellata, vir sane religiosus, ac timens Deum, & quasi alter fundator sui monasterii, quod ampliavit, maxime vero ecclesiam, quam omnino refecit, & quidem egregie.

XXXIV. Huic successit Dionysius-Alexander le Blanc 1716. & 1718.

Col. 1534. D. lin. 1. de Rillac de Monmege, *lege* de Montmege ex gente de Souillac.

Ibid. n XV. Johannes de Rillac, *lege* de Reillac, & *adde* filius Johannis de Reillac domini de Palvezi, & Ludovicæ de Souillac, sororis Johannis de Souillac domini de Montmege, tribuni centum Helvetiorum stipatorum corporis Regis, *capitaine des cent Suisses de la Garde*, ac regiorum ordinum equitis designati, mortui an. 1655. mense Maio, cujus favore abbatiam obtinuerat.

Col. 1542. n. XXXIX. lin 4. permutavit *adde* cum seq. an. 1640. quæ tamen permutatio non fuit admissa in curia Rom. nisi an. 1645.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO,
post editum tomum tertium.

COL. 165. E. abbatibus Vallis-Scholarium *addendus* R. pater Melchior de Honner nominatus ab Archiducissa mense Maio 1731.

Col 247. E. n. LII. *adde* Obiit mense Augusto an. 1731.

Col. 309. A. abbatibus Laudis *addendus* N. du Beron nominatus abbas regularis mense Sept. an. 1727.

Col. 316. E. abbatissis Marquettæ *addenda* N. de Rohan prius abbatissa de Pratellis, Marquettensis nominata mense Aug. 1731.

Col. 423. D. abbatissis S. Ragenfredis de Denonio *addenda* Audomara de Liers domicella, hujus loci canonissa, quæ fuit abbatissa nominata mense Jan. 1730.

Col. 457. C. abbatissis Flinarum *addenda* N. de Gomicourt designata mense Maio 1731.

Col. 481. N. XVI. *adde* Obiit in sua diœcesi 17. Nov. 1727. ætatis 64. simul abbas B. Mariæ de Pontron diœc. Andegav.

Col. 549. A. n. XII. *adde* obiit 1725. die 24. Aug. cui successit

Thomas-Johannes-Franciscus de Strickland doctor Sorbonicus & abbas S. Petri de Pratellis diœc. Lexov. sacratus die 26. Septemb. 1727. in ecclesia metrop. S. Rumoldi Mechlin. a cardinali d'Alsace Mechliniensi archiep. collaborantibus N. Smet Iprensi & N. Spinosa Tricalensi episc.

Col. 608. E. abbatissis Solis-montis *addenda* est Humbelina de Bavay abbatissa nominata mense Julio anni 1730.

Col. 715. E. n. LXXXV. *vide* t. 3. in *addendis* col. 1049. E.

Successor ejus Clemens Augustus de Baviere, vide *ibid.* & *adde* Viterbii sacratus est a summo pontifice Benedicto XIII. die 9. Nov. 1727. ac deinde episc. Osnabrugensis electus fuit mense Nov. 1728.

Col. 719. D. præpositis Colon. *addendus* Mauricius comes de Manderscheit-Blanckenheim episc. Neustadiensis, ac præpositus canonicus capitularis ecclesiæ metropolitanæ Colon. cui mense Junio 1729. Coloniensis elector potestatem fecit accipiendi suo nomine *investituram* feudorum episcopatus Osnabrugensis.

Col 721. Quanquam nihil diximus de subdecanis eccles. Colon. abs re non erit duos ultimos hic apponere: sunt vero

Comes de Manderscheit Falckenstein, quo defuncto Coloniæ 1727. mense Sept.

Ferdinandus comes de Hohenzollern electus fuit a canonicis 13. Nov 1727.

Col. 912. E. lin. ult. *vide* t. 3. in *addendis* col. 1049. & 1050. E.

Col. 966. B abbatibus S. Trudonis *addendus* Armandus vander Eycken monachus Benedictinus, propositus abbas in consistorio D. Papæ 2. Octob. 1730. & in altero 5. Martii 1731.

Col. 977. A. Abbatibus S. Huberti *addendus* Cœlestinus de Jong monachus, abbas propositus in consistorio D. Papæ 12. Apr. 1728.

Col. 1138. B. n. LXI. *adde* Obiit exeunte Jan. 1728. in cujus locum sufficitur Johannes Dyse de Salcon designatus mense Febr. ejusdem anni, per cujus promotionem ad episcopatum Aginnensem

Josephus-Antonius-Amabilis Feydeau superior generalis Carmelitarum, nominatur sub finem anni 1728. propositusque in consistorio D. Papæ 14. Julii 1730. & in altero XI. Sept. ejusdem anni, sacratur Romæ 24. Sept. 1730. ab eminentiss. cardin. de Polignac, assistentibus R. patre Fouquet episcopo titulari Eleutheropolis & N. de la Baume episcopo titulari Halicarnassæ.

Col. 1233. n. LXIII. *adde* abdicavit nominatus in compensationem ad abbatiam Rigniaci, mense Januario anni 1728.

Johannes Baptista Surian Oratorii presbyter successit in cathedra Venciensi, nominatus mense Jan. 1728. propositus in consistorio D. Papæ 8. Martii ejusdem anni, sacratusque 13. Junii 1728. in ecclesia Institutionis Patrum Oratorii ab archiepiscopo Vesontionensi, assistentibus Maclov. & Sanbriocensi episcopis.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM TERTIUM.

Col. 67. n. XXXV. obiit 1398. *adde* at jam diu cessarat, Nicolaus enim præpos. Camerac. privilegium Caroli IV. imperat. pro ecclesia Mindensi datum an. 1377. indict. XV. decimo-quinto cal. Dec. recognovit ex chronico Mindensi apud Pistorium, pag. 748.

Col. 69. n. XI. Oilardus *adde* vocatur Gilardus 1125. in historia Mechliniensis ecclesiæ edita 1725. pag. 94. & Celardus 1119. *ibid.* p. 98.

Col. 117. A. n. XV. Mainardus, *adde* jam an. 1138. ex historia prædicta part. 2. pag. 27.

Col. 122. C. n. XXXVI. de Balagny, *lege* Baligny.

Col. 125. lin. 3. ad an. 1267. *adde* quo decessit 2. Dec.

Col. 133. n. XI. lin. penult. abbatum. *adde* Memoratur in charta Willelmi comitis Cabilon. de Paredo, data an. 1180. ex biblioth. Cluniac. col. 1442.

Col. 151. D. n. XLI. lin. 2. 1608. *adde* 8. Octob.

Ibid. E. n. XLII. *adde* benedicta fuit 1636. Agnetis II.

Col. 152. A. lin. 1. de la Mouillerie, *adde* benedicta in suo monasterio 24. Jan. 1650. per Gasparem Nemium Antuerpiæ episc. & Camerac. designatum.

Col. 161. C. n. XXXIII. lin. ult. cohonestatus esset *adde* an. 1629. IV. nonas Julii pontificatus anno sexto.

Ibid. n. XXXV. lin. 1. Athensis *adde* benedictus an. 1642.

Col. 165. A. n. XIV. lin. 2. 1466. *al.* 1465.

Ibid. n. XV. lin. 2. an. 1469. legendum fortasse 1466. quo litteras habemus Caroli comitis Carolesii ad Johannem Maupoint priorem S. Catharinæ Paris. tanquam proprium visitatorem Vallis-Schol. apud Montes, quibus ipsum rogat, ut Egidio de Pratis minus religioso dignitatem abroget, & eam conferat Nicolao Desmaretz. Datum 7. Aug. 1466.

Col. 166. lin. 1. Nicolaus I. Lixuel *adde* an. 1620. definitor erat capituli generalis habiti in Valle-Scholarium diœc. Lingon.

Col. 195. B. n. IX. Jacobus, &c. *adde* Atrebas, &c. Plurima scripsit, de quibus vide lib. 1. Bibl. Præm. p. 306.

Col. 209. n. II. lin. ult. *adde* Ejus mortem consignat chronicon Sigeberti an. 484.

Col. 253. A. ante vel post primum præpositum *addendus*, videtur Reginaldus episc. Leod. mortuus 1037.

Ibid. D. n. VIII. lin. 3. an. 1168. *adde* jam an. 1163. in charta S. Martini Tornac. pro S. Bartholomæo de Eechout.

Col. 255. E. n. III. *lege* Johannes I. Andream excepit, &c. *cetera dele.*

Col. 257. n. XXI. lin. ult. *adde* Monasteriensem propugnat auctor status ecclesiastici Germaniæ editi an. 1724.

Col. 285. A. n. XXXVIII. lin. 2. coadjutor *adde* nominatus 10. Apr. an. 1700.

Col. 297. A. n. XXXIV. successit *adde* schedula regia 29. Martii. 1698.

Col. 410. n. IV. *adde* Defunctum legimus in Anglia an. 1120.

Col. 421. C. n. XXXV. Claudia *al.* Jacoba.

Col. 449. C. ante Bellus-locus *addenda* videtur abbatia canonicarum Regularium ordin. S. Aug. in urbe Atrebat. cujus abbatissa per obitum Nicolaæ Christinæ Paget Claudia du Condroix fuit nominata 13. Martii 1676.

Col. 471. B. n. XIII. 1604. Ita Locrius ad an. 1457. sed legendum 1614. Aprilis ultima, ætatis an. 68. profess. 48. dignitatis 12.

Ibid. post n. XIV. *addenda* Anna Courcol, quæ obiit 7. Febr. 1630. ætatis 68. profess. 48. dignitatis una & altera vice 20.

Gabrielis le Fort obiit 7. Sept. 1640. ætatis 66. professionis 50. dignitatis 14. (bina vice)

Col. 482. n. XXIX. lin. ult. cessit sequenti *adde* ac mortuus est 1499.

Ibid. n. XXXIV. *adde* obiit 1555.

Col. 490. A. lin. 2. *adde*

PLANCTUS UGONI ABBATIS.

Ex MS. S. Martialis Lemovic. num. 40.

HUGI. *DULCE nomen*
Hug, propago nobilis
Karli potentis
Ac sereni principis,
Insons sub armis
*Tam repente soncius**
Occubuisti.

* *Sancius.*

Sed cur adire
Karolum presumeres,
Quem Hludovicus
Imperator inclitus
Regem libenter
Visus est ex filio
Constituisse!

Sed non ob hoc tu
Perforandus lanceis,
Nec membra tua
Lanianda fuerant,
Cum plus prodesse
Quam nocere cuiquam
Semper amares.

Nam rex Pipinus
Lacrimasse dicitur,
Cum te vidisset
Ullis absque vestibus
Nudum jacere
Turpiter in medio
Pulvere campi.

Quin immo de te
Subsecutus addidit,
Hunc si vidissem
Sospitem nunc corpore,
Talenta centum
Non placerent aurea,
Hoc mihi quantum.

Karroff. . . . . . te
Collocet & tumulo
De quo sacerdos
Exstitit ha monachus,
Et ubi vivens
Postulavit mortuum
Se Sepeliri.

O quam venustam
Quamque pulchram speciem
Circumferebas
Omnibus præ cæteris,
Cum plus prodesse,
Quam nocere cuiquam
Semper amares.

Non crimen ullum,
Non rapinam quamlibet
Te perpetrasse,
Cum fores mitissimus,
Cum plus prodesse
Quam nocere cuiquam
Semper amares.

Col. 579. A. n. XXVII. *adde* & hanc quidem de regalibus investiendi dat Imperator facultatem Arnoldo comiti Lossensi, &c. 5. Januar. 1295. ex historia Lossensi edita, pag. 228.

Col. 598. E. n. XXI. *adde* Plurima scripsit, de quibus Bibliotheca scriptorum ord. Cisterc. auctore Carolo de Visch, pag. 25.

Col. 618. n. XVIII. *adde* Duas sibi successisse amitam & neptem tradit historia genealogica domus Franciæ, t. 1. pag. 257. A.

Col. 628. n. XIV. B. lin. 2. *Nescio quid, &c. dele* totum ex supradictis n. XIII.

Col. 649. A. lin. XI. 969. *adde* vel 972. indict. XV. ex chronico Hirsaug. pag. 114.

Ibid. B. n. XXXIV. lin. 9. Ditmari, *seu* Diethmari comitis frater, & Christiani comitis & Wiburgis comitissæ sororis comitis Magdeburg. filius ex chronico Hirsaugiensi, pag. 114.

Col. 650. n. XXXV. lin. 3. conscendit *adde* an. 976. ex magno chron. Belgico.

Col. 651. E. n. XXXVI. lin. 4. 998. Trithemius habet 995. in chronico Hirsaug.

Col. 652. lin. ult. VII. idus Junii, *al.* VIII. Julii in festo S. Kiliani mart.

Col. 676. C. lin. 3. Anno seq. *adde* 1152. Romam profectus ab Eugenio III. solemni cum apparatu ordinatus est, ex Trithemio in chronico Hirsaug. Cujus insuper exstat epistola ad S. Hildegardem, tom. XXIII. Biblioth. Patrum pag. 543.

Ibid. E. lin. 9. An. 1156. Trithemius habet 1157.

Col. 677. n. XLIX. lin. 4. S. Georgii, *lege* S. Gereonis, ex chronico Hirsaug.

Col. 679. B. reginæ *adde* Hoc anno 1162. (1165. ex annal. Godefridi monachi & quidem melius,) in conventu habito per Fridericum imperat. pro Paschali papa adversus Alexandrum in civitate Herbipoli presbyter ordinatus est Sabb. quatuor temp. Pentecostes, qui postea die 2. Octob. per manus Philippi Osnabrugensis episcopi præsente imperatore episcopus inauguratus fuit, ex chron. Hirsaug. pag. 454. Econtra idem Rainaldus anno 1164. dicitur adhuc *Electus* in annalibus Godefridi monachi, t. 1. rerum Germanic. p. 240.

Col. 681. n. LI. Philippus, &c. *adde* Ad eum exstat epistola XIII. Petri de Cella abbatis S. Remigii.

Col. 684. A. lin. 1. consanguineus, *frater* ex chronico Hirsaug. ad an. 1194.

Col. 692. C. lin. 3. an. 1248. *lege* 1247. feria V. post festum S. Michaelis 3. Octob. quem Conradus Colon. archiep. an. 1248. in festo Omnium SS. inauguravit Aquisgrani, non 1249. ut habet Trithemius in chronico Hirsaug.

Ibid. E. lin. antepenultima. Cum legationis apost. &c. Ista legatio ipsi commissa fuit in compensationem rejectæ ipsius in archiepiscopum Moguntin. electionis, ut loquitur ipse Christianus, qui post hunc rejectum in ecclesia Mog. successit.

Col. 693. n. LIX. lin. 1. ex præposito majori Colon. *habet* S. Gereonis chronicon Hirsaug. pag. 606.

Col. 695. n. LX. lin. penult. sepeliendus *adde* in monasterio S. Cassii.

Col. 696. n. LXI. *adde* Wichboldus jam Colon. archiep. in coadjutorem Trevirensis archiepiscopi Boëmundi assumtus dicitur a Trithemio in chron. Spanheim. ad an. 1298.

Col. 697. D. lin. 1. aut 1333. habet 1334. Trithem. in chron. Hirsaug. pag. 177. tomo 2. Quinimo ipsius vitam producunt annales Heremi, pag. 314. ad annum saltem 1336.

Col. 698. A. lin. 13. ex archidiacono, *lege* præposito, ut infra col. 901.

Col. 714. n. LXXXIII. lin. XI. patrui, *al.* cognati.

Col. 715. B. lin. 8. *ac decanum* dele.

Ibid. E. lin. 6. Clementem *adde* Augustum, *& iterum adde* 9. Maii 1722. de quo insuper vide addenda provinciæ Coloniensi, tom. 3. col. 1049. quibus hæc adde: Viterbii sacram inunctionem accepit a Benedicto XIII. summo pontifice die 9. Nov. an. 1727.

Col. 717. n. XI. H. *adde* Is est profecto Hermannus Israëlita præpositus ecclesiæ majoris Colon. qui memoratur præsens in charta Philippi archiepiscopi Colon. de collatione unius molendini & aliquot prædiorum facta monasterio Breidelariensi in diœcesi Paderbornensi anno 1170. apud Jongelinum in abbatiis Westphaliæ, pag. 55.

Col. 718. n. XIX. Arnoldus, &c. *adde* Deinde fuit episc. Catalaunensis.

Ibid. ante n. XXIII. *addendus* videtur Conradus præpositus Colon. circa 1350. quo tempore litem movit de pontificatu Monasteriensi, sed maluit cedere, quam privato bello multis esse incommodo ex Bucelino.

Ibid. ante n. XXIV. *addendus* Theodoricus comes de Marka major præp. Colon. deinde coadjutor Osnabrug. e qua sede an. 1380. dejectus est.

Ibid. E. post n. III. *addendus* Egbertus ex decano eccl. Colon. episc. Monasteriensis, defunctus 1131. ex Trithemio in chronico Hirsaug. pag. 393.

Col. 719. A. ante n. XXV. *addendi* Ericus comes de Hoye major præp. Colon. dein ep. Osnabrug. e qua sede a subditis deturbatur an. 1438. vide Meibomium, tom. 2. rerum Germanic. pag. 256.

Salentinus comes de Isenburg dominus de Grensaw, præpos. & archidiac. Colon. & canonicus Mogunt. qui defunctus an. 1482. die 2. Octob. sepelitur in sacello S. Dionysii majoris ecclesiæ Mogunt.

Ibid. n. XXVI. Georgius *adde* dux de Brunswich.

Ibid. D. ante n. XXXI. *addendus* Franciscus de Lorraine episc. Virdun. præpos. major Colon. & major decanus & administrator Argentinensis, qui obiit 1661. *Etat ecclesiastique d'Allemagne imprimé en 1724.* ac insuper vide tom. 3. col. 804. in addendis & corrigendis.

Ibid. E. n. VI. Hic est Philippus ad quem exstat epistola S. Hildegardis, & vicissim ejusdem jam archiepiscopi ad illam tom. XXIII. Biblioth. Patrum, pag. 550. & 572.

Col. 720. lin. penult. 1362. *adde* quo anno testis est in charta Caroli IV. imper. Burgundiæ comitatum Philippo Audaci tradentis.

Col. 721. A. lin. 2. *adde* Anno 1364. ex episcopo Monasteriensi fit archiep Ultrajectinus.

Ibid. ante n. XVI. *addendi* Johannes comes a Wertheim decanus Colon. necnon Moguntinus & Herbipolensis canon. vixit an. 1438.

Henricus filius Georgii & frater alterius Georgii comitum Mosellanorum de Veldentia, itemque frater Walrami Trevir. præpositi.

Ibid. B. ante n. XVII. *addendus* Stephanus circa 1468. Vide chron. Hirsaug. tom. 2. pag. 464. 485. & 503.

Ibid. C. ante n. XVIII. *addendi* Henricus Reus a Plauven decanus Colon. & Mogunt. canon. & S. Petri Mog. præpositus, qui obiit jubilarius an. 1530. 18. Sept. Moguntiæ ante chorum ferreum sepultus.

Reinhardus comes a Leiningen, & baro a Westerburg, decanus Colon. ac Mogunt. itemque S. Stephani ibidem olim canonicus, obiit an. 1540. 13. Aug. *al.* 16. Julii anno ætatis 48. ex epitaphio ei posito Coloniæ in æde metropolitana.

Henricus comes a Stolberg decanus Col. & canon. Mogunt. resignavit an. 1548. & uxorem duxit.

Ibid. n. XIX. lin. ult. *adde* Moritur episc. Mindensis an. 1599.

Ibid. ante n. XX. *addendi* Eitel Fridericus comes de Hohenzollern præpos. major Colon. Magdeburg. & Argentin. necnon Clementis VIII. camerarius, factus cardinalis an. 1621. & 1623. episc. Osnabrug. obiit 1625. 19. *vel* 25. Sept.

Otto Ludovicus Rhingravius, Colon. & Argentinensis ecclesiarum comparate decanus circa 1628.

Ibid. E. *addendus* Johannes Fredericus comes de Manderscheid-Blanckenheim, decanus Colon. & major domus Electoris Colon. mortuus 25. Maii 1731.

Col. 734. D. lin. 2. ante an. 1288. *lege* an. 1278. ex hist. Mechlin. p. 1. pag. 114.

Ibid. lin. 4. anno 1717. *adde* pag. 156. sed legendum 1278. ut ibidem p. 167. & in hist. Mechlin. ut supra.

Col. 749. n. III. lin. ult. *adde* Obiit anno 1041. ex Trithemio in chronico Hirsaug.

Col. 753. E. n. VI. lin. 3. veneno sublatus interiit *adde* 1089. si credere fas est statui ecclesiastico Germaniæ edito 1724.

Col. 767. B. n. XXIV. Rabado de Flinderen, *al.* Rabodo de Winderen.

Ibid. C n. XXXV. Bertrandus &c. *adde* An. 1632. postulatur in abbatem Fuldensem a quibusdam monasterii alumnis, qui Coloniæ in seminario litteris operam dabant, sed frustra, quanquam adhuc anno 1635. adversus alterum electum litem in curia Romana prosequebatur.

Col. 779. D. abbatissis Assendiensibus *addendæ* Anna Salomé comitissa de Manderscheid - Blankenheim anno 1689. &

Bernardina Sophia, electa 1691.

Col. 790. n. XXXIV. lin. 10. an. 23. *adde* 1490. de

quo vide Biblioth. scriptorum ord. Cisterc. auctore Carolo de Visch, pag. 27.

Col 791. n. XLVII. *adde* Cisterc. ord. per Westphaliam & tractum Rheni vicarius generalis, vivebat 1647. 27. Nov. quo scripsit ad auctorem Bibliothecæ scriptorum ord. Carolum de Visch, & 1656. 14. Febr. quo dictum opus approbavit.

Col. 794. E. in Riddagshusen, *adde in fine* Videtur hæc abbatia esse diœcesis Halberstad ex Biblioth. scriptorum ord. Cisterc. pag. 277. cujus abbates memorantur, Henricus Sant Egidianus alter ab Henrico I. abbate, creatus abbas 1170. de quo vide Biblioth. scriptorum, &c. & *Amelungus abbas in Riddaghusen frater noster nonis Aug.* ex necrologio Hildeshemensi.

Ibid. ante *Vallis-Gaudii* addenda Porta-cœli filia Walkenrodæ, cujus abbas Conradus an. 1225. adfuit synodis Coloniæ habitis a Conrado cardinali contra S. Engelberti Colon. archiepisc. interemtorem, & conscios hujus sceleris, & pro reformatione cleri.

Col. 819. n. XXIII. lin. 15. anno 1596. habet 1597. hist. Lossensis, pag. 290.

Col. 820. lin. 3. ducis Hostiensis, *legendum* Diostiensis docet auctor hist. Lossensis editæ 1717. pag. 11.

Col. 843. n. XLVI. lin. 2. Euracrus & Eberkarus in chronico Laurisham. ad an. 968.

Col. 875. n. LXIII. *adde* hujus Radulfi exstat epistola ad S Hildegardem tom. XXIII. Biblioth. Patrum p. 547.

Col. 879. E. lin. 1. in ecclesia S. Johannis, *al.* B. Laurentii, ex magno chronico Belgico.

Col. 894. n. LXXV. lin. penult. III. idus Maias, *al.* 3. Maii ex historia Lossensi, pag. 241. *legendum* tamen fortasse *13. Maii.*

Col. 903. C. lin. 1. Tandem anno 1455. *adde* 21. Novemb.

Col. 910. B. lin. 2. anno 1580. quarto cal. Jan. *al.* 1584. calendis Jan.

Col. 913. E. ante n VII. *addendus* Bubo Leod. præpos. an. 968. indict. XII. ex chronico Laurisham.

Col. 921. D. n. L. Johannes Egidius Gallus, & quidem Normannus, ab Innoc. VII creatur card 1405.

Col. 922. n. LX lin 1. de Busluyden, *al.* Busleyden.

Ibid. E. n. LXIV. lin. ult. præpos. *lege* canonicus.

Col. 924. n. LXXVII. lin. 3. anno 1675. *adde* Adhuc erat præpositus simul & custos 1681.

Col 935. A. lin. 4. Lothorius, *lege* Lotharius, & lin. 9. *adde* Porro hujus abbatiæ B. Mariæ de Trajecto ad Mosam Godefridus Udalricus baro de la Margelle canonicus Leod. & abbas secularis, inauguratus episc. Nicopolis 1697. obiit 1702. episc. Eleutheropolis.

Col 937. C. lin. 2. *adde* Renatus Franciscus de Sluse canonicus Leod. & abbas Amaniensis 1681.

Col. 938. a lin. 6. Tertius Johannes Ernestus baro de Surlet, archidiac. Ardennæ 1681. & 1699.

Ibid. B. lin. 9. canonicatus. *adde* Franciscus Tabolet canonicus Leod abbas erat secularis an. 1681.

Ibid. C. lin. 6. *adde* Johannes abbas Tytinensis, *forte* Tudiniensis 1171. testis in charta Rodulfi episcopi Leod. pro S. Trudone. *Mir. Novæ Editionis, tom. 2. p. 175.*

Ibid. D. lin. 2. sub an. 934. *adde* Johannes-Petrus de Sprimont abbas secularis & canonicus Leodiensis 1681. & 1699.

Col. 952. C. præest, *adde* jam abbas 1716.

Col. 996. B. n. IV. *adde* Vivebat adhuc 1206. & 1213. ex hist. Lossensi, pag. 302.

Col. 997. E. n. VII. Hildegundis, &c. *adde* jam an. 1230. ex Grammaio.

Col. 998. C. n. XIII. de Heinberg, *lege* Heinsberg.

Ibid. n. XIV. *adde* 27. Sept.

Ibid n. XV. *adde* 30. Martii.

Ibid. D. n XVI. *adde* 19. Junii.

Ibid. n. XVII. *adde* 2. Febr.

Ibid. n. XVIII. *adde* 9. Aug.

Ibid. n. XIX. *adde* 10. Jan.

Ibid. n. XX. *adde* 23. Apr.

Col. 1113. *seu* potius 1013. B. ante, *vel* post n. IV. *addendus* Johannes de Bray, de quo vide in septimo Priore majoris Vallis-Scholarium in diœcesi Lingon. Fuit enim Prior Vallis-Scholarium Leodii & doctor in Theologia. Inde vero ad cœnobium S. Catharinæ Parif. reversus est & ibi decessit an. 1304. Sabb. ante festum S Luciæ. Ejus ita meminit necrologium S. Catharinæ: *Anniversarium fratris J. hannis de Braio Prioris de Leodio & magistri in Theologia.*

Col. 1129. *seu* potius 1029. A. n. VII. *adde* Anno 1224. mense Octob quoddam prædium vendit collegio Moguntino S. Stephani.

Col 1107. A. n XLIV. *adde* Adhuc præerat 1606. cognominatus de Santereau, quo anno deputatus erat a provincia Ebredun. ad comitia cleri Gallicani.

Col. 1155. A. lin. ult. II. idus Julias, *al.* IV. idus.

Col. 1228. A lin. 7. 1527. Augusti 27, *adde* Hoc anno 28. Januarii, *seu* 1526. ante Pascha aram principem Altæ-Bruetiæ ord. Fontebrald. consecravit in honorem B. M. S. Johannis-Bapt. & S. Antonii, eodemque die ecclesiam homicidio pollutam reconciliavit, ac cœmeterium, quod est retro sacellum S. Nicolai, benedixit

Col. 1231. E. n. LX. Theodorus, *lege* Franciscus Theodorus ex comitiis cleri Gallicani an. 1685. quibus interfuit, & in margine *Germanus* dele.

Col. 1232. n. LXI. Johannes, &c. *adde* canonicus Regensis.

Col. 1247. n. XLII. *adde* Obiit 1625. ex veteri Gall. Christiana.

Col. 1249. n. XLIX. *adde* Regensis præcentor & civis, defunctus 19. Junii 1720.

Col. 1264. B. lin. 4. 2. *vel* 1. Martii. *al.* XI.

Col 1266. præpositis Senecensibus *addendus* Josephus Dalmas cleri Gallicani procurator generalis an. 1615. adhuc superstes 1625, antiquus cleri synodicus nuncupatus, & præpositus tantum S. Jacobi diœc. Senecensis.

Instrumenta. Col. 76. E. ch. XXXV. Charta..... Tornac *lege* Camerac. & lin. 4 Ego Nicolaus Tornac. *lege* Camerac.

Col. 81. ch. VII. lin. 2. Petro, *lege* Johanni.

MUTATIONES FACTÆ IN CLERO GALLICANO, post editum tomum IV.

COL. 197. C n. CXVIII. *adde* Obiit in sua diœcesi, regiorum ordinum commendator 6. Febr. an. 1731. ætatis 54.

Ei successit nominatione regia Franciscus de Rochebonne huc translatus ab episcopatu Noviomensi 26. Julii 1731.

Col. 219. E. *adde* Annas Ludovicus-Franciscus de la Baume de Suze Regi ab eleemosynis & Lugdun. decanus, nominatur prior Gigniaci mense Junio anno 1730.

Col. 281. B. n. XLVII. *adde* Obiit 1. Febr. 1730. eique successit

Guido Josephus de Maugiron canonicus & comes Lugdunensis, clerique Gallicani syndicus, qui nominatus a Rege 1730. mense Junio abbatiæ possessionem accepit 19. Novemb. ejusdem anni.

Col. 490. C. n. XL. *adde* Obiit in sua diœcesi Senon. die 9. Nov. an. 1730. ætatis circiter 65.

N. d'Autichamp decanus ecclesiæ cathedralis Andegav. successit, nominatus abbas Ungiaci mense Apr. 1731.

Col. 495. C. n. XLI. *adde* Obiit Parisiis 15. Februarii 1729. ætatis 52. simul abbas S. Arnulfi Metensis, Livriaci, & Belli loci in diœcesi Virdun. minister in Hispania, & Christianissimi regis in Polonia & Portugalia legatus.

Antonius-Franciscus de Bliterfvich de Montcley episc. Eduensis obtinuit abbatiam Fontaneti mense Junio 1729.

Col. 507. n. XXXIII. *adde* Transfertur ad abbatiam de Sezane in diœcesi Trecensi mense Maio 1729.

N de Saumery nominatur abbatissa Consolationis mense Julio 1729.

Col. 723. E. n. XLVIII. *adde* Obiit sub initium anni 1731. cui successit

Franciscus du Trousset d'Hericourt senator clericus in parlam. Paris. nominatus abbas ineunte Julio ejusdem anni 1731. simul abbas S. Mich. Tornodor.

Col. 729. B. n. XLVII *adde* Abdicavit & uxorem duxit.

N. de Caudron de Cantin, *al.* Caudrone de Quentin ei successit nominatus 1730. mense Jan. ac 21. Maii 1731, propositus in consistorio D. Papæ.

Col. 837. D. n. XLIII. *adde* Obiit Insulis XI. Februarii 1731. ætatis 81.

N. de Fontenilles major vicarius Ambianensis episcopi, Albæ-ripæ nominatur abbas mense Apr. 1731.

Col. 845. B. abbatibus de Moris *addendus* N. Langlois canonicus ecclesiæ Camerac. nominatus a Rege ineunte Julio 1731.

Col. 960. n. XXXIX. N. Foudras, *lege* frater Alexander-Antonius de Foudras, &c. & *adde* Obiit Parisiis 13. Oct. 1730. ætatis 67.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM IV.

COL. 67. C. lin. 10. quondam *lege* quemdam.

Col. 70. n. LVI. Legimus in schedis Cluniac eleemosynarios Widonis archiepiscopi Lugdun. (hoc est testamenti ejus exsecutores) Aymardo abbati Cluniac. anno VIII. Conradi regis vineam dedisse juxta suburbium Lugdunense: unde sequitur Widonem tunc obiisse, necnon & concilium Trenorchiense, cui Wido præfuit, habitum fuisse longe ante an. 948. Obiisse vero dicitur 7. Octob.

Col. 97. n. LXVI. Hunc Hugonem Gregorius VII. papa lib. 2. epist. n. 59. docet fuisse Viennensis ecclesiæ filium, ex Baluzio; at vero maxime dubitatur utrum fuerit cardinalis, uti nos asserimus. Equidem Albericus in chronico p. 2. pag. 118. episcopum Diensem *tunc in Francia cardinalem* vocat, sed per hanc vocem *cardinalis* nihil aliud intelligendum videtur quam legatus apostolicus.

Col. 195. n. CXVI. lin. 5. commendator *adde* creatus 31. Decemb. 1661.

Col. 196. n. CXVII. lin. 2. cleri Gallicani agens generalis, *dele*.

Col. 207. n. XLIII *adde* Fuit postea episcopus Eduensis, ac postremo Lugdunensis archiepisc. sed primam sedem obtinuisse jam an. 1351. & alteram 1358. videtur perperam dictum.

Col. 212. D. abbatibus S. Irenæi *addendus* Ugo anno 1116. in charta Bernardi Grossi militis Cluniaco dantis mulierem cum filiis & filiabus.

Col. 252. C. n. LXXVI. lin. 2. ab an. 1429. *lege* jam an. 1428. indict. VI. die 26. Junii visitationem Cluniaci aggressus est ex delegatione Martini V. ad ejusdem cœnobii reformationem.

Ibid. n. LXXIX. lin. 2. ad 1465. *lege* ad annum saltem 1466.

Col. 269. n. LX. lin. 3. *Decessit* dele & quæ sequuntur, pro quibus, *lege* nunc est episc. Trecensis & abbas S. Luciani Bellovac. quam abbatiam statim post obitum patrui obtinuit loco Saviniacensis.

Col. 277. n. XXIX. Petrus de Saxo *adde* antea prior de Chintriaco diœcesis Gebennensis, qui Ambroniaci abbas electus, ab Odone Cluniac. abbate licentiam obtinuit acceptandi 30. Martii 1437.

Col. 290. A. n. I. Matheva *adde* an. 1310.

Col. 295. B. ante n. XII. *addendus* videtur Berlio testis in charta Trenorchiensi mense Jan. 1277. ex observationibus Domini Juenin ejusdem ecclesiæ Trenorch. canonici.

Col. 369. n. XLII. D. lin. penult. fit mentio Argrimi e sede Lingonensi a Stephano papa depositi, tum vero in Lugd. a Formoso Stephani successore restaurati, ac postremo irreparabiliter ab eodem Formoso deturbati, & tamen in archiepiscopis Lugdun. nulla ejusdem fit mentio.

Col. 415. D. lin. 6. cum Philippo Audaci *adde* Burgundiæ duce.

Col. 419. n. LXXV. E. lin. 1. 1436. *adde* quo anno memoratur episc. Eduensis 27. Martii, hoc est 1437. secundum novam computandi rationem.

Col. 428. B. in margine, C. XXXVII. col. 74. *lege* ch. LXXVII. col. 124.

Col. 440. n. XXVI. *cardinalis d'Argretville*, legendum videtur *Faiditus d'Aigrefeuille*, episc. Ruthen. ac deinde Avenionensis.

Col. 442. C. ante Antonius *adde* frater Stephanus de Espinacia decanus de Magobrio permutat hunc prioratum pro prioratu de Longo-ponte in diœcesi Paris. cum fratre Guillelmo de Bosco 1418.

Col. 443. B. ante *Philibertus Dugny*, *addendi* Johannes de Balma decanus de Vergiaco, per cujus obitum

Guido de Husiaco antea prior Vallis-Clusæ in diœc. Vesontion. providetur a Roberto Cluniac. abbate apud Constantiam commorante, 27. Apr. 1417.

Antonius de Villafano, *al.* Villasane & Vallasaros decanus de Vergeyo 1434. die 3. Aug. jubetur abbati Cluniac. taxas solvere.

Stephanus de Buxi de Vergiaci decanatu providetur ab Odone Cluniac. abbate, vacante per obitum Antonii de Villafaros, 6. Maii 1439.

Ibid. ante *Claudius* addendus

Johannes Joffredi, *vel* Gaufredi memoratus decanus de Vergeyo 1440. 41. & 43. quo anno, die 20. Jan. taxam sibi 120. librarum Turon. impositam Odoni abbati Clun. solvit.

Col. 445. Prioribus de Paredo *addendus* Raimundus 1324.

Col. 453. B. n. XLVIII. frater Guillelmus de Bosco *adde* antea prior de Ponte-monachorum, tum de Longoponte diœcesis Paris. 1418. ac deinde Megabrensis decanus, tandem fit abbas S. Martini Augustodun. consentiente Roberto Cluniac. abbate 28. Nov. 1420.

Col. 463. C. n. LIX. Guido *adde* G. reperitur jam an. 1436.

Col. 475. C. n. LIII. *adde* Regi ab intimis consiliis, superstes ad an. saltem 1621. quo dictus abbas Vezeliaci ac decanus Autissiod. deputatus fuit a provincia Senon. ad comitia cleri Gallic.

Ibid. E. *Corbiniacum* lin. 3. ad Icaunam fluvium in pago Burgundiæ Morvinensi, *lege* ad fluviolum dictum *Anguison* in pago Nivernensi, semileuca ab Icauna fluvio *l'Ionne*, ac proinde voces *Anguison* & *le Morvan*, in margine *dele*.

Col. 487. C. Priorissis Marciniaci præmittendæ sunt Isabella de Damanse per cujus obitum

Agnes de Rebé providetur a Roberto Cluniac. abbate 25. Octob. 1420.

Col. 532. C. lin. ult. *nec eam dimisit, donec ad Bituricensem cathedram a Rege nominatur.* Id non est accuratum, nam longe antea sedebat Isaac in cathedra Lingon.

Col. 563. D. lin. 6. tertio, *vel* quinto, *lege* pridie nonas Apr. ex necrol. S. Benigni Divion. in hæc verba: *Depositio D. Reynaudi Lingon. episcopi habet præbendam.*

Col. 574. E. n. LVIII. Guillelmus de Sabran expungendus videtur, & ejus loco ponendus Albericus, de quo inter abbates Vezeliacenses col. 469. n. XVII. non tamen quasi revera fuerit episcopus, sed solummodo designatus.

Col. 619. E. lin. 7. cal. Julias *adde* apud Guillimannum in episcopis Argentin. pag. 352. mortuus dicitur episc. Lingon. & administrator Basil. ex Alberto Argentin.

Col. 641. D. lin. penult. in oratorio patrum Recollect. *al.* in sacello castri.

Ibid. E. lin. 5. nonagenarius, *al.* septuagenarius.

Col. 681. B. lin. 2. *IV. idus Febr.* Ita etiam necrologium S. Roberti de Cornilione.

Col. 691. ante n. LXXIX. *addendus* videtur Guillelmus de Berne, cui tunc priori de Mortua-aqua *Mortault* in diœcesi Vesontion Odo Cluniac. abbas dat licentiam consentiendi electioni de se factæ in abbatem S. Benigni Divion. 13. Sept. 1438.

Col. 753. B. ante seriem Præpositorum *adde* Exstat etiam de hac ecclesia Petri-Francisci Chiffletii e Societate Jesu presbyteri dissertatio edita Divione 1657.

Col. 778. D. lin. 3. illux, *lege* illuc.

Col. 820. n XXXVIII. lin. 3. sed forte legendum *dele* Nam revera circa annum 1426. hic Guido cum Johanne Clari-fontis abbate evocatus ad monasterium Mariærodanum memoratur, ut novi abbatis electioni interessent.

Col. 825. B. n. XX. *adde* An. 1628. deputatus fuit a provincia Senonensi ad negotia cleri Gallic.

Col. 845. A. n. XXXII. *adde* jam an. 1635. in comitiis cleri Gallicani.

Col. 862. n. III. lin. 10. Ex quibus, &c. *dele* ut inania & supervacanea, neque enim habita fuit hæc synodus an. 474. sed 374.

Col. 879. n. XXVI. Stacteus *adde* Memoratur an. circiter 928. vide infra col. 1052. lin. 2. in Bernone XXVII. episc. Matiscon.

Col. 884. n. XXXV. lin. 12. anno 3. Lotharii, &c. *dele* phrasim integram.

Col. 888. B. lin. XI. pretio centum, *al.* ducentarum.

Col. 893. E. lin. 1. *illic professus regularis canonicus an. 1152.* Falsum id evincit charta Heraclii Lugdun. archiepiscopi & sedis ap. legati ad Pontium episc. Matiscon. & Galterium Cabilon. in gratiam abbatiæ Trenorchiensis;

tum enim Heraclius non ante annum 1153. electus fuerit archiepisc. neque prius an. 1155. legatus fuerit, adhuc hoc an. 1155. Galterius erat episcopus, ex quibus emendandus articulus sequens.

Col. 897. D. lin. penultima Trenorchiensi cœnobio, *lege* Cabilonensi ecclesiæ.

Col. 930. A. lin. 9. *die 3. Sept. an. 1416.* Id ex veteri Gallia Christiana sumtum est, sed vel hic error & infra litt. B. lin. 5. *Interfuit*, vel in Amedeo de Talaru archiepisc. Lugdun. col. 175.

Col. 936. C. lin. 5. pro sua dignitate fidem ei ostrinxit, *lege* dignitate.... obstrinxit.

Col. 954. B. n. XLIX. Guillelmus, &c. vocatur Claudius in comitiis cleri Gallic. an. 1606. alter ex deputatis Lugdunensis provinciæ.

Col. 959. n. XXIX. Johannes *adde* Ostiensis episc. cui Robertus abbas Cluniac. reliqua debitæ pensionis remittit an. 1418. 19. Dec. propterea quod protectionem ord. Cluniac. suscepisset.

Ibid. E. ante n. XXX. *addendus* videtur Philippus de Vienna prior *seu* administrator S. Marcelli Cabilon. anno 1435. 18. Febr. cum Gaufrido Choleti priore Silviniaci constitutus procurator in curia Romana, quo ipso anno dictus etiam episcopus Lingon. citatur ad solvendam Cluniaco annuam pensionem imperatam.

Col. 960. B. ante n. XXXIV. *addendus* Robertus de Lenoncourt commendatarius perpetuus archisterii S. Remigii Remensis & S. Marcelli Cabilon. cujus vicarius generalis Nicolaus Rolin die 23. Martii 1529. & 1530. Roberto Faultre ordin. S. Benedicti monacho contulit prioratum S. Christophori diœc. Vesontion. vacantem per obitum Stephani Wauthier. Idem Robertus adhuc memoratur prior commend. S. Marcelli an. 1533.

Col. 964. D. n. XL. Johannes de Hallenad *adde* simul abbas Gardi diœc. Ambian.

Col. 965. Duos supplemus abbates, Carolum de Villers episc. Bellovac. qui decessit 26. Junii 1535 ex epitaphio, quod habet in abbatia. B. Mariæ Vallis in diœc. Parisiensi, ubi notandum Gemellos fratres Sammarthanos in episcopis Bellovac. pag. 404. col. 2. *pro S. Petri Cabilon.* posuisse *S. Petri Catalaun.* Alter abbas omissus est cardinalis du Bellay episc. Paris mortuus 1560.

Col. 969. E. n. XXII. Girardus *adde* sedebat jam anno 1176.

Col. 973. A. n. XXXVI. *adde* Memoratur 1329. in schedis Cluniac.

Col. 1019. C. n. LXI. *adde* sedere cœpit in parlamento Burgundiæ tanquam primus senator ejusdem natus die 22. Dec. an. 1728. postquam anno præced. die 9. Nov. in sua Cisterc. ecclesia inauguratus fuisset ab episcopo Cabilon.

Col. 1053. n. XXVIII. *adde* jam an. 936. munificum se præbet erga Aimardum Cluniac. abbatem.

Col. 1059. n. XXXIV. *adde* Pervenit ad an. 36. Roberti regis, ex schedis Cluniac.

Col. 1061. in fine numeri XXXV. *adde* Post hunc voluit Rex Francorum Henricus quemdam, episcopum nominare, de quo sic habet Nicolaus II. papa epist. 1. ad Gervasium archiep. Remensem : *Satis enim mirari potest* (forte, non potest) *si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit* (Rex) *ordinari, Matisconensis episcopus, vult Dominum & S. Petrum offendere ;* tom. IX. concil. col. 1091.

Col. 1069. C. lin. 7. Germanus, *lege* germanus.

Col. 1089. C. n. LVII. lin. 3. ex chartis Trenorchiensibus, *lege* ex regestis urbis Matiscon.

Col. 1091. C. lin. 6. ex chartis Trenorch. *lege* ex regestis urbis Matiscon.

Ibid. D. lin. 6. *ut supra.*

Col. 1092. E. lin. 4. similiter.

Col. 1093. B. lin. XI. similiter.

Col. 1097. B. lin. XI. similiter.

Col. 1106. C. ante n. VI. *addendus* Maimbodus præpositus 933. in charta Bernonis episcopi, cui postea successit.

Col. 1110. B. n. XXX. *adde* & adhuc 1626. & 1628.

Col. 1152. B. lin. 2. *adde* Petrus abbas Cluniacensis, Bertrandus prior S. Martini de Campis & Raimundus prior de Paredo nescio quam pro debitis reciprocis transactionem faciunt an. 1324.

Col. 1166. A. ante n. XXII. *addendus* videtur Warinus, cujus precibus Hubertus Silvanect. episc. ecclesiam S. Samsonis Cluniacensi monasterio confirmat.

Col. 1167. C. ante n. XXXIII. *addendus* videtur Hubertus prior Cluniacensis, qui prioratui de Nantogilo-Hilduini donationem ecclesiæ S. Samsonis diœc. Silvanect. factam a Radulfo Cluniacensi abbate confirmat, ex tabulario hujusce prioratus.

Col. 1169. E. n. LI. *adde* Odo Cluniac. abbas ei contulit prioratum de Nantuaco vacantem per obitum cardinalis Amedei Sabinensis, legati apostolici in partibus Sabaudiæ & aliis, 1451. XI. Jan. ac die seq. Romanum monasterium.

Col. 1172. E. n. LXXIV. *adde* Permutavit paulo post, seu resignavit sub pensionis onere domno Jacobo Maillé monacho Benedictino e congregatione S. Mauri.

Instrum. Col. 36. D. lin. 2. A... atensi, *lege* Mimatensi.
Col. 66. ch. XXXVI. lin. 15. Adiens, *lege* Addens.
Col. 79. ch. XLIII. lin. 22. tempore, *lege* tenore.
Col. 82. B. *dele* quod est in margine.
Col. 143. A. in margine 1040. *lege* 1035.
Col. 192. D. lin. 2. castellanus, *lege* capellanus.

GALLIA


GALLIÆ CHRISTIANÆ
BELGICA QUARTA
PROVINCIA ECCLESIASTICA
MECHLINIENSIS
Continens Diœceses
Mechliniensem Antuerpiensem
Gandavensem Brugensem
Iprensem Ruremundensem
Silvæducensem.
Descripta à J. B. Nolin Geographo.
Septentrio
Occidens
Notæ Sequentes desi
gnantes Ecclesiasticas
Sedem Archiepiscopale
Sedes Episcopales
Sedes olim Episcopale
Abbatias virorum
Abbatias mulierum
Abbatias non amplius
vel loco mutatas
MARE
GERMANICUM
Ostia Scaldis
DIŒCESIS
BRUGENSIS
DIŒCESIS
IPRENSIS
DIŒCESIS
GANDAVENSIS
DIŒCE
MECHLINI
Ostende
Brugæ
Middelburgum
Slusa
Axela
Hulstum
Gandavum
Teneramunda
Dunkerka
Furnum
Dixmuda
Ipra
Rollarium
Donsa
Aldenarda
Curtracum
Menenum
Castellum
Baillolum
Alostum
Bruxellæ
Insula
Tornacum
Condate
Montes
Duacum
Tolenum
Berga
PARS PROVINC
CAMERACENS
Merı


Litteræ Sequentes designant varia nomina Ordinum.
O. S. B. Ordinem S.t Benedicti.
O. Cist. Ordinem Cisterciensem.
O. S.t Aug. Ordinem S.t Augustini.
O. Præ. Ordinem Præmonstratensem.
Br. Ordinem Brigittinorum
Fl. Fluvium vel Flumen.
Scala Leucarum
Leucæ Germanicæ
Leucæ Belgicæ
Leucæ maximæ Gallicæ quæ et Brabanticæ
Milliaria Communia Passuum
PARS PROVINCIÆ ULTRAJECTENSIS
Arnhemium
Neomagum
Bommela
Heusdenum
SILVADUCIS
Shertogenbosch
Boldue
Gravia
Cuyck
Bredanum
DIŒCESIS
DIŒCESIS
Helmonda
Eyndovia
Geldria
Stralena
Vendona
Vachtendoncka
Hochstrata
SILVÆDUCENSIS
Turnhautum
Weerth
RUREMUNDA
RUREMUNDESIS
Erklinia
ANTWERPIA
Herendalium
MECHLINIA
Arschotum
Sichemium
Lovanium
Leuvaen
Tillemont
Trajectum Superius
Maestrich
Tungri
PARS PROVINCIÆ COLONIENSIS
Leodium
Hoya
Namurcum
Leparmantier Sculpsit
Oriens
Meridies



GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA.

PROVINCIA MECHLINIENSIS, Belgica quarta, cujus Metropolis est Mechlinia.

MACHLINIA seu Mechlinia, Belgis olim *Machelen*, hodie *Mechelen*; Germanis *Machel*, Gallis vero *Malines*, Belgii civitas celeberrima, loco plano, agroque fertili, sita ad Thiliam seu Diliam flumen, quod mediam secat & inde horæ unius intervallo in Ruperam vulgo *Ruypel* influit. Ducatus Brabantiæ pars est, a quo, tametsi territorium cum suburbanis pagis divisum habet, comitatus etiam ac dynastiæ peculiaris titulo, aliisque prærogativis ac privilegiis illustre, moribus tamen, natura situque illius veluti cor & umbilicus dici potest, gemmaque pretiosissima annulo Brabantino inserta; æquali autem quatuor leucarum spatio ab Antuerpia, Lovanio & Bruxellis disjungitur.

Maalinas vocat divisio regni Lotharii anno 870. facta inter Ludovicum & Carolum reges. Baldericus vero in chronici Cameracensis libri 2. capite 47. *Maslinas* nuncupat; sed & Anselmus Gemblacensis abbas in chronico memorat congregationem *Malisuensis* ecclesiæ, quæ est in Brabanto. Porro Malinas (quod verbum Belgis maris lineam sonat) veteres dixere majores Oceani æstus, qui a tertia-decima & vicesima-octava Luna incipiunt, & sex diebus & quindecim horis durant, citiores in accessu, tardiores vero in recessu, ab his urbi nomen inditum volunt aliqui, eo quod hîc accessus recessusque maritimi statio sit. Sane ascendens maris æstus in Scaldim, inde per alveum Ruperæ in Diliam marinos fluctus devolvit, quod ad Mechliniam usque accedere, & ultra etiam progredi aiunt. Ut ut est de hac urbis etymologia, quam explodunt alii, exigua admodum fuerunt ejus initia, vix autem oppidi vel municipii appellationem meruisse videtur ante sancti Rumoldi tempora; ad hujus quippe sancti tumulum, cum crebra coruscarent signa populique ad ipsius opem implorandam accurrerent, ex parvis initiis sensim crescere cœpit: seculo autem nono funditus a barbaris late per ea loca grassantibus, ac omnia vastantibus deleta est, at ex ruina sua surrexit postea augustior, a Notgero Leodiensi episcopo amplificata, muris & fossis circumcincta, & ædificiis honestata circa annum 1000. in eam tandem excrevit amplitudinem, quam merito exteri omnes suspiciunt.

Mechlinia pluribus seculis Leodiensi subjacuit ecclesiæ, ejusque episcopis, qui in eam dominium temporale, Caroli Simplicis Francorum regis dono an. 915. obtinuerunt, summoque jure potiti sunt, quamquam & Bertholdica gens ibidem sub advocatiæ titulo aliquando imperitavit, & nonnumquam ejusdem urbis dominium quo jure quave injuria usurpare tentavit, reclamantibus tamen ac renitentibus semper Leodiensis ecclesiæ præsulibus, legitimis ejusdem urbis dominis, a quibus postquam diversis temporibus oppignerata est Mechlinia, tum Johanni II. Brabantiæ duci anno 1300. tum Guillelmo Hanoniæ & Hollandiæ comiti an. 1313. postremo tandem Ludovico Nivernensi Flandriæ comiti divendita fuit ab Adolpho Marcano Leodic. antistite an. 1333. mense Julio, uti liquet ex diplomate relato in supplemento Miræi parte 2. cap. 124. Emtionis itaque titulo, variis cum Brabantiæ duce altercationibus sopitis, eam possederunt Flandrenses comites, ab his autem per

Margaretam Ludovici Malani Flandriæ comitis filiam unicam Philippo Audaci enuptam, Mechlinia in Francicam Burgundiæ ducum transiit familiam, a qua nuptiarum itidem jure ad Austriacam postea devenit, cujus iterum dominio cum reliquis Belgii provinciis accessit an. 1714. inita ad Trajectum Rheni Cæsarem inter & regem Christianissimum, aliosque Europæ principes pace.

Mechliniam elegantem reddunt situs amœnitas, platearum mundities & amplitudo, laxitas viarum, ædiumque concinnitas, & elegantia templorum. Plurimis quoque pontibus lapideis & turri altitudinis stupendæ nondum tamen ad culmen perducta conspicua est: quæ ornamenta pleraque Burgundiæ ducibus ac Belgii principibus accepta refert: sicuti & privilegia, quibus etiam usque ad invidiam vicinarum urbium decorata est ob præstita in obsidione Novesiensi Carolo Burgundo duci officia. Hîc sedes est supremi totius Belgii tribunalis, ad quod lites omnes provinciarum ditionis Austriacæ in Belgio via appellationis devolvuntur ultimo judicio dirimendæ. Hunc senatum primus instituit Philippus Bonus Belgarum princeps an. 1455. senatoresque aulam sequi voluit, quod cum subditis oneri esset, Carolus Pugnax ejus filius sedem hujus senatus fixit Mechliniæ 1473. Verum hæc præclara institutio, cum ipsius vita desiit, sicut & cœptum regali animo sumtuque palatium, donec a Philippo Austriaco Caroli nepote restaurata est curia, anno 1503. paucis in meliorem formam mutatis, & relicto præside uno, consiliariis sexdecim, scribis duobus & secretariis octo cum procuratore principis: pars autem hujus senatus Bruxellas concessit assumto consilii sanctioris aut privati nomine.

Præterea Mechliniæ est prætor urbanus (scultetum vocant) aliquot consules seu *Scabini* (senatores dicunt) & alii magistratus municipales.

Clades autem plurimas perpessa est hæc civitas; anno siquidem 1546. die 7. Augusti ignis e cœlo in turrim pulvere repletam pyrio cecidit tanto ædium & hominum damno, ut horum ducenti necati, sexcenti læsi, illarum trecentæ eversæ, omnes aliquatenus læsæ memorentur.

Anno 1572. capta citra certamen urbe ab Albani ducis exercitu, milites nullo non immanitatis, libidinis & avaritiæ genere toto triduo in ea grassati sunt.

Anno denique 1580. Aprilis die nona Mechliniam præsidio destitutam Norricius Anglorum tribunus, una cum Oliverio Tempelio urbis Bruxellensis præfecto diversis locis adoritur & invadit, eamque nullo sacri profanique discrimine depopulatus est. De quibus omnibus consulendi Pontus Heuterius rerum Austriacarum lib. 12. cap 8. F. Haræus in annal. Brabantinis ad ann. 1572. & 1580. & Famianus Strada de bello Belg. decade 1. lib. 3. pag. 175. & 176. & historia nova archiepiscopatus Mechliniensis, quæ in vulgus prodiit anno 1725. Hagæ comitum opera & studio Cornelii van Gestel pastoris in Westrem comitatus Alostani. Sed de his jam satis, nunc ad ecclesiastica veniamus.

Prima fidei semina beato Lamberto Tungrensi episcopo Mechlinia finitimaque regio debere videntur, nam is Taxandros ac Brabantos ab idolorum cultu ad Christum perduxisse fertur, ab illis populis ea ratione in summa semper veneratione habitus; sanctum quoque Willibrordum Trajectensem episcopum circa Mechliniam, Liram & Antuerpiam verbum Dei disseminasse aiunt, in quorum labores divino nutu introivit beatus Rumoldus, de quo infra dicemus. Is Christianam fidem Mechliniæ & vicinis in locis tanto studio tantoque proventu plantavit, ut Mechliniensium apostolus merito habeatur. Templum qualecumque juxta eandem urbem erexit, in quo, postquam cæsus est a sicariis, sepulturam habuit, quodque ipsius postea nomine nuncupatum est. Huic cœnobium adjunxerat vir sanctus, ubi Deo militantium copias adunavit, quibus & S. Libertum a barbaris deinde interemtum sub se præposuit, uti narrat Theodoricus Trudopolitanus abbas, primus vitæ S. Rumoldi scriptor circa annum 1100. quarto post obitum S. Rumoldi seculo. Everso autem in depopulatione Normannica hoc monasterio, & incolis ejus persecutionem declinantibus & alio confugientibus intacta tamen remansit hujus sancti ecclesia, quo sanctimoniales quædam seu devotæ feminæ ad custodiam sacri corporis deputatæ fuisse dicuntur, inter iteratas sæpius barbarorum incursiones, donec reflorescente decimo seculo hæc ecclesia canonicorum duodecim cum præposito collegio ornata fuisse asseritur a Notgero Leodiensi episcopo, qui eos ibidem sin minus fundavit, saltem restituit ac dotavit, nam & Leodiensibus episcopis in spiritualibus subjacuisse Mechlinia videtur usque ad undecimum seculum, quo Cameracensi diœcesi (incertum quo anno) accenseri cœpit. Porro canonici S. Rumoldi claustraliter in societate victus & vita communi permanserunt ita ut fratres vocarentur, usque ad initium 13. seculi, quo ad exemplum canonicorum Leodiensium privatam vitam ducere cœperunt & elapsis aliquot annis ad ampliorem, quæ nunc visitur basilicam cum beati Rumoldi corpore & toto parœciali jure transierunt circa annum 1227. relicta priori habitatione, quæ patribus Franciscanis cessit: postea, XII. quippe seculo exeunte templum illud, quod nunc metropolitanum est, inchoatum fuerat (uti probabilius censent viri eruditi) arte & amplitudine stupendum, cui promovendo toto XIII. seculo allaboratum est & eo usque perductum, ut anno 1312. solemnis ejusdem consecratio facta fuerit sub invocatione S. Rumoldi, ab episcopo Elenensi Leodiensis antistitis suffraganeo, potestate sibi facta a Petro Cameracensi præsule loci diœcesano, cujus dedicationis instrumenta videsis, impressa inter acta S. Rumoldi, quæ non ita pridem publici juris fecit R. P. Sollerius Societatis Jesu theologus. Hæc subinde collegiata & parœcialis ecclesia diœcesi Cameracensi ademta, in metropolitanam ac primatialem sedem erecta est an. 1559. cui linguæ Teutonicæ metropoli Paulus papa IV. postulante Philippo II. Hispaniarum rege ac Belgarum principe sex novas ejusdem linguæ sedes adscripsit episcopales suffraganeas, Antuerpiensem scilicet & Silvæducensem in Brabantia, Gandensem,

Brugensem & Iprensem in Flandria, & Ruræmundensem in Geldria. Pius vero papa IV. Pauli successor limites hujus archiepiscopatus definivit anno 1560. quinto idus Martii, id est anno 1561. pro hodierno computandi more, pontificatus sui anno secundo, ita ut contineat in Brabantia urbes Lovanium, Bruxellas, Thenas, Leuwas, Diestam, Landinum, Arschotum, Sichenas, Vilvordiam; & in Flandria Gerardimontium, Ninoviam, Alostum & pagos intermedios universim 455. sub undecim decanatibus comprehensos, qui hoc ordine in nova archiepiscopatus Mechliniensis historia recensentur, Mechliniensis, Lovaniensis, Diestemiensis, Leuwensis S. Leonardi, Thenensis, Bruxellensis, Leuwensis S. Petri, Alostanus, Gerardimontensis, Rothnacensis, Oordegemiensis.

Mensæ archiepiscopali dotis nomine unita fuit insignis abbatia SS. apostolorum Petri & Pauli Affligemiensis, ord. S. Benedicti primo lapide ab Alosto, de qua percipit archiepiscopus annuatim, per conventionem deinde initam, omnium bonorum & fructuum medietatem, gaudet insuper antiquæ Rumoldiensis præposituræ fructibus archiepiscopatui annexis, necnon una ejusdem capituli præbenda aliisque bonis in bulla Pii IV. expressis, quam inter instrumenta nostra recudimus. Ch. 13 appendicis, col. 407.

Capitulum nunc constat septemdecim canonicatibus & præbendis ab anno 1643. quo præpositura postliminio suscitata, sedente Jacobo Boonen archiepiscopo, quatuor etiam novi canonicatus antiquis 13. adjecti sunt, inter quos plebanus computatur. Porro ex iis, novem Graduatis (ut vocant) addicti sunt, tres scilicet nobilibus, tres theologis, & tres jurisperitis; dignitates capituli sunt præpositus, decanus, archidiaconus, cantor, archipresbyter & pœnitentiarius: sexaginta insuper inferiores clerici beneficiati in hac ecclesia deserviunt, suntque de gremio chori & fratres hodieque vocantur.

Præter metropolitanum & parœciale S. Rumoldi templum, altera est parœcialis ecclesia B. M. virgini & S. Blasio nuncupata, quam hujus urbis antiquissimam, & a sancto Lamberto Trajectensium episcopo consecratam volunt, quæque anno 1643. in collegiatam decem canonicorum erecta est, fundante collegium illud, & suis opibus dotante D. Disma de Briamont canonico graduato & pœnitentiario metropolitanæ divi Rumoldi ecclesiæ, qui primus fuit ejusdem collegii præpositus, dignitates hujus capituli sunt præpositus & decanus, præpositura autem confertur a patriæ principe decanatus vero pastoratui annexus est.

Sunt & aliæ quatuor in urbe parochiæ nempe S. Johannis, sancti Petri, sanctæ Catharinæ & B. M. virginis Hanswycanæ, quæ parœcia unita est domui canonicorum regularium S. Augustini ord. Vallis-Scholarium, quorum Prior perpetuus pastor est hujus ecclesiæ, eamque curam demandat uni ex dignioribus suis canonicis. Narrat autem chronicon Mechliniense, quod in luctuoso illo schismate duorum pontificum Romanorum Urbani VI. scilicet & Clementis VII. *al.* Roberti Genevensis sub finem seculi XIV. populis tunc in varias partes abeuntibus, Mechlinienses Urbano semper adhæserint, quinetiam Johannes quidam Iswinus cognomine ad S. Petri Mechliniæ pastor, Romæ, anno, ut volunt, 1387. consecratus episcopus, tamdiu pontificalia in suo parochiali templo administraverit, donec compositis rebus, inde Leodium evocatus sit, ubi suffraganei munere ad mortem usque perfunctus est. Ad cœnobia quod spectat, sedes hic habent Franciscani Minores in veteri canonicorum claustro ab anno 1231. quibus locum aut dedit, aut coëmit Walterius IV. Berthout Mechliniæ advocatus. Eremitæ Augustiniani ab anno 1263. Carmelitæ, qui terra sancta ejecti Mechliniam se receperunt an. 1254. ac in suburbio primum & deinde in urbe an. 1303. stabilem locum sunt adepti. Canonici regulares Vallis-Scholarium Leuwis evocati a Guillelmo van-Horen canonico & scholastico S. Rumoldi, & pastore in Muysen & Hanswick extra urbem fundantur an. 1280. *al.* 1288. qui suo dein in tumultibus Belgicis everso monasterio in urbem migrarunt, & an. 1676. insignem basilicam Marianam & novum a fundamentis cœnobium piorum eleemosynis adjuti excitarunt. Alexiani *al.* Cellitæ dicti nullis sacris ordinibus initiati, sed ægrotis serviendis, mente captis curandis, & mortuis terræ mandandis operam impendentes, in urbem recepti fuere an. 1305. Minores Capucini Mechliniæ admissi sunt an. 1599. die 13. Januarii; at primis sedibus mutatis nunc ædes suas habent ad portam Bruxellensem in loco vulgo dicto *Den Gansen Driesch*, quorum ecclesiam Deo sub invocatione S. Francisci consecravit Jacobus Boonen archiepisc. Mechlin. an. 1637. Patres Societatis Jesu Mechliniam venere an. 1611. quibus Albertus & Isabella Belgii principes regiam domum in hac urbe cesserunt: eorum autem ecclesia an. 1669. inchoata, solemniter dedicata fuit an. 1676. porro collegium eidem societati magnificum, ære suo construi fecit Andreas Cruesen hujus urbis archipræsul an. 1664.

Dominicani Silvaducis profugi, capta urbe a fœderatis Belgii ordinibus an. 1629. postquam non uno manserunt loco, in majoratu Silvaducensi, tum Bredæ, postea Venlonæ, tandem Mechliniæ substiterunt an. 1651. & anno sequenti annuente Philippo IV. Hispaniarum rege Catholico hic stabiliuntur, conventumque amplissimum adornare cœperunt: anno autem 1720. die 10. Junii novæ ecclesiæ fundamenta posuerunt.

Patres Oratorii D. Jesu instituti Petri Berullii S. R. E. cardinalis e Gallia accersiti a Jacobo Boonen archipræsule sedes hic obtinuerunt an. 1630. quibus publicum gymnasium commissum est ad juventutem huc undique confluentem bonis moribus & litteris humanioribus imbuendam. In basilica D. Rumoldi (cujus ipsi gremio incorporati sunt) variis sacris functionibus intendunt & cura pastoralis ecclesiæ S. Johannis in eadem urbe ipsis attributa est circa an. 1640.

Carmelitæ quoque Excalceati Mechliniæ admissi fuere an. 1650. & piorum oblationibus adjuti

ædes amplissimas & ecclesiam insignem excitarunt Carthusiani Angli e patria ob fidem Catholicam extorres an. 1592. mari transmisso in Belgium appulsi Mechliniæ post varias diversis in locis mansiones recepti sunt, ubi usque ad annum 1626. impensis Regis Catholici in domo privata se continuerunt, donec Neopertum in Flandriam concesserunt, ibique sedes suas fixerunt.

Mechliniæ præterea exstat præceptoria equitum ordinis Teutonici, vulgo domus Pitzemburgica a Bertholdicæ stirpis proceribus fundata an. 1198. in qua plurimi hujus ordinis presbyteri & equites Divina officia peragebant ante turbas Belgicas seculi XVI. at eorum numero sensim imminuto omnes hujus domus opes ac piorum donationes nunc ab uno commendatore possidentur, & unicus in ea presbyter sacris operatur, gaudetque jure parœciali. Porro hæc præceptoria subjicitur magno commendatori de Confluentia (Teutonice Coblens) juxta Treviros, & ab eo commendatorem subalternum ex Germanica nobilitate accipit.

Seminarium archiepiscopale erexit Mathias Hovius archipræsul, in domo quæ fuerat antea Fratrum in communi viventium seu pauperum scholarium a Johanne Standonck Mechliniensi Parisiensis academiæ doctore theologo fundata an. 1490. quæque cum foret deserta in seminarium conversa est exeunte seculo XVI. quod exinde ita opum ac ædificiorum magnitudine excrevit, ut præcipuum & primarium totius Belgii esse censeatur. Inter feminei sexus cœnobia dignitate eminet præpositura Vallis-liliorum vernacule *Liliendael* ordin. Præmonstr. quæ anno 1231. in pago de Hombeke agri Mechliniensis ab ejus loci parocho sumsit exordium, & cujus fundationem diplomate suo confirmavit an. 1233. Godefridus episc. Camerac. Hæ moniales, everso earum monasterio, anno 1580. in urbem se receperunt, ubi coëmta domo an. 1592. novum exstruxere cœnobium. Has sequuntur virgines Victorinæ Læti-montis seu Montis-Syon vernacule *Blydenbergh*, quæ anno 1113. ritus & instituta canonicorum S. Victoris Parisiensis amplexæ aliquot seculis secutæ sunt, donec an. 1481. claustro suo inclusæ sub regimine prioris Viridis-vallis habitum & regulam communem B. Augustini resumserunt, nunc autem subsunt archiepiscopi jurisdictioni ex quo in urbem admissæ, sedem ibi fixerunt.

Bethania, prioratus 12. virginum canonicarum sub ejusdem S. Augustini regula viventium fundatus a Maria domini Bergarum ad Zomam filia an. 1422. juxta ejusdem oppidi muros in curia sua de *Peterssem*: hæ Mechliniam quoque translatæ priori cœnobio in cineres redacto, domum & fundum coëmerunt, eaque ad usus suos accommodarunt.

Thabor, alter canonicarum S. Augustini prioratus initia sua refert ad annum 1451. quo fundavit eum Johannes Pupper sacerdos Gochensis in Clivia pro octo virginibus Deo se mancipaturis. Quæ primo extra urbis mœnia collocatæ, intra postea receptæ, aliam ubi nunc agunt domum an. 1567. sibi pretio compararunt.

Muysen ord. Cisterc. parthenon nomen traxit a pago Muysen agri Mechliniensis, originem vero a quatuor inibi reclusis, quæ anno 1380. sub S. Francisci regula primo militarunt, inde ordini S. Benedicti sub S. Bavonis Gandensis abbate nomen dederunt, postremo Cisterciensium instituta, Gerardi de Zipa abbatis Bodeloensis opera, amplexæ, eidem ordini insertæ fuerunt an. 1387. & an. 1586. Mechliniam translatæ ibidem stabilitæ sunt.

Clarissæ pauperes S. Francisci primævam regulam sequentes, in urbe fundantur decimo-quinto seculo procedente.

Clarissæ divites Urbanistæ Silvaducis profugæ in urbem admissæ an. 1654.

Leprosariæ virgines curandis lepra infectis operam dantes fundantur sub annum 1209. deinde dotatæ decennio post, quibus an. 1311. Petrus Cameracensis episcopus velum religionis & statuta quædam præscripsit: hæ quoque combusto earum cœnobio an. 1678. in urbem sese receperunt.

Sorores Nigræ a vestibus atri coloris nomen habentes, & sub regula S. Augustini viventes ægris & contagio laborantibus inserviunt, hic institutæ an. 1465.

Virgines nosocomii beatæ Mariæ titulo S. Elisabethæ Mechliniæ stabiliuntur anno circiter 1200. fundum donante Alberto Cuyckio Leodiensi episcopo.

Carmelitanæ instituti S. Theresiæ e Gallia in Belgium accitæ ab Alberto & Isabella Belgii principibus Mechliniæ fundantur an. 1616. alibi etiam eodem seculo propagatæ Ursulanæ quoque in urbem admissæ sunt an. 1680.

Exstat præterea in eadem urbe Beguinasium duplex, aliud majus, alterum vero minus sub titulo B. Mariæ Magdalenæ: Beguinæ autem virgines sunt cœlibem quidem at liberam & nullis adstrictam votis vitam agentes, quarum primordia referunt ad annum 1207. seculo decimo-tertio ineunte. Hæ Mechliniam circa hæc tempora migrantes aliquandiu in urbe resederunt, donec crescente in immensum earum numero, pars earum, quasi examen apum, extra urbem missa ædes adornare cœpit eo successu ut habitatio earum multis certaret cum oppidulis, muro includeretur lateritio, numerusque virginum aliquot millia ascenderet; exusto tandem in turbis Belgicis hoc parthenone, in urbem regressæ Beguinæ habitacula sibi exstruxerunt haud angustiore loco, & anno 1629. magnificum templum excitarunt.

Pars vero, quæ in urbe remanserat initium dedit an. 1290. minori Beguinasio, quod situm est prope ecclesiam parœcialem S. Catharinæ, cujus parocho in hodiernum usque diem subest.

Nosocomia seu xenodochia majora sunt Christiparæ ultra Diliam, Apostolorum principis, beatæ Catharinæ virginis, D. Gildonis, S. Spiritus, Oliveti, Hispanicum a Philippo II. rege institutum & magnifice dotatum.

In diœcesi numerantur viginti sex utriusque sexus abbatiæ, de quibus more nostro seorsim agemus, quatuordecim canonicorum secularium collegia, & 177. sacræ variorum ordinum & utriusque sexus familiæ.

De archiepiscopis Mechliniensibus scripsere Sanderus, Raissius, Gazetus & alii, ex quibus itemque nova Mechliniensis archiepiscopatus historia nostram hanc archipræsulum seriem mutuati sumus; sed prius aliquid de sancto Rumoldo prælibare visum est, quem tanquam urbis suæ patronum, tutelarem ac protectorem eximium, suumque & circumpositæ regionis apostolum Mechlinienses venerantur.

R. Pater Sollerius doctissimus Societatis Jesu Theologus in actis S. Rumoldi, quæ collegit, digessit & illustravit, missis his, quæ de regiis sancti hujus natalibus necnon archiepiscopatu ejus Dublinensi in Hibernia obscurissima & nimis incerta traditio in vulgus invexit, in ea est opinione, quam probabiliorem censet, ut credat beatum Rumoldum ex illis viris apostolicis fuisse unum, qui ex insulis Britannicis, octavo seculo, in Galliam, Germaniam & Belgium appulsi, verbum Dei circumquaque disseminarunt a sancto Willibrordo episcopi consecrati, teste Beda, lib. 5. cap. 12. historiæ Anglorum, qui cum narrasset ejusdem S. Willibrordi gesta in conversione Frisonum aliorumque Belgarum subjungit: *Nam non multo post alios quoque illis regionibus ipse constituit antistites, ex eorum numero fratrum, qui vel secum, vel post se illo ad prædicandum venerant ex quibus aliquanti jam dormierunt in Domino.* Ea hypothesi præmissa, perquam verisimile illi videtur B. Rumoldum in Anglosaxonia natum vitam monasticam duxisse in Maglonensi Hiberniæ monasterio, ubi audito, quem sanctus Willibrordus in conversione Belgarum impenderat, glorioso labore, zelo animarum accensus, trans mare in Belgium venerit; atque ut omnibus inde trajicientibus in usu erat, Romam ad apostolorum limina venerabunde peregrinatus, redierit in Belgium episcopus consecratus (a Romano pontifice an ab alio incertum) ut prædicationem evangelii, quam S. Willibrordus circa Mechliniam, Lyram, Antuerpiam inchoaverat, prosequeretur, exstructisque ecclesiis & ordinatis presbyteris, firmam stabilemque redderet earum gentium conversionem: qui postea multis pro gloria Dei perfunctus laboribus & miraculis illustris gloriose occubuit, a duobus sicariis comitibus quondam suis impie occisus an. 775. Baronius in annalibus ad hunc annum num. 11. hæc habet: *Hoc eodem anno martyrio coronatur apud Machliniam in Belgio sanctus Rumoldus apostolicus vir genere Hibernus, qui Romam petens & a Pontifice apostolatus munere initiatus, Machliniam veniens, illic evangelium prædicavit, populumque illum ad Christum convertit; cumque Dei verbo & egregio virtutum exemplo, atque miraculis ex novis palmitibus illam plantasset ecclesiam, eandem fuso sanguine irrigavit.* Sacræ ejus exuviæ in pretiosissima lipsanotheca reconditæ quiescunt in ara magnifica, quam exstruxit Andreas Cruesen archiepisc. Mechlin. an. 1665. Ejus festa dies agitur 1. Julii, translatio vero sacrarum ejus reliquiarum 18. Octobris olim celebrabatur, in sequentem diem nunc dilata propter occurrentem S. Lucæ festivitatem, relationis vero earumdem festum colitur mensis Nov. die 3.

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSES.

PERRENOT DE GRANVELLE.

ANNI CHRISTI

I. ANTONIUS.

De Antonii parentibus & patria jam diximus in Atrebatensibus episcopis. Ille autem cum ab adolescentia bonis studiis egregie imbutus litteras in plerisque Europæ academiis didicisset, canonicus primum Vesontionensis, tum archidiaconus ejusdem ecclesiæ & major cantor creatur, ac facile sub disciplina patris, qui magnus imperatoris Caroli V. scrinii magister ejusdemque arcanorum omnium conscius & transactor fuerat, solertiam rerum agendarum adeptus, eidem in munere feliciter successit: summis honoribus sub Carolo V. primum, deinde Philippo II. Hispaniarum rege in Belgio, aula Romana, regno Neapolitano, Hispaniaque perfunctus. His ergo meritis Atrebatensem cathedram (uti jam diximus superiori tomo) obtinuit adhuc juvenis, annos scilicet viginti duos natus, indeque una cum patre Nicolao ad concilium Tridentinum Cæsareæ majestatis nomine se conferens, coram patribus luculenter peroravit, plurimasque in Galliis & majori Britannia legationes obivit. Adfuit præ- A sertim an. 1544. celebri illi apud Caletum conventui, in quo de pace inter principes actum est: erat quippe tunc temporis inter supremos imperii Belgiique consiliarios adscitus a Cæsare, quo imperium abdicante, transiit ad Philippum II. Caroli filium & Hispaniæ regem, cum perhonorifica testificatione meritorum, unum esse Antonium Granvellanum, cujus opera uti filium in summis quibusque rebus exoptaret; arcanorum proinde omnium atque adeo favoris & gratiæ heres instituitur, utque erat ingenio facili, illico in mores Hispani principis immigravit: ita ut toto eo tempore, quo substitit in Belgio, nihil ferme sancitum cum Regibus & populis vicinis, nisi administro & interprete Granvellano; quin & e Belgio Philippus abiens in Hispaniam, ipsum Margaretæ sorori Parmensi ducissæ Belgarumque gubernatrici præcipuum dedit regiminis administrum & adjutorem, quo potissimum his turbulentissimis temporibus stetit apud eam gentem res catholica, simulque renuntiatus est primus

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

Machliniensium archiepiscopus & antistitum Belgicorum caput, in novorum episcopatuum erectione, quam industria sua promoverat, in quam
1561. metropolim anno 1561. 21. Decembris magna solemnitate introductus, optimis legibus ornavit, ritus ecclesiæ Atrebatensis moresque in eam induxit, cumque variis reipublicæ negotiis foret distentus, hanc ut plurimum absens gubernavit, instituto, qui sui vices in spiritualibus ageret, vicario generali Maximiliano Morillon Ariensi præposito, quem postea ad Tornacensem cathedram evectum diximus. Ad hos insuper honores accessit cardinalitia dignitas, qua a Pio IV. decoratus est 4. cal. Martii anni 1561. presbyter card. tituli S. Bartholomæi in Insula, mox S. Silvestri absens creatus; quæ purpura, multorum procerum summam inde Regis in ipsum benevolentiam interpretantium, invidiam conciliavit, multique propterea per Belgium in cardinalem turbas civerunt: at quem prospera non extulerat fortuna, nec adversa prostravit, imperterrito quippe vir animo omnes æmulorum minas facile contemsit, donec apud ipsam gubernatricem odio laborans, sive quod illa hominem pertæsa quasi moderatorem sibi adjunctum, sive quod odii, quo is insanabili premebatur, afflari se contagione videret, e Belgio in Hispaniam evocatus, arcanis consiliis adhibetur, ac postmodum in Burgundiam patriam a Rege Catholico missus, hinc Romam ad comitia pro electione novi pontificis (is fuit Pius V.) profectus est a quo transfertur ad titulum cardinalitium S. Priscæ, tum S. Anastasiæ, mox S. Petri ad vincula presbyter card. tituli Eudoxiæ constituitur.

Porro ipso extra diœcesim agente, bina provinciæ Mechlin. habita sunt concilia, quibus Granvellani vice præsedit Martinus Rithovius Iprensis antistes, præsulum antiquior, qui primum Mechliniæ indixit 11. Junii anni 1570. illudque 14. Julii feliciter absolvit, cujus canones & decreta 15. ejusdem mensis publicata, anno sequenti typis Plantinianis excusa sunt. Alterum Lovanii celebratum est ab iisdem patribus in collegio Sabaudiæ an. 1574. mense Maio, ejusque acta nuper in lucem prodiere opera Martennii nostri t. IV. thesauri novi Anecdotor. an. 1717.

Jam autem ab an. 1570. delectus fuerat a rege Philippo Granvellanus, qui de sacro principum contra Turcas fœdere tractaret apud summum pontificem, simulque regni Neapolitani prorex renuntiatus, an. 1571. Johanni Austriaco vexillum sceptrumque insignia militaris imperii missa a Pio V. tradidit.

Gregorio XIII. papa sedente; quem Pio V. sufficiendum curaverat, relicto Eudoxiæ titulo, S. Mariæ trans Tyberim titulum assumsit, tandemque cardin. episcopus Sabinensis declaratur: nonnihil tamen novi pontificis animum offendit dum adversus arch. Neapolitani jura impotentius se tulit, qua sedata controversia an. 1575. Romam rediit, deposita regni administratione, quam summa quidem laude gesserat, minori tamen pudicitiæ cura, quam senem episcopum, sacrâque purpurâ decoratum condecebat, inde post triennium accitus, concilio rerum Italicarum iterum præpositus in Hispania summa cum auctoritate, totius dehinc regni clavum tenuit, dum ipse Philippus rex ad capescendum Lusitaniæ regnum profectus est, qui postea Madritum rediens, ingentique omnium ordinum frequentia ac plausu exceptus, in eo tanquam triumpho Granvellanum sinistro lateri adequitantem habere voluit.

Abdicato interim Mechliniensi archiepiscopatu anno circiter 1582. quod diutius ab hac ecclesia 1582.
abesset, gravissimis alibi curis occupatus, ad Vesontionensem nihilominus metropolim in patria eligitur a capitulo an. 1584. 25. Junii quam tamen non nisi per vicarios generales rexit ad biennium, a rege quippe Catholico in Hispania detentus & ad splendidissima quæque munia adhiberi solitus, Catharinam Philippi regis filiam natu majorem cum Carolo Emmanuele Sabaudiæ duce apud Cæsaraugustam matrimonio junxit, unde Madritum redux in morbum incidit, ex quo sensim contabuit, cumque languor ingravesceret Philippus rex litteris propria manu exaratis consolatus est eum, quas moribundus senex exosculatus perlegit amplissimisque Regi gratiis actis, fratris filios domesticosque suos ipsi commendavit, ac tandem septimo postquam ægrotare cœperat mense ibidem in fata concessit septuagenarius an. 1586. XI. cal. Oct. in festo S. Matthæi eo ipso die, quo Carolus V. ante duodetriginta annos obierat. Corpus ejus Vesontionem illatum, sicuti testamento caverat, juxta patris ossa quiescit apud Carmelitas. *Vir eo maxime nomine familiaribus & continuis principum observandus*, uti scribit Famianus Strada eloquens historicus decade prima de bello Belgico, lib. IV. pag. 141. *quod absque adulationis tormento quadraginta circiter annos incorrupta fide arcem obtinuerit principalis aulæ: ex eaque semel ejectus, ab eo casu tanquam a quiete, repetito ad favorem cursu longius quam antea processerit, nactus principem, apud quem libertatem & gratiam rara felicitate ad extremum usque tenere licuerit*, & lib. 2. pag. 69. *Multis æquavit patrem, multis superavit, ingenii celeritate, fatigatis interdum quinque simul amanuensibus, instar Cæsaris, & quidem variis linguis epistolas dictando, (nam callebat linguas omnino septem) sed in primis facundia in qua nemini concessisse dicitur illa ætate.*

Hujus cardin. diffuse meminerunt permulti historici, Paulus Jovius lib. 45. hist. sui temporis, Jacobus Augustus Thuanus lib. 84. qui virum rara eruditione, linguarum multarum peritia, facundia non fucata, longo rerum maximarum, quas tota vita administravit usu clarum celebrat; Petrus Bembus lib. 6. epistol. Chiffletius in historia Bisuntina, Ughellus in episcopis Sabinensibus. Petramellarius, Nomenclator cardinalium, Justus Lipsius academiæ Bisuntinæ a Granvellano restauratæ alumnus, Antonius Delrio. Fulvius Ursinus, Nicolaus Ellebodius Pignius, Johannnes Molanus, Franciscus Suvertius, Sanderus, Johannes Bapt. Saccus, qui mortuo oratione funebri parentavit, & Aubertus Miræus in elogiis Belgicis.

ANNI CHRISTI

De illo adhuc sermo recurret in archiepiscopis A Vesontionensibus. Symbolum ei fuit DURATE, ad quod alludens Johannes Metellus hoc eum dialogismo sub assumtis hospitis & aulici personis celebravit.

HOSPES — AULICUS

H. *Quis cubat hic modica magnus tellure sepultus?*
A. *Grandia cui celsos vela dabant titulos*
H. *Cur pelagus vitæ sulcans, Durate secundis*
Inquit A. *ut quondam nomina parta cadant.*
Clara illi imperio Caroli, regnoque Philippi,
Quorum consiliis præfuit arte potens.
H. *Ergo manu clavum strinxit! navimque gubernans* B
Duravit fatis! A. *insuperabilibus.*
H. *At ne diu!* A. *decies septenos vixit in annos*
Sequanicique fuit gloria prima soli.
H. *Quo capitur portu!* A. *cunctis qui meta laborum,*
Seu pueri, juvenes, bis puerive senes.
H. *Suffice, Rex, talem, dubiis qui duret in undis,*
Quas fera, Rex, sacris gens ciet atque tibi.

Forma corporis fuit heroica & procera; summa morum facilitate singularique liberalitate præditus; valetudine gaudebat perquam secunda ac robusta, dicere solitus se numquam podagræ doloribus, calculo, herniæ & id genus morbis quoad C vixit fuisse obnoxium. Ingenio fuit acri & perspicaci, & nonnihil quidem ad iracundiam pronior, erga litteratos & eruditos munificentissimus, cujus rei etiam testis est Vesontionensis academia ab ipso restaurata, ubi & Gymnasium instituit doctissimis viris illuc evocatis; ita omnibus gratus ut ejus imago a sexcentis artificibus, penicillo aut scalpro, gypso, materiave quaque fusili ad vivum fuerit expressa. Habuit hic cardinalis cum hanc archiepisc. sedem occuparet, Pipinum Rosam theologum doctorem professione Dominicanum dignitate Salubriensem episcopum, qui sui vices in pontificalibus egit, eoque Mechliniæ D exstincto 7. Augusti an. 1569. altero usus est Gilberto scilicet Vroedio Dunckercano sacræ Theolog. licentiato Lovaniensis academiæ, sub eodem Salubriensis antistitis titulo, qui vita excessit circa annum 1582.

HAUCHIN.

II. JOHANNES.

Antonio, uti jam diximus, extra Belgium agenti & archiepiscopatum abdicanti suffectus est nono calendas Februarii anni 1582. Johannes Hauchinus patria Gerardimontensis, parentibus probitate & vera religione conspicuis ortus, ac primis quidem litterarum studiis absolutis, & E theologicis imbutus, gradum licentiæ (ut vocant) in nascente Duacensi academia assequitur, tum Guillelmo Nassavio Arausicano principi ab eleemosynis, inde canonicus S. Gudulæ Bruxellensis, ac postea ejusdem ecclesiæ decanus fuit necnon officialis Bruxellis, quem hæretici aliique seditiosi viri post acrem de venerabili Eucharistiæ sacramento disputationem, in qua ipsos egregie convicit ac confutavit, in vincula conjectum anno superiori trium spatio mensium tenuerant.

Vir fuit comis & mansuetus, summis & imis ob innatam morum suavitatem acceptissimus. Consecratur Tornaci ab hujus urbis antistite Maximiliano Morillon die 30. Octobris an. 1583. cui assistebant Remigius Druitius Brugensis & Franciscus Wallon-capelle Namurcensis episcopi. Primis annis, quibus huic sedi præfuit, incredibiles calamitates hæc diœcesis perpessa est, omnia enim loca præter Lovanium, ab hostibus religionis infestata & occupata fuerunt, adeo ut multis annis clerus sedibus suis ejectus multis in locis exulaverit, ipseque archipræsul Lovanii plerumque substiterit in abbatia S. Gertrudis mensa communi cum hujus loci abbate contentus, donec an. 1585. Mechlinia, Bruxella & reliquis hujus diœcesis civitatibus Regi Deoque restitutis, ad propria quique regressi sunt: quare ecclesias tam in sua quam Gandavensi & Antuerpiensi diœcesibus ab impiis sacrilegisque hæreticis ubivis profanatas reconciliavit pius pastor afflictas oves blande consolatus, devias & aberrantes ad caulas reducere sategit.

ANNI CHRISTI 1583.

Reliquias S. Rumoldi ab hæreticis conculcatas ac dispersas, & a piis aliquot catholicis collectas, urbe liberata approbavit, debita super earum veritate inquisitione facta, & ab omnibus uti veras honorari præcepit, ac demum eodem anno solemniter ad ecclesiam metropolitanam transtulit; idem præstitit hoc anno 15. Julii Bruxellis in ecclesia S. Gudulæ, urbis primaria, ad quam indicta solemniter supplicatione tres sacras hostias a Judæis olim confixas, quæque ideo in summa fidelium veneratione semper fuerant, & a sexennio, ne ab hereticis violarentur in excavata trabe latebant, ex his latebris extractas pristino loco & honori restituit, assistentibus sibi Grimbergensi, Parchensi & Dilighemensi abbatibus. Pastorale suæ diœceseos magna cura elaboratum, adhibitis etiam doctoribus Lovaniensibus, ac typis Plantinianis editum primus vulgavit an. 1588. Denique post annos sex regiminis summa vigilantia prudentiaque singulari transactos, ad cœlestem patriam migravit 5. Jan. 1589. humatus in sua metropolitana ecclesia, prosa oratione & versibus ornatur. 1589.

DEO OPT. MAX.

Johanni Hauchino archiepiscopo Mechliniensi II. viro incomparabili, qui non subnixus jam obsoletis majorum suorum imaginibus, sed propria virtute, per omnes sacræ militiæ gradus ad archiepiscopatus apicem, favente Numine, erectus, ita se ubique gessit, ut candore, comitate, prudentia, pietate, vivus exactum omnibus exemplum, mortuus sui ingens desiderium reliquerit.

Vixit ann. LXII. in archiepiscopatu VI. obiit anno restauratæ salutis M. D. XXCIX. ipsis nonis Januarii.

NEMO SACRUM TURBET CINEREM.

Qui sua sacra Deo, qui principibus sua jura;
Qui voluit populo commoda salva sua:
Cui sua privatim ratio sic constitit, omnem
Ut fortunam æquo pectore sustulerit:

ANNI CHRISTI

Qui resipiscentes adapertis obvius ulnis
Excepit; cunctis mitis ubique pater:
Condignasque tamen generosus surgit in iras
Sic quoties fieri nempe necesse foret:
Qui prudens, sapiens, pius & candore nivali,
Nullo virtutum non genere emicuit
PræsUL Iohannes iacet hac HaUchInUS In Urna
cetera scIre qUeUnt IpsI etIaM antIpoDes.

Scripsit ejus vitam Johannes Bernartius J. C. & causarum in curia & consistorio Mechliniensi patronus in oratione funebri, habita in exequiis ejus IX. cal. Febr. quæ impressa est Lovanii apud Masium an. 1589.

III. Guillelmus.

Alain.

Qui Hauchino in archiepiscopatu succederet, nominatus est a rege Philippo II. Guillelmus Alanus S. R. E. cardinalis natione Anglus, patria Lancastriensis. Is Oxoniæ primum bonis litteris operam impendit, inde cum plerisque catholicis solum vertere coactus, in Belgium venit, ac Duaci doctoris lauream adeptus, regius ibidem professor constituitur: mox in canonicum Cameracensem, postea Remensem assumtus, omnium primus Anglos sub Elizabetha regina religionis ergo exules, & per universam pene Europam dispersos, Duaci primum, deinde Remis congregavit in unum, & copiosam juventutem sub optimis professoribus ad pietatem & studia erudiri curavit, cui seminario Alanus auctor præfectus est. Catholicam fidem pro aris & focis defendit & ad eam tuendam alios monitis & scriptis excitavit, editis pro temporis necessitate ac vernacula lingua, ut illa facilius ad omnium manus devenirent, variis opusculis de rebus fidei controversis adversus hæreticos: cujus meritorum intuitu, Remis a Sixto papa V. Romam evocatus anno Domini 1587. die septima Aug. presbyter card. tituli S. Martini in Montibus renuntiatur, quam dignitatem dudum a Gregorio XIII. oblatam raro modestiæ exemplo declinaverat; mox inter eos cardinales, qui librorum prohibitorum indici præerant ab eodem cooptatus. A Gregorio XIV. Sixti successore bibliothecarius apostolicus subinde declaratur atque ad reformationem editionis vulgatæ sacrorum bibliorum a Sixto V. inceptam deputatur. Postremo Mechliniensis archi-
1589. episc. designatus, anno, uti conjicimus, 1589. quam tamen dignitatem, seu ipso deprecante, seu ob tumultus Belgicos, (incertum) nunquam obtinuit. Orbata interim pastore mansit hæc ecclesia ad Alani obitum, qui Romæ sexennio post contigit, ubi pro ecclesiæ utilitate detentus, omni virtutum genere & præclaris ingenii doctrinæque monimentis partim Anglice partim Latine conscriptis clarus, mortales reliquit exuvias die 16. Octobris anni 1594. & ibidem in ecclesia sanctissimæ Trinitatis nationis Anglicæ sepultus est cum hoc epitaphio:

Deo Trino et Uno.
Guillelmo Alano Lancastriensi, S. R. E. presbytero cardinali Angliæ, qui extorris a patria, A perfunctus laboribus diuturnis, in orthodoxa religione tuenda; sudoribus multis in seminariis ad salutem patriæ instituendis, fovendis; periculis plurimis, ob ecclesiam Romanam operâ, scriptis, omni corporis animi contentione defensam, hic in ejus gremio scientiæ, pietatis, modestiæ, integritatis fama & exemplo clarus, ac piis omnibus carus occubuit 17. kalend. Novembris anno ætatis 63. salutis humanæ 1594.

Hujus cardin. operum elenchum habes apud Antonium Sanderum, lib. I. de scriptoribus Flandriæ & Ciaconium, tom. 4. ad annum 1585. B col. 174. Illum omnes Catholici istius ævi scriptores summis laudibus celebrarunt, tanquam Christianæ religionis athletam fortissimum, fidei in Anglia clypeum & S. R. E. sacrique collegii singulare ornamentum; inter quos Ant. Possevinus in apparatu sacro, Nicolaus Sanderus & Petrus Ribadeneira de schismate Anglicano, Florimundus Raimundus de ortu, progressu, & occasu hæreseos, Ant. Sanderus in elogiis cardinalium, Aug. Thuanus in historia sui temporis, Henricus spondanus in ecclesiasticis annalibus, & Johan. Pitsæus de illustribus Angliæ scriptoribus.

C IV. Levinus.

Torrentius.

Alanum excepit Levinus Torrentius jamdudum episcopus Antuerpiensis, a Rege Catholico designatus archipræsul Mechliniensis, qui & ipse prius obiit quam a sede apostolica confirmaretur: De quo fusius in episcopis Antuerpiensibus.

V. Matthias.

Vanden Hove ou Hovius.

Ad hujus tandem ecclesiæ gubernacula admotus est Matthias Hovius Mechliniæ natus, parentibus non tam opulentis, quam integri nominis & famæ, ac primum Vormariæ Hollandiæ vico studia litterarum auspicatus est, ubi coævos omnes D & discendi celeritate & ingenii facilitate antecelluit. Cursu dein philosophico Lovanii in domus Standonicæ schola peracto, theologiæ sic incubuit ut licentiæ gradum, studii tempore nondum expleto, calculis omnium meruerit; tum ad S. Petrum in patrio solo pastor vigilantissimus sacrique eloquii præco celeberrimus audivit, quo circiter tempore direptam ab Albani ducis milite Mechliniam vidit & domi forisque cum inopia sibi fuit colluctandum. Nec multo post an. scilicet 1580. urbe ab Anglis occupata ac religione profligata, ipse exulare coactus Leodium secessit & in abbatia D. Jacobi ord. Bened. ejusdem urbis E theologiam aliquandiu professus est, donec anno 1585. Mechliniam remeavit archidiaconatu ecclesiæ metropolitanæ auctus. Johanne autem archipræsule defuncto, vicarius generalis, sede vacante, constituitur, quo munere septennio functus est ea prudentia, ut nihil detrimenti passa sit viduata hæc ecclesia, cujus orbitatem cum unice in votis haberet Rex Catholicus idoneo successore temperare, sublatis e medio jam duobus supra nominatis, sors cecidit super Matthiam, ad cujus rei nuntium, ipse primum attonitus, mox ubi regiæ nominationis testes litteræ fuerunt allatæ, certior

ANNI CHRISTI

certior factus, inter alta suspiria, memorandam A hanc vocem emisit. *Ergone perpetuis ærumnis hoc vitæ stadium erit transeundum, & non nisi cum tremore illud mihi erit emetiendum.* Sciebat enim episcopatum oneris nomen esse non honoris, ipsis etiam beatis spiritibus formidandum, qua quidem dignitate, ut nihil sublimius, nihil excellentius, ita qui ejus fastigium conscenderet, dignior Hovio inventus est nemo: quippe cujus ingenii altitudo, judicii maturitas, consilii profunditas, morum facilitas cum severitate conjuncta, in Deum pietas, erga homines beneficentia, solida denique sacrarum litterarum cognitio rerumque usus, ingentes profecto dotes! ita omnium animos oculosque perstrinxerant, ut jam ante huic culmini destinaretur, quam ipse de eo subeundo cogitaret. Itaque consecratur solemniter anno nonagesimo-sexto supra sesqui-millesimum, decima octava Februarii in sua metropolitana ecclesia a Petro Simons Iprensi episcopo, provinciæ Mechliniensis seniore suffraganeo, cui adfuerunt Petrus Damant Gandav. & Gisbertus Masius Silvæducensis antistites. Archiepiscopus factus, omnium virtutum exemplis latius præluxit, vir reipublicæ bono & ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ natus, in diœcesi lustranda assiduus, collegia canonicorum & monasteria utriusque sexus sibi subdita in meliorem formam restituit, & sanctissimis legibus communivit: innumeras pene ecclesias, cœmeteria, aras dedicavit, benedixit, consecravit, ac iis etiam suam munificentiam impendit. Seminarium archiepiscopale gravi suomet ære a primis fundamentis erexit circa annum 1600. liberalitate sua diu sustentavit, eique moriens dimidiatam bonorum partem reliquit, altera ad officii divini in metropolitana ecclesia decorem augendum destinata. Pastorum fuit amantissimus, maxime archipresbyterorum seu decanorum suæ diœcesis, quibus singulis, etiam in absentia, claves commiserat certorum cubiculorum in propriis ædibus, ut ibi hospitalitatis tessera uterentur, memor illius verbi, quod ait Ambrosius ecclesiæ doctor clarissimus: *Caput cleri antistes est, membra pastores, ubi membra honorantur a capite, honorem accipit caput, & ecclesia novo semper decoratur honore.* Belgii principibus Alberto & Isabellæ acceptissimus fuit, a quibus ut a consilio status ipsorum esset anno 1603. electus est, cumque scirent eum virum intelligentem & acri judicio præditum, nonnisi eo conscio quemquam ad ecclesiasticas dignitates promovebant. Anno 1607. tertiam synodum provincialem Mechliniæ coëgit, in cujus auspiciis luculentam habuit orationem de abusibus cleri & ecclesiæ tollendis, ac biennio post in synodo diœcesana, ejusdem concilii statuta ab apostolica sede confirmata, necnon Belgii principum auctoritate roborata promulgavit. Pastorale ab antecessore jam editum, a se vero auctum recudi curavit: laboribus tandem ac senio fractus vivere desiit Afflighemii, quo ex annua visitatione suæ diœceseos æger diverterat, 30. Maii anno 1620. regiminis sui 25. Ejus exsequias celebravit successor ipsius designatus Jacobus Boonen jam episcopus Gandavensis. Porro ipsi oratione funebri parentarunt, Mechliniæ quidem Jacobus Jansenius sacræ Theologiæ doctor decanus & professor Lovaniensis, Afflighemii vero, ubi cor ipsius cum intestinis quiescit, Laurentius Beyerlinck archipresbyter cathedralis ecclesiæ Antuerpiensis. Corpus Mechliniam delatum in monumento conditum est, quod sibi vivens paraverat: porro mausoleum habet marmoreum a dextris altaris, cum epitaphio:

Raissius.

1596.

1620.

En primus ille Belgii hic splendor jacet
Quem sacra Martis inter & mortis metus,
Variis probatum muniis pietas, huic
(Auspice Philippo) tertium archiepiscopum
Dedit esse cathedræ, deputante Belgicas
Pontifice, turmas regere; consilio intimo
Alberto adesse principe, Matthias Hovius,
Suo hic relicto herede seminario.

VIrtUte fULgens, DesIt AffLIgheMII, tertio kal. Junii anno salutis CIↃ. IↃCXX. *ætatis* LXXVIII. *sacerdotii* LIV. *archiepiscopatus* XXV. Symbolum illi erat, *superat patientia fortem.* Encomium ejus texuit Cornelius a Lapide e Societate Jesu præfatione in epistolas Pauli. Exstat quoque ad ipsum epistola 15. centuriæ quintæ Justi Lipsii Belgæ, Philippi II. Hispaniarum regis historici, eruditione insignis, scriptisque toto orbe notissimi, qui & ipsi Syntagma de Vestalibus dicavit.

VI. Jacobus.

Boonen.

Hovio successit Jacobus Boonen ex cathedra Gandavensi huc traductus. Is Antuerpiæ quidem, nobili tamen apud Bruxellenses prosapia genitus, & Coloniæ postmodum a pia parente vidua educatus, prima litterarum rudimenta sub patrui Engelberti Boonen ad S. Servatii præpositi cura Trajecti posuit: inde Mussiponti amœnioribus disciplinis imbutus, severiores hausit Lovanii, utriusque juris Laurea ibidem donatus. A forensibus postea causis ad sacram militiam conversus, totum se Deo & ecclesiæ mancipavit; ac primum a graduatis metropolitanæ ecclesiæ canonicis ad præbendam vacantem ultro invitatus, mox in officialem curiæ ecclesiasticæ constituitur, judex etiam synodalis a patribus concilii provincialis Mechliniæ congregatis an. 1607. delectus, tum cognita ipsius in agendo industria, & in causis definiendis incorrupta æquitate, inter magni consilii senatores ecclesiasticos, Principe annuente, optatur, hinc ad ecclesiæ metropolitanæ decanatum omnium calculis assumtus anno 1611. *al.* 1612. Gandavensis postea renuntiatur antistes an. 1617. cui ecclesiæ triennio vel circiter præfuit, ac demum Hovio ipsi, qui fabas in horto suo productum iri festive dictitare consueverat, (ad suum *horti*, alterius *fabarum* Belgica nomina alludens) in sede metropolitana subrogatur anno 1620. quam, bulla Pontificia confirmatus, solemniter adivit in vigilia Natalis Domini eodem anno *al.* 1621.

1621.

Vir fuit magno apud summos infimosque pretio, ob eximias, quæ in eo relucebant, virtutes, puritatem virgineam, constantem temperantiam, sed præ ceteris misericordiam in egenos,

ANNI CHRISTI

cujus specimina illustria præbuit, singularem in A domesticis frugalitatem modestiamque observans, ut largiora subsidia in Christi pauperes, in proscriptos ex Anglia aut Hibernia Catholicos, in monasteria, in viduas, in orphanos, in omnis conditionis cives effunderet. Profusam hanc in pauperes liberalitatem usque adeo excrevisse memorant, ut brevi eleemosynarum synopsi omnia complexus encomiastes ejus Godefridus Vreysius sacræ Theologiæ licent. & ejusdem ecclesiæ canonicus ac pœnitentiarius, qui eum pro funere laudavit, septingenta florenorum millia largissima manu distributa testetur; vestes suas manu propria clam colligatas, ne id aliis innotesceret, sæpius B tradidit pauperibus, gemmam quoque ex annulo episcopali detractam, adulterina substituta, cum deessent pecuniæ, vendi curavit, & pretium in eleemosynas convertit. In lustranda diœcesi assiduus, ovium suarum saluti maxime incubuit, aberrantes, aut ab hæreticis seductas ad ecclesiæ gremium revocare sollicitus. Castitatem impense coluit, impudicitiam non minus in se quam in aliis aversatus; quapropter domo in principe urbe Bruxella magnis sumtibus emta, impudicas conclusit mulieres, ut ibi tum suis, tum fidelium eleemosynis ab occasionibus peccatorum remotæ, degerent, & in se reversæ prævaricatrices redirent ad cor. C Disciplinam ecclesiasticam ad concilii Tridentini mentem pastorali sollicitudine promovit, regulis promulgatis ad confessionis sacramentum rite obeundum, & verbum Dei cum fructu prædicandum, quæ adeo utiles, adeo tersæ sunt, ut plures comprovinciales antistites, imo extra provinciam easdem de verbo ad verbum secuti suis observandas mandarint. In sacrorum ordinum collatione vel approbandis ad conciones aut fidelium confessiones excipiendas juste severus fuit. Interfuit an. 1621. exsequiis Alberti archiducis ac Belgii principis.

1622. Anno autem 1622. sexto idus Novembris, D pio multorum desiderio annuens, venerabilis Johannis Rusbrochii, qui an. 1381. in cœnobio Vallis-Viridis altero a Bruxella lapide sanctitate ac doctrina celebris ibidem primus prior decesserat, ossa e terra levavit, magna populi circumstante frequentia, ac digniori loco reposuit.

Porro accivit e Gallia presbyteros Oratorii D. J. ac inter alios Franciscum Bourgoing totius congregationis postea præpositum generalem, qui clericorum moribus ad pietatem informandis operam darent. Hi prima Lovanii Oratorii fundamenta posuerunt an. 1626. Mechliniam advocati anno 1629. inde Bruxellas venere anno E 1633. quo ex loco per varias Belgii civitates, procurante eodem archiepiscopo, magno cum animarum fructu congregatio Oratorii D. J. feliciter propagata est.

Eodem anno calend. Novembris serenissimæ Isabellæ Belgii principis constitutus est testamenti exsecutor una cum Antonio Triestio Gandavensium præsule; paucis autem abhinc retro annis ob eximiam Regi Catholico fidem probatam & ingentes pecuniarum summas in publicis patriæ necessitatibus impensas, bona etiam patrimonialia non semel, ut eidem patriæ subveniret, obligata, in sanctius consilium adscitus fuerat, ac primo post obitum ejusdem principis Isabellæ, deinde, defuncto Ferdinando cardinali, Hispaniarum infante, Belgii moderatore, gubernationi provinciarum politicæ cum paucis aliis proceribus utiliter admotus fuit.

Anno 1631. sacras divi Rumoldi martyris 1631. reliquias in insigni ac nova lipsanotheca argentea miro artificio elaborata, solemni ritu recondidit. Anno autem 1645. cœtum habuit episcoporum 1645. suæ provinciæ, in quo plura saluberrime decreta sunt. Porro damnavit vir zelo plenus & disciplinæ monasticæ studiosus commentarium Johannis Caramuelis Dunensis monachi in regulam S. Benedicti, disquisitiones vero monasticas in eamdem regulam Benedicti Hæftenii Afflighemiensis abbatiæ suæ præpositi sibi nuncupatas benigne suscepit: nec prætermittendum quod sub ipsius regimine ac auspiciis idem Hæftenius cum aliis undecim sociis primitivum ejusdem regulæ institutum ac strictiorem observationem haud ita pridem in congregatione SS. Vitoni & Hidulphi Benedictina excitatam amplexus fuerit, & expleto unius anni tirocinio solemnem professionem emiserit 18. Octobris in festo S. Lucæ an. 1626. duobus abbatibus S. Dionysii prope Montes & S. Adriani apud Gerardimontenses ibidem præsentibus & laudantibus.

Moriens nihil consanguineis præter bona patrimonialia reliquit. Instructissima bibliotheca successoribus legata, cetera egenis distribui mandavit. Denique annis & meritis gravis placide obdormivit in Domino Bruxellis in palatio archiepiscopali die 30. Junii an. 1655. ætatis suæ 1655. 82. antistitum Belgii decanus. Corpus ejus tumulo illatum est in metropolitana ecclesia, cujus obitus annum & diem sic aliquis disticho expressit.

AbCessIt IUnII ter Dena LUCe IaCobUs
PatrIæ atLas, CUIUIs regULa, LUX fIDeI.

Symbolum ipsi erat *vince in bona.*

VII. Andreas.

Creusen & Cruesen.

E sede Ruremundensi ad hanc metropolitanam ecclesiam translatus est anno 1656. nominatione regia & auctoritate pontificia Andreas Cruesen, de cujus patria, educatione, variisque, quibus functus est, muneribus sermo erit in Ruremundensibus episcopis. In hujus cathedræ possessionem inducitur 26. Julii an. 1657. eo 1657. cleri & populi applausu, quo ante ipsum nemo, quem mox a Rege Catholico in suum *status* (quod vocant) consilium adlectum, Brabantiæ ordines ceterique proceres tanquam caput venerati sunt. An. 1660. 20. Nov. & 1661. 30. Jan. solemnes Deo supplicationes indixit in gratiarum actionem pro pace inter Angliæ & Hispaniæ Reges inita; ex chartis biblioth. Colbert. Quamdiu valetudo permisit, parœcias diœcesis suæ per se visitavit, ecclesiamque suam prudentissime rexit, orthodoxæ fidei, sedisque apostolicæ auctoritatis, necnon jurisdictionis ecclesiasticæ strenuus

ANNI CHRISTI

defensor. Regis Catholici obsequiis ita devinctus A fuit, ut ne supellectili quidem domesticæ suæ pepercerit, ut urbi Cameraco periclitanti subveniret; auxilia etiam publice poscens, quidquid ex redditibus ecclesiasticis supererat in usus reipublicæ dispertiebat, singulari parcimonia se suosque sustentans, liberalitatem & magnificentiam publico servabat. Sacræ Eucharistiæ religionem verbo & facto auxit, non passus nisi magna reverentia publice deferri. Viros doctos & pios honore & amore prosecutus est. In metropolitana ecclesia principem aram D. O. M. ejusque ecclesiæ patrono Divo Rumoldo martyri proprio erexit ære, munificentia maxima ex marmore Asiatico tanta B mole, quanto splendore conspicuam: non minus etiam beneficus fuit *Societati Jesu* Mechliniæ, cui magnificum & quale vix in Belgio videre est exstruxit collegium, Bruxellæ eidem Societati propriis sumtibus splendidam excitavit sacristiam S. Francisco Xaverio sacram.

Denique liberalitatem suam ut vivus sic moriens commendavit testamenti tabulis, quibus ecclesiasticos pauperesque Mechlinienses scripsit heredes: & hæ quidem virtutes, cum ad perfectam fidem, spem firmam, caritatemque consummatam accessissent, rara prorsus coronavit illas patientia, quæ in calculi doloribus perferendis & C in hujus sectione vesicæ exulceratione, & incredibili ad singula fere momenta cruciatu, maxime enituit. Rebus humanis eximitur 8. Novembris
1666. anni 1666. Bruxellis in æde archiepiscopali. Corpus ejus Mechliniam delatum terræ mandatum est sub ara principe in cavea subterranea, quam sibi & successoribus suis exstrui curaverat: ad cujus aræ dextrum latus sibi etiam marmoreum mausolæum vivens erexit, statuam genuflectentis & pluviali induti archiepiscopi ad vivum repræsentans, ubi hæc inscripto æri incisa legitur:

Andreas Creusen V. archiepisc. Mechliniensis, D non timuit mortem a tempore, quia exspectavit immortalitatem a resurrectione: ut beatam habeat deprecare defuncto anno Christi M. DC. LXVI. ætatis LXXV. dignitatis IX.

Et retro altare, hæc altera visitur inscriptio.

S. Rumoldo Mechliniensium apostolo & martyri, hujus urbis & ecclesiæ patrono & ejus sacro corpori hic recondito, Andreas Cruesen V. archiepiscopus Mechliniensis votivam hanc aram anno M.DC.LXV. posuit & dedicavit.

In solemnibus ejus exsequiis illum oratione E funebri laudavit Franciscus Vanden Venne præpositus & canonicus metropolitanus 17. Nov. ejusdem anni. Porro symbolo usus est *victrix fortunæ sapientia.*

DE WACHTENDONCK.

VIII. Johannes II.

Ad has archiepiscopales infulas promovetur Johannes a Wachtendonck dudum Namurcensis antistes, de quo paucis tomo tertio egimus, in hujus urbis episcopis. Porro ejus gesta paulo fusius prosequitur nova Mechliniensis ecclesiæ historia. Is nobili stirpe Mechliniæ natus, patrem habuit cognominem urbis prætorem vulgo *scultetum*, dein pluries ibidem consulem, matrem vero Catharinam vander Hoeve pari nobilitate conspicuam. Litteris humanioribus in patria imbutus, philosophiæ ac jurisprudentiæ Lovanii postea operam dedit; tum licentiæ gradum adeptus, ad S. Rumoldi primum in patria inter nobiles graduatos (ut vocant) canonicos adscitus, in decanum etiam ejusdem ecclesiæ electus est. Hinc supremi senatus Belgici consiliarius ecclesiasticus factus, in sanctius postmodum adlegitur consilium & in utroque munere indefesso labore & mira velocitate partes judicis adimplevit ea integritate, ut plerique causas suas ei committi impense postularent, imo antequam experirentur forum altercantes, eos omni modo ad concordiam hortabatur, sicque pullulantes inter privatos inimicitias compressit, odia exstinxit, contentiones diremit.

An. 1621. in solemnibus exsequiis serenissimi Belgarum principis Alberti peroravit & an. 1634. Isabellæ Claræ Eugeniæ Hispaniæ infantis ejus uxoris laudes etiam oratione funebri prosecutus est. Insignem quoque ad clerum & populum habuit orationem in ecclesia collegiata noviter erecta B. Mariæ ultra Dyliam in urbe Mechlinia, cum ad eam reliquiæ Boni Latronis Dysmæ delatæ fuerunt.

Primus interea ab archiepiscopatus erectione præpositus ad S. Rumoldi constituitur, alioque etiam tempore vicarii generalis munere functus est. Plurimis in rempublicam obsequiis de patria ac Principe optime meruit, nam ob Silvam-ducis a Batavorum obsidione liberandam & fidem Catholicam ibidem tuendam, ærario regio tunc exhausto, paucorum annorum spatio novies centena florenorum millia in illud contulit, quæ a diversarum provinciarum clero ad quem ablegatus fuerat collegit: nec alienas tantum opes corradere sollicitus, etiam proprias ærario imposuit, & jam factus antistes an. 1655. sexdecim florenorum millia muniendæ urbi Namurcensi contribuit, suoque exemplo reliquam cleri partem & provinciæ proceres adeo animavit ut ad octoginta florenorum millia in id opud contulerint.

Hisce ergo & aliis meritis clarus ad episcopale fastigium ascendit, antistes Namurcensis renuntiatus, cujus sedis possessionem adiit die 9. Novembris per procuratorem an. 1654. hinc Mechliniæ in æde sacra metropolitana consecratur 13. Decembris eodem anno a Gaspare Nemio Cameracensi archipræsule, cui assistebant Marius Ambrosius Capello Antuerpiensis & Andreas Creusen Ruremundensis antistites: factus dein forma gregis, pastorale munus a propria domo auspicatus est, quam exiguo famulitio & modesta supellectili instruxit; prædicationem verbi Dei episcoporum partes esse intelligens, qua pollebat eloquentia, frequenter ad populum dicebat: diœcesim suam sedulo lustravit, collapsam ecclesiæ disciplinam pro viribus restaurare studuit, utque laxas theologiæ moralis refrænaret opiniones & a diœcesi eliminaret, synodum diœcesanam coëgit, in qua eleganti oratione de causis synodi, deque abusibus cleri & ecclesiæ tollendis

ANNI CHRISTI

præmissa, utilia condidit statuta, legesque sancivit confessariis saluberrimas. A

Anno 1659. a sede apostolica delegatur judex in causa beatificationis (uti aiunt) martyrum Gorcomiensium, quam optime instruxit ac feliciter absolvit.

E vivis tandem sublato Andrea archipræsule, civitas Mechliniensis illum sibi exoptavit pastorem civem suum, & expetiit ab Hispaniæ regina Maria-Anna Austriaca regni moderatrice, qua civium votis annuente, archiepiscopus designatur an. 1667. & a Clemente IX. summo pontifice confirmatur anno sequenti : Namurcensi itaque ecclesiæ cui per decem & tres annos præfuerat valedicens, in viam se dedit, Bruxellasque ægre pervenit, anhelitus difficultate, qua jam dudum laborabat, solito gravius afflictus : superare tamen spes erat toties devictum malum, at ingruente negotiorum mole, cum per infirmitatem iis adesse non posset, ut erat promptus ad agendum, novum inde malum accrevit infirmo, dumque disponuntur ea, quæ solemnis ejus inaugurationis pompæ videbantur necessaria, dum ille ad archiepiscopalem cathedram properat, dum tota urbs Mechlinia se in occursum ejus parat in civis pastorisque sui ruitura complexum, morte correptus exstinguitur Bruxellis 25. Junii ejusdem anni septuagenario major & vix tribus mensibus novæ dignitati superstes. Defuncti corpus Mechliniam advectum in ecclesia metropolitana tumulatur, cui pro funere parentavit Johannes Vander-linden theologus licentiatus canonicus graduatus, & presbyterorum Oratorii D. Jesu præpositus.

1668. (B, C)

Huic præsuli græcum lemma fuit ΔΟΞΑ ΕΞ ΑΡΕΤΗΣ, quod latine sonat *ex virtute gloria.*

DE BERGHES.

IX. Alphonsus.

Nobilissima prosapia clarus Alphonsus a Brabantiæ ducibus originem trahens, patrem nactus est Godefridum comitem Grimberganum, Belgii principum Alberti & Isabellæ majorem domus, duarum legionum pro Rege Catholico tribunum & ad imperii Electores bis, ac semel ad Galliæ Regem legatum; matrem vero Honorinam de Horne pari nobilitate spectabilem. E sacro fonte susceptus est ab Alphonso de la Cueva S. R. E. cardinali apud Belgas & Burgundiones nuntio apostolico, qui ipsi nomen suum imposuit. A parentibus seculari militiæ adhuc puer destinatus fuerat, at continuis, Deo sic disponente, tentatus infirmitatibus, clero nomen dedit, factus anno decimo-octavo ætatis suæ præpositus Cliviensis; tum emenso Lovanii philosophiæ ac jurisprudentiæ cursu, canonicatum Tornacensem est adeptus, & inde ad præposituram ecclesiæ Nivellensis evectus, capellæ etiam regiæ in palatio Bruxellensi a cortinis serenissimis principibus Leopoldo & Johanni Austriaco, ac dein archicapellanus fuit & summus eleemosynarius. Tornacensis postea designatus antistes, quo tempore Francorum imperio reddita est civitas, cum mallet episcopali infula, quam fide erga suum Principem exui, id promeruit ut denuo Regis Catholici munificentia ad archiepiscopalem ecclesiæ Mechliniensis sedem eveheretur nominatus anno 1669. mense Sept. tum diplomate Pontificio confirmatus anno sequenti, demum sacro ritu inungitur Bruxellis an. 1671. 25. Januarii die Conversioni S. Pauli sacra, Marii Ambrosii Capello Antuerpiensis episc. ministerio, cui adjutores erant Martinus Prats Iprensis & Ignatius Augustinus de Grobbendonck Namurcensis antistites. Episcopali charactere insignitus in id animum intendit ut ejusdem apostoli Pauli virtutes sibi compararet, in hoc imitator illius egregius effectus, ut nec dignitatis suæ splendore, nec magnitudine ministerii sui in superbiam elatus, Christianæ perfectionis fundamentum humilitatem ullo unquam tempore labefactare visus sit: comis & mansuetus ad omnes, ceteras quoque virtutes huic fundamento superstruxit, prudentiam in rebus agendis singularem, erga disciplinam ecclesiasticam sive restaurandam, sive conservandam zelum indefessum, in parœciis suæ diœcesis lustrandis sedulitatem, & in morum correctione, cleri & populi reformatione diligentiam circumspectam: ea mentis teneritudine præditus, ut vel minimum peccandi periculum timeret, quo factum est ut in promotionibus ad munia tum secularia, tum ecclesiastica faciendis semper staret pro dignioribus: concursum ad vacantes pastoratus ex concilii Tridentini præscripto in diœcesi vel stabilire, vel ubi jam in usu esset conservare summopere sollicitus, pastoratuum ad se spectantium ne quidem sibi liberam collationem indulsit. Religionis & devotionis puritatem cordi habuit, de hoc imprimis anxius ut venerabili Eucharistiæ sacramento cultus integer, solidus & defecatus exhiberetur, tam in ejusdem expositione quam publica gestatione. Temporalium bonorum nec copiam sectabatur nec inopiam metuebat, ad eorumdem jacturam illud Jobi usurpare solitus: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini Benedictum.* Memor etiam præclari moniti Tobiæ ad filium suum, *quomodo poteris, esto misericors,* eleemosynas largas palam primum, demum occulte in sinum pauperum effundebat. Acutissima tandem febre correptus, & sacramentis ecclesiæ rite munitus obiit Bruxellis 7. Junii anni 1689. vir longiore vita dignissimus, legatis testamento aulæis acu pictis ecclesiæ suæ metropolitanæ, quibus chorus festis solemnioribus mirifice ornatur. Corpus ejus Mechliniam delatum ibidem conditur, cui ad partem Meridionalem juxta latus altaris haud ita pridem erectum est sepulcrale monumentum, cum hac inscriptione:

(D, E; margin: 1671. — Possessionem adeptus est ipso an. 1671. die 8. Mart. — Job. 1. 21. — Tobiæ 4. 8. — 1689.)

Hic in pulvere dormit Alphonsus de Berghes
Ex comitibus de Grimberghe VII. archiepiscopus
Mechliniensis, Primus Belgii, ad exercitus regios
Delegatus apostolicus, suæ majestati a consilio status, &c.
Qui pastorali zelo, pietate ac prudentia hanc diœcesim
Totius Belgii exemplar reddidit. Obiit VII. *Junii anno*
MDCLXXXIX. *ætatis* LXIV. *dignitatis* XIX.

ANNI CHRISTI

In exsequiis ejus solemnibus Mechliniæ peractis A laudes ejus oratione funebri celebravit Johannes de Cuypere S. T. L. canonicus graduatus & decanus metropolitanus.

Symbolum habebat *descende ut ascendas.*

DE PRECIPIANTS DE SOYE.

X. Humbertus Guillelmus.

Vesontione Sequanorum metropoli ortus est Humbertus Guillelmus ex antiqua apud Genuenses prosapia, nobilissimis Spinolæ & Doriæ domibus sanguine conjuncta. Patrem habuit Achillem comitem de Precipiano & de Soye, abavo & avo Ambrosiis gaudebat bellica virtute inclytis, B fraterque ipsius fuit Prosper Ambrosius in exercitibus regiis legatus & sub Carolo II. Hispaniæ rege comitatus Burgundici præfectus. Porro Guillelmus a teneris sacræ militiæ adscriptus, Constantiæ primum in Germania, inde Vesontione in patria, tum Lovanii studiis operam dedit: hinc in academia Dolensi apud Sequanos juris utriusque lauream, ac postmodum theologiæ doctoris insignia consequitur: mox adhuc juvenis canonicatum in ecclesia Bisuntina nactus, archidiaconus major ibidem fuit, & abbas Bellæ-vallis ab archiduce Leopoldo Belgii & Burgundiæ superioris moderatore nominatus, quam abbatiam suis sub ruinis C pene sepultam erexit, restituit & ornavit.

Anno autem 1661. vacante decanali dignitate in ecclesia Vesontionensi, canonici existimantes sui juris esse electionem novi decani, communibus votis ipsum in decanum assumserunt, quam electionem tametsi rite & canonice factam irritam declaravit summus pontifex Alexander VII. decani electionem sedi apostolicæ partam asserens, quod multas & graves excitavit turbas in hac ecclesia, quæ nonnisi humili Humberti cessione sopitæ sunt. Interea ob egregias animi dotes Hispaniarum regi Philippo IV. innotuit, a quo in supremæ curiæ comitatus Burgundici senatorem D ecclesiasticum adscitus, Ratisbonam postea primarius legatus ad Imperii comitia mittitur, quo munere feliciter perfunctus, Madritum in Hispaniam evocatur rerum Belgicarum & comitatus Burgundici consilio præfectus a Carolo II. Philippi IV. successore.

Anno autem 1682. Brugensis antistes nomi-
1690. natus hanc ecclesiam rexit ad annum 1690. quo ad Mechliniensem metropolim traducitur, quam viginti & uno annis ea sollicitudine & constantia gubernavit, ut ne vel ad octiduum ab ovibus sibi concreditis avelli se passus fuerit. Præsedit congregationi episcoporum Bruxellis habitæ mense E
1697. Aprili anno 1697. Catechismum in synodo Mechliniensi an. 1607. præscriptum novis typis edi curavit. Denique Bruxellis in palatio suo peripneumonia seu pulmonum inflammatione la-
1711. borans decessit v. idus Junii an. 1711. in senectute bona annum agens octogesimum-quintum, & jacet Mechliniæ in ecclesia metropolitana una cum germano fratre comite Prospero Ambrosio, ubi elegantissimum habet mausoleum ex adverso Creuseniani erectum, quod sibi vivens paraverat cum hac inscriptione conjuncta:

Humbertus Guillelmus
Comes de Precipiano & de Soye,
Archiepiscopus Mechliniensis,
Primas Belgii
Ad exercitus regios delegatus apostolicus
Majestati suæ a consiliis status, &c.
In hujus ecclesiæ ornatum
Vivens posuit MDCCIX.

Symbolum huic archipræsuli erat *Non in gladio, sed in nomine Domini.* In funere ejus peroravit Sebastianus Vande Cruys S. T. L. & canonicus graduatus ecclesiæ metropolitanæ. Videsis hist. novam Mechlin. Hagæ-comitum editam anno 1725. & acta S. Rumoldi seorsim edita Antuerpiæ an. 1718. auctore R. P. J. B. Sollerio e Societate Jesu.

DE BOUSSU D'ALSACE.

XI. Thomas Philippus.

Post aliquot annorum interpontificium subrogatus est in hac sede metropolitana Thomas Philippus de Alsatia, illustrissimo Boussuviorum, nunc principum Chimacensium sanguine cretus, Philippi Ludovici de Alsatia comitis de Boussu principis de Chimay & S. R. I. atque Aureivelleris equitis filius ex Anna Ludovica de Verreycken. Is primum decursis in regio Bruxellensi collegio amœnioribus litteris, avita parentum, bellica laude rebusque pro patria præclare gestis inclytorum decora, necdum septem-decim annos natus ad ecclesiasticam militiam transtulit, donatus a Rege Carolo II. Gandavensis ecclesiæ præpositura, inde philosophorum placitis Coloniæ apud Tricoronatos institutus. Postea Romam profectus in collegio Germanico S. Apollinaris sacris litteris operam impendit, primusque ibidem polemicas theses coram frequentissimo prælatorum ac doctorum cœtu publice propugnavit: demum post quatuor studiorum annos laurea doctorali in universitate Gregoriana insignitus, sacerdotio initiatur; tum ad propria redux anno 1702. a Gandavensi præsule examinator synodalis & in ejus absentia vicarius generalis renuntiatur, de omnibus bene-meritus, adeo ut bonorum omnium votis certatim ad infulas postularetur: obstitit tamen gravissimi belli diuturnitas, quo tandem composito, ab ipso summo pontifice Clemente XI. cujus erat prælatus domesticus, Iprensi cathedræ destinatur antistes an. 1713. ac paucis post mensibus, tertia nimirum Martii anni subsequentis ab Augustissimo Cæsare Carolo VI. ad Mechliniensem archiepiscopatum nominatur.

Occurrentibus subinde nonnullis difficultatibus, re diutius protracta, Viennam Austriæ se contulit, ubi expedita reddidit omnia, illic æque ac Romæ & in Belgio magnatum, totiusque aulæ Imperialis procerum existimationem ac benevolentiam consecutus. Hinc a sede apostolica confirmatus, consecratur ibidem die Dominica 19. Januarii 1716. in ecclesia Patrum Societatis Jesu domus 1716.
professæ a Georgio Spinola archiep. Cæsariensi, tunc apud eumdem Cæsarem nuntio apostolico, nunc vero S. R. E. card. S. Agnetis nuncupato, assistentibus duobus ipsius olim in S. Apollinaris

ANNI CHRISTI

collegio sodalibus illustrissimis Ladislao Adamo A comite Erdeodi Nitriensi in superiori Hungaria episc. & Sigismundo comite de Collonitz, tunc Vacciensi, postea Viennensi præsule & ea sede episcopali nuper in archiepiscopalem erecta ejusdem urbis nunc archipræsule. Ecclesiæ suæ possessionem cepit per procuratorem episcopum Brugensem designatum 10. Februarii insequentis, & 15. Martii Mechliniam adventans solemniter exceptus est eodem anno. Pallio ornatur 22. ejusdem mensis, ac continuo electum Brugensem pontificali charactere insignivit. Adlectus est interea inter actuales intimos status consiliarios ab ipso Imperatore Carolo VI. cum insigni nominis probatarumque Viennæ virtutum commendatione. Porro ab eodem Papa Clemente XI. inter purpuratos patres adscribitur 29. Novembris an. 1720. & ab ejus successore Innocentio XIII. in cujus electione suffragium tulit, Romæ cardinalitio galero & titulo S. Cæsarii donatur 16. Junii 1721. Adfuit & comitiis an. 1724. in quibus post obitum ejusdem Innocentii papæ Benedictus XIII. summus pontifex creatus est 29. Maii. Anno sequenti novam abbatiæ Grimbergensis ord. Præmonstr. ecclesiam solemni ritu consecravit 8. Julii, cooperantibus ejusdem loci & Ninoviensis cœnobii abbatibus. Sedet adhuc hoc anno 1727. 1727.

PRÆPOSITI MECHLINIENSES.

PRæposituram sancti Rumoldi primam ante B erectionem archiepiscopatus ecclesiæ Mechliniensis dignitatem ad Leodiensium antistitum collationem pertinuisse asserere videtur chronicon Mechliniense, neque id sane injuria, si secundum receptissimam opinionem, Notgerus Leod. antistes capituli S. Rumoldi fundator extiterit. Idem probant monumenta Leodiensia, imo expressissime acta ipsa venditionis factæ Ludovico Flandriæ comiti an. 1333. hujus rei meminerunt, C & rursus diploma a prædicto comite datum Teneramundæ 21. Octobris eodem anno, quo collatio abbatiæ seu præposituræ S. Rumoldi Mechliniensis expresse reservatur ecclesiæ Leodiensi. Interrupta tamen quandoque fuit vel saltem non satis pacifica Leodiensium episcoporum possessio in nominandis Mechliniensibus S. Rumoldi præpositis: & certe cum Mechliniæ dominium antistites illi in comitem Flandriæ subinde Belgarum principem transtulissent, uti supra diximus, nil mirum si eam externam quodammodo jurisdictionem capitulum S. Rumoldi excutere tentaverit. D Utcumque sit, præposituræ dignitas stetit prima capituli Mechliniensis usque ad erectionem archiepiscopatus, quo tempore sedente cardinali Granvellano * archiepiscopatui fuit annexa, 5. Octob. 1590. sicque remansit extincta usque ad annum 1643. quo denuo revixit sub Jacobo Boonen archipræsule, qui novam erexit, ut infra dicemus.

*al. non nisi post ipsius obitum.

I. FRANCO filius ducis Austriæ præpositura S. Rumoldi ornatus memoratur sub annum 1100. auctore Grammayo, lib. 3. sect. 4. qui hunc & alios duos subsequentes inducit, at ex quibus monumentis eos eruerit non indicat. E

II. N. filius ducis Thuringiæ an. 1204.

III. Henricus comitis Viennæ frater an. 1230.

IV. Balduinus de Rosut archidiaconus Leodic. & præpositus Mechlin. obiit an. 1273. idibus Sept. & jacet in ecclesia S. Dionysii apud Leod. ex monumentis Leodiensibus.

V. Alexander de Bruynshoren decessit 5. Dec. an. 1300. non alia appellatione insignitus, quam præpositi ecclesiæ B. Rumoldi.

VI. Ghiselbertus de Bunde canonicus & præpositus Mechl. moritur IV. nonas Dec. ex necrol. Mechl. *al.* 2. Octob. ex elencho Leod. an. 1355.

VII. Martinus Bentii præpositus tantum occurrit in necrol. Mechl. ubi obitus ejus consignatur pridie nonas Febr. 1379.

VIII. Zegherus de Novo lapide canonicus Leod. simulque præpos. S. Rumoldi vivebat ex elencho Leod. 1381. in necrol. autem Mechlin. inscribitur tantum præpositus XV. cal. Febr. qua die obiisse dicitur an. 1383.

IX. Johannes de Dungen canonicus Leod. & præpositus S. Rumoldi memoratur in instrumento capitulari anni 1399. Naturæ debitum solvit 1401.

X. Arnoldus de Ryckel canonicus Leod. & præpos. Mechl. sedit ab anno 1401. ad 1413. quo rebus humanis exemtus dicitur 15. Junii in catalogo Leod.

XI. Jacobus de Lovelde fato fungitur VI. cal. Decemb. 1452. ex obituario Molii decani hujus ecclesiæ Mechlin.

XII. Bruno de Boechem sive Bruxhem canon. Leod. obiit præpositus S. Rumoldi 17. kal. Julii 1456. ex necrol. Mechlin.

XIII. Walterus de Coirswoirin seu de Corswarene canonicus Leod. & archidiac. Ardennæ, præpositus S. Rum. Mechl. decessit 29. Januarii 1470. ex brevi elencho Leod. 28. ejusdem mensis an. 1478. ex necrol. Mechl.

XIV. Simon de Slusa cujus sic meminit necrol. Mechl. Venerabilis D. ac magister Symon de Sluyse, in medicina doctor, archiducis Austriæ physicus, cathedralis ecclesiæ Trajectensis, atque collegiatæ ecclesiæ beati Rumoldi præpositus & canonicus defunctus VII. cal. Oct. 1499. jacet in ecclesf. S. Rumoldi Mechl. ad latus summi altaris.

XV. Conradus de Sarto J. U. doctor custos & officialis Leod. præpositus S. Rumoldi, consiliarius Mechl. & assessor conservatoris universitatis Lovan. obiit Lovanii VIII. idus Febr. 1502. ex brevi elencho Leod. ex necrol. vero Mechl. ecclesf. nonis Febr. 1501.

XVI. Sigismundus Phiffi juris utriusque doctor reperitur in actis capitularibus in præpositum electus unanimi voce an. 1502. verum ea dignitate diu potiri non potuit, si quidem eam vere assecutus sit, aut pacifice possederit.

XVII. Ludovicus de Vere Regis Castellæ eleemosynarius & præpositus ad S. Rumoldi in fata concessit 3. nonas Februarii ex necrol. Mechl. *al.* nonis Julii 1506.

XVIII. Guillelmus I. de Croy in præpositum electus seu postulatus post obitum Ludovici de Vere ex actis capitularibus, idem forte qui episcopus Cameracensis, deinde S. R. E. cardinalis & archiepisc. Toletanus, præmature defunctus est anno 1521. ætatis 23. apud Celestinos Heverleenses prope Lovanium sub insigni mausoleo depositus, cui elapsis aliquot ab ejus postulatione diebus, forsan contra obnitente Leod. antistite & ejusmodi nominationem sui juris esse contendente substituitur

XIX. Lambertus de Ophem, de quo sic referunt acta capitularia. *At post dies aliquos, per procuratorem comparens D. Lambertus de Ophem, decretorum doctor, canon. Leod. S. Lamberti & archidiac. Brabantiæ, admitti petiit ad possessionem præposituræ Mechl. vigore nominationis & præsentationis reverendissimi D. episcopi Leod. & domini desuper habita deliberatione, revocantes anteriorem postulationem elegerunt una voce in præpositum præfatum D. Lambertum & vigore hujus electionis, immiserunt in possessionem, media tamen protestatione ejusdem, quod per hunc actum, nullum præjudicium inferretur juri Leodiensis episcopi:* incertum quo is anno obierit.

XX. Philibertus Naturelli aurei velleris cancellarius, archidiaconus Trajectensis, necnon præpositus Mechlin. mortalitatem explevit 17. Julii 1529. cujus tamen obitum consignat ad 8. Januarii an. 1536. jurisprudentia heroïca, p. 502.

XXI. Guillelmus II. de Enckenvoirt* notatur in necrol. Mechl. xv. kal. Aug. 1534. his verbis: *Reverend. in Christo P. & D. Guillelmus ab Enckenvoirt S. R. E. card. Derthusensis, hujus ecclesiæ dum vixit præpositus.* Hic Adriani VI. papæ comes individuus, solus & unicus in sacrum cardinalium collegium ab eodem Pontifice, paucis ante quam moreretur diebus, x. Sept. an. 1523. cooptatus est. De quo Sammarthani post Ciaconium aiunt, ex Buscoducensi canonico datarium & Derthusensem in Hispania episcopum creatum, cui postmodum Clemens VII. auctoritate sua contulerit infulas Trajectenses an. 1529.

* hunc bulla Leonis X. præpositum nominat jam ab an. 1516.

XXII. Antonius Perrenot S. sedis apostolicæ protonotarius & præpositus Mechl. an. 1536. ex actis capitularibus hanc dignitatem (forte ob novas difficultates cum Leodiensibus episc. exortas) abdicavit eodem anno in manibus summi pontificis Pauli III. qui eam contulit Claudio, qui sequitur.

XXIII. Claudius de Boisset V. J. doctor, archidiac. Atrebatensis & consiliarius Cæsareæ majestatis vi hujusmodi institutionis in possessionem præposituræ Mechl. inducitur 6. Junii an. 1536. & naturæ debitum solvit 14. kal. Sept. seu 19. Aug. 1546.

XXIV. Antonius Perrenot secundo, episcopus Atrebatensis, vigore apostolicæ collationis præposituram Mechlin. iterum obtinuit, cujus possessionem inivit 1. Octob. ejusdem anni per procuratorem. Eo autem sublato desiit præpositura, cum archiepiscopatu unita, uti supra diximus. Anno autem 1643. sedente Jacobo Boonen archiepiscopo, de capituli consensu, postliminio suscitata est per unionem capellæ S. Crucis sub ambone & in præpositum assumtus

XXV. Johannes a Vachtendonck, antea decanus, qui factus an. 1654. episcopus Namurcensis abdicavit.

XXVI. Dismas I. Ellewault antea plebanus S. Rumoldi Johanni successit & cessit an. 1658. quem excepit

XXVII. Franciscus Vanden Venne præpositus renuntiatus eodem anno, eaque dignitate potitur ad annum 1689. vir multis functus muneribus, uti ex ipsius epitaphio patet, quod sic habet:

Christo resurgenti, & memoriæ admodum reverendi ac amplissimi D. Francisci Vanden Venne, hujus metropolitanæ eccl. præpositi, spiritualis curiæ officialis, canonici graduati, domus regiæ libell. supplicum magistri, ac majestatis suæ consiliarii, nocte Paschatis M. DC. LXXXIX. ætatis LX. in spe resurrectionis defuncti, ut cum Christo vivat, lector apprecare.

XXVIII. Philippus Erardus vander Noot Bruxellensis, juris utriusque licentiatus, canonicus graduatus nobilis, ecclesi. Mechl. archipresbyter, vicarius generalis ad exercitus regios, dein sede metropolitana vacante vicarius generalis Francisco subrogatus est in præpositura, ac demum episcopus Gandav. renuntiatur an. 1694. ubi vide.

XXIX. Dismas II. Corten præpositus a Rege Catholico nominatur eodem anno, vix biennio novæ dignitati superstes. Hoc elogio ornatur sepultus haud procul ab ara principe.

DEO OPT. MAX.

Et piis manibus reverendi admodum & amplissimi Domini D. Dismæ Corten J. U. L. qui primum D. Virginis, tum metropolitanæ hujus canonicus; dein graduatus, necnon sede vacante, de vicariatu judex synodalis, mortuo insuper fratri gemino, in præpositura dictæ ecclesiæ successor, tandem emeritus capitulo huic præpositus a Rege datus, acutissimis calculi doloribus mira patientia toleratis immortuus est XXV. Febr. M. DCXCVI. Bene ei apprecare, viator, ut desiderata requiescat in pace.

XXX. Philippus Franciscus Baert de Berentrode Baro de Mares, Mechlin. juris utriusque licentiatus & canonicus graduatus nobilis, nominatione regia præposituram consequitur 12. Julii 1696. etiam judex synodalis & archiepiscopi Mechlin. ut delegati apostolici ad Cæsareos in Belgio exertus, vicarius generalis, adhuc vivebat an. 1727.

DECANI MECHLINIENSES.

I. RANALDUS decanus occurrit an. 1134.

II. Robertus cujus meminit Eugenius III. papa in bulla quadam.

III. Alter innotescit ex instrumento, quo refertur partitio bonorum capituli post desertum monasterium S. Rumoldi, sed imperfecto nomine de Vcāto vocatus.

IV. Balduinus de Eeckhove memoratur in actis capitularibus annorum 1253. & 1263.

V. Johannes I. cognomento Canis inscribitur A in actis annis 1283. & 1286. cujus obitus dies signatur v. idus Januarii in necrologio, at incertum quo anno.

VI. Nicolaus Base Johanni successit ex Crucio.

VII. Henricus I. Honchorne, cujus decani exstat diploma datum an. 1314. sabbato post festum B. Dionysii, quod sub litterra Dominicali E eo anno cadere debuit in 12. Octobris.

VIII. Lancelottus decanus reperitur in actis annorum 1344. & 1364.

IX. Cornelius Magnus præfuit decanus eodem seculo, is forte, qui suppresso cognomine memoratur in diplomate anni 1369. die 3. Aprilis B pro translatione reliquiarum S. Rumoldi.

X. Rumoldus I. Valle notus est ex actis annorum 1399. & 1408.

XI. Antonius I. Sanctus, de quo in necrologio ad 17. kal. Nov. 1463. *Obiit venerabilis D. Antonius Sanctus, decanus B. Rumoldi.*

XII. Henricus II. de Ghestele in necrologio consignatus VI. nonas Maii 1476. sub hac formula. Obiit venerabilis D. ac in magister Henricus de Ghestele decanus & canonicus B. Rumoldi.

XIII. Johannes II. Boechem decanus brevi intervallo, vita functus XV. kal. Junii 1477.

XIV. Henricus III. Ghiselberti e vivis exem- C tus IV. idus Decembris 1501.

XV. Johannes III. Robyns in decanum electus eodem anno, is est, qui una cum D. Adriano Florentini de Trajecto tunc decano S. Petri Lovanii, postmodum summo pontifice, præscripsit leges & statuta rectori & scholaribus collegii Atrebatensis apud Lovanium, potestate sibi facta a Nicolao le Ruystre episcopo Atrebatensi & hujus collegii fundatore. Porro obiit Johannes 28. Decembris 1532. Hunc memorat necrologium Mechlin. donatione inter vivos distributionem aliquam fundasse pro LX. fratribus in festo translationis S. Rumoldi an. 1524.

XVI. Philippus I. Nigri Boloniensis in Morinis J. U. doctor, cancellarius Aurei Velleris, archidiaconus Morinensis, præpositus S. Salvatoris in Harlebeka & S. Pharaildis Gandavi, decanus ad S. Gudulam Bruxellis, in coadjutorem decani Mechl. primum assumtus, ei postea successit in decanatu, quo postea cessit in favorem sui ex sorore nepotis anno 1546. Denique primus Antuerpiensis antistes designatus obiit 4. Januarii 1562. pro veteri stilo, 1563. pro hodierno computandi more. Vide in Antuerp. episcopis.

XVII. Philippus II. de l'Espinoy superioris nepos, avunculi cessione decanatum obtinet eodem anno 1546. quem ita signat necrologium Mechl. ad diem 19. Julii 1557. *Obiit venerabilis D. Philippus de l'Espinoy consiliarius Cæsareæ majestatis, ecclesiæ B. Rumoldi decanus.* Ejus hoc exstat epitaphium in lapide sepulcrali:

Spectatum Morinis hac me præfecit in urbe
Consiliis Cæsar, filius inde suus.
Maternum Nigri, Spineto stemma paternum;
Vitæ multus honos, sed brevis illa fuit.

XVIII. Rumoldus II. Vergeest Philippo successit, in decanum canonice electus, cum esset sacræ paginæ baccalaureus & J. U. licentiatus, nominatur vero judex synodalis in prima synodo. Hic tempore occupationis Mechliniæ per hæreticos, in exilio moritur sepultus Leeuwis: ejus tamen memoriæ in ipsa metropolitana ecclesia tabella dicata conspicitur, post suggestum parieti affixa, cum hac inscriptione

D. O. M.

Et memoriæ Reverendi viri Domini Rumoldi Vergeest J. U. licentiati, hujus metropolitanæ ecclesiæ decani & vicarii generalis illustrissimi ac reverendissimi domini cardinalis Granvellani, qui obiit in civitate Leeuwensi anno M. D. LXXXIV. die XXVII. Julii.

XIX. Johannes IV. de Clercq J. U. doctor, canonicus & officialis Mechlin. in decanum assumitur an. 1585. qui postea canonicatum & decanatum permutavit cum præbenda canonicali Atrebatensi 5. Februarii 1593.

XX. Franciscus Vander-Burch Gandavensis ex canonico Atrebatensis ecclesiæ, facta cum præcedenti permutatione, fit decanus eodem anno, & vicarius generalis sub archiepisc. Matthia Hovio 1596. Ad Gandavensem cathedram promovetur an. 1612. ac tandem archiep. Cameracensis evasit. Ubi vide.

XXI. Jacobus Boonen canonicus graduatus & officialis curiæ ecclesiasticæ, inde in supremo senatu Mechl. senator ecclesiasticus, decani dignitatem assequitur an. 1612. tum Gandavensi ecclesiæ datur antistes anno 1617. demum archipræsul Mechliniensis de quo supra.

XXII. Antonius II. de Mol ex pastore S. Ca- D tharinæ & rectore domus leprosorum canonicus, dein archipresbyter civitatis & suburbii Mechl. ac demum decanus renuntiatus 12. Jan. 1617. obiit an. 1635. sepultus in choro sub hoc epitaphio:

D. O. M.

Memoriæ R. D. Antonii de Mol, quem pietas in canonicum, prudentia in decanum evexit; austeritas vitæ in exemplum, virtus in speculum proposuit. Ætas illi lustrorum sexdecim, canonicatus lustrorum octo, decanatus fere quatuor. Devixit an. M.DC.XXXV. V. kal. Januarii. Pax sit piis ossibus.

XXIII.

XXIII. Johannes V. a Wachtendonck canonicus graduatus nobilis in decanum electus an. 1635. inde præpositus ejusd. eccles. an. 1643. postea Namurcensis antistes, ac demum trimestris hujus metropolitanæ ecclesiæ archiepiscopus; ubi vide.

XXIV. Johannes VI. le Roy decessori ad præposituram evecto sufficitur in decanatu eodem anno, antea canonicus ab anno 1622. subinde officialis & consiliarius, primum in supremo Mechlin. tum etiam in sanctiore consilio, & vicarius generalis, sede vacante, vita functus anno 1656. mense Aprili, cui in choro metropolitano hoc epitaphium positum est:

Hic jacet admodum reverendus & amplissimus dominus Johannes le Roy, quem virtus huic ecclesiæ canonicum & decanum dedit, doctrina in supremo Belgii & sanctiori consilio fecit consiliarium.

XXV. Michael Vanden Perre J. U. L. & ecclesiæ metrop. canonicus graduatus, electione capituli renuntiatur decanus eodem anno, qua dignitate aliquot ante obitum mensibus sponte se exuit, defunctus an. 1686. 28. Sept.

XXVI. Johannes VII. de Cuypere eodem anno substituitur mense Aprili. Primum pastor ad D. Catharinæ Bruxellis, inde canonicus graduatus theologus hujus ecclesiæ, e vivis ereptus 1704. *al.* 1703. septima Decembris.

XXVII. Carolus Leodegarius de Decker Montensis S. T. L. canonicus regalis ecclesiæ Aquensis, & via permutationis S. Rumoldi ab an. 1691. decanatui successit electione capituli, & obiit die 14. Octobris 1723.

XXVIII. Hieronymus Stevaert Bruxellensis, S. T. L. canonicus graduatus, in decanum cooptatur 29. Octobris ejusdem anni, & adhuc præerat 1725.

Porro in texenda hac tum decanorum, tum præpositorum serie multum nos debere ultro fatemur R. P. J. B. Sollerio e Societate Jesu, qui hos e variis instrumentis erutos ordine digessit in actis S. Rumoldi Antuerpiæ typis editis anno 1718.

DE ABBATIIS DIŒCESIS MACHLINIENSIS, quæ a suo primævo statu defecerunt.

I. RODENACUM sive ROTORNACUM & ROTNASCE, hodie ROTNACUM, Flandris *Roneen*, Gallis *Renay & Ernay*, antiquus est baronatus, caput decanatus cognominis, & oppidum ultra Scaldim in veteri Brabanto, duobus cum medio ab Aldenarda, & quatuor a Gerardimonte milliaribus situm. Illic S. Amandus Tungrensis episcopus monasterium in honorem SS. apostolorum Petri & Pauli inchoavit, quod quidem Baldericus in chronico Camerac. lib. 2. cap. 44. Canonicorum vocat, sed Colvenerius, pag. 537. fuisse Benedictinorum censet, & post eum Mabillonius ad an. 719. tom. 2. annal. pag. 54. Porro in hoc cœnobium detrusus est a Carolo Cœlestinus Scottus Blandiniensis apud Gandavum monasterii abbas, vir sanctus & innocens, insimulatus quod Ragenfredi Majorisdomus Chilperici regis partibus favisset, circa an. 719. ibidemque mortuus creditur, XVI. calend. Junii. Dirutum est a Normannis anno circiter 880. sed ipsum Arnulfus Flandriæ comes Balduini-calvi filius in pristinum statum reduxit sub medium seculi sequentis. Nunc est collegium seculare, decano, præposito, thesaurario & 15. canonicis constans sub patrocinio S. Hermetis martyris, cujus corpus illuc an. 860. jussu imperatoris Ludovici translatum est. Ejusdem vero capituli canonicatus a principe Nassavio conferuntur. Vide Baldericum in chronico Cameracensi, pag. 264. 453. & 537.

II. De Ulmeto sive Ulmensi monasterio haud procul a Mechlinia jam diximus in veteribus monasteriis diœcesis Camerac. ad quam olim pertinebat. His addere placet idem esse ac Maalinas seu Maslinas, de quo monasterio fit mentio in charta divisionis abbatiarum regni Lotharii Carolum inter & Ludovicum reges factæ an. 870. Vocatur etiam alio nomine abbatia S. Rumoldi a suo fundatore sic dicta, qui primum eam S. Stephano dicaverat. *Mir. nova edit. pag. 805.* Ipsam vero Carolus Simplex cum Hasteriensi, de qua locuti sumus tomo tertio, ecclesiæ cathedrali Leodiensi concessit, cujus antistes Richarius in ea creavit unum abbatem secularem ex collegio cathedr. S. Lamberti assumendum, an. 934. ac deinde Notgerus sedis ejusdem episcopus prædiis ac præbendis canonicorum eam adauxit. Jam igitur ab hoc an. 934. abbatia secularis habebatur, & hoc nomen retinuit ad annum saltem 1333. ut patet ex charta Adolfi episcopi Leod. totiusque capituli, qua Mechliniense oppidum vendunt Ludovico Flandriæ comiti, retenta, inquiunt, collatione & dispositione præpositurae seu abbatiæ secularis B. Rumoldi Mechliniensis. Sed hæc tandem in erectione Machliniæ in sedem archiepiscopalem, eidem cessit cum bonis annexis; sicque nomen præpositi, quod jam diu loco abbatis usurpabatur, exstinctum est, donec rursus in hoc capitulo præposituram instituit Jacobus Boonen archiepiscopus Machliniensis die 21. Julii anno 1643. De præpositis ab eo tempore & ante supra diximus.

III. Merbecca *Meerbeke* pagus est Brabantiæ in diœcesi Mechliniensi, medio milliari a Ninovia. Flandriæ oppido, ubi fuit aliquando cœnobium canonicarum puellarum, quod in divisione regni Lotharii facta an. 870. nominatur *Merrebecchi.* Nunc est parochialis & collegiata quatuor canonicorum & quinque sacellanorum ecclesia, sive, ut alii volunt, septem tantummodo sacellanorum. Illic vero conditi jacent Odelardus in ecclesiola, quam idem sub patrocinio S. Petri ædificaverat, vergente ad finem seculo septimo, & Nona ipsius

conjux, pii sanctæ Berlendis parentes, ipsa Berlendis, Nona & Celsa virgines, de quibus agit Miræus in fastis Belgicis ad diem 3. Febr. Ceterum hic pagus inter antiquiores ecclesiæ Nivellensis possessiones numeratur in diplomate Othonis imperatoris, dato anno 966. & iterum in diplomate Henrici IV. imperatoris an. 1059. A

IV. Liedekerca primo lapide cum dimidio ab Alosto versus limitem Brabantinum in comitatu Alostano, illustre titulo veteris baronatus dominium, habuit olim parochialem ecclesiam, quæ an. 1092. per fundationem Radulfi Tornacensis & Helwigis uxoris ejus mutata fuit in abbatiam canonicorum regularium, consentiente Girardo B episc. Camerac. Et quidem ipsius abbas erat ejusdem ecclesiæ pastor, & e suis vicarios emittebat in Lombecam Castri & Strythen tanquam ecclesiæ Liedekerkanæ appendices. Verum anno 1140. Iwanus comes Alostanus & dominus Lidekercanus, amotis inde canonicis, cessit abbatiæ Ninoviensi prædictam ecclesiam cum suis appendicibus. Unicus abbas recensetur Waltelmus, qui & abbas Diligemiensis, ubi vide.

V. Bornhemium, celebre & amplum Flandriæ municipium in Wasia, cum arce, titulo comitatus illustratum a Philippo IV. Hispaniarum rege, situm est inter Antuerpiam & Teneramundam C oppida, ex opposito Tamisiæ ad veterem alveum Scaldis fluvii. Illic abbatiale canonicorum regularium cœnobium fundavit Wenemarus castellanus Gandavensis circa annum 1100. confirmavit Manasses ep. Camerac. 1101. Paschalis II. papa 1105. & Odo Camerac. præsul 1112. Verum Burchardus ejusdem sedis antistes an. 1120. hanc abbatiam inopia laborantem, suppressa S. Augustini regula, Fulgentio abbati Affligemiensi, ejusque successoribus perpetuo regendam commisit, petentibus ipso abbate Bornhemiensi & fratribus, qui continuo Benedictinum institutum amplexati sunt; idque ratum habuit anno seq. Cœlestinus D papa rogatu suæ sororis Clementiæ Flandriæ comitissæ. Abhinc itaque Bornhemium nonnisi prioratus fuit Affligemiensi abbatiæ subjectus, in quo etiamnum duo vel tres habitant monachi, sed modo solus parochus e clero rem sacram administrat. Quandiu vero fuit abbatia, duos tantum habuit abbates,

Mir. nova edit. pag. 168. 371. & 519.

Ibid. pag. 170. & 171.

Martinum, qui subscribit an. 1110. chartæ Odonis episcopi Camerac. pro parthenone de Cortemberga, ex hist. Mechlin. p. 2. pag. 56. & Siffridum, qui memoratur abbas secundus Burnehemensis anno 1117. in quibusdam litteris Walterii archidiaconi Brabantiæ, 1120. in charta E Burchardi ep. Camerac. hanc abbatiam subjicientis Affligemiensi, & 1121. in bulla Calixti papæ hanc subjectionem confirmantis.

Quid sit abbatia de Weer, cujus abbatissæ fit mentio in historia Mechliniensis ecclesiæ, pag. 261. ignoramus, nisi forte sit Forestum *Worst*.

ABBATIÆ DIOEC. MECHLINIENSIS in suo statu permanentes.

ORDINIS S. BENEDICTI.

EINHAMUM, *Einham*.
Affligenium, *Afflighem*.
Gerardi-mons seu S. Adrianus de Gerardimonte, *Gerardmont*, vulgo *Grandmont*.
Ulierbeca, *Ulierbec*.

FEMINARUM.

Cortenberga, *Cortenbergh*.
Forestum, *Vorst*.
Bigardia major, *Bygarden* ou *le grand Bygard*.
Anglicanæ virgines.

ORD. S. AUGUST.

S. Gertrudis Lovaniensis.

ORD. CISTERC. FEMINARUM.

Vallis-florida seu Florida-vallis, *Florival* ou *Vaulx-fleuri*.
Vallis Rosarum, *Roosendael*.
Camera B. Mariæ, *Camhre*.
Parcum dominarum, *Urauwen Parck*.
Vallis virginum, seu B. Maria de Lintris, *Maeghden-dael*.
Bellum-pratum, *Beaupré*.
Rosa B. Mariæ, seu B. M. de Rosis, *Ten-Roosen*.
Vallis-ducis, Gallicè *Vau-le-duc*, vernaculè *s'Hertogendael*.
Vallis S. Bernardi, *le Val S.t Bernard*.
Sartum vel Sertum B. Mariæ, vulgo *Rotthem*.
Vinea nostræ Dominæ, *la Vigne notre-Dame*.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Dilighemium, *Dilighem*; seu Jettense monast.
Grimberga, *Grimbergue*.
Parcum, seu Parcum Dominorum, *le Parc*.
Helisemium, *Helichem* ou *Hellenchines*.
Averbodium, *Everbeur*.
Ninovia vel Ninive, *Ninove*.

ORD. S. CLARÆ.

Clarissæ Bruxellenses.
Clarissæ Lovanienses.
Clarissæ Mechlinienses.

EINHAMUM.

EINHAM.

EST locus in Belgio ad Scaldim fluvium medio fere milliari ab Aldenarda, ubi Godefridus* filius Godefridi Ardennensis, ab eo loco Eihamensis dictus, cum uxore sua Mathilde, filia Herimanni Saxonum ducis, Balduini tertii Flandriæ comitis vidua, collegium canonicorum ineunte seculo XI. construxit; quod postea bellis emergentibus destructum[a] Balduinus Pius sive Insulanus Flandriæ

* Comes Virdunensis, cognomento Captivus, eo quod anno 984. a Lothario Francorum rege captus fuerit, teste Sigeberto.

[a] Anno 1034. a Balduino Barbato Insulani parente, ex chron. Belgico Miræi, pag. 286. Sic autem habet manuscriptum Sigebertini chronici exemplar Lipsianum, apud eumdem Miræum in originibus cœnobiorum Belgic. pag. 188. *Anno 1033. in dictus Rагineri Longicolli traditum est fraudulenter castrum, quod dicitur Eiham, & datum est Baldewino Barbato, qui castrum funditus destruxit.* Ubi notandum obiter non tunc Raginerum Longicollum vixisse, hujus nominis secundum, sed Raginerum quartum, Hannoniæ comitem.

comes hujusce nominis quintus an. 1063. instauravit & monachis Benedictinis concessit, præposito Waltero abbate ex cœnobio S. Vedasti. Hæc quidem altera fundatio constat ex litteris Balduini, nostra inter instr. (Ch. I. col. 289.) Neque primam minus evincit chronographus Cameracensis, lib. 2. cap. 45. his verbis : *Est locus super Scaldim fluvium, quem dicunt Iham ; ubi modernis temporibus honorabilis vir comes Godefridus, & uxor sua Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim suum prædium suis usibus opportunum) castro quidem munito navigium, mercatum, teloneum, ceteraque negotia statuerunt. Infra castrum vero monasterium in honore S. Mariæ, deputatis canonicis fundaverunt. Extra autem Herimannus filius duo monasteria struxit, unum sancto Laurentio, alterum vero sancto Salvatori. Nunc igitur locus, utpote noviter instructus, ex omni sufficientia floret, & tamen esset uberior, nisi crebro hostili incursione quateretur, quod maxime ab inimicis Dei patitur, pro stabilitate regni & fidelitate Imperatoris.* Hactenus ex chronico Camerac. quod desinit ad an. Christi 1030. Porro sic restauratum a Balduino V. monasterium in honorem S. Salvatoris, illique attributum castellum Einham, eadem, qua ipse ab Herimanno comite acceperat, libertate, permanente tamen ejus loci patrocinio apud comites Flandros, anno seq. 1064. Lietbertus Camerac. episcopus, ad quam tunc diœcesim locus pertinebat, singulari privilegio immunitatis insignivit; (Mir. novæ editionis pag. 152. & 153.) Quo etiam anno idem Balduinus comes monasterii subadvocatos constituit Arnulfum Aldenardensem ejusque successores. Sæpissime nihilominus direptus est hic locus, annis videlicet 1379. 1382. 1452. & 1568. cum jam unitus esset congregationi Bursfeldensi, aliis ab an. 1522. aliis 1524. qui tandem an. 1620. ad Exemtorum in Belgio cœnobiorum congregationem accessit.

SERIES ABBATUM.

I. WALBERTUS & GUALBERTUS ita vocatur in charta fundatoris an. 1063. & in alia anni seq. a Lietberto Camerac. episc. pro immunitate cœnobii concessa. (Ibid.) Appellatur autem Walterus in annal. Meyeri & Locrii ad an. 1063. & in annal. Mabillonii eodem anno, ubi dicitur accitus ex cœnobio S. Vedasti, quo postea reversus est.

II. Lambertus ex monacho S. Bertini occurrit abbas Einhamensis an. 1085. & 1088. (Ibid. cap. XLVI. pag. 169.) neque enim duos esse putamus.

III. Tancradus reperitur abbas in charta Manassis episcopi Cameracensis Bornhemii fundationem confirmantis an. 1101. Præerat adhuc an. 1110. ex quodam catalogo ad nos transmisso.

IV. Ghiselbertus seu Giselbertus & Gislebertus I. monachus Afflig. an. 1110. ind. III. ecclesiam de Pamelle in urbe Aldenarda accepit ab Odone episc. Camerac. quo etiam anno testis est in charta ejusdem præsulis pro abbatia de Cortemberghe, & in alia anni 1112. pro cœnobio Bornehemensi. (Ibid. pag. 959 371. & 679.) Item memoratur 1124. 1126. & 1129. in charta Theoderici Flandriæ comitis pro Aldenburg. monasterio. Denique transiit ad abbatiam Blandiniensem an. 1131 ubi decessit 1138.

V. Snellardus monachus Affligem. an. 1138. indictione XV. plura recipit a Nicolao episcopo Cameracensi. Anno seq. vetustam Einhamensem ecclesiam dejecit & incœpit novam. Idem 1148. testis est in privilegio Nicolai Camerac. episcopi pro Gerardimontensi cœnobio ; quo etiam anno ipsemet ab Eugenio III. Romano pontifice sui monasterii possessionum confirmationem accepit. Demum, cogente paupertate & æmulorum persecutione, curam deposuit pastoralem, Affligemium regressus.

VI. Willelmus I. 1157. ex laudato catalogo, is est W. qui an. 1153. Viconiensibus habendi cœmeterium in loco de Belmont facultatem concessit.

VII. Arnulfus I. anno 1160. calendis Junii adfuit Rothornaci translationi S. Cypriani episc. & martyris ; memoratus 1163. in indice laudato, antea monachus & prior Affligemiensis. Inde assumtus in abbatem Affligem. cedente Godescalco an. 1165. moritur 1177.

VIII. Giselbertus seu Gislebertus II. monachus Affligem. memoratur an. 1167. in charta Geraldi Grimbergæ & Ninoviæ domini pro Ninivensi cœnobio. (Mir. novæ edit. pag. 541.) De eo sic legitur in chronico Affligemiensi : *An. 1169. D. Giselbertus monachus Affligeniensis agens abbatem Eynamensem, illam ecclesiam illustravit & in proventibus ampliavit ; sed & tria ordinis Cisterciensis monasteria laudabiliter rexit. Depositus fuit, eo quod Enemenses nigros ejecerit, & Cistercienses introduxerit.* Adhuc tamen occurrit abbas an. 1172. in charta Elnonensi, & 1175. in indice laudato.

IX. Lambertus II. monachus & prior Bavonianus, reperitur abbas Einhamensis ann. 1187. & 1191. rursumque 1195. in catalogo sæpius laudato.

X. Walterus an. 1205. se nullum jus habere in ecclesia de Eynes confitetur. Occurrit anno seq. in indice laudato ; & quidem hoc ipso anno sepultus dicitur in capitulo Eenamensi.

XI. Sigerus monachus Affligem. an. 1227. sepulturam accepit in capitulo Einhamensi.

XII. Henricus de Longo-agro, eodem anno 1227. transigit cum Elisabetha abbatissa de Gillenghien, 1230. cum S. Martini Tornac. monasterio, & 1243. cum abbatia de Laude, his quidem duobus annis per primam tantum sui nominis litteram designatus. In historia sacra & profana diœcesis Mechlin. non ita pridem edita sepultus dicitur ante capitulum anno 1245 : qui tamen occurrit 1249. in catalogo MS. laudato.

XIII. Arnulfus II. sui monasterii strenuus defensor, obiit 1260. ante aliquot annos abdicato regimine.

XIV. Balduinus reperitur an. 1273. in catalogo laudato. Eenami conditus est ante altare S. Johannis Bapt.

XV. Gerardus I. quem hist. Mechlin. præfuisse tradit annis 33. fortasse tamen non nisi 23.

XVI. Johannes I. de Montibus, ex Hannonia obiit an. 1300.

XVII. Egidius de Schendelbeke 1318. ex catalogo laudato.

XVIII. Godefridus I. 1328.

XIX. Giselbertus III. de Jonghe Blandiniensis monachus, 1332. ex indice laudato.

XX. Johannes II. de Bucq rexit annos 33. obiitque 1366.

XXI. Johannes III. Ysferman defunctus est anno 1390.

XXII. Gerardus II. Guise rexit monasterium annis quatuor, sepultusque est ante ostium chori majoris 1393.

XXIII. Johannes IV. de Thoralto defecit an. 1420.* ætatis 60. regiminis 16. *f. 1410.

XXIV. Godefridus II. de Scornaco, obiit octuagenarius an. 1465.

XXV. Guillelmus II. Fabri abbas dignissimus & quasi novus fundator, vita functus est anno 1491. dignitatis suæ 24.

XXVI. Gerardus III. monachus Affligemiensis, obiit & sepultus est in Lotharingia in ecclesia B. Mariæ an. 1497.

XXVII. Godefridus III. de Braële vel de Bracle an. 1529. Rothnaci S. Hermetis martyris reliquias ex veteri feretro in novum transtulit. Obiit plenus dierum an. 1538.

XXVIII. Otho ab Hasten monachus Affligem. a Carolo V. imperatore datus coadjutor, vivere desiit 1551.

XXIX. Petrus I. de Beca Torentinus interiit an. 1556.

XXX. Gerardus IV. Cannart monachus Affligem. moritur 7. Decemb. 1559.

XXXI. Antonius I. Bichius vel Bigius ex priore in abbatem electus 24. Julii 1560. obiit die quinta mensis sequentis, antequam benedictionem percepisset.

XXXII. Gabriel Bacquet electus e gremio, confirmatur a Romano pontifice die 30. Julii 1563. Obiit 1582. 10. Julii dum Atho rediret Aldenardam, sepultus ibidem in ecclesia de Pamele, in medio chori ante summum altare, tanquam ecclesiæ patronus.

XXXIII. Simon de Warluzel ex abbate Gerardimontensi, factus est Einhamensis an. 1582. hoc ipso benedictus 15. Nov. Gandavi mortem oppetiit 12. Nov. 1587. sepultus in choro ecclesiæ de Pamele.

XXXIV. Jacobus de Lannoy collapsi monasterii restaurator, vitam amisit Aldenardæ die Conceptionis B. V. Mariæ, ibidemque sepultus est in ecclesia de Pamele an. 1593.

XXXV. Carolus Philippus de Rodoan Brugensis episcopus & abbas, obiit in hac abbatia die 7. Julii 1616.

XXXVI. Hugo d'Enghien ordinis alumnus confirmatur abbas X. Aprilis 1617. Obtinuit anno seq. sibi & successoribus usum mitræ & pontificalium. Aldenardæ cessit e vita 29. Julii an. 1637. Eenami sepultus; ac proinde is est qui suum aggregavit monasterium Exemtorum congregationi an. 1620. vel 1625. ex hist. MS. S. Amandi.

XXXVII. Petrus Ernestus Garnier loci alumnus, obiit 1657.

XXXVIII. Antonius II. de Loos Bruxellensis, A ex priore in abbatem assumtus benedictionem percipit an. 1658. Adfuit an. 1672. Sabbato 5. Nov. cum aliis abbatibus infula redimitus solemni ecclesiæ S. Amandi consecrationi, ac postridie benedictioni Petri Honoré in abbatem ejusdem ecclesiæ. Decessit an. 1682.

XXXIX. Ignatius du Smet Alostanus ex familia consulari obiit 1703.

XL. Engelbertus van Busleyden ex priore electus abbas, vitam exuit an. 1709.

XLI. Laurentius Reyngodt Brugensis, abbas item ex priore, anno 1720. eligitur præses & visitator monasteriorum Benedictinorum in B Belgio. Præerat 1725. decoris abbatiæ plurimum sollicitus.

AFFLIGHEMIUM.

AFFLIGHEM.

SIve Affligenium, uti S. Bernardus nuncupasse fertur, quasi ubi genius affligitur, & ubi se angelos alibi homines invenisse idem prædicabat, *Novum* quoque *monasterium* aliquando dictum est, in charta scilicet Henrici III. comitis Lovan. ejus fundatoris an. 1086. in charta B. Idæ matris Godefridi Bullonii, ducis Lotharingiæ & post regis Jerosolymitani an. 1096. quasdam C decimas Affligemio tradentis; in altera quoque Manassis episcopi Camerac. an. 1101. pro cœnobio Bornhemiensi, ac denique *Novus locus* in instrumento Gerardi Cameracensis episcopi an. 1086. hanc ecclesiam libertate donantis. Sita est hæc abbatia Benedictinorum in finibus Brabantiæ & Flandriæ, uno circiter milliari Alosto, Bruxella quarto, hanc inter & Gandavum urbes, in diœcesi olim Cameracensi, modo Mechliniensi. Hæc est autem totius Brabantiæ faciše princeps, cujus abbas duodecim inter Brabantinos, in comitiis ordinum provinciæ, jure primi suffragii gaudet. Et quidem merito, quam utD pote abbatiam non solum S. Bernardus, ut supra, sed & Jacobus vitriacus histor. Occid. c. 20. & Thomas Cantipratanus, libro 1. Apum c. 4. lib. 2. cap. 13. itemque, lib. 2. vitæ S. Ludgardis, cap. 20. & lib. 3. cap. 12. miris efferunt laudibus.

Mir. nova edit. pagg. 73. 77. & 169. & in appendice nostra, Ch. III. 291.

Porro sic ejus primordia refert Albericus in chronico ad an. 1083. *Afflighimense cœnobium tale sumsit exordium: Prædicante Witherico* (Gederico vel Goderico) *servo Dei,* * *conversi quinque milites* (sex, quorum unus postea ceteros deseruit & turbavit) *suis integre renuntiant, inter quos Gerardus Niger, qui præ ceteris excellentior* E *videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum sociis locum Afflighem dictum, sicut nomine, sic omni barbarie incultum, quippe qui latrocinantium tantum conventiculis aptus erat, ædificare & claustrum in eo exstruere aggreditur*, statim a conversione monachis ex Aquicincto accersitis, a quibus monasticum ordinem, ipsummet Cluniacensem, discerent, qui paulo post revocantur. Et post aliqua, subjungit ad annum 1086. *Affligemensis cœnobii fundatores, qui omnibus abjectis ita nudi ad ædificandum convenerant claustrum, ut nihil secum præter panes tres, dimidium caseum, &*

* monacho Blandiniensi & presbytero.

Spicil. t. XII. pag. 443.

pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis (1086.) *a Gerardo Cameracensi episcopo in honore Petri & Pauli* * *ecclesiam dedicari faciunt.*

His concinunt tum Henrici III. comitis Lovaniensis, tum Gerardi Cameracensis episcopi documenta superius memorata. Exstat vero tom. x. Spicilegii historia hujus cœnobii, quod quidem anno 1524. ad congregationem Bursfeldensem accessit, & post centum circiter annos primigenium Benedictinæ regulæ institutum, adinstar congregationis SS. Vitoni & Hidulfi apud Lotharingos nuper excitatæ amplexum est, & ibidem hactenus perseverat, sub nova congregatione S. Placidi, seu monasteriorum S. Benedicti reformatorum in Belgio, quæ non sunt nisi quinque, S. Huberti in Arduenna silva, Affligemiense in Brabantia, Gerardimontense in Flandria & Gislenopolitanum ac Sandionysianum in Hannonia.

* Aliquando tamen dicitur monasterium S. Mariæ Affligemiensis, haud dubie ob ejusdem sanctissimæ virginis iconem, a qua in hoc cœnobio resalutatum fuisse S. Bernardum volunt.

Series abbatum.

I. FULGENTIUS ex Brabantia Gallicana oriundus, monachus S. Agerici Virdunensis, primus in abbatem electus est anno 1088.* in festivitate S. Martini, & anno seq. benedictus in festo S. Gregorii, memoratur 1112. in charta Odonis episc. Camer. pro Nivellensi parthenone. Hic vero quanti nominis exstiterit, satis superque loquuntur varia ipsius curæ commissa monasteria. Primum fuit ratione temporum cella Fraxinea *de Frasne* canonicorum regularium in Gallobrabantia, quam an. 1099. ex dono cujusdam matronæ, Eremburgis nomine, suscepit regendam, ibique prioratum a sua dependentem abbatia constituit. Alterum, cella S. Andreæ prope Brugas an. 1105. Deinde Forestensem prope Bruxellas sacrarum virginum abbatiam legibus communivit circa an. 1110. Tum ei cella in Bornchem committitur an. 1120. Laudatur etiam Fulgentius ab hospitalitate, quam exhibuit an. 1121. Rodulfo abbati S. Trudonis, ut hic ipse loquitur in chronico, lib. XI. Cumque cœlo tandem maturus esset, vivere desiit in terris an. 1122. relinquens abbatiam multis prædiis auctam, sed virtutum incrementis adhuc longe ditiorem; cujus quidem sanctitatem non obscure testatur illa mirabilis apparitio, qua duos lectulos in cælo parari, alterum pro S. Anselmo Cantuariensi archiepisc. & alterum pro S. Hugone Cluniacensi abbate conspexit.

* al. 1087.
Mir. novæ edit. pag. 677.
Mir. novæ edit. pag. 670.
Ibid. p. 272.
Ibid. p. 78.
Ibid. p. 170.
Tom. VII. Spicil. pag. 453.
Tom. X. Spicil. pag. 609.

II. Franco successit, sed minime an. 1111. uti habet D. Dupin, neque 1109. uti legitur apud Valerium Andream in bibliotheca Belgica. Memoratur autem 1123. in charta Burchardi episc. Camerac. pro S. Dionysio de Broqueroia. Multa scripsit, de quibus Trithemius lib. de scriptoribus ecclesiasticis, Valerius Andreas libro citato, & continuator chronici Affligem. tom. x. Spicil. Ab ipso ampliatum & ornatum monasterium, auctaque libraria supellex. Ejus quoque temporibus Affligemio traditum est a Godefrido Barbato Fliderbecanum juxta Lovanium cœnobium an. 1125. eidemque subjecta an. 1133. major Bigardia virginum Benedictinarum; unde plusquam ducentorum triginta, sive monachorum sive monialium pater celebratur. Obiit 1135. idibus Septembris.

Mir. novæ edit. pag. 681.
Ibid. p. 90. & 98.

III. Albertus ægre susceptum onus pastorale, uno vel altero post anno lubens deposuit, pieque defunctus est 1144. IV. cal. Octob. *al.* Sept.

IV. Petrus an. 1138. ind. 1. Godefridum I. cognomento Barbatum, ducem Lothar. & comitem Lovanii Henrici fundatoris fratrem, beneficum experitur, eumque sepelit in ecclesia ante altare SS. apostolorum an. 1140.* Quo etiam circiter anno Henricum ejus filium Lovanii comitem monachum effecit & post annum sepelit 1141. Abdicasse legitur Petrus 1146. & obiisse 1147. pridie cal. Decembris; alibi tamen mortuum legimus 1149. abjecta dignitate anno præcedenti.

Miræus chron. ord. S. Bened. pag. 297. & origin. cœnob. Belg. pag. 135.
* 1138. ex chronico Alberici.
Mir. novæ edit. pag. 179.

V. Godescalcus an. 1148. bullam protectionis accepit ab Eugenio III. qua monasterii possessiones enumerantur & confirmantur. Idem memoratur 1151. in charta Godefridi III. Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ ducis quandam inter ecclesias S. Petri Affligem. & S. Jacobi Bruxellensis commutationem factam approbantis. Anno 1158. primum in cœnobio Uliderbacensi præpositum nominavit. Deinde cessit an. 1164. iterum futurus abbas.

Ibid. p. 534.
Ibid. p. 392.

VI. Arnulfus ex monacho & priore Afflighem. primum fuit abbas Einhamensis, deinde Afflighemiensis, quo nomine subscripsit an. 1167. litteris Gerardi Grimbergensis domini pro abbatia Ninivensi. Idem an. 1173. Uliderbecanis monachis indulsit ut proprium haberent abbatem, litteris datis, quas in appendice nostra,* require & apud Mir. novæ edit. pag. 830. An. 1177. corpus B. Wivinæ primæ abbatissæ Bigardiæ majoris, jussu Alardi Camerac. episcopi, e terra levavit & in feretro collocavit. Obiit Arnulfus hoc anno vel seq.

Ibid. p. 542.
* Ch. VIII. col. 397.
Ibid. p. 99.

VII. Godescalcus iterum admotus regimini, memoratur 1186. in charta Godefridi Bruxellensis castellani duos mansos terræ in Wolue Forestensi monasterio recognoscentis. Anno seq. S. Andreæ monasterium juxta Brugas abbate proprio gaudere permittit. Idem an. 1193. sacras B. Alenæ virg. & mart. reliquias ex crypta parochialis ecclesiæ Forestensis, in quam translatæ fuerant, retulit & populo exhibuit. Defunctus est anno seq. vel 1195.

Ibid. p. 758.
Ibid. p. 286.

VIII. Sigerus de Craynhem nobili ortus prosapia, quem & Sanderus equitem auratum prædicat, ex eleemosynario factus abbas, obiit 1198. v. cal. Febr.

IX. Willelmus I. abdicavit an. 1203.

X. Robertus mox subrogatus, occurrit 1210. & 1214. quo anno decimam quamdam in parochia Anderlechtensi ab Olivero de Sottegem, cum assensu capituli de Anderlecht pigneratus est. Reperitur etiam 1222. de quo sic legitur in fragmento veteris codicis MS. *Dominus Robertus abbas nonus fabricavit refectorium nostrum, celavit*

(ſtravit) *etiam lapidibus magnam eccleſiæ partem, a cruce uſque ad finem.* E vivis exceſſit XIII. cal. Aprilis 1224. hoc eſt 1225. quo quidem anno Sigerum caſtellanum Gandavenſem munificum expertus eſt.

Hiſt. Mechl. p. 1. pag. 96.

XI. Willelmus II. domum lapideam conſtruxit, in qua nobiles hoſpitio reciperentur. Is eſt W. cui & R. abbati Ninivenſi, &c. Godefridus de Fontanis epiſc. Camerac. ſe in mandatis dediſſe, ut perſonaliter accederent apud Swiveke ad conſiderandum locum idoneum, in quo poſſet clauſtrum ſanctimonialium Ciſterc. ordin. collocari, ſcriptis litteris an. 1228. teſtatur. Porro quanquam hic abbas jurium monaſterii ſui ſtrenuus eſſet defenſor, conſenſit tamen, volente Guidone epiſc. Camerac. an. 1238. Foreſtenſem parthenonem ex primæva inſtitutione prioratum Affligemienſi abbati ſubjectum, ab ea ſubjectione eximi & ab Affligemio ſeparari. Vivere deſiit an. 1242. IV. idus Apr. ex hiſt. Affligem. IV. nonas, ex Sandero.

Mir. nova edit. pag. 416.

XII. Johannes I. aſceta Gemblacenſis & abbas, primum tamen Affligemium poſſediſſe videtur, ab anno ſcilicet 1242. ad 1259. deinde vero Gemblacum ab an. 1259. ad 1260. ſeu 1261. ante Paſcha, quo defunctus dicitur XVI. cal. Maii. His autem poſitis ſic emendandos putamus abbates Gemblacenſes, tom. 3. novæ Gall. Chriſt. pag. 462. Johannes III. de Bronio n. XX. præmittendus eſt Johanni II. n. XIX. & hic quidem ubi mortuum diximus XVI. Maii. MCCXL. ex Grammaio, conjicimus legendum XVI. cal. Maii MCCLX. ſicque abradenda eſt nota ad calcem paginæ poſita. Ceterum hic abbas ob prudentiam & morum integritatem ſanctæ Ludgardi, virgini Aquirienſi cariſſimus, eidem e vita migranti adfuit an. 1246. Fabricavit dormitorium & clauſtrum, & aquæductibus ornavit, clarus tamen in primis ob reſtitutam diſciplinam regularem, quæ ſenſim intepuerat.

XIII. Henricus I. magnam eccleſiæ B. Mariæ partem exſtruxit, fudit campanas, ac tandem obiit an. 1264. XI. cal. Febr. ex Sandero, 22. Febr. ex hiſt. Mechlin.

XIV. Henricus II. præerat jam an. 1267. ex probat. genealogiæ ducum Burgundiæ, auctore Ducheſne, pag. 109. Hic perfecit eccleſiam S. Mariæ, pulcraque tabula ſummum altare adornavit. Eum Martinus IV. pontifex conſervatorem bonorum Cortenbergenſis monaſterii conſtituit an. 1284. Idem abbas in prioratu Fraxinenſi ſympoſia ſuſtulit; cumque laudabiliter præfuiſſet obiit an. 1301. IV. idus Januarii, ex hiſt. Mechl. IV. nonas, ex Sandero.

Ibid. pag. 1011.

XV. Willelmus III. cognomento Loëſius Beghinarum Aloſtenſium curam, præcipiente Philippo Camerac. epiſcopo ſuſcepit, moxque ſtatuta edidit ex veteri obſervantia depromta, quibus diſciplinæ diſſolutioni proſpiceret. Defecit anno 1311.

XVI. Johannes II. pace compoſita cum Nivellenſibus canonicis, vita functus eſt 1314. calendis Januarii.

XVII. Thomas incenſi monaſterii an. 1333.

A ex bello inter Flandros & Brabantos dolore preſſus, ſpiritum emiſit anno ſeq. nonis Julii.

XVIII. Johannes III.

XIX. Johannes IV. Wolmeroy *al.* Woluroy monaſterium reſtituere aggreſſus eſt, ac deinde ipſius regimen ſponte dimiſit an. 1370. Urbano V. approbante.

XX. Almericus Tays an. 1379. mitræ & ceterorum pontificalium uſum obtinuit a Gregorio XI. tum vero a Venceſlao Brabantiæ duce abdicare coactus, & a Johanne Camerac. epiſcopo excommunicatus, provocavit ad ſedem apoſtolicam, cujus tandem judicio abſolutus, obiit an.

B 1398. XII. cal. Aug. *al.* 28. Aug.

XXI. Henricus III. de S. Gaugerico vir nobilis plurima prædia recuperavit, fatô functus an. 1413. VII. idus Maii.

XXII. Johannes V. Alphius vel de Alphenis, Johanni Brabantiæ duci a conſiliis, cum aliis decem viris, ob teneram Principis ætatem multa reipublicæ bono præclare geſſit. At multum rei ſpirituali monaſterii nocuit, quando rem temporalem tres in partes dividi, alteram ſibi, conventui alteram, & fabricæ tertiam, ac inſuper priori, cantori & aliis officialibus quaſdam concedi poſſeſſiones permiſit. Memoratur an. 1415. in pacto

C unionis Brabantos inter & Limbugenſes. Ceſſit denique an. 1425. & obiit 1429. XI. cal. Febr. cujus memoria annue recolitur in obituario parochialis eccleſiæ pagi comitatus Aloſtani, dicti *Ter-Alphene* ſive *Ter-Elſt.*

XXIII. Henricus IV. de Aſcha, nobilis Brabantinus, duo latera clauſtri ædificavit; ſed poſtmodum dilapidationis accuſatus ab officio removetur, aſſignata ei penſione 400. coronatorum. Fatis conceſſit anno 1474. die 16. Jan. ex hiſt. Mechl. V. cal. Jan. ex Sandero, ſepultus in parochia de Meldert, intra cujus milites ſitum eſt monaſterium.

D XXIV. Goſwinus Herdincx unanimi conſenſu electus & a Calixto II. confirmatus, poſt Caroli bellicoſi ducis obitum, legatione pro ſua patria functus eſt ad Ludovicum Galliæ regem Mariæ provincias invadentem. Neque minus etiam ſollicitus, ne bona monaſterii diſſiparentur, illorum conſervatores obtinuit ab Alexandro VI. abbates S. Petri Gandavenſis, S. Michaëlis Antuerpienſis & S. Gertrudis Lovanienſis. Viam univerſæ carnis ingreſſus eſt an. 1493. Poſt cujus mortem eligitur abbas Giſelbertus Marſelarius *al.* Maetzelarius, at ipſe cauſatus ſe minus eſſe idoneum, ceſſit, prioratu Waverenſi contentus.

E XXV. Willelmus IV. Michaëlis, ex priore Fraxinenſi creatur abbas; vir tantæ modeſtiæ, ut oblatam a Julio papa II. cardinalitiam dignitatem recuſaverit; tantæ nihilominus in ſuum monaſterium propenſionis, ut illud ab omni juriſdictione epiſcopali eximi curaverit, ejuſdem Pontificis auctoritate & Cæſarea an. 1512. Inde vero procerum conſilio coadjutorem adlegit Willelmum de Croy, cui demum regimen tranſcripſit anno 1516. poſt emiſſam in monaſterio profeſſionem.

XXVI. Guillelmus ſeu Willelmus V. de Croy, de quo jam diximus in epiſcopis Camerac. obiit

an. 1521. III. nonas Jan. ex Sandero, 5. Jan. ex hist. Mechlin. melius 6. ut habetur in epitaphio, tom. 3. novæ Gall. Christ. col. 52.

XXVII. Carolus de Croy Guillelmi superioris frater, statim ut professus est, obtinuit abbatias de Alto-monte & S. Petri Afflígem. vacantes per obitum fratris 1521. quibus etiam anno 1528. Gislenensem adjecit, cum jam esset episc. Tornac. ab an. 1524. Moritur in abbatia S. Gisleni III. idus Decemb. an. 1564.

XXVIII. Arnoldus Motmannus ex præposito abbas electus & a Philippo II. Hispan. rege confirmatus, dignitatem iniit an. 1565. mense Maio, quam adhuc obtinebat 1567. Verum cum interea, imo jam antea in erectione novorum per Belgium episcopatuum Pius IV. Affighemium archiepiscopatui Mechliniensi annexuisset, cedere coactus est Motmannus; tumque prior Waveræ & Fraxinæ constitutus, diem ultimum piissime clausit an. 1597. die 14. Junii.

Mir. nova edit. pag. 610. & 1092.

XXIX. Antonius Perrenot, cardinalis Granvellanus, primus Mechliniensium archiepisc. & eo nomine abbas Affligemiensis, hujus monasterii per vicarium suum Maximilianum Morillon possessionem accepit an. 1569. Has porro dignitates, dum alibi agit, & aliis sacerdotiis, hæc inter Vesontionensi, oneratur, dimisit; ac vivere desiit an. 1586. XI. cal. Octobris; cujus temporibus sub annum circiter 1580. propter hæreticorum grassantium continuas excursiones ac infestationes, monachi locum deserere coacti sunt.

XXX. Johannes VI. Hauchinus, Gerardimontanus, Granvellano datus a Rege successor, cum per annos quinque præfuisset, magno sui relicto desiderio decessit an. 1589. nonis Januarii.

XXXI. Matthias Hovius Affligemium restituere aggressus est anno 1601. Morti debitum solvit an. 1620. III. cal. Junii.

XXXII. Jacobus Boonen successit, sub quo viri venerabiles, Benedictus Haëftenus præpositus Affligem. Hubertus Phalesius prior Bornhemiensis & Michaël a Porta Wavriensis cum aliis novem sociis reformatum seu primitivum, uti jam diximus, regulæ Benedictinæ institutum amplexi, expleto unius anni tirocinio, solemnem professionem an. 1628. die festo S. Lucæ emiserunt. De ceteris archiepisc. Mechliniensibus vide superius: Nunc de præpositis, qui sub archiepiscopis monasterium rexere, dicendum est paucis.

PRÆPOSITI AFFLIGEMIENSES,

Ex quo maxime nobilissimum hoc monasterium sedi Mechliniensi annexum est.

I. HUBERTUS DU BRAY assumtus e cœnobio S. Johannis Ypras translato, uti etiam duo sequentes, primus ab ultima restauratione inducta, ut videtur, a Matthia Hovio præpositus creatur an. 1602. Ei defuncto tale inscriptum est epitaphium: *Reverendi patris ac domini D. Huberti du Bray Affligemiensis monasterii ab ultima restauratione primi præpositi, ex priore monasterii S. Johannis in Monte Ypras translati, optimi viri memoriæ æternum renovandæ dedicatur. Obiit 29. Aug. 1605.*

II. Judocus Cobbartius vel Cobbardus successit cum titulo prioris non præpositi an. 1605. abdicare jussus 1612.

III. Henricus Vande Zype titulo præpositi Cobbartio suffectus est an. 1612. tum an. 1616. abbas S. Andreæ Brugensis constitutus, de quo tanquam scriptore Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, pag. 375.

IV. Benedictus Haëftenus Ultrajectinus, in seculo Jacobus dictus, religionem Benedictinam Affligemii professus, nomen Benedicti assumsit. Inde constitutus ejusdem monasterii præpositus, primævam & strictiorem regulæ Benedictinæ observantiam, sive reformationem ibidem anno 1627. cum aliis recipit; eoque spiritu accensus non solum ibi feliciter rexit, sed & reformationem in omnium hominum cordibus ac moribus, editis piis, nec minus doctis libris, promovere contendit. Opera ejus recenset Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, inter quæ principem locum obtinent amplissimæ & eruditæ in regulam S. Benedicti disquisitiones. Vita functus est anno Domini 1648. pridie cal. Augusti, dignitatis 32. ætatis 60.

V. Robertus Estrix ei subrogatur die 19. Novembris an. 1648. fuitque mitra redimitus 28. Junii 1662. inquit auctor historiæ Mechliniensis. Abdicavit autem vir disciplinæ regularis observantissimus 1664. & obiit prior Bornhemiensis 1675.

VI. Æmilianus van Hoyvorst Mechliniensis, sequens epitaphium habet, ex quo maxime dignoscitur:

D. O. M.

Piæ æternæque memoriæ admodum reverendi
Domini Æmiliani van Hoyvorst Mechliniensis,
Hujus monasterii tertii ab introducta Cassinensi
Reformatione præpositi, doctrina & pietate
Conspicui, demortui anno salutis MDCLXXXII.
Undecima Januarii, ætatis suæ LXX.
Dignitatis XVIII. Jubilæi I.º
Requiescat in pace.

VII. Rupertus Beydaels tali decoratur epitaphio:

D. O. M.

Memoriæ R. admodum D. D. Ruperti Beydaels;
Qui post emensa varia intermunia honorum
Onerumque stadia, ad præposituram hujus loci
Evectus, ad superos est evocatus 29. Aug.
An. 1685. ætatis 50. professionis XXX.
Dignitatis IV. Vir magnus hic clausus anguste.
Lege, luge, ora, ut lux perpetua luceat ei,
Amen.

VIII. Vedastus van Nuffel cessit an. 1690. mortuus prior Bornhemiensis 1707.

IX. Romanus Spruyt successit 29. Decemb. 1690. verum a præpositura remotus 1696. 8. Aug. moritur Affligemii 14. Febr. 1718.

X. Odo de Craeker eodem cessionis alterius die successit, & adhuc laudabiliter præerat. 1726.

GERARDMONT vulgo GRANDMONT.

GERARDIMONS seu S. ADRIANUS DE GERARDIMONTE.

URbs Flandriæ ad Teneram fluvium, qui eam præterlabitur, Cameracensis olim, nunc Machliniensis diœcesis, monasterium hujusce nominis habet ordinis S. Benedicti, sub patrocinio quondam S. Petri, modo S. Adriani martyris ab an. 1110. quo maxima pars hujus sancti corporis illata est monasterio. Primum auctorem agnoscit Hilduardum Tullensem postea episcopum, Bertini successorem, qui an. 732. Dickelvennam, antiquitus Declinium, Declivum, & Tichlinium, seu Ticlivinnum in comitatu Alostano Gandavum inter & Aldenardam accedens, locum omnem paganis ritibus addictum ad fidem Christianam convertit, ibidemque monasterium sub S. Benedicti regula instituit, anno 750. uti habetur in annalibus Meyeri, at citius aliquot annis, ut postea dicemus. Deinde hunc locum an. 1068. Balduinus IV. dictus Montanus, Flandriæ & Hannoniæ comes instauravit Dickelvenn. evocatis fratribus Aquicinctinis, ad quos etiamnum pertinet hujus ecclesiæ patronatus; ac tandem Gerardus II. Camerac. episcopus an. 1081. cœnobium transtulit Gerardimontem; idque confirmavit & locum dedicavit in honorem S. Petri Manasses Gerardi successor an. 1096. precibus Roberti Junioris seu Jerosolymitani Flandriæ comitis. Utriusque pontificis ea de re litteræ exstant in historia nova Mechlin. part. 2. pag. 190. & in novissima editione operum Miræi, pag. 513. & 165. Unum & alterum addam, quod non parum hujus cœnobii gloriæ conducit, die scilicet 22. Febr. an. 1627. primævam S. Benedicti regulam in hoc monasterium esse introductam, ejusdemque loci monachos juventutem huc undique confluentem christianis moribus & litteris humanioribus informandam suscepisse.

Mir. novæ edit. p. 31.

Ch. II. col. 290.

SERIES ABBATUM.

I. S. HILDUARDUS an. 735. monasterium construxit, ac primus gubernavit, qui deinde ad sedem Tullensem evectus, post obitum IV. calend. Jan. an. 750. consignatum, ecclesiæ Dickelvennensis haberi patronus meruit.

II. Bittinus I. Hilduardi discipulus & in regendo monasterio successor, an. 759. non sine fama sanctitatis migravit a seculo.

III. Bittinus II. vir meritis & virtutibus clarus ex hac vita decessit an. 764.

IV. Aldebertus eodem anno subrogatus, obiit anno 778.

V. Arnulfus mortem oppetiit an. 787.

VI. Paschasius, sub quo mirifice floruit in hoc cœnobio monastica disciplina, fato functus est an. 799.

VII. Willelmus eodem anno suffectus, vivere desiit an. 807.

VIII. Lambertus, cujus temporibus ecclesia Dickelvennensis novis ædificiis ornamentisque illustrior evasit, clarus meritis diem clausit extremum an. 824.

A IX. Madfridus novum, dum viveret, regulari observantiæ splendorem adjecit. Mortuus est an. 838.

X. Audulfus an. 846. metu Normannorum aufugit Teneramundam cum sacris S. Hilduardi exuviis, ubi dies absolvit an. 854. interea dictis prædonibus Dickelvennam, Gandavum, &c. ferro & igne devastantibus an. 851.

XI. Hunfridus reparato utcumque monasterio defunctus est 880.

XII. Hugo fatis concessit 890.

XIII. Godefridus I. cujus, inquiunt, temporibus an. 896. Balduinus Flandriæ comes cœ-B nobium ædificare cœpit, vitam cum morte mutavit 923.

XIV. Silvinus ingemuit monasterium flammis absumtum. Denatus est an. 940.

XV. Richarius instaurato cœnobio dispersum gregem revocavit; quo tempore cum Arnulfus comes an. 943. in reformandis monasteriis totus esset, hoc inter alia octodecim numero reformationem suscepit. Obiit Richarius an. 958.

XVI. Aubertus interiit 968.

XVII. Rogerus, quo sedente monasterii pars iterum incendio dissipatur, migravit ad alteram vitam 980.

C XVIII. Fulbertus diem suum obiit 986.

XIX. Godefridus II. moritur 998.

XX. Hecluinus e vivis excessit 1012.

XXI. Richardus subita morte exstinctus est 1020.

XXII. Heribertus viam universæ carnis ingressus est 1035.

XXIII. Conradus morti debitum solvit 1040.

XXIV. Simon I. appositus est ad patres an. 1056.

XXV. Adelelmus fato eripitur 1072.

XXVI. Reynerius decessit 1079.

XXVII. Suelardus & Senelardus seu Snellar-D dus, fuit ultimus abbas Diclevennensis & primus Gerardimontensis, cujus scilicet temporibus a loco Diclevenna monasterium Geraldimontem translatum est. Huc autem anno 1095. consentiente Manasse archiepiscopo Remensi, cum suo conventu transmigravit; quanquam adhuc anno 1101. se inscribit abbatem Diclevennensem in charta fundationis abbatiæ Bornhemiensis; verum an. 1112. se vocat abbatem Geraldimontensem in charta Odonis episcopi Camerac. ejusdem abbatiæ fundationem confirmantis. Obiit hoc anno, clarus exceptis biennio ante S. Adriani martyris reliquiis.

Mir. novæ edit. pag. 168.

Ibid. pag. 371.

E XXVIII. Eskelardus, quem vix alium putamus a Senelardo præcedente, subscribit litteris Affligemiensis abbatiæ an. 1112. inquit auctor novæ hist. Mechliniensis, qui laudat Andream Duchesne in prob. familiæ Gandav. pag. 66.

XXIX. Gillardus I. & Gislardus an. 1118. Burchardum episc. Camer. munificum experitur; cujus etiam pontificis pro monasterio S. Salvii litteris inscribitur an. 1120. Rexisse vero dicitur annos triginta, & obiisse 1142. quod quidem nostræ de superiori Eskelardo, tanquam non alio a præcedente Suelardo robur addit conjectationi.

Ibid. pag. 516.

XXX.

Ch. VII. col. 296. XXX. Gerbodo & Gerbodus an. 1142. accepit a Nicolao Cameracensi episcopo altare de Berga in Brabantia. Memoratur 1167. in charta Gerardi Grimbergæ & Ninoviæ domini abbatiæ Ninivensis possessiones confirmantis, ac proinde perperam mortuus dicitur anno 1149. *vel* 1148.

Ibid. pag. 542.

XXXI. Fulpoldus & Fulblodus, quem ecclesiam de Oneresel a Nicolao Camerac. episcopo accepisse volunt 1148. obiit 1175.

XXXII. Gerardus I. cujus tempore abbatia sub titulo prius S. Petri, ob S. Adriani reliquiarum præsentiam & miracula, ab hujus nomine nuncupari cœpit, an. 1180. villa de Brunfaut ab Egidio domino de Trasegnies donatur, Rogero episc. Camerac. confirmante. Moritur hoc anno Gerardus.

XXXIII. Godefridus III. an. 1181. bullam protectionis accepit a Lucio papa III. Ex hac luce subtractus est anno seq.

XXXIV. Gerardus II. de Ninive obiit anno 1192.

XXXV. Robertus an. 1195. exortam inter parochianos & presbyterum de Lierda S. Mariæ controversiam sopivit. Exstinctus est 1199.

XXXVI. Walcherius præesse cœpit an. 1199. Subscripsit an. 1201. Balduini Flandriæ comitis diplomati pro Ninoviensi monasterio. Mortuus est anno 1207.

Ibid. pag. 562.

XXXVII. Simon II. vel Simeon an. 1208. societatem iniit cum Hugone S. Sepulcri Cameracensis abbate. Obiisse dicitur an. 1218. sed profecto longe citius, vel cesserat.

XXXVIII. Walterius I. memoratur 1211. 12. & 14. quo anno Gervasii militis donum excepit. E vivis excessit an. 1218.

XXXIX. Gillardus II. regimen capessivit an. 1219. mortuus 1227.

XL. Theodericus Blandiniensis monachus an. 1229. pridie calend. Maii societatem iniit cum Waltero abbate S. Landelini de Crispinio. Migravit a seculo 1231.

XLI. Walterius II. post sex annorum regimen decessit 1237.

XLII. Gerardus III. animam exhalavit 1246.

XLIII. Parvinus nonnullis ab Innocentio IV. privilegiis donatus, in pace quievit an. 1258.

XLIV. Guillelmus I. post quatuor annorum regimen devixit 1262.

XLV. Paschasius totidem annis præfuit, bulla interim Clementis papæ IV. donatus. Mortem subiit 1266.

XLVI. Sigerus societatem iniit cum Fratribus Prædicatoribus Gandavi. An. 1271. privilegium obtinuit a Gregorio papa X. & alterum a Johanne XXI. Cessit e vita 1283. *al.* 1285.

XLVII. Thomas sedebat anno 1295. quo apud Gerardimontem habitus est nobilium cœtus, cui adfuere Adolfus imperator, Albertus dux Austriæ, Eduardus Anglorum rex, Johannes filius Brabantiæ ducis, Guido de Borbonio Flandriæ comes & Henricus Barri princeps, in eoque statutum est bellum Regi Francorum indicendum. Obiit Thomas 1302.

A XLVIII. Henricus ex nobili familia de Scendelbeke desiit esse in vivis 1328.

XLIX. Johannes I. viam universæ carnis ingressus est 1332. postquam annis quatuor præfuisset.

L. Guillelmus II. Pape, societatem pretum iniit cum Brugensi S. Andreæ, & sex post annis cum Aldenburgensi cœnobio. Spiritum emisit anno 1343. *al.* 1353. cum ejus tempore totum monasterium conflagrasset.

LI. Guillelmus III. de S.t Gery resarciendo monasterio immoritur 1368.

LII. Egidius I. Meersch an. 1372. societatem B iniit cum Ninivensi monasterio; quo etiam anno indulgentias impetravit a Gregorio papa XI. pro iis qui opem suam ad restaurationem monasterii conferrent. Ecclesiam anno seq. consecrari curavit ab episcopo Chalcedonensi Gerardi Camer. suffraganeo. Morte sublatus est 1376.

LIII. Adrianus I. Ulersch an. 1378. sodalitium instituit sub nomine S. Nataliæ. Mortalitatem explevit anno seq. sepultus in facello S. Laurentii.

LIV. Livinus Vranx, cujus tempore anno 1381. urbem cum toto monasterio eversam fuisse refert Meyerus in annalibus Flandriæ, corporis sarcinam deposuit an 1399. non 1379. uti legi- C tur in indicibus editis.

LV. Egidius II. vanden Ecchoute seu de Grimberghe ex illustri & antiqua hujus oppidi familia, a Johanne XXIII. Romano pontifice deponitur an. 1410. eo quod ipsum pro vero pontifice nollet agnoscere. Obiit vero 1417. sepultus ad altare S. Benedicti.

LVI. Guillelmus IV. a Voordiis ex claro de Yedeghen genere ortus an. 1423. elegantem S. Adriano capsam auro & argento instructam fieri curavit, in qua hæc leguntur: *Abbas Guillelmus de Vordis cognominatus me fieri fecit M. X. bis, C. quater, I. ter.* Partem claustri & D ecclesiam reparavit. An. 1436. petente Philippo Burgundiæ duce & approbante Eugenio papa IV. ei reluctanti datus est coadjutor. Cessit an. 1439. *al.* 1440. servata sibi pensione, ac decessit 1440. *vel* 1441.

LVII. Adrianus II. Kimpe, cum jam esset coadjutor, cessione præcedentis salutatus est abbas. An. 1444. creatus a consiliis Philippo Burgundiæ duci, eumdem an. 1453. cum aliis præpotentibus viris excepit hospitio. Regimen postea transcripsit circa an. 1456. & insequenti mortuus est.

LVIII. Nicasius de Fresne vel de Frasne ad- E fuit an. 1457. Guillelmo episcopo Sarreptano Johannis Tornacensis episcopi suffraganeo, Aldenburgensem ecclesiam consecranti, & S. Arnulfi corpus e veteri capsa in novam transferenti. Interfuit etiam an. 1458. solemni receptioni Philippi Burgundiæ ducis in urbem Gandavensem. Idem duobus annis sequentibus Ludovicum delphinum in suo excepit monasterio, quo tempore hic eum princeps a suis consiliis creavit. Verum hoc anno vel seq. Nicasius de medio sublatus est.

LIX. Raso van Schueren regimen auspicatus dicitur 1460. novemque post annos a Carolo

Burgundiæ duce immunitatum monasterii confirmationem accepisse. An. 1475. donum Guillelmi Hughenot militis domini de Sablant & 1476. Margaritæ Pictaviensis comitissæ excepit. Anno 1482. mense Febr. Ludovicus Francorum rex obtulit S. Adriano 14944. libras Parisienses & iterum mense Julio 7555. ut ejus meritis optatam posset sanitatem recuperare. Defunctus est Raso *al.* 1483. *al.* 1488. sepultus in capitulo.

LX. Gisbertus van Ouweghen an. 1489. immunitates monasterii a Maximiliano Romanorum rege & a Philippo archiduce ratas haberi curavit. Johanni, qui sequitur, iteratis Philippi archiducis precibus abbatiam transcripsit *al.* 1494. *al.* 1505. Obiit vero 1506. sepultus in capitulo.

LXI. Johannes II. Coppenolle sive de Cruce Valencenis die 20. Novemb. 1506. munus benedictionis accepit a suffraganeo Cameracensi. Ædes abbatiales & ædificia areæ inferioris exstruxit. Quasdam ecclesias auctoritate pontificia monasterio suo univit an. 1515. quam unionem 1518. Guillelmus de Croy episc. Camerac. confirmavit. Defecit Johannes 1525.

LXII. Hieronymus I. Rusault Erasmo familiaritate conjunctus Caroli V. nominatione hanc abbatiam consequitur an. 1525. Obtinuit quoque Sanvedastinam 1537. & utramque retinuit ad annum usque 1559.* quo Gerardimontensem dimisit. Interfuit an. 1550. mense Octobri synodo Camerac. ejusque publicationi die 6. Oct. in choro ecclesiæ cathedralis, ubi præsens memoratur ante Ludovicum Blosium Lætiensem & alios abbates, S. Sepulcri, S. Dionysii in Broqueroya, Hasnonii, Altimontis & Lobii. E vivis excessit x. Nov. an. 1562.* cui lugubre carmen cecinit Antonius Meyerus.

* *al.* 1560.

* *al.* 1563.

LXIII. Simon III. de Warluzel ex nobili apud Atrebates familia natus, cum tunc esset monachus ac thesaurarius Vedastinus, Hieronymi cessione factus est abbas Gerardimontanus an. 1559. & mox Parmensis principis major eleemosynarius. Hoc monasterium debitis oneratum, & a Gueusiis an. 1578. devastatum reliquit an. 1582. quando ad Einhamense translatus est.

LXIV. Jacobus van Schoorisse ex priore abbas renuntiatur per translationem præcedentis anno 1583. Verum ante acceptam benedictionem, dum Alosto rediret, a sectariis captus & Bruxellas deductus, obiit 14. Nov. 1584. cujus epitaphium in ecclesia legitur his verbis:

Corporis hic tumulum poteras, Jacobe, mereri
Schoorissæ, sacræ nam prior ædis eras.
Insula restabat, sed enim Bruxella peremtum
Luxit, ab hostili carcere ad astra volas.

LXV. Benedictus Sejournet Athensis patria, Lætiensis monachus professione, Montibus Hannoniæ benedicitur an. 1586. deinde anno seq. ob debita, quibus hæc abbatia gravabatur, cessione facta ad suum Lætiense monasterium revertitur.

LXVI. Hieronymus II. de Monceaux Sanvedastinus monachus, præpositus Asprensis, & prior S. Cornelii d'Englos prope Insulas, eligitur abbas S. Adriani an. 1588. sed nonnisi anno 1600. benedicitur. Diem suum obiit an. 1606. in medio chori cum hoc epitaphio sepultus:

A

Tertius intactæ qui Virginis exit ab ortu
Cynthius, & roseo provocat ore jubar,
Moneæo gravis aura fuit, finisque laboris.
Tutior obveniat liberiorque dies.

LXVII. Henricus Franciscus de Buzegnies vel Busignies nobili genere ortus, ex priore S. Dionysii prope Montes Hannoniæ, Gerardimontanus abbas nominatur ab Archiducibus an. 1606. desinente, cujus abbatiæ plenam administrationem suscepit in festo S. Thomæ. Sex annis benedictionem distulit, donec a summo pontifice usum mitræ adeptus, Bruxellis tandem an. 1612. accepit. Transmigravit anno seq. ad abbatiam S. Dionysii de Broqueroya, ubi vide tom. 3.

B

LXVIII. Gaspardus Vincke Tornacensis, ab officio prioris ad abbatiale munus ascendit mense Martio anni 1613. Hic anno 1622. ecclesiam parochialem S. Catharinæ apud Gerardimontem patribus Minimis concessit, ac paulo post, eo potissimum agente, ecclesia de Huneghen reformatis virginibus Benedictinis, vulgo *de Pace* dictis, donata fuit. Deinde cum anno 1623. morienti Henrico S. Dionysii abbati adfuisset, in ejus locum suffectus est 1624. magno Gerardimontensium mœrore; ac denique transfertur ad Blandinensem præfecturam.

C

LXIX. Martinus le Brun sacræ theologiæ licentiatus, ex canonico S. Gudulæ Bruxellensis, ac deinde monacho Gerardimontis & pastore Raulicuriæ in Hannonia, abbas creatur. Is an. 1627. adinstar congregationis SS. Hidulfi & Vitoni suos alumnos ad primævam S. Benedicti institutionem revocavit. Biennio post collegium pro docendis humaniores litteras pueris, maxime Gerardimontis in suo constituit monasterio. Vitam denique clausit die 1. Decemb. an. 1656.

D

LXX. Hubertus Meurant sedebat prima die mensis Maii an. 1657. Sedilibus chorum exornavit; clarusque virtutibus obiit 27. Maii 1677. cujus tumulo tale inscriptum est epitaphium:

Hic jacet R. admodum ac amplissimus dominus D. Hubertus Meurant hujus loci ab introducta reformatione abbas secundus, qui pietatis, misericordiæ, benignitatis, veterisque justitiæ Christianis officiis totus deditus, VIXIt præLatoruM Decus, vivendi eXemplar faCtus: tu lector instantius Deum exora, ut æviternæ lucis munere donetur.

LXXI. Victor Warnant genere nobilis rexit ab anno 1677. ad medium circiter mensis Maii an. 1686. quo Gandavi, ubi tunc agebat rem monasterii, dum e curru prosiliens mortem effugere laborat, luxata tibia invenit.

E

LXXII. Longinus Foucquier & ipse nobili genere natus, an. 1686. 15. Julii nominatur abbas. Obiit XI. Junii 1703. sepultus in ecclesia ante odeum.

LXXIII. Gislenus Coucke successit eodem anno, infulatus 1704. die 2. Febr. Occubuit 1713.

LXXIV. Adrianus Roëlants Gerardimontensis benedictionem percepit 2. Febr. 1714. Præerat cum laude an. 1726.

ULIERBEC.

ULIERBECA.

Sive Ulierbacum, & olim Fliderbeca dimidio fere milliaro a muris Lovaniensibus extra portam Diesthemiensem, fuit ab exordio præpositura monast. Affligem. annexa, volente fundatore Godefrido I. cognomine Barbato, Lovaniensi comite, ut liquet ex ipsa charta fundationis, data an. 1125. quam idem confirmavit 1138. Quanquam vero S. Petri monasterium aliquando dictum, est & aliquando S. Medardi, utrique tamen prælatam semper fuisse B. virginem Mariam, Ulierbacena testantur monumenta. Deinde ratam habuit hanc donationem Henricus episc. Leod. tanquam hujus loci tunc temporis ordinarius, an. 1147. & Eugenius papa III. anno seq. Vix tamen adhuc jacta erant cellæ hujus fundamenta, utpote in qua nonnisi post decennium primus fuit institutus præpositus. Et certe apud Sanderum exstant litteræ Godescalci abbatis Affligemiensis de primis cœnobii Ulierbaceni fundamentis, datæ an. 1158. indictione VI. Verum haud multo post ut in abbatiam Ulierbacum erigeretur, instabant plerique, ac præ ceteris dux Godefridus hujus nominis tertius. Quapropter Octavianus, dictus Victor IV. pseudopontifex increpatoriis primum litteris ad abbatem Affligem. scriptis, Ulierbacenses ab omni subjectione Affligemiensibus debita eximit circa an. 1163. tum vero hoc ipso anno, die 7. Maii aliis ad Ulierbacenses monachos litteris mandat ut quantocius sibi abbatem eligere curent. Hic fuit Everardus, vir providus e gremio Affligemiensi, volente prædicto Duce assumtus. Unde cum Affligemienses hoc sibi jus saltem, quo nonnisi e gremio Affligemiensium abbates sibi eligerent Ulierbaceni, retinendum enixius postularent, novus inter partes anno 1173. indictione VI. initus est contractus, quem lege-sis apud Sanderum. Denique tamen Alexander IV. papa Ulierbacenses ab omni subjectionis jure, quo Affligemiensibus erant obnoxii, absolvisse videtur an. 1257. Ab eo enim tempore, nullo renitente, e proprio gremio assumsere sibi Ulierbaceni abbates suos, præter nonnullos, quos interdum, pro libertate, qua fruebantur, ex causis occurrentibus, aliunde, etiam ex Affligemiensibus, sibi postularunt. Unum addo, priusquam ad abbatum historiam progrediar, hoc monasterium Bursfeldensi congregationi accessisse an. 1518.

Mir. novæ edit. p. 9 o. *Ibid. pag. 534.* *Ibid. pag. 128. & 129.* *Ch. VIII. col. 297.* *Ibid. pag. 561.*

SERIES ABBATUM.

I. Everardus ex Affligemiensi monacho, primus in abbatem Ulierbacensem ordinatur an. 1163. XV. cal. Septembris. Obiit 18. Octobris.

II. Wigerus, de quo in anniversariis legitur: Obiit pridie nonas Aug. dominus Wigerus quondam abbas hujus loci secundus.

III. Theodericus I. de quo sic habet Ulierbacense chronicon: Anno 1188. H. cardinalis & legatus a latere Gregorii VIII. episcopus Albanensis Theodericum abbatem hujus loci tertium A apud Leodium in majori ecclesia solemniter benedixit. Vixit in abbatiali dignitate annos 47. ad alteram vitam vocatus anno 1235. III. idus* Aprilis.

* nonas ex Sandero.

IV. Godescalcus anno 1242. Sabbato post octavam S. Martini suo sigillo munivit approbationem collationis quarumdam decimarum, factæ a Daniele domino de Rotselaer abbatissæ Parci-Dominarum. Mortuus est pridie nonas Maii, ex Sandero, die 4. Maii, ex hist. Mechlin.

V. Johannes I. an. 1252. dedit in gratiam Parcensium *Vidimus* quoddam litterarum, ex Sandero, qui tamen hunc omittit in abbatum Ulier-B bac. serie, uti etiam novus editor historiæ Mechliniensis.

VI. G. abbas Ulderbecanus memoratur apud Sanderum cum G. præposito S. Gertrudis anno 1257. qui tamen omittitur in abbatum serie tum Sanderi, tum novi editoris hist. Mechlin.

VII. Franco van Ische ex Affligemio, uti antecessores, assumitur, cujus industria domus abbatialis perfecta est an. 1260. Diem obitus ejus consignant necrologia XVIII. Julii.

VIII. Arnoldus I. dictus de Fliderbeca statim ut electus est templo Dei manum admovit, quod ipsius cura & opera anno 1272. a parte australi C fuit instructum. Vivere desiit an. 1276. III. idus Septembris.

IX. Arnoldus II. vivebat annis 1286. 88. 93. & 97. sub finem Junii.

X. Arnulfus obiisse legitur 13. Januarii.

XI. Adolfus e vita migravit die 1. Januarii. Omittitur a Sandero.

XII. Godefridus I. mundum reliquit die 25. Januarii. Hoc quidem ordine hi tres abbates recensentur ab historiæ Mechliniensis auctore, sed mere fortuito.

XIII. Guillelmus I. de Castris an. 1302. testis memoratur in charta Ludovici de Berthout do-D mini de Keerbergen deberi Parcensibus duas partes decimarum apud Blarenberghe recognoscentis. Idem an. 1315. dedit certum *Vidimus* de sex bonariis a Parcensibus acquisitis, dictis Moër juxta Veldunck. Vivebat adhuc an. 1324. quo bona quædam sita in Rotselaer, abbatissæ & conventui Dominarum de Parco elocavit ad 24. annos. Fato functus est idibus Novembris.

XIV. Goswinus diem clausit extremum 28. Aprilis, ex Sandero, 24. ex hist. Mechlin.

XV. Walterus I. e vivis excessit pridie nonas Nov. ex Sandero, 13. Nov. ex hist. Mechlin.

XVI. Johannes II. Keynoghe de quadam bulla E Innocentii VI. ordini Eremitarum S. Augustini concessa testimonium tulisse an. 1353. dicitur a Sandero, qui tamen vitam ipsius claudit anno 1350. *legendum fortasse* 1360.

XVII. Guillelmus II. de Nethene ex monacho Gemblacensi abbas Ulierbacenus, obiit IV. nonas Februarii anno 1361. sepultus apud Minoritas Lovanienses.

XVIII. Theodorus Nagel monachus Egmondanus, equestri genere ortus, vivebat an. 1367. Is an. 1369. 3. Aprilis adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni eccl. Mechliniensis.

Vocatur autem Theoderius an. 1377. 21. Febr. A in historia Bonæ-spei publici juris facta. Obdormivit in Domino VII. idus Nov.

XIX. Walterius II. Canse præerat an. 1381. Obiit XIV. cal. Febr.

XX. Rudolfus I. compositionem iniit cum abbatissa Parci-Dominarum anno 1399. die 8. Martii, de censibus e molendino Corbecano sibi tanquam hujus territorii censuali domino debitis.

XXI. Rolandus pactum unionis Brabantos inter & Limburgenses suo sigillo munivit die 4. Nov. 1415. quo anno morti debitum solvit.

XXII. Rodulfus II. Keysers an. 1416. die 4. Dec. suffragia precum a cœnobiis spirituali so- B cietate suo cœnobio conjunctis, pro Theodorico, Waltero, aliisque abbatibus postulavit. Quibus in litteris se ipse vocat Dei patientia abbatem monasterii S. Mariæ atque S. Medardi Ulierbacensis ord. S. Benedict. prope Lovanium, Leodiensis diœcesis. Fatis concessit an. 1424. die 29 Apr. in cujus locum via scrutinii electus est Daniel Rogghe, tunc præpositus Ulierbacensis; sed nondum confirmatus e vita discessit 19. Junii, sepultusque est ante ingressum capituli in sacro ambitu, coram imagine S. Christophori.

XXIII. Robertus I. de Berthem vir claræ stirpis, in crastino depositionis Danielis electus C est in abbatem & confirmatus, cum antea *pitantiarius* esset. Rexit summa cum laude annis 32. templo interim ab australi parte ruinoso anno 1452. restaurato. Obiit an. 1456. pridie cal. Aprilis.

XXIV. Leonardus I. de Griboval monachus S. Bertini, decretorum doctor & in academia Lovaniensi professor, munus benedictionis accepit in ecclesia Ulierbacensi die 1. Octob. Hic templum a parte meridionali maxime caducum restituit an. 1472. Efflavit animam 1484. pridie vel III. cal. Decembris.

XXV. Johannes III. de Langrode illustri fa- D milia progenitus, exactis laudabiliter in abbatiali regimine 34. annis, decessit an. 1519. VIII. cal. Aprilis, postquam præcedenti reformatio Bursfeldensis introducta fuerat in Ulierbacense monasterium per abbatem S. Jacobi Leod. sedis apostolicæ commissarium.

XXVI. Leonardus II. Uranx vir nobilis juxta & pius, ex procuratore patrum Augustinianorum conventus Lovaniensis factus monachus Benedictinus in Ulierbeka ac deinde abbas, Dominica *Lætare*, quæ prima erat ab ejus electione, benedictionem percepit. An. 1525. die 13. Sept. compositionem iniit cum consule, scabinis & E consiliariis oppidi Lovaniensis, de jure census, quod tam in ipso oppido quam extra in territorio Lovaniensi utraque pars, Ulierbacenses videlicet & Lovanienses, sibi vindicabant. Migravit ad Dominum anno 1535. VIII. idus Martii, postquam ex dicendis cesserat.

XXVII. Johannes IV. de Panhuys in territorio Hougardiensi natus, prima professione Beggardus sive Bogardus, dein professus in Ulierbeka regulam S. Benedicti an. 1532. tandemque electus abbas, confirmatur a Clemente VII. hoc ipso anno, pontificatus nono, calendis Augusti. Quo etiam anno, seu potius sequenti usum mitræ ac pontificalium accepit ab eodem Pontifice. Data est hæc bulla Bononiæ anno Dom. 1532. XVI. cal. Martii, pontificatus anno decimo, hoc est 1533. secundum hodiernum computandi modum. Obiit Johannes an. 1543. nonis Setemb.

XXVIII. Jacobus Marotel monachus S. Bertini, vir tum genere tum doctrina conspicuus, cessit an. 1567. 15. Dec. postquam præfuisset annis 24. Moritur anno seq. X. cal. Maii.

XXIX. Johannes V. Hauterus *Hautaert* Affligemiensis cœnobita, Regis favore abbatiam consecutus, Lovanii delegatus ad causas apostolicas reperitur, in cujus defuncti locum Johannes de Biemeno J. U. doctor & præpos. Ubalinciensis subrogatus est. Mortalitatem exuit an. 1571. X. cal. Augusti. Huc autem referendum videtur quod in Gazeto legimus pag. 49. Johannem videlicet Sarrazin Sanvedastinum monachum in abbatem Ulierbacensem postulatum fuisse, sed ipsius abbatem consentire noluisse præ nimia sui alumni æstimatione, qui revera postmodum evasit abbas S. Vedasti, ac tandem archiepisc. Cameracensis.

XXX. Petrus I. Coels dictus Glymes, genere illustris, ex præposito Affligemiensi huc postulatur, qui vix benedictus, suum ingemuit monasterium ab hæreticis profanatum, flammisque propemodum absumtum an. 1572. die 25. Sept. Quinimo ipse hostium vinculis constrictus & varie circumductus, non procul a morte absuit, qua nonnisi gravi summa pecuniæ liberatus ad suos rediit. Moritur tandem an. 1586. inquiunt Sanderus & auctor historiæ Mechlin. Sed legendum 1589. ex dicendis.

XXXI. Libertus Schaloen ab Hulsbergh nobili genere natus, postquam diu in abbatia S. Trudonis priorem egerat, electus est abbas Ulierbacensis. Agebant tunc temporis Ulierbacenses in Trudonopolitano, quod emerant hospitio Lovanii, donec an. 1596.* auctoritate apostolica * al. 1590.
Beggardorum in hac urbe cœnobium, ordinem & regulam S. Benedicti assumentibus, qui inibi supererant, ascetis, concessum est. Anno 1599. ab ordinibus Brabantiæ deputatus, dum inaugurantur Albertus & Isabella serenissimi principes, eorum juramentum excepit in loco solito prope Lovanium. Præfuit annos summa cum laude viginti tres, obiitque 1609. die 25. Januarii.

XXXII. Godefridus II. Lemmens (quem novus historiæ Mechlin. auctor Petrum appellat) Bruxellensis patria, & Sanvedastinus monachus professione, rexit Ulierbacense monasterium annis 15. tum sibi e gremio coadjutorem, infirmitate cogente, adlegit, ac tandem expiravit an. 1627. die 26. Martii.

XXXIII. Petrus II. Scribs Duacenus, annuente serenissima Hispaniarum infante Isabella-Clara-Eugenia Belgii principe coadjutor datus anno 1624. solemni benedictione donatur an. 1630. die 6. Oct. Hic monasterium penitus collapsum paulatim e ruderibus suscitavit, in quod suos e Lovaniensi domo, quam emerant 1626. vendito

Beggardorum cœnobio tanquam sibi minus commodo, patribus Oratorii, an. 1642. reduxit. Pie ibidem defunctus est an. 1653. die 23. Sept. ætatis suæ anno 61. monasticæ professi. 41. sacerdotii 36.

XXXIV. Robertus II. Garesta ordinem ingressus anno 1629. & professus anno seq. 29. Octobris, post obitum Petri præfecturam suscepit. Vir erat ea comitate, industria & prudentia, ut in comitiis ordinum Brabantiæ, proxime post affligemiensem prælatum assidens an. 1659. communi suffragio ceteris deputatis adjunctus fuerit. Diem suum obiit 9. Januarii 1680. *al.* 1676.

XXXV. Placidus le Fort e vivis excessit anno 1692. *al.* 1690.

XXXVI. Philippus Walbraevens fato fungitur an. 1699. *al.* 1698.

XXXVII. Petrus III. Paradanus munus benedictionis accepit III. cal. Junii 1699. Adhuc præerat 1725.

CORTENBERGA.

CORTENBERG.

Vicus est medio circiter itinere Bruxellam inter & Lovanium, in quo virginum Benedictinarum abbatia cernitur, olim in monte, & in diœcesi Camerac. nunc in valle subjecta, & in diœcesi Machlin. Annus quidem primigenius, primusque auctor non satis constant; verumtamen longa traditione creditur initia sua debere piæ cuidam mulieri eremiticam in Cortembergensi monte vitam agenti, quæ Columba seu Duva conclusa ab ejus loci monialibus hodieque nominatur: cujus corpus ibidem adservari solebat in capsa lignea, retro principem aram, sed fanatica Calvinistarum rabie anno 1572. periit. Alii vero (quæ tamen pugnantia non sunt) id Brabantiæ ducibus acceptum referre gestiunt. Sane Gualcherus episc. Camerac. scripto testatum reliquit an. Domini 1095. primo sui pontificatus, se hanc ecclesiam, rogante comite Godefrido, & annuentibus advocatis Arnulfo & Waltero, ab omni episcopali jure absolvere, atque ad usus inibi Deo ac sanctæ Dei genitrici Mariæ sanctoque Amando famulari volentium liberam constituere. Item Odo sedis ejusdem antistes litteris datis anno Christi 1110. sui præsulatus quinto indictione III. notum facit, se dum loca parochiæ suæ perlustraret, invenisse locum apud Cortemberge, ducis Godefridi assensu & auxilio, necnon & advocatorum Arnulfi & Gualteri, servitio ancillarum Dei jam ex parte decoratum, quem precibus archidiaconorum suorum & fidelium ampliare curavit, &c. Ceterum quo fere tempore ex ipso monte, aquarum inopia laborantes ad vallem subjectam se se moniales transtulerint, ibique suum cœnobium ædificaverint colligere licuit ex lapidea quadam templi a Calvinianis anno 1584. exusti columna, cujus inscriptio testabatur templum istud ædificatum anno Christi 1222. locum eis concedente Henrico I. Lotharingiæ & Brabantiæ duce.

Mir. nova editionis pag. 519. *Ibid. pag. 959.*

SERIES ABBATISSARUM.

I. Elisabeth I. de Patientia.

II. Ida I. 1120. & 1125. quo anno Burchardus episc. Camerac. ei duo altaria concessit, ad sublevandam monialium inibi Domino famulantium paupertatem, ex hist. Mechl. p. 94.

III. Mabilia.

IV. Benedicta.

V. Laurentia.

VI. Juta I.

VII. Alberna vel Albernia.

VIII. Marina.

IX. Margareta I.

X. Elisabetha II. de Wyneghem.

XI. Aleydis I.

XII. Willeberga *al.* Willeberna.

XIII. Aleydis II.

XIV. Juta II.

XV. Machtildis de Herpsa 1239. ex histor. Mechlin. pag. 85.

XVI. Aleydis III. de Bindere.

XVII. Gertrudis I.

XVIII. Ida II. de Blaisfelde 1265. ex histor. Mechlin. pag. 85.

XIX. Maria I. Clutincx.

XX. Gertrudis II. omittitur in serie quadam MS. cujus loco habetur sequens.

XXI. Elisabeth III. de Lira.

XXII. Margareta II. Colays.

XXIII. Maria II. de Leefdale.

XXIV. Gertrudis III.

XXV. Ascecha.

XXVI. Euphemia de Gisen.

XXVII. Hodierna.

XXVIII. Thilendis.

XXIX. Margareta III. de Lira.

XXX. Maria III. Taeys.

XXXI. Margareta IV. vander Noot obiit 1425. *al.* 1452.

XXXII. Catharina de Hamme 1486.

XXXIII. Johanna I. de Baxen.

XXXIV. Nicolaa Wasteele defecit an. 1560.

XXXV. Maria IV. de Balluel 1572.

XXXVI. Maria V. de Hochstadt 1576. sub qua vel sequenti abbatissa cœnobio a Calvinianis exusto 1584. conventus Coloniam Agrippinam ad tempus se recepit.

XXXVII. Maria VI. *al.* Johanna II. Daelmans 1594. & 1596.

XXXVIII. Magdalena de Nivelle cœnobium insigniter reparavit. An. 1616. die festo Pentecostes intra claustra monasterii se se perpetuo continendi obstrinxerunt voto sanctimoniales. Adhuc præerat 1617.

XXXIX. Clara de Hulsboes 1623. & 1624. Obiit VI. calend. April.

XL. Maria VII. Bleyleven, ecclesia ornamentis instructa, defuncta est idibus Aprilis 1663. regiminis 38.

XLI. Maria VIII. de Witte 1667.

XLII. Elisabetha IV. van Tympel 1670.

XLIII. Maria IX. Leermans 1682.

XLIV. Maria X. Druwé *al.* Dreuwe 1705.

XLV. Petronilla de Caverson 1706. & 1707.

XLVI. Seraphina Tservranex benedicta 1707. regebat adhuc 1725.

FORESTUM.

VORST.

Nobile est virginum ordinis S. Benedicti monasterium, in suburbio Bruxellensi, dimidio tamen ab urbe milliario, quod jure civium Bruxellæ gaudet. Suam primariam originem debet Gilleberto militi, Balduini Alostani filio, qui profecturus ad bellum sacrum, allodium suum prope Alostum contulit an. 1096. indict. IV. Fulgentio abbati Affligemiensi, ut in loco, qui dicitur *Merchtem*, tertio a Bruxella lapide, ecclesia & claustrum in honore B. M. V. construerentur, ubi sub regula S. Benedicti mater sua nomine Oda cum ejus filia Lutgarde monasticam duceret vitam. Sed cum Alostanus fundus ad id minus idoneus videretur, Fulgentius abbas prædictus in ecclesiam Forestensem ab Odone* Cameracensi episcopo sibi traditam hoc monasterium transtulit anno 1107.* hisque inter alias legibus communivit; prima, ut ex Affligemio fratres ætate & moribus maturos haberent, qui inibi per se habentes habitacula, tam de divinis officiis, quam de secularibus quæque necessaria eis procurarent; altera, ut ordinem Cluniacensem sanctimonialium de Marciniaco tenerentur observare, vel aliarum feminarum sub regulari abbate consistentium, ita ut nunquam e claustro, postquam intraverint, liceat exire, sed claustri clavem habeat abbas, aut monachus maturus & Deum timens. Itaque hoc monasterium olim B. M. ad Lacum, nunc B. M. in Foresto vocatum, inquit Grammaius, ex primæva institutione nonnisi prioratus erat Affligemiensi abbati subjectus; verum Guido episcopus Cameracensis an. 1238. ab ea subjectione illud exemit, & ab Affligemio separavit, bina visitatione per annum abbati relicta, correctione vero episcopo reservata. De his consule Miræum novæ edit, pag. 78.

* *al.* a Francone castellano Bruxellensi.

* *al.* 1105.

SERIES ABBATISSARUM.

BERTILDA priorissa tantum, constituta per Fulgentium abbatem Affligem. triginta & amplius annis laudabiliter præfuit; cujus proinde temporibus Godefridus I. Barbatus Brabantiæ dux huic monasterio se munificum præbuit anno 1110. Walterus archidiac. Brabantensis 1117. & Egidius de S. Auberto an. 1119.

Mir. novæ edit. pag. 675. 677. & 815.

I. Petronilla, Sigeri Templarii equestris ordinis, castellani Gandavensis filia, electa in abbatissam apud Forestum anno 1239. idibus Aug. Cameraci benedicitur die 2.* Oct. ejusdem anni, in ecclesia B. Virginis, a Guidone episc. Camer. Obiit 9. Maii, in capitulo sepulta.

Ibid. pag. 757.

* Iperius habet III. cal. Octob. tom. 3. Anecdot. col. 718.

II. Helwidis de Bautersem migravit a seculo 7. Julii, condita in choro clericorum.

III. Maria I. moritur 15. Decemb. in eodem choro sepulta.

IV. Mathildis de Asca jacet in capitulo, mortua 29. Octob.

V. Aleydis I. de Pollaer sepelitur ibidem, 9. Junii.

VI. Claricia de Cattendiick in choro virginum condita est, 10. Octob.

VII. Catharina I. Beaufort obiit 26. Decemb.

VIII. Catharina II. van Keisterbeke, 8. Apr.

IX. Margareta I. van Bovynes moritur 21. Martii, sepulta ante fores capituli.

X. Yolenta van Ysche 2. Feb. *al.* Martii.

XI. Johanna van Heusden electa an. 1341. die 14. Martii, obiit 12. Martii, ad latus sinistrum chori virginum sepulta.

XII. Isabella de Masmines notatur 6. Dec. in necrol.

XIII. Aleydis II. de Goër electa fuit an. 1384. die 6. Decembr. & obiit 29. mensis ejusdem.

XIV. Maria II. de Trasegnies electa an. 1386. die 27. Nov. obiit 14. Octob. sepulta ante aram divæ Ursulæ.

XV. Maria III. Sconinck eligitur 1388.

XVI. Catharina III. van Maldeghem electa fuit an. 1418. 7. Septemb. Obiit 10. Septemb. *al.* 6. Augusti, ante aram Virginis Mariæ condita.

XVII. Elisabeth Sconinck electa anno 1430. 9. Febr. Febr. diem clausit extremum 19. Aug. ante aram S. Michaëlis sepulta.

XVIII. Margareta II. van Scoërs electa 1458. die 20. Julii, obiit an. 1489. sepulta ante sedem abbatissæ in choro virginum.

XIX. Catharina IV. de Bouchaut fatis concessit 7. Octobr. 1498. sepulta Ultrajecti.

XX. Barbara de Leaucourt obiit an. 1516. sepulta in capitulo.

XXI. Margareta III. van Liedekerke ex abbatia Gislengemiensi assumta, novis statutis Forestanam communivit, unde prima dicitur a suscepta reformatione. Obiit 1541. die 25. Septemb.

XXII. Margareta IV. van Liedekerke neptis præcedentis præfuit pari cum laude per annos 19. defuncta 1560. 19. Maii.

XXIII. Francisca I. de Sedonne *al.* de la Douve, dicta de Sangin vel de Sanguis, rexit laudabiliter annis 22. & obiit Bruxellis, ubi cum suo conventu exul agebat, an. 1583. sepulta in sacello Clarissarum.

XXIV. Adriana du Petit-cambray benedictionem percepit 27. Sept. an. 1587. denata 6. Nov. 1608.

XXV. Maria IV. Taye benedicta 25. Januarii an. 1609. moritur 1638.

XXVI. Francisca II. de Bette ex illustri & antiqua Bettiorum stirpe progenita, benedictione solemni donatur an. 1638. die 25. Julii. Anno 1660. sponte sua cum suis nobilibus alumnis intra monasterii claustra se se perpetuo continendi voto obstrinxit; cumque hoc eodem circiter anno professionis suæ jubileum annum solemniter celebrasset, defecit anno 1666.

XXVII. Catharina IV. Quarré obiit 1668.

XXVIII. Dorothea-Catharina d'Yvre fato fungitur 1692.

XXIX. Agnes-Scholastica de Riviere d'Arscot vitam cum morte commutavit 1711.

XXX. Maria-Josepha de Spinosa, benedicta 18. Aprilis 1717. præerat 1725.

BIGARDEN ou LE GRAND BIGARD.

BIGARDIA MAJOR.

BENEDICTINA nobilium virginum abbatia prope Bruxellam, sic appellatur ad discrimen Bigardiæ minoris sub municipio Leeuwæ S. Petri, virginum ejusdem ordinis prioratus. Fundatur autem an. 1133. a Godefrido Barbato Lotharingiæ inferioris duce & Lovanii comite, sub abbatis Affligem. obedientia, ut liquet ex ipsius charta apud Miræum novæ editionis, pag. 98. Ecclesiam vero dedicavit Alardus episc. Camer. anno 1177.

SERIES ABBATISSARUM.

I. S. WIVINA ancillarum Dei altera, quibus fundator exstruendo monasterio locum tradidit, ut habetur in charta memorata, prima fuit abbatissa per annos 37. quibus sanctissime exactis evolavit in cœlos an. 1170. 17. Dec. Ejus corpus an. 1177. e terra elevatum est, & in feretro collatum ab Arnulfo Affligemiensi abbate, jussu Alardi Cameracensis episcopi, qui hoc ipso anno, ut diximus, ecclesiam consecravit.

II. B. Ewara *al.* Emwara S. Wivinæ socia ei successit.

III. Beatrix I.

IV. Besela 1218.

V. Ida de Cottem.

VI. Alisa de Heverla 1238.

VII. Helwiga de Quaderebbe 1244.

VIII. Beatrix de Cobbeghem 1250.

IX. Clara Servranx 1259. & 1261.

X. Alicia 1262. & 1272.

XI. Catharina I. de Mechlinia 1293.

XII. Hedwigis de Lestelbeke 1299.

XIII. Gertrudis I. de Cleutinge 1308.

XIV. Alcidis de Heverla 1338. forte eadem est quæ superius ad an. 1238. errore amanuensis in alterutro loco.

XV. Margareta I. Pipenpoy 1340.

XVI. Clarissa 1361.

XVII. N... Pipenpoy 1372. Deinde abdicavit.

XVIII. Johanna I. Erbaut obiit 1383.

XIX. Gertrudis II. de Liere.

XX. Helwigis de Lestelbeke 1397. eadem fortasse quæ supra ad an. 1299.

XXI. Margareta II. Pipenpoy 1401. & 1448.

XXII. Johanna II. Herba regimen assumsit an. 1448. defuncta 1485.

XXIII. Philippa Smols abdicasse legitur an. 1487. Jacet in medio chori sub hoc epitaphio: *In pulvere hic dormit domina Philippa Smols, quæ fuit prælata hujus monasterii 13. annis, onera laudabiliter supportavit, tandem vero 1505. 7. mensis Junii migravit, cujus anima requiescat in pace.*

XXIV. Catharina II. de Douverayn sepulcrum habet in choro, hac inscriptione donatum: *Venerabilis domina domina Catharina de Douwain, postquam 41. annis humiliter huic monasterio præfuisset, annumque 64. ageret, migravit ab hoc*

A *seculo IV. idus Januarii an. 1539. Requiescat in pace.*

XXV. Francisca I. vander Straëten obiit 1542. 28. Octob. in medio chori sepulta.

XXVI. Catharina III. vander Straëten soror præcedentis, post regimen annorum 29. ipsum cum vita clausit an. 1571. 4. Octob. Jacet in medio chori.

XXVII. Catharina IV. vander Straëten superiorum neptis, proximæ successit ad annos 30. Hoc epitaphium habet in choro: *Hic jacet in terris generosa domina domina Catharina a Straëten hujus monasterii abbatissa, quæ obiit 24. Febr.*
B *anno Dom. 1601. ætatis suæ 82. regiminis 31.*

XXVIII. Anna d'Ittre munus benedictionis accepit anno 1601. 18. Martii; cumque annis octodecim præfuisset, regimen abdicavit. Obiit vero 1621. 18. Maii, sub tumba Franciscæ & Catharinæ Straëten sororum sepulta.

XXIX. Catharina V. de Martigny cum jam esset coadjutrix a die 12. Aug. 1610. salutata fuit abbatissa 16. Febr. anni seq. Sepulta est in choro sub hac inscriptione sepulcrali: *Sub hoc sarcophago quiescit reverenda & nobilis domina D. Catharina de Martigny hujus monasterii abbatissa, defuncta seculo 7. Febr. 1641. ætatis*
C *suæ 61. dignitatis abbatialis 21.*

XXX. Lucretia Scholastica de Fourneau tumulum habet in choro, & epitaphium, quod sequitur: *D. O. M. Icy gist noble dame L. S. de Fourneau, abbesse de ce lieu, fille de Messire Charles de Fourneau seigneur de Wambeke Ternet, qui mourut le 14. Mars 1664. âgée de 74. ans, dans la 57. année de sa profession.*

XXXI. Scholastica Placida de la Vieville, ex epitaphio maxime, quod habet in choro, innotescit: *Cy gist noble dame Scholastique Placide de la Vieville abbesse de ce lieu, fille de Messire Pierre de la Vieville seigneur de Romeries, qui*
D *mourut le 28. Juillet 1689. âgée de 65. ans, dans la 47. année de sa profession, & 25. de sa dignité abbatiale.*

XXXII. Maria-Anna de Ruychrock *al.* de Reucherock neptis dominæ de Fourneau, naturæ debitum solvit professionis anno 54. ætatis 71. regiminis 4. Christi 1693. die 23. Aug. *al.* 1695.

XXXIII. Elisabetha seu Isabella du Quesnoy primum coadjutrix, deinde abbatissa per decem annos, quibuscumque fuit solatium, omnibus admiratio, & subditarum plausu vera mater. In choro sepelitur cum hoc epitaphio: *Cy gist noble*
E *dame Elisabeth du Quesnoy abbesse de cette illustre abbaye du grand Bigard, fille de feu Messire du Quenoy chevalier, &c. bourgmestre de la ville de Bruxelles, & de noble dame Bonne Albertin de Berti, &c. qui mourut le 17. d'Octobre l'an 1702. âgée de 72. ans, 48. de profession, & 10. de dignité abbatiale R. J. P.*

XXXIV. Anna Carola de Vailleio du Valleio *al.* de Velasco successit ad annum saltem 1725. optimæ administrationis gloria insignis.

ANGLICANÆ VIRGINES BRUXELLENSES.

HÆc abbatia ord. S. Benedicti sub titulo B. Virginis in cœlos assumtæ, initia sua debet *al. Percey. nobili domicellæ Mariæ Percy * filiæ Thomæ comitis de Northumberland in Anglia martyrio coronati, quæ cumob fidem catholicam e domo paterna fugisset, aliquandiu commorata Bruxellæ, ibidem an. 1597. condendi monasterii pro nobilibus Anglicanis facultatem ab archiduce Alberto impetravit, eamque fundationem summus pontifex approbavit litteris datis 31. Martii an. 1599. Ch. xxiv. col. 306. quas vide inter instrumenta. Mox e S. Petri cœnobio Remensi accersitur nobilis Johanna Barkley sanctimonialis, quæ secum alias quatuor ejusdem loci alumnas, quarum altera cognomento Noëlle priorissæ munus obiret, adduxit. Tum vero prædicta Maria Percy cum aliis nonnullis sacrum religionis habitum induit, & post exactum probationis annum, solemnem professionem emisit die festo Præsentationis B. M. Virg. coram archiepiscopo Mechliniensi, præsentibus quoque Alberto & Isabella serenissimis Belgii principibus, multisque proceribus. Ex hoc autem monasterio prognatæ sunt abbatiæ Benedictinarum * Pontesii. *Pontoise.* Anglicarum, Gandavi, Dunkerkæ, Ipris,* &c. Sed hoc in primis admiratione dignum est, quod hæ sanctimoniales amplis dotationibus sibi a serenissima Isabella-Clara-Eugenia Belgarum principe oblatis carere maluerint, ne libertatem amitterent eligendi sui monasterii abbatissas.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JOHANNA BARKLEY e nobilissima comitum de Nottinghant Anglicana stirpe progenita, erat, ut diximus, monasterii S. Petri Remensis alumna, quando ad informandum novum hunc parthenonem accita est. Ea benedictionem percepit die 14. Novemb. 1599. per Mathiam Hovium archiepisc. Mechliniensem; cumque per decem annos tum verbo, tum exemplo regularis observantiæ fundamenta jecisset, ad eam nihilominus magis ac magis stabiliendam an. 1611. ipsa suadente, archiepiscopus Mechliniensis edidit constitutiones ad annum primo duntaxat, ut si quid forte minus congruum statutum fuisset, anno sequenti emendaretur; verum an. 1612. die 27. Julii easdem ipse confirmavit. Obiit Johanna 1616. in ecclesia quam ipsa construxerat, sepulta, cum hoc epitaphio: *Hic quiescit reverenda domina Johanna Bercley filia domini Johannis Barcley equitis aurati, quæ desumta ex monasterio S. Petri Remis, facta est hujus monasterii prima abbatissa anno* M.D.XCIX, *quo munere cum septemdecim annis laudabiliter perfuncta esset, religiose in Domino obiit die 2. Augusti anno 1616. ætatis suæ. . . . . professionis 35. Requiescat in pace.*

II. Maria I. Percy *al.* Percey, cum jam esset monasterii mater per ipsius fundationem, secundo effecta est per electionem in abbatissam anno 1616. etiam post sex annos novi monasterii apud A Gandavum quasi genitrix futura. Cum enim an. 1622. in tantum numerus monialium excrevisset ut pares iis sustentandis abbatiæ reditus non essent, in urbe Gandavo novi parthenonis fundamenta jecit, illucque e suis sororibus sex præcipuas transmisit. E vita migravit an. 1642. ad cujus tumulum hoc epitaphium legitur: *Hic jacet genere ac virtute excellentissima ac reverenda admodum domina Maria Percy filia Thomæ Percy Northumbriæ comitis, & ordinis Jarterii equitis, quæ fidei confessione in Anglia carceribus diu toleratis in Belgio exul hoc nobilium virginium cœnobium sub regula S. Patris Benedicti, virginisque* B *matris Mariæ patrocinio, propriis amicorumque, ejus instinctu, denariis struxit, ubi prima omnium religionis vota nuncupavit, tandem suffragiis omnibus abbatissæ munus accipiens, summa modestia in prosperis, pari patientia in adversis administravit. Obiit* XIII. *Sept. anno* MDC. XLII. *Requiescat in pace.*

III. Agnes l'Euthalle *al.* Lenthalt nobilis Anglicana, ab anno 1603. monasterii professa, in abbatissam solemni ritu benedicitur ab archiepiscopo Mechlin. 13. Novemb. 1642. Decessit an. 1651. 20. Januarii, plus exemplo præesse quam imperio sollicita.

C IV. Alexia Blanchart minorem licet suffragiorum partem adepta, volente archiepiscopo, declaratur abbatissa & ab eodem benedicitur; sed brevi tempore præfuit; morte siquidem abrepta est an. 1652. die 28. Aug. ætatis anno circiter septuagesimo.

V. Maria II. Vavasour patrem habuit Guillelmum genere illustrem, sed pietate & pro Christo carceribus toleratis illustriorem, matrem vero comitum Rutlandiæ filiam. Eligitur abbatissa anno 1652. ac eodem benedicitur 22. Septemb. ab archiepiscopo Mechliniensi. In choro quiescit ejus cadaver sub hac inscriptione: *Hic jacet* D *illustris domina domina Maria Vavasour filia Guillelmi ex matre de comitibus Rutlandiæ. Ab anno ætatis 12. vixit in habitu, 16. professa, paruit humiliter 36. præfuit suaviter 25. Decessit Deo resignatissima, cælo aptissima, cænobio desideratissima 77. anno Domini 1676. 4. Dec. Requiescat in pace.*

VI. Anna Forster, cujus pater & fratres relicto seculo vitam religiosam amplexi sunt, postquam præfuit annis sex, abdicavit an. 1682.

VII. Dorothea Blundell antea priorissa, benedicitur die 25. Oct. 1682. mortua 1712.

VIII. Theodosia Waldegrave obiit die 12. E Decemb. 1719.

IX. Maria III. Crispe benedicta Mechliniæ die 4. Febr. 1720. per eminentissimum archiepiscopum cardinalem, præerat adhuc 1725.

S. GERTRUDIS LOVANIENSIS.

AB initio nuda fuit capellania seu vicaria a S. Petro Lovaniensi dependens, quam an. 1204. petente Henrico I. duce Lotharingiæ ac Brabantiæ ab hac subjectione solutam, Dux idem biennio post præposituram effecit nobilium canonicorum

Mir. nova edit. pag. 114.

canonicorum Regularium S. Augustini ex instituto veteri S. Victoris, id anno 1207. Hugone Leodiensi præsule & Engelberto Coloniensi approbantibus. Ecclesia dedicatur an. 1228. & parœciali jure donatur 1252. de qua id notatu dignum est, a primæva cœnobii hujus origine nonnisi nobiles in eo admitti hactenus stricte observatum fuisse. Porro in eo statu monasterium permansit ad annum usque 1449. quo, Philippi Burgundiæ, Brabantiæ, &c. ducis precibus, Nicolaus papa V. sexto nonas Martii, pontificatus sui anno tertio illud evexit ad abbatialem dignitatem. Et quidem ab eo tempore, imo & antea illius prælati pene omnes munus conservatoris privilegiorum universitatis obierunt, iique pro tempore in comitiis generalibus Belgii inter alios prælatos, ordinarii deputati locum habent & sessionem.

Series Præpositorum.

I. Franco I. jam an. 1200. hujus ecclesiæ vicarius perpetuus ex collatione præpositi & canonicorum S. Petri Lovan. creatus, post tredecim annos præpositurae obiit 1219. VI. cal. Aprilis.

Ibid. pag. 725.

II. Franco II. moritur 1222. 10. Junii.

III. Libertus anno 1223. donationis ecclesiæ de Landen confirmationem obtinuit ab Honorio papa. E vivis sublatus est sub annum 1229.

IV. Adam de Bruxella interfuit anno 1230. donationi ab Henrico duce factæ pro *missa* quotidiana Lovanii in castro Ducis celebranda. Vitam clausit an. 1248. die 4. Aug. postquam summa cum laude annis octodecim præfuisset.

V. Gosvinus de Staden post annorum quadraginta duorum regimen vivere desiit 1289. die 12. Octob. ac sepultus est in ecclesia, cum hoc epitaphio:

*Gosvinus Stadius conventus ordine quartus**
Hujus præpositus Octobres mortuus idus
Quarto, anno supra bis centum & mille noveno
Atque octogeno, qui quadraginta duobus
Præfuerat, supera requiescat spiritus aula.

* l. quintus.

VI. Henricus I. de Boensbeeck spiritum emisit an. 1296. die 23. Septembris, regiminis anno septimo, minus aliquot diebus.

VII. Arnoldus de Castro, vulgo Vander-Borcht Lovaniensis, decessit 1307. die 8. Sept. anno præfecturæ undecimo.

VIII. Godefridus van Udekem mortem oppetiit an. 1320. III. nonas Aprilis.

IX. Willelmus de Wilre vita functus est an. 1325. V. idus Martii.

X. Johannes I. Jolys annis fere duobus rexit, mortuus an. 1327. calendis Julii.

XI. Henricus II. de Fura, primum fuit præpositus annis septemdecim, deinde abbas anno 1344. Sed eo mortuo 1347. 21. Nov. successores nomen abbatis haud assumsere.

XII. Henricus III. de Rode exactis in regimine triginta duobus annis, decessit ex hac vita 1379. die 25. Januarii.

XIII. Livinus *al.* Leonius & Leoninus de Erpe sepulturam in ecclesia nactus est, cum hoc epitaphio: *Hic sepultum est corpus domini Leonii de Erp præpositi hujus monasterii. Suo laudabili regimine fundavit unam quotidianam missam per conventum celebrandam pro. . . . . sui collateralis, & decessit anno a Nativitate Domini MCCCCII. mensis Martii die VI.*

XIV. Conradus Vander-Balcht diem clausit extremum 1420. die 21. Septemb. anno regiminis 17.

Abbates.

I. Walterus Moillaert cum jam esset præpositus ab annis 29. & conservator privilegiorum universitatis a die IX. cal. Aug. anno 1428. titulo abbatis auctus est anno 1449. VI. nonas Martii a Nicolao V. Romano pontifice. Vixit in ea dignitate annis 15. hoc est ad an. 1464. vel 65. quo ea se abdicavit; ac post triennium mortuus est die 7.* Junii ex Sandero. Jacet in ecclesia cum epitaphio sequenti.

* al. 8. sed non 19. April.

Hic lapis ossa tegit patris quondam reverendi
Walterii Moliaert, Filiordia quem dedit orbi.
Istius ecclesiæ fuerat per lustra fere sex
Præpositus, dehinc ter senis uno minus annis
Abbas, cuncta regens perhoneste, Lovaniensis
Conservator erat primus studii. . . . .
. . . . ardeat ante
Manna sacrum, sed post hiemes geminas redeunte
Medardi festo mors ipsum sustulit, & tunc
Mille quadringenti sexagintaque fuere
Ac anni septem Domini, cui vivat in ævum.

II. Theodoricus vel Theodorus de Brakel, dictus de Overdeel aut Overdeyl, spontanea cessione Walteri Moillaert factus abbas, cessit & ipse anno 1486. superstes ad diem 10. vel 19. Aprilis an. 1488. Hic S. Gertrudis sodalitium instituit in oppido Lovaniensi, ac dormitorium, aliaque ingentis molis opera construxit. Recumbit in ecclesia.

III. Johannes I. Vander-Moëre licentiatus in decretis, Theodorico cedente abbas constitutus, desiit agere in humanis die 5. Maii anno 1514. regiminis 28.

IV. Antonius de Niewenhoven obiit 1526. die 24. Decembris, pluribus præclare gestis commendatus.

V. Petrus Was an. 1538. regiminis 12. sibi coadjutorem adscivit. Collapsam disciplinam restituit; ac denique fato functus est die 14. Febr. an. 1553. ætatis 77. administrationis 27.

VI. Philippus de Hosden jam dudum, ab anno scilicet 1538. datus coadjutor, an. 1551. die 22. Aprilis eligitur abbas. Hic ædes abbatiales incendio deformatas restauravit, templumque & abbatiam variis monumentis & ornamentis, necnon bibliotheca instruxit. Præsens memoratur anno 1567. 15. Decembris, cessioni Jacobi Marotel abbatis Ulierbacensis. Obiit plenus dierum & meritorum an. 1569. V. cal. Junii, hoc epitaphio decoratus:

Hosdeno vitam rapiunt, heu! fata Philippo.
Corpus humo tectum nobilis urna tenet.
Orbe viret toto virtus & fama, superstes
Claudii nobilitas, nec pia facta. . . . . . .
Numen enim coluit devota mente supremum,
Vix ut ei similis relligione foret.
Rebus in afflictis urbi solamen, egenis
Subsidium, plebi grande levamen erat.
Pauperibus placidus semper, magnatibus æque
Omnibus hospitii jure benignus erat.
Moribus, ingenio, vita, virtutibus almis
Stirpis adornavit nobile stemma suæ.
Illius curis hæc tuta academia mansit,
Inviolata stetit regula cœnobii:
Quod multis auxit libris, domibusque struendis;
Et sub quo situs est hoc quoque fecit opus.
Hic sex atque decem rexit feliciter annos,
Exemplo, studiis, officiisque piis.
Hunc vita cassum lugent pietasque fidesque,
Mœstaque paupertas orba parente suo.
Obiit 28. Maii an. 1569. hujus cœnobii sextus abbas & almæ academiæ Lovaniensis conservator, cujus anima requiescat in pace, amen.

VII. Johannes II. Vander-Linden frater abbatis Parchensis, fuit Regi Catholico a sanctioribus consiliis an. 1570. Interfuit Belgicorum ordinum nomine pacificationi Gandensi an. 1576.* & Coloniensi 1579.* Transiit vero ad alteram vitam an. 1582. ex Sandero *al.* 1585. die 22. Januarii, ex historia nova Mechlin.

*& 1579.
*1581.

VIII. Adrianus de Beaufort disciplinæ monasticæ tum quoad se tum quoad subditos cultor observantissimus, nova quædam statuta conventui suo præscripsit, quibus inter alia tollitur omnimoda bonorum proprietas, quæ malorum omnium in monasteriis seminarium est. Vita defungitur an. 1593. pridie nonas Aprilis.

IX. Arnoldus ab Eynthouts vir pius & prudens, ac universitatis Lovan. privilegiorum conservator, hortos cinxit porticu, magno commodo & securitate conventus; cumque annis tredecim utiliter præfuisset, obiit VI. idus Martii 1607. ætatis 69. Epitaphium habet in capitulo, ubi, pro VI. idus Martii legitur XI. Martii.

X. Ludovicus van Eynatten de Lichtenbergh vir gratus omnibus, in abbatiali dignitate vixit annis 19. defunctus an. 1626. calendis Martii.

XI. Josephus Geldolfus van Rykel scripsit an. 1637. ac publici juris fecit vitam S. Gertrudis abbatissæ Nivellensis. Item varia doctrinæ suæ monumenta posteritati reliquit, quæ Valerius Andreas in sua bibliotheca Belgica recenset. Pro fidelibus defunctis sodalitium instituit, quorum tandem commune fatum sortitus est an. 1641. ætatis suæ 61. die 22. Octob. ex Sandero, die 21. Octobr. 1642. ex nupero historiæ Mechlin. auctore.

XII. Winandus de la Margelle benedictionem abbatialem percipit die 6. Martii an. 1644. Hic ordinum Brabantiæ ordinarius adsessor, & privilegiorum academiæ Lovaniensis conservator, an. 1652. jus pontificalium pro se & successoribus obtinuit ab Innocentio X. Plurima insuper præclare gessit usque ad obitum, qui contigit anno 1664. die 28. Junii.

XIII. Maximilianus van Lasdael vel Leesdael migravit a seculo prima die anni 1668.

XIV. Claudius-Franciscus de la Vieville innotescit ex epitaphio, quod huic inscriptum in ecclesia legitur in hæc verba:

DEO. OPT. MAX.

Sepulcrum nobilissimi ac reverendissimi domini D. Claudii-Francisci de la Vieville, hujus nobilissimæ ac perantiquæ abbatiæ divæ Gertrudis divina miseratione præsulis, celeberrimæ academiæ Lovaniensis privilegiorum conservatoris, statuum Brabantiæ assessoris, &c. qui ductus zelo fraternæ pacis & concordiæ amore, & in spiritu lenitatis regendi sollicitudine regularis observantiæ ac divini cultus promovendi desiderio. . . . . & frequenti futuræ mortis meditatione sategit se ipsum Deo hominibusque commendabilem reddere, & ad ultimam supremi judicis sententiam excipiendam rite disponere. Obiit 16. Julii 1697.

XV. Franciscus Antonius de Fourneau benedictus die 9. Febr. 1698. viam universæ carnis ingressus est 18. Maii 1699.

XVI. Carolus Alexander de Pallant ex priore, eodem anno electus abbas, an. 1717. ab ordinibus Brabantiæ Francofurtum directus est, ut Imperatoris inaugurationi adesset, eique faustum ac fortunatum peroptaret imperium. Obiit die 24. Octobr. an. 1720.

XVII. Guillelmus Philippus ex marchionibus de Herzelles, cum tunc esset prior in abbatem electus est, ac solemni benedictione donatus in suo monasterio die 25. Jan. an. 1722. ab episc. Antuerpiensi, cooperantibus sancti Michaëlis & S. Salvatoris abbatibus. Communibus vero Brabantiæ ordinum suffragiis eligitur in deputatum ad aulam Archiducissæ Flandriæ gubernatricis, mense Martio an. 1726.

VALLIS-FLORIDA, seu FLORIDA-VALLIS.

FLORIVAL ou VAULX-FLEURY.

HIc parthenon ex instituto Cisterciensi, quem exinde sic appellatum volunt, quod cum templi fundamenta eo loco jacta essent, qui hodieque vetus abbatia & Pratum-capellæ nominatur, divino monitu jussæ sint sanctimoniales locum floribus conspersum, & fundationi ecclesiæ veluti opportuniorem futurum eligere. Is, inquam, parthenon adjacet Archaniæ pago, Gallis *Archennes*, altero lapide cum dimidio a Lovanio, ad Dyliam fluvium versus Wavriam in Gallobrantia. Primam ejus fundationem referunt ad annum 1096. per Wernerum comitem Grezii, pro monialibus ord. S. Bened. factam in manibus primum Corbeiensis abbatis in diœcesi Ambian. tum Fulgentii abbatis Affligemiensis. Verum cum an. 1191. Cisterciensi regulæ se se mancipassent, approbante Cœlestino papa III. anno seq. 17. Octob. inde Affligemiensium querelæ, gravesque contentiones inter utriusque partis fautores, Henricum scilicet comitem Grezii pro

Affligemiensibus stantem, & comites d'Arschot pro monialibus; adeo ut alii modo prævalerent & alii vicissim; donec tandem an. 1218. auctoritate Honorii papæ III. ibi sanctimoniales sub abbate Villariensi restitutæ fuerunt. Porro quis sit alter conditor hujus loci, & unde ad eum Cistercienfibus informandum legibus primæ virgines evocatæ sint, non una est omnium sententia. Legitur in vita Beatricis abbatissæ de Nazareth juxta Liram, patrem ejus Bartholomæum cognomento Lanionem, vulgo *Uleeshouwer*, civem Thenensem Vallem-floridam exstruxisse ac fundasse; indeque fortassis Grammaius concludit primas Cistercienses virgines cum prædicta Beatrice ex Lintrensi monasterio * juxta Thenas ad Vallem-floridam venisse. Alii vero, qualis inter alios Fisenus, hanc fundatoris gloriam vindicat Bartholomæo van Aa, quo duce Cunegundis abbatissa de Rameia, jussu abbatis Cisterciensis, illuc Gentam d'Arschot priorissam cum sex monialibus & duabus conversis transmisisse dicitur circa annum 1192. quæ primum expulsa ab Henrico Grezii comite, tum restituta precibus Alberti Leod. episc. anno 1208. iterumque fugata per eumdem comitem 1214. denique anno 1218. sedere cœpit pacificè. Ut ut est, causam hanc sub judice relinquimus.

* Valle virginum.

Abbatissarum Series.

Nullius abbatissæ, quandiu locus Benedictino paruit instituto, notitia superest, nisi forte una sit Rixa, cujus epitaphium in capitulo Vallis-floridæ legitur, his verbis:

Hoc jacet humata sub marmore Rixa vocata
De Brams nata, christicolisque data.
Vallis-vernatæ fuit abbatissa Beatæ,
Jugis scripta legens, subdita sancte regens.
O quam devota complevit sic sua votis!
Apta fuit donis, moribus atque bonis.
Hujus cunctipater animam rege, ne terat ater,
Sed tradi cælis manibus jubeas Michaëlis.

I. B. Genta *al.* Gentina d'Arschot filia Godefridi comitis d'Arschot, sororque Gertrudis Bartholomæi van Aa conjugis, præfuisse dicitur a Fiseno annis 30. de qua vide Cantipratanum lib. 1. Apum cap. 10. Henricum Gran Spec. exempl. distinct. 5. cap. 8. Robertum Rusca in suo compendio tit. *Moniales:* Barnabam de Montealbo tom. 1. chron. lib. 2. cap. 39. & Arnoldum de Raisse in Auctuario. Migravit ad Dominum miraculorum gratia illustris anno ætatis suæ 78. in medio chori sepulta, ubi hoc habet epitaphium:

Anno Domini 1247. in vigilia S. Marci apostoli obiit domina Genta quondam abbatissa Floridæ-vallis. Orate pro ea.*

* *al.* 23. April.

In circuitu vero lapidis sepulcralis hi versus conspiciuntur:

Arca piæ fidei, mater miræ speciei,
Nutrix virtutum solvit natale tributum.
Grex desolatus tristatur, mole reatus
Nulla mulctetur, sed cœlicolis societur.

II. Aleydis filia Gerardi domini de Monbeeck equitis ex Adelisa de Los, ac soror natu minor Elisabethæ de Mombeeck secundæ abbatissæ *de Linter*, seu Vallis-virginum juxta Thenas, postquam tribus mensibus cum Willelmo de Beaufort equite, domino de Spontin matrimonio conjuncta fuisset, ipso apud terram sanctam anno 1220. defuncto, statuit mundum deserere, velumque sacrum e manibus B. Gentæ suæ consanguineæ accepit; cujus sanctæ vitæ tam cito pede secuta est vestigia, ut ei succedere digna fuerit visa anno 1247. professionis suæ 23. Pie decessit anno 1262. xv. cal. Aprilis ex chronico Alberici de Doest, & ex epitaphio, quod sequitur: *Anno Domini MCCLXII. XV. cal. Aprilis obiit domna Aleydis abbatissa Vallis-floridæ. Requiescat in pace.*

III. B. Mathildis de Bierbeke jacet in capitulo, cum hoc epitaphio: *Anno MCCLXXII. II. nonas Maii obiit domna Mathildis quondam abbatissa Vallis-floridæ.*

IV. Hildesondis de Sombref nepti suæ baculum dimisit die 7. Junii 1286. *al.* 1282.

V. Maria I. de Hosden in cœlum evolavit 7. Maii 1305. forte legendum 1313. ut habeantur anni quatuordecim regiminis Idæ sequenti attributi, antequam cederet 1327. vel certe alia nobis ignota rexit ab an. 1305. ad 1313. Neque enim vacat hîc inserere Mariam de Bossut, quam series abbatissarum per unum e nostris collecta mortuam tradit an. 1313. cum enim omittatur in catalogo hist. Mechlin. facile nobis persuademus eamdem esse cum Martina Bossuyt certo defuncta 1613. sed tamen loco Martinæ vocandam esse Mariam ex epitaphio colligimus.

VI. Ida I. de Walhain post regimen annorum 14. abdicavit 1327.

VII. Sibilla de Bouler *al.* Walhain filia Egidii le Begue domini de Bouler & de S.t Gery, per cessionem Idæ, cujus erat consanguinea, abbatiam obtinuit usque ad annum 1358. quo vivere desiit. Jacet in capitulo, cum epitaphio sequenti. *Anno Dom. 1358. prima die mensis Martii obiit domna Sibilla abbatissa Vallis-floridæ. Anima ejus requiescat in pace.*

De villa sancti fuit ista Sibilia Pauli.
Christus Scibilia cui dedit esse pia.
Fata brevem vitam, virtus durabile nomen,
Affectum populi lingua diserta dedit.
Nec fastus generabat honor, nec tædia claustrum,
Illum simplicitas abstulit, hoc meritum.

VIII. Margareta I. de Grez filia Imberti domini de Bierch, postquam præfuit annis septemdecim, pedum transcripsit 19. Julii 1375.

IX. Catharina I. de Berne innotescit ex epitaphio, quod ita legitur in capitulo: *Anno Domini MCCCLXXXVIII. pridie nonas Martii obiit domna Catharina de Berne abbatissa Vallis-floridæ.*

Quam lapis iste tegit, ad humum mors dura redegit:
Hinc matrem tollens, quæ morum culmine pollens
Rexit prudenter, disponens cuncta recenter.
Nobilis ex genere, plus corde per omnia vere.

Qui regis astra, mare, juxta te Christe locare
Istam dignare, sanctisque tuis sociare.
Te precor ergo pia, Christifera virgo Maria
Fer sibi juvamen, ut tecum regnitet, amen.

X. Catharina II. de Lare præfuit ab anno 1388. ad 1408.

XI. Maria III. de Uterliminge ab an. 1409. ad 1437.

XII. Elisabetha I. de Wavere ab anno 1437. ad 1442. quo anno decessit.

XIII. Jolendis de Pameke 1466.

XIV. Margareta II. Myneman 1478.

XV. Margareta III. Pinock eodem anno successit, defuncta 1491.

XVI. Elisabetha II. Absolons 1491. & 1504. quo anno mortalitatem explevit.

XVII. Margareta IV. Oliviers 1504. & 1516.

XVIII. Heylwidis Schreven Vallis-ducis sanctimonialis, cum anno 1516. ad reformandum Vallis-floridæ monasterium accessisset, ejusdem abbatissa fuit electa. Mortem oppetiit 1520.

XIX. Maria IV. Wittem ex eodem Vallis-ducis monasterio assumta, inchoatam a præcedente reformationem ad exitum perduxit. Defuncta est an. 1537. die festo Natalis Domini, uti legitur in epitaphio sequenti:

Luxerat alma dies, qua missa. . . . .
. . . . qua Christus vera lux illuxerat orbi,
Cum felix Maria hæc Wittem spiramina vitæ
Efflavit, cujus marcent hoc membra sepulcro.
Prima reformatæ prædux hæc femina vitæ
Ter denis simul octo gregem tum rexerat annis.*
Hac tulit eximios duce flores Florida-vallis:
Nam pietate parem non noverat ante parentem.

* Ter, redundat in sensu;

XX. Elisabetha III. Rogiers in capitulo insignitur hoc epitaphio:

Virginis a partu post secula quinque decemque,
Lustra novem & decimi tertius annus erat,
Vitales Isabella Rogiers cum linqueret horas,
Supremum pariter Junio agente diem.
Hanc illa egregie fecit florescere vallem,
Hic annis tredecim non moderata male.
Sub saxo apposita est nondum trieteride plena,
Postquam bis quinam vixit olympiadem.
Hoc Isabella Rogiers sub saxo functa quiescit
Hujusce antistes sacra monasterii.

Hoc est obiit ultima Junii an. 1548.

Hoc est, anno ætatis 40.

XXI. Elisabetha IV. van Dieven viam universæ carnis ingressa est 1557.

XXII. Maria V. de Branis-Haga obiit anno 1568.

XXIII. Johanna I. Robays diem clausit extremum anno 1575. in capitulo sepulta, cum hoc epitaphio:

Virginibus sacris quondam prælata quiescit
Mole sub hac saxi virgo Johanna Robays.
Ut vix septenis laudabile præfuit annis,
Hanc immaturam mors inimica rapit.
Germina virtutum tulit hac duce Florida-vallis,
Utpote præ cunctis relligione nitens.

A XXIV. Amelburgis, seu Amelberga Remels obiit in suo refugio Lovaniensi 5. Febr. 1585.

XXV. Elisabetha V. Peeters morte corripitur 13. Aprilis an. 1595.

XXVI. Maria VI. (non Martina) Bossuyt, de qua vide supra ad an. 1313. jubilaria decessit an. 1613. in crastino Gertrudis. Ejus epitaphium tale est:

De Bossut domina tunc abbatissa Maria
*Morte jacet victa quam Christus . . . . . sopia**
Moribus ornatam virtutum dum sibi pavit,
Quæ miseros pavit, & usque modo recreavit
B *Verbis atque datis, tum plena fuit pietatis,*
Cunctis promta satis inopis succurrere gratis.

* f. vera sophia.

XXVII. Anna Vanden-Bergh vitam hanc mortalem cum æterna commutavit an. 1629. in medio chori sepulta cum hoc epitaphio: *Hic sepulta est reverenda domina D. Anna Vanden-Berghe abbatissa monasterii B. M. Floridæ-vallis Cisterc. ordinis, quod 17. annis rexit. Obiit anno ætatis suæ 74. tribus annis jubilaria. Requiescat in pace.*

XXVIII. Catharina III. Ronsmans hoc habet epitaphium in medio chori: *Hic jacet venerabilis admodum DD. Catharina Ronsmans jubilaria,* C *hujus monasterii abbatissa, quæ digne ac laudabiliter præfuit 30. annis. Obiit 3. Dec. 1658. ætatis suæ 70. Requiescat in pace.*

XXIX. Johanna II. Colibrant decessit anno 1676. in medio chori sepulta, cum hoc epitaphio: *D. O. M. Hic jacet prænobilis admodum ac venerabilis domina domina Johanna Colibrant 29. abbatissa Floridæ-vallis, quæ obiit 8. Julii 1676. anno ætatis suæ 62. professionis religiosæ 45. dignitatis abbatialis 17. cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace, amen.*

XXX. Ida II. Bernards *al.* Bernaerts in medio chori hanc habet inscriptionem sepulcralem: D *D. O. M. Hic jacet venerabilis admodum domina domina Ida Bernards 30. abbatissa Vallis-floridæ, quæ obiit 21. Martii anno ætatis suæ 48. professionis religiosæ 25. dignitatis abbatialis XI. cujus anima per misericordiam, &c.* Obiit anno 1688.

XXXI. Ludovica Doneux rexit 22. mensibus, & obiit 1690.

XXXII. Margareta *al.* Magdalena van Hanewyck regimen auspicata 1690. adhuc obtinebat 1725.

VALLIS-ROSARUM.

Roosendael.

E ISte ordinis Cisterciensis parthenon ad Netham fluvium, primo circiter a Mechlinia lapide, in extremitate pagi Waveræ S. Catharinæ Waelhemum versus, nec procul a Duffelia pago, suam proprie originem nescit. Neque enim consignari potest an. 1220. aut 1227. sive etiam 1235. prout variorum est sententia, siquidem, ut scribit Johannes d'Assignies abbas Nizellensis, B. Ida de Lovanio in monasterio Vallis-Rosarum fuit sanctimonialis, & in eo vitam clausit anno 1200. 17. Aprilis. Felicius itaque (utrum

certius!) hæc fundatio refertur ad annum 1138. a A Johanne Bapt. Grammaio. Certe hanc sententiam amplecti videntur recentiores, expresse quidem nuperus auctor histor. Mechliniensis, nec obscure novus editor operum Miræi, cum descripto Egidii de Berthout instrumento anni 1227. quo huic cœnobio nonnullas decimas tradit, id unum exinde colligi posse affirmat, Egidium Bertholdum non tam fundatorem primarium, quam dotatorem fuisse. Ceterum cum rebus in Belgio turbatis monasterium penitus concidisset, sanctimoniales in urbem Mechliniam confugerunt, ibidem commoratæ usque ad annum 1660. quo priori sede repetita, tanto labore eam resarcierunt, ut hodie B longe sit magnificentior, quam antea visa est.

Pag. 744.

Series Abbatissarum.

I. ODA in suo epitaphio prima dicitur abbatissa, fortasse a tempore accessionis hujus monasterii ad ordinem Cistercienſem: *Hic jacet venerabilis domina Oda prima abbatissa, & Elisabeth soror ejus fundatrices hujus monasterii, filiæ quondam nobilis viri Bertholt dicti Senioris, domini de Berlaer, Gele, Duffele, & obiit anno Domini 1247. 12. Maii* al. *VIII. cal. Aprilis.*

II. Catharina I. van Berlaer rexit ab an. 1247. ad 1260.

III. Sophia I. Berthout obiit 1294. pridie cal. Novemb.

IV. Sophia II. Berthout soror Florentii Bertholdi toparchæ Duffelensis sedit ab an. 1294. ad 1328. ex Miræo pag. 744.

V. Catharina II. van Berlaer cessit an. 1337.

VI. Mabilia de Berlaer rexit ab an. 1337. ad 1339. cujus obitus dies notatur III. nonas Sept.

VII. Jutta Keremans abdicavit an. 1348.

VIII. Laurentia *vel* Lauretta de Axpoella 1350. obiit 1352. VIII. idus Aprilis.

IX. Beatrix I. Blanckaert 1357. Cessit anno 1359.

X. Margareta I. Schooians dignitati nuntium remisit 1364. superstes an. 1393.

XI. Maria I. van Remissen cessit & ipsa 1371.

XII. Aleydis Vander-Heyden cessit quoque an. 1373.

XIII. Catharina III. Ulemincкx regimen abdicavit 1379. adhuc tamen superstes 1396. & 1404.

XIV. Ida I. Baerts 1386. & 1389. quo anno decessit XII. cal. Nov.

XV. Avesoete Kermans cessit an. 1397.

XVI. Ida II. van Romerswael dignitatem abjecit 1419.

XVII. Margareta II. van Muysen *al.* de Musene obiit 1420.

XVIII. Beatrix II. van Halen rexit ad annum 1427.

XIX. Catharina IV. de Werselt 1435. & 1439.

XX. Catharina V. Colibrants 1447. Obiit VIII. idus Julii.

XXI. Catharina VI. *al.* Gertrudis Stercken cessisse dicitur an. 1457. *al.* rexisse usque ad annum 1459. inclusive, attamen

XXII. Theodorica seu Theodora de Helmont reperitur annis 1454. & 1455. Abdicavit 1460.

XXIII. Christina Vastrix 1471. & 1472. Obiit 1490.

XXIV. Lilia van Hambroeck *al.* Hambrouck decessit an. 1493.

XXV. Catharina VII. Raspoet *al.* Ralspot reperitur annis 1504. 1505. & 1506. Cessisse tamen dicitur 1505.

XXVI. Martha van Baesrode *al.* de Basero regimen dimisit an. 1531.

XXVII. Margareta III. Tsermertens *al.* s'Hermertens 1536. Obiit 1558.

XXVIII. Elisabeth van Axele 1558. Defecit an. 1563. vel 64.

XXIX. Ingelberta de Marques omissa in duobus editis catalogis, memoratur an. 1565.

XXX. Catharina * VIII. Cloets 1567. & 1574.

* *al.* Christina.

XXXI. Anna I. Boyenhals 1574. & 1575.

XXXII. Anna II. Torckx *vel* Turcx, qua regente monasterio ab heterodoxis everso, conventus per decennium huc & illuc exsulare cogitur, ad annum scilicet 1586. quo sorores omnes, nulla omnino desiderata, Mechliniæ co- C adunavit. Denique e vivis excessit anno 1598. 22. Martii, sepulta ad S. Petrum, ubi visitur lapis ejus sepulcralis cum inscriptione.

XXXIII. Catharina IX. de Fraisne resarciendo tam intus quam exterius suo monasterio indefessa laboravit usque ad obitum, qui contigit 17. Maii 1618.

XXXIV. Johanna I. van Eywerven *al.* Ghewerve electa 1618. obiit 23. Junii 1639. sepulta Mechliniæ in ecclesia S. Petri.

XXXV. Johanna II. van Lathem hoc epitaphium habet in ecclesia Vallis-Rosarum: *Reverenda admodum ac nobilis domina Johanna van* D *Lathem XXXIV. abbatissa hujus monasterii, quæ conventum suum 80. annis exsulem 25. Junii an. 1660. in propria reduxit, & 12. Augusti anno 1662. ætatis 75. professionis 58. dignitatis 23. moriens jubilaria, scitum nominis sui reapse exprimens in pace reliquit; ipsum precare ut & ipsa in pace relinquatur.*

Pacis amans & amata suis antistita fructus
Pacis & in vita digna videre fuit.
Funditus eversum ex zelo cum fœnore templum
Erexit, sacras restituitque domos.
Sentiat æternam ventura in secula pacem;
E *Hic pacis quæ tam grande reliquit opus.*

XXXVI. Maria II. van Eywerven noscitur ex epitaphio, quod sequitur. *D. O. M. Et memoriæ reverendæ admodum dominæ D. Mariæ van Eywerven abbatissæ XXXV. domus hujus, quæ obiit 17. Novembris anno 1679. ætatis suæ 63 professionis 44. dignitatis abbatialis 16. Requiescat in pace.*

XXXVII. Anna III. Rethan omissa in edito catalogo, quem habemus in historia Mechliniensi nuper excusa tom. 1. pag. 135. tribus altaribus ecclesiam decoravit, in qua jacet cum hoc

epitaphio : *Obiit venerabilis domna D. Anna Rethan abbatissa XXXVI. domus hujus anno 1698. die 28. Aprilis ætatis suæ 68. professionis 45. prælaturæ 15. Plora, ora ut a laboribus æterna requiescat in pace. amen.*

XXXVIII. Norbertina van Diependaels successit ad annum 1719.

XXXIX. Liduina Vander-Nath adhuc præerat anno 1725.

CAMBRE.

CAMERA B. MARIÆ.

FUndatorem agnoscit Henricum I. Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ ducem, qui assensu & voluntate Mathildis suæ conjugis, an. 1201. locum juxta * Bruxellam, qui vocatur Pennebeke sub vico suburbano de Elsen a parte urbis australi, ad construendum inibi cœnobium sanctimonialium in honorem Dei & B. Mariæ semper Virginis contulit Gislæ cuidam piæ virgini, de qua menol. Cisterc. ad diem XII. Febr. Deinde anno seq. cum jam locus divino mancipatus esset obsequio sub instituto S. Benedicti & professione Cisterciensis ordinis, hunc Johannes episc. Camerac. tanquam in sua tunc positum diœcesi, sub beatissimæ Dei genitricis Mariæ, sua & successorum perpetua protectione suscepit, ejusque bona tum præsentia tum futura confirmavit. Ejusdem vero cura spiritualis mox abbati Villariensi commissa est, quæ nunc est penes abbatem Camberonensem.

* al. apud. Mir. novæ edit. pag. 400.

Ibid. pag. 401.

INDICULUS ABBATISSARUM.

I. GERTRUDIS jam præerat an. 1202. ex charta memorata Johannis episcopi Camerac. monasterii fundationem confirmantis.

Ibid. pag. 401.

II. Oda an. 1229. ratam habuit venditionem allodii de Hoves, factam monasterio S. Dionysii de Broqueroia. Obiit 26. Febr.

III. Ermentrudis.

IV. Margareta I. de Biest paciscitur cum decano & capitulo de Aquis super bonis de Filvorde an. 1245.

Ibid. pag. 582.

V. Elisabeth I. Leonis vivebat an. 1274. quo Johannes magister generalis Fratrum Prædicatorum litteris datis hanc omnium bonorum sui ordinis participem fecit. Vivere desiit 6. Aprilis.

VI. Aleydis I.

VII. Margareta II.

VIII. Ermengardis *al.* Ermentrudis an. 1291. fit particeps suffragiorum ordinis Eremitarum S. Augustini a Johanne provinciali ministro.

IX. Aleydis II. de Frigido-monte.

X. Margareta III.

XI. Elisabeth II. Ysche obiit 26. Septemb.

XII. Elisabeth III. Poots, 31. Octob.

XIII. Maria I. Scotelvoets, 13. Decemb.

XIV. Ida, 14. Novemb.

XV. Aleydis III. 4. Decemb.

XVI. Helewigis Tswaefs præfuit annis 26. & mensibus 9. defuncta 18. Aprilis.

XVII. Maria II. de Thenis, 22. Martii.

XVIII. Aleydis IV.

XIX. Catharina I. Tays *al.* Thys, 12. Junii.

XX. Elisabeth IV. 31. Decemb.

XXI. Elisabeth V. de Monte anno 1421. litteras communionis precum a Thoma provinvinciali Carmelitarum accepit. Moritur 19. Apr. 1430.

XXII. Maria III. Belande e vita migravit 1442. die 14. Augusti.

XXIII. Maria IV. de Ligne *al.* de Ligni obiit 1444.

XXIV. Catharina II. de Grimbergen dicta de Asscha fato fungitur anno 1467. *al.* 1475. ex Grammaio.

XXV. Margareta IV. Smols vitam cum morte commutavit 20. Febr. 1477.

XXVI. Johanna I. Smols exstincta est 1490. 12. Octobris.

XXVII. Maria V. Smols primævam ordinis observantiam redintegravit. Moritur 1512. 6. Julii.

XXVIII. Elisabeth VI. de Bergis, *al.* de Sevenberge & Vanden-Berghen anno 1519. a Carthusianis, & 1520. a fratribus Minoritis suffragiorum communionem obtinuit. Ejus ita meminit necrologium domesticum : *23. Sept. 1556. obiit generosa domina domina de Bergis, hujus monasterii 28. abbatissa, & a reformatione 2. illustris domini Cornelii de Bergis & Mariæ van Stryen dominæ de Sevenbergues filia, quæ ob sanctæ vitæ integritatem monialis professa e monasterio Vallis-Ducis huic monasterio abbatissa data, 29. annis vigilantissime præfuit, & postquam oneri & dignitati ob incurabilem ægritudinem cessisset, annis 16. religiosissime supervixit.* Sic autem habetur in necrologio Vallis-Ducis : *IX. calend. Octobris anniversf. honorandæ dominæ Elisabeth de Sevenberghe abbatissæ de Camera, quæ ibidem omnium prima sanctam reformationem introduxit, plantavit, atque sua bona conversatione roboravit, regens tam spiritualia laudabiliter, quam temporalia, professa primitus in Valle-Ducis, & inde assumta.*

XXIX. Magdalena d'Ittre *bursaria* primum per annos 28. tum abbatissa per annos 14. pie defuncta est 9. Febr. 1554.

XXX. Maria VI. de Ligne, *al.* de Barbançon patre Ludovico de Ligne domino & barone de Barbançon defuncto 1532. 5. Febr. matre vero Maria de Bergis, nata, postquam annis quatuor laudabiliter præfuisset, obiit 15. Martii, ætatis suæ anno 35. Christi 1557.

XXXI. Anna Vander-Cammen post annos quinque regiminis, spiritum emisit 29. Decemb. 1562.

XXXII. Barbara Tasse filia Catharinæ de Cordes, cujus tempore anno 1578. 1. Febr. sæviente bello, totus conventus in urbem Bruxellam se contulit, ibique mansit annis 21. & sex mensibus, succenso interim monasterio die 10. vel 16. Sept. an. 1581. per milites regios, eo quod, virginibus jam ante egressis, hosti refugium & præsidium perpetuum esset. Deinde tamen an. 1598. restaurari cœptum est. Cessit ante obitum quatuor annis, cujus industria, ne una quidem sacrarum virginum, quæ centenarium tunc numerum excedebant, ab aliis separata fuit. Jacet in capitulo, cum hoc epitaphio :

DEO OPT. MAX.

R. domina Barbara Taffe hic sita est: quæ huic monasterio sexta reformato cum summa laude abbatissa XXXII. præfuit annos XXXI. pie tranquilleque obiit pridie idus Augusti anno CIↃDXCIIX. cum vixisset LXIX. Optime maxime Deus miserere.

XXXIII. Catharina III. d'Ittre matre Elizabetha de Mottinge in lucem edita, præfuit laudabiliter annis 4. & mensibus tribus. Jacet in sacello S. Joseph sub hoc epitaphio: *Hic jacet veneranda domina D. Catharina d'Ittre, filia domini Ludovici d'Ittre, abbatissa hujus monasterii de Camera XXXIII. reformationis VII. Præfuit laudabiliter annis IV. Obiit VII. Maii anno MDCIX. Anima ejus requiescat in pace.*

XXXIV. Johanna II. de Penin filia Antonii domini de Rasincourt & Johannæ Carpentier, soror autem Florentii de Penin multoties Iprensis consulis, sepelitur in choro sub hac inscriptione: *Hic jacet veneranda domina D. Johanna de Penin abbatissa hujus monasterii de Camera XXXIII. lege XXXIV. reformationis VIII. Præfuit laudabiliter annis 43. Obiit 27. Julii 1642. anima ejus, &c.*

XXXV. Maria VII. Rovelly matrem habuit Mariam Coppens; cetera docet ejus epitaphium:

D. O. M.

Admodum reverendæ ac nobilis quondam dominæ dominæ Mariæ Rovelli anima, uti confidimus, cælum petente, terra vero corpus expetente, hoc ei concessum est, & sub hoc lapide deposita, exspectat, angelica canente tuba sui cum animo reunionem corporis: vere in ea impletum est illud Psalmistæ; dies annorum nostrorum 70. anni, e quibus 53. in hac abbatia de Camera pie ac religiose transegit, eidem 25. præfuit vigilantissime, abbatissa 34. reformationis 9. desiit vivere 15. Martii anni 1668. Precum tuarum, pie lector, si forsan egeat, sentiat effectum.

XXXVI. Francisca Alsatia de Boussu Maximiliano comite de Boussu aurei velleris equite & Alexandrina de Gaures parentibus nata, Cameræ professionem emisit, tum Ruremondæ* 13. annis & Cameræ 15. feliciter præfuit. Epitaphium ejus tale est: *Æternitati sacrum hic in spe resurrectionis requiescit corpus reverendæ ac perillustris dominæ D. Franciscæ de Alsace dictæ de Boussu hujus monasterii abbatissæ 35.* lege *36. quam virtus ad id evexit muneris. Patrem olim habuit illustrissimum ac generosum dominum Maximilianum comitem de Boussu aurati velleris equitem, a quo illustrem acceperat indolem, a religione virtutis splendorem; sed heu illam mors rapuit, hanc fama servabit in ævum. Pietas & æquitas in ea certarunt, sed caritas cælo dignam fecit. Vixit annos 74. in religione jubilaria 57. in prælaturis hic & Ruremondæ 30. Devixit XII. cal. Martii 1683. Ut vivat in cælo, precare lector & dic, requiescat in pace.*

* Hic parthenon vulgo *Munster* appellatur.

XXXVII. Isabella-Clara-Eugenia Schetz dicta de Grobbendonck, filia Antonii comitis de Grobbendonck, baronis de Weesmael, Heyst, &c.

A ex Maria de Malsen baronissa de Tilborg, &c. soror vero Augustini de Grobbendonck episcopi Namurcensis, *bursariæ* primum, tum priorissæ muniis vigilantissime persuncta, confirmatur in abbatissam per abbatem Claræval. 26. Aprilis 1683. Obiit 15. Junii an. 1709.

XXXVIII. Maria Ernestina de Gand & Villain, postquam abbatia vacasset tribus annis, electa est & confirmata per abbatem Claræval. 15. Junii 1712. tum in ejusdem possessionem inducta 2. Julii ejusdem anni, demum benedictionem percepit 1713. Mortem oppetiit 29. Jan. 1718.

B XXXIX. Ludovica Dellano Velasco, *al.* Deliano y Velasco hujus cœnobii alumna, per obitum Mariæ Ernestinæ confirmatur abbatissa 25. Maii 1718. per abbatem vel priorem Claræval. eodemque anno benedictione donatur. Adhuc præerat 1725.

PARCUM-DOMINARUM.

VRAUWEN-PARCK.

HOC monasterium in pago & dominio Wezemael inter Arscotum & Lovanium, ab hac urbe uno vel altero milliario situm, sua initia accepta refert Johanni Hugoni & Beatrici C conjugibus in Parco commorantibus, quibus cum proles deesset, visum est bona in pios usus convertere, & exstruere cœnobium pro virginibus ex Augustinianæ regulæ præscripto victuris. At vero circa an. 1215. Reinero quodam equite adlaborante & res monasterii augente, sacræ virgines florens tunc temporis institutum Cisterciense sunt amplexæ. Deinde anno 1216. Henricus Lotharingiæ & Brabantiæ dux abbatiam hanc confirmavit, Gregorio pontifice Romano haud multo post collaudante.

SERIES ABBATISSARUM.

D I. MARGARETA I. vixit an. 1223.

II. Ermentrudis Bollo florebat 1230. Obiit anno 1233.

III. Oda 1237. 39. 40. & 1244.

IV. Margareta II. memoratur annis 1249. 51. 58. & 1266. neque prius denata est quam an. 1275. ipsius epitaphio teste, quod in capitulo legitur his verbis: *Anno Domini MCCLXXV. X. cal. Junii obiit domna Marguarita abbatissa quarta in Parco*, quanquam longe ante obitum abdicasse videtur ex dicendis.

V. E. 1258. 61. & 72.

VI. Agatha van Dyeven obiisse dicitur 23. E Maii 1275. die & anno iisdem, quibus Margareta abbatissa quarta.

VII. Anna I. van Merxem, 1279.

VIII. Agnes reperitur eodem anno 1279. in quadam serie MS. sed omittitur in edita.

IX. Margareta III. van Roteslaer 1291. & 1298.

X. Mathildis I. van Castre vixit an. 1309. inquit nuperus auctor histor. Mechlin. attamen ultimus versus ipsius epitaphii, quod habetur in capitulo, annum diversum exhibet; hunc subjicimus, ut lector judicet:

Annis millenis ccc. quater x. quoque semis octo, hoc est fortasse 1318.

XI. Maria I. vanden Calstre in capitulo epitaphium habet quod sequitur :

* hoc est, ut videtur, 1329.

In circuitu capitis. Circa tumbam.

M. semel & ter C. totiens X. I. cape per se,*
Lux prior Aprilis hanc ad jus evocat Ylis.
Hic jacet in tumba simplex sine felle columba,
Larga, benigna, pia, de Calstris dicta Maria,
Et meritis grata sociis humilis seriata,
De proprio ditans conventum, jurgia vitans.
Quæ bona possedit & claustro se, sua dedit.
Decem annis mœste, claustrum quæ rexit honeste,
Certa fide fulta fuit abbatissa sepulta.
Hæc rogo prælata sit ab omni labe lavata.

XII. Gertrudis I. de Duras 1331.

XIII. Margareta IV. van Dormale reperitur an. 1334. Maria vocatur in epitaphio, quod ita legere est in capitulo : *Hic jacet domina Maria de Dormal abbatissa 13. quondam istius monasterii, quæ obiit anno Domini 1341.* mensis Octobris die 15. cujus anima requiescat in pace.*

* In hist. Mechl. legitur 1441. 12. Octob.

XIV. Margareta V. van Rode floruit 1344. & 1348.

XV. Mathildis II. de Boleric 1364.

XVI. Mathildis III. de Belloc *al.* de Bollo 1365.

XVII. Margareta VI. Oenken vel Oemkens 1381.

XVIII. Catharina I. van Wilre 1392.

XIX. Maria II. vel III. van Lathem occurrit an. 1400. seditque ad an. 1414. quo sepulta est in choro sub hac inscriptione : *Hic jacet soror Maria Lathem abbatissa de Parco-Dominarum ord. Cisterc. Leod. diœcesis, quæ obiit anno Domini 1414. mensis Aprilis 20. Orate pro ea.*

XX. Maria III. van Dormael 1416. omittitur in hist. Mechlin.

XXI. Margareta VII. vanden Wesemale 1423.

XXII. Margareta VIII. Vanden-Elst 1437. omittitur in hist. Mechlin. cujus loco ponitur Maria van Dormale, de qua superius ad annum 1341.

XXIII. Maria IV. van Liefikenrode 1443. cujus hoc epitaphium legitur in capitulo : *Hic jacet domina Maria Lieftkenrode abbatissa 16.* quondam istius monasterii, quæ obiit anno Domini 1470. mensis Januarii die 20.*

* mendum est.

XXIV. Johanna I. van Riviere 1491. Conditur in capitulo, ubi tumulus tali decoratur epitaphio : *Hic jacet domina Johanna de Ryveria abbatissa 17. quondam istius monasterii, quæ obiit anno Domini 1495. Febr. die 21. Ejus anima requiescat in pace.*

XXV. Johanna II. Vander-Smisse præerat jam an. 1494. Epitaphium habet in capitulo his verbis : *Hic jacet domina Johanna Vander-Smisse abbatissa 18. quondam istius monasterii, quæ obiit anno Domini 1507.* mensis Martii die 27. cujus anima, &c.*

* al. 1517.

XXVI Gertrudis II. van Hulle 1519. Obiit 1521. die 4. Aprilis, in capitulo sepulta cum epitaphio, in quo dicitur *abbatissa 19. quondam, &c.*

XXVII. Margareta IX. Wesemale *al.* Dormale 1522.

XXVIII. Johanna III. van Riviere 1530. Obiit 27. Julii 1532.

XXIX. Jacoba Vander-Smisse 1550. moritur 27. Julii 1553.

XXX. Anna II. Vander-Uliet 1554. Jacet in choro, defuncta 7. Nov. 1559.

XXXI. Catharina II. Hax 1564. Obiit xi. Novemb. 1574. quam necrologium appellat abbatissam 24.

XXXII. Johanna IV. de Feri 1597. cujus ita meminit necrologium : *Domina Johanna de Feri hoc claustrum rexit 28. annis, &c. 25. hujus cœnobii prælata.* Obiit 21. Martii 1604. ex hist. Mechlin. sed melius 1608. mense Martio, ex necrologio.

XXXIII. Christina Vander-Meeren 1612. Fato fungitur 26. Junii anno 1618. ætatis suæ 74. officii 10. uti habetur in ejus epitaphio, quod est in capitulo.

XXXIV. Catharina III. Bellens ecclesiam construxit, cumque per annos 20. laudabiliter præfuisset, pie decessit an. 1638. ultima Sept. sub marmore tumulata cum inscriptione, in qua dicitur 27. abbatissa.

XXXV. Maria V. van Ryckel 1641. Obiit 15. Octob. 1655. ætatis 64. professionis 45. præfecturæ 14.

XXXVI. Robertina I. d'Amezaga jacet in ecclesia cum hoc epitaphio : *Hic requiescit venerabilis admodum domina domina d'Amezage hujus domus abbatissa 28. quæ annis 8. laudabiliter præfuit, & obiit 26. Aprilis 1664.* cujus anima requiescat in pace.*

* 1663. in hist. Mechl.

XXXVII. Bernarda Tallemans *vel* Taelmans 1664. Obiit 26. Nov. 1674. ætatis suæ 60. profess. 42. præfecturæ 10. testante epitaphio, ubi dicitur abbatissa 30.

XXXVIII. Benedicta Houwaert, *al.* Hauwaart e vivis excessit 21. Maii 1712. ætatis suæ 83. profess. 63. dignitatis abbatialis 37. prout habetur in scheda pro ejus animæ commendatione, ubi dicitur abbatissa 38.

XXXIX. Robertina II. *al.* Albertina de Roseneck, electa eodem anno 1712. adhuc præerat 1725.

VALLIS VIRGINUM seu B. MARIA DE LINTRIS.

MAEGHDEN-DAEL

ISta puellaris abbatia ord. Cisterc. sita est primo a Thenis lapide, in vico Lintræ superioris, unde communiter vocatur *monasterium Lintrense*, olim quidem in diœcesi Leod. modo Mechliniensi. De fundatore duæ sunt opiniones. Alii enim hoc titulo illustrare volunt Bartholomæum van Aa castellanum Bruxellensem, filium Leonis vicecomitis Bruxellæ & Odæ de Walcourt, sed absque ullo solido fundamento, inquit nuperus auctor historiæ

historiæ Mechliniensis; alii vero contendunt esse Bartholomæum Uleeshouwer civem & incolam Thenensem, virum divitem ac pium; & huic quidem opinioni prædictus auctor suffragatur, sed nulla auctoritate adducta. Annus item fundationis controvertitur: nonnullis ad an. 1215. ejus initia referentibus, Affligemiensi chronico ad an. 1230. errore, ut videtur, typographico; aliis denique 1220. aut, quod idem est, anno 1219. die 16. Martii, qui magis arridet. Ceterum primæ hujus loci sanctimoniales e Rameiensi diœcesis Namurc. parthenone sunt evocatæ, parentque hactenus abbati Villariensi.

Series Abbatissarum.

I. Ermengardis, quam dicunt fundatoris filiam, e Rameiensi sumta monasterio, tredecim annis cum solo priorissæ titulo rexit; deinde an. 1232. a Nicolao de Sombreff Villariensi abbate auctoritate capituli generalis abbatissa constituta, undecim annis gubernavit. Decessit non sine fama sanctitatis 15. Sept. 1243. cujus exsequias Johannes episc. Leodiensis sua præsentia cohonestavit.

II. Elisabetha I. de Mombeeck filia Gerardi domini de Mombeeck, de Villari, &c. ex Adelisia de Los filia Ottonis de Los comitis Durasii & Clarimontis, per abbatem Cistercii an. 1244. 17. Sept. abbatissa instituitur. Hæc destructis humilibus casis monasterium ex integro reædificavit, adjuta potissimum a suo fratre Wernerio de Mombeeck, Sifrido Coloniensi archiepiscopo, & Arnaldo de Mombeeck canonico Leodiensi. Denique sanctissimam vitam sanctissime clausit 4. Octob. 1266.

III. Catharina I. van Quadrebbe obiit 18. Augusti an. 1275. *al.* 76.

IV. Odilia de Mombeeck filia Wernerii militis domini de Mombeeck, ex Mathilde de Westerburg, ac proinde neptis Elisabethæ superioris, soror vero Sifridi Colon. archiepisc. annos nata solummodo 27. sororum omnium calculis subrogatur. Muris circumcinxit monasterium, quo per annos 19. pie gubernato, migravit ad Dominum 23. Febr. 1296.

V. Maria I. van Attenhoven fatis concessit an. 1322. die 26. Septemb.

VI. Maria II. de Grave van Hoye filia comitis de Hoye moritur 1336. 2. Maii.

VII. Jutta de Wanroy obiit 1359. 15. Febr.

VIII. Gertrudis I. de Hornes defecit 1360. 25. Septembr.

IX. Catharina II. vanden Berghe mortem oppetiit 1362. 16. Septemb.

X. Beatrix vanden Winckele moritur cum opinione sanctitatis an. 1383. 17. Junii.

XI. Elisabetha II. de Herimez dicta de Gavera obdormivit in Domino 1422. 7. Dec. Deinde vacavit abbatia duobus annis.

XII. Gertrudis II. Vander-Beken vivere desiit 20. Martii 1448.

XIII. Maria II. de Bossuyt ad cœlos evolavit 9. Martii 1461. *al.* 62.

XIV. Ida Pinocx obiit 7. Octob. 1468.

XV. Margareta Ardennekens fato functa est an. 1474.

XVI. Christina Goederthuys apoplexia suffocatur 1475. die 14. Aprilis.

XVII. Maria III. Vilters instituta 22. Maii 1475. obiit 1500. 22. Febr.

XVIII. Maria IV. Roelants naturæ debitum solvit die festo S. Pauli apostoli an. 1504.

XIX. Barbara Ussem *al.* Aussems viam universæ carnis ingressa est in festo Conversionis S. Pauli an. 1515.

XX. Johanna van Bausel instituta 1516. interiit 1522.

XXI. Elisabetha III. Vanden-Berghe a curia Bruxellensi nominata, constituitur abbatissa an. 1525. a Marco Cruyt S. Bernardi ad Scaldim abbate. Obiit 3. Junii 1546.

XXII. Maria V. van Liefxenrode cessit e vita 28. Septemb. 1555.

XXIII. Elisabetha IV. Vander-Biest diem clausit extremum 1560. 22. Apr.

XXIV. Maria VI. Happart dormitorium & claustrum construxit, morte sublata 1602. 22. April.

XXV. Maria VII. Halder 1611. Omittitur in quadam serie ad nos transmissa, ubi quæ sequitur præfuisse dicitur annis 25. Fortasse fuit contentio inter utramque.

XXVI. Catharina III. Bosmans animam exhalavit an. 1627. 20. Martii.

XXVII. Martina Pinchart obiit 1645. die xi. Junii.

XXVIII. Catharina IV. Valckenaer instituta 1646. 21. Jan. devixit 10. Maii 1680. ætatis anno 81.

XXIX. Ferdinanda de Sprimont neptis præcedentis, nominatur a duce de Villahermose inferioris gubernatore. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Icy repose la venerable dame madame Ferdinande de Sprimons XXVII. abbesse bien meritée de ce lieu, après l'avoir exemplairement gouverné l'espace de six ans, est decedée le 10.* Juillet de l'an 1686. âgée de 60. ans. Priez Dieu pour le repos de son ame.* * al. xi.

XXX. Cecilia Immens *al.* Gunnens nominata 15. Sept. ejusdem anni, spiritum emisit die xi. vel xii. Dec. an. 1692. ætatis suæ 46.

XXXI. Maria-Johanna de Libert Catharinæ Valckenaer & Ferdinandæ de Sprimont abbatissarum neptis, instituitur abbatissa 22. Februarii 1693. & adhuc præerat 1725.

BELLUM-PRATUM.

Beaupré.

Ordinis Cisterciensis parthenon situs in dominio de Grimminghen, quod est ad Teneram fluvium medio milliari a Gerardimonte, fundatur an. 1228. ab Adelide de Boular, *vel* Boulers filia unica Nicolai de Boulers & Idæ du Roeux, vidua Michaelis domini de Harnes prope Duacum, Flandriæ constabularii. Exstat hujus fundationis charta in appendice *, & apud Miræum novæ edit. pag. 418. ubi & ipsius confirmatio per Margaretam Flandriæ & Hannoniæ * Ch. xiii. & xiv. col. 299. & 300.

comitissam an. 1270. ac per Guidonem Flandriæ comitem & Marchisum Namurcensem anno seq. Insuper Alidis fundatrix annis 1229. & 1230. suæ primæ fundationis dotem adauxit, cum assensu filiorum & heredum; itemque Johanna Flandriæ & Hannoniæ comitissa an. 1237. ac Egidius dictus le Brun de Trazegnies constabularius Franciæ, filius fundatricis an. 1256. ut apud eumdem Mir. legere est, pag. 747. 754. & 770. Subjecta est hæc abbatia curæ Camberonensis abbatis. Porro quemadmodum, uti jam monuimus in Bello-prato diœc. Audomarensis, tria sunt virginum Cisterciensium cœnobia, quæ Belli-prati gaudent nomine, ita sunt etiam tria virorum ejusdem instituti, alterum in Lotharingia haud procul Nanceio, alterum in diœcesi Bellovacensi, ac tertium denique in diœcesi Tullensi.

Series Abbatissarum.

I. ADelidis I. seu Aleidis de Ruschembrouch, monialis de Camera, Belli-prati prima fuit abbatissa; quæ quidem an. 1229. ratam habuit venditionem allodii de Hoves, factam monasterio S. Dionysii de Broqueroia.

II. Oda de Bruxella, monialis quoque de Camera, secunda fuit abbatissa, quæ obiit 25. Februarii.

III. Helwigis de Bigardis, & ipsa monialis de Camera.

IV. Mathildis I. de Quarlbaremes, *al.* de Quarwanes, *vel* de Quarwanremes Vallis-Benedictæ professa.

V. Mathildis II. de Meureville obiit 7. Oct.

VI. Maria I. de Bodelo decessit 1. Octob.

VII. W. monialis de Camera.

VIII. Beatrix I. de Geraldimonte.

IX. Sophia de Corte præerat annis 1294. 99. & 1301.

X. Adelidis II. de Bouchout regebat 1310. obiit die 16. Septemb.

XI. Ida I. de Perken evolavit ad sponsum die xi. Maii.

XII. Beatrix II. de Puteo defuncta est 29. Julii.

XIII. Adelidis III. de Eechoute sedebat annis 1347. & 1350. Mortalitatem exuit 20. Nov.

XIV. Beatrix III. de Platea e Flinensi monasterio assumta, e vivis excessit die 16. Aug.

XV. Margareta I. Apers migravit ad Dominum 15. Junii.

XVI. Waldetrudis de Wrechen monasterium regebat 1368. Vivere desiit 10. Nov.

XVII. Elisabeth I. de Lombeke moritur 18. Septemb.

XVIII. Ida II. de Monte vita defungitur 17. Julii.

XIX. Ida III. de Pelken vitam cum morte mutavit 15. Aug.

XX. Elisabeth II. Zoetamys obiit 8. Octob. 1460.

XXI. Johanna I. de Novavilla, sive de Nieuwenhove monasterium suum reformavit, sub auspiciis, ut videtur, Johannis Eustachii I. abbatis Jardineti. Decessit 1472.

XXII. Jacoba Henrici diem supremum obiit 1500. die S. Hieronymi, *al.* 1505.

XXIII. Clara Dullaerts, sub qua, 1515. mense Julio Claravallensis abbas Belli-prati monasterium visitans in eo reperit 213. tam moniales quam conversas. Obdormivit in Domino cum opinione sanctitatis 14. Octobr. 1540. *al.* 1545.

XXIV. Johanna II. Baillette facta coadjutrix 1533. 26. Aug. tum abbatissa 1540. cessit an. 1543. 27. Octob. obiitque 1552.

XXV. Margareta II. des Buissons, cujus tempore sanctimonialium numerus erat 79. conversarum 60. fatis concessit 1561.

XXVI. Anna I. Sconinck instituta abbatissa 28. Febr. 1561. defuncta est an. 1578.

XXVII. Antonia I. de Ligne *al.* de Hamme vix in abbatissam fuit cooptata, mense nimirum Aprili an. 1578. cum ecce monasterio ab hæreticis vastato, moniales cum abbatissa, primum apud Gerardimontem, deinde apud Athensem civitatem se se recipere coactæ sunt. Tandem vero Bellum-pratum repetiit abbatissa 1587. ante Pascha, ubi defuncta est 27. Januarii an. 1588.

XXVIII. Maria II. André anno ætatis 38. in possessionem inducta fuit 23 Octob. 1588. ab abbate Camberonensi, præsentibus Gerardimontis & Jardineti abbatibus. Rexit laudabiliter annis 25. sed non omnibus pacifice; fugatus enim aliquando conventus, apud Gerardimontem confugit, unde non nisi prima die Augusti anno 1592.* ad propria regressus est. Tum vero prudens abbatissa domum dirutam non solum instauravit, sed & dominio de Grimminghen adauxit an. 1612. Jacet in choro sepulta cum hoc epitaphio: *Icy gist venerable dame madame Marie André 28. abbesse de Beaupré, & premiere dame de Griminchien, laquelle ayant honorablement gouverné l'espace de 25. ans, trepassa le dernier Decembre 1612. Priez Dieu pour son ame.*

* desertum dicunt monasterium annis 12.

XXIX. Johanna III. van Yedeghem agebat annum ætatis 35. professionis 18. quando instituta fuit abbatissa die 4. Martii an. 1613. Novam ecclesiam erexit, ac plurimum decoravit 1627. viam universæ carnis ingressa 25. Junii 1630.

XXX. Maximiliana d'Oyenbrugghe benedictionis munus accepit 15. Sept. an. 1630. ætatis 37. professionis 20. Jacet in choro sub marmore sic inscripto: *Ce marbre icy couvre le corps, mais le ciel a ravi l'ame de la reverende & tres noble dame madame Maximilienne d'Oyenbrugghe 30. abbesse de N. Dame de Beaupré; laquelle ayant vescu 67. ans, & conduit le troupeau & le monastere de ceans l'espace de 30. ans, aprés avoir laissé une vie exemplaire & miroir eternel a toutes les religieuses de pieté, humilité, prudence, discretion, &c. a rendu son ame a son Createur le 14. Juin 1660.* Requiescat in pace, amen.

XXXI. Antonia II. de Quarré electa in abbatissam die 24. Jan. 1661. ac benedicta 20. Febr. dormitorium, refectorium & capitulum exstruxit. Condita est in choro juxta sororem, sua unicuique apposita epigraphe, his verbis: *Icy gist noble dame dame Jeanne de Quarré, epouse*

de M.re Jerosme comte de Ledron, gentilhomme de la chambre de Sa Majesté imperiale, bienfactrice de ceans, laquelle trepassa le 19. d'Avril 1665.

Icy gist aussi venerable dame, dame Antoinette de Quarré sa sœur 31. abbesse de ceans, laquelle ayant gouverné loüablement cette maison l'espace de 7. ans, trepassa le 23. Octobre 1667. R. J. P.

XXXII. Ludgardus de le Poire, *al.* le Poiré inducta in possessionem 20. Aug. 1668. defecit 26. Aprilis 1681. ætatis suæ 63. Jacet in sanctuario cum epitaphio, quod nihil habet singulare.

XXXIII. Angelina de Lanfranchi obiit 8. Febr. 1704. in choro sepulta cum suo fratre, quorum hæc sunt epitaphia: *D. O. M. & piis manibus amplissimæ & prænobilis dominæ D. Angelinæ de Lanfranchi hujus monasterii tertiæ supra trigesimam viginti tribus annis abbatissæ vigilantissimæ, quæ obiit octava Februarii 1704. Necnon prænobilis D. Jacobi de Lanfranchi fratris ejus, non minus virtute quam sanguine germani, qui obiit 7. Septemb. 1699. R. J. P.*

XXXIV. Anna II. de Fraye obiit 1715.

XXXV. Beatrix IV. Fiefvet benedicta 15. Decembr. an. 1715. dicitur præsens abbatissa ab auctore novæ historiæ Mechliniensis, editæ 1725. Attamen

XXXVI. Bona de Lambrescht nominata legitur ab Imperatore 19. Martii 1718. & confirmata a D. Pontio Jeunet priore Claravallensi, sede abbatiali vacante, 8. Maii ejusdem anni.

ROSA B. MARIÆ.

Ter-Roosen.

SEU B. MARIA DE ROSIS prope Alostum in Brabantia, primum habuit fundatorem, an. 1228. inquit auctor historiæ Mechliniensis, Razonem de Fontinella & de Borneken militem, cujus tanquam fundatoris obitus notatur in necrologio monasterii die 1. Decemb. Ignoratur autem cui hoc cœnobium instituto paruerit usque ad annum 1235. quo G. Cisterciensis abbas auctoritate capituli generalis ipsum ordini Cisterciensi aggregavit, & Alnensi abbati in perpetuum subjecit. (Ch. XVII. col. 302.) Necdum tamen hoc anno fixa erat monasterii sedes, imo nec 1239. ut liquet ex charta Jacobi abbatis de Bodelo & Jutæ abbatissæ de Rosa B. Mariæ, qua notum cuilibet faciunt fundatorem & filios ejus, Oliverium, Danielem & Razonem omnia quæ possidebant eidem abbatissæ in eleemosynam ea lege contulisse, ut. . . . . *in loco, qui Fontinella nominatur, monasterium debeat ædificare, ubi magis dictæ abbatissæ & conventui ejus visum fuerit expedire.* (Ch. XVIII. ibid.) Idemque repetitur in charta ejusdem abbatis, qua, Oliverio prædicto infringere donationem conante, Th. Flandriæ & Hannoniæ comitem precatur, ut remota illius Oliverii calumnia, prædictam conditionem debita firmitate faciat observari. (Ch. XIX. ibid.) *Datum anno 1240. calendis Junii.* Tandem vero Margareta Flandriæ & Hannoniæ comitissa monasterii possessiones confirmavit an. 1258. mense Martio; (Ch. XXI. col. 303.) ex cujus charta discimus monasterium tunc situm fuisse apud Borneken in parochia *de Alost*, cum aliquandiu antea fuisset apud Milebeke, locum non longe dissitum. Ceterum Oliverius prædictus, filius Razonis fundatoris memoratur in necrologio hujus loci 16. Junii, & uxor ejusdem fundatoris Stephania 21. Martii.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JUTTA legitur abbatissa de Rosa B. Mariæ in chartis annorum 1239. & 1240. supra memoratis.

II. Juliana annis 1282. & 1291. nonnulla comparavit. Ejus obitus notatur in necrol. 26. Junii.

III. Margareta I. de Heemberghen diem clausit extremum an. 1328. 23. Octobris.

IV. Elisabeth I. locum habet in necrol. 2. Jan.

V. Maria I. van Exarde, 5. Januarii, *ibid.*

VI. Havidis, 3. Febr.

VII. Catharina I. de Lovanio, 23. Martii.

VIII. Beatrix de Dielbecke florebat an. 1350. quam proinde extra locum positam, vel certe aliquot præcedentes, arbitramur. Obiit 17. Apr. ex necrol.

IX. Elisabeth II. de Cockelberghe, 2. Maii.

X. Elisabeth III. de Poperode, 5. Nov.

XI. Margareta II. de Pratis, 24. Novemb.

XII. Margareta III. de Effeltre, obiit 25. Febr. 1414.

XIII. Elisabeth IV. de Oyen defuncta est 1416.

XIV. Catharina II. Lombex moritur 7. Apr. 1418.

XV. Margereta IV. de Lanchmersch decessit 1419. 18. Aug.

XVI. Elisabeth V. de Sadeleeren obiit 29. Julii 1454.

XVII. Antonia Bacir vita privatur 1505. 10. April.

XVIII. Maria II. Boudins abbatissa prima reformationis e gremio electa, fato fungitur 1538. dignitatis anno 34. die 24. Maii.

XIX. Elisabeth VI. Buyst vivere desiit anno 1546. præfecturæ 10. die 18. Maii.

XX. Margareta V. de Braet animam exuit 13. Apr. 1573.

XXI. Anna de Buyst vitam cum morte mutavit an. 1582. 9. Sept.

XXII. Margareta VI. Wasteels, qua regente monasterium ab Iconoclastis funditus eversum est, obiit anno 1620. regiminis 34. die 19. Novemb.

XXIII. Catharina III. Bellet defecit 23. Novemb. 1632.

XXIV. Martina Coune exstincta est die 1. Sept. an. 1649.

XXV. Maria III. Coune migravit a seculo 1676. dignitatis abbatialis 27.

XXVI. Laurentia van Damme naturæ debitum solvit an. 1696. 8. Januarii.

XXVII. Humbelina de Opdenbosc obiit an. 1697. 8. Aug.

XXVIII. Gertrudis Lemmens spiritum emisit an. 1709. 26. Jan. ætatis suæ an. 62. professi. 35. præfecturæ 12.

XXIX. Constantia Noens regimen obtinuit ab anno 1709. ad annum saltem 1712. A

Gallicè VAU-LE-DUC, *vernaculè* s'HERTOGENDAEL.

VALLIS-DUCIS.

CONditore gloriatur Henrico I. Lotharingiæ & Brabantiæ duce an. 1232. & ideo *Vallis-Ducis* appellatur. Voverat Princeps, ut in chronico Villariensi legitur, si prolem masculam ex conjuge susciperet, excitaturum se collegium puellare. Voti compos effectus, monasterium virginum exstrui curavit in libero allodio sylvæ Merdaliæ, in pago Hamme, altero milliari a Lovanio, pro sexaginta monialibus, triginta conversis & duobus presbyteris an. 1232. quod mox commisit abbati Villariensi ordin. Cisterc. anno scilicet 1233. Nec multo post hic numerus triginta conversarum mutatus est in decem, quatuor fratres conversos familiares & quatuor item sorores familiares. Ceterum obiit fundator, cum needum perfectum esset cœnobium, circa 1249. ac sepultus est in Villariensi monasterio, ubi etiamnum tumulus ejus ante summum altare conspicitur. B

INDEX ABBATISSARUM.

I. ALEYDIS, quæ etiam Helwich appellatur; prima fuit abbatissa ex Thoma Cantipratano, lib. 2. Apum, cap. 10. Hæc autem est A. Vallis-Ducis abbatissa, quæ an. 1241. se debere domui S. Nicasii de Hamme quinque modios bladi, mediam partem siliginis & mediam avenæ recognoscit, ex tabul. S. Nicasii Remensis. Nec dubium quin ipsa sit quæ Leonium castellanum Bruxellensem & Danielem de Wange munificos experta est an. 1238. C

Mir. novæ editionis pag. 755. & 756.

II. Margareta I. fundatoris filia obiit cum fama sanctitatis an. 1277. cujus hodieque tumulus illic conspicitur in choro monialium ante aram B. M. virginis sub cæruleo lapide. Deinde sequuntur plures abbatissæ, quarum ætas ignoratur. D

III. Ida, recensetur in necrologio, XV. cal. Febr.

IV. Ermentrudis de Montfort IV. idus Febr. *ibid.*

V. Maria I. van Saelm, IV. nonas Martii.

VI. Helwidis I. XII. cal. Aprilis.

VII. Helwidis II. VII. idus Maii. Harum alterutra cognominatur van Meerbeeck.

VIII. Margareta II. de Scadebrouch *al.* de Schaedebouck, idibus Octobris.

IX. Bernarda de Pinnockx.

X. Magdalena I. de Graen.

XI. Johanna van Prand.

XII. Catharina I. van Susper. E

XIII. Juliana I. van Overtvelt.

XIV. Cornelia Weelemans.

XV. Beatrix Vander-Linden.

XVI. Maria II. van Gaesbeeck.

XVII. Catharina II. de Goetsenhoven præerat an. 1402. Hæc sanctuarium & novum dormitorium construxit. Obiit anno 1420. regiminis 18. sepulta in capitulo.

XVIII. Gertrudis van Goetsenhoven soror præcedentis, dormitorium absolvit, egregiaque tabula summum altare decoravit.

XIX. Elisabetha I. Baëten sub Gertrude priorissa, primævum ordinem restituit in monasteriis Solis-montis, Valteri-braniæ & Argentonii, cumque & idem præstitisset in suo Vallis-Ducis monasterio an. 1460. ex Grammaio, 1467. ex monumentis cœnobii, cessit, obiitque non sine fama sanctitatis IV. idus Aprilis.

XX. Margareta III. Calabers, secunda post reformationem abbatissa diu & laudabiliter præfuit, defuncta IX. cal. Junii.

XXI. Helwidis III. s'Greven *al.* Schreven; tertia post reformationem obiit III. nonas Febr.

XXII. Jacquelina del Campo *des Champs* ab observantiæ regularis restitutione abbatissa quarta, monasterium annis decem & novem summa cum laude rexit: morte sublata est V. idus Aprilis.

XXIII. Elisabetha II. Voghels, quinta post reformationem abbatissa monasterium 22. annis gubernavit. Fatis concessit V. idus Octobris an. 1532.

XXIV. Magdalena II. van Ulaenderen sexta post reformationem sedit annis quatuor, defuncta XVIII. cal. Octobris.

XXV. Margareta IV. de Wemelinghen ex abbatissa Vallis S. Bernardi Diesthemiensis per quatuor annos, fit abbatissa Vallis-Ducis ad octodecim. Obiit V. cal. *Aug. 1554. in capitulo sepulta.

** 16. Junii, ex necrol. Vallis-Ducis.*

XXVI. Anna de Moer *vel* de Moor & Smoers, octava post reformationem abbatissa, cum rexisset annis novem, decessit an. 1563. die 16. Dec.

XXVII. Johanna I. Voghels seu fortasse de Winghen, obiit an. 1572. 25. Novembris, sepulta in capitulo, sub tumulo Elisabethæ Voghels, cujus erat consanguinea.

XXVIII. Maria II. Vanden-Spich sex annos explevit in regimine.

XXIX. Elisabetha III. Vyter-Hellight, undecima post reformationem abbatissa, defuncta est an. 1610. III. idus Augusti.

XXX. Johanna II. Vander-Muyden jacet in choro sub hoc epitaphio: *D. O. M. Johan. Vander-Muyden abbatissæ hujus monasterii a reformatione 12. cui octennio præfuit & profuit. Obiit 7. Maii anno salutis 1619. ætatis suæ 42. Johannes-Baptista vant Sestich J. U. L. & Catharina Vander-Muyden conjuges sorori dilectissimæ P. C.*

XXXI. Maria III. van Opsemen decessit nonis Junii 1652.

XXXII. Robertina Henrion vivere desiit 16. Aug. 1676. in choro sepulta cum hoc epitaphio: *D. O. M. Hic jacet venerabilis admodum DD. Robertina Henrion 14. post reformationem abbatissa Vallis-Ducis, quæ obiit 16. Aug. 1676. ætatis 77. profess. 62. dignitatis abbatialis 24. Jubilæi 2. cujus anima per mis. Dei r. i. p. a.*

XXXIII. Elisabetha IV. Leemans cessit e vita 1697.

XXXIV. Scholastica de Reusme innotescit ex epitaphio: *Hic jacet reverenda admodum domina D. Scholastica de Reusme toparcha de Hamme & 16. abbatissa post reformationem Vallis-Ducis, quæ obiit XI. Julii an. 1702. anno ætatis suæ 67. professionis 50. dignitatis abbatialis 5.*

XXXV. Juliana II. van Boxtal successit ad annum saltem 1725.

VALLIS S. BERNARDI.

LE VAL SAINT BERNARD.

HAnc abbatiam virginum ord. Cisterc. dotavit Arnoldus toparcha Diesthemii *de Diest* in Brabantia anno 1235. Gregorio IX. pontifice maximo anno 1238. & Henrico III. duce Brabantiæ an. 1255. hoc opus approbantibus & confirmantibus: chartam dotationis exhibemus in appendice. (Ch. XVI. col. 301.) Porro ab initio sita erat in agro suburbano Diesthemiensi, sed cum bellorum turbine eversa esset an. 1577. moniales intra ipsam urbem se receperunt, ibique stabilem sedem fixerunt. Ita nuperus auctor historiæ Mechlin. Grammaius autem nunc Lovanii agere tradit. Subest jurisdictioni abbatis S. Bernardi ad Scaldim ejusdem ord. Cisterc.

SERIES ABBATISSARUM.

I. CLARA JODEN memoratur in necrol. 6. Febr.

II. Gertrudis I. Bruyns, 10. Febr.

III. Margareta I. 1267.

IV. Catharina I. Paul 2. Junii.

V. Maria I. van Goetsenhoven, 9. Junii.

VI. Anna I. Waeffelaers, 13. Junii.

VII. Elisabeth Bruynen memoratur in necrol. die XI. Dec. quæ fortasse eadem est ac Elisabeth, quæ absque cognomine reperitur anno 1335. mense Decembri.

VIII. Aleydis van Meerhoudt recensetur in obituario libro 19. Septemb. non alia fortasse ab Aleyde quæ occurrit an. 1350.

IX. Apollonia van Houtum, 30. Decemb.

X. Odilia Molenpas 1442.

XI. Margareta II. de Wemelinghen sedisse dicitur annis quatuor, deinde ad abbatiæ Vallis-Ducis regimen transiisse.

XII. Anna II. Schutkens 1548.

XIII. Margareta III. Cappaers præerat annis 1548. & 1572. Obiit 23. Aug.

XIV. Margareta IV. Vander-Stocks cujus tempore an. 1577. vel 78. everso monasterio sacræ virgines toto decennio dispersæ sunt. Fatis concessit an. 1580. die 25. Decemb.

XV. Catharina II. van Brée 1589. & 1606. Obiit 29. Nov.

XVI. Gertrudis II. Muyskens e vita migravit 8. Febr. 1637.

XVII. Anna III. Rochellée sedit annis 40. mortua 21. Martii 1676.

XVIII. Maria II. van Croonenborch post annorum 18. regimen, ipsum cum vita reliquit 24. Apr. 1694.

XIX. Barbara le Langue 1699. 6. Sept.

XX. Bernarda Heytmeyers obiit 6. Aprilis 1705.

XXI. Gertrudis III. Reners cessit e vita 31. Maii 1706.

XXII. Anna-Catharina Dierna, nominatur 21. Junii 1711. ac instituitur 1712. mense Aprili.

SARTUM *vel* SERTUM B. MARIÆ, *vulgo* ROTTHEM.

ET olim *Rocheem*, itemque Rosta in chronico Cisterc. pag. 301. apud Mir. editionis anni 1614. abbatia est virginum ordin. Cisterc. in diœcesi quondam Leod. modo Mechliniensi, adjacens oppidulo Brabantiæ, quod appellatur Halen, uno milliari a Diesthemio, ad Velpam fluvium in agro Alostano. Exstabat an. 1304. quo Theodericus de Anderane miles illic eligens sepulturam, decimas vici Betchensis prope Halenum oppidum, ad Jaceam fluviolum siti, eidem cœnobio ad opus abbatissæ & conventus ejusdem loci contulit. (Mir. novæ edit. pag. 212.)

SERIES ABBATISSARUM.

I. CATHARINA I. erat abbatissa 1318. ind. 2. quo anno medietatem decimæ Betchensis a Theoderico & Arnoldo fratribus, filiis & heredibus Theoderici prædicti de Anderane pretio comparavit, die 25. Novembris. (Ibid. pag. 214.)

II. Anna Vander-Naet Vallis-Ducis alumna, postmodum fuit abbatissa de Rothen ex necrol. Vallis-Ducis, ubi memoratur nonis Novembris.

III. Cornelia de Lammelle educta est quoque e parthenone Vallis-Ducis, ut esset abbatissa de Rothen.

IV. Catharina II. Peetermans e monasterio Vallis-Rosarum evocatur ad reformandum Sertum nostræ Dominæ *al.* Rottium, & ibidem instituitur abbatissa per vicarium generalem Belgii abbatem Villariensem die 1. Nov. an. 1615.

VINEA NOSTRÆ DOMINÆ.

LA VIGNE NOTRE DAME.

ID vocabuli sortitum est cœnobium puellare ordinis Cisterc. in urbe Lovanio, a vineis ei olim vicinis, quemadmodum Subcastrense vulgo nuncupatur a veteri castro Cæsariano, cui subjectum est. Fundatur an. 1519. die Maii ultima (sic enim habet charta primaria) a viro nobilissimo Waltero de Tympel *vel* Tymple urbis Lovaniensis consule, Johanne & Ludovico ejus filiis assentientibus. (Mir. novæ edit. pag. 1049.) Sic etiam de hoc cœnobio loquitur J. Lipsius in suo Lovanio: *Subcastrensibus, ut vocantur, monialibus conditor Gualterus Timplius, vir nobilis; & accessit in partem Catharina Oppendorpia, vidua Johannis Blosii equitis, annis 1518.* Ad hanc porro novam familiam instituendam, ex abbatia Walteri-Braniæ ejusdem ordinis in Gallobrabantia evocatæ sunt octo sanctimoniales, eisque pater abbas & visitator immediatus in perpetuum datus est anno 1521. auctoritate capituli generalis, abbas monasterii S. Bernardi ad Scaldim pro tempore existens, tunc autem erat Marcus Cruyt, qui non modo fundationem promovit, uti legitur in ipsa charta, sed etiam ut alter quasi fundator annuos census non exiguos monialibus in perpetuum alendis assignavit.

Index Abbatissarum.

I. MARGARETA ab Itre e monasterio de Walteri-Brania cum aliis septem sororibus accersita, constituitur abbatissa die festo S. Agathæ an. 1519. atque an. 1521. auctoritate capituli generalis confirmatur. Obiit vero calendis Febr. 1541.

II. Paschasia Seels *al.* Zeest subrogatur in regimine ad annos 53. & amplius, tandemque anno ætatis suæ plus minus 90. vitæ cursum in Christo feliciter consummavit anno 1594. die 22. Febr.

III. Barbara Midderborg electa, regiisque confirmata litteris, necdum tamen benedicta, e vivis excessit an. 1595. VI. cal. Junii. Omittitur a nupero historiæ Mechlin. auctore, ob ipsius breve regimen, ut videtur, vel quia benedictione vacua migravit.

IV. Maria I. Vander-Laëren moritur pridie nonas Febr. 1615. postquam rexit annis viginti.

V. Sara Vanden-Bossche obdormivit in Domino cum fama sanctitatis pridie nonas Junii 1629. post regimen tredecim annorum.

VI. Anna de Pape rexit annis 34. quibus interim domum ædificavit. Vivere desiit an. 1663. 26. Junii.

VII. Angela van Meerbeck obiit 1676. nonis Junii, exactis in regimine tredecim annis.

VIII. Maria-Columba Fanius post totidem annos regiminis mortem oppetiit anno 1689. pridie cal. Octob.

IX. Maria II. de S.t Gislain postquam præfuisset annis 22. suum clausit extremum diem III. nonas Decemb. an. 1711.

X. Catharina-Theresia Willemaers electa 1712. die 7. Junii, adhuc præerat 1725.

DILIGHEMIUM.

DILIGHEM

SItum est uno milliari ab oppido Bruxellis, via Flandrensi, qua itur Teneramundam, in diœcesi quondam Cameracensi, modo Mechliniensi. Conditur autem in pago de Jeth, unde aliquando dictum Jettense monasterium, nunc ord. Præmonstratensis, ab Onulfo milite domino de Wolverthem ex familia ducum Brabantiæ, an. 1095. quamquam nonnulli, ut sunt Miræus in chronico Præmonstratensi, pag. 109. & Sanderus in chorographia sacra Brabantiæ, cap. de Grimberga, pag. 5. volunt ibidem prius inhabitasse monachos ord. S. Benedicti, a S. Amando institutos, non canonicos Regulares, ut habet nuperus auctor historiæ Mechliniensis. Ceterum hoc anno 1095. erant in eo loco fratres B. Augustini regulam observantes, ut liquet ex charta Galcheri episcopi Cameracensis, qua cellam sitam in villa de Jetta ipso anno XVIII. cal. Octob. dedicavit in honorem B. M. Virg. & S. Johannis Evangelistæ, *ad usus*, inquit, *fratrum in hoc loco Deo famulantium, & B. Augustini regulam observantium.* Sed iis tandem sive amotis, sive institutum Præmonstratense amplexantibus Norbertini canonici circiter annum 1140. acciti e [Mir. nova edit. pag. 954.]

A Trunchiniensi monasterio successerunt. Et hi quidem a quadringentis & amplius annis cultui B. Blasii martyris, cujus brachium dono Margaretæ Eduardi Angliæ regis filiæ, & Johannis Brabantiæ ducis conjugis possident, impense famulantur.

Series Abbatum.

I. WALTELMUS & WOLTELMUS, seu GALTELMUS antea prior, jam erat abbas anno 1106. ut patet ex litteris Odonis episc. Camerac. anno I. ejus pontificatus, quibus donationem quamdam Everardi Radulfi Tornacensis, Jettensi ecclesiæ factam confirmat. Et B certe idem antistes anno 1112. suæ administrationis septimo testatur se propriis manibus Galtelmum consecrasse, cellam quæ sita est in villa *Jeth* VIII. Octob. dedicasse, itemque atrium assignatum benedixisse, ac denique rogatu ejusdem abbatis parochialem ecclesiam Jettensem cum suis appenditiis contulisse. Dicitur quoque abbas Jettensis an. 1117. in charta Walcherii archidiaconi Brabantiæ, ac insuper abbas Liedekerkensis in instrumento de abbatiæ Ninivensis exordio, quod in appendice referimus. Tum vero circa an. 1140. inquiunt, candidum Norbertinorum habitum assumsit, quatuor adscitis e Trunchinio fratribus, C a quibus Præmonstratensis instituti disciplinam plenius edisceret. Obiit non multo post (anno 1139. ex Grammaio) anno 1141. IV. calend. Decemb.* ex Sandero & nupero historiæ Mechl. auctore, *melius* 1140. *vel* 1139. ut pote post cujus mortem abbas Ninoviensis ecclesiam Lidekerkanam obtinuit 1140. [Ibid. pag. 958.] [Ibid. pag. 959.] [Ch. v. col. 293.] [* al. XVI. cal. Junii.]

II. Theodoricus I. asceta Trunchiniensis, ecclesiam, qualis hodie superest, exstruxisse fertur sub annum 1142. ac tandem obiisse an. 1144. 8. Julii.* [* al. VIII. idus Junii.]

III. Walterus e gremio Jettensis ecclesiæ assumtus est in abbatem; sub quo, vel Hildebrando D ex Sandero Juvanus dominus de Jette Onulfi fundatoris ex filia nepos in ordine conversorum susceptus est. Privilegium accepit a Nicolao Cameracensi episcopo an. 1145. & ab Eugenio III. Romano pontifice 1147. quibus abbatiæ possessiones confirmantur. Defunctus est circa annum 1150. ultima Decemb. [Mir. nova edit. pag. 968. & 979.]

IV. Henricus I. unus ex quatuor ascetis Trunchinio missis ad ordinem Præmonstratensem Diligemii stabiliendum, historiam scripsisse traditur ordinis sui ac monasterii an. 1158. Certe anno 1155. privilegium obtinuit ab Adriano IV. pontifice Romano, obiitque 1162.* XVI. cal. Junii. [*al. 1158.]

E V. Hildebrandus occurrit abbas an. 1166. in charta Trunchiniensi, itemque in altera Nicolai episc. Camer. pro Foresta. Reperitur etiam anno seq. in instrumento Geraldi Grimbergæ ac Ninoviæ domini pro Ninivensi cœnobio. An. 1180. transigit cum Ninovia super ecclesia Liedekerkensi; nominatus insuper in charta Godefridi III. Brab. ac Lothar. ducis hanc abbatiam circa an. 1185. in suam protectionem suscipientis. E vita migravit circa an. 1200. IX. cal. Julii. [Ibid. pag. 541.] [Ibid. pag. 979.]

VI. Henricus II. S. Martini Laudunensis alumnus, post tres annos regiminis abdicavit an. 1203.

VII. Sigerius ex priore factus abbas refectorium vetus octoginta pedes longum exstruxit. Idem an. 1217. Henricum I. Lotharingiæ ducem munificum experitur. Obiit hoc anno XIV. cal. Augusti.

Ibid. pag. 991.

VIII. Egericus sive Egricus commutatione quorumdam allodiorum terras sitas in agro de Dieleghem ab Henrico filio Oliverii de Sottengien acquisivit; & hinc fundamentalis origo nominis *Diligem*, huic abbatiæ inditi; etenim cum hæc ecclesia a loco, in quo sita erat, Jettensis hactenus vocaretur, placuit ab obtento illo feudo *de Diligem* postea nuncupare. Id tamen acceptum refertur Danieli abbati an. 1230. a novo Miræi operum editore. Decessit Egericus die 30. anni 1218.

IX. Wenemarus S. Martini Laudunensis canonicus, obiit an. 1219. XII. calend. Aprilis, *al.* 1218. pro varia, scilicet annum inchoandi ratione.

X. Amelius ex Averbodio *al.* e S. Martini Laudunensi cœnobio assumtus plurima dona recipit a Leonio castellano Bruxellensi Onulfi fundatoris ex filia pronepote. Vivere desiit 1220. 4. Jan. *al.* pridie cal. Aprilis.

XI. Henricus prænominatus numero sextus, onus relictum iterum assumit ad annum usque 1226. quo jam plenus dierum migravit ad Dominum die XIX. cal. Septemb. *al.* VI. cal.

XII. Gerinus & Gervinus, qui & Geraldus I. ex priore in abbatem cooptatus dormitorium ex candido & secto lapide construxit. Fato functus est an. 1230. V. cal. Aprilis.

XIII. Daniel Ninoviensis canonicus, primum fuit abbas Dilighemiensis, ab anno 1230. tum Grimbergensis, ac denique Ninoviensis circa an. 1251. Defecit an. 1255. XIV. calend. Febr. ex necrol. Dilighemiensi.

XIV. Walterus de Roësbeke Grimbergæ professus, inde fit abbas Dilighemiensis, ac postea Grimbergensis anno 1256. obiitque 1259. ex hist. nova Mechliniensi. Dies autem varie notatur a Sandero; ubi agit de Dilighemio, assignat 3. Octob. ex necrol. inquit, domestico; ubi vero disserit de Grimberga, diem notat VIII. idus Augusti, ex necrologio Grimbergensi, & nonas Augusti ex Diligemiano.

XV. Godescalcus ex gremio postulatus an. 1273. mense Febr. fraternæ societatis fœdus sancivit cum Gosvino abbate Grimbergensi. Jacet in capitulo, defunctus anno seq. VII. *vel* VIII. cal. Maii.

XVI. Onulfus ex Ninovia sumtus, esse inter vivos desiit 1275. XIII. cal. Novemb.

XVII. Egidius e Trunchinio accitus obiisse dicitur an. 1284. die 24. Junii *al.* VI. cal. Julii.

XVIII. Henricus IV. ecclesiæ Dilighemiensis alumnus, ejusdem pater & abbas effectus est post obitum Egidii. Ipso deprecante Johannes I. ac II. Lotharingiæ, Brabantiæ ac Limburgi duces *advocatiam* seu defensionem monasterii assumsere, ille 1292. mense Aprili, hic 1297. mense Januario. Decessit an. 1300. V. nonas Martii, *al.* 1301. secundum diversum modum inchoandi annum.

XIX. Gerardus Parcensis canonicus abbatia Dilighemiensi potiebatur an. 1302. quo Razo dictus a Gavera, dominus Lidekerkanus ei contulit capellaniam seu simplicem præbendam in parochiali ecclesia Leeuwensi, ad fluvium Teneram sita. Cessit ac devixit an. 1308. VII. idus Martii.

XX. Petrus I. ecclesiæ Dilighemiensis canonicus vitam cum morte commutavit eodem anno 1308. sed mensis proxime præcedentis die 14. *al.* VI. nonas Martii.

XXI. Eustachius ejusdem ecclesiæ alumnus e vivis excessit an. 1310. die 4. Dec. *al.* 3.

XXII. Johannes I. cognomento de Craene *al.* Delradem e gremio delectus, multa obtinuit privilegia a Johanne III. Brabantiæ duce. Mortuus est an. 1330. III. nonas Maii.

XXIII. Johannes II. Crupelant & ipse Dilighemiensis canonicus, refugium Bruxellense, seu domicilium Dilighemiensibus in urbem divertentibus recipiendis destinatum, adjacentium fundorum accessione ampliavit. E vita discessit anno 1338. XIV. cal. Septemb.

XXIV. Theodoricus II. asceta quoque Dilighemiensis obiit 1345. pridie cal. Septemb. ex Sandero & nupero historiæ Mechliniensis auctore, 1365. ex Grammaio.

XXV. Johannes III. ab Asca cognominatus an. 1369. die 3. Apr. adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni ecclesiæ Mechliniensis. Diem clausit extremum an. 1377. in pervigilio S. Laurentii martyris, *al.* 1378. 9. Aug.

XXVI. Nicolaus de Leeuwe dictus de Herent, ex priore ac deinde præposito seu provisore, obiit 1384. 28. Aug. 1383. ex Grammaio.

XXVII. Johannes IV. de Middelborch *vel* Middelburen calligraphia commendatus rexit annis 16. obiitque an. 1400. die 15. Septemb. non 1411. ut irrepsit apud Sanderum; sic enim habet inscriptio lapidis sepulcralis: *Hic jacet dominus Johannes abbas hujus ecclesiæ, cognomine Middelborch, qui eamdem ecclesiam honeste rexit sedecim annis, obiitque anno 1400. decimo septimo * cal. Octobris.*

* *al.* XVI. calend.

XXVIII. Ghiselbertus & Ghysbertus Lupus seu de Wolf canonicus Dilighemiensis & præpositus seu provisor memoratur abbas Jettensis in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses anno 1415. Mortem oppetiit 1424. 15. Julii *al.* XI.

XXIX. Johannes V. Jacobi ex canonico regulari monasterii Viridis-Vallis in Sonia factus Dilighemiensis, evasit postmodum prior & abbas; defunctus circa an. 1440. IV. idus Sextiles, hoc est 10. Aug.

XXX. Guillelmus Croës *vel* Craës canonicus Dilighem. obiit 1457. 10. Maii.

XXXI. Johannes VI. de Quercu, patria Mechliniensis, ac professione Dilighemiensis alumnus, in pace quievit 1462. IV. cal. Maii.

XXXII. Johannes VII. de Lenneke Teneramundanus, e gremio sodalium assumtus, anno dignitatis septimo eam dimisit, septemdecim adhuc annis superstes, hoc est ad annum 1487. VII. ante idus Quintiles.

XXXIII. Rolandus I. Piquot *vel* Pyquet Bruxellensis, sacræ theologiæ baccalaureus, ex subpriore ac juniorum institutore creatus abbas, an. 1480. die x. Apr. ind. XIII. adfuit ostensioni reliquiarum S. Rumoldi. Dignitatem abdicavit anno 1501. obiitque circiter an. 1507. x. cal. Julias, ex eo maxime commendandus, quod suum monasterium bellis civilibus attritum, magnificentius quam antea restauraverit.

XXXIV. Rolandus II. Sanders canonicus Trunchiniensis, cum vix quinque integris annis Diligemium administrasset, cessit, & in pastorali munere Heymbecano dies absolvit an. 1515. 22. Junii.

XXXV. Petrus II. Vanden-Zype, *al.* Vander-Scypen, Grimbergensis canonicus, obiit anno 1512. die Aprilis penultima, annis sex in regimine peractis, uti legitur in epitaphio sub tabula eleganter picta, & ad sepulcri locum appensa.

XXXVI. Cornelius Goës *al.* Vander-Goest ex ecclesia Middelburgensi Zelandiæ metropoli adscitus, jus mitræ pontificalis sibi, suisque successoribus, insuper & potestatem minores ordines subditis suis conferendi, vestes ac vasa quælibet sacra consecrandi, necnon ecclesias & altaria reconciliandi a Clemente VII. Romano pontifice impetravit anno 1532. IV. nonas Octob. Tum vero quinto post anno, hoc est 1536. *vel* 37. in abbatem Middelburgensem postulatus est.

XXXVII. Johannes VIII. de Tuegele *al.* Tengerle, canonicus Dilighemiensis, sub decessore coadjutor electus, statim eo discedente regimen suscepit ad biennium duntaxat; obiit enim 1538. 29. Septemb.

XXXVIII. Johannes IX. de Puteo Teneramundanus ortu, professione Diligemianus, tumulum habet apud suum decessorem, in quo mitra insignis exhibetur, & annus obitus 1540. diesque 27. Maii notantur.

XXXIX. Arnoldus Mahieu *vel* Mahein canonicus Dilighemiensis, interfuit anno 1572. capitulo generali apud Parcum celebrato. Idem Mariæ Hungariæ quondam reginæ, dum nomine Cæsaris Caroli fratris sui Belgio præesset, fuit major capellanus, & ex parte cleri Brabantiæ deputatus ordinarius. Annis omnino præfuisse dicitur 34. defunctus an. 1572. nonis Januarii, *al.* 1574. *vel* 1575.

XL. Livinus van Cauwenbergue, *al.* de Condembergue Bruxellis oriundus, Dilighemiensis alumnus, memoratur abbas in historia Tongerloënsi an. 1592. sub cujus regimine anno circiter 1578. æstuante bello civili infinita propemodum incommoda passa est abbatia. Obiit 1602. *vel* 1603. die 3. Aug.

XLI. Martinus I. Heckius Campiniensis, cum paucis ante obitum Livini mensibus ob naturalem ejus impotentiam, generalis temporalium administratio eidem per idoneos ab ordine delegatos superiores commissa fuisset, statim eo defuncto a fratribus Dilighemiensibus in prælatum delectus est, tumque a serenissimo archiduce Belgarum principe Alberto confirmatus, benedictionis munus percepit a Matthia Hovio Mechliniensi

A archiepisc. cui postea ob acerrimum ingenium valde familiaris fuit. Migravit ex hoc seculo post exactos in abbatiali dignitate, magno monasterii bono, annos viginti, Incarnationis Dom. 1623. ætatis suæ anno 78. profess. 55. sacerdotii 53. die 6. Novemb.

XLII. Johannes Bapt. de Haseler Bruxellensis, cœnobii provisor ac pastor Jettensis, designatur abbas an. 1623. die 10. Decemb. ab Isabella-Clara-Eugenia, tum vero solemni pompa inducitur in possessionem 18. ejusdem mensis, ac denique benedictionem ac mitræ honorem accepit die 21. anni 1624. sacris operam dante

B Jacobo Boonen Mechliniensi antistite. Vix autem biennium expleverat, cum ab ecclesiastico Brabantiæ statu in ordinarium Brabantiæ ordinum adsessorem electus est, quo se se munere Matthias Valentini Averbodiensis abbas ob ingravescentis ætatis incommoda paulo ante libera cessione exonerarat. Porro Haselerius ea dignitate, summa omnium ordinum consensione, summaque laude annis unde-viginti perfunctus est, nullum interim familia sua damnum seu spiritale seu temporale passa. Denique catharro in pectus dilabente oppressus est nocte inter vigesimam & subsequentem diem Maii an. 1645. ætatis 65. Bruxellis

C in ædibus refugii Dilighemiensis.

XLIII. Martinus II. Heckius patria Coorselius in Campania Brabantica, secundus ejusdem cum nominis tum agnominis abbas, & alterius pronepos, annum ætatis agens 52. diploma regium obtinuit pridie cal. Nov. an. 1646. quo ipsius electio confirmabatur. Primum vero sub propatruo suo cognomine fuerat subprior ac juniorum cœnobitarum institutor, tum prior conventualis sub Haselerio per annos 21. cumque jam, ut diximus, electus in abbatem & confirmatus fuisset, possessionem apprehendit 6. Nov. ejusdem anni, accepitque benedictionem die festo

D S. Martini patroni sui, in ecclesia Dilighemiensi a Jacobo Boonen Mechliniensi antistite. Defecit an. 1662. 17. Decemb.

XLIV. Cornelius Lamberti electus 1663. benedicitur XI. Martii ejusdem anni; moriturque 10. *vel* 12. Julii 1678.

XLV. Siardus Huenaerts eligitur eodem anno 1678. ac benedicitur 9. Octob. ac tandem vivere desiit 1680. 25. Aprilis.

XLVI. Franciscus Kerremans electus 1680. 26. Junii, interiit 1689. 5. Junii.

XLVII. Henricus V. Huys benedictionem percepit 26. Julii 1689. in abbatia S. Michaëlis

E Antuerp. ab ejusdem urbis episcopo, sede Mechliniensi vacante. Anno 1708. ei Alexandro Carolo de Pallant abbati S. Gertrudis Lovan. utrique ab ordinibus Brab. ad publica ejusdem provinciæ negotia delegato, Johannis Baptistæ Grammaii opera librarii nuncuparunt. Anno seq. veterem ecclesiam collabentem destruit, novam ædificat, chorum sedilibus pulcherrimis exornat, &c. tandemque subitanea morte sublatus est anno regiminis 32. Christi 1720. die 12. Sept.

XLVIII. Henricus VI. Crockaert alteri Henrico Cæsaris nominatione successit, ineunte an. 1721.

an. 1721. quem 26. Jan. cardinalis archiepisc. Mechliniensis in ecclesia Dilighemiensi benedixit.

GRIMBERGUE.

GRIMBERGA.

Filia Præmonstrati, diœcesis olim Camerac. modo Mechliniensis, Bruxellas inter & Villevordiam sita, ab hoc Brabantiæ oppido dimidio milliari, ab illo, secundo fere, a Mechlinia duobus cum medio milliaribus, arcique baronis Grimbergani pene adsita, fundatur circa annum 1110. in honorem B. M. Virg. & SS. apost. Petri & Pauli, cum ecclesia parochiali S. Servatio sacra a Waltero Bertholdo Mechliniæ & Grimbergæ dynasta, qui primum ibi monachos nigros collocavit, tum illis sponte abeuntibus, canonicos regulares, quibus tandem & ipsis loco voluntarie cedentibus, anno 1128. substituti sunt canonici Regulares ordin. Præmonstratensis, approbante Lietardo episcopo Cameracensi, an. 1132. ex instrumento codicis Donationum piarum Miræi, novæ editionis, cap. 86. pag. 96. Ipsa vero Furnensem ecclesiam genuit, in quam etiamnum jus paternitatis exercet; eaque domus nova fit undique ac in dies decoratur.

INDEX ABBATUM.

I. HUMBERTUS, quem vocat Heribertum Grammaius, a S. Norberto primus abbas hujus ecclesiæ e Præmonstrato missus est anno 1128. Obiit IX. cal. Maii circa an. 1148.

II. Theodoricus reperitur apud Grammaium anno 1153. alibi 1160. & 1166. in charta Nicolai episcopi Camerac. ac in necrologio domestico, V. cal. Septemb.

III. Egbertus seu Eggebertus e gremio assumtus, a Sandero præfuisse dicitur ab anno 1170. usque ad annum 1179. sed attigit annum 1180. ex charta transactionis Hildeberti abbatis Jettensis seu Dilighemiensis cum Ninivensi monasterio, super ecclesia Liedekerkensi, cui suum apposuit chirographum. Ipsius obitus dies memoratur in necrol. Dilighemiensi, pridie nonas Febr.

IV. Simon occurrit 1180. & in necrolog. Marchasii Radulfi ejus obitus dies notatur V. Octob.

V. Johannes I. obiit pridie calend. Martii ex necrologio Dilighemiensi, cujus abbatiæ erat alumnus.

VI. Johannes II. de Merchtenis & ipse Dilighemiensis asceta memoratur ibidem III. calend. Januarii.

VII. Hescelo seu Hescelinus jam an. 1196. ex Grammaio, reperitur alibi annis 1201. 1211. & 1218. & quidem hoc anno societatem iniit cum Henrico abbate Furnensi. Obiit 1222. nonis Maii ex necrologio Marchasii-Radulfi & S. Martini Laudun.

VIII. Guillelmus e vivis excessit an. 1229. die VIII. calend. Decemb. *vel* VII. cal. ex necrol. S. Martini Laudun.

IX. Franco 1231. & 1234. quo anno transigit cum abbatissa de Gillenghien. Defunctus est IV. *vel* VI. nonas Maii 1244.

X. Drogo memoratur nonas Maii in necrol. S. Augustini Morin. aliunde ignotus.

XI. Daniel canonicus Ninoviensis, tum abbas Dilighemiensis, postea Grimbergensis circa 1250. denique ad suam propriam ecclesiam assumtus est circa 1251. in qua obiit 19. Januarii 1255.

XII. Walterus I. de Roesbeke asceta Grimbergensis, cum deinde in abbatem Dilighemiensem cooptatus fuisset, transiit postmodum circa 1256. ad abbatiam Grimbergensem, ubi decessit an. 1259. nonis Augusti, ex necr. Dilighemiano, VIII. idus Aug. ex Grimbergensi.

XIII. Gosvinus præerat 1260. Illum necrologia tum Grimbergense tum Dilighemiense VI. nonas Maii recensent.

XIV. Walterus II. de Caelmont e cœnobio Grimbergensi assumtus ad regimen Dilighemiensis, postremo revocatur ad præfecturam Grimbergensem, in qua sedisse dicitur ab an. 1270. ad 1303. ex Sandero, 1312. ex Grammaio, interim sancito fœdere societatis cum Godescalco abbate Dilighemiensi. Obiit pridie Octob. ex Sandero, III. nonas Octob. ex necrol. Marchasii-Radulfi.

XV. Anselmus prius asceta Ninoviensis e vivis excessit 1314. & quidem pridie cal. Febr. ex necrologiis Dilighemiensi & Grimbergensi.

XVI. Johannes III. de Poddegem obiit 1320. VIII. cal. Martii, ex necrologio domestico.

XVII. Gerardus I. de Iska suo munere laudabiliter perfunctus, sepultus est an. 1330. in choro B. Virginis, de quo necrologium Dilighemianum XIV. cal. Nov. domesticum XV. cal.

XVIII. Walterus III. de Marka ex annalibus MSS. qui asservantur in biblioth. S. Johannis Ambian. obiit die S. Lucæ 1333. Grammaius habet 1354. VII. idus Febr. ex necrol. Dilighemiensi.

XIX. Godefridus de Vos ex annalibus præfatis mortuus est an. 1367. *al.* 1370. *vel* 1371. sed jam anno 1369. habebat successorem. Ipsius obitus dies consignatur in necrologiis Dilighemiano & Grimbergensi, IX. cal. Octob.

XX. Radulfus de Bussenghem *al.* de Buysinghen an. 1369. die 3. Aprilis adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni ecclesiæ Mechliniensis. Invitus abdicavit, iterum tamen sessurus.

XXI. Johannes IV. van Hove moritur anno 1392. XVIII. cal. Octob. ex necrol. tum Dilighemiensi, tum Grimbergensi.

XXII. Egidius I. de Sape Brugensis, quem Egidium Pape Grammaius vocat, desiit esse inter vivos an. 1396. XVII. cal. Aug. utroque necrologio Dilighemiensi & Grimbergensi consonante.

XXIII. Radulfus de Buysinghen iterum, obiit an. 1397. XV. cal. Decemb. cum vix uno præfuisset anno. Hunc autem Nicolaus a Spira successorum alter & antecessorum chronographus, teste Sandero, bis fuisse præpositum, sed toties mox depositum suspicatur, ex eo quod, inquit, duo baculi pastorales sarcophago Radulfi insculpti, sed confracti, suo tempore adhuc viderentur.

XXIV. Balduinus de Prickere decessit anno 1400. ex Sandero, 1403. ex Grammaio, sepultus in capitulo sub albo lapide. In utroque necrologio Dilighemiensi & Grimberg. commemoratur III. nonas Maii.

XXV. Johannes V. omissus a Sandero & aliis, memoratur an. 1415. in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses, ex Miræo Diplom. Belgic. novissimæ editionis, pag. 325.

XXVI. Egidius II. de Bouchout diem suum obiit an. 1416. XI. cal. Septemb. *al.* 26. Aug. sed perperam illi Sanderus sexdecim annos regiminis attribuit.

XXVII. Cornelius de Kempener, præsens in consilio Basileensi, an. 1419. Furnensem abbatiam jure paternitatis visitavit. E vivis excessit XVIII. cal. Julii an. 1446. ante altare sanctorum Gregorii & Augustini sepultus.

XXVIII. Johannes VI. Uranx Bruxellensis exstinctus est an. 1465. VI. nonas Maii, cum plurima optimi œconomi exempla successoribus reliquisset.

XXIX. Johannes VII. de Mechlinia vivere desiit an. 1474.

XXX. Johannes VIII. de Molendino *al.* Sceers obiit 1477. VI. idus Julii, depositus in choro B. Virginis sub lampade.

XXXI. Marcus a Platea Lovaniensis an. 1478. præceptum obtinuit a Cæsare Maximiliano I. quo cavetur ne unquam abbatiæ Grimbergensis, S. Michaëlis Antuerpiæ & Tongerloënsis, futuris temporibus, darentur in commendam. Ea autem fuit hujus occasio diplomatis, provisio Judoci Bruylant canonici Grimbergensis in abbatem, data a Sixto IV. pontifice Romano, contra canonicam Marci electionem. Porro hic Marcus pontificalia primus abbatum gerere cœpit; & an. 1480. adfuit ostensioni reliquiarum S. Rumoldi. Demum ex hac vita migravit an. 1489. pridie cal. Septembris.

XXXII. Arnoldus Persoens annis gravis & meritis, titulo & jure abbatiali cessit triennio ante obitum, qui contigit ultima die Maii 1509. seu pridie cal. Junii, non Julii.

XXXIII. Petrus de Wayenberge Bruxellensis, anno regiminis sui secundo, vivente adhuc decessore & gratulante, reformationem aggressus, ad suum feliciter exitum perduxit. An. 1524. Romæ usum mitræ & reliquorum pontificalium sibi & successoribus impetravit. Obiit Bruxellis anno suæ dignitatis 33. Christi 1540. die 7. Novembris.

XXXIV. Franciscus de Blioul Bruxellensis, filius Laurentii toparchæ du Sart & aurei velleris *audientiarii* & scribæ, per octodecim annos coadjutoris honore, cum assensu Principis fruitus, nonnisi duos annos cum duobus mensibus plena rectoris auctoritate præfuit. Defecit an. 1542. die Natali Domini, apoplexia percussus.

XXXV. Nicolaus de Spira, Bruxellensis, filius Nicolai advocati & assessoris curiæ Camerac. ex sacrista subprior, inde prior, ac denique Principis nominatione declaratus est abbas anno 1543. Quanquam vero citra canonicam electionem ad A regimen pervenit, dignus tamen fuit, qui præesset, utpote qui non minus domui suæ laudabiliter providit, quam publicis patriæ negotiis fructuose adhibitus fuit. An. 1566. die 22. Aug. cum toto suo conventu Bruxellas confugit a facie Iconoclastarum; ac demum occubuit VI. idus Julii anno 1568. regiminis 26. ætatis 64. professionis 40.

XXXVI. Gerardus II. de Campenhout *al.* de Coppenhoac, aulæ denominatione, ac Romani pontificis provisione data 7. Octob. 1569. proclamatus abbas, an. 1571. ædes monasterii sitas Lovanii in collegium Præmonstratense, inito pacto cum aliis ejusdem ordinis in Belgio prælatis, B convertit. Adfuit anno seq. provinciali capitulo in monasterio Parcensi celebrato; obiitque anno 1577. die 20. Aprilis.

XXXVII. Antonius van Oyenbrugghe ex priore in abbatem subrogatus, monasterio penitus flammis absumto, Bruxellis exulem & exilem gregem exul & ipse fovere studuit. Interfuit anno 1592. benedictioni abbatis Tongerloensis, fato functus 13. Febr. 1594.

XXXVIII. Philippus de Rauberghe Mechliniensis, assensu Principis & superstitum fratrum calculis electus abbas, monasterium utcumque reparavit, illucque ab exilio conventum suum C reduxit. Reperitur abbas annis 1596. & 1598. ac mortuus est an. 1613. præfecturæ suæ 19. ætatis 68. cui tale appositum est epitaphium:

Hoc tegitur tumulo frater a Rauberghe Philippus,
Doctrina, eloquio, relligione micans.
Hac dum Marte domus Norbertia vasta jaceret,
Et villæ, prisco reddidit iste loco.
Terra tegit terram, sed spiritus astra subivit.
Dic, lector, blanda pace quiescat, amen.

XXXIX. Christophorus Outerius Trudonianus, ex pastore & priore Grimbergensi ab Alberto archiduce nominatus abbas, sedebat anno D 1622. Præfuit annis 34. obiitque 12. Septemb. an. 1647. ætatis 53. epitaphio decoratus, quod exstat in Brabantia illustrata Sanderi.

XL. Carolus Fernandez de Velasco Bruxellensis, filius nobilis viri Hispani Jacobi Caroli de Velasco ex Johanna Gentil, archiducis Leopoldi schedula designatus est 10. Dec. an. 1647. ac benedictus 1648. Hic an. 1652. ad electionem novi abbatis sancti Michaëlis Antuerp. tamquam senior ordinis circariæ Brabantiæ, ex parte aulæ deputatus fuit. Demum creatur vicarius generalis in provinciis Hispano-Belgicis; cumque a ruinis monasterium excitasset, mortem oppetiit 13. E Octob. 1665. ætatis anno 69.

XLI. Judocus I. Vander-Elst Grimberganus renuntiatur abbas 8. Decemb. ejusdem anni a marchione de Castel Rodrigo, qui tamen ob exortas nonnullas difficultates possessionem adire non potuit ante 10. Martii an. 1668. Obiit Bruxellis 21. Febr. 1670. ætatis anno 71.

XLII. Laurentius Bogaërts natus ex parochia d'Outren prope Ninoviam, nominatur abbas 21. Octob. 1670. cumque annis 22. laudabiliter præfuisset, devixit Bruxellis 14. Januarii *al.* 24. 1692. ætatis an. 72.

XLIII. Judocus II. Bassery Bruxellensis mense A Martio ejusdem anni successit a rege Carolo nominatus. Fuit vicarius generalis in provinciis Brabantiæ & Frisiæ; ac tandem apoplexia correptus est 8. Maii 1698. ætatis an. 65. sexto regiminis completo.

XLIV. Hermannus de Munck Mechliniensis, a rege Carolo designatus abbas 21. Aug. 1698. obiit Grimbergæ 6. Decemb. an. 1712. ætatis 69. dignitatis 15.

XLV. Augustinus van Eeckout postquam vacavit sedes annis quatuor, nominatione Regis & Cæsaris prævia, ejus possessionem accepit 23. Decemb. an. 1716. benedictus die 3. mensis B sequentis. Sedebat 1725. ordinarius Brabantiæ ordinum deputatus.

LE PARC.

PARCUM, *vulgo* PARCUM DOMINORUM.

NOmen habet ab usu quem habuit antea locus, antequam in ipso monasterium conderetur, nempe alendis feris erat destinatus. Vocatur autem Parcus seu Parcum Dominorum, ad discrimen alterius cœnobii feminarum in eadem diœcesi, quod Parcus Dominarum dicitur. Insuper autem appellatur monasterium S. Mariæ de Prato in provisione apostolica Sixti papæ V. pro Francisco Ulierden. C Porro hunc locum haud longe a muris Lovanii situm, Godefridus Barbatus dux Lotharingiæ & Lovanii comes ad meliores usus convertere volens, eum tradidit Gualtero S. Martini Laudunensis abbati ad construendum cœnobium ord. Præmonstrat. in honorem B. M. Virg. an. 1129. idque Alexander episcopus Leodic. quem tunc temporis spectabat jurisdictio loci, anno 1131. confirmavit. Duo hanc in rem diplomata refert Miræus pagg. 90. & 92. editionis novissimæ. Deinde vero sub initium anni seq. 1132. omnibus rite dispositis ad regularia exercitia, Fratres e Laudunensi S. Martini cœnobio missi istud Par- D cense incolere cœperunt; quod quidem mox tot ac tantis donationibus auctum est, ut jam anno 1137. coloniam in urbe Ninovia protulerit. Non nisi tamen anno 1228. templi consecratio facta est sub patrocinio S. Mariæ & S. Johannis Evangelistæ, quibus & S. Quirinus additur ab auctore chronici Bethlemici. Ceterum Parcensis abbas, primus est Brabantiæ Ducis ac perpetuus sacellanus, sive, ut aulici loquuntur, archicapellanus, eique subjacet Vallis-liliorum *Liliendal*, ordinis Præm. parthenon prope Machliniam fundatus an. 1231. nunc autem intra urbis mœnia positus.

SERIES ABBATUM.

I. SIMON e Laudunensi S. Martini cœnobio assumtus est an. 1131. ut esset primus Parcensis abbas. Subscripsit anno 1137. privilegio cuidam Godefridi Lotharingiæ ducis cum Odone S. Remigii & Waltero S. Martini Laudun. abbatibus, ex chartul. 4. S. Remigii Remensis n. 73. Idem an. 1139. ab Alberone II. Leodiensi præsule fundationis monasterii obtinuit confirmationem; quo etiam anno Nicolaum episc. Camerac. beneficum expertus est. Denique cum per annos decem & duos fere menses præfuisset, obdormivit in Domino cal. Aprilis *al.* 30. Martii an. 1142.

Mir. nova edit. pag. 966.

II. Philippus I. ad quem plures S. Hildegardis de Binga abbatissæ exstant epistolæ & vicissim, anno 1. suæ ordinationis, indict. VI. (inchoata a mense Septembri) XVI. cal. Januarii diploma protectionis obtinuit ab Innoc. II. pontificatus ejusdem anno XIII. itemque aliud similis tenoris ab Eugenio III. ejus pontificatus an. 1. ind. VIII. 6. idus Martii. Idem an. 1160. subscripsit privilegio Godefridi Lotharingiæ ducis pro S. Remigio Remensi. Ipsius curis & sumtibus manu exarata sunt plura volumina tum ex scriptura sacra, tum ex SS. Patrum operibus, quæ etiamnum in hoc cœnobio perseverare dicuntur. Tandem vero Philippus jam ætate provectus, ut Deo liberius vacaret, onus pastorale deposuit anno 1165. exeunte *al.* 1166. ex bibl. Præmonstr. & hist. Mechliniensi, reversusque ad S. Martini Laudunense monasterium, ibidem defunctus est V. nonas Octobris.

Ibid. pag. 822. *Ibid. pag. 185.*

III. Thomas diem extremum obiisse dicitur 26. Januarii an. 1166.

IV. Philippus II. testis memoratur 1173. in charta pro Uliderbacensi monasterio. An. 1179. IV. idus Septembris indict. XII. bullam protectionis ab Alexandro III. consecutus est. Præfuit laudabiliter annis 24. deinde cessit 1190. & est mortuus 1192. die 2. *vel* 3. Octobris. *Ibid. pag. 975.*

V. Daniel vivere desiit 14. Augusti an. 1192.

VI. Sebastianus decem & novem annis boni pastoris officium implevit, fato functus 8. Martii 1212.

VII. Juvanus *al.* Johannes de Birbaco, ex claro genere Baronum Birbacensium satus, ad novam basilicam construendam animum adjecit, & revera inchoavit. Reperitur sola prima littera J. connotatus an. 1225. obiitque 1226. 12. Dec.

VIII. Henricus I. de Bruxella, cujus mater Adelais, hoc in loco sanctimonialibus, seorsim tamen a viris, destinato, fuit *soror ad succurrendum*, ex abbatia Laudunensi postulatus, sanctuario a decessore constructo chorum cum transversa cruce adjecit, ea forma, quæ nunc est. In ejus gratiam Henricus dux Brabantiæ Guardinum sive Guiardum & Guidonem episcopum Cameracensem rogat, ut a se factam donationem capellarum apud Vuram & juris patronatus matricis ecclesiæ in eadem villa confirmet anno 1238. Henricus autem præfecturæ sarcinam deposuit an. 1239. corporis 1244. 13. Augusti. *Ibid. pag. 179.*

IX. Alardus de Vura *al.* de Fura natalibus clarus, sed moribus ac indole clarior, cum solum E diaconus esset, in abbatem electus est die 27. Febr. anno 1239. navim ecclesiæ, dormitoria, ceteraque monasterii loca ædificavit, cujus etiam temporibus, curante potissimum Simone de Lovanio priore, manu exarata sunt illa politioris characteris in membrana biblia sacra, quibus postmodum usi sunt Tridentini concilii Patres; eaque hactenus in cœnobio Parcensi asservantur. Memoratur 1267. in prob. geneal. Ducum Burg. auctore Duchesne, pag. 109. Decessit Alardus an. 1289. 21. Martii, sepultusque est in sanctuario ad dextrum latus Juvani decessoris.

X. Guillelmus I. de Lierbeck *al.* de Libbeka prænobili gente in lucem editus, e vita migravit die 26. Martii an. 1306.

XI. Sigerus de Vinckenbosch, stagnum piscium seu vivarium ad cœnobii munimen & utilitatem magno sumtu & labore effodi curavit; tumque vir pius ad Dominum migravit 17. Junii anno 1314. in medio capituli sepultus.

XII. Guillelmus II. de Herent Lovaniensis, e sportulario seu *pitantiario* eligitur abbas 9. Julii 1314. qui vix biennium in regimine expleverat, cum vitam deserere coactus est 7. Julii 1316. Jacet in sanctuario sub eodem lapide conditus, quo Guillelmus I. cum epitaphio utrique communi:

XIII. Godefridus de Aërtrode noti apud Belgas generis, a majorum virtute non degener, præfuit sexdecim annis, deinde fatis communibus cessit 17. Maii an. 1332. in choro fere sub lampade sepultus.

XIV. Henricus II. de Redinghem patricia & equestri familia oriundus, S. Barbaram virginem, cujus ope ab aquis ereptus fuerat, impense coluit. Vitam amisit 2. Febr. an. 1339. in sanctuario sub tumba nunc loco mota ad cornu epistolæ tumulatus.

XV. Johannes I. Steenhauwers de Vinckenbosch dictus *Lapicida*, seu incisor lapidis, ut habetur in epitaphio, antea præpositus monialium Insulæ ducis, Henrico decessori & affini subrogatur ad tres annos, quibus expletis cessit e vita 17. Junii 1342. conditus in capitulo ad dextrum latus illud ingredientis.

XVI. Arnoldus I. de Wesemale primaria Brabantiæ familia natus, cum esset pastor in Arcania *in Archennes*, electus est Parcensis abbas an. 1342. obiit vero 19. Dec. 1346. sepulcro donatus in planitie chori fere sub lampade.

XVII. Nicolaus Boseret *al.* Gossers Nivellensis patria, professione vero S. Foillani canonicus, an. 1358. una cum aliis abbatibus obstitit episcopo Leodiensi, qui post obitum pastorum regularium, eorum ad se bona pertinere contendebat. Desiit esse in vivis an. 1361. 26. Martii, sepultus in sacello ad latus dextrum chori ante altare S. Augustini. Deinde fratres communi suffragio sibi præfecerunt abbatem Henricum de Overbeke dictum de Wespelaer, sed obstante *reservatione* seu provisione apostolica, rescissa fuit electio, cui tamen electo assignata fuit pensio annua centum *mutonum*, volente Wenceslao duce.

XVIII. Stephanus sacræ theologiæ doctor ex abbate S. Mariani Autissiodor. Parcensis nominatur Romani pontificis auctoritate, qui & ipsum postea ob vitæ meritum singulare abbatem Præmonstrati generalem creavit; verum antequam Præmonstratum adiret, e vivis sublatus est 10. Septemb. 1368.* ac in presbyterio Parcensis ecclesiæ ad cornu Evangelii sepultus, unde omittitur in vulgatis Præmonstratensium abbatum indicibus.

* Præmonstrati, inquit auctor novæ hist. Mechl. sed perperam.

XIX. Henricus III. de Overbeke dictus de Wespelaer, de quo supra, vir tum genere tum virtutibus clarus, unanimi fratrum petitione ac tandem Romani pontificis concessione* factus est abbas; & quidem magno Parchensium solatio, de quibus optime semper meritus est. In pace tandem quievit 8. Martii an. 1391. in choro sepultus medio loco inter prioris sedem & subprioris, sub lapide nunc sublato, cui insculpta erat ejus effigies cum sex scutis insignia gentilitia exhibentibus.

* Cessione præcedentis sub pensione, inquit idem auctor, sed rursum male.

XX. Johannes II. de Baldewel *al.* de Bardurbel Namurcensis, nobilitate generis, doctrina & pietate conspicuus, ex priore abbas ordinatus est. Præfuit annis 23. obiitque an. 1414. 17. Maii, in choro sepultus ad latus dextrum principis aræ, juxta Stephanum decessorem suum mediatum.

XXI. Gerardus de Goetsenhoven nobilis Lovaniensis, memoratur an. 1415. in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses. Die 22. Aprilis anni 1416. sui regiminis 3. qua potiti fuerant sui decessores ducalis archicapellani dignitate, hanc sibi & successoribus a Johanne Brabantiæ duce obtinuit renovari. Decessit 2. Maii 1434. sepultus in capitulo, cum hac inscriptione:

Mir. nova edit. pag. 325. — *Ibid. pag. 453.*

Abbatis quondam Gerardi de Goetsenhoven
Lovanii geniti hic ossa relicta cubant.*
Hujus pro meritis, qui succedit Theodoricus
Alter post illum, hæc sternere saxa jubet.
Grandia vicinæ per eum staut ostia sylvæ,
*Longaque septa locat congerie laterum.**
Solers ecclesiæ jus, res conservat & auget.
A cunctis colitur, in Domino moritur.
Anno M. CCCC. XXXIV.

* *al.* supina. — * *al.* lapidum.

XXII. Gualterus de Beringhem *al.* de Berengariis sacræ theologiæ baccalaureus Parisiensis, patritiæ nobilitatis titulos præcipuo Deiparæ cultu, ac regularis disciplinæ studio longe superavit; qui cum ob fatiscentem ætatem se suis in officio continendis imparem esse animadverteret, successorem sibi delegit Theodoricum de Tuldel, qui sequitur. Obiit autem Gualterus 6. Julii 1463. sepultus in choro sub tumba (quæ nunc ante sacellum B. Magdalenæ cernitur) abbatis effigiem referente.

XXIII. Theodoricus de Tuldel Becanus *seu* Hilverenbecanus, juris utriusque licentiatus in facultate Parisiensi, primum fuit canonicus Tungerloënsis, dein pastor de Nispen, postea Præmonstratensis ordinis procurator generalis in curia Romana, ac demum Parchensis abbas ex cessione præcedentis a Romano pontifice confirmata; cui beneficio idem Pius papa II. aliud adjecit, usum scilicet mitræ & aliorum pontificalium insignium XV. cal. Aug. 1462. pontificatus anno quarto; & hoc ipso an. 27. Aug. Roma reversus Theodoricus Parchum introducitur, a conventu recipitur & abbas XXIII. salutatur. An. 1475. prædictum privilegium Sextus IV. benedicendi calices facultate, quam exceperat Pius II. cumulavit IV. cal. Febr. pontificatus sui anno quinto. E vivis tandem excessit meritissimus abbas die 9. Octobr. 1494.* regiminis 32. ætatis 75. sepultusque est in ecclesia ad latus meridionale chori in sacello B. M. Virginis.

* 1490. ex chron. Præm. pag. 73.

XXIV. Arnoldus II. Wyten *al.* Wyteren, Hilverenbecanus, Theodori nepos ex sorore, ab

eodem paulo ante obitum *al.* 1492. in coadjutorem assumtus, nihil antiquius habuit quam ut pietatem foveret. Unde an. 1498. ab ordinis capitulo generali renuntiatur visitator abbatiarum & prioratuum provinciæ Frisiæ. An. 1501. eorum fuit alter quibus data est provincia, vetera ordinis statuta discutiendi ac temperandi, deindeque an. 1502. una cum abbatibus S. Michaelis Antuerpiensis & S. Nicolai de Furnis Romam delegatur, ut plenam statuta ordinis juxta conceptum temperamentum reformandi potestatem flagitet, quam & impetravit. Denique postquam viginti annis & undecim mensibus monasterium suum cum laude gubernasset, sibique coadjutorem providisset, diem suum obiit 19.* Sept. 1515. ad latus avunculi decessoris sepultus.

* al. 10. Septembr. 1518.

XXV. Ambrosius I. ab Angelis, ex nobili apud Lovanienses familia natus, pastor erat in Cellis, quando Arnoldus decessor eum in partem sollicitudinis accersivit. Laudatur in primis a pio erga Deiparam Virginem affectu & studio erga divinum officium, quo accensus sacram supellectilem plurimum auxit. Cumque & in promovenda regulari observantia strenuus haberetur, electus est in capitulo generali anni 1539. vicinarum circariarum vicarius & visitator. Obiit an. 1543. die 16. Martii, ætatis suæ 56. appositus ad suos antecessores Arnoldum & Theodoricum, ante altare B. Virginis.

XXVI. Ludovicus Vanden-Berghe antiqua & equestri apud Lovanienses gente prognatus, cum ex priore Parchensi præpositus esset Vallis-liliorum, electus est in abbatem omnium fratrum calculis, confirmatusque a Carolo V. imperatore an. 1543. die 17. Aprilis. Hic hospitum & infirmorum ædes construxit, pulchro atrio cœnobium decoravit, templum pretiosis instravit tapetibus, ac insuper chorum novis sedilibus instruxit. Vir denique non solum suis, sed etiam ceteris, præsertim Belgii principibus unice carus magnum sui desiderium cunctis reliquit, quando decessit 1. Oct. an. 1558. in parthenone Vallis-liliorum. Jacet tamen in ecclesiæ Parchensis sanctuario.

XXVII. Carolus Vander-Linden patritius Lovaniensis, cœnobii alumnus & prior claustralis, nominatur abbas litteris regiis 21. Novemb. an. 1558. servatisque omnibus ritibus ad possessionem admittitur ætatis suæ anno 52. Auctor fuit præcipuus Præmonstratensis collegii in academia Lovaniensi instituendi an. 1571. qua in urbe die 22. Decemb.* an. 1576. suum extremum clausit, non sine gravi suorum mœrore, quibus summa cum mansuetudine ac sapientia per decem & octo annos præfuerat. Jacet in sanctuario chori Parcensis ad cornu Epistolæ ad latus sui decessoris.

* al. Sept.

XXVIII. Ambrosius II. Loots in oppido S. Trudonis natus, ex pri[illegible]e claustrali per quinquennium, indeque pastore de Werchtere, omnium fratrum calculis 19. Febr.* anno 1577. abbas electus est, regiisque litteris confirmatus. Hic periculosissima nactus tempora ob prædonum & militum grassationes, Lovanii cum sibi commisso grege subsistere coactus fuit; at semper sibi constans nil de piis operibus remisit. Et certe plus omnibus adlaboravit, ut Norbertus ordinis Præmonstr. patriarcha catalogo sanctorum adscriberetur an. 1582. Cumque jam sibi videretur nihil faciendum superesse, vitam clausit feliciter Lovanii die 12. anni sequentis, conditus tamen in ecclesia Parchensi cum antecessoribus suis sibi sanguine junctis Theodorico de Tuldel, Arnoldo Witen & Ambrosio de Angelis, in sacello laterali ante altare beatæ Virginis. Illius autem exsequiæ Lovanii celebratæ sunt in sacello S. Barbaræ, in quo Parchenses tempore sui exilii sacris vacare consueverant.

* al. Martii.

XXIX. Franciscus van Ulierden nobilis Antuerpiensis, ab ineunte ætate monachus Benedictinus (forte tamen non professus,) in Bogardiensi cœnobio, cum Lovanium sacrorum studiorum causa missus fuisset, ubi auditor fuit Roberti Bellarmini postea facti cardinalis, ad Præmonstratenses, qui tum in academia Lovaniensi florebant, transire constituit. Voti compos effectus, haud multo post fit subprior & lector sacræ theologiæ, in qua facultate baccalaureus erat, ut aiunt, formatus. Deinde mortuo Ambrosio abbate, subrogatur in ejus locum, electione fratrum & Principis nominatione 9. Martii 1583. quo etiam tempore per Michaëlem Baium creatus est in theologia licentiatus. Idem an. 1584. a Johanne Despreuvets abbate generali vicarius & visitator ordinis in Brabantia & Frisia constitutus, cum anno seq. a Parmensi principe Bruxella fuisset reducta, statim Franciscus abbas conventum suum jam annis octo exulem Lovanio reduxit ad suum Parchense cœnobium; tandemque expletis in regimine octodecim annis, ad optatum vitæ finem pervenit die 3. Maii an. 1601. diu podagræ & calculi doloribus cruciatus.

XXX. Johannes III. Drusius Thenensis ex pago de Cumptich, Ambrosii Loots abbatis nepos ex sorore, vitam cœnobiticam amplexus in Parcensi cœnobio an. 1587. postea fit novitiorum magister, subprior, & in academia Lovaniensi licentiatus in theologia; tam carus decessori Francisco, ut annulum suum moriens in digitum ejus immiserit, in signum futuræ successionis. Et revera post obitum Francisci eligitur abbas, & ab archiduce confirmatur an. 1601. quo etiam anno, die 6. Junii in possessionem missus, demum ab illustrissimo Mechliniensi archiepiscopo benedicitur 2. Julii sequentis anno suæ ætatis 33. Vix autem quatuor anni effluxerant, cum vicarius generalis in Brabantia & Frisia institutus est, itemque an. 1604. ab ordinibus Brabantiæ deputatus, & 1606. visitator academiæ Lovaniensis ab archiduce nominatus. Anno 1631. pro bono totius ordinis in Hispaniam profectus est, ut hujus regni Præmonstratenses ad abbatis sui generalis, a quo defecerant, obedientiam revocaret, quo in itinere honorifice exceptus est a Rege Catholico, qui etiam ei suum annulum cum pretiosissimo adamante obtulit, summopere miratus, quod oblata beneficia honoresque recusasset, nempe archiepiscopatum Mechliniensem post obitum Matthiæ

Hovii & paulo poſt epiſcopatum Gandavenſem. Deinde tamen ab Iſabella principiſſa in ſui ſacri conſiſtorii comitem adſcitus, an. 1634. die 25. Martii ſubita morte apud Bruxellam oppreſſus eſt, unde ad ſuum cœnobium tranſlatus, ibidem conditus eſt, & e pulpito laudatus.

XXXI. Johannes IV. Maſius Lovanienſis patria, Parcenſis profeſſione, theologiæ licentiatus, ac juris tum canonici, tum civilis peritiſſimus, primum fuit ſubprior & novitiorum inſtitutor, deinde parochi munus geſſit in pago de Libbeke, demumque calculis fratrum electus eſt abbas an. 1635. qui ſtatim ac inſulis abbatialibus menſe Maio inſignitus eſt, Gallis & Batavis Brabantiam depopulantibus novellus abbas cum ſuis monaſterium deſerere, & fugam inire compulſus fuit. Verum poſt undecim dierum Lovanii obſidionem, hoſtibus inde depulſis, mox ſibi commiſſum gregem hinc inde injuria belli diſperſum recollegit; & in grati animi ſignum pro ſervato a præſentiſſima ruina ſuo monaſterio, ponderoſam ex argento deaurato thecam exponendo venerabili ſacramento, cum fuſilibus patronorum eccleſiæ ſtatuis dedicavit. Inſuper Maſius pro decore domus ſollicitus, tria latera clauſtri, quæ veteri opere demiſſiora erant, ſuſtulit altius, fornicibus lapideis texit, & quatuor ejuſdem partes vitris elegantiſſimis cum pulcherrimis picturis vitam S. Norberti, diverſoſque ordinis ſanctos referentibus, & inſignia gentilitia omnium abbatum Parchenſium cum ætate illorum regiminis deſignantibus adornavit. Mitto plura ejuſmodi præclare geſta, ſed tacere nequaquam licet hunc non mediocrem in condendis renovandiſve ordinis decretis ex præſcripto capituli generalis operam navaſſe; ipſumque an. 1645. in primo ordinum Brabantiæ ſtatu abbati Dilighemienſi mortuo ſuffectum fuiſſe aſſeſſorem. Denique obiit anno 1647. 24. Maii, juxta deceſſorem ſepultus.

XXXII. Libertus de Pape nobilis Lovanienſis, ſacræ theologiæ licentiatus, & ſui monaſterii prior, anno ætatis trigeſimo nondum expleto, electione Parchenſium, & archiducis Leopoldi nominatione an. 1648. menſe Januario, in abbatem cooptatur. Tum vero a Præmonſtratenſi abbate ad difficillimas in Germania controverſias finiendas commiſſarius anno 1651. deſtinatur, & anno ſeq. vicarii generalis & viſitatoris officio in provinciis Brabantiæ & Friſiæ exornatur. Cumque ad comitia ordinum Brabantiæ ſæpius deputatus ordinarius fuiſſet, vivere deſiit anno 1683.

XXXIII. Philippus van Tuycum ex pago Leeſdael, ſacræ theologiæ licentiatus, præpoſitus erat monialium ſui ordinis in Inſula Ducis prope Gempe, quando abbas renuntiatus eſt anno, inquiunt, 1682. ætatis 59. Defecit an. 1702.* die 2. Aug. quem oratione funebri laudavit 22. Auguſti Georgius van Oyenbruggen canonicus Parchenſis.

* 1704. ex hiſt. Mechl.

XXXIV. Paulus de Bruyn Bruxellenſis, antea præpoſitus monialium prædictarum, cum jam anno 1701. eſſet coadjutor, in abbatiæ regimen ſucceſſit, mortuus 6. Febr. 1719.

XXXV. Hieronymus de Waerſegghere Lovanienſis, ſacræ theologiæ baccalaureus formatus, ex ſubpriore electus abbas benedictionem percepit ab archiepiſcopo Mechlinienſi in choro eccleſiæ metropolitanæ die 16. Julii an. 1719. Præerat adhuc 1725.

HELISSEMIUM.

HELICHEM ou HELLENCHINES.

ORdinis Præmonſtratenſis monaſterium B. Mariæ virgini & ſancto Johanni Evangeliſtæ ſacrum, fundatum eſt circa an. 1130. in tractu Thenenſi, ab oppido Thenis, Gallice *Tillemont*, altero ferme lapide, a Reinero de Setru milite, qui evocatis e Floreffia cœnobitis varias & amplas contulit poſſeſſiones. Sane hoc ipſo anno Alexander epiſc. Leodicenſis, ad cujus olim pertinuit diœceſim, fundationem iſtam confirmavit, uti etiam Innocentius II. papa, v. nonas Maii an. 1134. quinto pontificatus. Temporale vero dominium de Heyliſſem huic eccleſiæ donatum eſt ab Huberto nobili viro domino de Goetſenhoven, cujus tumulus etiamnum viſitur in antiquiſſima capella B. Mariæ de Heyliſſem, quæque hodie integra perſeverat in cœnobii hujus pomerio, jam a ſexcentis annis ſtructa, & prima dicti loci eccleſia, quæ frequentes bellorum tumultus & incendii devaſtationes, quibus cœnobium miſere attritum eſt, hactenus evaſit. Dotem poſtea auxerunt Brabantiæ duces & vicini dynaſtæ.

SERIES ABBATUM.

I. ERMENRICUS hujus loci primus abbas, e Floreffia ſumtus, adhuc præerat anno 1144. quem inter beatos adſcribunt.

II. Gerardus recenſetur in necrologio Reſſonienſi ad VI. idus Decembris.

III. Egidius I. occurrit 1172.

IV. Albertus 1178. Memoratur die XI. Oct. in necrol. S. Johan. Ambian.

V. Adam.

VI. Everardus 1211. cujus fit commemoratio in necrologio Marchaſii-Radulfi ad IV. idus Maii, & ibi vocatur Erardus.

VII. Franco.

VIII. Laurentius paſſim omiſſus in editis, reperitur hoc ordine in annalibus MSS. ord. Præm. in biblioth. S. Johan. Ambian. aſſervatis.

IX. Egidius II. antea Ninovienſis alumnus, ac deinde præpoſitus monialium Inſulæ Ducis in Ghempe, reperitur abbas anno 1236. uti videre eſt in Averbodio. Abdicavit poſt ſeptem annos regiminis, memoratam præpoſituram adeptus.

X. Johannes I.

XI. Jacobus I. de Bomalia.

XII. Simon de Motta.

XIII. Johannes II. de Scluſa *al.* de Sluyſe, fortaſſe idem eſt qui reperitur abſque cognomine an. 1337.

XIV. Johannes III. de Bergenis *ſive* Berghinis, idem fortaſſe qui 1358. & 1368. ſolo Johannis nomine deſignatur, in annalibus ſupra memoratis.

XV. Arnoldus de Bunſberch *al.* de Bunsbeecke.

XVI. Henricus I. Forvy *vel* Forve.

XVII. Johannes IV. Holeingnoul *vel* Holleníoul, is est profecto Johannes qui memoratur an. 1415. in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses, apud Mir. noviss. edit. Diplom. Belg. pag. 325.

XVIII. Jacobus II. Forvy *vel* Forve 1417.

XIX. Henricus II. Montenaken 1437.

XX. Sigerus Nicolai a Moers 1457.

XXI. Rogerus passim omissus, reperitur an. 1477. in historia edita monasterii Parcensis.

XXII. Johannes V. Buyten *al.* Beudem, 1500.

XXIII. Guillelmus a Molendino electus an. 1507. primus obtinuit mitram, idemque opere magnifico ædes abbatiales construxit.

XXIV. Reinerus Panisgreve sedebat anno 1544. qui templum reædificavit, & sedilia chori tanta fabricavit arte, ut in dubio sit an Brabantia habuerit præstantiora.

XXV. Embertus Nivelaer ab Arendonck, licentiatus, prior Tungerloensis sub Arnoldo Streyters abbate, deinde pastor in Westerlo, postea præpositus ecclesiæ collegiatæ S. Sulpitii Diesthemiensis, tandem a curia nominatur abbas Helissemii, cui monasterio præerat 1533. Obiit 1557. v. cal. Julii.

XXVI. Egidius III. Bernardi Braes 1557. & 1572. quo anno interfuit capitulo generali in monasterio Parcensi pro reformatione ordinis celebrato. Exul obiit Leuwis anno 1582. in æde S. Leonardi sepultus, cujus tempore, anno scilicet 1568. monasterium majori ex parte combustum est.

XXVII. Balthasar Lovius & Lovens *al.* Leonius & Loonius 1582. & 1587. quo anno devixit ex veneno incuria pharmacopolæ propinato.

XXVIII. Johannes VI. Bernard Braëes *vel* Braze regere cœpit an. 1588. sub quo degebant in cœnobio 33. alumni, duo in academia, & quatuordecim in pastoratibus. Is an. 1610. vice abbatis Floreffiensis tunc male habentis, alter visitationum comes in Belgio a reverendissimo generali assumtus est.

XXIX. Johannes VII. de Frayteur electus an. 1612. interfuit anno 1618. capitulo generali apud Præmonstratum habito. Obiit 1645. die 13. Martii, ab impensa reparando monasterio sedula cura commendatus.

XXX. Johannes VIII. Raulet *vel* Rauwletz in locum alterius Johannis subrogatus an. 1645. ejusdem exemplo incitatus monasterium pene totum resarcivit. Defecit an. 1661.

XXXI. Lambertus Bals electus an. 1662. seu nominatus a Rege, ab ordinibus Brabantiæ postmodum deputatur. Fato functus est 1688.

XXXII. Hugo de Falize mortem oppetiit eodem quo electus est an. 1689.

XXXIII. Walterus Chaboteau a Carolo II. nominatus, ac postea benedictus 1690. e vivis excessit 1714.

XXXIV. Gabriel Brion benedictionem percepit 17. Februarii anno 1717. Adhuc præerat 1725.

A

AVERBODIUM.

AVERBODIUM

Locus est in Brabantiæ & Leodiensis agri confiniis situs, medio milliari a Sichemio, & uno a Distemio, insignis abbatia cognomini Præmonstratensis ordinis, Deiparæ Virgini & S. Johanni-Baptistæ sacra, quæ ex abbatia sancti Michaëlis Antuerpiæ originem duxit. Fundatorem agnoscit Arnulfum V. comitem Lossensem, aliis 1128. aliis 1131. & aliis denique 1135. & hac quidem nota chronica prædita est charta, quam dicunt fundationis, in codice Miræi Donationum piarum. Cap. xc. editionis novissimæ, pag. 100.

B Verumtamen prius aliquot annis, nimirum anno 1131. fuisse fundatum hoc cœnobium censet Laurentius Robyns auctor nuperus hist. Lossensis & probat, tum ex verbis istis ab Arnulfo comite in sua charta memorata adductis; *Hanc etiam donationem a patre nostro universalis ecclesiæ pontifice bonæ memoriæ Innocentio firmari fecimus;* quando, inquit idem auctor, anno prædicto Leodii adfuit: tum etiam ex tabulis Alexandri episcopi Leod. quas putat ejusdem anni; at certe sunt anteriores Arnulfi comitis chartæ, cum jam an. 1134. ab episcopatu fuisset amotus. Quod autem ad diœcesim attinet, certum est Averbo-

C dium pertinuisse olim ad Leodiensem, & etiamnum pertinere Miræus loco citato censere videtur; quanquam enim abbas in comitiis Brabantiæ locum habet, ecclesia [a] tamen & conventus sunt, inquit, in terra Leodiensi, ideoque subest episc. Leodiensi ut ordinario, solet abbas ab eodem consecrari, statimque fit ecclesiæ cathedralis S. Lamberti canonicus. De diœcesi aliter sentiunt Gazæus & Sammarthani. Ceterum abbas antiquitus erat perpetuus capellanus, consiliarius ac sigillifer comitum Lossensium; ipsa vero abbatia statim fere ac nata, parens fuit monasterii S. Johannis in monte prope Maseicam *vulgo sint Jansbergh*, cujus

D primus abbas fuit B. Giselbertus prior Averbodii circa an. 1136. Certè huic abbati S. Johannis & S. Jacobi, seu montis S. Johannis Cœlestinus papa II. privilegium indulsit an. 1143. II. idus Febr. Sed hoc monasterium brevi post interiit; ad quod fortasse jam in cellam redactum pertinet instrumentum quod sequitur: Henricus divina « patientia Trojæ magnæ pontifex citra merita, « Christi fidelibus universis salutem uberem, reique « gestæ rutilam veritatem. Quotiens a nobis pe- « titur, quod rationi consonat & a religione non « deviat, petentibus tam digne cum affectu hilari « & gratanti tenemur devotius subvenire. Cum ali- «

E quando per Leodiensem diœcesim vice dictæ « civitatis episcopi spiritualia conferremus, tandem « venimus in monasterium Præmonstratensis ordi- « nis nomine Averbodium, quo in loco, ut fama « celebris attestatur, vera religio viguit & floruit « ab antiquo: unde cum fratres ejusdem loci ad « perficiendam ecclesiam in quadam curia sua *Eike* « nomine, quam incœperant, incendio bis vastatam, « attenuati penuria non sufficerent, rogaverunt nos «

[a] Cornelius van Gestel novissimus auctor historiæ sacræ & & profanæ archiepiscopatus Mechliniensis locum abbatiæ in Brabantia statuit, conventum in ditione Leodiensi.

» humiliter & devote, quatenus iis, qui eidem A
» ecclesiæ vellent de bonis suis aliquid erogare,
» super penitentiis eisdem impositis dignaremur
» aliquantulum relaxare: nos vero confisi de in-
» numerabili misericordia Crucifixi, omnibus, qui
» ad opus dictum perficiendum largitatis manum
» porrexerint, viginti dies largiter relaxamus, ro-
» gantes Deum fontem totius pietatis & clemen-
» tiæ, ut hanc nostram indulgentiam omni tempore
» duraturam ratam habeat atque gratam. Datum
» anno gratiæ M. CC. XXVI. Deinde Averbodium genuit alterum fœtum & hunc feliciorem, præposituram scilicet monialium ejusdem ordinis, quæ vicina primum Averbodio, inde anno circiter 1200. ad nemus Cæsareum *Keyser-bosch* prope Ruremundam translata, hactenus maxime florescit religione. Hoc unum addam ecclesiæ Averbodiensis dedicationem peractam fuisse a Walchero archiepisc. Rothomagensi an. 1194. Qua de re documentum habes inter instrumenta. *Ch. IX. col. 297.*

ABBATUM CATALOGUS.

I. B. ANDREAS e monasterio S. Michaëlis Antuerpiensis assumtus est anno saltem 1134. quo fundationem parthenonis ord. Præm. nomine *Keiserbosch*, accepit, ex historia ducatus Geldriæ, pag. 74. An. 1139. fundationis confirmationem obtinuit ab Innocentio II. litteris datis, quas vide apud Miræum loco citato, cap. XCI. Hoc autem ipso anno obiisse dicitur a Sandero, Grammaio & Cornelio van-Gestel, sed melius, ut quidem videtur, an. 1159. III. idus Aug. Legitur enim Andreas in historia Lossensi nuper edita, pag. 106. prædium in Eyke ad Mosam comparasse an. 1155. pro ampliori dotatione monasterii S. Johannis in monte, de quo supra.

II. B. Steppo sive Stephanus regebat an. 1170. cui Philippus Colon. archiepiscopus patronatum ecclesiæ de Tessenderlo confirmavit anno 18. præsulatus, hoc est 1184. *vel* 1185. apud Miræum loco citato, cap. XCIV. Obiit 12. Octob. 1189. quem hunc esse putamus Stepponem memoratum in charta Alexandri episc. Leod. monasterii fundationem confirmantis, ante annum 1170. *ibid.* cap. XCII.

III. Sibertus anno 1200. jus patronatus quarumdam ecclesiarum sibi confirmari curavit ab Innocentio III. Quo etiam circiter anno memoratam sanctimonialium præposituram ab Engelberto Hornano domino mirum in modum auctam, ex silva Averbodiana ad villam sui monasterii *Nemus-Cæsareum* dictam transtulit. Defunctus est 28. Decemb. an. 1202.

IV. Alexander e vivis sublatus est 1206. die 27. Nov.

V. Eggericus obtinuit a Gerardo domino de Jacea & Henrico ipsius fratre jus patronatus ecclesiæ de Jacea an. 1207. Obiit 1210. 28. Jan.

VI. Godefridus sedit ab anno saltem 1211. ad 1215. quo desiit esse inter vivos die XI. Aprilis; eique interim an. 1213. Hugo Leodiensis episc. privilegium concessit sacramenta comiti Lossensi & ejus familiæ conferendi. Exstat in appendice. *Ch. XII. col. 299.*

VII. Balduinus mortem subiit an. 1226. die 12. Octobris.

VIII. Robertus Averbodiensis abbas & Egidius Helissemensis sanctæ Hermelindis reliquias a sacrilegis apud Meldariam sua capsa spoliatas, & a tempore Pipini ibi reconditas, anno 1236. jussu Johannis episcopi Leod. sigillis suis munitas rursus reverenter reposuere. Jam autem anno præcedenti testis est Robertus in charta Hildegundis abbatissæ Thorensis duas ecclesias suo conventui de Thora concedentis. Obiit 1238. 22. Sept.

IX. Johannes I. de Bossuit de Testelt e vivis excessit an. 1258. 21. Julii *forte* Junii; memo- B ratur enim Johannes in necrol. Marchiæ Radulfi XI. cal. Julii, hoc est 21. Junii.

X. Walterus de Wesemale (Arnoldum Grammaius vocat) obiit 1270. 4. Aug.

XI. Godefridus de Testelt animam exhalavit 1274. die XI. Septembr.

XII. Johannes II. die Tieldonck cessit anno 1279. obiitque 1297. 2. Decemb.

XIII. Otto de Lovanio mortuus est 1289. 28. Febr.

XIV. Johannes III. de Rotselaer asceta primum S. Michaelis Antuerp. occurrit abbas Averbodiensis 1292. & 1294. quo anno festum dedica- C tionis ecclesiæ in crastino SS. Philippi & Jacobi celebrandum instituit. Anno 1296. mense Jan. Arnoldus Lossensis comes Johanni de Rotselaer abbati & successoribus ejus dedit præbendam canonicalem in ecclesia S. Odulfi oppidi Lossensis. Inde fuit executor testamenti Mariæ de Vienne prædicti comitis uxoris; annoque 1301. sola prima sui nominis littera J. designatus occurrit. Præfecturæ nuntium remisit anno saltem 1303. quo dicitur *quondam abbas* in fundatione capituli canonicorum tredecim in ecclesia Bredana. Idem an. 1308. feria III. post festum Pentecostes dici- *Hist. episcopatus Antuerp. edita, pag. 140.* D tur *quondam abbas Averbod.* in charta Philippi de Liedekerke militis pro exemtione concessa Tongerloënsi conventui. Hoc autem anno die XI. Aug. vulgo consignatur mors ejus, sed potior habenda videtur ratio epitaphii quod sequitur:

Laudibus immensis est dignus Averbodiensis
Abbas, nunc frater, succurrat ei pia mater.
Fili summe Dei fratris miserere Johannis,
Per te detur ei paradisus in omnibus annis.
Wercher erat natus, de Rotselar atque vocatus.
Christo sit gratus, & in æthere sanctificatus.
Coursel curatus, modo sit sine fine beatus.
Anno milleno trecentenoque noveno
E *Vixerat in mundo, sit cum Jesu Nazareno.*

XV. Johannes IV. Quistwater a Lovanio, ex provisore electus abbas, defecit 1311. die 6. Aug.

XVI. Johannes a Lovanio, dictus *Pistorius* præfuit magna cum laude annis 43. fato functus 1354. 29. Julii.

XVII. Reynerus de Arschot transigit anno 1355. cum Engelberto episc. Leod. Obiit anno seq. 20. Novemb.

XVIII. Arnoldus I. de Venlo ex inclyta ducum Geldriæ stirpe satus, cum esset pastor in Venlo electus fuit abbas, dignus sane qui diutius præesset, ut verbo

ut verbo & exemplo suis amplius præluceret. Fatis A concessit an. 1360. 2. Martii.

XIX. Henricus de Wincxele, ex pastore de Blerick in abbatem cooptatus, vitam amisit 19. Julii an. 1369. ut editi codices habent, *vel* 1368. ex annal. MSS. ord. Præmonstr. qui asservantur in bibl. S. Johannis Ambian. & ex Grammaio.

XX. Arnoldus II. de Tulden, *al.* Tuldel ex pastore de Zubre factus abbas, plurima doctissime compilavit, sacramque supellectilem auxit. Ejus epitaphium tale est: *Hic jacet Arnoldus de Tulden, qui fuit abbas hujus ecclesiæ 25. annis: obiit an. 1394. 1. die Martii; anima ejus requiescat in pace.*

XXI. Johannes V. Multoris *vel* Multorius ab Herlaer virtute juxta & genere clarissimus an. 1394. inquit auctor novissimæ Mechliniensis historiæ, p. 1. pag. 255. die 16. Julii 1398. ait Sanderus, erecto apud Corsendoncam conventu, primos ascetas seu canonicos ex delegatione Mariæ de Brabantia, filiæ Johannis III. Brabantiæ ducis, & viduæ Rainaldi ducis Geldriæ & Zutphaniæ comitis, necnon Johanne a Bavaria episcopo Lodiensi potestatem faciente, ad habitum & professionem recepit, quibus Henricum Sellium ut rectorem præfecit, & post ipsum, Walterum Ghirulanum, canonice electum, priorem confirmavit. Memoratur an. 1415. in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses.

Mr. Dipl. Belg. nov. Edit. cap. CXIV. pag. 125.

XXII. Daniel Laëckman *al.* Laermans de Zonwste, vir integer ac pius, variisque in adversitatibus constantiæ singularis exemplar & patientiæ, obiit 1441. 15. Aug.

XXIII. Johannes VI. Balduini *al.* Baudewyns, Furnensis alumnus, sacræ theologiæ doctor, Philippo duci Burgundiæ ab intimis consiliis & Eugenio IV. Romano pontifici admodum familiaris, hujus provisione abbatiam impetravit. Fuit vicarius generalis in circaria Brabantiæ, Philippi ducis legatus ad Romanum pontif. cui & successoribus mitram & pontificalia Nicolaus V. indulsit an. 1454. Cessit 1458. mortuus 1460. 26. Januarii.

XXIV. Arnoldus III. Vanden-Valgaet, benignitate & œconomia præstantissimus, regimen abdicavit, inquiunt, an. 1482. diesque suos absolvit 17. anni sequentis; mendum tamen videtur in abdicationis anno, qui debet esse 1472. *vel* 73. ex epitaphio, quod sequitur:

Arnoldus Valgaet jacet hic venerabilis abbas
Istius ecclesiæ, vir probus atque pius;
Sollicitusque apis, castus, virtutis amator,
Hunc qui præclaro struxit honore chorum.
Annis ante decem sceptrum, quam fata juberent,
Deposuit, multa laude petendo polum.

XXV. Bartholomæus Vanden-Valgaet sedisse legitur an. 1477. quod nostram amplius roborat conjectationem de consignanda decessoris abdicatione an. 1472. non vero 1482. Insuper adfuit an. 1480. cum pluribus aliis abbatibus manifestationi reliquiarum S. Rumoldi. Defunctus est an. 1501. 20. Aug. sub eodem, quo superior abbas, lapide tumulatus, cum hoc epitaphio:

Juncta virum tenet urna, probus cui Bartholomæus
Nomen erat Valgaet, præsul & ipse loci.
Hunc sua promovit virtus, laudataque vita;
Quod semel inceptum crevit ad usque decus.
Hoc decessorum dignatus honore sepulcri,
Amborum cineri nobile struxit opus.

XXVI. Gerardus Vander-Schaeft de Loon, *al.* de Hogelon, ex Grammaio, *vel* Hoegheloen, decretorum doctor in universitate Lovaniensi, vir modis omnibus absolutus, ecclesiam, ambitum seu claustrum & dormitorium fulgure anno 1499. exusta restauravit, bibliothecam restituit B & ornavit, ædes amplissimas hospitibus erexit, aliaque plurima intus & foris præclare gessit. Idem ab Alexandro & Adriano VI. cui postremo maxime carus & familiaris erat, mitræ & pontificalium confirmationem, & insignia privilegia sibi & successoribus obtinuit. Demum fatis concessit anno regiminis 31. Christi 1532. in claustro sepultus, cum hoc epitaphio:

Elegit hanc carnis suæ requiem R. P. D. Gerardus de Loon, electus 1501. Augusti 23. Obiit Lovanii 1532. Julii 20.

XXVII. Dionysius Vander-Schaeft Gerardi ex fratre nepos & virtutum æmulator egregius, C juris utriusque doctor, obiit 1541. 4. Martii, sub eodem tectus lapide, quo decessor.

XXVIII. Paulus Gielmannus ex provisore electus abbas, construxit capellam S. Johanni Bapt. Averbodiensis ecclesiæ secundario patrono sacram. Quominus autem alia multa præstaret, morte prepeditus est, incidente in annum 1543. 9. Maii.

XXIX. Hieronymus Fabri *vulgo* Smets disciplinæ regularis diligentissimus observator, diem clausit extremum 1546. 12. Octob.

XXX. Matthæus Fullonius, vernacule Svolders, monasterium suum prudenter administravit, D & ecclesiam pretiosissimis ornamentis varie decoravit. Obiit 1565. 26. Nov.

XXXI. Egidius Heynsius fundati collegii Præmonstrat. in alma universitate Lovaniensi præcipuus auctor, ac vitæ communis in suo monasterio reparator, necnon per aliquot annos ordinum Brabantiæ commissarius, e vita migravit 1574. 25. Septemb.

XXXII. Arnoldus IV. Vander-Heyden, Hasselensis, ex priore creatur abbas 1585. postquam sedes abbatialis annis decem vacasset. Morbo tandem & exilio Diesthemiensi fractus, obiit in hac urbe 1588. 3. Octob. sepultus in ecclesia E S. Sulpitii ante principem aram.

XXXIII. Matthias Valentini ex pago Corsel, post triennium die S. Catharinæ 1591. subrogatus, an. 1594. monasterium ab Hispano milite combustum reparavit, illucque suum conventum ab exilio Diesthemiensi reduxit anno 1604. Tum vero rei domesticæ tam in temporalibus, quam in spiritualibus adeo feliciter incubuit, ut sensim in integrum restituerit; cumque per annos 19. ordinum Brabantiæ commissarius exstitisset, vivere desiit, in ecclesia sepultus cum epitaphio sequenti:

Hic jacet Matthias Valentini, vir admodum religiosus, & abbas hujus monasterii dignissimus, ejusdemque in spiritualibus & temporalibus restaurator & quasi alter fundator. Vixit annis 84. Rexit 44. Obiit an. 1635. Martii 12.

XXXIV. Nicolaus Ambrosii sepulturam habet in ecclesia ante altare S. Norberti cum epitaphio in hæc verba :

D. O. M.

Hic novissimam Archangeli tubam expectat reverendus admodum dominus D. Nicolaus Ambrosii abbas XXXIV. hujus ecclesiæ, vir pius & religiosus, qui sanctissimæ virg. Mariæ basilicam in Cortenbosch ædificavit. Rexit annis XII. Obiit VIII. Julii anno MDC. XLVII. Requiescat in æterna pace.*

* al. *IX.*

XXXV. Servatius Vaës ex priore nominatur abbas 10. Decemb. 1647. confirmatusque 17. Apr. 1648. benedictionem percepit 3. Maii a Ricardo Pauli Leodiensi suffraganeo. Postulatus sæpissime ut esset ordinum Brabantiæ deputatus, præ modestia recusavit ; verus disciplinæ zelator & forma gregis factus usque ad ultimum vitæ halitum ; munificus in pauperes, mitis omnibus & affabilis, soli sibi severus, adeo ut nonagenarius nil sibi remitteret. Ecclesiam eleganti opere, pluresque pastoratus exstruxit, mortuus præ senio die 18. Januarii an. 1698. cui hoc epitaphio parentatum est :

HoC tUMULo posItUs pater est SerVatIUs abbas ,
QUInqUe annos Denos reXerat arte bona

XXXVI. Stephanus Vander-Stegen *vel* Steghen Thenensis, ex pastore urbis Venlonensis electus in abbatem 14. Apr. 1698. benedicitur 15. Junii ejusdem anni ab episcopo Dionysiensi Leodiensis suffraganeo. Præerat adhuc anno saltem 1712. Quinimo pervenisse videtur ad an. 1725. ex hist. Machliniensi novissima.

XXXVII. Fredericus Vanden-Panhuysen Stephano successit, & in comitiis ordinum Brabantiæ locum accepit 22. Martii an. 1726.

NINOVIA ET NINIVE.

NINOVE.

HOc cœnobium Præmonstratensis ordinis in exiguo hujus nominis ad Teneram fluvium oppido prope Alostum, diœcesis olim Cameracensis modo Mechliniensis positum, & sub patrocinio sanctæ Mariæ sanctorumque Cornelii ac Cypriani consecratum, fundatorem agnoscit an. 1137. Geraldum comitem stabuli Theodorici Flandriæ principis, toparcham Ninoviensem, qui cum uxorem suam Gislam Ingelberti domini de Petenghem filiam in ecclesia parochiali & collegiali hujus loci sepeliendam curasset, mox in eadem, consilio Balduini Walæ seu de Wala alterius trium canonicorum, quibus ipsa constabat, loco fundationis quarti canonici, quam in animo habebat, abbatiam erexit & dotavit, e
A Parcensi septem [a] fratribus evocatis, ubi & postmodum conversus prope conjugem sepultus est. De his appendicem nostram consule, itemque Miræum novissime recusum, pag. 527. & 528.

a Ch v. & vi. col. 293. & 294.

[a] Unus nomine Hescelinus vir sanctissimus religionis ibi Norbertinæ fundamenta jecit, ex histor. edita Parchensis cœnobii, pag. 29.

INDEX ABBATUM.

I. GISLEBERTUS I. Laudunensis S. Martini canonicus, primus abbas Ninoviæ præficitur a Laudunensi & Parcensi abbatibus in conversione S. Pauli, ac proinde an. 1138. secun-
B dum hodiernam inchoandi annum rationem, jam enim anno 1137. in festo S. Martini septem e Parco canonici Ninoviam accesserant. Ceterum vir scientia & probis moribus apprime ornatus fundationis confirmationem accepit a Nicolao Cameracensi episc. an. 1138. cujus etiam præsulis similes fere habentur litteræ datæ anno seq. Idem porro Gislebertus ecclesiam Lidekerkanam post obitum Woltelmi abbatis Dilighemiensis obtinuit an. 1140. ab Iwano comite Alostensi. Denique ab officio submotus dicitur auctoritate capituli generalis an. 1142.

II. Gislebertus II. e Parcho assumtus, post
C duos tresve ab electione sua menses, ob loci paupertatem ac officii molestias, uti conjicitur, ad suos reversus est.

III. Gerardus I. S. Martini Laudunensis alumnus unanimi fratrum consensu in abbatem cooptatur 1142. quo quidem anno Theodoricus Elsatius Flandriæ comes ratam habuit monasterii fundationem. Anno 1147. bullam protectionis obtinuit ab Eugenio papa III. decemque post annis claustrum ac templum ab ecclesia parochiali separatum inchoavit. Subscripsit an. 1161. litteris Nicolai Cameracensis episcopi pro Monte S. Martini ; cujus item abbatis precibus idem
D antistes allodium S. Aicadri ab abbate Sanvedastino collatum laudavit anno 1163. & 1165. novum privilegium indulsit. Anno seq. ad novum claustrum suum Gerardus deduxit conventum, qui rursum ab Alexandro III. bulla protectionis donatus an. 1178. demum an. 1185. IV. cal. Oct. mortuus est, postquam annis 44. laudabiliter præfuisset.

Mir. novæ edit. pag. 530.
Ibid. pag. 534.

IV. Arnoldus Wala ab officio prioris, quod per annos 45. magna cum laude gesserat, an. 1185. ad abbatiale munus ascendit. Anno seq. bullam protectionis ab Urbano III. consecutus est, & a Rogero episc. Camerac. litteras an. 1189. quibus
E omnes monasterii possessiones in ejus episcopatu sitæ confirmantur. Morte sublatus est an. 1190. VIII. idus Octobris, magno sui relicto desiderio.

V. Matthæus de Scornaco dictus a patria, Montis S. Martini canonicus, vir summæ religionis & scientiæ, necnon eximius verbi divini præco, uti varia ipsius scripta testantur, post annos quinque regiminis abdicavit 1195. ad suum prius monasterium reversus.

VI. Algotus vir pius, abbas Ninivensis effectus est an. 1195. quo Balduinus comes Flandriæ omnes monasterii possessiones jam a Philippo

comite confirmatas approbavit. Anno seq. idem comes cum uxore sua Maria viginti bonaria mori apud Mendune contulit ecclesiæ Ninivensi. Ob affectam valetudinem pedum dimisit Algotus an. 1199.

VII. Steppo illustri apud Hannonios stemmate natus, juvenis admodum, sed moribus gravis in abbatem eligitur an. 1199. Hic 1201. privilegium accepit a Balduino Flandriæ comite, obiitque an. 1204. 15. Octob.

VIII. Henricus I. ex asceterio Montis S. Martini accitus anno 1204. ad regendum Ninivense, cessit 1206.

IX. Johannes I. de Spinis ex hac vita migravit die 7. Jan. an. 1207.*

* al. 1209.

X. Rodulfus præerat annis 1209. & 1214. quo ultimo litem composuit inter Absalonem militem & fratres Montis S. Martini. Reperitur & an. 1228. ac proinde is est R. abbas Ninivensis, qui cum W. abbate Affligem. &c. an. 1228. delegatus est ad inspiciendum locum Suivecanæ abbatiæ condendæ aptum. Anno seq. testis in charta Viconiensi, transigit an. 1240. cum abbate Bonæ-Spei, ac insequenti commutationem fecit cum abbate S. Adriani Geraldi-montis. Decessit anno 1244.* 18. Aprilis, expletis laudabiliter in cura pastorali annis 37. sub quo an. 1222. vetus ecclesia parochialis de Ninive cœpit a fundamentis ædificari, cujus primarium lapidem posuit mense Junio nobilis matrona Agnes de Grimbergis.

* 1246. ex Gramaie.

XI. Sigerus præesse cœpit an. 1244. defunctus 1250. *vel* 1251. calendis Januarii.

XII. Daniel prius abbas Jettensis seu Dilighemiensis, tum Grimbergensis, ac denique simul Ninoviensis, obiit 19. Januarii 1255. ex necrologiis tum Branæ, tum Marchasii-Radulfi.

XIII. Guillelmus I. ab Haltera cessit anno 1258.

XIV. Egidius prioris officio laudabiliter functus annis 17. in cœnobio Viconiensi, hinc accersitur an. 1258. ad regendam abbatiam Ninivensem. An. 1266. privilegium obtinuit a Margareta Flandriæ & Hannoniæ comitissa ejusque filio Guidone. Obiit die 5. Febr. 1270. in capitulo ante pulpitum depositus.

XV. Peregrinus post unum circiter annum regiminis, ut expeditior ad cœlestem patriam festinaret, abbatialem sarcinam deposuit an. 1270. & morte metam peregrinationis attigit 30. Aug. ejusdem anni.

XVI. Henricus II. de Alosto post triennium successorem vidit 12. Octob. 1274.

XVII. Johannes II. de Harbeka vir admodum prudens ecclesiam Ninivensem variis difficultatum ambagibus extricavit. An. 1290. a Johanne Vander-Beken prædia nonnulla comparavit; cumque annis 30. & decem mensibus strenue gubernasset, abbatiale munus 20. Dec. an. 1305. abdicavit.

XVIII. Johannes III. Millys Ninoviensis, scientia non minus quam pietate clarus obdormivit in Domino 28. Octob. 1314.

XIX. Johannes IV. de Schamp. *vel* de Champs

A ex Linniaco *de Lemmeke*, antea prior, post tres annos regiminis absolvitur an. 1317.

XX. Egidius de Cellario Ninivensis, cum rexisset annis septem, curæ pastorali nuntium remisit an. 1324. die 5. Maii.

XXI. Johannes V. de Impe cessit & ipse secundo regiminis anno.

XXII. Simon de Costere Ninivensis abdicavit etiam 1328.

XXIII. Guillelmus II. de Buysere *al.* Bussere viam universæ carnis ingressus est an. 1336. 12. Septemb.

XXIV. Johannes VI. a Teneramunda compositionem

B iniit anno 1339. cum domino de Ninive super variis possessionibus & juribus ecclesiæ Ninivensi competentibus. Anno 1350. curiam de Vorde in parochia de Ockeghel acquisivit; cumque novem post annis senio fatisceret pedum dimisit, & vita cessit 19. Febr. 1359. anno regiminis 22. cum novem mensibus.

XXV. Cornelius* I. de Hamme Ninivensis, sub quo Ludovicus Flandriæ dux, Brabantiæ, &c. ecclesiam Ninivensem ab omnibus hospitum, equorum, canum, &c. gravaminibus liberavit an. 1366. Simile privilegium anno seq. Johanna ducissa Limburgi, Lotharing. Brab. & Luxemb.

* al. Johannes, ex hist. Mechlin.

C concessit, & anno 1370. Ludovicus Flandriæ comes. Item an. 1380. Philippus filius Francorum Regis, Flandriæ comes ecclesiam Ninoviensem in specialem accepit protectionem; ipse nihilominus inter maximas patriæ calamitates suam vidit cum oppido Ninoviensi ecclesiam involvi, diripi, incendi ac penitus everti, qui pace tandem restituta domum abbatialem cum hospitio Gandavensi acquisitam, a fundamentis innovatam construxit. Demum in pace quievit anno 1391. die 1. Junii post annos 32. & duos menses probi regiminis.

XXVI. Johannes VII. Neuckerstock ex ve-

D tusto apud Flandros stemmate, dirutum cœpit instaurare templum & monasterii claustrum; sed dum perficiendis omnibus sibi videtur impar, spontanea cessione munus transcribit an. 1404. superstes, uti videtur ad diem 10. Julii 1406. non 1430. ut legimus in historia Gerardimontii pag. 124. cum enim solum quatuordecim anni & XL dies regiminis, ac post cessionem duo anni vitæ ei tribuantur, vix potuit hunc annum 1406. prætergredi.

XXVII. Bartholomæus van Hoemen *al.* Hoëven, ex Ayghen oriundus, sacræ theologiæ baccalaureus, ex delegatione abbatis Præmonstrat.

E interfuit concilio Basileensi, in quo tum ordinis, tum ecclesiæ suæ privilegiis confirmatis, obtinuit mitræ & pontificalium usum, quibus tamen abstinuit præ modestia; multisque tandem domi & foris præclare gestis, cum rexisset annis 43. & mensibus decem, diem clausit extremum calendis Octob. an. 1447. Jacet in capitulo cum epitaphio nil novi edocente.

XXVIII. Johannes VIII. Beverlinck Ninivensis rexit annos 37. quorum 1450. 51. & 52. ejus ecclesiæ funestissimi fuere, miscentibus omnia igne & sanguine Gandavensibus, tanta

vastitate, ut sua suis ecclesia destituta incolis tantum non exstincta fuerit. An. 1477. Maximilianus & Maria Austriæ duces & Flandriæ comites abbatiam Ninivensem in suam tutelam susceperunt. Occubuit Johannes an. 1484. sepultus in medio chori, ubi hoc habet epitaphium:

Ingenio pollens, morum probitate refulgens,
Et bachalarius formatus Coloniensis,
Abbas istius claustri quondam reverendus
Annis ter denis & septenis quasi plenis
Johannes Beverlinc, obiit idibus Aprilis *
anno Domini 1484.
Tu da Cecilia cum Christo vivere sancta.

* 31. Julii. ex hist. Mechl.

XXIX. Guillelmus III. de Castro Liedekerkanus multas quoque ex bellis intestinis sustinuit tribulationes ad annum usque 1499. quo dignitatem abbatialem deposuit, superstes ad diem 4. anni 1505.

XXX. Gerardus II. Pardeke, (Cardekius, Grammaio) ab Herdecim oriundus, ex coadjutore fit abbas an. 1499. obiitque 1510. in medio chori sepultus, cum hoc epitaphio:

Hic veneranda tegit patris lapis ossa Gerardi
Hujus conventus abbæ, cognomine dicti
Pardeke, qui multis licet annis pondera passus,
Viribus infractis tamen omnia sustulit audax.
Obiit anno M. V^c. X^o. XI. Decembris.

XXXI. Johannes IX. Clerici Alostanus, quanquam annos natus 75. quando in abbatem electus est, se se nihilominus strenuum in tuendis suæ ecclesiæ juribus præbuit. An. 1518. Cornelium Hey sibi coadjutorem adscivit, cui postmodum anno 1525. munus abbatiale integrum dimisit. Excessit autem e vita die 29. Novemb. an. 1527.

XXXII. Cornelius II. Hey Bredanus, antea coadjutor, benedicitur abbas an. 1525. 10. Decembris, primus mitra & pontificalibus usus. Hic, ecclesia sua omnibus fere debitis, quibus obstricta tenebatur, liberata, Judocum Segars Ninivensem an. 1540. in coadjutorem assumsit, sed eo repentina morte sublato eodem anno, Cornelius biennio * post regimen transcripsit, non ante mortuus quam anno 1553. apud Carthusianos juxta Bruxellas.

* 1544. ex hist. Mechl.

XXXIII. Johannes X. ab Avena Ninivensem ecclesiam mire provexit & ditavit, quam & novo exornavit choro. Anno 1558. Ninoviæ civibus redimendis, qui Gandavi detinebantur captivi, ducentos florenos liberaliter contulit. Eodem anno coadjutorem accepit Michaelem Malenum, eique anno 1567. abbatiale regimen omnino dimisit. Denique fato concessit 1571. 22. Nov ex hist. Mechl. melius fortasse 1567. ex Grammaio, utpote per cujus obitum in provisionibus apostolicis successorem legimus confirmatum 7. Octob. 1569.

XXXIV. Michaël I. Malenus seu Vared de Malen, ut habent prædictæ provisiones, anno 1576. in festo S. Bartholomæi benedictionem percepit, cum jam ipse an. 1571. unaque Parcensis & Averbodiensis abbates, communibus expensis

A amplas ædes Lovanii sitas emissent a Grimbergensi abbate, easque ad collegii usum pro suorum monasteriorum alumnis adaptassent. Hic porro a quibusdam insimulatus est, quod plus æquo in pompam & seculi luxum effusus fuerit, ab aliis vero laudatus, tanquam prælatus insignis, qui lapsam disciplinam reparare studuit. Ut ut est, ipsius tempore an. 1578. Gueusii hæretici occupatum monasterium incenderunt, quare conventus Bruxellas se recepit, ubi peste sublatus Michaël 18. Sept. *al.* Octob. ejusdem anni, in ecclesia S. Gaugerici conditus est.

XXXV. Petrus Aloysius, Bruxellensis, vir simplex ac religiosus, ex pastore Voordensi, præter omnium expectationem electus & ab Archiduce confirmatus, demum post multas difficultates feliciter superatas, anno 1581. benedictionem percepit Montibus Hannoniæ ab episc. Chalcedon. Cameracensis suffraganeo, impensas suppeditante Camberonensi abbate. Anno seq. ipso S. Georgii festo, cum occupatum a sectariis Alostum fuisset, ipse cum quibusdam e suis vinctus abducitur, uno ab impiis trucidato, nec nisi multo ære soluto solutus abire permissus est. An. 1585. a Parmensi duce Bruxellis ad Regis Catholici obedientiam reductis, fratres Ninivem redierunt, quam solo æquatam, spinisque ac virgultis obsitam restaurare cœperunt; sed interim an. 1587. die 13. Dec. Petrus Aloysius Bruxellis defunctus est.

XXXVI. Adrianus Walsteels antea prioris officio functus, Bruxellis coram regiis commissariis abbas eligitur, postquam, ut videtur, anno 1588. Gueusii hæretici Ninivensi oppido iterum occupato fratres dispersissent. Obiit Adrianus an. 1594. 5. Martii, sui regiminis sexto.

XXXVII. Antonius de Langhe Mechliniensis, sacræ theologiæ baccalaureus, Bruxellis electus est & ab abbate Parcensi confirmatus; sed cum natalium defectum pateretur, quibusdam refragantibus, electio ejus ab abbate Præmonstr. & a consilio Brabantiæ rejecta fuit. Ipse nihilominus, ut erat eloquentissimus, sedatis adversariis, Gandavi ab ejusdem loci episcopo munus benedictionis accepit; statimque restaurando monasterio tantam adhibuit diligentiam, ut anno tertio ædificationis, cum locus esset habitationi commodus, suum illuc reduxerit conventum. Tantæ fuit apud omnes existimationis, ut a consilio Flandriæ in commissarium curiæ pro clero electus sit; tantæque simul modestiæ ut sibi duos episcopatus oblatos recusaverit. Denique fatis communibus cessit III. idus Aprilis an. 1606. sepultus in capitulo, cum epitaphio sequenti:

R. in Christo ac domino D. Antonio de Langhe eversi Niniven. monasterii abbati ac restauratori, R. dominus Christianus Vanden-Abeele successor poni curavit. Obiit III. idus Apr. anno Domini 1606. R. J. P.

XXXVIII. Christianus I. Vanden-Abeele non minus de spirituali quam materiali ædificatione benemeritus, post septem annos dignitatis abbatialis, ex hac vita decessit 13. Julii 1613. ætatis

suæ anno 61. sepultus in capitulo, cum epitaphio nil novi superaddente.

XXXIX. Johannes XI. David Montibus Hannoniæ parentibus Gerardimontensibus natus, sacræ theol. baccalaureus, cum antea prior esset & pastor in Oultre, ab abbate Parcensi in abbatem confirmatus est & abbatiali benedictione donatus ab archiepisc. Mechliniensi. Fuit autem ordinum Flandriæ ex parte cleri deputatus primarius, ordinis Præmonstrat. in curia Romana syndicus, per utramque Germaniam, Hungariam, Daciam & Poloniam visitator generalis, necnon Alberto & Isabellæ Belgarum principibus ab intimis consiliis. Denique obiit 25. Julii 1636. post triduum sepultus in sacello novo, quod ipse in choro antiquæ ecclesiæ ædificaverat, ubi hoc epitaphium legitur:

Hic situs est R. admodum in Christo pater ac dominus D. Johannes David cœnobii hujus antistes XXXIX. qui mente, animo, rebusque pro patriæ & ordinis sui bono gestis maximus, ævi Christiani anno M. DC. XXXVI. sui LIII. dignitatis XXIII. ante diem IIX. calendas sextiles, memorabili piæ mortis exemplo ante oculos & inter lachrymas suorum vita mortali desiit, fruatur æterna.

XL. Michaël II. Mordack Bruxellensis, ex pastore Ockegeniensi electus abbas & confirmatus ab abbate Parcensi, post sex menses diem clausit extremum 21. Martii 1637. sepultus prope decessorem, cum hoc epitaphio:

D. O. M. Æternæ memoriæ R. admodum in Christo patris ac domini D. Michaëlis Mordack cœnobii Cornelio-Cyprianæi apud Niniven abbatis XL. qui IV. regiminis mense, ante benedictionem, officio & vita defunctus est anno Domini 1637. XII. cal. Aprilis.*

* al. VI.

Tu quod es hospes eram, quod sum, tu nescio quando,
Fors hodie vel cras, hoc tamen hospes eris.

XLI. Christianus II. Roelets *al.* Roelofs, Gerardimontensis, sacræ theol. baccalaureus, electus & confirmatus ab abbate Parcensi 12. Dec. 1637. benedictionem percepit ab archiep. Mechliniensi 1638. Scholastriam Ninivensem Nicolao Dupont contulit an. 1647. Cetera docet epitaphium, quod ita legitur in sanctuario a latere epistolæ.

D. O. M.

Et piæ ac recolendæ memoriæ reverendi admodum ac amplissimi domini D. Christiani Roëlets hujus ecclesiæ beatæ Mariæ & SS. Cornelii & Cypriani abbatis XLI. ecclesiasticorum Flandriæ ordinum olim deputati primarii, qui postquam ecclesiam hanc ultra 20. annos rexisset, inter suorum preces & lachrymas vivere desiit IV. nonas Maii anno Domini 1657. ætatis suæ LV. Sit in pace.
Sors est naturæ mors certa, incerta sed hora
Mortis, ab hac pendet, seu bona seu mala sors.

XLII. Johannes XII. de Neve Oulterensis, ex priore & magistro novitiorum per triennium, jam a quinque mensibus vacantem sedem abbatialem, electione fratrum, & Johannis Austriaci nominatione occupavit, an. 1657. die 4. Nov. ab archiepisc. Mechliniensi benedictus, præsentibus Parcensi & Trunchinensi abbatibus. Anno 1660. interfuit capitulo generali ord. Præmonstratensis; tandemque obiit an. 1685. sepultus in capitulo, cum epitaphio, quod sequitur:

Hic situs est reverendissimus in Christo pater eruditissimus dominus Johannes de Neve S. Th. licentiatus, Præmonstrati ordinis visitator, ordinum Flandriæ ex parte cleri primarius deputatus, hujus ecclesiæ XLII. prælatus, quam rexit annis XXVIII. defunctus 4. Martii 1685. sacerdotii 43. professionis canonicæ 47. ætatis 68. Rogat filios ac nepotes suos, ut fusis ad Deum precibus a cunctis emaculetur nævis, ideoque luce fruatur æterna.

XLIII. Ferdinandus I. de Moor Ninoviensis, ex pastore Ninoviensi, ejusdem cœnobii abbas, post 13. annorum laudabile regimen, e vivis excessit die 27. Febr. an. 1698. in capitulo sepultus, cum hoc epitaphio:

Siste viator. De profundis ad te clamat R. in Christo pater & amplissimus dominus D. Ferdinandus de Moor, ut in sanguine agni tuisque de eo oblationibus lavetur, & super nivem dealbetur, quia de cæno immundi mundi emersit an. 1698. die 27. mensis Febr. ætatis suæ 57. sacerdotii 33. dignitatis abbatialis 13. hujus ecclesiæ Cornelio-Cyprianeæ antistes XLIII. Ingemisce vel minimum fruatur puritatis fonte, amen.

XLIV. Carolus Charité Ninhovia ortus, edocta theologia sodales suos per 21. annos clarissimus, obiit 1701. conditus in capitulo, ubi sequens epitaphium legitur:

Monumentum R. admodum ac amplissimi D. Caroli Charité XLIV. hujus ecclesiæ abbatis, qui diem clausit extremum 24. Decemb. anno salutis 1701. ætatis 60. professionis 41. sacerdotii 39. abbatialis dignitatis 3. Doctrina illustris, conversatione placidus, ac in moribus omnibus gratus, preces tuas, o viator, inclamat, unde saltem piis manibus adprecare.

XLV. Dionysius Freysers Hasselensis mortem oppetiit anno 1712. ætatis suæ 65. professionis 46. sacerdotii 41. & abbatialis dignitatis XI. atque in capitulo sepultus est. Vir quidem longiore vita dignissimus, qui etiamsi juvenis ad circatoris, inde ad subprioris, mox ad cellerarii officia sublectus, tum vero ad plebis Ninoviensis pastoratum, & postremo ad abbatiales infulas, mirum sui moriens omnibus reliquit desiderium.

XLVI. Ferdinandus II. Vander-Haeghen Gerardimontanus, ex monasterii provisore creatur abbas an. 1712. ac eodem benedicitur die 3. Julii. Anno 1723. novam insignem abbatialem ecclesiam a decessoribus jam pridem inchoatam perfecit, eamque solemni ritu die S. Jacobo sacra benedixit. Præerat adhuc 1725.

A

CLARISSÆ BRUXELLENSES.

CLarissæ divites, vernaculè *Rycke-Claren*, latinè Urbanistæ, ita nuncupatæ, quod mitiorem S. Francisci regulam ex indulto Urbani IV. Romani pontificis sequantur, stabiliuntur primum an. 1343. in loco Opbruxella ad muros urbis Bruxellensis, eas dotante Guillelmo Duvenvoirde nobilissima apud Batavos familia nato, domino de Dongen *vel* Donghene, &c. qui quidem an. 1353. ibidem honorifice conditus fuit. Accessit autem & huic dotationi munificentia Guillelmi prædicti fundatoris filii, ut patet ex tabulis Mechliniæ datis an. 1345. quas recitat Miræus Donat. Belgic. lib. 1. cap. CXLI. novæ editionis. At vero cum hoc monasterium bella civilia excidissent, in urbem sacræ virgines commigrarunt, sedemque fixerunt anno 1585. eo ipso in loco, ubi fratres Hieronymiani, seu clerici vitæ communis cœnobium & gymnasium litterarum olim habuerunt, Nazarethanum, sive Annunciationis B. Mariæ Virginis appellatum, haud procul a basilica parochiali S. Gaugerici, accedente ad preces senatus pontificia & archiepiscopali auctoritate.

CLARISSÆ LOVANIENSES.

EJusdem ordinis sanctimoniales in urbe Lovanio instituuntur an. 1508. a nobili matrona Catharina Oppendorp vidua Johannis Bloys equitis, primis incolis e monasterio Clarissarum in Hoochstraëten evocatis; earum vero sacellum non nisi an. 1516. dedicatum est. Unicam hujus loci abbatissam ordine quintam reperimus Catharinam de Dieve cum fama sanctitatis egressam ex hoc seculo die 6. Jan. 1576. de qua vide Henricum Prevost dictum de Leval in libro cui titu- B lus: *La vie exemplaire de plusieurs Abbesses decedées avec opinion de sainteté*, pag. 95.

CLARISSÆ MECHLINIENSES.

HAbetur etiam in urbe Mechlinia parthenon ejusdem instituti, cujus alumnæ primum Sylvæ-ducis, tum variis in locis hæserunt, tandemque in urbem Mechliniam admissæ sunt an. 1654. ubi ex ædibus coëmtis *in vico den Ouden Bruel* cœnobium adaptarunt.

ECCLESIA ANTUERPIENSIS.

ANTWERPIA, Andoverpum, Belgis *Antwerpen*, Gallis *Anvers*, Germanis *Antorf*, Hispanis *Amberes*, Italis *Anversa*, urbs urbium a Lipsio nuncupata, emporium toto orbe olim celeberrimum, opulentissima ducatus Brabantini civitas, cujus cum suo tractu quartam partem constituit, marchionatus sacri Romani Imperii dum exstitit quondam metropolis, imperialis & libera. Posita est in pago Rhenensi, *Het landt van Ryen* incolis dicto, ad dexteram Schaldis ripam, quo æstus maritimi pertingere consueverunt: quadraginta quippe duobus passuum millibus seu decem & octo leucis ab Oceano sejungitur, quarto a Mechlinia lapide, octavo Bruxellis & Gandavo, sub 26. longitudinis secundum Geographos gradu, & 51. latitudinis.

Urbi nomen fecisse Antigonum quemdam tyrannum vulgi fama est; qui ad Schaldim assidens, a transfretantibus vectigal exigeret, nolentesque solvere dextra mutilaret, quam subinde in profluentem projiceret, unde (inquiunt) Antuerpiæ scutum manuum & arcis insignia præfert; verum his anilibus explosis fabulis ad certiora veniamus.

Primus Andoverpiensium meminit septimo seculo beatus Audoënus Rothomag. in lib. 2. de vita Beati Eligii Noviom. ac Tornac. episcopi, cap. 8. Normannos Andwerpam civitatem incendisse memorant annales Fuldenses an. 836. Lambertus Schafnaburgensis in lib. de gestis Germanorum ad an. 1081. civitatis Antwerfæ & Marchiæ Antwerfæ meminit, Sigebertus ferme coævus in chronico Andoverpum oppidum appellat, Robertus vero de Monte castrum Antuerpiense. Porro in litteris Hildolfi præpositi sancti Michaëlis in Antuerpia anno 1124. datis mentio fit aurei nummi Antuerpiensis monetæ & ponderis quod argumento est tunc ibi monetam fuisse percussam. Crevit autem hæc urbs successu temporis tanta inhabitantium multitudine undequaque affluente, maxime ob amœnum loci situm, gerendisque commerciis opportunum, ut aliquando, præsertim an. 1550. numerata fuerint civium & aliunde accedentium capita, supra ducenta millia, unde non mirum si urbis pomœria usque tertio dilatanda fuerint, annis videlicet 1201. *al.* 1207. sub Henrico primo Brabantiæ duce, 1314. sub Johanne tertio, & an. 1543. regnante Carolo V. Cæsaro.

Hujus urbis mœnia nullis tota Europa comparanda, quorum suprema planities procurrit in pedes centum & decem perpetuis arboribus circumquaque consita, portæ septem opere omnes Dorico, fossæ patentes: reliquam civitatis partem tutatur latissimum flumen; plateas habet supra ducentas, ædes ultra tredecim mille quinquaginta, quarum si augustam amplitudinem, seu viarum laxitatem intueris, eas non tam privatorum quam principum arbitreris usibus destinatas: accedunt ad hæc fora circiter viginti sex vario mercatu celebrata, plurimique fontes. Et ne quid ejus munitioni deesset, castrum insigne seu arx excitata est cum sua planitie an. 1567. jussu Ferdinandi ducis Albani, Belgii

moderatoris, & Paciotti Urbinatis celebris architecti opera, quæ vix decem annis steterat, cum pars maxima solo dejecta, paulo post amplior iterum surrexit atque munitior.

Inter ædificia publica eminet curia seu senatoria domus opere quadrato ac pereleganti renovata an. 1560. quam infelici casu haud multo post exustam splendidori schemate restituit senatus, & hisce nuperis annis 1713. & 1714. quo pulchrior esset ejusdem domus prospectus, forum anterius seu plateam laxiorem reddidit ædibus 28. solo æquatis.

Bursa, quo mercatores conveniunt, elegans per omnia opus est, quadraginta tribus e pario marmore substructum columnis: sequitur Oosterlingana domus seu Hansæ Teutonicæ, insigne elegantiæ & opulentiæ monumentum. Complectens ambitu suo trecenta cubicula gentis illius mercatoribus percommoda. Cetera civitatis ornamenta longum esset percurrere, de quibus nihil est quod dicamus post Ludov. Guicciardinum in descriptione Belgii, Georgium Brunum, tom. I. civitatum orbis, Carolum Scribanium Bruxellensem, qui de Antuerpia librum integrum scripsit, Franciscum Suvertium in monumentis Brabantiæ, Laurentium Beyerlink in vita trium apostolorum Antuerpiensium, Petrum Divæum rerum Brabantinarum, lib. I. cap. 7. Joh. Bapt. Grammaium, & alios bene multos.

Urbem incolunt familiæ variarum gentium, quæ domicilium hîc delegerunt, plurimæ, certatimque concurrebant illuc olim Germani, Galli, Hispani, Lusitani, Angli, Itali; sane e sola gente Hispanica trecentas aliquando ibi sedem fixisse familias aiunt, potentes plerasque, & quæ ingentes secum opes traherent: naves quoque non semel in flumine bis mille & quingentæ visæ sunt omnium generum mercibus onustæ, posterioribus diu in ancoris stantibus, donec portui viciniores onere levarentur: quin & uno maris æstu quadringentas non raro illuc appulsas fama est, adeo florebat in ea civitate commercium, ut facile totius Europæ foret emporium; verum a sesqui seculo dilapsis alio mercatoribus, & translato Amstelodamum ad Batavos commercio, multum inclinata est fortuna Antuerpiensis, sed & arce Lilloana, quæ aliquot milliaribus infra hanc urbem ad Schaldim posita est, ab Hollandis intercepta & obturato fluminis ostio, nullus amplius ad eam navibus patet aditus, quinetiam in diuturnis Hispanos inter ac fœderatos Belgii ordines bellis plurimum passa est; nam an. 1576. fœde direpta fuit ab ipso Hispano milite cum Germanis juncto, complura civium millia igne, ferro vel flumine consumta, in fœderatorum ordinum potestatem urbs inde redacta. Inauguratus fuit ibidem in ducem Brabant. & Belgarum principem Franciscus Alençonii & Andegavi dux, Henrici III. regis Christianissimi frater anno 1582. die 19. Febr. abjurato rege Catholico, electoque militum duce Guillelmo principe Auriaco. Verum triennio post, anno scilicet 1585. 17. Aug. post acrem anno integro obsidionem in annalibus famosam recepta est, duce Alexandro Farnesio Belgii gubernatore, & Hispaniarum regi restituta, cui subinde paruit ad annum 1706. quo iterum Hispanis erepta, ceteris domus Austriacæ ditionibus accessit: sed a rebus prophanis ad sacras gradum faciamus.

Primus Antuerpiensibus Evangelium prædicasse fertur beatus Amandus, dum adhuc episcopus regionarius, nullique sedi peculiariter addictus esset; quo temporis spatio, nempe inter annos 626. & 647. *vel* 48. quo Trajectensis ad Mosam episcopus evasit, primum apud Tornacenses & Gandenses, postea Brabantinos finitimosque populos verbum Domini disseminavit, consecrata etiam apud Antuerpienses in honorem SS. apost. Petri & Pauli ecclesia. Inde S. Eligius Tornac. ac Noviom. antistes fidem, quam Amandus plantaverat, rigavit, & usque ad maris littora infatigabili zelo extendit, uti narrat B. Audoënus in vita ejusdem S. Eligii: *Flandrenses* (inquit) *atque Andoverpenses, Frisiones & Suevi, & Barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis positos nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, primo eum* (Eligium) *hostili animo & aversa mente susceperunt.* Et iterum, *multum præterea in Flandris laboravit: jugi instantia Andoverpis pugnavit.*

Vide in S. Amando, t. 3. nov. Gall. Christ. col. 821.

Lib. 2. c. 8.

Tum beatus Willibrordus Trajectensis ad Rhenum episcopus fidem ab illis plantatam atque rigatam, Deo incrementum dante, sic feliciter propagavit, ut merito inter apostolos Antuerpienses annumeretur, cui etiam Rohingus quidam vir nobilis & potens, simul cum Bebelina conjuge sua donavit anno circiter 726. ecclesiam castri Antuerpiensis ab ipso Amando constructam, & tertiam partem telonei super fluvium Schaldim commerciis famosum, uti videre est in diplomatibus a Miræo relatis.

Cod. donat piarum, capp. 6. & 7.

Floruit ea in urbe postmodum religio, ad initium usque seculi XII. quo Tanchelmus quidam seu Tanchellinus hæreticus per universam civitatem hæreseos suæ virus sparsit, unico quippe tunc temporis parocho eique concubinario, imo incestuoso viro cura totius populi Christiani per civitatem demandata erat, quo facilius fuit Tanchellino fideles dementare & in errorem pellicere: sed nec eo sublato, virus ab ipso disseminatum exstingui ullo modo potuit, nullusque erat in urbe qui tam grandi malo in dies serpenti opportunus occurreret; accersitus itaque consilio Burchardi Cameracensis episcopi Norbertus vir sanctissimus, qui cum sociis Antuerpiam veniens, hæresim verbo & exemplo feliciter expugnavit, collabantem fidem restituit, & fideles ab erroribus ad saniorem mentem revocavit, relictis ibidem civium rogatu aliquot ex sociis suis, qui emendatum populum in fidei puritate retinerent, & hæresi, si forte repullularet, obsisterent. Quibus & canonici Antuerpienses tanti beneficii memores, in gratitudinis suæ monumentum, ecclesiam suam S. Michaëlis cesserunt anno 1124. cum proventibus quatuor præbendarum, multisque aliis donariis & prædiis, quæ ipsorum sustentationi inservirent, & inde ad B. Mariæ templum migrarunt: hæc quidem initia

fuere tum ecclesiæ quæ nunc est cathedralis, tum florentissimæ apud Antuerpienses abbatiæ sancti Michaëlis, de qua seorsim more nostro dicturi sumus. Diplomata ad hanc rem spectantia vide-sis apud Miræum in codice donationum piarum, & in nova ecclesiæ Antuerpiensis historia typis edita Leodii an. 1717.

Vide bullam erectionis nostris instr. insertam. Ch. XII. col. 312.

Anno 1559. Antuerpia episcopali sede ornatur (petente Philippo II. Hispaniarum rege ac Belgii principe) ecclesiæ Cameracensi, cui hactenus paruerat, subtracta, & novæ metropoli Mechliniensi subdita, exstincto quoque in eadem ecclesia Camerac. archidiaconatu Antuerpiensi, cujus jurisdictio per civitatem Antuerpiam & magnam hujus novæ diœceseos partem protendebatur. Porrò episcopatui Antuerpiensi attributum est territorium septem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis vero triginta millium passuum Italicorum. Oppida sunt Antuerpia, Lira, Breda, Bergizoma, Turnhautum, Herendalium, Hooghstrata: varia item numerantur municipia, & 150. circiter pagi in sex decanatus divisi, nimirum Antuerpiensem, Liranum, Herendalensem, Hooghstratanum, Bergizomensem & Bredanum.

Continet præterea hæc diœcesis capitula canonicorum quatuor, & tria quæ desierunt ab Hæreticis occupata, vel alias jamdudum exstincta: abbatias item utriusque sexus quatuor, præposituras, prioratus, & alia non ultimi nominis cœnobia circiter sexaginta.

Episcopatui unita est in dotem abbatia S. Bernardi ad Schaldim, quæ postmodum sub Gaspare Nemio Antuerp. episcopo, transactione monachos inter & antistitem facta, ab eo disjuncta fuit, & abbas regularis eidem e gremio restitutus an. 1636. bonorum medietate episcopatui transcripta. In supplementum quoque dotis episcopi assignata fuit summa mille ducatorum auri de Camera, ex S. Michaëlis Antuerpiensis ac Villariensis abbatiarum proventibus desumenda, sed ab hoc onere sese postea, conventione cum episcopo facta, exemerunt abbatiæ memoratæ.

Ecclesia cathedralis B. V. M. sacra, cum præstantissimis Belgii templis pulchritudine & elegantia certat, turrim habet excelsissimam, sumtu publico anno 1422. ædificari cœptam, & anno demum 1518. perfectam; horologium summa arte elaboratum, cujus præambulum horarium musico campanarum circiter sexaginta concentu horam prævertit. Summa est hujus ecclesiæ magnificentia, summa venustas, cujus aræ omnes & sacella picturis exquisitioribus, sectoque marmore aut jaspide decorantur. Anno 1533. templum hoc (turri & choro exceptis) fortuito igne deflagravit, sed paulo post in melius restitutum; rursus an. 1566. ab Iconoclastis Immaniter fœdatum, qui hîc & per omnia urbis templa triduo debacchati sacra omnia vastarunt, contaminarunt, aut in frusta comminuerunt. Capitulum cathedrale constat decano & 24. canonicis primariæ fundationis, ex quibus novem sunt graduati, iique ad electionem capituli assumendi, nimirum tres nobiles, tres theol. doctores *vel* licentiati, & tres in jure iisdem gradibus insigniti in famosa quapiam universitate. Primas obtinet decanus, quem sequitur archidiaconus, tum archipresbyter, cantor & pœnitentiarius, totidem dignitates, habentes singuli præbendam sibi annexam, uti & canonicus theologalis, cujus tamen officium inter dignitates non recensetur.

Sunt insuper octo canonici fundationis secundariæ, qui parvi vulgo appellantur, majori capitulo haud aggregati, quanquam iisdem vestibus in choro cum ceteris majoribus canonicis utuntur. Iis incumbunt ex vi institutionis officia chori, cæremoniarius etiam & magister fabricæ ex eorum gremio assumuntur: ultra hos omnes, sunt quamplurimi sacellani, decem etiam vicarii musices periti, sexque pueri chorales, ita ut numerus beneficio in hac ecclesia præditorum, qui quotidie choro intersunt, ad 70. circiter ascendat.

Porro ex 24. majoribus præbendis, una episcopatui annexa est, duæ item decanatui, simul cum honesta habitatione, altera in duas partes secta pro duobus plebanis, quibus animarum cura incumbit & qui hoc titulo majoribus canonicis accensentur, uterque habet regionem in urbe sibi assignatam & vicepastorem, & est in cathedrali ecclesia insignis fons baptismalis, qui duplicem habet accessum. Insuper seniores octodecim canonici ædes sibi proprias inhabitant, & quantum ad ulteriores proventus, archidiaconus gaudet pastoratu de Ballaere cum fructibus ei unitis, archipresbyter unitum habet pastoratum de Heysts-op-den-Bergh. cum proventibus annexis, cantor recipit fructus sacellaniæ ad altare SS. Trinitatis in ecclesia cathedrali, pœnitentiarius vero potitur personatu de Wommelghem & fructibus annexis.

Decanatus regiæ collationi subjicitur, canonicatus, extra numerum graduatorum confert Romanus pontifex per octo anni menses, reliquos autem quatuor, canonici per vices hebdomadarias, sicut & quamplura minora beneficia. Universitas etiam Lovaniensis habet tempore viginti annorum, & facultas artium singulis decenniis, jus nominationis ad primo vacaturas hujus ecclesiæ præbendas, quæ nec graduatis addictæ, nec dignitates sunt; idque vi privilegiorum apostolicorum.

Præterea est in urbe insignis alia collegiata necnon parœcialis ecclesia, amplitudine ac pulchritudine sua, sacellis & altaribus ex marmore & jaspide erectis, & turri spectabilis, cujus capitulum constat decano, vicedecano & cantore dignitatibus e gremio canonicorum per electionem assumendis, & triginta præbendis, quarum fundatores & patroni sunt varii laïci, qui jus sibi familiæque suæ retinuerunt præsentandi ecclesiasticos idoneos, quotiescumque per obitum, vel alia quacumque causa vacaverint.

Numerantur in urbe tres aliæ parœciales ecclesiæ, nempe S. Walburgis, S. Georgii, & S. Andreæ, tres item in suburbiis, S. Willebrordi, S. Catharinæ & S. Laurentii, una in arce, S. Jacobi scilicet, ad collationem

collationem principis. Cœnobia virorum ſunt ſub hac diœceſi, Auguſtinianorum unum Antuerpiæ anno 1514. inchoatum, poſtea funditus everſum, ac demum anno 1607. reſtauratum. Alterunt Herendalii anno 1613. erectum.

Bogardorum unicum Antuerpiæ: hi ab anno 1228. urbem ingreſſi vitam texendo tolerabant, nullis certis legibus obnoxii, ſed anno dein 1291. tertiam S. Franciſci regulam profeſſi ſunt.

Brigittinorum, quorum conventus in Hoboken juxta Antuerpiam fundatur circa initium ſeculi XVII.

Capucinorum, qui tres habent conventus, Antuerpiæ unum 1585. Liræ alterum 1628. tertium in pago de Meerſel an. 1687.

Carmelitarum calceatorum unicum eſt Antuerpiæ cœnobium ab an. 1485. Diſcalceatorum vero in eadem civitate an. 1618.

Carthuſianorum bina ſunt monaſteria, nimirum Antuerpiæ, itemque Liræ. Primum juxta Silvamducis an. 1471. fundatum *domus S. Sophiæ* dicebatur. Capta vero a fœderatis Belgis Silvaducis, Carthuſia illa migravit Antuerpiam circa annum 1632.

Alterum nunc eſt Liræ olim in vico de kiele prope Antuerpiam fundatum an. 1320. ſed anno 1550. Liram tranſlatum.

Cellitarum ſive Alexianorum bini quoque ſunt conventus, Antuerpiæ & Liræ, hîc fundati anno 1460. illic vero an. 1345.

Dominicanorum duo ſunt cœnobia, unum Antuerpiæ S. Paulo ſacrum, cura ſenatus populique Antuerp. erectum an. 1243. religioſis e conventu Argentinenſi in Germania evocatis. Liræ alterum fundatum an. 1612. & an. 1687. ab Antuerp. a quo prius pendebat, ſejunctum.

Franciſcanorum conventus quatuor ſunt, Antuerpiæ ab anno 1449. Herendalii anno 1452. Turnhauti 1649. Hooghſtratæ an. 1670.

Quintum Bergis ad Zomam fundatum fuerat an. 1542. ſed ſimul cum religione Romana illic deſiit.

Guillelmitarum cœnobium eſt in Huybergin tractus Antuerpienſis pago ab an. 1277.

Minimi primum in Belgio conventum Antuerpiæ obtinuere, admiſſi a ſenatu an. 1614.

Patres Societatis Jeſu Antuerpiam venere primum anno 1562. & collegia hic erexerunt tria, Liræ quartum, inſtitutum an. 1615. quintum erat Bredæ, quod jam dudum defecit, urbe a Batavis intercepta.

Neque vero prætermittendum hîc famoſum illud domus profeſſæ apud Antuerpiam templum intus & foris marmoreum ære publico excitatum an. 1614. & an. 1621. abſolutum & S. Ignatio inſtitutori nuncupatum, cujus materies ſumma impenſa & ingenti marium tractu advecta fuerat, in eo triginta ſex columnæ e pavimento marmoreo ſurgebant ad fornicem, & picturæ excellentes morabantur accedentem, verum haud ita pridem fortuito incendio in cineres redactum, e ruinis utcumque ſurrexit parciori impenſa. In ea domo reſident patres, qui rei litterariæ, imo totius reipublicæ Chriſtianæ bono, conſcribendis ſanctorum actis adlaborant, jam operis medium prætergreſſi, cui nunc incumbunt RR. PP. Johan. Bapt. Sollerius, Joh. Pinius, Guillelmus Cuperus, & Petrus Boſchius.

Sequioris ſexus in hac diœceſi plura ſunt cœnobia, ac primo quidem Albæ ſorores ord. Pœnitentium B. M. Magdalenæ Antuerpiæ ſtabilitæ ſunt an. 1312.

Annunciatarum parthenon in eadem urbe an. 1608. favore ſenatus inſtitutus.

Begginæ ſua habent Antuerpiæ, Liræ, Herendalii, Hooghſtratæ, Turnhauti & Bredæ Begginagia, & quidem in hoc poſtremo oppido, licet a fœderatis Belgis ordinibus occupato, nihilominus tolerantur.

Brigittinæ ex Anglia religionis ergo exſules ſedem Antuerpiæ fixerunt an. 1558.

Canoniſſæ regulares ord. S. Aug. quatuor habent ſub hac diœceſi parthenones, nimirum Antuerpiæ tres & Liræ unum; habuerunt & olim duos ſub marchionatu Bergizomenſi, qui jamdudum exſtincti ſunt.

Capucinæ admiſſæ fuerunt Antuerpiæ an. 1644. die 24. Auguſti.

Carmelitanæ excalceatæ tres habent conventus, binos ſcilicet Antuerpiæ, tertium Liræ.

Clariſſæ Pauperes inſtitutæ Antuerpiæ an. 1455. & Hooghſtratæ 1494.

Dominicanæ Antuerpiam traductæ ſunt an. 1621. e conventu Tamiſienſi in Waſia.

Hoſpitalariæ ægrotis curandis inſervientes ſub regula S. Auguſtini & invocatione S. Elizabetæ, ædes habent Antuerpiæ, Liræ, Herendalii, Turnhauti, olim etiam Bredæ & Bergæ ad Zomam.

Nigræ ſorores Antuerpiæ ab an. 1506. Liræ item & Hooghſtratæ conventus habent.

Præmonſtratenſium ſanctimonialium tria ſunt in hac diœceſi cœnobia, nempe Antuerpiæ, Herendalii, & in pago Ooſterhaut Bredæ vicino.

Sepulcrinæ ſub regula D. Aug. Turnhauti morantur, ibique formandæ ſui ſexus juventuti operam impendunt.

Tertiariæ ſub tertia S. Franciſci regula bina habent cœnobia, videlicet Antuerpiæ, quod *Luythagen*, Liræ alterum, quod *Syon* dicitur.

Denique Urſulanæ Antuerpiæ domicilium obtinuerunt an. 1682. primis monialibus Lira evocatis, ubi jam ab anno 1660. per moniales ejuſdem inſtituti Ruræmundenſes conventus inſtitutus fuerat. Sunt & Antuerpiæ plura pauperum xenodochia variaque noſocomia.

EPISCOPI ANTUERPIENSES.

NIGRI.

I. PHILIPPUS.

ANNI CHRISTI

PHILIPPUS in Morinis natus, (uti recte animadvertit R. P. Johan. Bapt. Sollerius in actis S. Rumoldi, adversus quosdam, qui eum Italum ac Bononiæ ortum scribunt) juris utriusque doctor ac protonotarius apostolicus, vir moribus candidus, ingenio ac prudentia clarissimus, primum in supremo senatu Belgico apud Mechlinienses, an. 1520. deinde in sanctiori apud Bruxellenses consilio, necnon in eo, quod vulgo *Privatum* vocant, senator, multis etiam iisque amplissimis apud summos Reges legationibus laudatissime perfunctus, deligitur anno 1531. ab imperatore Carolo V. ordinis Aurei-velleris cancellarius; variis quoque ac primariis Belgii dignitatibus ecclesiasticis ornatus fuit: nam & præposituras S. Salvatoris in Harlebeka & S. Pharaildis Gandavi possedit & Bruxellis ad S. Gudulam, necnon Mechliniæ ad S. Rumoldum decanatu potitus est, ecclesiarumque cathedralium Leodiensis & Cameracensis canonicus & in postrema insuper Brabantiæ archidiaconus fuit.

Anno 1559. in ultimis ordin. Aurei-velleris comitiis Gandavi a Philippo II. Hispaniarum rege habitis die 25. Julii, cum Franciscus II. Galliarum rex Christianissimus equitum numero adscriptus fuisset, unus præ omnibus honorificentissimæ legationi par visus est Nigrius, qui torquem hujus ordinis ad ipsum deferret; ac primus in erectione Antuerpiensis episcopatus, cui ceterisque simul per Belgium novis instituendis strenue

1559. adlaboraverat, designaretur antistes eodem anno; sed exortis ea tempestate tumultibus, possessionem inire non potuit, ante exstinctus, quam inauguratus. Obiit anno 1562. stylo Brabantiæ 4. Januarii, hoc est an. 1563. more Romano, a calendis Jan. inchoato. Sepultus est in navi ædis collegiatæ S. Gudulæ Bruxellis, retro cathedram concionatoriam, ubi olim prostabat tumulo ejus effigies ex alabastro candido, quam Calviniani sub annum 1579. fœde violarunt. Tumulum autem istum avunculo suo posuerat Carolus de Lespinoy consiliarius regius in senatu Flandriæ ex testamento heres, adjuncta hac epigraphe, ubi alluditur ad symbolum Nigrii.

Candidæ de Nigris.

Exstinctum luget, tum plebs, tunc curia, Nigrum,
Consilium hæc ejus, altera sensit opem.
Si quid erat Nigri, tamen amplius omne repostum est
Hoc isto, tumulo, cetera candor habet.
Vive, precor, summi candore, Philippe, beatus,
Candida dum fiant, quæ modo Nigra jacent.

Tractatum quemdam posthumum reliquit, quem idem Carolus de Lespinoy ex sorore nepos postea edidit.

SONNIUS.

II. FRANCISCUS.

In præmature defuncti Philippi locum suffectus

A est Franciscus Sonnius Brabantus, alias vernaculo nomine vanden Velde, nuncupatus, ex Silvæducensi cathedra, cui primus præfuit, huc traductus anno 1570. ut sedatis utcumque rebus Belgicis primus etiam Antuerpiensem regeret episcopatum, nam antehac per bella & seditiones exortas, quinetiam contradicentibus conventu & religiosis S. Bernardi ad Schaldim, quorum abbatia in dotem episcopi cessura erat, & Bra-

ANNI CHRISTI 1570.

B bantiæ proceribus, huic ecclesiæ antistitem imponi non licebat, quæ omnia fusius digesta vide-sis in nova episcopatus Antuerp. historia.

Obstaculis illis demum submotis, possessionem nomine procuratorio nactus est eodem anno Aprilis 26. in ecclesia cathedrali & postridie in abbatia S. Bernardi; ipse vero magna solemnitate die prima Maii ejusdem anni in dictam ecclesiam introducitur, præsente Ferdinando duce Albano, Belgii gubernatore, multaque nobilium & ecclesiasticorum turma.

Vir fuit pusillo quidem corpore, at vivida mente præaltoque ingenio, summa eruditione,

C summaque in rebus agendis dexteritate præditus. In episcopatu autem multa successoribus doctrinæ ac probitatis exempla reliquit, duobus conciliis provincialibus Mechliniensibus interfuit ac subscripsit annis 1570. & 1572. varias item instituit Antuerpiæ & in diœcesi visitationes ac præsertim in ecclesia cathedrali, quas certo ordine fieri præscripsit.

Anno 1576. *librum demonstrationum ex verbo Dei de septem ecclesiæ sacramentis* vulgavit Antuerpiæ, item *statuta synodalia* die 22. Maii eodem anno in congregatione decanorum Christianitatis (ut vocant) aliorumque pastorum præ- 1576.

D lecta ac publicata fuerunt. Denique continuis pro ecclesia Dei exhaustus laboribus, pie condito testamento, quo futuro seminario Antuerp. duo florenorum millia, pauca vero abbatiæ S. Bernardi legavit, extremum diem clausit Antuerpiæ in festo apostol. Petri & Pauli, alias pridie cal. Julii, scriptorum omnium encomiis celebratus & maxime Valerii Andreæ, qui in sua biblioth. Belgica catalogum operum ejus commemorat.

Cor ejus exenteratum in monasterio S. Bernardi ad Schaldim, reliquum vero corpus in templo cathedrali magna pompa conditum fuit, cui diu post obitum, splendidum monumentum

E præsulem decumbentem exhibens, collegium canonicorum & magistratus Antuerp. erexit juxta aram principem ad latus meridionale, addito duplici epitaphio, quod sic habet.

DEO OPT. MAX.

A sole nomen mutuatus hic occidit Franciscus Sonnius, qui ab humili ortu, & per sacri studii gradus, summosque honores, apud Sylvæducenses annos IV. dein huic urbi primus antistes illuxit, utque plures per Belgium antistites darentur, legatus effecit. Vim doctæ mentis & styli hæreses

ANNI CHRISTI

senserunt, & Wormatiense colloquium. Pependit ab ore docentis Lovan. Sylvaducis, & urbis hujus populus. At sortem iniquam! Vix annos sex hic præfuit, dum ætate & meritis gravis a principe pastorum evocatus, decessit anno salutis MDLXXVI. Æternum ut vivat, lector, precare.

Altera inscriptio.

Deo Opt. Max.

Francisco Sonnio Brabantino, ex academia Lovaniensi doctori Theologo, primum Sylvæduc. post Antuerp. I. episcopo. Invicto in hæreses athletæ, hic spe resurrectionis quiescenti. Colleg. canonicorum & S. P. Q. Antuerp. Parenti optimo L. M. poni cur. Vixit ann. LXX. obiit damno publico, pridie cal. Quinct. MDLXXVI. Mortalis cum sis, mortuo bene precare. Symbolum ejus erat: *Sine onere nihil.*

De eo pluribus agemus in episcopis Sylvæducensibus. Post cujus obitum annis undecim pastore viduata mansit hæc ecclesia, ob rationes in præfatione allatas.

TORRENTIUS.

III. Lævinus.

Lævinus Torrentius *vulgo* Vander-Beken dictus, Gandavensis, patricio genere clarus, Lovanii primum litteris ac jurisprudentiæ incubuit adolescens, in utroque jure laurea postmodum donatus in eadem academia, in Italiam subinde venit & Bononiæ paulum substitit, Romæ autem, ubi per plures annos moram traxit, doctorum hominum plurimorumque S. Rom. E. cardinalium consuetudine usus est, quos deinceps per litteras coluit.

In Belgium redux & legationibus domi forisque spectatus, ab Erardo a Marca cardin. ac Leodiensium principe ad contubernium invitatur & canonicus cathedralis ecclesiæ sancti Lamberti constituitur; fuit & archidiaconus Brabantiæ, necnon in spiritualibus ac temporalibus vicarius generalis in eadem diœcesi sub Gerardo Groesbequio cardinali & episcopo Leodiensi & Ernesto Bavaro ejus successore, quibus erat acceptissimus: sed & ab eodem Gerardo Romam mittitur de rebus cleri Leodiensis tractaturus apud summos pontifices Pium V. & Gregorium XIII. quorum postremo ita gratiosus fuit, ut ipsum aurea clave decoratum cubiculo suo præfecerit pontifex: inde reversus, interfuit anno 1577. principis Leodiensis nomine, Marcæ in Famenna initis Belgas inter & Johannem Austriacum, quem Philippus II. Hispaniarum rex Belgio gubernatorem destinaverat, pacis conditionibus, ubi conciliatorem agens, fœderis auctor & angelus pacis audivit in populo Torrentius, sed fracta subinde partium inconstantia pace, Coloniam Agrippinam, quo legati etiam Cæsarei convenerant, iterum ablegatur, ut eam reformaret, sed irriti cecidere conatus: porro de hac legatione scriptum exaravit hactenus ineditum. Tot in rempublicam meritis illustris, episcopus tandem nominatur Antuerpiensis a Rege Catholico, & sacro inungitur chrismate an. 1587. die Sept. 10. a Johanne Hauchino Mechliniensi archiepiscopo: mox operi se accingens, res sacras ab hæreticis violatas pristino splendori reposuit, ecclesias reconciliavit complures, monasteria restituit, & devios a fide, qui septem mille vel circiter numerati referuntur, ad avitam religionem perduxit.

Ejectos e patria, bonisque ob fidem catholicam spoliatos benigne suscepit, liberaliter fovit, ac in his præcipue Millerium Hilguinum archiepiscopum Thuamensem in Hybernia, qui ob religionem Romanam sede sua pulsus & solum vertere coactus fuerat, hospitio ac mensa excepit, mortuumque an. 1590. in ecclesia cathedrali condidit.

A Rege Catholico ad consilium status Belgii ob summam in rebus patriæ experientiam postea accitus, archiepiscopus quoque Mechliniensis, Johanne Hauchino & Guillelmo Alano ejus successore designato defunctis, renuntiatur; verum pontificio diplomate nondum confirmatus, decessit septuagenarius Bruxellis 25. Aprilis anno 1595. legata patribus Societatis collegii Lovaniensis lectissima ac numerosissima bibliotheca, in quos præterea munificus adeo fuit, ut merito eorumdem collegium fundasse dicatur.

Historiam, Philosophiam, Poësim mirifice coluit hic præsul, antiquitatis in primis studiosus, juris quoque prisci gnarus, uti scripta ejus a Valerio Andrea in bibliotheca Belgica relata testantur; commentarium eruditum in *Suetonii Cæsares* iterum evulgavit. In Horacii quoque Flacci opera volumen annotationum edidit, & in carmine Lyrico in tantum excelluit ut christianæ lyræ princeps meruerit appellari: plura demum alia MS. ad ecclesiam remque publicam ac litterariam spectantia reliquit. Sepultus est in choro cathedralis ecclesiæ ad Meridiem, ubi marmoreus ejus visitur tumulus, cum hac inscriptione.

D. O. M.

Lævinus Torrentius patria Gandavensis, litteris & legationibus domi forisque spectatus; ex archidiacono & principis Leodiensis vicario generali, secundus Antuerpiensium episcopus, tertius Mechliniensis archiepiscopus designatus, collegii Societatis Jesu apud Lovan. fundator, ad rerum status Belgii consilium accitus, dum periclitantem rem-publicam, fractus viribus, animo infracto, consiliis sustento, Bruxellis decessi VI. calend. Maias M. D. XCV. Vixi ann. LXX. mens. I. diebus XVIII.

De eo cum laude meminerunt Laurentius Beyerlinck in chronico, Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Severtius in Athenis, Sanderus & alii quamplures, inter quos Maximilianus Urientius senatui populoque Gandav. a secretis & celebris sui ævi poëta, elegiaco carmine tanti viri funus prosecutus est.

Erat præsuli Torrentio symbolum, *Deum sequere.*

DE BERGHES.

IV. Guillelmus.

De hoc præsule jam egimus in archiepiscopis Camerac. Antiqua ac perillustri apud Brabantos prosapia baronum de Grimbergen satus, patrem habuit Ferricum de Glymes baronem de Berghes

ANNI CHRISTI

bellica virtute inclytum, matrem vero Annam A Sterck dominam de Bucquoy, Wyneghem, Stabroeck, Lichtaert, &c. inter proles septemdecim tertio genitus.

Dolam primum Sequanorum in Burgundia missus ad studia litterarum, celeberrimas inde lustravit academias, Paduanam scilicet ac Bononiensem in Italia, ubi altioribus theologiæ ac juris disciplinis incubuit. Ac demum Romæ laurea utriusque juris doctorali insignitus, inter prælatos domesticos adsciscitur a Gregorio XIII. summo pontifice, a quo postea an. 1578. pileum cardinalitium Gerardo Groesbequio Leodiensi episcopo ac principi delaturus in Belgium remit- B titur. Canonicatum subinde in Leodiensi S. Lamberti ecclesia donatus, variis pro eodem antistite Gerardo, apud quem magno semper in honore fuit, legationibus defungitur, in decanum postea ejusdem ecclesiæ cathedralis communibus canonicorum suffragiis assumtus, episcopus tandem Antuerpiensis, serenissimi Alberti Belgarum principis nominatione, renuntiatur an. 1597. & 29. Martii die anni subsequentis rite inungitur Antuerpiæ in ecclesia sua cathedrali a Matthia Hovio Mechliniensi archiepiscopo, assistentibus Petro Damant Gandavensi & Gilberto Maës Buscoducensi præsulibus.

Triennio tantum verbo & exemplo huic præluxit ecclesiæ, inde ob eximiam prudentiam ad Cameracensem archiepiscopatum evectus anno 1601. ubi de eo vide,

Symbolo utebatur, *momento æternitas.*

MIRÆUS.

V. JOHANNES I.

Bruxellensis patria Johannes, Humberti le Mire mercatoris filius ex Maria Cueleus ejus uxore, natus est anno 1560. die 6. Januarii. Lovanii primum in collegio Castrensi philosophiæ dedit operam, inde ob bellicos motus Duacum recedere coactus, secundum in promotione artium D locum obtinuit, dein sacris scientiis eruditus licentiæ gradum in theologia consequitur, litteras Græcas & Rhetoricam jam antea professus ibidem in collegio regio. Duaco evocatus, decanatu Rothnacensi recusato, quem ipsi Mechliniensis archipræsul obtulerat, Namurcensi etiam canonicatu sponte dimisso, pastor ecclesiæ beati Jacobi in Frigido-monte Bruxellis constituitur, dumque hic animarum saluti totus incumbit, ad divæ Gudulæ templum præbenda decoratur.

Demum ad infulas Antuerpienses, sola virtutum fama & absque ullo ambitu, invitus rapitur, ab archiducibus Belgii Alberto & Isabella no- E minatus an. 1602. litteris Gandavi datis mense Julio. Pontificio interim diplomate confirmatus, episcopus inauguratur Antuerpiæ in æde cathedrali, Dominica die post Ascensionem Domini 30. Maii anno 1604. sacra faciente Matthia Hovio Mechlin. archipræsule, eique collaborantibus Petro Damant Gandav. & Francisco Buisseret Namurcensi præsulibus.

Antistes factus, omnia vigilantissimi pastoris munia sedulus implevit. Concilio provinciali

1607. Mechliniæ interfuit an. 1607. ac triennio post diœcesanam synodum ob turbulenta bellorum tempora numquam antea convocatam, primus ipse Antuerpiæ coëgit, in qua præmissa coram clero eleganti oratione, leges tulit sanctissimas, quæ postea typis Plantinianis ejus cura, una cum oratione in vulgus prodierunt. Scripsit autem & alia opuscula.

Pauperem & in fide rudiorem juventutem edoceri curavit scholis dominicalibus institutis; eo etiam sedente Augustiniani eremitæ in urbem inducti monasterium construunt, & gymnasium ad studia litterarum aperiunt: Annuntiatæ quoque virgines e Lovanio advocatæ stabiliuntur. Pactis eo tempore fœderatos ordines inter & Belgarum principes induciis, maximam suæ diœcesis partem versus Bredam & Bergizomum a nullo hactenus antecessorum visitatam primus ipse adivit. Confirmationis sacramento complura fidelium millia perfecit, templum Hooghstratanum lustravit & expiavit, Catholicos sub Batavorum ditione positos ab hæreticorum vexationibus suo apud Principes favore eripuit.

Seminarium episcopale erexit, quod moriens opibus ditavit, in academia item Duacena amplam sex bursarum fundationem reliquit. Denique Bruxellis agens, Januarii 12. die, quo incruentam C de more hostiam Deo obtulerat, sub noctis medium subita humorum distillatione præfocatus interiit anno M. DC. XI. Corpus inde Antuerpiam delatum magno patriæ luctu sepelitur in æde pri- 1611. maria divæ Virginis, ubi tumbam habet marmoream in choro ad partem meridionalem, cum hac sepulcrali inscriptione:

D. O. M. S.

Johannes Miræus episcopus Antuerp. quartus H. S. E. qui oblatam sibi fama virtutis dignitatem, cum diu recusasset, sic ut cogendus foret, ea vigilantia, magnanimitate, integritate, benignitate, ac prudentia gessit, ut virum muneri, non munus viro datum appareret. Sed heu fidem sortis humanæ! vixdum septimam turbidis tempestatibus messem hoc colono perindustrio, Antuerpia, gustaveras, cum serenato per inducias tandem reipublicæ cælo, infelice catarrhosæ guttulæ defluxu, tu spe uberioris frugis, ipse vita excidistis, Januarii die XII. anno salutis M. DC. XI. suo LII. ineunte. Omnibus, etiam hostibus, luctuosus.

Piis ut manibus sit quies, quisquis hæc legis, Deum venerans precare.

Chronicon.

non ConfUnDar In æternUM, Psal. 30.

De vita rebusque gestis a Miræo legi possunt orationes funebres Johannis Delrio dec. Antuerp. in ejus exsequiis, Johannis a S. Laurentio, & parentalia Laurentii Beyerlinck. S. T. L. & cathedr. Antuerp. canonici, necnon primi a Miræo instituti seminarii præsidis qui hocce pio præsuli encomium posuit, quod hic attexere juvat.

Johannis Miræi Bruxellensis IV. Antuerpiensium episc. vultum hic vides spectator: neque enim heroïcam ipsius mentem, qua semper alta complexus, exigua tabella ceperit.

ANNI CHRISTI

Ille, ille est, cujus in Deum religio & pietas,
Erga homines affectus & benignitas,
In privata vita candor & integritas,
In publica splendor & dignitas,
In agendo prudentia & sedulitas,
Morum felicitas domi forisque.
Quæ virtutes una cum eruditione
Summæ in illo fuerunt,
Apud nos posterosque perenni elogio celebrabitur.
Hujus industria & labore,
Diœcesis Antuerp. multum collapsa
Pristinum, & pristino ampliorem splendorem recepit.
Surrexit ejus auspiciis hoc seminarium clericorum;
Quod vivens fovit, & moriens opibus cumulavit,
E quo mox missi in omnem vineam operarii,
Ecclesiarum visitationes hoc speculatore resumtæ:
Virginum cœnobia optimis institutis stabilita;
Et cæremoniarum sacrarum introductæ formulæ.

Summa est.

Quod olim urbi æternæ Octavianus Cæsar,
Id præstitisse Antuerpiensi ecclesiæ
Jure quis hunc dixerit:
Lateritiam prius eam invenisse,
Et non integro septennio quo præfuit,
Marmoream reliquisse
Sed heu! meditantem majora
Catarrhi defluxus rapuit in patria
Anno salutis humanæ M. DC. XI. die XII. Januarii.
Postquam vixisset annos LII. meritorum plenus.
Laurentius Beyerlink S. T. L. canonicus &
Archipresbyter ecclesiæ cathedralis Antuerpiensis;
Ac primus hujus seminarii præsidens,
Antistiti opt. de se merito pos.

Symbolum ipsi erat, *Futura prospice.*

Exstant ad Miræum epistolæ duæ justi Lipsii 90. & 96. Cent. 5.

MALDERUS.

VI. JOHANNES II.

Leeuwæ, Brabantiæ municipio, altero a Bruxellis lapide natus est Johannes Malderus probis honestisque parentibus. Duaci philosophiam edoctus, Lovanii postea in pædagogio Porci alios hanc artem edocuit, inde ad sacra studia animum appellens theologiæ magisterio meruit insigniri anno ætatis trigesimo primo, mox canonicatu ecclesiæ divi Petri ac professoris regii munere ornatus, docendi provincia totis sexdecim annis magna cum laude perfunctus est, uti testantur ingenii sui monumenta acri emunctoque judicio conscripta. Regium hinc pastorum seminarium Lovaniense per annos tredecim rexit, donec virtutum ejus fama percrebrescente episcopali honore dignus omnibus visus est, & Antuerpiensis ecclesiæ solio destinatus a Belgii principibus, pontificia decora solemni ritu sumsit die 7. Aug. anni
1611. 1611. sacro chrismate delibutus, Matthiæ Hovii metropolitæ Mechliniensis ministerio, & opem ferentibus Carolo Masio Gandav. & Jacobo a Castro Ruræmundensi episcopis. Eluxerunt in eo summa animi moderatio in præcellenti doctrina, A in moribus modestia singularis, in dignitate humilitas, in admissionibus facilitas, in sermone juncta cum gravitate comitas, in vultu denique amabilis benignitas: viginti duobus annis ecclesiam hanc gubernavit, verbo & exemplo subditos ad pietatem accendens, vere pastor ovium & pater pauperum. Magnificum in academia Lovaniensi theologorum erexit collegium, in quo studiosos e familia sua tum materna oriundos potiorem obtinere locum in distributione bursarum voluit, apud quos pia præsulis erga consanguineos liberalitas & memoria in benedictione est. Tandem septuagenario major in fata concessit An-
B tuerpiæ 21. Octob. 1633. sepulcro illatus in 1633.
choro cathedralis ecclesiæ ad partem Aquilonarem sub splendido monumento marmoreo, cui insculpta est hæc epigraphe.

DEO S. ET MEMOR. POSTERITATIS.

Depositum Johannis Malderi episcopi Antuerpiensis V. cui viro Leeuwa S. Petri lucem, Bruxella litteras, Duacum philosophiam, Lovanium per omnes studiorum gradus, doctoral. Theologiæ lauream, Doctrinæ prærogativa lectionem publicam, Prudentia seminarii regii curam, Fama virtutis eximiæ, insignis hujus cathedræ dignitatem,
C *nihil exspectanti, ex merito contulere. In qua cum regendo, providendo, docendo, scribendo, vivendo, pius, benignus, pervigil, bonus, fidelis, carus omnibus ac venerabilis, pater, pastor, præsul, præfuisset, profuisset, præluxisset annis XXII. mensibus II. diebus XIV. ad mercedem laboris consequendam evocatus, decessit ætatis suæ anno LXXI. mensis tertii die XI. Christi Domini M. DC. XXXIII. XII. cal. Novembris.*

Symbolum habebat a nominis etymologia derivatum, *Malo De re.* Exstant ejus opera Antuerpiæ prelo Plantiniano vulgata, in primam partem D. Thomæ, *D. SS. Trinitate, creatione in genere*
D *& Angelis.* Item in primam secundæ, *De legibus, Gratia, &c.* In secundam secundæ *De Fide, spe, Caritate, de Jure & Justitia, &c.* quibus postmodum alia accesserunt, ut, *Antisydonica*, sive animadversiones in decreta conventus Dordraceni: *De Abusu restrictionum mentalium, de sigillo confessionis sacramentalis, commentarius in Canticum Canticorum, Meditationes Theologicæ, Instructio catechetica ad subditos.*

VII. GASPAR.

NEMIUS.

Patria Brabantinus, civitate Silvæducensis, iisdem cum antecessore suo exordiis ac gradibus
E ad episcopale culmen viam sibi stravit. Sub eximio viro Guillelmo Estio doctore in academia Duacena educatus Theologiam hausit, inde Viroviaci vulgo *Werwick*, Flandriæ oppidulo in diœcesi Iprensi pastorem egit. Duacum postea revocatus, magistro e vivis sublato, successor renuntiatur a serenissimis Belgii principibus, tum in præfectura seminarii regii theologorum, tum in publica scripturæ sacræ explanatione, Doctorali laurea postmodum insignitus, canonicatu quoque in ecclesia divi Petri Duaci cohonestatur, ac theologiæ professor ordinarius & regius constituitur,

ANNI CHRISTI

quod munus viginti circiter annorum spatio, A
summo omnium concursu & applausu in scholis Duacensibus exsecutus est.

Eximiis tandem dotibus illustris, doctrina, prudentiaque singulari commendatus, cathedræ Antuerpiensi præficitur à Philippo IV. Hispaniarum rege Catholico die 23. Maii an. 1634. tum bulla Urbani VIII. Rom. pontificis confirmatus, in episcopum sacro ritu inungitur Antuerpiæ in æde cathedr. die 22. Julii anni subse-
1635. quentis a Jacobo Boonen Mechliniensi archipræsule, cui adjutores exstiterunt Antonius Triest Gandav. & Michaël Ophovius Silvæduc. ejusdem provinciæ episcopi. Statuta edidit synodalia, B
sibique & doctrinæ ex Apostoli præcepto attendens, omnia vigilantissimi pastoris munia sollicitus implevit. Cum monachis abbatiæ suæ S. Bernardi ad Schaldim transegit an. 1636. eisque sibi in omnibus tanquam abbati proprio antea subditis, regularis in posterum e gremio suo eligendi abbatis facultatem indulsit, monachis vicissim insignem bonorum suorum portionem episcopo transmittentibus.

Cumque huic ecclesiæ per annos circiter decem & septem præfuisset, a Cameracensi capitulo in archiepiscopum postulatus, accedente Regis Catholici consensu, & summi pontificis diplomate C
1652. ad metropolim Cameracensem transiit an. 1652. ubi de eo vide,

Symbolo utebatur: *Attende tibi & doctrinæ*, 1. Tim. 4. 16.

CAPELLO.

VIII. MARIUS AMBROSIUS.

Nemio subrogatus est Marius Ambrosius Capello ex ordine Prædicatorum assumtus. Is patre Francisco nobili Casaliensi Italo, matre Maria de Boxhoun de Eyck ejus uxore Antuerpiæ natus est. A pueritia sedulo educatus, decimum septimum ætatis suæ annum agens S. Dominici familiæ nomen dedit in patria, inde a superioribus post D
nuncupata religionis vota, in Hispaniam studiis theologicis in academia Salmanticensi erudiendus mittitur.

In Belgium redux, Duaci primum, tum Lovanii philosophiam apud suos adhuc Juvenis professus est, mox theologico studio per triennium præfectus, doctoris insignia in eadem academia consequitur anno ætatis suæ trigesimo. Variorum postea conventuum regimini admotus, potioribus etiam ordinis sui muneribus summa cum laude perfunctus est, missionis etiam Hollandicæ ac Germanicæ præfecturam gessit.

Romam dein ablegatus, in comitiis ordinis E
generalibus anni 1644. in provincialem Terræ-Sanctæ & primarium magistri generalis Thomæ Turci tunc electi socium cooptatur, ab eodem subinde commissarius generalis per provincias Belgii, Bohemiæ, Stiriæ & Carinthiæ constitutus.

A Philippo IV. Hispaniarum rege, cui eximiæ ejus dotes ac merita probe perspecta erant, quique suo sæpius eum honoraverat alloquio, ad Iprenses tandem infulas designatur an. 1647. verum intercepta tunc temporis per Gallos civitate, dilata est ejus consecratio, donec translato ad Cameracensem ecclesiam Gaspare, uti jam diximus, Antuerpiensibus datus est episcopus, & ab ipso antecessore inauguratus in ecclesia sua cathedrali die 13. Sept. anno 1654. adjuvantibus in re sacra 1654.
Antonio Triest Gandav. & Andrea Cruesen Ruræmundensi præsulibus.

Gregi suo ex illo tempore invigilavit omni cura ac sollicitudine, seminario pro suæ dioecesis pastoribus erecto, qui per ætatem jam provectam aut infirmam valetudinem, vel labores continuos pastorali ferendo oneri impares essent, ad quod opus uno eodemque die centum undecim florenorum millium & sexcentorum summam contulit anno 1674. 24. Martii: erga sui ordinis cœnobium 1674.
Antuerpiense munificus quoque fuit, quod pluribus novis auctum ædificiis, studio etiam generali philosophiæ ac theologiæ ornavit. Aliis etiam piis fundationibus clarus, S. Thomæ Aquinatis & S. Dominici festa solemni ritu celebranda curavit, uti etiam suum anniversarium. Denique rebus humanis eximitur Antuerpiæ die 4. Octob. anni 1676. ætatis 79. scriptis bonorum suorum 1676.
heredibus ex asse pauperibus civitatis suæ. Jacet in choro ecclesiæ cathedralis ad Meridionale latus, sub tumba marmorea, quam sibi vivens erexerat, cui additum est hoc elogium:

DEO OPT. MAX.

Fr. Marius Ambrosius Capello, ex denominato Iprensi, VII. episcopus Antuerpiæ, ibidem natus anno M. D. XCVII. & ord. Prædic. professus an. M. DC. XIII. Obiit an. M. DC. LXXVI. IV. Octob.

Alteram inscriptionem pii præsulis memoriæ pauperum curatores posuere, quæ sic habet.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino, Fratri Ambrosio Capello ord. Fratrum Prædicator. VII. Antuerpiensium episcopo, in vita & morte archieleemosynario (satis dixi) eleemosynarii ex asse heredes pio & grato animo PP. A. MDCLXXVI.

Symbolum ejus erat: *Omnia desuper.*

Arnoldus Eyben Hasselensis, S. Th. L. canonicus theologalis Antuerp. funebri eum oratione typis edita prosecutus est.

IX. AUBERTUS.

Vanden EEDE.

Bruxellæ, patre Ludovico causarum patrono, matre Elizabetha le Mire Johannis Antuerp. episcopi sorore ortus est Aubertus J. U. licentiatus & protonotarius apostolicus, inde ex canonico, scholastico, thesaurario, librorum censore, archidiacono cathedralis ecclesiæ Antuerp. & vicario generali, sede vacante, epicopale solium ascendit, pontificali charactere insignitus Bruxellis die ultima Octobris anni 1677. sacra faciente 1677.
Alphonso de Berghes archiepiscopo Mechliniensi & cooperantibus Francisco de Boullencourt Brugensi & Reginaldo Cools Ruræmundensi præsulibus.

Vix per annum tenuerat hanc cathedram, cum morbo pestilenti tunc per urbem grassante

ANNI CHRISTI

correptus decessit Antuerpiæ die 6. Nov. an. A 1678. ætatis vero suæ 75. humatus in choro ecclesiæ suæ, nullo adhibito titulo aut alio monumento. Dictum ejus gentilitium fuit *Jurejurando* facta ad nomen familiæ allusione.

DE BEUGHEM.

X. JOHANNES FERDINANDUS.

Bruxellis nobili ac patricio genere satus Johannes Auberto suffectus est, qui primum in academia Lovaniensi J. U. licentiatus, inde ad divæ Gudulæ templum in patria canonicus, postea etiam per plures annos decanus fuit : ob præclara tandem virtutum merita ad Antuerp. cathedram
1679. evectus an. 1679. episcopus consecratur Bru- B xellis in sacello palatii archiepiscopalis die 12. Novemb. eodem anno ab iisdem consecratoribus decessoris.

Diœcesim hanc viginti circiter annis gubernavit, pastorali sollicitudine & sincera erga gregem sibi commissum caritate commendatus. Naturæ concessit 19. Maii anni 1699. ætatis vero suæ 69. Jacet in choro ecclesiæ cathedralis sub lapide marmoreo, cui hæc addita est epigraphe :

D. O. M.

Johannes Ferdinandus de Beughem nonus Antuerpiensium episcopus, gregi suo & omnibus carus, C *ut verus pastor cura duxit, caritate juvit, opere luxit, qui vivus de se humiliter tacuit, loquatur mortuus.*

CUM DUXI, JUVI, LUXI
Ut lux perpetua ei luceat V. V.

Symbolo utebatur : *virtute & constantia.*

COOLS.

XI. REGINALDUS.

Reginaldus, de quo in Ruræmundensibus episcopis uberior sermo recurret, ad Antuerpiensem in patria traducitur cathedram Caroli II. Hispaniarum regis nominatione, cui accessit con- D
1700. firmatio pontificia die 9. Junii anni 1700. Præfuit autem huic ecclesiæ annis sex & amplius ex ordine Dominicano secundus, iis ornatus virtutibus, quas Apostolus ad Titum & Timotheum scribens requirit in episcopo, vere pater pauperum, quibus omnia largiter distribuebat, & quia episcopi est, quod idem Apostolus ait : *Prædica verbum*, usque in senectam & senium prædicare non desiit, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia & doctrina. Uno verbo omnibus omnia factus, soli Deo, ovibus sibi commissis, Regi, legi ac patriæ vixit.

Tandem senio gravis laboribusque fractus pie E obdormivit in Domino ferme nonagenarius die
1706. 2. Decembr. anni 1706. quem funebri oratione prosecutus est R. P. Franciscus van Huyssen ord. Præd. sacræ theologiæ doctor. Tantæ erat proceritatis ut integro fere capite quoslibet justæ staturæ superemineret. Sedes quinquennio vacavit.

ANNI CHRISTI

FRANCKEN SIERSTORPFF.

XII. PETRUS-JOSEPHUS.

Bonnæ in Germania apud Ubios clara & antiqua ortus parentela, patrem habuit Andream archiepiscopi electoris Coloniensis consiliarium intimum, matrem vero Catharinam Buschman. Eximia virtutum specimina adolescens dedit, ac post humaniores litteras, philosophiæ cursum mensus est Coloniæ in collegio Laurentiano sub Francisco patruo gymnasii præfecto; inde Romam ad altiora studia venit, quibus evolutis, in patriam redux, juris utriusque doctor in academia Moguntina renuntiatur an. 1693. tum præbenda primum in ecclesia S. Andreæ Coloniensi cohonestatus, inde ad presbyteralem ac capitularem in metropolitana electorali, necnon perillustri beatæ Mariæ Virginis in Capitolio ejusdem urbis ecclesiis promovetur, simulque in præfectura gymnasii Laurentiani patruo suffectus est, quod munus decem & octo annis praeclare gessit, variis interim ad varios electores imperiique principes pro capituli sui electoratusque Coloniensis negotiis, legationibus perfunctus, aliquandiu etiam apostolicam nunciaturam ad partes Rheni, absente Nuncio, administravit.

Hisce tandem gradibus ad infulas Antuerpienses Caroli VI. imperatoris Belgiique principis nominatione designatus an. 1710. ac pontificio 1710.
diplomate confirmatus, consuetum juramentum præstitit Bruxellis coram consilio status Belgii die prima Octobris anni 1711. & ejusdem mensis die 25. solemni ritu inauguratur episcopus Coloniæ in sacello monialium in Agnello vulgo *Lamken* dictarum, ubi soror ejus abbatissa præerat, sacris operante Johan. Baptista Bussi tunc S. sedis ad tractum Rheni aliasque Germaniæ partes Nuncio apostolico, nunc S. R. E. cardinali, eique assistentibus & opem ferentibus Adamo Daemen archiepiscopo Adrianopolitano, apostolico per provincias fœderati Belgii vicario, & Wernero Veyder episcopo Eleutheropolitano suffraganeo Coloniensi. Porro in cathedræ suæ possessionem solemniter inductus est die 14. Decembris eodem anno. Sub initium vero anni 1716. una cum Philippo Erardo Vander-Noot 1716.
episcopo Gandavensi ceterisque provinciarum Brabantiæ, Flandriæ ac Limburgi deputatis ad eumdem Carolum VI. imperatorem ablegatur, tum ut Cæsareæ majestati de adepta Belgii possessione gratularetur, tum ut patriæ bonum remque Belgicam ei commendaret ; qua legatione feliciter impleta, aurea cruce gemmis ornata ab Imperatore donatus, ad suos rediit : paulo post ordinum Brabantiæ iterum deputatus, Hagamcomitis adivit, ut de rebus patriæ coram fœderatarum provinciarum statibus ageret, interveniente marchione de Prié Cæsareæ majestatis legato. Obiit die 20. Oct. an. 1727. ætatis 61. 1727.

PRÆPOSITI ALIQUOT ECCLESIÆ ANTUERPIENSIS.

Dignitas olim primaria capituli Antuerpiensis penes præpositos erat, ut discimus ex nova hujus ecclesiæ historia Leodiensibus typis vulgata an. 1717. Hi porro sunt, quos ejus auctor sibi a R. patre Daniele Papebrochio suppeditatos ingenue fatetur.

I. HILDOLPHUS, alibi dictus Heldewinus, præpositus S. Michaëlis Antuerpiæ, hanc ecclesiam suam S. Norberto ejusque sodalibus transcripsit, ac primus in ecclesia B. Mariæ resedit anno 1124.

II. Raynerus anno 1157. bullam ab Adriano papa obtinuit: memoratur in litteris Clementis papæ de residentia canonicorum.

III. Robertus præerat circa annum 1201. quo tempore probavit fundationem præbendæ factam a Jotha divite matrona. Memoratur in litteris de beneficio in Milleghem 1206. & anno sequenti instituit quoddam beneficium, cui reditus assignat.

IV. S. archidiaconus Cameracensis & præpositus Antuerp. 1210. & 1213. de residentia capituli

V. Guillelmus præpositus anno 1219. transigit cum Arnoldo abbate S. Michaëlis.

VI. Johannes de Craeyhem Bonnensis & Antuerp. præpos. ab anno 1220. occurrit an. 1237. in litteris de sepultura hospitalis domus & an. 1240. in aliis litteris pro erectione duodecim novarum præbendarum, ex Miræo.

VII. Gobertus de Perweys filius Guillelmi de Lovanio, cujus pater erat Godefridus III. dux Lotharingiæ & comes Lovaniensis, fuit præpositus eccl. S. Gertrudis Nivellæ & B. M. Antuerp. quo adhuc superstite & annuente, statutum est ut post ejus decessum & deinceps præpositura exstingueretur, cujus jura ad decanum translata sunt, quod subinde Nicolaus episc. Camerac. ratum habuit & ab Alexandro IV. & Urbano etiam IV. Romanis pontificibus confirmatum est.

SERIES DECANORUM ANTUERPIENSIUM,

a tempore exstinctæ præpositura, *id est* ab anno 1257.

I. HENRICUS I. NOSE primus ab exstincta præpositura, anno 1271. testamentum suum condidit.

II. Ægidius de Wineghem 1277. 1279. 1283. & 1285. Testamentum scripsit 1290. creato beneficio in ecclesia monialium S. Victoris commendatus.

III. Michaël Amicus, de quo sic habet quoddam vetus necrologium. *Anno 1400. obiit Romæ D. Michaël Amicus III. decanus ad S. Mariam Antuerpiæ, cujus ossa Antuerpiam relata, condita fuerunt in choro ante majus altare, ipse est, qui Turnhautanos canonicatus fundavit, & conventum canonicorum regularium in Corsendonck.*

IV. Hugo Knocke.

V. Johannes I. de Bruxella.

VI. Nicolaus de Castro.

VII. Theodoricus Loose.

VIII. Arnoldus Gourle.

IX. Johannes II. Volckaert

X. Johannes III. de Ponte.

XI. Anselmus Fabri de Breda protonotarius apost. archidiac. Hannoniæ in ecclesf. Leod. & Eugenii papæ IV. referendarius an. 1437. antea fundator capellaniæ ad altare sacri præputii, ante quod sepeliendum corpus ejus Roma allatum fuit an. 1449.

XII. Faustinus de Valle.

XIII. Henricus II. de Zoemeren doctor theologus Paris. ex primis Lovan. academ. institutoribus, obiit Romæ an. 1472.

XIV. Johannes IV. de Montemirabilii Calvomontanus e diœcesi Lingonensi, Sixti IV. papæ familiaris ac referendarius, qui hunc decanatum ipsi contulit, necnon canonicatum Cameracensem, fuit etiam episc. Vasionensis, & obiit an. 1479. vide in episcopis Vasionensibus.

XV. Petrus de Maio accepit possessionem 24. Aprilis 1475.

XVI. Franciscus I. de Busleiden possessionem nactus est prima Octobris 1498. Fuit insuper præpositus ecclesf. Leod. & S. Donatiani Brugis, necnon archiepisc. Bisuntinus. Obiit an. 1502. die 22. Aug. *al.* 23.

XVII. Gismondus Hofweger in possessionem inductus est 19. Decemb. 1502.

XVIII. Adrianus Sandelicus possessione donatur 7. Oct. 1507. Sepelitur an. 1513. in ecclesia B. Mariæ Antuerp. sub hoc epitaphio.

Hoc tumulo Musæ, Charites, Astræa quiescunt.
Quo sua Sandelicus membra Adrianus habet.

Quidam hîc inserunt qui postea fuit Romanus pontifex Adrianus VI. dictus, sed id non omnino certum.

XIX. Jacobus Bavisius accepit possessionem 26. Aprilis 1613.

XX. Johannes V. Naturelli possessionem apprehendit ultima Februarii 1531. *al.* 1530.

XXI. Rogerius de Taxis Mechliniensis, J. U. doctor ac sanctæ Romanæ ecclesiæ protonotarius, filius Johannis Bapt. de Tassis cursorum Carolo V. imperante magistri, in possessionem immittitur die 16. Martii 1545. præpositus insuper ecclesf. D. Petri Lovanii, eoque nomine cancellarius academiæ

academiæ per annos 61. obitaque pro Rege Hispaniæ ad Pontificem legatione celebris. Decessit octuagenarius Antuerpiæ anno 1593. postridie idus Martii, abdicato prius decanatu. Jacet in templo patrum Bogardorum.

XXII. Carolus Masius Rogerii ex sorore nepos, avunculo adhuc superstiti successit die 18. Maii 1590. inde creatus an. 1607. episcopus Iprensis, ac demum Gandavensis.

XXIII. Johannes VI. Del Rio Brugensis J. U. licentiatus ex officiali & archidiacono cathedral. ecclesf. Antuerp. decanus obiit 1624.

XXIV. Aubertus Miræus vulgo *Le Mire*, Bruxellensis, sacræ theolog. licentiatus, Johannis Miræi Antuerp. episcopi ex fratre nepos, cum in negotiis tractandis industria plurimum polleret, missus est a patruo an. 1610. ad Batavos, postea in Galliam pro religionis causis, inde ex canonico scholastico creatur decanus an. 1624. vicarius generalis quoque fuit episcopi Antuerp. necnon Alberto Austriaco Belgarum principi a consiliis & eleemosynis primus, ejusque bibliothecæ præfectus. Moritur Antuerpiæ 19. Octob. an. 1640. sepultus in choro cathedralis ecclesiæ cum epitaphio. Vir certe magnus, antiquitatis studiosus, & scriptis editis (quæ plurima exstant) celeberrimus. Ejus elogium legitur in bibliotheca scriptorum Belgii apud Valerium Andream.

XXV. Franciscus II. Dingens Coloniensis, J. U. doctor, ex canonico & thesaurario decanus hujus ecclesiæ confirmatur, possessionem adiit die 24. Maii 1641. exstinctus an. 1657.

XXVI. Henricus III. Teller J. U. licent. gubernatoribus Belgii a sacris oratorii, cærimoniarumque sacelli regii magister, ex canonico B. Gudulæ Bruxellis instituitur decanus Antuerp. & admittitur die 7. Januarii 1658.

XXVII. Henricus IV. van Halmaele Antuerp. J. U. licent. ad decanatum receptus an. 1672. cui ad episc. Iprensem promoto subrogatus est

XXVIII. Franciscus III. Ortiz de Ybarra antea canon. D. Gudulæ Bruxellis 21. Octobris 1672. e vivis exemtus anno 1705.

XXIX. Carolus-Franciscus Tayé de Wemmel ex decano ecclesiarum collegiatarum S. Petri in in Anderlecht & B. Mariæ Teneramundæ, ad eamdem dignitatem in eccl. Antuerp. admittitur die 9. Junii anni 1705, & moritur an. 1713.

XXX. Andreas del Marmol juris utriusque licentiatus, eques ord. S. Jacobi, nosocomii Regii Mechliniæ administrator, antea canonicus ecclesiæ metrop. Mechl. designatur decanus eodem anno.

ABBATIÆ DIŒCESIS ANTUERPIENSIS.

UNICA est vetus, *Quorcolodora* dicta prope Antuerpiam, cujus abbati Firmino Rohingus & Bebelina ipsius conjux dederunt locellum suum nuncupatum *Tumme*, fortè *Turne*, in commutationem ecclesiæ infra castrum *Antuerpis* constructæ, quam pii conjuges Willibrordo episcopo tradiderunt an. 725. aut 726. Vide historiam episcopatus Antuerpiensis editam Leodii an. 1717. apud Johannem Franciscum Broncart, pag. 6. ac tomum quartum Cointii.

Sunt autem quatuor abbatiæ, quæ hactenus perseverant.

ORD. CISTERC.

LOCUS S. BERNARDI ad Scaldim.

S. Salvator Antuerpiensis.

FEMINARUM.

B. Maria de Nazareth.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

S. Michaël Antuerpiensis.

LOCUS S. BERNARDI AD SCALDIM.

MOnasterium B. Mariæ Loci S. Bernardi ad Scaldim ord. Cisterc. secundo ab Antuerpia lapide situm, initia sua debet Henrico I. Lotharingiæ duci, qui villam *West malle* tertio lapide a Lira, cum omni allodio ad eamdem pertinente, & quidquid ibidem sui juris erat in decimis, pratis, aquis, pascuis, sylvis, & sylva totali, quæ vocatur *Hoodone*, cum omnibus pertinentiis suis, contulit in manus Willelmi abbatis Villariensis ad construendum monasterium monachorum ord. Cisterc. *Datum an. M. CC. XXXIII. in festo S. Bernardi abbatis.* Attamen nec illic, neque hoc anno ædificari cœptum est, sed in vico *Vremde* uno milliari a Lira, fundum præbente Egidio Bertoldo, Egidii & Catharinæ filio, Berlariæ domino, an. 1235. feria III. ante Purificationem B. M. V. ea conditione adjecta, ut non aliunde, quam e Villariensi monasterio conventus ille sumeretur. Et certe an. 1237. inde ad hunc locum Hugo primus abbas cum duodecim monachis advenit; sed hic brevi tempore permansit. Cum enim anno 1243. a Goswino Bock milite dictus conventus totum feodum *de Hemixen* titulo emtionis acquisivisset, probante Henrico Brabantiæ duce, initum est consilium huc abbatiam transferendi, omnibus, quorum intererat, consentientibus, Waltero scilicet Bertoldo, Egidii consanguineo 1244. Henrici Brabantiæ ducis & amicorum precibus inclinato, ipso Henrico per se 1245. mense Septembri, Hugone pastore *in Hemixen* eodem anno, feria tertia post *Invocavit me*; ad denique Guiardo de Lauduno episcopo Camerac. & Nicolao de Fontanis ejusdem successore anno 1251. in vigilia divisionis Apostolorum, id est 16. Julii. Hæc autem omnia constant ex chartis singulorum editis tum in nova operum Miræi editione, tum in historia episcopatus Antuerpiensis. Itaque anno 1246. ex vico *Vremde* ad *Hemixen* monachi transmigrarunt, ad ripam Scaldis, altero lapide ab Antuerpia, ubi etiamnum celebre undequaque

Mir. nova edit. pag. 178.

Ibid. pag. 115.

monasterium perseverat. Et hinc quidem non parum gloriæ colligit, quod ejus abbas in sex virginum ejusdem ordinis abbatias dominio gaudeat spirituali; nimirum in B. Mariam de Vinea Lovanii, Vallem-Rosarum juxta Mechliniam, B. Mariam de Nazareth prope Liram, Swyvickam juxta Teneramundam, Vallem S. Bernardi prope Disthemium, & in Sparmaliam Brugis. Cetera prosequemur in abbatum historiæ decursu.

Series Abbatum.

I. Hugo e Villario sumtus, obiit an. 1243. postquam eodem anno, inquit Jongelinus, feodum *de Hemexem*, pretio comparaverat.

II. Gosvinus Dryeman an. 1246. idibus Jan. a loco qui *Vrimde* dicitur, abbatiam transtulit in parochiam *de Hemexem*, ubi hactenus sita est, in ripa Scaldis. Decessit an. 1248.

III. Balduinus e Dunensi monasterio accitus, mortem oppetiit an. 1254. VI. nonas Martii.

IV. Guillelmus I. ex eadem abbatia Dunensi evocatus, vivere desiit an. 1259.

V. Arnoldus de Ghestele monachus Villariensis postulatur in abbatem Loci S. Bernardi anno 1259. tum repetitur in Villariensem anno 1266.[a] sed cum tunc eam inire dignitatem recusasset, utraque privatus est per abbatem Claravallensem, prioratus officio ei solum relicto in abbatia Loci S. Bernardi, donec an. 1271. iterum abbas Villariensis electus, oneri collum submisit

VI. Guillelmus II. de Diepenbeke ex priore abbas renuntiatus, obiisse dicitur post decem annos regiminis, aliis 1272. die 2. Novemb. aliis 1276. prout scilicet varie ducitur ejus initium dignitatis.

VII. Henricus I. de Melsbroeck *vel* de Melbrouch, ex priore Villariensi creatus abbas Loci S. Bernardi, rexisse fertur annos circiter 25. initio ducto ab an. 1273. pauciores vero, si ducatur ab an. 1276. Obiit enim XII. cal. Apr. an. 1296. ad quam diem vide menologium Cisterc. Sane interim * a Johanne I. Brabantiæ duce legatione in Angliam cohonestatus est ad matrimonium inter filium Ducis & filiam Regis conciliandum; idemque circiter annum 1293. Villariensis abbas a nonnullis electus est, sed alter palmam sustulit, ex hist. monasterii Villar. t. 3. Anecdot. col. 1296.

* hoc ipso an. 1296.

VIII. Jacobus I. de Waelhem abbatem egit ab anno 1296. ad 1303. superstes ad 1308. quo defunctus est, die SS. Johannis & Pauli martyrum.

IX. Raduardus de Mechlinia reperitur anno 1303. in tabulario Rosariensi; sub quod tempus eum sui testamenti executorem elegit Arnoldus de Zellaer scholasticus Mechliniensis, monasterii benefactor. Tum anno 1308. factus est abbas Villariensis, ac tandem post tres annos cessit, & ad propriam domum reversus est.

X. Henricus II. de Pulle obiit anno 1311. die 1. Febr.

XI. Raduardus de Mechlinia iterum abbas

[a] *al.* 1261. Sed neutro tempore vacua erat sedes, nisi forte qui tunc præerat abbas cedere volebat.

A Loci S. Bernardi, obiit eodem anno 1311. in capitulo generali Cisterciensi, ex epitaphio quod ei appositum est ante capitulum, his verbis: *Hic jacet D. Raduardus quondam abbas Loci S. Bernardi in Brabantia, oriundus de Mechlinia, qui obiit anno Domini 1311. in Exaltatione S. Crucis. Requiescat in pace.* Habet Jongelinus *pridie Exaltationis S. Crucis*, levi quidem errore; sed gravius errat, qui Raduardi mortem consignat anno 1315. auctor historiæ novæ episcopatus Antuerp.

XII. Johannes I. de Malre sacræ theologiæ baccalaureus, electus abbas Loci S. Bernardi an.

B 1311. ac Villariensis 1315. obiit in abbatia Clarævallensi an. 1317. V. cal Aprilis.

XIII. Guillelmus III. Speliaert reperitur abbas S. Bernardi anno 1319. 12. Maii; omittitur in editis catalogis, sed inter abbates Bodeloenses recensetur a Chrysostomo Henriquez in fasciculo SS. ord. Cisterc. pag. 449.

XIV. Johannes II. de Steenberghe, jure an merito inductus ab auctore novæ historiæ episcopatus Antuerp. obiisse dicitur 13.......... Omittitur a Jongelino, qui sequentem electum dicit 1315.

XV. Henricus III. Banaert seu Baniaert &

C Bernaet, *al.* Balvart decessit an. 13..... in festo S. Stephani protomartyris. Sub cujus regimine an. 1331. Johannes III. Brabantiæ dux primum ecclesiæ novæ lapidem posuit.

XVI. Gosvinus II. Rym immeritus cedere cogitur ante obitum, qui contigit VI. Januarii anno 1353. ex menologio Cisterc. ubi vide, *al.* 1358.

XVII. Guillelmus III. de Mortere Loci S. Bernardi monachus, favore ducis Brabantiæ Johannis III. non electione canonica, in damnum decessoris adhuc viventis subrogatus, statim eo mortuo Duce an. 1355.* a regimine detur- * *al.* 1360.

D batur. Obiit an. 1376. X. cal. Martii.

XVIII. Johannes III. de Wesele *al.* de Weyele an. 1378. se munificum præbuit erga Carthusiam de Zeelghen. Is autem est profecto Johannes, qui an. 1369. die 3. Aprilis adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni ecclesiæ Mechliniensis. Moritur an. 13... die B. Mariæ Magdalenæ.

XIX. Jordanus de Aerschot obiit an. 1390. die 5. Octobris.

XX. Johannes IV. de Turnhaut *al.* de Turnhoudt è vivis excessit die 5. Octob. an. 1397.

XXI. Petrus I. de Santuliet memoratur anno

E 1415. in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses. Hic a Jongelino propter imperitiam in rebus temporalibus amotus dicitur. Obiit autem IV. cal. Nov. an. 1426.

XXII. Petrus II. de Gorichem antea cellerarius, defecit an. 1431. V. idus Aprilis.

XXIII. Petrus III. de Breda sacellanus decessoris & secretorum conscius, in historia S. Salvatoris Antuerp. a Sandero conscripta adfuisse legitur funebri pompæ nobilis viri Petri Pot fundatoris sancti Salvatoris Antuerp. & manuductor exstitisse primogeniti fundatoris anno 1450.

Proindeque error typographicus irrepsisse dicendus est in anno mortis hujus abbatis, notato 1431. in historia nuper edita episcopatus Antuerp. legendumque est 1451. vel potius 1453. die 16. Aprilis, uti legitur apud Jongelinum.

XXIV. Gerardus de Donck *al.* de Dunis sacræ theologiæ baccalaureus, electus 1453. 17. Aprilis, cessit an. 1468. obiitque 1473. pridie idus Octobris.

XXV. Martinus Blyleven an. 1480. indictione XIII. die X. Aprilis præsens fuit cum Francisco Villariensi, Livino de Bodeloa & aliis abbatibus ostensioni reliquiarum S. Rumoldi. Idem anno circiter 1490. usum mitræ & ceterorum pontificalium sibi suisque successoribus impetravit. Diem supremum obiit an. 1498.

XXVI. Rumoldus de Eppegem natus de Nyelen *vel* Nylen, abbas ex coadjutore, Lyræ mortem oppetiit 22. Aug. an. 1504.

XXVII. Johannes V. Gros, dictus alibi Guillelmus, electus die festo S. Bartholomæi, fatis concessit an. 1506. X. cal. Martii. Sex tamen annis eum præfuisse tradit Henriquez in fasciculo sanctorum ordinis Cisterciensis, pag. 455. lib. 2. dist. 40.

XXVIII. Petrus IV. Cops *al.* Coëls ex cellerario abbas S. Bernardi diœcesis Cameracensis. Marcum de Cogyt *al.* Cruyt obtinuisse dicitur in coadjutorem bulla data 6. Julii anno 1517. Obiit autem Petrus Cops an. 1518. die SS. Prothi & Hyacinthi, optimi pastoris laude commendatus.

XXIX. Marcus Cruyt sacræ theologiæ licentiatus, quem vocat Petrum auctor historiæ episcopatus Antuerp. primus a Carolo V. ad abbatiis nominatus fuit, cum antea jus eligendi abbatem penes monachos fuisset, inquit idem auctor. Hic vero tantam insigni sua eloquentia famam assecutus est, ut nomine Caroli V. Romanorum imperatoris ac ducis Brabantiæ apud Regem Daniæ legatum egerit. Denique exstinctus est an. 1536. pridie idus Febr.

XXX. Jacobus II. Vander-Meeren seu de Mera ex illustri Meranorum prosapia genitus, sacræ theologiæ baccalaureus, e quatuor a decessore obtentis coadjutoribus eligitur abbas 15. Febr. ejusdem anni; ipsoque die anni 1545. quandam reformationem induxit, vir omnimode suspiciendus. Idem anno circiter 1550. pretiosissima emisse dicitur ornamenta ab Anglis ob schisma regium proscriptis, ex historia edita Camberonensis abbatiæ. Obiit vero 17. Novemb. an. 1559. ætatis suæ 59. Deinde vacavit sedes abbatialis annis fere 5. duobus interea prioribus Johanne Swems & Bernardo Hovio monasterii curam habentibus. Tunc scilicet agebatur de mensa abbatiali novo episcopatui Antuerpiensi unienda. Verumtamen indignantes monachi abbatem sibi commendatarium imponi, seu qui de suo gremio non esset, nullum non moverunt lapidem, ut onus hoc a se amoverent. Ac primo quidem rebus in Belgio valde turbatis, facultatem obtinuere an. 1562. novum sibi abbatem deligendi. Itaque

XXXI. Thomas Thieldt, monasterii professus & pastor in pago de Oudenbosch, suffragiorum pluralitate ad abbatiale munus assumtus est, tum benedictus biennio post, ac in possessionem immissus postridie natalis B. Mariæ. Insuper autem ordinum Brabantiæ comitia frequentavit; sed ejus electio Romæ probata non fuit. Hic postea oblitus vocationis suæ, quin & derelicta fide majorum suorum, primo in Cliviensem patriam transfugit, ducta uxore Johanna van Waveren nobili domicella; ac postmodum novellæ religionis seu hæreticæ pravitatis minister fuit Harlemi, deindeque Delphis Batavorum, ubi extremum diem obiit circa 1568. sub amplo epitaphio ante cathedram majoris ecclesiæ tumulatus; cui viventi ordines fœderati majorem bonorum abbatiæ S. Bernardi partem, quæ fisco suo addixerant, concessere. Interim post discessum Thomæ, præfecto in spiritualibus Johanne Croke priore, laboratur pro erectione episcopatus Antuerp. quam totis viribus impedire conantur monachi, sed frustra. Etenim postquam vacavit sedes abbatialis annis duobus & octo mensibus,

XXXII. Franciscus Sonnius tanquam primus Antuerpiensium episcopus, primusque Loci sancti Bernardi commendatarius abbas, suo nomine possessionem abbatiæ capi curavit die 27. Aprilis an. 1570. statimque præpositum regularem constituit. Post obitum tamen Francisci, qui contigit anno 1576. in vigilia SS. apostolorum Petri & Pauli, prævalentibus in Belgio hæreticorum ac rebellantium factionibus, ordines Belgii constitutas abbatiarum uniones resciderunt. Atque ita deputatis ad monasterium S. Bernardi commissariis regiis, collectisque suffragiis,

XXXIII. Johannes VI. Vander-Noot e nobilioribus Brabantiæ familiis, hujus loci monachus professus, anno ætatis 31. in abbatem cooptatus est; quem mox dux illustrissimus Arschotanus cum magna nobilium pompa ad monasterium veniens in possessionem induxit die 28. Januarii an. 1578. Idem memoratur an. 1582. in edita historia Camberonensis abbatiæ, ubi & an. 1585. tanquam inutilis, submotus dicitur ab abbate Camberonensi, ex commissione gubernatoris Parmensis, nuda illi temporalium administratione servata, cui tunc in spiritualibus substitutus est Ambrosius vanden Driesche prior ejusdem loci, vir pius & eruditus; Johannes autem Vander-Noot paulo post obitum Lævini Torrentii, qui sequitur, ex equo lapsus interiit; cui in administratione successit D. Levinus de Smidt, tunc pastor in Hoëvis & decanus Christianitatis.

XXXIV. Lævinus Torrentius, secundus episcopus Antuerp. successit an. 1587. ad annum 1595. quo defunctus est.

XXXV. Guillelmus IV. de Berghes decanus ecclesiæ Leod. deinde tertius, seu quartus Antuerpiensis episcopus an. 1598. demum ad sedem Cameracensem traducitur an. 1601.

XXXVI. Johannes VII. Miræus, quartus episcopus Antuerp. an. 1604. obiit an. 1611. die 12. Januarii.

XXXVII. Johannes VIII. Malderus, quintus

episc. Antuerpiensis, monasterium miseranda civilium bellorum tempestate exustum an. 1582. reædificavit an. 1616. tumque monachi diutius profugi ad locum suum redierunt numero tredecim, qui hisce temporibus aucti sunt ad sexaginta. Mortuus est an. 1633.

XXXVIII. Gaspard Nemius, sextus episc. Antuerpiensis, deinde archiepisc. Cameracensis an. 1649. sub quo abbate commendatario separata fuit abbatia ab episcopatu, ac denuo regulares abbates accepit. Concepta quidem erat hæc separatio jam an. 1636. monachis medietatem bonorum suorum episcopatui Antuerpiensi in dotem assignantibus, altera retenta; sed non nisi anno 1649. sub eodem præsule effectum sortita fuit.

XXXIX. Judocus Gillis natus in Puers, sacræ theologiæ licentiatus ex priore in abbatem benedicitur anno 1649. calendis Octobris. Hic ordinis Cisterc. per Belgium vicarius generalis die 22. Maii anno 1655. Bibliothecam scriptorum ordinis Cisterciensis calculo suo comprobavit. Viam universæ carnis ingressus est anno 1660. die 25. Febr. ætatis 66. profess. 45. dignitatis XI.

XL. Johannes IX. van Heymissem, antea lector, e vita migravit an. 1678. hoc epitaphio donatus: *Hic requiescit a laboribus suis reverendus admodum ac amplissimus D. D. Johannes ab Heymissem abbas XXX. loci hujus, vir in omni virtute, scientia & dignitate sua modestissimus. Decessit 6. Octobris an. 1678. ætatis suæ 57. prælaturæ 15. quem ædium sacrarum* * *incendio, variisque temporum casibus probatum, Deo, pie lector, commenda. R. I. P.*

XLI. Antonius van Spanoghe, Teneramondanus, sacræ theologiæ lector & provisor domus, ac deinde abbas, obiit Antuerpiæ 21. Septemb. 1706. In historia episcopatus Antuerp. nuper edita legitur 1707.)

XLII. Cornelius Adriaensens Hooghstratanus electus 17. Martii an. 1716. postquam pluribus annis sedes vacasset, eodem anno, die 16. Octob. confirmatur ab Imperatore. Inde refugii Antuerp. possessionem accepit 27. Dec. tum vero benedictionem 6. Jan. 1717. ab episc. Antuerp. solemni pompa susceptus in abbatia 9. Jan. ac postridie in possessionem inductus. Obiit 4. Dec. 1721. ætatis anno 70.

XLIII. Gerardus Rubens pastor in Gastel, eligitur 31. Jan. 1722. confirmatur ab Imper. 5. Julii, solemniter suscipitur 22. Aug. ac tandem benedicitur 23. ejusdem mensis & anni ab abbate Villariensi, assistentibus Baudeloensi & Grimbergensi.

* Anno 1672. mense Septembri igne fortuito monasterium, cum ecclesia, ejusque ornamentis, &c. consumtum fuit; sed jam pleraque splendidiore forma, quam ante, reparata sunt.

S. SALVATOR ANTUERPIENSIS.

HÆc abbatia Cisterc. ordinis ac dioec. quondam Camerac. fuit olim nudum sacellum ad plateam vulgo *de Munsterstraete* juxta Scaldim positam. Pervenit autem ad statum monasterii beneficio nobilis viri Petri Potz equitis aurati, toparchæ de Bautershem, &c. & ipsius conjugis Mariæ Terrebroots, qui pro dote trecentos quinquaginta florenos Rhenenses & aliquot census siliginis an. 1433. liberaliter contulerunt. Verum cujus ordinis seu instituti fuerint, qui primi ad incolendum hunc locum vocati sunt, inquiritur. Clericos fuisse, vulgariter dictos fratres Hieronymianos legimus in historia episcopatus Antuerp. typis edita an. 1717. neque prius iisdem substitutos esse Cistercienses, quam dictorum fratrum prior seu rector Andreas de Elborgh sacerdos mortuus est an. 1444. die S. Lamberti. Et quidem hanc sententiam secuti videntur, qui loci fundationem in annum 1446. *vel* 1447. differunt, quos vel excusat Sanderus ad mentem Jongelini, quasi quod aiunt de fundatione intelligendum sit de cœnobii perfectione; (tradit autem Jongelinus fundari cœptum an. 1433. & absolutum 1447.) vel idem Sanderus una triplici telo configit omnes. Primum est pontificium diploma Eugenii IV. fundatoris precibus datum an. 1432. IV. cal. Septemb. pontificatus anno 2. quod per litteras apostolicas executioni mandatum anno seq. legitur per officialem Leodiensem commissarium in hac parte a sede apostolica specialiter deputatum. Secundum est, hujus monasterii ad ordinem Cisterc. accessio, approbatio, confirmatio, & communicatio privilegiorum facta per Guillelmum, (*lege* Johannem) Cistercii abbatem generalem an. 1433. VII. cal. Decemb. Tertium denique non minus validum, quanquam novissimum, instrumentum est Claudii Vaussin abbatis Cisterc. quo monasterium S. Salvatoris in abbatiam erigit an. 1652. *Cum igitur*, inquit, *prioratus S. Salvatoris præfati ordinis nostri in urbe Antuerpiensi fundatus anno Domini 1433. a generoso piæ memoriæ domino Petro Pot equite aurato, ad hæc usque tempora sub regulari nostri instituti observantia permanserit, &c.* Ceterum pius fundator, annuente, ut diximus, Eugenio IV. papa, necnon Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ duce, accivit octo monachos & quatuor conversos ex prioratu B. Mariæ de Yselstein apud Batavos, novumque cœnobium subdidit visitationi abbatis Veteris-campi diœcesis Coloniensis juxta Rhenobergam.

Mir. nova edit. pag. 630.

SERIES PRIORUM

I. PETRUS DE CATWYCK nobilis Batavus ex monasterio Isselsteniensi assumtus, defunctum an. 1450. die 20. Aug. cœnobii fundatorem, ingenti apparatu in sua sepelivit ecclesia per manus Henrici abbatis Campensis, per se vero fundatricem 1459. Walterum Potz equitem alterum filium fundatorum 1464. & Johannem Potz primogenitum an. 1468. Denique ipsemet Petrus obiit non anno 1474. uti legitur in historia memorata episcopatus Antuerpiensis, sed 1476. in profesto Omnium SS. postquam 27. annis præfuerat, tribusque ante obitum cessarat, ex ipsius epitaphio apud Sanderum. Ubi notandum obiter ejusdem præfecturæ initium duci an. 1447. quo cœnobium, ut diximus, traditur absolutum.

II. Jacobus de Borsalia ex familia fundatoris anno 1476. die 9. Octobr. mortuum deflevit Bartholomæum Pot filium unicum Adriani Pot filii fundatoris, novicium in suo monasterio, & an. 1482. 26. Julii Mathildem Pot filiam unicam Petri fundatoris ibidem terræ mandavit die 1. Augusti. Idem an. 1477. die 8. Junii canonicos ecclesiæ B. Mariæ Antuerp. bonorum omnium spiritualium monasterii participes effecit. Vivere desiit an. 1483. nono sui regiminis.

III. Thomas Merchel antea cellerarius, onus abbatiale suscepit die XI. Julii 1483. quod post septem annos abdicavit. Mortuus est an. 1501. III. nonas Novembris in festo S. Malachiæ.

IV. Johannes I. Goëns Antuerpiensis, electus est in priorem per cessionem praecedentis an. 1490. atque institutus per Johannem abbatem Veteris-campi. Obiit 1506. 19. Julii, regiminis 16.

V. Franciscus Hermans Antuerpiensis, prior constituitur die 2. Augusti an. 1506. Eum moriens Henricus de Sompeken eques e prosapia fundatoris, ultimæ voluntatis suæ decreto, exceptis bonis feudalibus ex asse instituit heredem. Fatis concessit 2. Febr. 1536.

VI. Judocus de Dumo prior instituitur per Johannem abbatem Veteris-campi anno 1536. in profesto S. Benedicti, vir tam sibi durus, ut in gravi, qua mortuus est infirmitate, paralysi positus, licet urgerent medici, ut esu carnium uteretur, ad id compelli debuerit auctoritate Johannis abbatis de Veteri-campo, in virtute sanctæ obedientiæ, litteris datis die 13. Febr. 1550. Demum cessit e vita die sacra SS. Fabiano & Sebastiano an. 1553.

VII. Everardus Bacx prior constitutus ultima die Januarii 1553. nominatur in litteris Ludovici de Bessey abbatis Cistercii prioratum de Mariendonck ord. Cisterc. prope Heusdenum in diœc. Sylvæducensi, prioratui, nunc abbatiæ S. Salvatoris de Antuerpia subjicientis an. 1560. calendis Junii, scriptis in civitate Tridentina litteris. Diem suum obiit an. 1579. postquam ingemuerat an. 1575. 29. Aug. tumbam fundatoris ab Iconomachis hæreticis devastatam.

Mir. nova edit. pag. 902.

VIII. Johannes II. de Mechlinia, e stemmate fundatoris oriundus, ex subpriore electus est prior an. 1579. die 29. Decemb. quem in possessionem induxit abbas Loci S. Bernardi ad Scaldim, ex commissione abbatis Veteris-campi, qui propter vacillantes temporum & hæreticorum injurias Antuerpiam petere minime audebat. Mortalitatem explevit 1582.

IX. Johannes III. de Samillan nobilis Antuerpiensis, antea prior abbatiæ de Baudeloo, nominatus seu confirmatus in priorem S. Salvatoris ab Alexandro Farnesio Belgii gubernatore, atque a Roberto abbate Camberonensi tanquam vicario generali an. 1584. 19. Augusti institutus, mox per Belgium ordinis procurator renunciatur a Nicolao Boucherat Cisterciensi abbate, primusque cœpit ex constitutione capituli generalis & denominatione regia, omnibus abbatialibus (pedo excepto) *musceto* seu mantello, & annulo insignis, prælati nomen sortiri. Deinde suum monasterium ab hæreticis (an. 1585.) funditus eversum reædificare, ac in pristinam formam restituere sategit, excepto quod ejus terminos in angustiorem quam ante, circulum contraxerit. Defunctus est Teneramundæ die 2. Sept. anno 1610. ætatis suæ 64. sepultus tamen in choro suæ S. Salvatoris ecclesiæ.

Hist. Camberon. edita, pag. 512.

X. Henricus Vander-Heyden Lovaniensis, ex priore Villariensi prior S. Salvatoris, prævia monachorum electione, confirmatus a serenissimis principibus Alberto & Isabella die 1. Octob. solemni ritu fuit inauguratus 19. ejusdem mensis a Roberto Henrion Villariensi abbate, ordinis Cisterc. vicario ac visitatore generali. Rexit per annos undecim, ac tum fuit abbas Villariensis, ubi vide.

XI. Philippus Boonem antea monachus Baudeloensis, priorem agebat in Waerschotano apud Gandavum ejusdem ordinis cœnobio, quando in priorem S. Salvatoris electus 1621. & ab Alberto principe confirmatus, demum institutus est ac benedictus ab Henrico Vander-Heyden abbate Villariensi, ex commissione Johannis Farinart abbatis Camberon. vicarii generalis. Obiit anno 1631. die XI. Octob. cum simul esset coadjutor abbatis Baudeloensis.

XII. Christophorus Butkens nobilis Antuerpianus, vir doctissimus, trophæis Brabantiæ aliisque scriptis genealogicis celeberrimus, ex coadjutore per tres annos, prior effectus, benedictionem percepit 28. Octob. ejusdem anni 1631. ab Henrico Vander-Heyden abbate Villariensi, ex commissione abbatis Camberon. Morte correptus est Hagæ-comitis in Hollandia, ubi rem agebat monasterii, die 31. Sept. an. 1650. ætatis suæ 60. sepultus tamen ad S. Salvatoris.

ABBATES.

I. PETRUS I. SPERS ex subpriore, omnium calculis in priorem electus, & archiducis Leopoldi nominatione facta 18. Dec. an. 1650. confirmatus, solemnem accepit benedictionem 29. Januarii anni seq. a Judoco Gillis abbate Loci S. Bernardi ad Scaldim, ex commissione Bernardi Bottyn Dunensis abbatis necnon ord. Cisterc. per Belgium progeneralis. Suum dehinc monasterium in abbatiam erigi per Claudium Vaussin Cistercii ac totius ordinis abbatem generalem die 7. Nov. an. 1652. curavit, a quo & postera die litteras in rem eamdem accepit. Verum & Bernardus Bottyn Dunensis abbas, & ordinis Cisterc. in Belgio vicarius generalis, quo potissimum agente ista erectio facta fuerat, eamdem confirmavit litteris datis apud Brugas 21. Dec. 1652. Sedit Petrus annos 4. defunctus anno 1654. 26. Septemb. necdum abbatiali benedictione perfectus.

II. Benedictus Blommaerts Antuerpiensis, ex cellerario, fratrum electione, & archiducis Leopoldi nominatione facta 21. Decemb. 1654. instituitur ac inauguratur 12. Jan. 1655. per Judocum Gillis abbatem Loci sancti Bernardi ad Scaldim; confirmaturque eodem anno 22. Junii a Claudio Vaussin Cistercii abbate. Distulit tamen

Benedictus suam abbatialem benedictionem usque in annum 1659. quo eam susceperit die 29. Junii a Johanne Blanckenberg abbate B. M. in Veterimonte prope Coloniam, in ecclesia Vallis S. Petri in Heisterbach. Præfuit annis 14. mortuus 1668.

III. Franciscus Dierich sedit annos viginti, quibus exactis mortem oppetiit an. 1687.

IV. Anselmus Boels obiit an. 1695.

V. Bernardus Weerts post regimen annorum 12. decessit an. 1707.

VI. Petrus II. van Can Antuerpiensis, sedit ab anno 1708. ad annum saltem 1727. decrepitus senex.

B. MARIA DE NAZARETH.

Parthenon Cisterciensis ordinis extra muros oppidi Lirani, ad sinistram ripam minoris Nethæ, loco peramœno positus, fundatur anno 1220. eodem, quo Florida-vallis, & Vallis-virginum apud Lintras, auctore Bartholomæo, aliis van Aa filio castellani Bruxellensis, aliis van Thienen seu Eleeschouver cive Thenensi prædivite. Sane huic opinioni favet, quod fundatoris filia Beatrix, quæ prima fuit abbatissa, mediocribus parentibus nata dicatur in veteri *legenda*, quæ in Rubra-valle apud Bruxellas manuscripta servatur. Ac proinde vix ulla fides habenda huic inscriptioni recentiori: *Sub altaris lapide quiescit nobilis vir Bartholomæus de Aa filius Leonis castellani Bruxellensis, fundator hujus monasterii, Floridævallis & Lintræ, qui obiit in opinione sanctitatis anno 1247. ætatis 97. postquam susceperat humilem conversorum Cisterciensis ordinis habitum.* Ceterum huic primæ fundationi Henricus dux Lotharingiæ adjecit eodem an. 1220. quinquaginta quatuor bonaria in terris, pascuis & nemoribus; iterumque anno 1235. terram quamdam in loco, qui dicitur *Tenrekene*, septem bonaria paulo plus vel minus continentem ad construendum in ea novum monasterium contulit; unde licet conjicere sanctimoniales prima sede relicta ad alteram transmigrasse. Plura de hoc cœnobio vide apud Augustinum Wichmans in Brabantia Mariana, lib. 3. cap. 23.

Ch. III. col. 309.

Ch. V. col. 310.

Series Abbatissarum.

I. Beatrix I. filia fundatoris, quisquis ille sit, ex monasterio Vallis-Floridæ sumta, obiit an. 1268. die 27. Aug. *al.* IV. cal. inter sanctas ordinis relata.

II. Adelisa van Cruynen decessit an. 1274. *al.* 1275. ætatis 72. die festo S. Thomæ, sepulta in capitulo.

III. Ida I. van Virsele ad sponsum evolavit 1276.

IV. Beatrix II. de Virsele electa 1276. die festo SS. Trinitatis, defecit an. 1286. *alias* & quidem melius 1294.

V. Cunegundis vanden Eede omissa in historia nova episcopatus Antuerp. eligitur 1294. inducitur in possessionem anno seq. dignitatem abdicat 1296.

VI. Beatrix III. van Sombeke successit anno

A 1298. defuncta 1299. *al.* 1300. mense Novembri.

VII. Barbara I. Vander-Elst prætermissa quoque in historia laudata, obiit an. 1308.

VIII. Beatrix IV. Noots moritur 1309.

IX. Elisabeth I. van Wyneghem e vivis excessit an. 1319.

X. Hilwigis mortem oppetiit eodem anno die 26. Aug. Omittitur in historia laudata.

XI. Beatrix V. vanden Eede ibidem omissa diem supremum obiit an. 1320. ætatis 73. die S. Wilfridi.

XII. Catharina I. van Loevelde, ibidem prætermissa, migravit a seculo 14. Aug. 1329.

B XIII. Magdalena van Immerseele præfuit ab anno 1329. ad 1336. quo feliciter ad Dominum migravit, anno ætatis suæ 85.

XIV. Petronilla van Ranst obiit 2. Martii 1342. an. 78. *al.* 1347.

XV. Elisabeth II. vanden Broecke omissa in historia laudata, fato fungitur 19. Junii 1348. sepulta in capitulo.

XVI. Margareta I. Radewaerts, omissa quoque ibidem, animam exhalavit an. 1358.

XVII. Hommelina van Brussele, quam auctor historiæ laudatæ Corneliam vocat, defunctamque tradit an. 1362. alibi cessisse dicitur 1368. post decem annos regiminis.

C XVIII. Margareta II. Colibrant ab auctore prædicto obiisse dicitur an. 1370. *al.* die XI. Martii 1389. post regimen annorum 21.

XIX. Agnes van Berchem traditur ibidem obiisse 1390. *al.* 17. Januarii 1393.

XX. Elisabeth III. de Leeuw cessit anno præfecturæ quinto, Christi 1398.

XXI. Elisabeth IV. vanden Walle præerat an. 1404. Obiit 28. Febr.

XXII. Lutgardis van Roon obiit 16. Martii 1408.

D XXIII. Mechtildis van Wesenbeke vivere desiit 4. Febr. 1416.

XXIV. Elisabeth V. Schoot mortua est 7. Julii 1421.

XXV. Margareta III. vanden Werve rexisse dicitur decem annis, *al.* obiisse 22. Febr. 1424.

XXVI. Elisabeth VI. Stals cessit an. 1428. ex historia laudata.

XXVII. Margareta IV. van Wersele sedit novem annis, defuncta 1439. die 14. Martii.

XXVIII. Elisabeth VII. Vander-Noot obiisse dicitur 18. Sept. an. 1442. *al.* 1443.

E XXIX. Margareta V. Macwaert cessit e vita 22. Martii 1448.

XXX. Johanna I. Morliaerts cessisse dicitur an. 1460. *al.* obiisse post 17. annos regiminis, omissa scilicet præcedenti.

XXXI. Oda I. Danaeels *al.* Daeniels obiisse dicitur 1470. *al.* 2. Sept. 1482.

XXXII. Ida II. van Paeschen abdicasse dicitur 1484. *al.* obiisse hoc anno postquam rexerat annis 14.

XXXIII. Elisabeth VIII. Stoots cessit anno 1491.

XXXIV. Catharina II. van Heesbeen occubuit an. 1498. 1. Julii.

XXXV. Oda II. van Groelst conventu ad meliorem vivendi formam reducto, satis concessit 9. Aprilis 1509.

XXXVI. Barbara II. de Grooth, *al.* van Wuyck, a Jongelino dicitur electa tempore Petri Cops abbatis Loci S. Bernardi ad Scaldim, ac proinde ante annum 1518. æmulamque passa Annam Papegays cœnobii alumnam. Ita etiam Chrysostomus Henriquez in fasciculo SS. ordin. Cisterc. pag. 455. lib. 2. dist. 40. Obiit 30. Maii 1535.

XXXVII. Catharina III. van Heesben creata auctoritate Caroli V. imperatoris, septem duntaxat mensibus pacifice præfuit, defuncta 8. Jan. 1537.

XXXVIII. Barbara III. van Groelst a conventu electa 1535. & ab Imperatore confirmata 28. Jan. 1537. obiit 1. Octobr. 1543.

XXXIX. Judoca *al.* Josina vanden Putte præfuit annis 24. ac interim curavit exstrui refugium Liræ. Mortua dicitur die 7. Sept. 1566. *al.* 1567.

XL. Johanna II. van Goerle rexit annis 46. quo tempore an. 1578. *al.* 1579. monasterium a sectariis Hollandis funditus eversum fuit & expulsæ sanctimoniales. Reversa tamen an. 1583. vixit in refugio Liræ usque ad annum 1610. quo suum cœpit reædificare monasterium. Denique obiit cum fama sanctitatis anno 1613. 24. Julii, sepulta in ecclesia patrum Carthusianorum Liræ, unde postea ejus ossa ad abbatiam Nazarethanam translata sunt.

XLI. Gertrudis de Greef *al.* de Greve vitam cum morte commutavit 28. Januarii an. 1646. ætatis suæ 72. postquam, inquiunt, regimen obtinuerat 29. annis; unde colligas ante ipsius electionem sedem aliquandiu vacasse.

XLII. Carola Butkens restauravit monasterium ea qua nunc cernitur forma, uti & ecclesiam an. 1664. perfectam. Vitam reliquit an. 1668. ætatis 60. professionis 40. & abbatialis dignitatis 22.

XLIII. Edmunda de Ybarra decessit an. 1699. ætatis 61. professionis 42. regiminis 31.

XLIV. Maria van Caverson, Bruxellensis, successit ad annum saltem 1717.

XLV. Eugenia Vander-Nath ex prænobili familia comitum hujus nominis, eligitur 12. Febr. 1725. confirmatur ab Imperatore seu ipsius nomine 18. Febr. ejusdem anni; in possessionem inducitur 4. Martii per abbatem S. Bernardi ad Scaldim, ac demum benedicitur 22. Aprilis per eumdem abbatem.

S. MICHAEL ANTUERPIENSIS.

PRæmonstratensis ordinis monasterium antea fuit ecclesia collegiata duodecim canonicorum cum præposito, qui, grassante Tanchelini cujusdam hæresi, ad hanc profligandam S. Norbertum appellarunt, eique suam ecclesiam cum quatuor præbendis, annuente Burchardo episcopo Cameracensi, obtulerunt, ipsi ad numerum octonarium præter præpositum redacti, ad capellam S. Mariæ ad Stipitem vocatam, quam in ampliorem ecclesiam exædificaverunt, modo cathedralem, commigrantes. Hujusce donationis instrumentum & approbatio Burchardi, utrumque datum anno 1124. exstant in appendice nostra, ch. 1. & 2. col. 307. & 308. Mox vero S. Norbertus, Godefrido duce Lotharingiæ & Lovanii comite impensas suppeditante, cœnobium ædificavit, in quo duodecim e suis alumnis posuit, omnes, inquiunt, theologiæ gradibus insignes, eisque Waltmannum abbatem præfecit. Nec multo post hæc abbatia tres alias peperit, Averbodiensem in diœcesi Mechliniensi, Tungerloënsem in diœcesi Sylvæducensi, & Middelburgum in Zelandia. Ceterum hæc S. Michaëlis ecclesia non mediocriter illustratur sepultura Isabellæ de Bourbon Caroli Audacis Burgundiæ ducis conjugis, quæ obiit die 13. Septembris an. 1463. *al.* 1465. Hodieque admodum floret solita Belgarum principibus, aliisque magnatibus, quoties Antuerpiam veniunt, gratum hospitium præbere.

SERIES ABBATUM.

I. B. WALTMANNUS DE HOLTEN primus a S. Norberto huic ecclesiæ datus est abbas anno, inquiunt 1124. quem tamen alicubi legimus anno tantum 1129. abbatem ordinatum. At certè memoratur 1133. in charta Burchardi episcopi Camerac. in ecclesia Tongerloënsi Præmonstratenses canonicos instituentis. Conditus est in latere aquilonari navis ecclesiæ, sub tumba marmorea, cui insculpta cernitur manus pedum pastorale præferens, cum hac brevi in circuitu epigraphe: *Hic jacet dominus Waltmannus primus abbas hujus ecclesiæ, qui obiit anno Domini MCXXXVIII. XVII. cal. Maii.* Et hac quidem die inter sanctos refertur ab Andrea du Saussay in suo martyrologio Gallicano. *Mir. nova edit. pag. 97.*

II. Emelinus abbas creatus an. 1138. paciscitur 1148. indict. XI. cum canonicis S. Mariæ. Anno 1155. ecclesiam de Morxplas accepit a Nicolao episcopo Cameracensi. Defunctus est an. 1161. die 29. Septembris.

III. Alardus obiit an. 1162. die 1. Septemb. cum uno tantum anno præfuisset.

IV. Thibaldus seu Theobaldus ex priore assumtus in abbatem Antuerpiensem, testis nominatur an. 1166. in charta Nicolai Cameracensis episcopi Forestensi monasterio quoddam altare a Waltero abbate de Bergis collatum confirmantis. Cessit an. 1171. post annos regiminis novem.

V. Ricardus cessit & ipse an. 1188. postquam rexerat annos 18.

VI. Walterus de Stripe *vel* de Stripen, Flander obiit an. 1192.

VII. Elias decessit 1199. 24. Decemb.

VIII. Giselbertus defecit an. 1205. die 6. Oct.

IX. Hugo vivere desiit an. 1208. die 7. Jan. *al.* 1209.

X. Arnoldus de Erps *al.* de Euphem creatur abbas 1210. tum anno 1219. postulatur abbas Bonæ-Spei ejusdem ordinis in Hannonia ad annos undecim; qui demum ad suos reversus an. 1230. iis denuo præfuit aliis octo annis.

XI. Hermannus I. rexit annis undecim, mortuus calendis Julii 1230.

XII. Sigerius *al.* Zegerus ex pago de Baëlen, obiit post quinque regiminis menses an. 1230. 24. Nov. *al.* 1231. 23. Nov.

XIII. Arnoldus, idem qui supra, an. 1233. delegatus est a Gregorio IX. ut cum Theobaldo Middelburgensi & Guillelmo S. Alexii de Urbe abbatibus, statuta quæ ipsemet Gregorius pro reformatione condiderat, in proximo capitulo generali promulgaret. Sedit hac vice annis octo, obiitque 9. Jan. 1239.

XIV. Eggerius & Eggericus moritur anno 1244. 31. Januarii. Hic est profecto Egricus Tongerloensis sacerdos, notatus in necrol. hujus ecclesiæ III. cal. Febr.

XV. Gerardus I. de Lira fatis concessit anno 1258. IV. idus Junii; qua die memoratur in necrol. Tongerl. tanquam hujus ecclesiæ canonicus & abbas S. Michaëlis.

XVI. Johannes I. de Lira abbatiali munere annis tredecim functus, cessit 1271. ac mortuus est anno seq. XI. Novembris.

XVII. Egidius de Bierubiet & de Flandria dictus, eligitur abbas 1271. septemque post annis postulatur in abbatem Præmonstratensem anno 1278. qua dignitate cum se post triennium abdicasset, e vivis sublatus est an. 1286. 16. Julii, ad cujus sarcophagi caput in abbatia S. Michaëlis hi duo versus leguntur:

Bis sexcenteno, bis terno, bis quadrageno
Anno decessit: huic Christus vera quies sit.

XVIII. Henricus de Mechlinia creatus abbas 1278. non 1288. spiritum emisit anno 1300. 6. Octob.

XIX. Godefridus de Waerloos interiit anno 1328. XI. Januarii, postquam rexisset annis 28. Dein vacavit abbatia XI. mensibus.

XX. Guillelmus I. de Cabeliau *vel* Cabelliaw, & Cabillau patria Bruxellensis, ex canonico Tongerloensi & pastore in oppido Diestensi factus est abbas S. Michaëlis Antuerp. cujus meminit Aubertus Miræus in chronico suo Præmonstratensi ad an. 1338. Obiit an. 1341. 25. Nov. rexitque hanc ecclesiam annis XII. & IX. mensibus. Vide historiam editam abbatiæ Tongerloensis, pag. 63.

XXI. Guillelmus II. Lympiaes *al.* Lymxiaes & Liminas, Antuerpiensis, fato functus est an. 1353. XI. Octobris post regimen annorum XII. minus decem septimanis.

XXII. Martinus Loys Antuerpianus, an. 1354. in abbatem cooptatus, an. 1369. die 3. Aprilis feria tertia post Pascha adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni ecclesiæ Mechliniensis. Vitam cum morte commutavit an. 1372. 26. Januarii.

XXIII. Guillelmus III. Brulocht Antuerpiensis rexit ecclesiam S. Michaëlis annis 18. & mensibus duobus; de quo vide in Truncinio ad an. 1389. Obiit anno seq. 31. Octobris.

XXIV. Petrus Breem Antuerpianus obiit an. 1413. 22. Aprilis, cum rexisset annis 23.

XXV. Olardus & Alardus Terlinck in editis catalogis, patria Zelandus, vocatur Arnoldus in pacto unionis Brabantos inter & Limburgenses an. 1415. Rexit annis 38. & mensibus decem, postea cessit, obiitque an. 1452. 6. Septembris. Inter hæc tamen Claudius abbas an. 1450. probavit erectionem novi conventus Minoritarum Antuerpiæ, ex additionibus ad historiam episcopatus Antuerp. pag. 209. *Mir. novæ editionis pag. 325.*

XXVI. Johannes II. Fierkens Antuerpianus tam amplis tamque magnificis cœnobium suum ædificiis adornavit, ut ea etiamnum Belgarum principibus, quotiescumque Antuerpiam divertunt, gratissimum hospitium præbeant. Idem quoque sibi ac successoribus mitræ usum obtinuit. Denique post annos 23. regiminis desiit esse inter vivos 19. Jan. an. 1476. Ipsius epitaphium legere est in chron. ord. Præmonstr. edito 1613. auctore Auberto Miræo, pag. 203.

XXVII. Andreas Aechtenryt Hooghstratanus, electus anno 1477. obiit anno 1478. 14. Decemb. Tum vero Sixtus IV. pontifex abbatiam dedit in commendam, ut vocant, Lucæ de Tollentis episcopo Sibinicensi nuncio apostolico apud Carolum Audacem Burgundiæ ducem; sed interim

XXVIII. Johannes III. Robyns Mechliniensis, Olardi seu Arnoldi nepos ex sorore, a fratribus quondam electus & ab ordine confirmatus, verus tandem ac legitimus ecclesiæ S. Michaëlis abbas declaratus est bulla ejusdem summi pontificis data V. idus Nov. 1481. Jam autem anno 1480. X. Aprilis adfuit Johannes ostensioni reliquiarum S. Rumoldi. Denique obiit 1486. 17. Julii.

XXIX. Johannes IV. de Werdt post expletos in regimine duodecim annos cum mensibus decem, vitam reliquit an. 1499. die 18.............. Deinde vacavit abbatia decem mensibus.

XXX. Jacobus I. Elsacker Antuerpiensis, cœnobii reformatis moribus, Averbodii cessit e vita 28. Sept. 1505. cum sex annos præfuisset & quinque propemodum menses.

XXXI. Jacobus II. Embrechts Antuerpianus obiit an. 1514. 19. Julii.

XXXII. Stephanus a Thenis Hooghstratanus decessit an. 1518. die 9. Nov. Post cujus obitum Erardus a Marca episcopus Leodiensis & cardinalis a Carolo V. imperatore nominatus est abbas, imo, inquiunt, jam an. 1515. ab eodem Carolo tunc archiduce Austriaco, bullisque pontificiis donatus fuit 4. Julii 1520. ut hac via locum in comitiis ordinum Brabantiæ obtineret; sed hic tandem suo jure cessit in gratiam electi, qui sequitur, accepta pensione gravissima.

XXXIII. Cornelius I. de Mera abbatiam pro majori parte reædificari curavit; cumque rexisset annis circiter 20. viam universæ carnis ingressus est an. 1538. die 16. *al.* 26. Januarii.

XXXIV. Gregorius de Dagis successit anno 1538. die 1. Febr. defunctusque est an. 1562. nonis Junii.

XXXV. Cornelius II. Emerici defecit anno seq. scilicet 1563. die 26. Febr.

XXXVI.

XXXVI. Guillelmus IV. de Greve adfuit capitulo provinciali apud Parcum celebrato anno 1572. Idem an. 1576. epitaphium posuit abbati I. Waltmanno. Migravit a seculo an. 1581. die 25. Septemb. post quem vacavit ecclesia sex annis, Antuerpia ab hæreticis occupata.

XXXVII. Emericus Andrez Hooghstratanus, electus an. 1587. rexit ecclesiam duobus annis & 8. mensibus. Scripsit annotationes in Epistolas & Evangelia totius anni, quæ in hujus monasterii bibliotheca manuscriptæ asservantur. Sepelitur ante chorum juxta altare B. Virginis, cui successor Dionysius monumentum posuit cum hac inscriptione: *Hic jacet sepultus dominus Emericus Andreæ, abbas hujus monasterii, qui obiit anno Domini 1590. Augusti 31. Orate pro eo.*

XXXVIII. Dionysius Feyten *al.* Feyts Lovaniensis vacantem abbatiam jam anno uno consequitur, benedictus an. 1592. Scripsit ad eum Johannes de Pruetis abbas generalis de transferendo S. Norberti corpore ex urbe Magdeburgo in abbatiam Præmonstratensem. Animam exhalavit idibus Septemb. 1612. cum vixisset annis 75. mensibus 5. diebus 6. annisque 19. mensibus 6. ac diebus 12. rexisset.

XXXIX. Christianus Michaëlius creatus abbas 28. Febr. an. 1613. obiit Bruxellis anno 1614. III. nonas Martias, ætatis suæ 33.

XL. Matthæus Irselius professus abbatiæ beatæ Mariæ Middelburgi in Zelandia, hinc archipresbyter tractus Hooghstratani & Bredani, electus abbas 27. Maii anno 1614. ætatis suæ 72. rexit annis 15. mense uno. Diem clausit extremum an. 1629. 15. Julii, ætatis 88.

XLI. Johannes Chrysostomus vanden Sterre Buscoducensis ex priore in abbatem benedicitur die 7. Octob. an. 1629. Idem mox vicarius generalis ord. Præmonstr. per Brabantiam (addunt & Frisiam) constitutus, id munus ad obitum usque gnaviter exercuit. Plura scripsit, in quibus sui monasterii chronicon, quod utinam præsto esset. Mortuus est an. 1652. 28. Julii.

XLII. Norbertus van Couwerven institutus an. 1652. die 21. Decembris, obiit an. 1663.

XLIII. Macharius Simeomo, sacræ theologiæ licentiatus in academia Lovaniensi e vivis excessit an. 1676.

XLIV. Hermannus II. Vander-Porten migravit ad alteram vitam an. 1680.

XLV. Gerardus II. Knyff Antuerpianus fato correptus est an. 1686.

XLVI. Johannes Chrysostomus Teniers, Antuerpiensis, vicarius generalis per circarias Brabantiæ & Frisiæ, necnon Brabantiæ ordinum assessor, cui Florentius de Cocq sacræ theologiæ lector & S. Michaëlis Antuerpiensis asceta, totius theologiæ moralis & speculativæ principia nuncupavit, edita secundis typis anno 1689. Obiit an. 1709. die 30. Novemb. ætatis suæ 56.

XLVII. Johannes Bapt. Vermeulen *al.* Vermoelen electus XI. Martii 1716. confirmatur eodem an. 10. Octob. ab Imperatore, postquam sedes abbatialis vacua fuisset ab an. 1709. Possessionem apprehendit 26. Decemb. anni 1716. tandemque benedictionem percepit ab episcopo Antuerp. 10. Jan. 1717. Qui plura desideraverit, adeat Franciscum Sweertium in monumentis Brabantiæ, pag. 126. qui abbatum S. Michaëlis epitaphia refert, itemque Antonii Sanderi Brabantiam illustratam.

GANDAVENSIS ECCLESIA.

GANDAVUM comitatus Flandriæ caput, ad Scaldim posita urbs est, qui fluvius ibi Legiæ seu Lisæ, Liviæ, & Moiras aquis augetur. Aspicit ab Aquilone Antwerpiam, ab Ortu Mechliniam, a Vulturno Bruxellam, a Cauro denique Middelburgum Zelandiæ, a quibus omnibus æquali fere decem leucarum intervallo, a Brugis autem octo disjungitur, quarto a mari lapide. Hanc Clarineam quandoque vocatam Gordunos indigenas primum coluisse tradunt, de quibus Cæsar, lib. 5. belli Gallici. Hos excepere Romani, quos ipse Cæsar hîc præsidio collocasse constans est annalium Belgicorum memoria; inde Vandali, Franci, ac postremo Germani Saxones, quos ad sexaginta hominum millia Carolus Magnus in hanc Belgii partem traduxisse refert historia. Sane urbs illa mœnium ambitu, ædificiorum magnitudine, ac splendore, cœli salubritate ac soli ubertate, civium, fluviorum denique, quibus amœnissime irrigatur ditaturque, varietate & abundantia cum præcipuis Europæ civitatibus olim certavit, nec facile commodiorem alibi aptioremque urbi condendæ locum inveneris: vario quippe fluentorum seu natura seu arte factorum flexu ac reflexu intersecta in viginti sex insulas distinguitur, cum publicis tum privatis ædibus occupatas, & 98. pontibus conjunctas, qui justæ magnitudinis actuarias naves, sive Holcades annona, mercibusve aliis oneratas nullo negotio transmittunt; hinc situ opportuna, fluminibus dives, aëre benigna, cœli solique muneribus beata, partim etiam pannorum laneorum lineorumque textrinis, aliisque opificiis, latifundiis etiam per comites ad pomœria proferenda venditis, partim immunitatibus, aliisque principum suorum privilegiis ornata ac dotata in eam crevit magnitudinem, quam merito suspicerent omnes, formidarent vicini. Certe quanta superioribus seculis fuerit Gandavensium fortitudo in armis ac gloria, passim historiæ & annales commemorant, quin & obsequii impatientes, in principes suos rebellare pluries ausi sunt, quam proniorem in seditiones ac tumultus civium indolem, defectionem insuper meditantium severissime castigavit Carolus V. imperator anno 1539. primoribus civitatis aut capite multatis, aut in exsilium pulsis,

civitate ipsa privilegiis omnibus spoliata, & ad duodecies centena aureorum millia in pœnam pendere jussa, quo factum est ut amplissima olim ac populo frequentissima urbs multum pristini splendoris amiserit, civium numero plurimum imminuta, & commercio alio translato.

Gandavi sedes est concilii provincialis Insulis huc traducti an. 1409. a Johanne Bono Burgundiæ duce, est etiam camera dicta Legalis pro rebus clientelaribus.

Præclarum in primis oppidi hujus ornamentum est turris illa (Belfortum vocant) in urbis medio sita, in qua suspensa undecies mille pondo gravis campana, cui *Rolandus* nomen est, hæc horarum nuntia, si forte ad numerum commoveretur alias, plebs illico armata cum vexillis in forum prodibat, decanosque suos velut belli duces audiebat : quod ob seditiones ac civium cædes inde frequenter ortas, lege perpetua abrogatum est. In turris fastigio eminet auratus draco, qui prospero rerum successu, cum publica lætitiæ signa civitas edit, vomit ignem: hic, capta a Balduino, Constantinopoli, Brugas delatus, illinc pro spolio Gandavum venit. In fori magni medio visitur statua Caroli V. imperatoris, qui hac in urbe anno 1500. 24. Febr. luce S. Matthiæ apostolo sacra natus est.

De aula Principis in qua trecenta feruntur esse cubicula, deque aliis hujus urbis ædificiis tum privatis tum publicis, qui plura scire voluerit Sanderum adeat, fusiori enim hæc stylo digessit, lib. 1. de rebus Gandav. ex quo pleraque desumsimus.

Urbem hanc sex diebus obsessam expugnavit Lud. XIV. Francorum rex Christianissimus 9. Martii anni 1678. eamque eodem anno Hispanis reddidit, sancita cum ipsis Neomagi pace ; quorum imperio subjacuit ad annum 1714. quo in Cæsaris ditionem cum reliquis Belgii provinciis concessit.

Ad ecclesiastica quod attinet, fidei lumen accepit Gandavum a B. Amando, unde hic versus a Meyero & aliis frequenter usurpatus.

Mercurio Cæsar, Christo sacravit Amandus.

Ecclesia cathedralis & parœcialis S. Johannis Bapt. nunc S. Bavonis, eximia prorsus ac structura insignis est, & inter splendidissimas Belgii basilicas annumeranda, nusquam arcta, humilis, obscura, sed vitrorum fulgore lucida, lætum introeuntibus aspectum præbet ; marmoreo sacellorum ambitu conspicua, quæ ut plurimum portis æreis instructa sunt & picturis a celeberrimis Belgii penicillis ornata. In ea tinctus est aqua sacri baptismatis Carolus V. imperator anno sesquimillesimo, & comitia aurei velleris ibidem semel & iterum annis 1445. & 1559. celebrata sunt. Exstrui cœpta est anno 871. primum pangente lapidem Ingelramo Balduini Ferrei Flandriæ comitis filio, eamque Transmarus Tornacensis ac Noviomensis episc. sub invocatione Deiparæ Virginis, SS. quoque Johannis Bapt. Vedasti & Bavonis rite consecravit an. 941. Sensim vero sancti Præcursoris nomen, aliis patronis obscuratis, huic basilicæ inditum, donec exstincto insigni illo opulentoque S. Bavonis monasterio, eoque in collegiatam ecclesiam Cæsarea & pontificali auctoritate verso, monachi toga seculari induti in hanc S. Johannis parœcialem basilicam cum ceteris clericis translati sunt an. 1540. prima eorum sede solo æquata, ut arci Carolinæ condendæ locus fieret : tunc enim paulatim prioris patroni appellatione rarius usurpata, S. Bavonis sortita est nomen hæc ecclesia, quæ tandem an. 1559. a diœcesi Tornacensi, cui prius subjacebat, distracta, in cathedralem evecta est a Paulo papa IV. in novorum episcopatuum per Belgium erectione, magna præpositura in dotem episcopo assignata. Nova autem præpositura de consensu Cornelii Jansenii primi Gandavensium præsulis, ad nominationem Flandriæ comitis instituta an. 1560. Itaque capitulum præter episcopalem ac præposituræ dignitates, constat aliis quinque, decanatu nempe, cantoria, archidiaconatu, thesauraria & scholasteria. Triginta duæ insuper sunt præbendæ, quarum decem sunt Graduatorum, ex quibus unam habet episcopus, tres graduatis theologis attribuuntur, inter quos est pœnitentiarius ab episcopo designatus, tres jurisperitis, & tres urbis nobilibus, qui etiam debent esse in jure vel theologia laurea insignes. Hæ decem ab ipsis graduatis conferuntur ; octo sunt liberæ & a summo pontifice vel ab episcopo (si alternas vices habeat) donantur ; sex a Principe : octo reliquæ dignitatibus supra memoratis annexæ sunt. Una videlicet præter alteram supradictam episcopatui, tres præposituræ, una decanatui, una cantoriæ, una thesaurariæ & altera scholasteriæ. Duo præterea sunt vicarii perpetui, unus cærimoniarum magister, clericuli 12. (seminaristas appellant) missis & choro inservientes talari veste viridis coloris induti cum superpelliceis, accensi duo, sive bedelli.

Ecclesia duplex est ; superior & inferior sub qua est & alia subterranea, quam *cryptam* vocant ; in superiori sunt altaria consecrata 13. præter summum, quod nuper magnificentissime instauratum est, in inferiori totidem etiam consecrata, in crypta vero decem, ad quæ omnia fundata olim fuerunt 74. sacerdotia (capellanias vocant) quæ nunc exstincta & unita sunt, eorum tamen onera a sacellanis exsolvuntur, qui statis horis sacrum faciunt, & officium in choro decantant, ad capituli nutum admissi vel dimissi, quamvis id de facili non fiat.

Porro diœcesis in universum urbes mœnibus cinctas octo, iisdem carentes duodecim, pagos sexaginta & centum complectitur, divisa est autem in archipresbyteratum urbis Gandavensis unum & decanatus rurales septem, Everghemiensem scilicet, Wasiæ, Hulstensem, Teneramundensem, Aldenardensem, Donsanum & Tiletanum, sub quibus centum octoginta tres vel circiter parœciæ numerantur.

Præter cathedralem est & alia Gandavi insignis ecclesia collegiata S. Pharaildi sacra, domesticorum olim comitis Flandriæ & incolarum atrii palatini ab antiquo curialis, in qua præpositus & duodecim canonici, plures itidem sacellani deserviunt, nunc collegium istud canonicorum a multis jam annis in parœciali S. Nicolai basilica sacris operatur. De abbatiis hujus diœcesis seorsim more nostro dicemus.

Sunt autem in eadem urbe plusquam quadraginta tam virorum quam mulierum cœnobia, inter quæ numerantur conventus Dominicanorum, Augustinianorum, Carmelitarum calceatorum & excalceatorum, Franciscanorum Recollectorum & Capucinorum; Alexianorum, qui funera curant, mortuosque sepeliunt: collegia duo Jesuitarum, Flandrorum unum, Anglorum alterum, & Chartusia olim extra civitatem posita, cui nomen Vallis-Regalis.

Porro sequioris sexus cœnobia sunt domus Nigrarum sororum, Ursulanarum, Annuntiatarum, Clarissarum, Grisearum S. Jacobi, & S. Johannis Benedictinarum Anglicarum, & B. Teresiæ institutum sectantium, B. Mariæ de Deynse, S. Agnetis, S. Georgii, S. Barbaræ, duo insuper Beginagia, in quorum majore nongentæ, in minore vero quadringentæ numerantur. Variæ sunt præterea hospitales domus, & diversa sacella privata. De episcopis Gandavensibus scripsere Sanderus, Grammayus, & alii auctores Belgici, ex quibus hanc seriem depromsimus.

EPISCOPI GANDAVENSES.

Ad hanc sedem primus, qui eam regeret antistes, nominatus fuerat Franciscus Doroult, *alias* d'Helfaut *Blandin. abbas, verum eo recusante adlectus est.*

JANSENIUS.

ANNI CHRISTI

I. Cornelius.

HULSTI, quod oppidum est Flandriæ, fœderatis tamen provinciis nunc subditum, natus est Cornelius Jansenius primus Gandavensium præsul, summa vir eruditione ac religione inclytus, Lovanii primum in Castiensi Gymnasio, philosophiam, & sacra studia in majori theologorum collegio sectatus, dein S. Martini in oppido Cortracensi per aliquot annos parochus fuit, Lovanium reversus ac laurea doctorali insignitus, decanatu ad S. Jacobum ejusdem urbis donatur. Ad Tridentinam synodum a Philippo II. Hispaniarum rege legatus, primus inde redux Gandavensis cathedræ antistes designatur, Lovanii in collegio Sabaudiæ consecratus a Francisco Sonnio primo Buscoducensium præsule anno
1568. 1568. quo anno 29. Aug. possessionem cepit per Adrianum Meyerum canonicum, & die 8. Septembris insequentis solemniter exceptus est. Claruit vero singulari doctrina, pietate ac facundia, uti scripta ejus testantur, quæ plurima reliquit, ac præcipue concordiam Evangelicam theologorum totius orbis calculis (inquit Sanderus) probatam laudatamque. Anno 1570. synodum diœcesanam celebravit, in qua utilissima publicavit decreta & manuale pastorum a se conscriptum, ac prelo datum eisdem pastoribus transmisit.
1576. Longævus tandem fatis cessit Gandavi an. 1576. tertio idus Aprilis: sepulcrum habet in sua sancti Bavonis æde cum hac epigraphe.

Præclarissimis tum litterarum omnium, tum veræ religionis dotibus ornatissimo viro Domino ac magistro nostro Cornelio Jansenio ab Hulst S. theologiæ doctori, hujusque sedis primo episcopo, qui postquam totum pene octennium, populum non minus publica privataque doctrina, quam singulari pietatis exemplo instituisset, decessit tertio idus Aprilis anno Domini MDLXXVI. *ætatis 66. bonis doctisque omnibus magno sui relicto desiderio.*

De eo Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Antonius Sanderus, lib. de Gandavensibus claris, Arnoldus Raissius in *Belgica Christiana*, & Petrus Simonius episcopus Iprensis, qui illi carmine funebri parentavit.

FUNCCIUS

ANNI CHRISTI

II. Johannes.

Post Jansenium a rege Philippo II. destinatus fuit episcopus Johannes Funccius rerum Belgicarum in Hispania præses, qui ante confirmationem a sede apostolica impetratam decessit.

RUCKEBUSCH.

III. Mathæus.

Funccio subrogatur Mathæus Ruckebusch metropolitanæ Cameracensis ecclesiæ decanus & vicarius generalis archiepiscopi,* qui & ipse nondum confirmatus obiit Montibus Hannoniæ 19. Aprilis anno 1586.

* Barlaymontii.

DAMASI LINDANUS.

IV. Guillelmus.

Ex primo Ruremondensium antistite, secundus Gandavensem cathedram tenuit Wilhelmus Damasi Lindanus, Dordraci in Batavia, nobili loco ortus, vir omnium episcopalium virtutum genere cumulatissimus, de quo fusius in Ruremundensibus episcopis. Porro vix Gandavensis ecclesiæ clavo manum admoverat, cum ex hac mortali vita subductus, ad superos evolavit 2.
Novembris anni 1588 tribus vel circiter elapsis 1588.
mensibus ab adepta possessione, communi cum decessore Cornelio amico & collega tumulo conditus est in cathedrali ecclesia, addita hac inscriptione.

Unicus est phœnix, cineres hæc tumba duorum phœnicum veræ relligionis habet.

D. O. M.

Reverendissimis in Christo patribus S. Theologiæ DD. Cornelio Jansenio & Willelmo Damasi Lindano, primo & secundo hujus urbis episcopis, ob multos in scrutandis & interpretandis sacris scripturis exantlatos labores, & merita in Dei ecclesiam & rempublicam Christianam positum. Obiit hic 2. Novembris MDLXXXVIII. *Ille vero XI. Aprilis* MDLXXVI.

Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. 2. Regum. 1.

Viventem Lindanum impense coluit illustrissimus card. Baronius, ac multis extulit laudibus,

ANNI CHRISTI

ita scribens tom. 1. Annalium ecclesiasticorum A sub finem anni 53. n. XXXII. loquens nimirum de traditione apostolica: *Desiderari adhuc quid posset, ut novatores ista impugnantes refelleremus: sed qui plura cupit ab his petat, qui ejus argumenti commentarios conscripserunt, eosque adeat, tum maxime inter alios reverendissimum Lindanum episcopum Ruremundensem, quem ob egregiam eruditionem toti orbi spectatam, & vitæ sanctitatem plurimi facio.* Hæc quidem in Annal. in notationibus vero ad martyrologium Romanum ad 20. Septemb. ista adjecit: *Fuit certe vir ille non tantum omnis generis litterarum eruditione clarissimus; verum etiam egregii confessoris fidei nobilitatus insignibus,* B *quippequi exsilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes fere frequentes inconcusso robore fidei causa sustinuit.* Meminit ejusdem 21. Oct. & 10. Nov. approbatque in re difficili ac perplexa *gravissimum judicium & censuram accuratissimi & disertissimi*, uti ait, *domini Lindani.* Denique suas in martyrologium Romanum notationes, publici juris facturus, prius eas unius Lindani judicio subjici voluit.

Plurima autem opera ejusdem Lindani exstant, quibus nomen suum immortalitati consecravit: præsertim contra hæreticos sui temporis ad Catholicæ fidei defensionem & confirmationem, C quæ quidem (dum adhuc viveret) ipse recensuerat, horum vero catalogum typis mandari curavit Arnoldus Havensius theologus doctor Lovaniensis & Carthusiæ Gandavensis prior in suo de erectione novorum in Belgio episcopatuum commentario duobus libris comprehenso & Coloniæ Bernardi Gualteri typis impresso 1609. & sumtibus Johannis Kinckii.

DAMANT.

V. PETRUS.

Guillelmo successor datus est Petrus Damantius Mechliniensis, juris utriusque doctor, Nicolai Damantii itidem J. U. doctoris, & rerum Belgi- D carum in Hispania quondam præsidis ac Brabantiæ postea cancellarii germanus frater. Is fuit decanus primum S. Bavonis Gandensis, necnon præpositus ad S. Salvatoris Ultrajecti, inde etiam præ-
1590. positura sanctæ Pharaildis in urbe Gandavo illustris ab an. 1558. ad 1590. quo tertius ecclesiæ Gandavensis episcopus consecratus fuit mense
1609. Octobri, jam ab anno superiori designatus. Vir candidus imprimis & animi apertus, an. 1609. die 1. Aug. utiles esse urbi Gandavo sorores domus leprosariæ scripto profitetur; qui cum insigni laude decem & novem annis episcopatum administrasset ac nonnulla edidisset statuta, obiit 14. E Sept. ejusdem anni, in ecclesia cathedrali sepultus sub tali epitaphio.

D. O. M.

S.

Petrus Damant ex præposito Ultrajectensi & hujus ecclesiæ decano, III. Gandavensis episcopus defunctus anno Christi MDCIX. ætatis suæ LXXIX. sessionis vero XIX. hospes abi, bene precare, & pro pii præsulis monito Deum redama.

ANNI CHRISTI

MAEZ.

VI. CAROLUS I.

E nobili & generosa Masiorum prosapia ortus Carolus, fratrem habuit Engelbertum Masium, sanctioris consilii præsidem, primum fuit Antuerpiensis ecclesiæ decanus, postea vero Archiducum Austriæ Alberti & Isabellæ Belgii principum eleemosynarius, inde Iprensium antistes, demum ad Gandavenses translatus est infulas an. 1610. quo 1610.
possessionem nactus die 5. Novembris, & 21. insequenti ejusdem mensis solemniter exceptus est. Zelo fuit fervidus & eximia animi fortitudine pollens, qui biennio a suscepto hujus ecclesiæ regimine nondum elapso, curis ac laboribus aliisque molestiis fractus obdormivit in Domino, 1612.
cui ad meridionalem chori Bavoniani partem, ubi splendido requiescit mausoleo, hocce positum est epitaphium.

D. O. M.

CAROLUS MASIUS.

H. S. E.

Ad summa natus, per gradus ascendit, sed illustres; decanus ecclesiæ Antwerpiensis fuit, in quod munus, ne alienus veniret, avunculo Rutgero de Tassis successit. Fuit & principibus Belgii ab eleemosynis, inde Iprensium, post Gandensium episcopus; qua dignitate, ea virtute, ecclesiæ & reipublicæ utilis. Vos lugete Belgæ: Ecclesia antistitem amisit, respublica virum XII. kal. Junias MDCXII. cum vixisset annos LIII.

VANDERBURCH.

VII. FRANCISCUS I.

Gandavi, patre Johanne curiæ Mechliniensis dein Bruxellis sanctioris consilii præside natus est Franciscus ex matre Camilla Diaceti Florentina; prudenti admodum & sapienti femina. Lovanii subinde in utroque jure doctor designatus, ex canonico Atrebatensis ecclesiæ primum, postea via permutationis, Mechliniensis ecclesiæ decanus fuit, ejusdemque diœceseos vicarius generalis: ad Gandavensem cathedram tandem nominatur anno 1612. cujus possessionem inivit octava Februarii die anni 1613. rite inaugura- 1613.
tus in episcopum ab archiepiscopo Mechliniensi in choro ecclesiæ suæ cathedralis 17. ejusdem mensis & anni; quo etiam anno 10. Septemb. diœcesanam synodum celebravit. Elegans baptisterium donavit ecclesiæ parœciali S. Nicolai ejusdem urbis, in qua quondam salutaribus undis tinctus fuerat. Migravit ex hac sede ad archiepiscopatum Cameracensem die 4. Junii an. 1615. De quo ibidem fusius, tom. 3.

BOONEN.

VIII. JACOBUS.

De hoc præsule jam diximus in Mechliniensibus archiepiscopis. Is ex decano & officiali ecclesiæ Mechliniensis, necnon senatore regio in suprema ejusdem urbis curia, ad Gandavensem assumtus est episcopatum, sacrisque pontificalibus initiatus die 5. Februarii anni 1617. Gandavi 1617.
in choro cathedralis ecclesiæ ab archiepisc. Mechliniensi Mathia Hovio, cui successit, inauguratus

ANNI CHRISTI

archipræsul die 23. Decemb. anno 1621. Vir fuit divinæ gloriæ zelo incensus, pro ovium suarum salute sollicitus, pauperum amantissimus, litterarum etiam & elegantiarum omnium Mecœnas, inquit Sanderus. Vide in Mechliniensibus archiepiscopis

IX. ANTONIUS.

TRIEST.

Antonius Triest ex nobili & antiqua Triestorum prosapia in Beveren Wasiæ ortus, patrem habuit Philippum Aurei-velleris equitem & dominum d'Auveghem, matrem vero Mariam van Royen: frater autem illius fuit Jodocus Triest baro d'Auveghem. Hic primum canonicus ecclesiæ cathedralis Gandavensis, tum factus archidiaconus, inde ab archiducibus Alberto & Isabella Belgii principibus assumtus est ad oratorium aulæ Bruxellensis tanquam sacellanus honorarius, postea eorumdem Archiducum nominatione promotus ad decanatum ecclesiæ cathedralis S. Donatiani Brugensis, ac demum ibidem episcopus consecratus 9. Julii anni 1617. qua diœcesi quinquennio administrata, ad Gandavensem traducitur, cujus possessionem cepit per procuratorem
1622. 15. Martii anni 1622. continuos vero Dominico gregi pascendo labores impendit; monasteria sibi subjecta, pastoratus seu parœcias, universamque diœcesim, singulis bienniis perlustrare solitus, ea sollicitudine ac diligentia, ut disciplinam ecclesiasticam ubi collapsa erat restituerit, & alibi vigentem tum monitis, tum salutaribus decretis integram servaverit. Sodalitium sanctissimæ Trinitatis pro redemtione captivorum apud Turcas, pluribus in locis instituit.

Immunitatis ecclesiasticæ defensor fuit acerrimus, pluraque ecclesiæ suæ bona a laïcis injuria belli usurpata recuperavit. Certe operarios sollicitudinis suæ pastoralis participes, qui vineam Domini auspicio atque ductu suo excolerent undequaque accersere studiosissimus fuit: eapropter inductos in municipium S. Nicolai agri Wasiani sub sua diœcesi sacerdotes Oratorii D. J. per unionem pastoratus, aliorumque beneficiorum ad suam collationem pertinentium luculenter dotavit, alteram ejusdem instituti domum in parœcia de Teinsche, circa eumdem agrum constituerat, quam liberalitate sua juvit. Carmelitas discalceatos, ex parte hereditatis a fratre suo quondam gubernatore Gravelingano, tribuno militum & archibaillivo Cortracensi, in pios usus destinatæ fundavit in civitate Gandavensi. Isabellæ Belgii principi ac gubernatrici in primis carus & ob fidelem operam in difficillimis reipublicæ negotiis diu præstitam, ab eadem assumtus est in consilium status Belgici, ejusdemque postea mortuæ, cal. Nov. 1633. testamenti executor una cum archiepiscopo Mechliniensi delectus fuit. Archipresbyteros seu decanos rurales diœcesis suæ quotannis congregabat loco diœcesanæ synodi una cum ipsis consulturus quid gregis fidei suæ commissi profectui conduceret; statutaque ex eorum consilio condebat ad disciplinæ ecclesiasticæ conservationem. His curis intentus præsul vigilantissimus obiit Gandavi
1657. in palatio suo episcopali 28. Maii 1657. de ecclesia sua optime meritus, relictis sparsim per universam diœcesim pietatis ac liberalitatis suæ monumentis. In choro elegans habet mausoleum cum hac inscriptione.

ANTONIUS VII. episcopus Gandavensis desideravit quod mortale habuit hic deponi. Sacerdos dum ab ara descendis te obtestatur, ut quod defuncto debes exsolvas, hoc aqua sacra asperge & immortali æternam pacem adprecare & vale.

In subterranea vero ecclesia hæc leguntur:

Hic situs est illustrissimus ac reverendissimus D. ANTONIUS TRIEST V. Brugensium, per quinquennium, ac dein VII. Gandensium annis XXXV. episcopus, in pastorali sollicitudine & officio vigilans & indefessus, in consilio status regis Catholici fidelis & prudens, erga pauperes in vita & morte misericors & liberalis; erectis ampleque dotatis veræ pietatis monte ad gratis mutuandum indigentibus, ac quotidie 30. panum distributione: in ecclesias ac præsertim hanc cathedralem S. Bavonis, cujus fabricam splendide auxit & ditavit, munificus, tandem meritis plenus ac maturus cœlo, anno ætatis 81. sacerdotii 55. episcopatus 40. obiit die 28. Maii 1657. Lector animæ ejus bene apprecare.

X. CAROLUS II.

VANDEN BOSCH.

Ex episcopo Brugensi, sicut decessor, Gandavensis renuntiatur a Rege Catholico mense Aprili anno 1658. possessionemque hujus sedis apprehendit per procuratorem D. Roose præpositum S. Bavonis 8. Junii anni 1660. & 23. Julii subsequentis die, festiva pompa exceptus est. Anno 1660.
1662. die 29. Martii benedixit in abbatem Bergensis S. Winoci monasterii D. Maurum de Vignacourt, in majori ecclesia Gandavensi. Cumque præfuisset annis quinque laudabiliter, epiphora suffocatus interiit 5. Aprilis anno 1665. 1665.
ipso Paschatis festo, hora prima post mediam noctem annos natus 68.

XI. EUGENIUS ALBERTUS.

D'ALLAMONT.

Qui Carolo succederet, nominatus est prima die mensis Februarii anni 1666. ab Hispaniæ 1666.
rege Eugenius Albertus d'Allamont ex comitibus de Brandeville, dudum episcopus Ruremundensis, qui cathedræ Gandavensis possessionem inivit per procuratorem 4. Julii ejusdem anni, & 28. Octobris insequentis solemni ritu receptus est. Hic magnos (ut vocant) vicarios in ecclesia cathedrali instituit & fundavit. Ovium sibi creditarum salutis studiosissimus, confessiones fidelium maxime in Paschalibus festis excipiebat. Ea autem erat animi constantia, ut cum aliquando supplicationem publicam Teneramundæ comitaretur, domumque ibidem episcopalem eodem tempore flagrantem cerneret, nequaquam retrocesserit, rei Divinæ ad finem usque intentus, quam postea domum magnifice restauravit. Auctoritatis apostolicæ & jurisdictionis ecclesiasticæ assertor fuit indefessus, pro qua demum per molestias ardui & prolixi itineris in Hispaniam se contulit: ubi

ANNI CHRISTI morbo correptus, mundo valedicens, se ad beatam æternitatem adeo sancte disposuit, ut deinceps nihil nisi cœlestia meditari voluerit. Decessit
1673. Madriti in aula regia 28. Aug. an. 1673. ætatis suæ 46. Corpus ejus rheda palatii regii inde ad sacellum Flandrorum nuncupatum delatum est & ibidem honorifico ritu depositum, assistentibus præcipuis aulæ principibus ac proceribus, cor autem ad ecclesiam cathedralem Gandavensem translatum requiescit in crypta ejusdem ecclesiæ sub lapide sepulcrali cujus inscriptio talis est.

D. O. M.

Quo primum vixit
ultimumque Deo & ecclesiæ mortuus est.

Illustrissimi ac reverendissimi D. EUGENII ALBERTI D'ALLAMONT Ruremundensium V. Gandensium IX. episcopi cor hic situm est, reliquum cadaver Madritum sibi vendicat, quo cum Pontificis Regisque consensu festinavit Deo duce, comite virtute, ut commissum sibi ovile re & factis non verbis aut specie tueretur. IV. calend. Sept. MDCLXXIII. ante ablatus est, quam providentia Divina optatis ejus humanis responderet. Ut pace perfecta perfruatur, quisquis transis, Deum precare.

Alterum legitur epitaphium ad tumbam marmoream, quam sibi vivens erigi curaverat, sub eadem (nisi Deo aliter visum fuisset) aliquando tumulandus, sic autem habet.

D. O. M.

EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT comes de Brandeville, toparcha de Malandry, &c. ex nobili canonico cathedralis Leodiensis, creatus Ruremondensis præsul V. Dein vacantis ecclesiæ Sylvæducensis vicarius apostolicus. Demum Gandavensis episcopus IX. Quia mortem semper præ oculis habuit, hoc viventi sibi sepulcrum condidit, artem & pretium addidit ut esset non sibi, sed suæ ecclesiæ ornamentum. Disce viator ne præoccuperis a morte, illam semper præ oculis habere.

Mausoleum istud altari principi vicinum ad cornu evangelii, præstantissimi est operis, præsulem exhibens genuflexum, ab ejus dextro latere B. virginem Deiparam, a sinistro vero misericordiam.

Laudatus est pro funere ab Antonio d'Aubermont Dominicano, doctore Lovaniensi 14. Jan. 1674.

Van Hoorenbeke.

XII. FRANCISCUS II.

Ex decano S. Petri Lovaniensis ad sedem hanc promovetur a quatuor annis vacuam, solemnemque habuit ingressum in urbem die 5. Augusti
1677. anni 1677. paucis mensibus episcopus, mortuus est enim die 4. Januarii anni subsequentis.

De Grobbendonck.

XIII. IGNATIUS AUGUSTINUS.

De ipso jam egimus in Namurcensibus episcopis, ad infulas autem Gandavenses transfertur an.
A 1679. & festiva pompa urbem subiit 8. Januarii circa horam nonam matutinam anno 1680. exactisque in hac sede mensibus quinque mortuus est 31. Maii eodem anno. ANNI CHRISTI 1679. 1680.

De Hornes.

XIV. ALBERTUS.

Antiquissima necnon illustrissima in Belgio gente satus Albertus præpositura ecclesiæ cathedralis dudum gaudebat, cum ad solium episcopale ascendit, sacris pontificalibus initiatus in ecclesia sua 22. Julii anni 1681. ab archiepiscopo 1681.
Mechliniensi, in re sacra collaborantibus Brugensi & Antwerpiensi præsulibus. Episcopium
B magnificis operibus exornavit, nullibi tamen insignia sua apponi, uti nec dum viveret, se depingi passus est præsul modestus ac humilis, qui cum vigili cura annis 13. præfuisset, redux ex visitatione parœciarum Poldris adjacentium, morbo correptus cessit e vita die 4. Junii an. 1694. 1694.

Vander-Noot.

XV. PHILIPPUS ERARDUS.

Bruxellis e baronibus de Carloo, prisca non minus quam illustri & patricia familia natus est Philippus Erardus, utriusque juris laurea donatus, canonicatu primum graduato nobili cohonestatur in ecclesia Mechliniensi, inde archipresbyter ejus-
C dem metropolitanæ ecclesiæ, mox præpositus ac vicarius generalis sede vacante, item sub archiepiscopo Humberto Guillelmo eodem munere functus, per hos tandem gradus viam sibi stravit ad episcopatus culmen, quo ab Hispaniarum rege Catholico Carolo II. subvectus, & ab Innocentio XII. summo pontifice confirmatus, rite inungitur in episcopum Bruxellis in palatio archiepiscopali ab eodem archipræsule Humberto, assistentibus Reginaldo Ruremundensi & Ferdinando Antuerpiensi præsulibus 27. Dec. anno 1694. Solemni vero pompa Gandavum ingressus est 4. Januarii anni subsequentis, comitantibus præno- 1695.
D bilibus viris ac dominis barone de Carloo illustrium Brabantiæ statuum deputato, D. Vander-Noot equestris cohortis duce, & D. Dodemont fratribus ejus, necnon DD. van Grave toparcha de Loyens, & barone de Thielen nepotibus, plaudente clero & populo, quem ex eo tempore summa cura & pastorali vigilantia rexit, in visitanda diœcesi assiduus, plurimas ædes sacras & altaria consecravit, episcopium & alias domos episcopales in multis ampliavit & decoravit, collapsas aut flammis absumtas restituit, Teneramundanam præsertim & in Loo Christi, &c. Porro anno 1716. ineunte, rigida si unquam hyeme,
E legationem ad Cæsarem Carolum VI. pro patriæ ordinibus suscepit, Viennamque Austriæ prope octogenarius petiit una cum Antwerpiensi antistite, ceterisque provinciarum Brabantiæ, Flandriæ, ac Limburgi deputatis. Pergit hodieque omnes boni præsulis partes gnaviter adimplere incredibili animi & corporis robore; quem Deus opt. max. diu ecclesiæ suæ incolumem conservet.

PRÆPOSITI GANDAVENSES.

POstquam abbatia S. Bavonis versa est in ecclesiam collegiatam & monachi seculari toga donati sunt a Paulo papa III. an. 1537. primus fuit ex ultimo abbate præpositus

I. Lucas Munich mortuus 18. Januarii anno 1562. pro veteri stilo, id est an. 1563. secundum hodiernum computandi morem, coadjutore antea sibi assumto, qui fuit

II. Huldricus Viglius ab Ayta Zwichemius, vir magnis in republica muneribus perfunctus, Aurei-velleris cancellarius & sanctioris consilii præses: is sublata uxore clericali militiæ adscriptus, in coadjutorem adsciscitur a decessore, quo mortuo, eodem anno admittitur ad possessionem præpositurae per procuratorem die 21. Januarii, cujus tempore, cum per erectionem cathedræ episcopalis Gandavensis, præpositura cum jurisdictionibus & oneribus, ipso e vivis abeunte, in dotem episcopi cedere deberet, nova de consensu Cornelii Jansenii primi Gandavensium præsulis erecta fuit præpositura, cujus erectionis bullam Pius papa V. dedit Romæ anno 1570. septimo idus Septemb. cui novæ dignitati præter præbendam ei prius annexam, duæ aliæ fuerunt attributæ ex quatuor, quas præpositus antea obtinebat, qui novus præpositus a Principe nominandus ut ab omni onere liber est, sic nulla jurisdictione gaudet, quæ penes episcopum remansit. Porro Viglius dum vixit antiquæ præpositurae proventibus ac jurisdictione potitus est. Bruxellis extinctus an. 1577. 8. Maii monumentis litterariis clarus ad S. Bavonis sepultus est. Coadjutorem obtinuerat anno superiori a Philippo II. Hispaniæ rege nepotem, qui sequitur. Vide chartam XIX. col. 350.

III. Bucho ab Ayta Viglii nepos archidiaconus Iprensis ecclesiæ, præpositus Gandavensis nominatur anno 1576. Obiit 1599. die ultima Octobris.

IV. Adrianus Varæus ex canonico graduato theologo præpositus an. 1600. sedit ad annum circiter 1636.

V. Nicolaus de Houdion antea canonicus & decanus hujus ecclesiæ, ad præposituram promovetur an. 1636. postea factus episcopus Brugensis an. 1641.

VI. Jacobus Roose in possessionem præpositurae immittitur anno 1642. cujus hoc legitur epitaphium in ecclesia.

D. O. M.

JACOBUS ROOSE J. U. L. presbyter exemtæ ecclesiæ cathedralis S. Bavonis, dum viveret præpositus per annos XXX episcopatus Gandensis non semel vicarius generalis, ad status Flandriæ e clero Gandensi deputatus primarius, toparcha oppidi & territorii Seclinienfis P. C. Vivere desiit X. Februarii an. 1672.

VII. Albertus de Hornes ex præposito Gandavensi consecratur antistes ejusdem ecclesiæ an. 1681.

VIII. Gabriel de las Torres.

IX. Philippus Franciscus de Croy cessit anno 1694.

X. Thomas Philippus de Boussu de Alsatia, regia nominatione fit præpositus 15. Martii 1696. quam dignitatem tenuit ad annum 1716. quo archiepiscopus Mechliniensis consecratur. Vacavit autem præpositura a die X. Februarii ejusdem anni ad 28. Aprilis 1721. quo temporis spatio fructus omnes capitulo cesserunt.

XI. Josephus-Benedictus-Patricius-Henriquez de Castro comes de Spinoso Caroli VI. Imperatoris ac Belgarum principis collatione præposituram nactus est litteris datis Viennæ in Austria 28. Septemb. 1720. in possessionem inducitur anno sequenti 28. Aprilis, & adhuc præest.

DECANI GANDAVENSES.

I. PETRUS I. DE HUERIBLOCK *al.* HENRICUS BLOCK ex priore claustrali decanus anno 1537. obiit 5. Octobris an. 1539.

II. Johannes I. Lobbel.

III. Johannes II. de Mayo *al.* Holle protonotarius apostolicus & decretorum doctor, Gandav. ecclesiæ decanus, decessit 20. Junii 1563.

IV. Marcus Sterck decanus moritur Insulis in Belgio 4. Novemb. *al.* mense Septemb. anno 1578. quo confugerat una cum plerisque canonicis ejectus a civibus in principem ac religionem perduellibus.

V. Clemens Crabbeels S. T. L. archidiaconus & officialis Gandav. ac vicarius generalis sede vacante absens eligitur in decanum a majori canonicorum parte Tornaci tunc exulum, & ibidem in possessionem decanatus immissus per procuratorem Adrianum Waræum 20. Febr. *al.* 29. an. 1579. Ad Silvæducensem cathedram subinde evehitur 1584. ubi vide.

VI. Petrus II. Damant juris utriusque doctor decanus hujus ecclesiæ, cui postea præfuit episcopus consecratus 1590.

VII. Carolus Philippus de Rodoan ex canonico primum Virdunensi, Gandavensis ecclesiæ canonicus, cantor ac decanus, necnon abbas commendatarius Einhamensis & præpositus S. Waldetrudis Montibus in Hannonia, demum antistes Middelburgensis in Zelandia consecratus, inde transiit ad Brugensem episcopatum, ubi vide.

VIII. Petrus III. Bernartius S. T. L. Carolo A Philippo successit in decanatu Gandav. e vivis exemtus mense Decembri 1613.

IX. Franciscus I. Del-Rio J. U. L. & decanus Gandavensis mortalitatem explevit 1617. 25. Augusti.

X. Georgius Chamberlain licentiatus in decretis, electus in decanum 13. Sept. 1617. ad Iprenses infulas designatur 13. Martii 1627.

XI. Nicolaus de Houdion J. U. L. officialis, in decanum assumitur 24. Octob. 1624. postea præpositus ejusdem ecclesiæ.

XII. Franciscus II. de Ghistelles in decretis licentiatus, via permutationis decanatum obtinet an. 1636. & obiit an. 1641. B

XIII. Cornelius Ooms a capitulo electus an. 1641. migravit a seculo an. 1654. cujus sepulcro hæc apposita fuit inscriptio :

D. O. M.

CORNELIUS OOMS J. C. hujus ecclesiæ cathedralis decanus, olim Dei sacerdos, nunc victima, cecidi ætatis meæ an. 55. Nativitatis Dominicæ 1654. XII. kal. Octobris. Et tu quisquis transis, immortalia hic ne speres viator, ad hoc sacramentum omnes redacti sumus, ferre mortalia. Vixi, & quem dederat providentia honorum sacrorum cursum peregi ad rigidam virtutis normam. Apud te sit opinionis suffragium, apud me Divini judicis divina sententia est. C

XIV. Maximilianus van Voestyne J. U. L. decanus capitulari electione renuntiatur 26. Sept. 1654. vivere autem desiit 1. Januarii 1669. cujus tumulo hæc adjecta est epigraphe :

D. O. M.

Ac memoriæ reverendi admodum & amplissimi D. MAXIMILIANI van VOESTINE ex nobili & equestri familia dominorum de Beclaer, presbyteri juris utriusque licentiati, hujus exemtæ cathedralis ecclesiæ S. Bavonis canonici graduati, thesaurarii ac dein decani, ad comitia Flandriæ pro parte cleri Gandav. deputati primarii. Obiit 1. Januarii an. 1669. R. I. P.

XV. Johannes III. le Monier J. U. L. ex thesaurario electus 7. Martii 1669.

XVI. Judocus Ignatius Ranst J. U. L. ad decanatum promotus mense Augusto anno 1675. exstinguitur 22. Januarii 1697. Jacet in crypta cum hoc epitaphio :

D. O. M.

Et piæ memoriæ reverendi admodum, ac amplissimi DD. JUDOCI IGNATII RANST J. U. L. prius Tornacensis, dein hujus ecclesiæ canonici graduati, ac tandem decani, quarto diœcesis Gandensis sede vacante vicarii generalis, necnon ad comitia Flandriæ pro parte cleri deputati primarii, sui memor anniversarium fundavit, cum panis distributione. Vixit annis 67. Devixit 22. Januarii 1697. sepultusque jacet hic infra in crypta. Tu viator defuncto bene apprecare.

XVII. Gislenus Schorman per triennium sedit decanus.

XVIII. Johannes IV. Bejar.

XIX. Cornelius-Josephus Legier decanus ab an. 1710.

DE ABBATIIS DIŒCESIS GANDAVENSIS.

Fuit olim in ipsa urbe Gandavo insigne S. Bavonis monasterium, quod nunc est cathedrale collegium de quo supra : nunc de ipso, quatenus abbatiali dicendum.

S. BAVO.

S. BAVON.

HOC olim diœcesis Tornacensis monasterium, Ganda nuncupatum, seu cœnobium in castro Ganda ad Scaldis & Legiæ seu Lisiæ confluentes situm, condidit an. 631. uti videtur Cointio & Mabillonio ad hunc annum, citius vero, ut aliis[a] placet, S. Amandus, qui fidem Christianam Gandavensibus primus intulit. Illud, inquam, uti Blandiniense, sub patrocinio sanctorum Petri & Pauli, aliorumque apostolorum condidit, ac in utroque monachus ipse monachos posuit, quidquid in contrarium nonnulli reclament, quos abunde refellit Mabillonius noster ex ipsomet, cui innituntur, primo scriptore vitæ S. Amandi. Hic nimirum *clericorum* nomine, uti Gregorius Turon. & alii passim, utitur ad designandos monachos, non modo ubi agit de primordiis monasterii Gandensis, sed etiam cum de Florberto abbate sermonem habet, sub quo D instituti clericalis in monasticum factam mutationem contendunt. Et certe quis credat clericos tam brevi temporis intervallo ab instituto sic descivisse, ut necesse fuerit in eorum locum monachos subrogare : vix enim sexdecim a condito hoc cœnobio effluxerant anni, cum beatus Bavo monasticis in rebus informandus ad cœnobium Gandense, cui condendo suppetias tulerat, reversus est : sic enim loquitur auctor anonymus, ac perantiquus : *Allowinus* (id alterum Bavonis nomen) ad venerabilem Florbertum abbatem accessit, quem almus *pontifex Amandus ibidem constituerat super gregem clericorum rectorem, petiitque ab eo humiliter cellulam*, ubi vides ab auctore isto anonymo Florbertum appellari *rectorem clericorum*, uti antea monasterium appellaverat *cœnobium clericorum*, sed quid inde? Qualem regulam sectabantur

[a] Breve chronicon Elnonense an. 616. consignat ecclesiæ S. Petri in Gant dedicationem a S. Amando peractam.

sectabantur illi clerici? nempe regulam S. Benedicti. A Id quod subsequentia ejusdem auctoris verba probant: *Ut vero pius pater monasterii, nempe Florbertus, ejus petitionem audivit, cum gaudio eum suscepit: & ejusdem fratribus monasterii, juxta perceptum pii patris Benedicti, convocata omni congregatione, ejus patefecit preces: ut si forte juniori revelatum fuisset, quod placitum esset Omnipotenti, cum omni aviditate cordis susciperet.* Quæ verba desumta sunt ex capite tertio regulæ S. Benedicti. Itaque *præceptum pii patris Benedicti* sequebantur illi clerici, non alii proinde quam monachi, quos *clericorum* nomine absolute prolato, designatos olim fuisse observat B Mabillonius ex Gregorio Turonensi & aliis. Adde Gandavenses illos clericos *ad obedientiam* egressos, ut cellulam viri Dei Bavonis construerent, ipsosque *laborasse manibus* & ædificium fabricasse, nempe ad præscriptum regulæ S. Benedicti, qui monachos suos ejusmodi operibus adhibebat. Cur ergo, inquies, Gandenses monachos anonymus ille auctor clericos vocat, non monachos? nempe quod Amandus in monasteriis illis, quæ seminaria ministrorum erant, ad disseminandum Christi Evangelium, monachos clericalibus officiis destinasset aptassetque; quales erant monachi Romani a Gregorio in insulam C Britanniam missi ad Anglos in fide erudiendos, quos venerabilis Beda satis habuit appellare verbi ministros, eosdem scilicet, quos Gregorius monachos in epistolis vocat. Hæc Mabillonius, t. 1. Annal. Bened. pag. 351.

Crevit autem Gandense cœnobium tam ex munificentia Regis, quam ex collatione religiosorum virorum, quos inter, principem locum obtinet B. Bavo, Allowinus dictus, nobilis Hasbaniensis, & Adilionis comitis gener, qui conjuge mortua, ac secundis nuptiis posthabitis, ibidem coma capitis resecta sacras vestes induit, ac monasticen professus est; tantaque sanctitate, D in angusta inclusus cella, tantisque miraculis floruit, ut suum postea nomen huic monasterio dederit. Vitam S. Bavonis habes secul. 2. Bened. pag. 396. & seq. Sanderum etiam consule in chronico Bavoniano. Ceterum ex Bucelino sub annum 851. Normanni hoc cœnobium vastarunt, monachis integro ferme seculo extorribus factis; quod tandem ab Arnulfo Flandriæ comite, ejusque filio Balduino, opera S. Gerardi Broniensis instauratum, anno 939. sua firmavit auctoritate Lotharius Francorum rex diplomate, quod ex codice donationum Auberti Miræi sumtum recudimus inter instrumenta. (Ch. XVI. col. 333.) Exinde vero E status monasticus ibi perseveravit ad annum usque 1536.* (*al. 1537.) quo Paulus papa III. petente Carolo V. Romanorum imperatore eodemque Flandriæ comite, nomen ac titulum monasterii ord. S. Benedicti, ac dignitatem abbatialem antiquavit, & statum regularem in statum canonicorum secularium commutavit, bulla data hoc anno, sui pontificatus secundo, nono cal. Aug. *al.* calendis; (Mir. novæ edit. pag. 1051.) qua de re versus hic chronographus:

VInCVLa SVnt Petro, MonaChO qVæ
VinCVLa toLLVnt.

Quæ bulla subinde diplomate imperiali dato Genuæ die 18. Octob. ejusdem anni executioni mandari jussa est. Porro cœnobium ipsum Bavonianum Carolus V. imperator, primo fundamenti lapide per funem inter obequitandum demisso, tutandæ urbi in arcem convertit; & canonici, qui ibidem triennio vel circiter sic steterant, ad S. Johannis basilicam, tunc parœcialem, nunc vero cathedralem commigrarunt an. 1540. die 12. Maii, Carolo Croio Tornac. episcopo ipsos deducente, & sanctorum corpora eodem solemniter transferente; postquam die præcedenti Alexander Farnesius cardinalis, sedis apostolicæ de latere legatus id permisisset, & ecclesiæ S. Johannis nomen S. Bavonis indidisset, rogatu Caroli V. imperatoris, qui hoc ipsum Brugis, accedente bulla confirmationis Pauli III. data eodem anno, III. nonas Decembris, die 10. Julii insequentis confirmavit, pluribus eodem anno 1541. die penult. Januarii super observatione cultus divini ordinatis, ac denique ad prædictæ bullæ executionem processum est per Philippum Nigri, ordinis Velleris-aurei cancellarium, &c. die 18. mensis Aug. an. 1541. De basilicæ hujus in cathedralem erectione supra diximus. Abbates autem S. Bavonis hoc ordine proferuntur (Ibid. pag. 1055. 1056. 1059. & 1061.) ex Antonii Sanderi Flandria illustrata, quibus tamen aliquos addidimus indubitatis nobis testimoniis notos.

SERIES ABBATUM.

I. S. FLORBERTUS BAVONICO simul & Blandiniensi monast. a B. Amando præficitur abbas an. 636. ex Mabillonio & Cointio; idemque sub annum 647. beatum Bavonem, qui jam a S. Amando clericatus honore insignitus fuerat, ad Gandam monasterium revertentem excepit, eique in privata cellula, *in qua divinam misericordiam sibi pro facinoribus propitiam redderet*, manere permisit. Ad ipsum exstat epistola metrica S. Livini episcopi & martyris de ejus in se hospitem liberalitate grates referentis, cui S. Bavonis epitaphium rogatu ejusdem Florberti subjecit, quod vide sis apud Mabillon. tom. 1. annal. Bened. pag. 413. Eidem S. Livino, cujus martyrium incidit in annum 656. superstes vixit Florbertus ex Mabillonio, quem scribit mortuum Cointius anno 657. Jacet in hoc monasterio; ejusque obitus dies notatur in necrologio Blandiniensi & in martyrologio Benedict. Hugonis Menardi XIII. cal. Maii & calendis Novembris, ubi de sola Blandiniensi præfectura mentio fit, passim VIII. idus Octobris.

II. Aldebertus seu Adalbertus Florberto subrogatus ab ipsomet S. Amando fuisse dicitur, in Ganda scilicet, nam in Blandinio Johannes successit; qui quidem ambo ejusdem S. Amandi testamento, quod anno regis Theodorici secundo, Christi 675. vel circiter condidisse docet Mabillonius noster, subscripserunt. Huic sententiæ Cointius favet, Alberti obitu an. 679. consignato.

III. Fulco regimen auspicatur post Aldebertum, & decimo-quarto præfecturæ suæ anno, Christi 693. IV. nonas Decembris e vivis sublatus est.

IV. Wilfridus sexdecim annos præfuit ex Sandero, sed eos numerat Cointius ab anno 693. ad 709. quo mortalitatem explevit, consignatus in necrologio XII. cal. Octobris. De elevatione autem corporis S. Bavonis, quam a B. Eligio Noviomensi episcopo, hujus abbatis tempore factam scribit Sanderus, erroris arguitur, prius enim ad Deum migravit B. Eligius, quam Wilfridus abbas fieret; obiit enim anno Christi sexcentesimo undesexagesimo.

V. Reynerus pedum gessit annos 14. nempe ab anno 709. ad 723. quo exstinctus est idibus Maii, ex Cointio.

VI. Albericus proxime successit, septemque annis duntaxat gubernavit, mortuus an. 730. die 2. Novembris.

VII. Wilradus assumtus in abbatem eodem anno, diem clausit suum an. 747. vel circiter, XIV. cal. Januarii.

VIII. Hildebertus abbas renuntiatur eodem anno, quem Blandinio præfuisse perperam docet Meyerus. Hunc porro a consiliariis Constantini Copronymi imper. C. P. pro tuendo sacrarum imaginum cultu interfectum scribunt Sanderus in auctario ad tom. 1. Flandriæ illustratæ, Aubertus Miræus in originibus cœnob. Belgii, Meyerus, Molanus & Gazetus an. 752. at Cointius fabulosa censet, quæ de Hildeberti martyrio commemorant hi auctores; nihil enim juris in Gandam & in regnum Francorum fuit unquam imperatori Constantino Copronymo; immo Pippino regi tunc temporis, ejusque subinde posteris subjacuit. Ceterum quot annis pedum gesserit, quove tempore obierit, ignoramus.

IX. Robertus solo nomine notus, Hildeberto suffectus est ex Cointio, vixitque in abbatiali munere, Pippino regnante; de ejus autem obitu nihil comperti habemus.

X. Werricus Roberti successor, & ipse solo nomine notus, sedit usque ad tempora Caroli & Carolomanni filiorum Pippini, ex eodem Cointio. Hi duo postremi abbates Agelfredo, qui sequitur, postponuntur in vulgatis catalogis.

XI. Agelfredus qui & Egilfridus ex monacho Elnonensi Bavonianus abbas, tum Elnonensis, ac demum Leodiensis episcopus evasit, ex Mabillonio; & certe Meyerus ipsum jam abbatem Gandensem an. 754. XV. cal. Dec. ex Francia orientali ad cœnobium Gandense corpus S. Pharaildis attulisse tradit. Scribit e contrario Cointius n. 17. hunc adepto jam episcopatu abbatiæ subinde præfectum fuisse a Stephano papa III. & quidem anno 770. quod cœnobium prudenter administravit episcopus simul & abbas ad obitum usque, qui contigit an. 784. ex eodem Cointio, anno autem 787. ex brevi chronico Elnonensi, seu S. Amandi, cui monasterio etiam præfuit, uti jam diximus in abbatibus Elnonensibus.

XII. Eynoldus in regimen Gandensis abbatiæ Agelfredo successit, ex Cointio, vixitque ad annum 794. ex Sandero, cui consentit Cointius.

XIII. Wenebaldus assumitur in abbatem eodem anno, præfuitque inde ad annum 809.

XIV. Breddo seu Briddo e vivis exemtus est anno 816. post cujus obitum monasterium incendio deformatum est, & monachi hac illac sine rectore dispersi vixerunt.

XV. Eginhardus seu Einhardus vagis ac profugis monachis præpositus est an. 819. vel circiter. Is est celebris Caroli-magni notarius ac vitæ scriptor, & regiorum ejusdem ædificiorum præfectus, qui superstite etiam tum uxore, quacum cælebs vivebat, plures abbatias rexit, nempe Gandenses S. Petri in monte Blandinio, & S. Bavonis; Selingestadiensem, cujus auctor & conditor fuit, & Fontanellensem, seu S. Vandregisili, quam post septem regiminis annos Ansegiso viro sibi grato transcripsit. Certe Eginhardus ipse, vivente uxore, abbatem se in duabus epistolis, nempe 12. & 54. indigitat. Uxor ejus fuit Imma, sic eam ipse vocat in epist. 32. & sororem, propterea quod tunc cum ea cælibatum servabat; ex qua tamen olim Ussinum susceperat, uti probat epistola 30. *Carissimo filio Ussin* inscripta. Immam Caroli-magni filiam dicit chronographus Laureshamensis, & proinde Ludovici Augusti sororem. Et quidem ipse Eginhardus Lothario Imperatori Pii filio scribens, *neptitatem* ejus de quibusdam rebus monet, quod fidem chronographo conciliare videtur. Ut ut est nobilissimam appellat Lupus, quo titulo nonnisi regiæ principisve stirpis homines tum designari solebant.

Ad Bavonense cœnobium quod attinet, flammis absumtum restituit Eginhardus, monachis vagis in unum reductis. Præceptum quoque immunitatis a Ludovico imperatore obtinuit hoc ipso anno 819. pro monasterio, quod dicitur Ganda, sito in pago Bracbatensi, ubi S. Bavo confessor Christi corpore requiescit; quæ fere verba sunt diplomatis, quod datum est Aquisgrani idibus Aprilis anno Imperii sexto, indict. XII. Transtulit etiam illuc partem reliquiarum, SS. martyrum Marcellini & Petri, quas Ratleicus ejus notarius & in Seligestadiensis cœnobii regimine successor Romam missus, e basilica S. Tiburtii effossas, clam subripuerat & ad ipsum detulerat. Eginhardi obitum alligat an. 839. Mabillonius noster, Sanderus an. 844. VIII. cal. Aug. In vetusto breviario Fontanellensi notatur: *XV. cal. Junii Einhardi abbatis Fontanellæ commemoratio;* quem ut sanctum colunt Fontanellenses nostri. Epitaphium ejus scripsit Rabanus abbas Fuldensis. Porro claruit Eginhardus scriptis suis: nam præter vitam Caroli-magni, litteris etiam consignavit annales de rebus a Carolo & Ludovico gestis, quidquid contra sentiat Cointius; varias epistolas, quatuor libellos cum vita rythmica SS. Marcellini & Petri martyrum; librum etiam de adoranda Cruce, aliumque de revelatione S. Gabrielis, qui duo posteriores exciderunt.

Mir. nova edit. p. 18.

XVI. Einkericus regimini post Eginhardum admotus, reliquias S. Bavonis & sanctæ Pharaildis, instante Normannorum incursione, ad castrum sani S. Audomari transtulit an. 846. ex Meyero & Locrio. Sublatus est e vita anno 852. cum anno superiori cœnobium diruissent barbari.

Ibid. pag. 26.

XVII. Adelmus comes innotescit ex præcepto A Caroli-calvi Francorum regis prædia Gandensi S. Bavonis monasterio olim collata confirmantis an. 864. precibus, inquit, Reinhelmi Noviom. sive Tornac. ecclesiarum præsulis, necnon etiam carissimi fidelis nostri Adelmi comitis, *qui & largitu nostro rector monasterii S. Petri & S. Bavonis, quod vocatur Gand super fluvium Schald siti, &c.* Tunc autem canonicos, non monachos in S. Bavonis monasterio resedisse constat ex verbis subsequentibus. Fortasse tamen per vocem *canonicos* intelligendi sunt monachi, uti per vocem *clericos*, intelligendos esse supra demonstravimus; vel etiam Adelmus comes errantibus monachis B cum suo abbate, præfecturam adeptus, ad cultum divinum conservandum canonicos adhibuit ad tempus. Sane

XVIII. Tasradus *al.* Taffridus Einkerici in abbatiali munere successor dictus, cum suis monachis & sacris pignoribus Lugdunum Clavatum sive Laudunum Galliæ civitatem terrore Normannorum se recepit, ne quidem in S. Audomari castro tutum se fore ratus, ibique obiit XII. cal. Apr. an. 867. ex Sandero. Porro Lauduni apud S. Vincentium per annos fere triginta Gandenses monachi constiterunt, dein canonicis ibidem a Didone episcopo institutis, ad Nigellam cœno- C bium Briegii pagi se contulerunt.

XIX. Radulfus communi fratrum consilio in abbatem cooptatur Lauduni, ubi mortalitatem explevit an. 882. in monasterio tamen Nigellensi sepultus VI. idus Aug. ex eodem Sandero.

XX. Helias post Radulfum electus a fratribus, moritur an. 895. IV. idus Decemb. & quiescit Lauduni in ecclesia S. Vincentii; quo exstincto magna fuit dispersio monachorum, quæ plusquam 40. annis duravit, donec rebus serenatis in Belgio, post longa exsilia ad proprias remearunt sedes monachi, invitante Arnulfo comite, qui Gandense seu Bavonianum monasterium instaurare constituit D an. 939. Primam ejus facti laudem Transmaro Noviomensium ac Tornac. episcopo, qui ex præposito S. Vedasti ante biennium electus fuerat, tribuit scriptor miraculorum S. Bavonis. Hic venerabilem locum tribulis ac vepribus obsitum miseratus, de eo restituendo litteras scripsisse traditur eidem Arnulfo, ad quem ex Regis beneficio pertinebat locus, quibus significabat, *se scalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cœlum posset conscendere.* His adhortationibus animatus Arnulfus, pium opus aggressus est, quod tum episcopi, tum aliorum fidelium subsidio demum perfecit. Interea dum reficiuntur ædes, monachi aliquandiu in E Novi-castelli ecclesia substiterunt, qui tandem an. 940. rebus utcumque dispositis, in suum cœnobium postliminio reversi sunt, illatis prius in novum S. Bavonis oratorium sacris pignoribus, præsente Girardo Broniensi abbate, qui hujus negotii pars magna fuerat, ac primus a restituto cœnobio abbas fratribus datus.

XXI. S. Gerardus Broniensis cœnobii in tractu Namurcensi fundator, ab Arnulfo comite e monasterio S. Gilleni, cui præerat, evocatus, instituitur Bavoniensis abbas a Transmaro Tornacensi præsule. Hic dispersos monachos ex Gallia domum revocavit, & instauratis ædibus in monasterium induxit, quos ad præscriptum sanctæ regulæ verbo & exemplo vivere docuit. Arnulfum comitem calculi dolore laborantem, precibus suis ac meritis liberavit, a quo in tanti beneficii præmium oblata munera constanter respuit. Cumque Bavonianis aliquandiu paterna sollicitudine præfuisset, abdicato tandem regimine, abbatiam transcripsit Widoni an. 947. De eo fusius, t. 3. in abbatibus Broniensibus & Gislenianis.

XXII. Wido seu Guido levita, S. Gerardi ex fratre nepos, a quo Sithiensi primum seu S. Bertini cœnobio præpositus fuerat, sed ob ineptam administrationem præfectura dejectus, Bavoniano tamen cœnobio præficitur an. 947. Rem narrat Folcuinus Bertiniensis monachus auctor coævus ad hunc annum, in hæc verba: *Anno 947. abbas Wido, quia nimis vanæ juventutis gaudia sectabatur, apud comitem* (Arnulfum) *incusatus, abbatia est fraudatus, & sancti Bavonis monasterio abbas est destinatus.* Cui concinit Iperius his verbis: *Qui* (Wido) *promotus in abbatem, juventutis suæ gaudia nimium sectabatur: quamobrem fuit hinc a B. Gerardo depositus, vixque comes Arnulfus obtinere potuit, ut eum permitteret ad alium locum promoveri; sed finaliter, insistente comite, translatus est ad abbatiam S. Bavonis Gandensis*, quam brevi tempore administrasse videtur, abdicato post aliquod tempus regimine; quod primum quidem datum fuisse Womaro arbitrari cogit præceptum Lotharii Francorum regis Ibid. pag. 42. anno I. regni ejus pro restitutione bonorum hujus monasterii, sed paulo post rejectum in humeros beati Columbani & Hugonis successoris ejus, iterumque ipsis defunctis resumtum a Womaro, & post hunc ab eodem Guidone, non altero, ex sententia Mabillonii, qui duos distinguere videtur; nihil enim, pace tanti viri dixerim, obstat, quominus Wido junior moribus cum esset, Gandensi abbatia aliquandiu primum administrata, eam sponte sua vel etiam coactus deseruerit, cui iterum moribus jam maturus & ætate provectus, fuerit admotus, nam aliunde constat Widonem Wolmaro mortuo in utriusque abbatiæ, Blandiniensis scilicet & Gandensis regimen successisse.

XXIII. Columbanus inter abbates Bavonianos a Mabillonio recensitus, Widoni abdicanti, seu potius Womaro subrogatus est, rexitque ad annum 957. quo in privatam cellam secessit in cœmeterio monasterii, ac biennio post ad cælestem vitam migravit piissimus abbas, anno scilicet 959. sepultus in crypta beatæ Mariæ, ubi ante altare S. Andreæ sub arcu lapideo jacet.

XXIV. Hugo administrationem abbatiæ nactus, quinquennio tenuit, eamque 965. Wolmaro transcripsit, exstinctus eodem anno, ex Sandero.

XXV. Womarus, qui & Wolmarus atque etiam Wltmarus Sithiensi primum abbatiæ a B. Gerardo præfectus, ea dimissa, ad Blandiniensem, cedente etiam eodem Gerardo, & ut ex dictis consequitur, ad Bavonianam, abdicante Widone vel deposito promovetur. Hac autem paulo post cessit, illa retenta; sed iterum

Bavonianæ regimen capessivit anno 965. cujus varia prædia, intercedente Balduino Cameracensi comite an. 967. a Lothario rege confirmari obtinuit. Ejusdem Womari precibus Otho II. imperator ablata monachis Bavoniensibus restituit an. 974. & iterum 976. Deinde Womarus abbas sanctorum Landoaldi & sociorum ejus corpora ex Wintershovio villa pagi Trajectensis ad Archam fluvium, quam Ottonis II. Imperatoris edicto recuperaverat, in suum Bavoniense monasterium transferri curavit anno 982. quo ipse obiisse traditur, Blandinii sepultus, ubi vide.

Ibid. pag. 46. *Ibid. pag. 49. & 344.*

XXVI. Wido seu Guido idem qui supra, in utriusque abbatiæ, Blandiniensis & Bavoniensis administratione Womaro successit, ex Sandero. Verum ejus electionem Adalberoni Remorum archiepiscopo haud satis probatam fuisse, in Blandinio dicemus. Et certe S. Bavonis abbatiam Widonem sponte sua cessisse Odwino, qui sequitur, auctor est Sanderus, retenta sola Blandiniensi, ubi vide.

XXVII. Odwinus, cedente Widone, abbas ordinatus, novæ basilicæ fundamenta jecit anno 985. & in fata concessit anno 995. XVI. cal. Julii, ex Sandero.

XXVIII. Erembordus successit, & opus a decessore inchoatum absolvit. Eo procurante anno 1007.* facta est solemni pompa translatio reliquiarum SS. Livini episcopi & martyris & Briccii pueri itidemque martyris, ejusdem Livini a sacro fonte filii, ex Holtemio in S. Bavonis cœnobium v. cal. Julii. Dudum vero sacras SS. Pancratii & Barbaræ exuvias Roma secum illuc cum pluribus aliis sanctorum corporibus adsportaverat, & abbas factus Henricum Germaniæ regem, qui postea sanctus dictus est, Balduino Flandriæ comiti bellum inferentem, in suo S. Bavonis cœnobio honorificentissime exceperat; quo factum est, ut Rex circumvicinam regionem populatus, rebus ad idem cœnobium pertinentibus parci jusserit; qui certe ejusdem monasterii possessiones anno 1003. confirmavit. Migravit e vita 1017. IX. calend. Augusti, & sepulturam habet in crypta B. Mariæ.

* 1008. ex Meyero.

Ibid. pag. 347.

XXIX. Othelboldus regebat anno 1019. Animam exhalavit anno 1034. nonis Decemb. Meminit Mabillonius seculo II. Benedict. in observationibus ad vitam S. Bavonis pag. 396. epistolæ, quam hic abbas scripsit ad Otgivam Flandriæ comitissam, in qua enumerat corpora sanctorum in ecclesia sancti Bavonis asservata. Hanc habes epistolam apud Miræum novæ editionis pag. 348.

XXX. Lidwinus Atrebatensis, regimine cessit an. 1036. ex Sandero.

XXXI. Rumoldus Bergensis, deponitur anno 1038. quo sedente, Balduinus Pius comes Flandriæ & Adela ejus uxor in cœnobium munifici fuere, amplissimis possessionibus assignatis.

XXXII. Folbertus seu Fulbertus an. 1039. inauguratus abbas, adfuit an. 1052. regni Henrici regis 23. solemni corporis S. Bertini elevationi. Eodem pedum gerente altera translatio reliquiarum S. Bavonis facta est VII. idus Martii anno A 1066. Anno sequenti Balduinus Tornacensis & Lietbertus Camerac. episcopi sacras S. Macharii exuvias e terra elevarunt in eodem cœnobio & venerationi publicæ proposuerunt, adstantibus abbatibus plurimis, ipsoque Philippo Francorum rege, necnon Balduino Flandriæ comite, ejusque filio cognomine & aliis proceribus, cum innumerabili utriusque sexus populo ibidem tunc congregato. *Sanderus.*

XXXIII. Sigerus 1067. & 1073. quo sponte sua absolvitur, cum prius ecclesiam parœcialem in castro Gandensi positam in honorem S. Crucis, sanctique Bavonis a Radbodo diœcesano episcopo B dedicari curasset.

XXXIV. Stephanus d'Egmont substituitur, & anno 1074. reliquias plurimorum sanctorum transtulit cum fratribus suis in ecclesiam parœcialem S. Crucis sanctique Bavonis Gandensis supradictam, & in novo scrinio decenter composito collocavit. De dignitatis suæ gradu dimovetur an. 1076. ex Sandero.

XXXV. Wichmannus *al.* Wimandus subrogatus, recensetur inter abbates, qui concilio Compendiensi interfuerunt anno 1085. ex tomo X. concil. pag. 407. & Spicil. tom. 2. pag. 599. Administratione & ipse privatur an. 1092. ex C eodem Sandero.

XXXVI. Adelardus successit, sub quo ecclesiæ S. Jacobi in Gandavo fundatio cœpta est an. 1093. Moritur an. 1099. VI. nonas Martii.

XXXVII. Wlfricus, Wefricus, Gulvericus & Gualricus, unus & idem abbas diversimode expressus Adelardum excepit. Occurrit an. 1101. in charta Manassis episcopi Camerac. fundationem Bornhemiensis abbatiæ laudantis, & anno 1107. indict. XV. in alio instrumento Baldrici episcopi Noviomensis & Tornac. pro monasterio Elnonensi. *Fuit in providentia rerum temporalium vigilanter strenuus*, teste oculato Radulfo abbate D Trudonensi in chronico lib. XI. Spicil. tom. 7. pag. 484. naturæ debitum solvit XI. calend. Julii anni 1131.

Ibid. pag. 168.

XXXVIII. Everdeus I. abbatiali muneri admotus, inchoavit an. 1138. occidentale opus majoris turris Gandensis sancti Bavonis cœnobii prima die Martii; quo etiam anno subscriptus occurrit in charta Simonis episcopi Tornac. pro Trunchinensi cœnobio, & in alia ejusdem præsulis data anno 1140. pro eodem monasterio. Præfecturam libere abdicavit anno 1151.

XXXIX. Betto, Everdeo subrogatus, præerat an. 1167. quo Philippus Alsatius comes Flandriæ E nonnullas decimas eidem restituit. Idem memoratur præsens anno 1171. secundæ translationi S. Livini martyris factæ ministerio Gualterii episcopi Tornac. ex Raissio. Anno autem 1175. ipse reliquias S. Briccii pueri & martyris in novo scrinio reposuit. Defecit an. 1177. III. nonas Novemb.

Ibid. pag. 972.

XL. Guillelmus morbo confectus expiravit an. 1187.

XLI. Everdeus II. qui & Emodeus & Evoredus, ad quem scripsit epistolam 219. Stephanus Tornacensis episcopus, memoratur an. 1196.

in sententia ejusdem præsulis adversus Rassonem militem. Præfecturam dimisit anno 1206. ex Sandero, qui post hunc inducit Guidonem de Paré cardinalem Prænestinum & archiepiscopum Remensem & antea Cisterciensem abbatem, mortuum 1206. Sed hoc maxime dubium est, ne dicam falsissimum.

XLII. Balduinus I. ex loco de Ponterave oriundus, abbatia cessit an. 1208.

XLIII. Eustatius in loco de Herleim natus, qui locus nunc dicitur oppidum castri Gandensis, regiminis clavum aliquandiu tenuit; quo sedente, an. 1214. Gandavum, Brugas & Ipras gravissimum incendium vastavit, flamma non solum domos numerosas, sed & homines populante. *Sanderus*.

XLIV. Henricus I. a natali solo de Herdenburch dictus, obiit anno 1224. IV. nonas Novembris.

XLV. Balduinus II. Balduini advocati S. Bavonis filius, in abbatem assumtus, bona cœnobii plurimum auxit & ædes magna ex parte reparavit. Memoratur an. 1242. & 1244. quo anno pepigit cum W. episcopo, W. decano & capitulo Tornac. Vivere desiit anno 1251. idibus Octobr.

XLVI. Theodoricus de Maldeghem dictus, Balduino suffectus est, cujus tempore, id est an. 1258. Florberti primi abbatis Bavoniani ossa e primo sepulturæ loco levata memorat Sanderus, indeque in ecclesiam translata, quasi diversus fuerit hic Florbertus ab abbate cognomine Blandiniensi, quem tamen unum & unicum utrique præfuisse monasterio & in Blandiniensi sepultum infra videbimus. Huic sententiæ adstipulantur Cointius, Mabillonius, Gazetus & alii. Itaque translatio ista de quadam reliquiarum B. Florberti portione intelligenda est. Fuit autem vir litteratus Theodoricus, qui transiit a seculo pridie calend. Aug. an. 1262. ex Sandero.

XLVII. Johannes I. cognomento Vromandt, in villa S. Bavonis ortus, an. 1293. IV. nonas Junii declarat se patronum beneficiorum ecclesiæ S. Mariæ & S. Bavonis in Ardenburgo in Flandria, litteris datis die & anno prædictis. Hic an. 1296. onus abbatiæ transcripsit Waltero, qui sequitur.

Ibid. pag. 177.

XLVIII. Walterus I. de Ardenburch cognominatus, an. 1296. cum Johanne Tornacensi episcopo, litteras Bonifacii VIII. papæ pro institutione capituli canonicorum in oppido Ardemburgensi exsecutioni mandavit pridie cal. Aprilis. Regimen abdicavit an. 1306.

Ibid.

XLIX. Henricus II. Piscator dictus, eodem quo electus est anno mortuus est.

L. Walterus II. de Roden obiit an. 1311. calendis Febr.

LI. Nicolaus dictus Juvenis spiritum emisit an. 1320. V. idus Jan.

LII. Gerelinus de Borluyt vir venerabilis, e vivis eximitur an. 1338. calendis Julii.

LIII. Petrus de Albania *al.* d'Alouenge ex monacho S. Bertini, theologus doctor Parisiensis, abbas ordinatur a Benedicto papa XII. 1341. Cessit vero in manibus Clementis VI. an. 1343. Jacet in collegio Cardinalitio Parisiis, ubi mortuus est 1360. cum tunc esset abbas S. Richarii.

LIV. Johannes II. de Moro ab eodem Clemente papa abbas institutus, indulgentias in festivitatibus SS. Bavonis, Livini, Macarii & Landoaldi impetravit an. 1345. Moritur an. 1349. idibus Martii.

LV. Johannes III. du Fay *al.* Faita, monachus Elnonensis & doctor in sacra theologia promovetur an. 1350. die 14. Aprilis. Universitatis Parisiensis ad Clementem VI. papam legatus, mittitur ab eodem Pontifice contra sectam Flagellantium, variis insuper pro eodem legationibus functus. An. 1364. die 4. Maii Johannem de Mauritania in abbatem S. Amandi elegit ex gremio, compromissarius ab ipsismet monachis electus. Abdicavit an. 1394. mense Septembri & anno seq. obdormivit in Domino 7. Febr. in sacello S. Amandi sepultus. Commentariis in regulam S. Benedicti, & aliis scriptis notus est.

LVI. Walterus III. de Senzeles, cedente Johanne, eligitur via Spiritus sancti in vigilia Natalis B. Mariæ Virg. an. 1394. Fatis concessit anno 1405. die 25. Octob. humatus in sacello S. Benedicti sub arcu lapideo.

LVII. Georgius de Zickele filius Simonis domini de Nazarette, &c. Bavonianus asceta, abbas ordinatur eodem anno, promissa J. episcopo Tornac. obedientia, denasciturque an. 1418. in choro ecclesiæ terræ mandatus.

LVIII. Guillelmus Bossuyt eidem præsuli obsequium pollicitus est. Diu præfuit & profuit, quippequi res cœnobii multum adauxit, & ædes in melius ampliavit. Missam quotidianam instituit celebrandam ad altare sanctarum Vincianæ & Landradæ, quod ipse sub organis erexerat, & an. 1450. per Guillelmum episcopum Sareptanum vices in spiritualibus Tornacensis præsulis gerentem dicandum curaverat. Plurima pro libertate ecclesiæ suæ patienter sustinuit, multisque demum laboribus fessus, Parisios cum se transtulisset, ibidem naturæ debitum solvit, honorifice tumulatus in ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, sub hoc epitaphio: *Hic jacet vir venerabilis in Christo pater dominus de Bossuyt Leodiensis diœcesis, ex nobili genere procreatus, qui quadraginta duobus annis exstitit abbas dignissimus monasterii S. Bavonis Gandensis, Tornacensis diœcesis, ædificiorum ejusdem cœnobii reparator, ac redditum augmentator, juriumque ipsius defensor maximus. Qui obiit Parisiis anno Dom.* MCCCCLX. *die decima mensis Decembris. Cujus anima requiescat in pace. Amen.*

LIX. Jacobus de Bruxella, satagente Philippo Burgundiæ duce, eodemque Flandriæ comite, eligitur. Senio postea confectus obiit an. 1474. abbatia quadriennio ante in gratiam avunculi dimissa.

LX. Johannes IV. de Sicleers Jacobi decessoris avunculus regimen abbatiæ octo annis tenuit, quod subinde transcripsit Raphaëli, qui sequitur, an. 1478. Mortuus dicitur eodem anno, mense Maio, cujus tamen vita producitur ad annum

saltem 1480. in historia edita Cambcron. abbatiæ A pag. 386.

LXI. Raphaël de Bourgogne cognomento de Marcatellis, Philippi Boni Burgundiæ ducis filius naturalis, ex monacho Blandiniensi, primum fuit abbas S. Petri Aldeburgensis, inde Johannis cessione Bavonianus an. 1478. quo in episcopum Rosensem consecratur Brugis 8. Aug. ubi & amplas ædes excitavit. Gandavi autem bibliothecam libris instructissimam comparavit. Ter ordines sacros celebravit solemniter, durante dissidio inter Ludovicum Pot & Petrum Quicke de episcopatu Tornac. contendentes. Vitam cum morte commutavit Brugis die 3. Aug. an. 1508. transcripta B prius abbatia in gratiam Egidii quondam capellani sui, qui sequitur.

LXII. Egidius Boele Teneramundanus, voluntaria decessoris abdicatione fit abbas S. Bavonis, & inauguratur Antuerpiæ anno 1507. 29. Augusti, quo anno eidem inscribitur bulla Pii II. papæ abbatiam S. Bavonis eximentis a jurisdictione episcopi Tornacensis. Data est anno quinto pontificatus, septimo idus Febr. 1507. hoc est 1508. Is loca plurima vetustate collabentia in melius restauravit, auro etiam decoravit feretrum sancti Bavonis, & sancti Macarii capsam argento. Decessit anno 1517. feria 3. in Pascha C 25. Martii. Fuit etiam episcopus Rosensis, sicut antecessor.

Ibid. pag. 1046.

LXIII. Levinus Hugenoys loci alumnus, electus eadem die via Spiritus sancti, bulla Leonis papæ IV. data 4. Nov. ejusdem anni 1517. confirmatur. Mortalitatem explevit an. 1535.

LXIV. Lucas Munich a decessore in coadjutorem dudum adscitus, fuit ultimus abbas S. Bavonis, cœnobio in ecclesiam collegiatam, & monachis in canonicos seculares versis an. 1536. & antiquato abbatis nomine, quod tamen, quoad vixit, Lucas retinuit. Hinc in primæva ecclesiæ suæ in collegiatam erectione statuta condidit, & D publicavit anno 1537. a quo tempore in litteris & instrumentis publicis hoc titulo usus est: *Lucas permissione Divina abbas collegiatæ ecclesiæ S. Bavonis Gandensis, Tornacensis diœc. Romanæ ecclesiæ immediate subjectæ.* Multa foris & in urbe splendida construxit ædificia. Præfuit annos 27. & diem clausit extremum anno 1562. die 18. Jan. stilo Gallicano.

DE ABBATIIS,

Quæ in suo primævo statu permanserunt.

ORDINIS S. BENEDICTI.

BLANDINIUM, vulgo S. PETRUS GANDAVENSIS, *S. Pierre de Gand.*

FEMINARUM.

Virgines Anglicanæ Gandavenses.

B. Maria Lazariorum.

ORD. S. AUGUSTINI FEMINARUM.

S. Margareta Gronembritensis, *Groënambrere* ou *Goenenbriele.*

ORD. CISTERC.

Baudeloa, *Baudelo.*

FEMINARUM.

Portus B. Mariæ, *vulgo* Biloka, *Bilock.*
Dorisella, *Dorisel.*
Suiveka, *Suiveck.*
Mons-rosarum, seu abbatia *de Roosemberch*, vulgo *Westmonster.*
Oisterloa seu Oost-Eecklo.
Hagensis abbatia, vulgo *Terhaghen* ou *des Hayes.*
Vallis-virginum, seu *Magdendal.*
B. Maria de Novo-Bosco, seu Silva Nonnarum, & Nonemboscus, *Nieulbenbosse.*

ORD. PRÆMONSTRAT.

Truncinium *vel* Trunchinium, *Drongene* ou *Dronghen.*

ORD. S. CLARÆ.

Claustrum de Peteghem.
Clarissæ Gandavenses.
Overhout, incerti ord. Feminarum.

ORD. S. BRIGITTÆ.

Mariæ thronus.

BLANDINIUM.

Saint Pierre de Gand.

AMplissimum est nobilissimumque ordinis S. Benedicti monasterium, sic dictum a monte Blandinio, in quo exstructum fuit, urbi Gandavensi vicino, nunc intra ipsius mœnia, inter flumina Scaldim & Legiam. Philippus ab Eleemosyna etymon Blandinii sic a blanditiis deducit: *Construitur*, inquit, *item altera cultibus divinis ecclesia in loco, quem Blandinium vocare consueverat voluptatum sectatrix prisca gentilitas, eo quod blanditiis & amænitate præcipuus videretur.* Porro fundatorem agnoscit S. Amandum, qui fano, simulacroque Mercurii subverso, ibidem hoc cœnobium, uti etiam Bavonianum, sub patrocinio SS. Petri & Pauli, aliorumque apostolorum condidit, dehinc a Francorum Regibus & Flandriæ comitibus magnifice dotata. De his monasteriis, eorumque origine generatim duntaxat disserit Baudemundus monachus, qui res ab Amando gestas memoriæ prodidit: *Ubi fana*, inquit, *destruebantur, vir Domini Amandus tam ex munificentia Regis, quam ex collatione religiosorum virorum religiosarumque feminarum, statim monasteria aut ecclesias construebat.*

E Duplex item monasterium in urbe Gandavo laudat non obscure auctor perantiquus, qui gesta S. Bavonis primus litteris commendavit; nam Gandensium conversione narrata, hæc habet: *Basilicam autem in honorem B. Petri apostoli fecit construi, quam reliquiis insertis Altissimo Domino consecravit cum magno honore, in qua virtutes multas postea Dominus fecit*, quod de Blandiniensi basilica intelligendum; tum subdit: *Deo etiam annuente clericorum cænobium in ipso castro honorifice est constructum, ubi diu noctuque laus a fidelibus decantatur.*

Utrum monasteria Gandense & Blandiniense A a prima institutione monachos, an clericos habuerint, disputant Recentiores. Theodoricus S. Trudonis abbas & Philippus ab Eleemosyna, qui vitam sancti Amandi post quadringentos ab ejus ætate annos expolire & amplificare aggressi sunt lecto clericorum & clericatus nomine, existimarunt clericos in utroque monasterio primum quidem ab Amando institutos fuisse, sed paulo post, Florbertum abbatem & monachos successisse. In hanc sententiam totus ivit annalium eccles. Francorum scriptor Cointius, monachis & monasticæ disciplinæ parum æquus, longe utiliorem clericorum quam monachorum operam B verbo Dei disseminando asserens, quasi vero clericalibus officiis & evangelicæ prædicationi monachi essent inepti, qui Angliæ, Germaniæ & Septentrionalibus populis Evangelii facem prætulerunt, eosque Christi legibus colla subdere docuerunt. Hanc sententiam abunde refellit Mabillonius noster lib. XII. Annal. Benedictinorum ad annum Christi 631. probatque ex ipso, qui errori ansam præbuit, scriptore primo vitæ S. Amandi, clericatus nomine non alios intelligi debere quam monachos, quemadmodum Gregorius Turon. & alii passim his vocibus usi sunt ad eos designandos, uti jam diximus, cum de Bavoniana C abbatia sermo fuit.

Primordia vero hujus cœnobii sicut & Bavoniensis consignant uterque, Mabillonius scilicet & Cointius anno 631. nihil curantes de brevi chronico Elnonensi, ubi monasterium S. Petri in Blandinio ædificatum dicitur an. 610. primumque abbatem utrique cœnobio Florbertum imponunt, virum sanctum a quo beatus Bavo in rebus monasticis informatus est. Pessime habitum est hoc cœnobium a Carolo-Martello, qui Cœlestinum abbatem ejecit in exsilium, & prædia monasterii militibus suis divisit: exinde monachi dispersi, palabundi & extorres remanserunt, quos D cum in unum colligere non posset abbas Eginhardus, in illud clericos induxit, qui divina ibi celebrarent. Processu temporis, annis scilicet 851. & 880. a Normannis, cædibus, incendiis ac vastationibus solito more debacchantibus eversum est & in solitudinem redactum, suisque sub ruinis jacuit usque ad tempora Arnulfi Flandriæ comitis, qui hoc ipsum anno circiter 941. instaurandum curavit. Hujus rei testes habentur ejus* litteræ, in quibus ait, *se religiosorum hortatu virorum animatum, & quasi gravi ex somnio excitatum, tacita cogitatione secum interdiu ac noctu revolvisse, quoddam esse sub sua ditione monasterium, Blandinium vocabulo a S. Amando episcopo conditum, ac reliquiis B. Petri apostolorum principis aliorumque sanctorum, quas ille Roma secundo rediens istuc detulerat, nobilitatum; multum dolere, quod tantæ dignitatis reliquiis debitus honor desit, fugatis scilicet monachis, qui locum istum olim incolebant, & cunctis monasterii possessionibus in comitum aliorumque potestatem translatis: quapropter permissu Ludovici regis, atque cum Transmaro episcopo, ad cujus diœcesim locus iste pertinebat, & cum amicis ac fidelibus suis consilio habito,* E

* Mir. nov. edit. pag. 39.

A *eidem loco restituere velle partem ex reditibus, quos B. Amandus a Regibus ceterisque fidelibus impetraverat, id est censum, qui percipitur ex mansionibus ad Scaldim sitis, floralia prati portui adjacentis, & alia quæ in charta Einhardi abbatis exprimuntur. Quæ omnia monachi cum suo abbate possideant, eo pacto, ut ibidem adamussim Christo serviant, ut vivebant tempore sanctissimi Amandi, nimirum secundum regulam S. Benedicti, ad cujus præscriptum, abbatem sibi eligant. Actum Blandiniensi cœnobio, regnante Ludovico anno sexto, filio regis Caroli reclausi.* Quæ nota chronica recte convenit an. 941. quidquid contra sentiat B Miræus.

Ad restituendam eo loci disciplinam adhibitus est ab Arnulfo comite S. Gerardus Broniensis ac Cellensis seu Ghislenianus abbas, ardentissimus regulæ Benedictinæ in Belgio tunc instaurator, qui primus restituti Blandiniensis monasterii abbas censetur. Floruit subinde sanctitate & disciplina cœnobium istud variis Romanorum pontificum privilegiis & immunitatibus, Regum ac principum donariis ac diplomatibus auctum, & eorum sepultura cohonestatum, ut non immerito Blandinium Flandriæ comitum mausoleum a quibusdam appelletur, sub tutela eorumdem ac pro- C tectione constitutum; unde cum comes bonum se justumque principem futurum subditis suis promisit, mox etiam solemni ceremonia ac jurejurando interposito fore se custodem, advocatum ac patronum ejusdem cœnobii pollicetur, acceptoque ab abbate gladio, uti justitiam ac religionem, ita hujus etiam loci bona ac privilegia sarta tecta conservaturum se addicit. Quod multoties ante factitatum ab ejusdem provinciæ principibus, insigni pietate præstitit Philippus II. Caroli Cæsaris filius an. 1549. 17. Julii, Albertus & Isabella serenissimi principes, iidemque Flandriæ comites & archiduces Austriæ 28. Jan. anno 1600. D & an. 1702. 19. Martii Philippus V. Hispaniarum rex Catholicus per procuratorem marchionem de Bedmar Flandriæ gubernatorem. Ceterum abbas Blandiniensis inter alios illustres titulos ab omni ævo primas abbatum Flandriæ audiit, in omni quoque solemni ac publico seu supplicationum, seu aliorum conventuum actu, cum suis monachis, etiam præ Bavoniani monasterii cœtu, primum locum obtinuit. Multarum ecclesiarum patronus ac beneficiorum collator exstitit, & maxima ex parte etiamnum existit. Varii denique ex hoc cœnobio, in quo viget hactenus ordo Benedictinus, prodiere viri illustres & abbates ad alia E monasteria assumti. De abbatibus Blandiniensibus scripsere varii auctores Belgici, ac præcipue Antonius Sanderus tom. I. Flandriæ illustratæ, & in auctuario ad tom. I. sed caute legendus, quia in multis lapsus est.

Elenchus Abbatum.

I. S. Florbertus huic novellæ congregationi abbas præficitur a B. Amando; inquit Theodoricus Trudonensis abbas, dum ipse Amandus Evangelium Dei populos edocebat; ejus vero præfecturæ initia illigant Mabillonius &

Cointius anno 636. principatus Dagoberti regis 15. Is beatum Livinum episcopum & martyrem, qui ex insula Britanniæ in Brabantiam accesserat, benignissime amplexus est, detentumque per aliquot dies, subinde rebus necessariis identidem recreavit. Qui Livinus liberalissimo hospiti grates retulit, scripta ad eum metrica epistola*, in qua Florbertum multis effert laudibus, nempe quod probitate fulgens, sit forma gregis, decus ecclesiæ, concordia fratrum, ipse suis medicus, sibique medicina, quod se Livinum peregrinum benigne excepisset, non modo præsentem recreans, sed etiam absentem. Obiit Florbertus simul abbas Gandensis calendis Novembris,* quo ipso die notatur in necrologio Blandiniensi, anno regiminis vicesimo-primo, Clotarii regis secundo, uti Bollandus ex antiquis monumentis in commentario prævio ad vitam S. Amandi testatur, id est anno Christi 657. non autem 664. uti ille propter rationes, quas refutat Cointius, perperam interpretari cogitur; neque etiam 639. uti legitur in chronico Sigeberti. Noster quoque Mabillonius circa idem tempus S. Florberti obitum consignat.

* Exstat seculo 2. Bened. pag. 404.

* al. VIII. idus Octob. ex annalibus Belgicis. 2. die Nov. ex Trithemio in chron. Hirsaug.

II. Johannes I. mortuo S. Florberto, ab eodem S. Amando in ejus locum subrogatur, sed quoad Blandinium solùm, ad quod quidem regendum monachi Blandinienses S. Amandum exposcebant, sed hic Elnonem relinquere noluit, cujus præcipue regimini tunc incumbebat. Id observat Philippus Harvengius ab Eleemosyna dictus, Bonæ-Spei abbas in vita ejusdem S. Amandi. Porro hic Johannes ipsius Amandi testamento subscripsit XV. cal. Maias, anno secundo Theodorici regis. Eum sic commendat auctor ejusdem actorum ex archivo Blandiniensi a Sandero editorum: *Cœpit tunc temporis Gandensis pagi territorium, quod primo apostolicus pater Amandus, veluti cælestis agricola excoluit, & vomere verbi divini exaravit, sub sanctissimo patre atque successore suo Johanne ramos germinis expandere, & fructus vitæ perpetuæ facere.* Vitam clausit S. Johannes nonis Martiis an. 677. ex Cointio, cui concinit Mabillonius, præfecturæ suæ vicesimo. Quanta vero Johannem habuerit in existimatione, quantaque benevolentia prosecutus sit Amandus, liquet ex actis ipsius Johannis ex archivo Blandiniensi a Sandero editis; ibi enim Amandus hæc Johanni dona contulisse dicitur, *Philacterium, quod a S. Martino papa impetraverat, & cucullam omni veneratione dignam, qua ipse pro pontificali cultu & honore indui solitus erat, cum ad divina mysteria celebranda se se præsentaret, & pedum pastorale incurvum, quod tempore deambulationis sive peregrinationis suæ portabat.* Ceterum nonnulli eum ex abbate Blandiniensi Elnonensem evasisse asserunt, quos, ubi de hac abbatia tom. 3. pag. 255. E. secuti sumus, sed hoc videtur emendandum.

III. Baudemundus successit, de quo sic auctor chronici Blandiniensis: *Johanne sub die nonarum Martiarum, anno regiminis XX. defuncto, abbas a B. Florberto tertius, ordinante sanctissimo patre Amando, efficitur Baudemundus, magnificæ sanctitatis vir, cujus abbatis tempore sanctissimus pater Amandus universæ carnis viam ingressus est.* Hic erat monachus Elnonensis, quando Blandiniensis abbas creatus est an. 677. secundum calculum Cointii, postquam duos ante annos testamentum S. Amandi, ejusdem beati jussu, scripsisset. Quot annos in præfectura egerit, incertum; quindecim præfuisse autumat Cointius, vitamque clausisse an. 692. neque enim sibi persuadere potest Baudemundum vixisse usque ad annum Christi 730. aut cum Ferreco successore Blandiniense cœnobium rexisse per annos 95. Certe ex chronographo Blandiniensi constat cœnobii hujus administrationem penes abbatem Cœlestinum fuisse *multis diebus usque ad id tempus, quo dissensio inter Carolum Martellum & Ragenfredum facta est*, id est usque ad annum Christi 719. quo Carolus Ragenfrido penitus profligato, nonnullos ejecit abbates, quos infensos sibi vel novit, vel suspicatus est. Ab obitu vero S. Johannis, qui beato Florberto proxime successit ad expulsionem usque Cœlestini, effluxerunt anni duntaxat duo supra quadraginta, quos in tres præfecturas partitur Cointius, 15. annis Baudemundo assignatis, Ferreco totidem, ac duodecim Cœlestino usque ad ejus exauctorationem, quam anno 719. consignat. Hattam vero, qui medius inter Ferrecum & Cœlestinum inducitur a Belgicis scriptoribus, ex albo Blandiniensium abbatum expungit.

IV. Ferrecus abbatiæ regimen auspicatur anno circiter 692. ex Cointio. E vivis eripitur circa an. 707. de quo id unum a Sandero refertur ex chronico Blandiniensi, quod *multæ devotæ personæ tradiderunt bona sua monasterio sub isto abbate.* Antonius Sanderus, lib. 3. rerum Gandav. & in auctario ad tom. 1. Flandriæ illustratæ, necnon plerique auctores Belgici Ferreco Hattam subrogant, eique ex chronici Blandiniensis additamento quinquennem præfecturam tribuunt, usque ad annum Christi 758. Sed Hatta nec illo tempore floruit, nec abbas fuit Blandiniensis, verum ex ejusdem cœnobii monacho factus est I. abbas Vedastinus anno Christi 685. & vivere desiit anno regiminis sui decimo-quinto, Christi vero 699.

V. Cœlestinus genere Scotus in locum Ferreci substitutus anno circiter 707. exauctoratur anno 719. præfecturæ suæ 12. ex Cointio. Jacobus Meyerus in annalibus rerum Flandricarum ad annum Christi 716. de Cœlestino abbate sic scribit: *Sub idem tempus digladiantibus inter se ardentissime Carolo-Martello & Ramanfredo magistris equitum, Cœlestinum abbatem Blandiniensem patria Scotum, Martellus in exsilium extrusit, propterea quod Ramanfredi diceretur esse partium*, & ad annum 765. sic iterum de eo loquitur: *Obiit eodem anno Cœlestinus abbas Blandiniensis in monasterio Rotomacensi, quem ab Carolo-Martello pulsum fuisse supra meminimus.* Sanderus autem in marginali notatiuncula ad auctuarium tomi 1. Flandriæ illustratæ longe diversam profert opinionem de tempore quo Cœlestinus exsulavit. *Ejectus est*, inquit, *Cœlestinus a Carolo-Martello circa annum Domini 765. & obiit peregrinus Rotomaci.* Quis ad mendam adeo enormem non obstupescat!

obstupescat? (subdit Cointius) an Carolus, cujus obitus in annum Christi 741. incidit, anno post vicesimo-quarto sive Christi 765. Blandiniensem abbatem e monasterii præfectura deturbavit! Iram itaque Caroli expertus est Cœlestinus anno 719. quo ipso anno commissum est prælium Suessionense, ex quo victor regrediens Martellus piissimum abbatem, virum sanctum & innocentem, insimulatum, quod partibus Raginfredi favisset, & ad eum litteras scripsisset adversus Carolum, exsulare jussit; nec Cœlestini exsilio contentus, monasterii villas suis divisisse fertur, ex quo factum sit, ut monachi egentes ac palabundi sine pastore in diversa abierint. Cœlestinus obiisse creditur XVI. cal. Junii in monasterio Rotnacensi, quod modo collegium est canonicorum secularium inter Scaldim & Teneram fluvios situm, duobusque milliaribus distat ab Aldenarda. Hanc sententiam sequuntur Meyerus, Sanderus & recentiores alii, quibus accensendus Mabillonius noster. Aliter sentit Cointius, pluribus iisque gravissimis adactus momentis: 1.° quod aliunde dicantur advectæ reliquiæ S. Cœlestini: *Anno 860. inquit Miræus, die 6. Julii corpus S. Hermetis Inda Rotnacum ad basilicam canonicorum translatum est per Ludovicum imperatorem .. .. qui & reliquias SS. Cornelii papæ, Cypriani episcopi Carthaginensis & S. Cœlestini apud Rotnacenses deposuit.* 2.° Rotnacenses canonici quem S. Cœlestinum colunt, hunc Cœlestinum papam esse credunt, & de Blandiniensi abbate nulla est in Rotnacensi ecclesia memoria. 3.° de ejus sanctitate, martyriove nullibi validum occurrit testimonium: Inde ergo conficitur ex Cointio Cœlestinum abbatem Blandiniensem omnino distinguendum esse ab eo, qui Rotnaci colitur. Porro quo anno Cœlestinus obierit, incompertum, neque enim ipsum ad annum Christi 765. pervenisse putat Cointius.

VI. Scoranus a fratribus dispersis in abbatem assumtus an. 765. ex Cointio, res quasdam cum Ricolfo episcopo commutavit an. 768. ex Sandero. Quo etiam sedente, Saxbertus & Guntherus dederunt S. Petro res suas in Locuverde & Wackinio an. 791. & an. 803. Rotbertus quidam erga idem monasterium beneficus fuit datis rebus suis in Furstitio cum mansionibus. Mortuus dicitur Scoranus anno 812. ex Sandero & Cointio.

VII. Folradus eligitur abbas a fratribus in exsilio adhuc degentibus; sub cujus regimine Gero alodium suum aliaque nonnulla huic cœnobio contulit an. 814. Folradi vitam producit Cointius ad annum 825. qua ratione haud aperit; at certe qui sequitur Eginhardus, præerat jam an. 815. ut infra videbimus, imo jam an. 811. Blandinio datus est abbas a Carolo-magno, si Meyero fides. Ceterum ab hujus abbatis obitu nulli amplius monachi in hocce cœnobio resederunt usque ad tempora beati Gerardi Broniensis, cujus opera clerici, qui illud centum & decem circiter annis incoluerant, monachis locum fecerunt medio seculo X. vel circiter.

VIII. Eginhardus seu Ainhardus & Einhardus Caroli-magni notarius ac vitæ scriptor, idemque regiorum ejusdem Imperatoris ædificiorum præfectus, non vero archicapellanus, uti perperam eum vocat chronographus Laureshamensis, abbatiam hanc consequitur, superstite etiam tunc uxore, quacum cælebs vivebat. Ea fuit Imma Caroli-magni filia, si fides est chronographo Laureshamensi, certe nobilissima, uti eam appellat Lupus, ex qua olim Ussinum genuerat, ut probat epistola tricesima eidem carissimo filio inscripta; unde & obtinuit istud cœnobium, non in beneficium, quod olim conjugatis illegitime concessum, sed in regiminis officium, sicut & alia quibus præfuit. Præfuit autem multis præter Blandiniense, Bavoniano scilicet, Selingestadiensi, cujus auctor & conditor fuit, & Fontanellensi, quod post septem administrationis annos Ansegiso viro sibi grato & accepto transcripsit. Ad Blandiniense quod attinet, hæc ex chronico hujus monasterii descripsit Sanderus in auctuario ad t. 1. Flandriæ illustratæ. Ainhardus, sicut antiquissimus Zorobabel Israëlitici populi dux, inspirante Deo, cœpit cogitare quomodo idem monasterium curæ suæ commissum quantulacumque restauratione quivisset a destitutione relevare. Hæc itaque multis diebus illo meditante, tandem inspiratus divina pietate, reddidit eidem loco quasdam res, quæ sufficere possent 24. clericis,[a] qui in eodem cœnobio omni tempore famularentur Christo, eleemosynam illis libenti restituens animo, quæ in usus abbatum superiorum accipiebatur more incongruo. Hoc sapiente usus consilio, omnia quæ ad monasterium, quod regebat, jure pertinere videbantur, præcepto Ludovici imperatoris per scripturæ seriem firmari ejusque annulo signari curavit. Datum est anno secundo Ludovici imperatoris ind. VIII. hoc est an. Christi 815. Desideratissimum patrem non semel vocat eum Lupus, qui & eum præceptorem agnoscit suum, & Eginhardus ipse, vivente uxore, se abbatem in duabus epistolis indigitat, 12. nempe & 54. quarum in priori, Liutardo presbytero & Eremberto vicedomino fidelibus suis scripta, significat se injunxisse Willibaldo presbytero, ut censum suum recipiat ab hominibus suis tam apud S. Bavonem, quam in Blandinio monast. eisque mandat ut eidem adjutorium impendant, *ut eumdem censum & pleniter & in bono argento recipiat.* Mortalitatem explevit Eginhardus an. 839. ex Mabillonio, serius ex Sandero, an. scilicet 844. VIII. cal. Aug. In antiquo breviario Fontanellensi consignatur XV. cal. Junii Einardi abbatis Fontanellæ commemoratio. Cetera vide in Bavonianis abbatibus, & infra in Selingestad.

Sanderus ibid & Mir. nova edit. pag. 131.

IX. Robertus I. cœnobii hujus regimini admotus est, regnante Carolo-calvo; eoque sedente Blandinium translatæ sunt reliquiæ beatæ virginis Amalbergæ ex vico Tamisia vulgo Temseka in agro Wasiensi, ubi VI. idus Julias anno 772. a seculo ad Christum sponsum migraverat, ossaque ejus jacuerant. Hanc porro translationem refert Sanderus ad annum 870. paulo ante factam

[a] Cum dispersos pluribus annis monachos in unum colligere non posset, clericos eorum loco substituit.

censet Mabillonius noster. Roberti obitus consignatur anno 882. Verum aut prius monasterii regimen abdicasse dicendus est, aut citius mors ejus collocanda, uti ex infra dicendis patebit.

X. Balduinus I. cognomento Baltzo *al.* Balthazar pedum gerebat an. 870. quo Compendium venit ad Carolum-calvum regem, qui ejus rogatu dedit fratribus digne Deo militantibus in ecclesia Blandiniensi, villam in pago Wasiæ super fluvium Scaldæ vocabulo Temsecam, cum ecclesia B. Mariæ & S. Petri apost. principis, ubi S. Amalberga a seculo ad Christum migraverat, cujus corpus tunc Blandinii quiescebat. *Data idus Aprilis indictione III. anno XXX. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio regio.* Hoc præceptum edidit Sanderus pag. 37. Auctarii ad tom. I. Flandriæ illustratæ, & Miræus in suis donationibus Belgicis novæ editionis, pag. 321.

Idem Sanderus hic loci abbates hujus monasterii inducit Rodulfum Cameracensem & Adulfum Bonavensem seu Bononiensem Comites, quos abbatia potitos asserit, eosdemque Balduino præponit. Certe his luctuosis temporibus multi laïci decimas facultatesque ecclesiarum usurparunt, quarum Comites ipsi se se fecerunt heredes; unde non solum Comites, sed & abbates dicti sunt. De his consulendus Meyerus.

XI. S. Gerardus I. Broniensis ac Cellensis, seu Gislenianus abbas restaurato huic monasterio præficitur an. 941. & Bavoniano, uti supra diximus. Cum Arnulfus Flandriæ comes de restituenda illic monastica disciplina cogitaret, *huic aptus negotio inventus est vir vitæ laudabilis, sanctitate clarus & genere Girardus, monachus proposito, abbas officio, & apostolicus merito, qui istuc anno præsenti evocatus, eliminato in primis clericorum grege, Dominici scholam servitii a beato olim Amando constitutam, ibidem constituit.* Istuc *quamplures tanti exemplo magistri excitati, cœperunt voto disciplinæ monasticæ confluere, & jugum Domini suave suscipere; & contigit in brevi ut hoc Dominici ovilis cœnobium, numero & merito dilatatum, nobilissimis per omnia non ignobilius probaretur cœnobiis.* Hæc antiquus auctor in libello de translatione S. Wandregisili & aliorum in istud monasterium Blandiniense. Videsis quoque Miræum novæ editionis pag. 39. & 939. necnon 260. ubi chartam legere est, qua Ludovicus Transmarinus Francorum rex, petente Arnulfo Magno Flandriæ comite, possessiones monasterii Blandiniensis ipsi Gerardo abbati confirmavit an. 950. XIII. cal. Septemb. ind. VIII. Clericos vero, qui prius hoc cœnobium incolebant, vitæ S. Gerardi insidias struxisse tradit ejus vitæ scriptor. Arnulfum comitem calculi dolore sanavit, constanter recusato, quod in tanti beneficii præmium princeps obtulerat, munere. Præfuit huic cœnobio ad annum 953. quo, Womaro discipulo suo e Sithiensi monasterio evocato illud transcripsit. Migravit ad Dominum die 3. Octob. an. 955. sanctitate & miraculis clarus, jacetque apud suos Bronienses, ubi de eo vide, tom. 3. novæ Gall. Christ.

XII. Womarus qui & Wlmarus prius Blandin. tum Sithiensis monachus a beato Gerardo regimen abdicante abbas constituitur an. 953. inauguratus, inquiunt, ab episcopo Cameraci Fulberto eodem anno, (serius forsan ex dicendis) quanquam in B. Gerardi vita benedictionem abbatialem a Rodulfo tunc Noviomensi ac Tornac. antistite diœcesano percepisse dicitur. An. 960. ex chronico Sigeberti cœnob. Blandin. ab Arnulfo Seniore *in majori elegantia* constructum est. Memoratur Womarus an. 962. in charta Wicmanni novi castri Gandensis comitis Blandinio benefacientis, & quidem hic annus ibidem illigatur cum octavo regiminis Womari, ducto, ut videtur, ipsius initio ab inauguratione, quam hæc charta nobis suadet, serius anno 953. peractam fuisse. *Mir. nova edit. pag. 45.* Hanc vero comitis donationem, villæ scilicet de Thesla, petente eodem Womaro abbate, confirmavit Lotharius imperator an. 964. Cujus item *Ibid. pag. 940.* abbatis precibus Otho I. imperator Dulciacum, Crombruggam, & alias possessiones Blandiniensi *Ibid. pag. 261.* monasterio an. 966. roboravit. Item Arnulfus II. *Marchisus* beneficia abbatiæ Blandiniensi ab avo suo Arnulfo concessa recenset & auget anno *Ibid. pag. 941.* 972. abbatis Womari vigesimo. Eodem sedente beatus Dunstanus Glastoniensis tunc abbas & postea Cantuariensis archiepisc. patrium solum vertere jussus ab Edwino Angliæ rege, cujus ille perditos mores redarguere non cessabat, transmisso Oceano in Flandriam se recepit, mansitque aliquandiu in Gandavensi sancti Petri monasterio, ubi Womarus abbas erat, *propterea quod illud ceteris illius regionis monasteriis & professione virtutis & philosophiæ documentis excellere videbatur.* Anno 975. Blandiniensi basilica, quæ jam dudum inchoata erat, ab Arnulfo Juniore comite absoluta, rogatus est Adalberto Remorum archipræsul, ut eam solemni ritu consecraret, quod hoc anno Sanderus aliique factum esse tradunt; eodemque tempore, pridie scilicet cal. Octobris e tumulo elatum est corpus S. Florberti illius loci primi abbatis, & decentiori loco repositum, 323. annis ab ejus obitu elapsis; quo ritu tunc temporis cœlites in sanctorum album accensebantur. Godefridus quoque Virdunensis comes & Jhamensis dominus fiscum suum Holinium, situm in pago Tornacensi cum appendicibus concessit Blandi- *Ibid. pag. 145.* niensi monasterio, *in quo domnus abbas Womarus non modico regularium collegio monachorum industrius pastor præesse videtur*, transfunditque in jus & potestatem ipsius loci, ac Dei famulorum sub monachali habitu in eodem cœnobio Christo famulantium, *quo liberiores in exsequendis valeant esse mandatis secundum S. patris Benedicti regulam sibi traditis*, & pro ipso Godefrido ejusque antecessoribus Deo preces fundere delectet. *Actum publice in cœnobio Blandinio XII. cal. Febr. ind. VII. anno XXVI. regni inclyti regis Lotharii*[a] *& regiminis abbatis Womari XXVII.* Denique Womarus pretiosa morte vitam commutavit an.

[a] Nota non eodem & uniformi plane modo Lotharii annos ubique tunc numeratos fuisse; nam annus ejus regni 25. quibusdam instrumentis adscribitur ante annum 979. exaratis, & annus 26. aliis post hunc annum datis.

982. Blandinii sepultus in sacello S. Laurentii. A Ejus epitaphium Sanderus refert, in quo tempus regiminis ejus ac dies obitus ita signantur:

Hic abbas vitæ Womarus flamine cassus
Tristia communis debita sortis ago.
Flebilis hic tumuli caris spectacula dedens,
Fratribus institui quos, pia, dum vigui.
Remigium senis quorum lustris venerandum
Per mandata Dei regia disposui.
Augusti dico bis ternis calce calendis
Officiis cessi luminis occidui.
Pro me vota, patres, insignia fundite dulces;
Qui legitis tumbam cum pietate meam:
Quo Deus altitonans, in cœli vertice regnans
Cælica donet ibi gaudia spiritui.

XIII. Wido seu Guido S. Gerardi Broniensis ex fratre nepos, junior moribus, Sithiensi primum abbatiæ a patruo præfectus, ab eodem postmodum, regimini parum idoneus, submovetur, vixque a sancto viro impetravit Arnulfus comes ut Bavoniano præesse monasterio Widonem permitteret, quod aliquanto ante Womarum tempore gubernasse videtur, uti in ejus loci abbatibus diximus. Verum & hac præfectura interim seu coacte, seu sponte dimissa, privatus egit ad mortem usque Womari, cui in utriusque cœno- C bii regimine successisse auctor est Sanderus anno 982. ad quem annum scilicet, paulo post Womari obitum, referenda est Gerberti epistola 96. fratribus Blandin. inscripta, in qua ait *se ab ipsis in fratrem adoptatum, orbitatem eorum magnopere sentire, tum ipsorum causa, tum mortui abbatis venerabilis memoriæ viri, qui suis apud se obtinuerat beneficiis, ut ipsius in æternum memor esset. Agerent ergo & patrem ipsis dignum exquirerent, ne grex Dominicus fluctuaret sine pastore. Ad hoc porro suam opem, suumque consilium & auxilium, siquidem indiguerint, pollicetur.* Porro Widonis electionem Adalberoni Remensi archiepiscopo D parum probatam fuisse, satis superque probat Gerbertina epistola 36. hujus archipræsulis nomine Widoni abbati Gandavensi scripta, quæ ab his verbis duriusculis incipit: *Frustra sibi arcem religionis attribuunt, qui præcipuas religionis partes evertunt. Qui caritatem non habet, qui fidem promissam negligit, isne religionem tuetur!* Obscura est hujus increpationis causa, nec satis eam explicant verba, quæ sequuntur: *si fraterna colloquia nobis exhibuistis, & qualibuscumque nunciis lætari fecistis, tanto temporum intervallo, conscientia testis est, arctius sua retinent quam aliena concupiscunt.* Ut ut est, Widonem sponte sua S. Bavonis ab- E batiam Odwino cessisse, retenta sola Blandiniensi, scribit Sanderus, quam sapienter quinquennio moderatus est, privilegio interim a Benedicto papa obtento. Morti debitum solvit anno 986. cujus hoc epitaphium legitur:

Debita communis persolvens ultima sortis
Hoc lapidum Wido condior in tumulo;
Abbas qui lustro quondam non amplius uno
Immeritus rexi culmina Blandinii.
Sed quia mortalis lex aspera conditionis
Proh dolor! injustos comprimit atque pios.
Cum staret summo Septembris margine mensis,
Ultima vivendi munia deposui.
Quapropter titulum quisquis prospexeris istum,
Quem mihi prædulces apposuere patres,
Flebilibus monitis flexus sub morte jacentis
Pro me cunctando funde preces Domino.
Omnia prætereunt, sancti super æthera vivunt
Omne per ævum.

XIV. Adalwinus & Aldewinus vir summæ eruditionis, inquit Sanderus, agebat in præfectura cœnobii annum tertium, quando Balduinus mar- B chio & comes Flandriæ dedit abbatiæ Blandiniensi terram de Avelghem juxta Aldenardam anno 988. Eidem Johannes papa XVI. privilegium concessit, in quo plenissime confirmantur omnes ab antecessoribus pontificibus monasterio datæ immunitates. Datum est x. cal. Jan. anno pontific. VIII. indict. VI. id est 993. Denique anno regiminis octavo, Christi 995. ex hac vita ad immortalem, uti sperare licet, transivit, in cujus epitaphio insinuari videtur, eum mortis suæ præscium sibi ipsi tumulum paravisse, & suos ad luctam cum hoste, morientem animasse. En epitaphium a Sandero relatum: *Ibid. pag. 943.*

Marmoris hæc fossa, cujus sibi vindicat ossa,
Vivere dum licuit, vixit uti docuit,
Dictus Adalwinus pater & rector genuinus
Blandinici solio montis in eximio.
Intus itemque foris quanti foret ipse decoris;
Ultima sic doceant, cetera quo pateant.
Imperat eventum loculi stans ad momumentum;
Seu fuerat monitus ante dies obitus.
Inde monens fortes virtutis in arma cohortes
Inclyta bella gerant, ne quid ab hoste ferant.
Pridie dum tropicum lux Junia tangeret astrum,
Scandens alta poli, liquerat ima soli.

Dum autem anno 1613. instaurando monasterio, quod ab hæreticis superiori seculo destructum fuerat, adlaboratur, reperta sunt ossa ejusdem abbatis, cum hac inscriptione: *Hic jacet Adalwinus abbas & sacerdos, qui obiit XVII. cal. Julii anno Dom.* DCCCCXCV. *Rexit hanc Blandin. ecclesiam annis VII. mensibus VII. Successit Widoni abbati.* Quam inscriptionem in ambitu seu claustro a se constructo renovari jussit, aureisque litteris marmori insculpi R. D. Joachimus Arsenius Scayck abbas.

XV. Rotboldus Adalvino subrogatus est eodem anno, sub cujus præfectura an. 1006. Adalardus monachus Blandiniensis composuit officium de sancto Dunstano Cantuariensi archiepiscopo, qui illic quondam, Womari abbatis tempore exulaverat. Ejus vita *in lectiones ter quaternas* distincta, ita inscribitur: *Domino Elfego archiepiscopo* (Cantuariensi) *Adalardus S. Blandiniensis cœnobii exiguus famulus.* Porro hæc vita, quam hujus archipræsulis jussu conscripserat, habetur tomo 2. Angliæ sacræ. Memoratur Rotboldus abbas in charta Arnulfi II. Flandriæ comitis huic abbatiæ dantis villam Maternam (vulgo Maëtere) cum ecclesia, apud Aldenardam, an. 998. & rursum *Ibid. pag. 944.*

in alia Eremboldi cujusdam villam de Baërle & alia plura eidem cœnobio donantis 1. Nov. an. 1026. Regimen abbatiæ transcripsit an. 1028. beato Ricardo S. Vitoni apud Virdunum abbati piissimo, ac disciplinæ regularis studiosissimo, post quem iterum rexit duobus annis.

Vid. pag. 947.

XVI. B. Ricardus religiosissimus ac celeberrimus illo ævo S. Vitoni Virdunensis abbas, Rotboldi cessione hanc abbatiam suscepit administrandam anno 1028. Sigebertus in chronico ad an. 1030. Ricardi abbatis tempore, refert comitem Balduinum cognomine Barbatum congregatis omnibus ditionis suæ sanctorum corporibus & aliis reliquiis sacris, præsente Hugone Tornacensi ac Noviom. episcopo, cum aliis pluribus episcopis & abbatibus, ac principatus sui proceribus, pacem ab omni populo juratam confirmasse. Porro hic sanctus abbas viginti & unam abbatias tam in Lotharingia, quam in Flandria & Francia sub sua providentia habuisse memoratur, quibus instituendis egregiam navavit operam, & huic quidem ad annos quatuor, quibus evolutis, an. 1032. Rotboldo abbatiam reddidit.

XVII. Rotboldus iterum abbas 1032. iterum cessit senio & labore fatiscens anno 1034. qui tamen anno tantum 1042. sub Wichardo successore altero diem supremum clausit, ex Sandero, qui sic ejus elogium refert.

Rotboldus fueram monachus jam Blandiniensis,
Abbas officio necne sacerdotio.
Elegi requiem Christi genitricis in æde,
Subveniat famulo quo pia virgo suo.
Paulum siste gradum, rogo te, qui præteris omnis,
Atque, precor, pro me funde preces Domino.

XVIII. Wichardus ordinatus est abbas, volente Rotboldo ejus decessore adhuc superstite anno 1034. vel ut alii volunt 1035. Sub eo factam elevationem seu translationem secundam reliquiarum B. Florberti, primi utriusque cœnobii, Blandiniensis scilicet & Bavoniani abbatis memorat Sanderus, præsentibus monachis Bavoniensibus, Balduini Tornacensis antistitis opera, an. 1049. regiminis Wichardi abbatis 15. Eidem Leo papa IX. bullam indulsit, qua omnia monasterii privilegia confirmantur. Memoratur & in litteris Balduini Flandriæ marchionis, quibus possessionem pacificam villæ de Harnes sitæ in comitatu dicto *Scirbin*, abbati & monachis Blandin. asserit hic princeps eo pacto, ut loci advocatus tria ibidem singulis annis placita generalia teneat, reliqua abbas Blandin. Datum in castro apud S. Audomarum anno 1056. idibus Novembris, regnante rege Henrico, ex regio chartarum thesauro fol. 182. sub vocabulo *Flandre*. Rebus humanis exemtus est Wichardus an. 1058. ex Sandero, ipsique in hunc modum appositum est epitaphium.

Gloria Gandensis, decus aulæ Blandiniensis
En Wicharde taces, inclyte rector abes.
Mors tua turbatis heu quæ confusio natis!
Qui decus in populo, nunc cinis in tumulo.
Qui legis, attendas has leges esse ferendas;
Quare dic, moneo, vive sepulte Deo.
Sol ubi ducendas sortitur Aprile calendas,
Vivere quem decuit, invida mors rapuit.
Arbiter Alme leva carnis lethalia jura,
Aspice natura Deitas quo nos rapit ista.

Ad meliora feras & potis ima,
Astra poli donans & loca diva
Æterno titulo sint modo nexa,
Ad tua, more novo, fer quoque regna.
Anno milleno bis nono, bisque viceno,
Quo carnem subiit Rex Deus, iste obiit,
Abbas fere sex quater annis.

XIX. Everlinus, qui & Everhelmus prius abbas Altimontensis, mortuo Wichardo successit anno 1059. VIII. cal. Febr. ex Sandero. Sane ipsum respicit epistola Alexandri papæ II. ad Gervasium Remensem archiepisc. quæ sic habet: *Litteras etiam Blandin. cœnobii nobis attulit, quod quidam Everelmus monasterium illud Simoniace invaserit, ipsiusque bona, ejectis monachis, ad nihilum redegerit, vitamque suam adulteriis variisque criminibus................pollucrit.* Quorsum *vero hæ accusationes abierint, an in ejus mores & vitam inquisitum fuerit, incompertum.* Certe vitam S. Popponis Stabulensis abbatis, cognati sui *alias* patrui scripsisse memoratur Everhelmus, defunctus an. 1069. ex Sandero.

Vide t. IV. collectionis Duchesnianæ script. hist. Franc. pag. 201.

XX. Folcardus abbas ordinatur an. 1071. cui Robertus Flandriæ comes confirmavit omnes cœnobii possessiones an. 1072. Ejusdem abbatis jussu quidam monachus Blandiniensis scripsit vitam S. Bertulfi abbatis Rentiacensis[a] in Atrebatibus, cujus sacras exuvias & aliorum sanctorum reliquias in novam thecam inferri, novoque altari curavit imponi anno 1073. regiminis sui tertio, XIII. calend. Junii; quam translationis diem Radbodus episcopus festivam deinceps haberi sanxit; tum vero 1077. tertia reliquiarum S. Florberti primi abbatis ab eodem antistite facta est. Item Folcardo sedente Vegericus, vel ut alii volunt, Gedericus monachus Blandiniensis, pietate pariter & ingenio clarus, & loco natus honesto, multis per Flandriam & Brabantiam habitis concionibus, emendandis moribus plurimum attulit momenti, perfecitque ut multi a sceleribus suis retracti converterentur ad pœnitentiam. Regimen abdicasse dicitur an. 1088. in vetustis cœnobii annalibus, diu postea superstes, nam obitus ejus an. 1105. XIV. cal. Sept. vulgo consignatur.

Mir. nova edit. p. 68.

XXI. Sigerus I. renuntiatus abbas an. 1088. VIII. cal. Octob. an. seq. ind. XII. quinto cal. Nov. testis fuit translationis reliquiarum S. Hermetis martyris factæ a Gerardo secundo, Camerac. episcopo, ex Fastis Belgicis auctore Miræi, pag. 497. Subscripsit 1101. privilegio, quod Lambertus Atrebat. episcopus concessit Aquæcurtensi cœnobio, ubi legitur *signum domni Sigeri S. Petri de Gant abbatis.* Eodem anno memoratur in charta Manassis episcopi Camerac. pro Bornhemiensi abbatia. Quo circiter etiam tempore Robertus Flandrensis comes Jerosolyma

Tom. V. Miscellan. Baluz. pag. 388.

Mir. nova edit. pag. 168.

[a] *Renty en Artois*, olim abbatia, nunc exiguus prioratus. Vide secul. III. Bened. p. 1. pag. 45.

capta in patriam redux, cum advertisset Tornacense S. Martini cœnobium ex disciplina Cluniacensi paulo ante in illud introducta florere, ex eodem quosdam eduxit monachos, eosque in monasteriis S. Vedasti Atrebat. & S. Petri Gandensis posuit ut ea emendarent. Dehinc vero Sigerus ipse an. 1107. non vero 1116. uti legitur apud Meyerum, iter Jerosolymitanum aggressus est mense Julio, monasterii cura interim Ansboldo præposito commissa, ex quo rediens anno seq. apud Rhodum insulam dysenteria occubuit IX. cal. Septemb. ibique sepultus est.

XXII. Ansboldus antea præpositus, & Sigeri vice cœnobii moderator eidem mortuo sufficitur III. nonas Jan. an. 1109. pro hodierno computandi more. Ei Lambertus episc. Atrebat. concessit altare de Harnes & quamdam capellam *appenditiam* VIII. idus Aprilis, anno pontificatus sui XV.* Christi 1110. Nominatur idem abbas de Gandavo an. 1112. in charta Odonis episc. Camerac. pro cœnobio Bornhemiensi. Extinguitur anno 1115. cujus epitaphium tale est:

(Tom. V. Miscellan. Baluz. pag. 394. — * al. XVI. — Mir. nova edit. pag. 371.)

Nobile par patrum, timor & correctio fratrum,
Vir clari generis pars jacet hic cineris.
Blandinium rexit Ansboldus & ad bona vexit,
Patris habendo pium nomen & officium.
Vultu jucundus, probus actu, pectore mundus,
Quod decuit voluit, quod docuit voluit.
Dulcis egenorum spes & solamen eorum,
Quæ Deus instituit, cautus eis tribuit.
Phryxeum sydus Aprilis quatuor idus
Tecum sol tenuit, dum pater iste obiit.

XXIII. Erembolдus I. eodem anno, quo abbas ordinatus est, in fata concessit 18. Octob. anno 1115. de quo hocce legitur epitaphium:

Quem sic claudit humus, quia transivit quasi fumus,
Penset par fumo, quod caro nunc fit humus.
Hunc sacri mores commendabant & honores,
Dum præ laude sui præfuit huic domui.
Erembolde cito tamen hoc tibi jure potito,
Rachel conseritur, dum Lia præripitur.
Scorpius ascendit cum sole, diemque rependit,
Qua Lucas colitur, dum pater hic moritur,

XXIV. Arnoldus I. seu Arnulfus in abbatem assumtus, religionem ac vitam monachorum renovavit anno 1117. De eo scribit Meyerus in hunc modum: *Reformatum Blandiniense cœnobium, novusque institutus est abbas Arnulfus seu Arnoldus nomine, ad quem pulsus sua sede Rodulfus abbas Trudononensis............fuere autem Blandinii reformatores Balduinus princeps & mater ejus Clementia, cum Johanne Morinorum episcopo ac Lamberto abbate Bertinico*; cujus præcipue opera Cluniacensis disciplina in istud cœnobium introducta est. Anno 1120. Carolus cognomento Bonus Flandriæ comes jura monasterii confirmavit; cujus postea nomine Arnoldus una cum castellano Gandensi legatione functus est apud regem Lotharium Aquisgrani tunc agentem an. 1127. uti testatur Sigebertus in chronico. De Arnoldo abbate intelligendum est quod refertur in vita S. Adalberti Egmondanæ abbatiæ

(Ibid. pag. 172.)

A patroni, ubi hæc leguntur: *Cum ergo placuisset gratiæ divinæ visitare locum Egmondensem, inspiravit episcopo Andreæ* (Ultrajectino) *& comitissæ Hollandiæ Petronillæ mittere legatos cum litteris ad abbatem Gandensem Arnoldum pro monacho, qui idoneus esset animas regere, exteriora disponere & lapsa promovere. Qui consilio cum suis habito, præpositus curtis eorum, quæ dicitur* Lens, *Walterum, quem frequenter probum & utilem probaverat, misit: quem episcopus Andreas in vigilia Nativitatis S. Mariæ abbatem ordinavit.* Extremum diem clausit Arnoldus an. 1132. 22. Septemb. abdicata, dum adhuc viveret, abbatia; de quo sic

(Sec. III. Bened. p. I. pag 644.)

B chronicon S. Trudonis: *Apud S. Petrum Gandæ Arnulfus, qui postea vivens abbatiam reddidit, inquietatus a fratribus*, forte quod apud eos invexisset religiosa Cluniacensis ordinis studia. Tali autem cohonestatur elogio:

(Spicil. tom. VII. pag. 484.)

Norma futurorum, decus immortale priorum,
Hic Arnulfe situs, publicus es gemitus.
En lachrymæ manant, nec cordis vulnera sanant,
Id tua nobilitas, id meruit probitas.
Abbas præclarus, celebris, durus & avaris,
Mitis erat, patiens, utilis & sapiens.
Per te creverunt res nostræ, non perierunt,
Per te Blandinio reddita relligio.
C *Ornamentorum novitas operosa tuorum*
Hanc aulam tumulo, te decorat titulo.
Mauricii castra dum cæsa vehuntur ad astra,
Lugendus nobis, inclyte rector, obis.
Flos stirpis Jesse, ne quicquam possit obesse,
Det florere tibi, te sociando sibi.

XXV. Gislebertus antea abbas Einhamensis; Arnoldi cessione factus est Blandiniensis anno 1132. quem virum veracissimum ac religiosissimum appellat Herimannus scriptor narrationis restaurationis S. Martini Tornacensis. Memoratur anno seq. in charta Simonis episcopi Tornac. pro
D S. Amando; quo etiam anno translatio secunda reliquiarum Christi virginis Amalbergæ facta est ab eodem abbate; qui rursum testis occurrit anno 1138. in instrumento Theodori Flandriæ comitis pro Trunchiniensi monasterio. Decessit hoc eodem anno Gislebertus, cui hæc apposita est epigraphe:

Mente Gislebertus vigil & gravis, ore disertus,
Insignisque fide, clauditur hoc lapide;
Cujus si merita velit edere lingua perita,
Vincet materia qualibet ingenia.
Quidquid honestatis est, quidquid sobrietatis
Egregie coluit, nec minus edocuit.
E *Dulce decus patrum, censura fuit pia fratrum,*
Doctrinæ speculum clarificans populum.
Gratia tantarum profluxit ei lachrymarum,
Orans ut fleret, flens etiam legeret.
Scorpius & Phœbus tribus emicuere diebus,
Cum tibi Blandinium lumen abit patrium.

XXVI. Sigerus II. & Siherus, quem & Odgerum seu Godgerum Meyerus vocat, Gisleberto defuncto subrogatus abbas eodem anno, memoratur 1140. in charta Simonis sedium unitarum Tornac. ac Noviom. postremi episcopi, altaria

(Mir. nova edit. pag. 967.)

ecclesiæ abbatiali S. Petri Gandav. olim concessa enumerantis & confirmantis. Eodem regente Notholdus Blandiniensis monachus, cum abbatis licentia & assensu Theodorici comitis, profectus ad locum, qui ex nomine rivi ibi decurrentis *Elmare* dicitur, sacellum in honorem Beatæ Virg. Mariæ cum habitaculis cohærentibus monachorum usibus congruis excitare cœpit anno 1144. XVI. cal. Aprilis, quæ postea igni absumta Alerirus Notholdi successor decentius constituit, quibus monachis sub obedientia Blandiniensis abbatis constitutis, Simon Tornac. ac Noviomens. episcopus concessit anno 1145. oblationes fidelium, & quidquid boni ibidem sine offensa canonum conferri posset, & cum pace vicinorum sacerdotum. Testis est quoque Sigerus in charta cujusdam Fulconis pro Gervasio abbate Arroasiensi eodem an. 1145. ind. VIII. & in quodam diplomate Sibillæ Flandrensis comitissæ 1147. Ipse vero beneficus erga monasterium S. Andreæ de Nemore *al.* de Alneto anno 1156. e vivis eripitur an. 1158. *vel* 1159. secundum quosdam, hac inscriptione donatus:

Hic jacet ille pater Sigerus, quo moderante
Floruit ista domus, cumque ruente ruit.
Ecclesiam, fratres, pastor, pater extulit, auxit,
Ditibus hanc donis, hos prece, pane, Deo.
Anguis & agnus erat acuens serpente columbam,
Insipiens, sapiens & sine felle vafer.
Largus, avarus, egens, locuples. Vix credere possis,
Quotve quibusve modis præstiterat sibi se.
Subjectis parere parat, tumidis Datiano
Plus Datianus erat, plusque Nerone Nero.
Qui geminas in se cupiens reparare sorores,
Martha ministrando, mente Maria fuit.
Ergo Deus qui te, per te, quæ sunt. etiam in te
Vixit, ei tecum vivere detur, amen.

XXVII. Eremboldus II. eodem ordinationis anno exstinguitur, antecessori cognomini satis par, ex Sandero.

XXVIII. Walterus successit Eremboldo, cui non multo post Theodoricus Flandriæ comes justitiam in parochia de Harnes concessit, seu adjudicavit contra Michaëlem constabularium. Charta quidem eruta ex schedis D. Maillart patroni in supremo senatu Paris. præfert an. 1170. sed legendus annus 1160. Theodoricus enim comes jam obierat 1168. Eam subjicimus:

Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, nos vidisse chartam Theodorici quondam comitis Flandriæ sub hac forma.

Theodoricus Dei gratia Flandriæ comes omnibus tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Notum sit omnibus, quod cum dilectus noster Walterus abbas sancti Petri Gandavensis sæpe graviter nobis conquereretur, quod Michaël constabularius multas ei faceret injurias super justitiis & consuetudinibus villæ de Harnes, tandem apud castellum Lens *in præsentia multorum hominum nostrorum jus abbatis declaratum est hoc modo: scilicet quod omnes justitiæ altiores & inferiores suæ leges, de* A *qualicumque forisfacto in villa de Harnes, & in ejus pertinentiis abbati & ecclesiæ essent liberæ & absolutæ.*

Et quod nec nos etiam in ipsa villa vel in ejus appendiciis aliquam justitiam vel potestatem habeamus, nisi abbas vel præpositus suus pro auxilio nos invitaret.

Michaël vero decimum solummodo denarium debeat habere de placitis & foristas.

Volumus itaque atque præcipimus, ut ipse abbas & monachi sui prædictam villam & ejus pertinentias cum omnibus justitiis & legibus majoribus & minoribus amodo libere possideant & quiete, & a B *nullo penitus successorum nostrorum libertas ista infringatur, vel aliqua eis violentia inferatur; & ut hoc firmum & inconvulsum maneat, sub præsentis chartæ testimonio prædictam libertatem prælibatis abbati & ecclesiæ damus & concedimus, & sigilli nostri munimine in perpetuum obtinendam confirmamus. Actum apud castellum de* Lens, *anno Dominicæ Incarnationis 1170. (lege 1160.)*

Ut igitur præmissa perpetuæ stabilitatis robur obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato, salvo jure alieno, confirmamus. Actum Compendii anno Dominicæ Incarnationis 1225. regni vero C *nostri 2. adstantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Lovici buticularii. Signum Barthol. camerarii, Mathei constabularii. Data per manum Silvanect. episcopi cancellarii.* Diem suum clausit Walterus an. 1163. VIII. idus Octobris, cujus tumulo hi versus inscripti sunt:

Blandinio lachrymas moriens, Walthere, relinquis,
Qui vigil atque pugil, cautus & acer eras.
Hinc est quod toties Romam, Remosque petisti,
Ne libertatem perderet, aut reditus.
Palma domus Domini florens, ardensque lucerna,
Omnibus exemplum, quod sequerentur, eras.
D *Tu labrum speculis celatum, bosque triturans,*
Tu miseris, ægris, omnibus unica spes.
Quod te prævenit, te gratia tuta sequatur,
Ac de valle soli ducat ad alta poli.
Octavo moriens idus Octobris obisti;
Sanctam transieris in Sion a Therico.

XXIX. Hugo I. regimini abbatiæ admotus eodem anno, nominatur circa annum 1165. in charta Philippi Alsatii Flandriæ comitis pro Ninivensi monast. Abbatiam dimisit anno 1177. quo ipso anno testis adest in charta Philippi Flandriæ & Viromandiæ comitis pro monasterio E S. Augustini. Conjicimus autem hunc ipsum esse Hugonem cognomento Fallael *al.* Fallael abbatem S. Petri Gandav. a quo parentes Balduini de Boela primi fundatoris monasterii de Bodelo obtinuerunt, ut filius suus ad domum ipsorum accederet relaxaturus animum per aliquot dies, ex hagiologio Sanderi pag. 222. Humanæ naturæ debitum solvit an. 1180. *Ibid. pag. 541.*

XXX. Gerardus II. Hugonis abdicatione fit abbas anno 1177. Vendidit an. 1179. ecclesiæ Ninivensi allodium quoddam situm in parochia de Ramibeke. Hic est G. abbas sancti Petri de

Gandavo, qui cum G. S. Donatiani decano litem dirimit inter abbatem S. Quintini de Insula & homines de Michem anno 1183. consecrationis domini E. Tornacensis episcopi undecimo Subscripsit quoque anno 1185. litteris Philippi Flandriæ comitis pro monasterio Laudensi; ac in vivis esse desiit an. 1190.

XXXI. Hugo II. dictus Flandrensis, creatur abbas eodem anno 1190. quo etiam cessit Eliæ abbati de Dunis decimam de Zando. An. 1196. Annetensem seu Bracllensem virginum ordinis Cisterc. abbatiam ab Ada de Harnes Flandriæ constabularia fundatam laudavit & approbavit. Testis legitur eodem anno in sententia Stephani episc. Tornac. contra Rassonem militem. Porro sub hoc abbate Bodeloense cœnobium initium habuit an. 1199. Balduini Blandiniensis monachi opera, qui monasterio egressus, solitariam primo vitam duxit, dein aggregatis sibi sociis, ædes construere cœpit in pago Wasiæ *Sinay* haud procul Hulsto, consentiente & adjuvante Balduino Flandriæ comite. Abdicavit se Hugo abbatia an. 1201. & ad meliorem vitam transivit an. 1204. VI. cal. Maii.

Ibid. pag. 557.

XXXII. Hugo III. Gandensis nominatus, decessori cognomini superstiti successor datur eodem anno 1201. Obiit vero 1209.

XXXIII. Arnoldus II. de Swynaerde ex priore factus abbas eodem anno, reperitur anno 1219. mense Maio in charta Cisonii. Cessit an. 1230. duobus successoribus suis superstes, & iterum abbas.

XXXIV. Theodoricus I. ex monacho Blandiniensi factus abbas Gerardimontensis, a suis repetitus, Arnoldo cedenti subrogatur an. 1230. morte præreptus 1234.

XXXV. Sigerus III. statim atque electus est, migravit ex hac vita, in nonnullis ideo abbatum catalogis *electus* solummodo inscriptus, non vero abbas.

XXXVI. Arnoldus de Swynaerde iterum ex priore electus abbas, in fata concessit an. 1238. sepultus in sacello S. Dionysii, cujus sepulcro superposita hæc inscriptio: *Hic jacet dompnus Arnoldus de Swynaerde abbas S. Petri, qui obiit an. Dom. 1238. cujus anima per misericordiam Domini requiescat in pace, amen:*

Sequuntur deinde hi duo versiculi:

Quisquis transieris per me, sta, perlege, plora.
Sum quod eris, vixi quod es, pro me, precor, ora.

XXXVII. Robertus II. de Velde præpositus quondam de Clusa, abbatiæ regimen auspicatur an. 1238. dehinc anno 1242. VI. nonas Maii pedum abbatiale dimisit, mortuus anno seq.

XXXVIII. Robertus III. cui cognomen de Camphin, in abbatem cooptatur an. 1242. IV. idus Maii; sub quo renovata est ecclesia B. Mariæ de Ellemaëre, de qua supra, & in majorem elegantiam restituta a Laurentio Blandiniensi monacho, ejusdemque loci præposito, quam Walterius Tornacensis episcopus postea dedicavit an. 1245. XVIII. cal. Octobris. Viam universæ carnis ingressus est Robertus hoc ipso anno.

A

XXXIX. Johannes II. de Scalda ordinatus abbas an. 1245. transegit an. 1261. cum Dunensibus. An. 1264. toparchiam de Saffelaria legibus instruxit, ex Grammaio, ubi tamen fortasse legendum 1294. Id enim auctor iste refert; postquam an. 1289. hanc toparchiam monachis confirmatam a Guidone comite scripsit. Decessit anno administrationis 24. Christi 1270. III. cal. Aug. de quo sequens legitur epitaphium:

Anno ab Incarnatione Jesu Christi MCCLXX. III. cal. Aug. apostolica sede vacante, Johanne de Adenghen (d'Eenghyen) *sedi Tornacensi,* B *Margareta filia Balduini imperatoris Constantinopolitani Flandriæ & Hannoniæ præsidentibus; obiit Johannes de Scalda, qui præfuit huic monasterio annis XXIV. cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace, amen.*

XL. Egidius de Spelmaelgen eligitur abbas an. 1270. & secundo post ordinationem suam anno rebus humanis eximitur, cui tale insculptum est epitaphium:

Egidius venerandus apex & nobile lumen
Istius ecclesiæ fuit hic, cui fama superstes
Inferior meritis præconia solvet in ævum.
C *Ter quadringentis & septuaginta duobus*
Annis post Christum, jam jam sub luce secunda
Hic obit cura patris ac moderamine fretus,
Mensibus hepta quater, semel octo decemque diebus.
Quem loca suscipiant, ubi lux, ubi gaudia plena
Sunt, ubi vera salus, pax integra, vita perennis.
Amen.

XLI. Theodoricus II. de Ipra dictus, forte a natali solo, pedum gessit ad annum 1281. quo illud dimisit. Animam vero efflavit anno 1284. conditus ante ostium sacelli S. Dionysii, cum hac subjecta epigraphe: *Anno ab Incarnatione Domini MCCLXXXIV. VIII. idus Octobris obiit Theo-* D *doricus de Ipra, quondam abbas S. Petri Gandensis, cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace, amen.*

XLII. Johannes III. Piscator nominatus, ex monacho & cantore hujus loci, cessione Theodorici abbatiam nactus est, quam rexit annis viginti-sex & mensibus decem. Fatis concessit an. 1308. uti legitur in subjuncto epitaphio: *Anno ab Incarnatione Jesu Christi MCCCVIII. IV. cal. Dec. pontificante domino Clemente papa quinto, anno quarto, Guidone de Bononia sedi Tornacensi, Roberto comitatui Flandriæ, præsidentibus, obiit Johannes dictus Piscator, qui præfuit huic monasterio* E *annis viginti-sex & mensibus decem, cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace, amen.*

XLIII. Balduinus II. de Lake, Gandavi natus, vitam morte commutavit in Hollem pago Galliæ an. 1317. V. idus Martii, unde Blandinium illatus, sepulturam accepit in sacello S. Dionysii, cujus lapidi sepulcrali hoc additum est elogium:

Anno milleno Domini ter C quoque deno
Juncto septeno, scripto numero tibi pleno,
Balduinus natus Gandæ, de Lake vocatus,
Claustri prælatus necnon fuit hujus amatus.

Luce sub undena Martis linquens aliena
Mundi cum pœna, sibi sit nunc cœlica cœna.
Hic humilis fuit atque scius, simplex & honestus
Qui tumulis valde pius his jacet atque modestus.
Si pro peccatis quicquam meruit gravitatis,
Indulge gratis & eum, Deus, adde beatis.
Omnipotens flamen præsta cœleste juvamen,
Mortis ad examen his, qui dicent precor, amen.

XLIV. Fulco cognomine de Ricke in abbatem electus, confirmatur & consecratur a Johanne papa XXII. ipso die apost. Petri & Pauli anno Dom. 1320. Spiritum Deo reddidit an. 1337. cujus hoc habetur epitaphium: *Anno ab Incarn.* B *Jesu Christi 1337. III. nonas Martii, pontificante domino Benedicto papa XII. anno quarto, Andrea de Florentia sedi Tornacensi, Ludovico comitatui Flandriæ, præsidentibus, obiit Fulco dictus de Ricke, qui præfuit annis septem-decim & mensibus quatuor, cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace, amen.*

XLV. Johannes IV. Pitthem *al.* Pittin Gandavensis, inauguratus abbas an. 1337. promisit obedientiam A. (Andreæ) episcopo Tornacensi, in forma consueta, ex codice MS. bibl. Colbert. Hic Margaretam filiam primogenitam Ludovici Flandriæ comitis e sacro fonte levavit, & propria C manu baptisavit decima-quinta die mensis Aprilis an. 1350. Refectorium exstruxit, largas eleemosynas egenis tribuit, multisque aliis bonis operibus inclaruit. Eo sedente, Simon S. R. E. presbyter cardinalis tit. S. Sixti ad Reges Francorum & Angliæ nuncius apostolicus in Blandinio hospitatus est, variisque indulgentiis ecclesiam auxit an. 1371. Migravit e vita Johannes an. 1375. v. idus Febr. jacetque sepultus in sacello B. Mariæ. Sepulcrum ejus insigni lapide metallo cooperto obstructum est, cui hæc inscriptio superaddita: *Hic requiescit bonæ memoriæ Johannes Pitthem abbas hujus monasterii, qui temporibus Ludovici* D *patris & filii comitum Flandriæ, eidem præfuit triginta septem annis, undecim mensibus & sexdecim diebus.* Anniversarium habet prima feria post festum S. Ansberti.

XLVI. Balduinus III. de Grutere abbatiale onus suscepit an. 1375. promissa Philippo Tornacensi episc. obedientia, ex cod. MS. Colbertino. Moritur Valencenis 18. Febr. anni 1384. ibidem sepultus apud Carthusianos.

XLVII. Johannes V. de Ricke mortuo Balduino suffectus, in fata concessit an. 1387. die ultima Septemb. conditus in sacello B. Virg. juxta sepulcrum Johannis Pitthem, sub ingenti lapide, E cui nihil prorsus insculptum est; ejus autem anniversarium celebratur feria........ post festum S. Hieronymi.

XLVIII. Geraldus III. de Monte ex priore fit abbas eodem anno. Unus fuit ex legatis Flandriæ comitis ad Regem Franciæ an. 1390. qua legatione fungens Parisiis decessit 9. Septembr. ejusdem anni; cujus inde corpus elatum tumulatur in Blandinio. Missalis liber summi altaris ejus jussu exaratus fuit.

XLIX. Gerardus IV. cognomine Leeuwaert A abbatiale pedum assecutus, summa diligentia disciplinam monasticam restauravit, & cœnobii jura tutatus est, cui ob insignes ejus virtutes cecinit quidam:

Ardua facta gere, Gerarde, nec infima quære,
Sic age, ne sine re nomen videaris habere.

Naturæ concessit 26. Aprilis an. 1412. humatus in sacello sanctæ virginis Amelbergæ. Anniversarium habet prima feria post festum B. Marci, epitaphio cohonestatus versibus rythmicis, conscripto in hunc modum:

Leeuwaert Gerardus jacet hic non ad bona tardus,
Qui prælaturæ præerat moderamine curæ
Annis cumque tribus bis decem subdere, quibus
Aspera multa tulit, claustri pro jure tuendo,
Atque refundavit navem templi reparando,
Partim sic reficit, mare, Mars quod pvrque peremit.
M C quatuor sex bis, Marci sit crastina tristis,
Huic claustro flenti tanto pastore carenti:
Cui lux ut detur cœlestis, quisque precetur.

L. Johannes VI. Maeyghem seu Mayeghem abbatiæ regimini admovetur anno 1412. quo regente Philippus dux Burgundiæ & comes Flandriæ futurus, in adventu suo jucundo juramentum præstitit in hoc monasterio, his verbis: *Nous Philippes jurons a garder, comme bon & loyal gardien sans moyen, bien & legaulement, contre tous & vers tous, tous les privileges, libertez, franchises, usages, coustumes, biens, possessions, personnes, subjects & familiers de cette église de S.t Pierre au Mont Blandin, fondée de nos predecesseurs Roys de France. Ainsi Dieu nous veuille ayder, les Saincts, dont les corps reposent icy, eux & tous les Saincts de Paradis.* Mortis debitum solvit Johannes an. 1422. 16. Martii, sepultus in sinistra parte chori prope ostium sacelli divi Johannis. Anniversarium ejus recolitur prima feria post festum S. Gertrudis.

LI. Bussardus de Monte electus eodem anno & confirmatus, munus benedictionis accepit a Johanne de Thoisy episcopo Tornacensi in domo abbatiali de Zuinaerde an. 1423. indict. 1. die 15. Julii. Tempore hujus abbatis præpositura de Ellemaere inundatione maris subversa est cum multis aliis vicinis pagis an. 1424. 19. die Novembris in nocte festivitatis S. Elisabeth. Extremum diem obiit an. 1442. 4. Aprilis, regiminis sui 20. Anniversarium ejus celebratur die 5. Aprilis.

LII. Johannes VII. Haesbyt uno tantum anno præfuit, demtis quatuor diebus; nam migravit ex hac vita ultima die Martii an. 1443. conditus in sinistra parte templi prope sacellum divi Johannis, qua die anniversarium habet.

LIII. Philippus I. Conrault ex Poligniaco prope Arbosium in comitatu Burgundiæ oriundus, cognominatur Cournaud an. 1470. in probationibus hist. S. Stephani Divion. pag. 203. & 252. Memoratur abbas an. 1445. in quodam instrumento registri Paris. fol. 167. An. 1458. die 23. Maii interfuit apud Seclinum translationi corporis S. Piati e veteri in novum scrinium. Abbatiam

Abbatiam postmodum transcripsit nepoti suo cognomini, reservatis sibi annuæ pensionis libris trecentis, castro de Zuinaerde, & prima in choro sede, siquando ipse divinis in cœnobio interesse vellet. E vivis excessit an. 1475. die 13. mensis Aug. sepultus ante aram S. Nicolai, nullo addito epitaphio; cujus annua obitus dies agitur prima feria post octavam S. Laurentii.

LIV. Philippus II. Conrault patruo cedenti successit an. 1471. Scripsit epistolam commendatitiam an. 1480. 9. Septemb. ad Guillelmum Camberonensem abbatem pro Guillelmo van Wymeersch ut esset Bodeloensis abbas. Idem pro Philippo Burgundiæ duce legatione functus est ad Regem Angliæ, ex qua redux, paulopost vita defungitur an. 1490. Jacet humatus eodem tumulo quo patruus ejus. Inter alia vero sui regiminis opera, bibliothecam cœnobii multum auxit, variisque ditavit MSS. codicibus, quorum subsidio magna ex parte (inquit Sanderus,) lectio veterum ac classicorum auctorum emendata est. Ipsius porro effigies visitur in tabella in sacello B. Mariæ summo artificio expressa.

LV. Johannes VIII. Cauwerburch in loco de Lake juxta muros Gandenses natus, ex præposito eligitur abbas difficillimis reipublicæ temporibus, quas æquo pertulit animo calamitates. Insuper eo sedente cardinales aliquot nihil non moliti sunt, ut hac Blandiniensi potirentur abbatia, reditibus cœnobii magis inhiantes (ut nunc quoque sunt tempora) verba sunt Sanderi, quam de ovibus sibi commissis solliciti. Certe Guillelmus de Croy postea cardinalis tituli S. Mariæ in Aquirio abbatiam tunc ad se trahere tentabat. His igitur præpedientibus obstaculis annos quindecim sedit non confirmatus, interimque rabidi canis morsu appetitus, ad S. Huberti in silva Arduenna aram confugere cogitur, non sine periculo & gravi dispendio. Ipsi Carolus V. Romanorum imperator more solito juramentum præstitit ante aram principem templi Blandin. anno 1514. die 4. Martii. Naturæ concessit Johannes 1517. VIII. idus Junii, ex Sandero, melius VII. idus, ipso die SS. Trinitatis. Jacet conditus in summo choro circa finem, sub magno & pulcherrimo lapide, cui nulla insculpta fuit inscriptio; ejus tamen elogium composuit Sanderus hoc modo:

Lake me genuit pagus prope mœnia Gandæ,
Et tumulo captum nunc Libitina tenes.
Blandinium rexi, & quæ tunc neglecta jacebant,
Erexi, colui, vivere cum licuit.
Annis quingentis a Christo & mille peractis
Adde decem & septem, mors inamæna rapit.
Ergo quisquis ades, præsentem perlege tumbam,
Et, quæso, dicas, vive beate Deo.

Anniversarium habet feria 2. post commemorationem omnium fidelium defunctorum.

LVI. Gerardus V. Cuelsbrouck nobilis Alostanus, decessoris Johannis avunculus, eligitur canonice VI. Junii in festo B. Gudwali eodem an. 1517. ex Sandero, quod constare nequit, nam Johannes adhuc in vivis erat, & mortuus est tantum 7. Junii; sed hic fortasse in extremis positus, abbatiali pedo dimisso, eligendi successoris potestatem monachis fecit, aut certe avunculo abbatiam transcripsit, quod probabile videtur. Ceterum Gerardus confirmatur a Leone X. papa 24. Julii eodem anno, cum prius Guillelmus de Croy cardinalis jure omni, quod sibi in abbatiam competere poterat, cessisset. Interim tamen Petrus Accoltius episc. Atrebat. & cardinalis, qui forsan de abbatia & ipse contendebat, duo millia florenorum annuæ pensionis extorsit. Dehinc Gerardus summa pietate, zelo ac prudentia singulari abbatiam rexit, variis ornamentis templum & ædes monasterii auxit, turrim a Philippo Conrault incœptam absolvit, thesaurariam locupletavit, pontes usui publico magnis sumtibus stravit, uno verbo vix aliquid in toto visitur cœnobio, quod non aut reparaverit, aut a fundamentis exstruxerit. Principum aulas ingenita quadam prudentia, quanquam iis gratissimus, semper abhorruit, satius esse ratus commisso sibi gregi recte consulere, quam apud vulgi aures magni abbatis nomine personare. Anno 1522. Christiernum Danorum regem profugum una cum uxore sua Isabella Caroli Cæsaris sorore in castro abbatiali de Zuinaerde honorifice excepit. Anno 1549. 18. Julii Philippus Hispaniarum rex Catholicus Caroli V. filius juramentum præstitit ante summum altare ecclesiæ Blandiniensis coram abbate Gerardo in hunc modum: *Ego Philippus Dei gratia princeps Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. archidux Austriæ, dux Burgundiæ, comes Habspurgi & Flandriæ, &c promitto, quod in adventu meo & successione hujus patriæ & comitatus Flandriæ conservabo tanquam bonus, fidelis & supremus gardianus sive advocatus & conservator immediatus, bene & fideliter contra & erga cunctos, omnia privilegia, libertates, franchisias, usus, consuetudines, bona, possessiones, personas, subditos, & familiares hujus ecclesiæ S. Petri in monte Blandinio a prædecessoribus meis fundatæ. Ita me Deus adjuvet, & omnes sancti quorum corpora hic quiescunt, omnesque sancti Paradisi. Actum an. 1549. 18. Julii.* An. 1555. aram principem anno superiori inchoatam absolvit, feretrumque divi Bertulfi argento denuo vestitum, ubi prius fuerat superponi jussit. Adversa tandem valetudine per aliquot hebdomadas pulsatus, ægritudinem patientissime tulit, sed morbo ingravescente animam Deo reddidit eodem anno 18. cal. Septemb. ipso assumtæ in cœlos Virgini sacro die, ætatis suæ an. 67. regiminis vero 38. cum duobus mensibus & diebus quatuordecim. Jacet conditus in choro inter summum altare & ædiculam venerabilis sacramenti.

De eo fit quotannis peculiaris memoria in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, qua die divinum officium paulo solemnius celebrari, & eadem opera sui recordationem fieri voluit, & quo posteris omnibus religiosis hoc suum institutum manifestius foret, fundavit ut cuilibet religioso darentur hac eadem die ab infirmario sex asses, juvenibus vero in capitulo adhuc existentibus

tres. Pluribus cohonestatus fuit tumulus ejus epitaphiis, quæ ideo quod prolixiora sint, omittimus: unum hic tantum inserere juvat auctore Henrico Costenoblio, qui ipsi quondam fuerat a secretis.

Gerardus jacet hic quintus, cognomine Cuelsbrouck,
Blandinii orba suum defleat aula patrem.
Quam pius & prudens, quam religionis alumnus,
Testantur vitæ splendida facta suæ.

LVII. Franciscus Dauroult *al.* d'Helsaut ex præcipua apud Atrebates nobilitate ortus, vir fuit singulari humanitate præditus, ceterisque virtutibus ornatus, quæ pastorem animarum decent; ideo a multis cœnobiis expetitus abbas, quatuor successive abbatias administravit; Licquensem scilicet ord. Præmonstr. inde S. Johannis prope Morinos olim, nunc in urbe Iprensi, ordinis S. Benedicti, tertiam S. Winnoci apud Bergas in Flandria ejusdem ordinis, ac postremo Blandiniensem hanc, quam suscepit regendam 12. Junii 1556. Neque hic finis fuit ejus ad altiora promotionis; anno siquidem 1559. in erectione novorum episcopatuum, nominatus est a Philippo Hispaniarum rege primus Gandavensium antistes: sed ut erat humilis, ac modeste de se sentiens, hanc provinciam, angelicis etiam humeris formidandam, ea qua decuit modestia recusavit. Porro tempore administrationis hujus cœnobii, multa in commodum & utilitatem hujus domus ac templi ornatum præclare gessit. Litterarum ac litteratorum fautor eximius, collegium Gandense Lovanii summa munificentia ac liberalitate erexit, stipendia doctorum auxit ibidem in jure & medicina publice prælegentium, impensis in hos usus viginti florenorum millibus, quos a decessore Gerardo mutuatos Carolus V. imperator eidem cœnobio restituerat. Denique bonorum operum plenus ac dierum, Deo hominibusque gratus, ex hac luce subtrahitur, ne videret tragœdiam a Calvinianis postmodum excitandam, hujusque sui monasterii omnimodam eversionem, ac miserrimum monachorum suorum exsilium. Mortuus est, inquam, an. 1567. 8. Sept. regiminis sui undecimo, ipso die Nativitatis B. M. cujus cultor fuerat devotissimus.

LVIII. Gislenus Temmerman *al.* Temnerman loci alumnus, electione fratrum subrogatur Francisco, ac postridie (quod longa hic consuetudine observatum) exsequias decessoris celebravit. A principe confirmatus XI. Maii 1569. Bruxellis, & a Romano pontifice 16. Junii anni 1570. inauguratur abbas 6. Augusti, adstantibus Einhamensi & Trunchiniensi abbatibus. An. 1574. in synodo Mechliniensi nominatur Gislenus Temmerman ad causas apostolicas in diœcesi Gandavensi, loco defuncti Andreæ Sulter. ex tom. 4. Anecdot. col. 462. C. Sub ejus regimine extremam cladem passa est familia Blandiniensis, exciso monasterio, monachisque fugatis. Obiit Gislenus seu animi mœrore, seu aliis ærumnis confectus Duaci exsul anno 1581. 27. Martii, ac sepultus est in ecclesia pagi de Harnes ad cœnobium pertinentis, hæreticis Calvinianis Blandinium tunc occupantibus.

LIX. Lambertus Huberti asceta Blandiniensis ab Hispaniarum rege Ulyssipone tunc degente nominatur abbas 19. Maii 1582. indeque pontificio diplomate obtento 15. Julii an. 1583. administrationem consequitur. Redux tandem ab exsilio 1584. dispersum gregem ovili suo reddidit, Atrebati postmodum consecratus abbas an. 1592. prima Adventus Dominica. Vir fuit amans disciplinæ, ac severus morum corrector; qui quidem ad fontes Spadanos valetudinis recuperandæ causa profectus, Bruxellæ, Gandavum reversurus, finem vivendi fecit 5. Nov. 1595. Sepulcro primum illatus est ante aram divæ Virginis in Blandinio, sed postea translatus ad ambitum meridionalem cœnobii, quem strui jusserat, ubi habet hoc epitaphium:

Primus ab everso templo furialibus armis
Hujus qui tenuit sceptra pedumque soli,
Lambertus fuit Huberti, qui sparsa reduxit
Agmina Blandinii relligiosa patrum.
Spirabat magnorum operum fundamina votis,
Resque reponendas ordine quasque suo.
En jacet ipse suæ structuræ parte; Tonantem
Factorum ut hæc sint apta precare loco.

LX. Fredericus d'Yne antea Maricolensis abbas, regendo huic cœnobio Blandin. postulatur, & in possessionem immittitur 5. Maii anni 1596. retenta simul priori abbatia, sed alterutram eligere coactus, jure suo in Blandiniensem cessit. Demum interiit Montibus in Hannonia 16. Apr. ex Sandero, melius 10. in vigilia Paschæ anno 1599.

LXI. Cornelius Columbanus Vranx Teneramundanus, sacræ theologiæ licentiatus, canonicus primum & pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis Gandav. inde monachus Blandiniensis, & ex priore electus abbas per abdicationem videlicet seu resignationem antecessoris Frederici, possessione donatur an. 1597. 20. Maii, inauguratus anno duntaxat 1599. 25. Aprilis in pago de Swinaerde, ministerio Petri Damantii Gandav. ecclesiæ præsulis, assistentibus Jacobo Delrio Bodeloensi & Francisco Scotecte Trunchiniensi abbatibus, eodemque die solemniter ad monasterium venit. Vir fuit candidus, doctus, pius, largus in eleemosynis & pauperum scholarium, pupillorum ac viduarum amantissimus, simplex & rectus, & ut verbo veritas innotescat, nimium facilis, ab aliquibus minus probis & industriis sæpe delusus. Eo sedente Belgarum principes Albertus & Isabella juramentum a comitibus Flandriæ fieri solitum præstitere. Anno 1610. millenarium cœnobii sui a prima fundatione annum celebravit, magno præsulum illic ac magnatum confidentium applausu, Cornelio a Marca in hoc argumentum latine perorante.

Rebus tandem monasterii nimia abbatis facilitate & prava quorumdam administratione diffluentibus, in coadjutorem adsciscitur Joachimus Arsenius loci alumnus, vir strenuus, qui sua industria ac sollicitudine sensim æs alienum, quo

domus illa gravabatur, difflavit, aliisque cœnobii malis prudenter occurrit. Mortalitatem explevit Cornelius an. 1615. 15. Aug. annos natus 84. monasticen professus 32. sacerdos annis 55. abbas ab electione 18. ab inauguratione vero 16. cum tribus mensibus & quindecim diebus. Sepultus est in ambitu juxta ecclesiæ ingressum, hoc ipsi apposito epitaphio:

Cornelius jacet hoc sub marmore Vranxius, annis
Obsitus, ingenio floridus & meritis,
Candidus & simplex & prudens sensibus; at cui
Plus aliquid niveæ simplicitatis erat.
Desine qui miseris turbas hæc busta querelis;
Si vis inferias condere, da violas.

LXII. Joachimus Arsenius Scayck Ultrajectinus, antea coadjutor, vir doctrina, prudentia, religionis conservandæ zelo tuendæque disciplinæ clarus, abbatialibus infulis ornatur in dominio suo de Swynaerde, ab Henrico Francisco Vander-Burch Gandav. præsule, adstantibus Guillelmo de Castille Bodeloano & Levino Molinæo Trunchiniensi abbatibus, die XI. Octob. anni 1615. eodemque die magna civium, suorumque sibi cum sancta cruce occurentium pompa deductus est ad monasterium, & postridie (uti fieri solet) antecessori suo justa persolvit. Collapsa ædificia restauravit, dormitorium cum tribus claustri alis exstruxit, ecclesiam variis ditavit ornamentis, bibliothecam multis libris adauxit, domumque abbatialem anno 1619. ædificavit. Cum plura demum volveret animo, piis operibus immoritur 6. Decemb. 1631. hoc simplici epitaphio donatus: *Hic quiescit D. Arsenius abbas hujus monasterii LXI.*[a] *Obiit anno MDCXXXI. mensis Decemb. die sexto.*

LXIII. Gerardus VI. Rym ex præposito renuntiatur abbas a serenissima Hispaniarum infante Isabella Flandriæ comitissa an. 1633. ac die 3. Maii ejusdem anni abbatiali benedictione perficitur. Inter alia ornamenta, quibus ecclesiam ditavit, eminent argentea sex candelabra. Exstruxit quoque dormitorium refectorio vicinum, ac tandem obiit an. 1636. VI. cal. Sept. seu 27. Aug. Adhuc autem sedes abbatialis vacabat die 27. Nov. 1642.

LXIV. Gaspar Vincq abbas S. Dionysii de Broqueroya, istuc transfertur an. 1645. Utrum proxime successerit Gerardo, atque etiam quare tamdiu vacaverit sedes, incompertum; at certe hic non multo post ad priorem sponsam rediisse videtur, ubi vide tom. 3. novæ Gall. Christ.

LXV. Antonius Engrand a prioris officio ad abbatiale munus evectus est nominatione Philippi IV. Hispaniarum regis an. 1650. 16. Maii; inauguratur anno seq. 1. Junii in suo dominio de Swynaerde. Templum ab Arsenio abbate inceptum solemni ritu reseravit, illudque organis pneumaticis & odeo decoravit. Viam universæ carnis ingressus est an. 1654. 17. Septemb. cui sequens epitaphium inscriptum est: *Adsta lector. En finis hominis, qui templum aperuit, jura defendit domus*

[a] Numeratur a nobis LXII quia Rotboldus locum XV. & XVII occupat, ut pote bis abbas.

A *Blandinianæ, marmore hoc clausus jacet Antonius Engrand nominis primus sui, abbas Deo miserente LXIII. ovile ut pasceret, vitam dedit. Rexit annis 3. Obiit 17. Septemb. an. 1654.*

LXVI. Amandus Hovelynck ex priore designatus abbas ab archiduce Leopoldo Belgii gubernatore, benedictionem accepit in ecclesia Blandiniensi an. 1656. 14. Maii. Is an. 1661. die 6. Februarii festivos inter ignes jubilæum anni millesimi a morte patroni sui S. Amandi celebravit. Sub eodem abbate marchio de Castel Roderigo patriæ gubernator juramentum a comitibus Flandriæ præstari solitum, nomine Caroli II. Hispa-
B niarum regis præstitit, vi procurationis acceptæ ab ejusdem Caroli matre regente an. 1666. 2. Maii. Denique postquam annis 23. summa cum laude præfuisset, in pace quievit an. 1679. 13. Aug. epitaphio sequenti decoratus.

Audi me, viator, quisquis es pauca lege:

En quartus jaceo hic & sexagesimus abbas,
Qui sacra direxit culmina Blandinii.
Nil mihi jam superest, unum nisi nomen Amandus,
Namque Hovelynck tantum re sine nomen erat.
Fugi aulam, ut potui, solum mihi dulcis amanti
Crux fuit & fratrum relligiosa cohors.

C Rexit annis 23. mensibus 3. Obiit 13. Aug. 1679. ætatis suæ 62. profess. 42. sacerdotii 41. abbatialis vero dignitatis 23.

LXVII. Robertus IV. Villoqueau ex subpriore & cantore abbas renuntiatus a Carolo II. Hispaniarum rege an. 1680. Brugis benedicitur anno seq. 29. Apr. in sacello Dominici cruoris; qui exinde rediens 4. Maii ad castrum de Swynaerde, magno totius territorii abbatiæ jubilo Gandavum ingressus, solemni pompa deductus est ad monasterium. Diem & annum obitus ejus docet epitaphium sequens.

D *D. O. M.*

Sub hoc marmore expectat adventum diei Domini amplissimus ac reverendissimus dominus Robertus Villoqueau, hujus cœnobii in Monte Blandinio antistes LXV. qui juxta gentilitiæ tesseræ suæ gnomen suaviter & prudenter gregi suo ter quinis mensibus præfuit ac profuit, natus 1624. denatus ac renatus æternitati 1682. 16. Aug.

LXVIII. Maurus Verschuren, sub quo Philippus V. rex Hispaniarum an. 1702. Flandriæ comitatus possessionem solemni ritu adeptus est 19. Martii accepto gladio per suum procurato-
E rem marchionem de Bedmard Flandriæ gubernatorem ab ipso Mauro Blandiniensi abbate. Huic vero senescenti datus est coadjutor Hieronymus Steuperaert, qui defunctus est 29. Aprilis an. 1708. quatuor annis ante Maurum abbatem; hic enim obiit an. 1712. teste ipsius epitaphio quod sequitur: *Hic requiescit amplissimus dominus Maurus Verschuren exemti hujus monasterii abbas LXVI. obiit 14. Febr. an. 1712. ætatis suæ 80. professionis & sacerdotii utroque plusquam jubilario, abbatialis dignitatis 27. Precare, lector, ut quem amanter longitudine dierum replevit Dominus,*

eidem velociter ostendat salutare suum. Requiescat in pace.

LXIX. Emilianus Cruyc... Obiit 14. Aug. 1719. ætatis suæ 73. de cœnobio bene meritus.

LXX. Antonius Musaert Benedictinus monachus, electus 9. Nov. 1719. & ab Imperatore confirmatus 24. Oct. 1720. proponitur abbas Blandinii in consistorio Pontificio 24. Septemb. 1721. ab eminentissimo cardinali d'Altaham Imperatoris nomine; deinde bullas accepit 8. Nov. 1721. possessionem 19. ejusdem mensis, ac demum benedictionem 13. Sept. 1722. Hic anterius templum a decessore inchoatum perfecit.

VIRGINES ANGLICANÆ.

MOnasterium Benedictinarum Anglicarum in civitate Gandavo sumsit exordium a Bruxellensi ejusdem ordinis ac nationis, ex permissione regis Catholici data 25. Sept. an. 1623. Insequenti vero, die 15. Januarii Jacobus archiepisc. Mechliniensis Luciæ Kenatchbull, Eugeniæ Paulton, Magdalenæ Digby & Mariæ Roper monialibus professis e monasterio Bruxellæ transmigrandi ad Gandavense cum duabus novitiis facultatem concessit, ut ibi novam domum constituerent; ac triduo post dedicata fuit ecclesia sub titulo Immaculatæ Conceptionis.

SERIES ABBATISSARUM.

EUGENIA Paulton priorissa in monasterio Bruxellensi, novellæ plantationi aliquandiu præfuit, ad annum scilicet 1625. *al.* 26. quo resignavit.

I. Lucia Kenatchbull Bruxellensis parthenonis alumna in primam eligitur abbatissam 21. Martii 1625. Jacet in ecclesia sub hoc epitaphio:

Venerabilis abbatissa Lucia, in secula vocata Elizabetha Kenatchbull obiit Gandavi anno Dom. 1629. 5. die Augusti ætatis suæ 45. professionis 19. prælationis 6. in monasterio Anglarum sanctimonialium Immaculatæ conceptionis B. M. Virg.

Struximus hæc nostræ flentes monumenta parenti,
A lucendo cui Lucia nomen erat:
Lucebat terris, terris invidit Olympus,
Eripuitque solo lumina digna polo.
Sicque ibas cœlis nova luna jubarque beatis;
Hic clarebis, ait nomen, & omen ait.

Anagrammata.

Sis in aula beata ubi clarebis.
Ibas cœlis luna jubar beatis.

II. Eugenia Paulton de qua superius, rexit ab anno 1629. ad 1642. quo anno regimen abdicavit XI. die Decemb. Obiit autem an. 1645. 9. Novembris; cujus tumulo inscriptum legitur hoc epitaphium:

Hic jacet reverenda admodum domina Eugenia Paulton abbatissa 2.ª hujus monasterii quæ felicissime obdormivit in Domino anno salutis 1645. die IX. Novembris ætatis anno 65. professionis 41. prælaturæ 16... alteram hanc e cœlo suo dedere hæc claustra sideribus præsidem suis virginem genere nobilem, virtute nobiliorem, religione sanctam, dignitate inclytam, candore animi amabilem, zelo legum admirandam, his superstes funeri cœlum virtutibus petiit, felicis animæ casta spolia huic tumulo reliquit.

III. Maria I. Roper natalibus in tota Anglia nulli secunda, religionem vovit monasticam Bruxellis an. 1619. Assumta est in abbatissam per cessionem Eugeniæ, paulo antequam Jacobus rex Angliæ in urbe Gandavo reciperetur; qui cum moniales Conceptionis invisisset, illarum pietas ac religio tantam regiæ majestati movit admirationem, ut suam ipsis sanctimonialibus protectionem pollicitus, exinde abbatissam maxima semper sit prosecutus benevolentia, adeo ut ipsi post aliquot annos ægrotanti suum archiatrum miserit. Defuncta est mense Aprili an. 1650. cui nepos ejusdem Christophorus Roper baro de Thenham & Par Angliæ monumentum sepulcrale construxit, cum hoc elogio funebri.

Domina MARIA ROPER abbatissa
Hujusque cœnobii nobilium virginum Anglarum,
Deliciæ & decus,
Filia, soror, amita nobilissimorum baronum
De Tenham procerum Angliæ.
Adolescentulam adhuc splendor natalium,
Forma, venustas, virtutis indoles
Morumque suavitas, illustrium procorum examine
onerabat.
At illa
Mendacem nuptiarum pompam aspernata
Unice Christum deperiit & contubernium castitatis,
In quo
Triginta unum annos professa
Paruit humiliter,
Præfuit modeste,
Decessit desideratissima
Cælo, & cœnobio, æmulis.
Salve cinis virginee, sancte, nobilis,
Pax sit perennis.
Sic orat opere tramitem edoctus tuo
Pacis, salutis. Obiit April. 1650.
Christophorus baro de Tenham & Par Angliæ
nepos mœstissimus PP.

IV. Maria II. Kenatchbull Luciæ neptis consecrata fuit abbatissa 15. Maii 1650. cujus virtutem & animi dotes piissimus Angliæ rex sæpe demiratus tria millia nummorum Sterling monasterio dedit. Hæc autem novorum in urbibus Bolonia *, Ipra & Dunkerka parthenonum fundamenta jecit. Fatis concessit an. 1696. ætatis suæ 85.

* *al.* Pontisara.

V. Justina Petre nobili & antiqua inter Anglicas progenie sata, decessit anno 1698. 7. Decembris.

VI. Maria-Magdalena Lucy apoplexia corripitur 7. Julii 1703.

VII. Scholastica Gerard obiit 6. Septemb. 1711.

VIII. Maria III. Kenatchbull successit.

B. MARIA LAZARIORUM.

Mir. novæ editionis pag. 202.

ABbatia B. M. Virg. ord. S. Benedicti, *vulgo* leprosarium Gandavi exstabat jam anno 1236. quo Walterus episc. Tornac. quatuor fratribus & sororibus ejusdem domus pro regula vivendi nihil amplius oneris imponit, nisi quod corporalem continentiam, propriorum abdicationem, habitum religiosum & obedientiam magistri domus tenentur generaliter observare. Et hæc est prima origo monasterii. Secunda vero scilicet quoad susceptionem ordinis S. Benedicti debetur monialibus ex parthenone de Courtemberg prope Bruxellas, quæ huc an. 1628. ordinis plantandi causa venerunt. Seriem abbatissarum ab hoc potissimum tempore, quandoquidem vetustiora nobis desunt monumenta, repetemus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JOHANNA VANDER-SARE prima hujus monasterii ord. S. Benedicti abbatissa præfuit annis 24. & 9. mensibus & ante reformationem leprosario huic XI. annis; obiit 8. Aug. 1654. ætatis 85.

II. Gertrudis I. vanden Bossche secunda abbatissa præfuit annis 2. defuncta 1656. die XI. Martii ætatis suæ 68.

III. Eleonora I. du Blioul innotescet ex epitaphio sequenti:

D. O. M.

Hic jacet nobilis ac veneranda domina D. ELEONORA DU BLIOUL hujus monasterii ord. S. Benedicti abbatissa III. ætatis suæ LXXIX. profess. LIX. prælaturæ XXXIX. annorum, majoris partis monasterii, totiusque templi exstructrix, obiit XXII. Martii 1695. ædificato templo & altari: obtulit sacrificia ut requiescat in pace.

IV. Eleonora II. du Smet præfuit annis XI. mensibus 4. diebus 6. mortua 1706. die 16. Octobr.

V. Gertrudis II. Winck die 3. Januarii anni 1707. electa, instituitur 22. & postridie consecratur: præerat adhuc 1712.

S. MARGARETA.

* Gazetus vocat *Groenambrate*, Miræus, *Groenenbrale.*

S. MARGARETA GRONEMBRITENSIS*. abbatia virginum ordinis S. Augustini e congregatione S. Victoris, in villa Gandensi sumsit exordium ante annum 1359. a Simone Mirabel dicto de Haële, seu de Hale domino de Perwix & Elisabetha ejus uxore, qui de bonis suis eum in finem legaverunt, ut patet ex charta Johannis Villain equitis & Margaretæ Brisetefte uxoris ejus votum prædicti Simonis exsequentium.*

* Mir. novæ edit. pag. 1019. Hoc autem cœnobium, vulgo dicitur *Cænobium-novum.*

SERIES ABBATISSARUM.

I. BEATRIX VLAMINCX e monasterio Bleenberg *vel* Blydenbergh apud Machliniam assumitur in primam abbatissam circa annum 1373. Rexit annis XI. fato functa mense Nov. 1384.

A II. Elisabetha I. Bolloc *vel* Bolloe & ipsa Machliniensis monialis sedit annis 32. & obiit 1416.

III. Maria I. Sersimoens decessit an. 1440.

IV. Barbara Sbackers moritur an. 1461.

V. Catharina I. Tshooghen trimestris abbatissa obiit eodem anno 1461.

VI. Georgia Lachengoens tricenario annorum numero in præfectura expleto e vivis excessit anno 1491.

VII. Margareta I. Sersanders post annos regiminis 23. resignavit an. 1517.

VIII. Bernardina Goetghebuer sedit annis 28. B Migravit e vita 1541.

IX. Catharina II. Lanchals postquam præfuisset annis 23. obiit an. 1564.

X. Jacoba de Santienoys post tres menses eodem anno decessit.

XI. Catharina III. van Steelant præfuit laudabiliter annis 8. pie defuncta 1573.

XII. Livina Franck fuit abbatissa annis novem, e quibus sex (quoniam ab Hollandis Sectariis monasterium penitus eversum est) Tornaci egit cum monialibus 20. & 9. conversis, ac denique ibi defuncta 1582. sepelitur in ecclesia S. Bricii.

XIII. Lucia Vander-Sare Tornaci benedicta in C ecclesia S. Bricii, conventum suum novem post menses Gandavum reduxit an. 1584. 27. Dec. statimque monasterium dirutum restauravit. Rem vestiariam prima communem instituit, eaque præsertim ob singulare concordiæ atque divini officii studium laudatur. Desiit vivere 6. Junii 1608.

XIV. Judoca Loodts triennio præfuit, obiitque 18. Aug. 1611.

XV. Maria II. Sturme munus abbatiale gessit annis XIV. templo interim aliisque ædificiis reparatis; tandemque obdormivit in Domino 13. Febr. 1626.

XVI. Florentia van Steelant benedicta anno D 1626. 20. Aprilis, multa construxit ac præcipue summum altare marmoreum ligneaque sedilia templi. Obiit 21. Octob. 1645. ætatis an. 59.

XVII. Francisca Tevelin benedictionem percepit 15. Aprilis 1646. biennio post defuncta 26. Martii 1648. anno ætatis 52.

XVIII. Anna-Maria van Hamme benedicta 18. Aprilis 1649. multa ac pretiosa sacra supellectile templum ornavit, monasterium vero cui sapienter & fideliter in omni pace ac disciplina præfuit annis 27. stupendo muro circumcinxit. Fatis concessit an. 1676.

XIX. Margareta II. Vander-Elst, cum prio- E rissæ officio per viginti annos vigilantissime perfuncta esset, ad dignitatem abbatialem rarus animi candor & lenitas eam provexit. Munus autem benedictionis accepit 14. Junii 1676. ab episc. Fernensi, sede Gandavensi vacante. Decessit an. 1679. IV. nonas Decembris.

XX. Elisabetha II. Bordincks maxima pro suis sollicitudine præfuit annis 17. defuncta 1697.

XXI. Carolina-Theresia de Camargo electa 19. Sept. & ab Imperatore nominata 2. Nov. possessionem accepit 21. ac benedictionem 25. ejusdem mensis & anni.

XXII. Maria Florentia de Vulder eligitur 26. Julii, nominatur 1. Aug. inducitur in possessionem 21. ejusdem mensis, ac benedicitur 7. Sept. Obiit 21. Nov. 1719.

XXIII. Helena Ghysens electa 4. Apr. 1720. nominata 13. Junii, instituta 5. Julii, benedictionem percepit die 28. ejusdem mensis & anni.

BAUDELO.

BAUDELOA.

PRimum ordinis S. Benedicti prioratus, deinde abbatia Cisterciensis ædificari cœpit anno 1197.* in Wasiæ pago *Sinay* appellato, non procul Husto, in decanatu Rollariensi diœcesis Tornac. auctore Balduino de Boëla *al.* de Bocla monacho Blandiniensi, cui vitam eremiticam agenti plura contulit Balduinus Flandriæ & Hanoniæ comes, ut patet ex litteris Stephani episcopi Tornac. donationem prædicti comitis an. 1203. mense Maio confirmantis. Ex aliis vero Goswini successoris datis anno seq. pridie calend. Octobris evincitur, locum hunc nondum abbatiam exstitisse, mandat enim fundatori Balduino, ut cum sufficientes Deus dederit facultates, unde duodecim litterati monachi congrue valeant sustentari, sine dilatione det operam, ut locus fiat abbatia & sit membrum ecclesiæ Tornac. Ceterum jam an. 1225. transierant fratres de Baudelo ad habitum Cisterciensem, ex charta Roberti de Bethunia transitum liberum per urbem Teneramundam iisdem concessum approbantis mense Aprili anni prædicti. De quibus omnibus consule instrumenta in appendice relata. Gandavi autem ab an. 1585. hæc abbatia subsistit.

* *al.* 1199.

Ch. III. & IV. col. 327. & Ch. VII. col. 328.

SERIES ABBATUM.

BALDUINUS I. DE BOELA *vel* DE BOCLA fundator, socios novem sanctæ conversationis rexit usque ad annum 1200. Vitam ipsius habes in fasciculo SS. ord. Cisterc. p. 1. pag. 274.

Guillelmus dictus Priorulus, Balduini primus socius, prioris etiam titulo gubernavit; post quem

I. IMPINUS primi abbatis titulum obtinuit.

II. Amelius abbas an. 1228. vendit ecclesiæ monialium de Bosco B. Mariæ quidquid habebat in officio de Hasnede & de Bochoute.

III. Gerardus abbas.

IV. Balduinus II. de Insulis.

V. Theodericus I. abbas se suumque monasterium Camberonæ subditum esse recognoscit litteris datis anno 1235. in octava Purificationis B. Mariæ Virginis, quas vide nostra inter instrumenta, in historia edita Camberonensis abbatiæ, pag. 131. & apud Miræum novæ editionis, pag. 1224.

Ch. XIV. col. 332.

VI. Jacobus I. occurrit an. 1239. in charta fundationis Rosæ B. Mariæ, item an. 1240. & 1252. quo subortam Dunense inter ac Thosanum monasteria controversiam diremit cum W. de Valcellis & S. de Claro-marisco abbatibus. Idem etiam pepigisse legitur cum ecclesia Tornacensi super decimis de Wasia, sequestris Willelmo de Walcellis & Egidio de Crispinio abbatibus an. 1254. stilo, ut videtur, Gallicano, 1253. ante Pascha, stilo Romano.

VII. Willelmus I. abbas de Baudelo reperitur an. 1253. in chartario Nonnembosci, seu B. M. de Bosco.

VIII. Theodericus II. 1260. 17. Martii.

IX. Jacobus II. an. 1261. transigit cum W. decano ecclesiæ Tornac. super patronatu & decimis de Chavetinghes, sequestro Laurentio Laudensi abbate. Anno 1270. litem sopivit Dunense inter & Thosanum monasteria. Memoratur adhuc anno seq. 26. Aug.

X. Johannes I. abbas de Baudelo an. 1275. mense Novembri recipit in eleemosynam ab Arnulfo canonico Tornac. MCCL. libras Flandrenses.

XI. Theodericus III. 1280. mense Octobri.

XII. Jacobus III. de Moneta sacræ theologiæ baccalaureus, 1287. die 4. Novembris.

XIII. Balduinus III. Broosche 24. Jan. 1295.

XIV. Johannes II. Albus 20. Octob. 1295.

XV. Egidius Amicus 21. Febr. 1313.

XVI. Johannes III. de Berlandia 3. Martii 1323.

XVII. Jacobus IV. de Boneta *al.* de Moneta 4. Junii 1341.

XVIII. Gilbertus de Pape *al.* Albertus Pape 12. Aug. 1353. sepultus in monasterio Fusniacensi, cum esset in via ad capitulum generale.

XIX. Bernardus I. an. 1369. die 3. Aprilis adfuit translationi reliquiarum S. Rumoldi patroni ecclesiæ Mechliniensis.

XX. Guillelmus II. Pittim *al.* Pitem 23. Sept. 1379. prius, ut videtur, abdicato regimine.

XXI. Gerardus de Zype sacræ theologiæ doctor promisit obedientiam Philippo episcopo Tornac. ex cod. MS. Colbert. An. 1378. cum Nicolao Laudensi abbate confirmavit nomine abbatis Claræ vallensis concordiam initam inter Dunense monasterium & dominos Robertum & Ludovicum Namurcenses. Memoratur adhuc an. 1386. qui deinde abbatia relicta fugit in Brabantiam, propterea quod Clementi antipapæ adhærere nollet. Decessit 3. Dec. 1393. ad quem annum consule Meyerum & Bzovium.

XXII. Goswinus de Vinea *al.* Wygaert 14. Nov. 1404. cujus tempore magna pars urbis Gandavensis incendio periit.

XXIII. Guillelmus III. Wymeers innotescit ex epitaphio sequenti. *Anno Domini 1411. 15. Maii obiit domnus Willelmus Wymeers abbas Bodoloensis 21. abbatisavit annos 9. menses 7. requiescat in pace, cujus ossa cum quibusdam ossibus alterius abbatis nobis incogniti ex ruderibus ac ruinis veteris monasterii B. Mariæ D. Bodelo, quondam siti in parochia de Sinay territorii Wasiani injuria Iconoclastarum diruti anni 1656. eruta & huc translata sub præsenti marmore hic requiescunt, illorum manibus tu, pie lector, devotus apprecare. Requiescant in pace.*

XXIV. Petrus I. Scuttere 13. Martii 1417. hoc est 1316. stilo Romano.

XXV. Petrus II. de Scornaerde *al.* Schoonaeret electus via compromissi, confirmatur ab abbate Camberonensi superiore immediato an. 1416.

quo circiter promisit obsequium Johanni episcopo Tornacensi. Reperitur adhuc die 14. Maii 1432. A

XXVI. Daniel Militis 1445. 17. Junii.

XXVII. Johannes IV. Bloekschoemakere die 9. Junii 1459.

XXVIII. Livinus Alti *al.* de Hooghe 1477. & 1480. quo anno pedum dimisit, mortuus 17. Julii 1481.

XXIX. Guillelmus IV. van Wymeersch electus paulo ante 19. Novemb. an. 1480. reperitur annis 1486. & 1496. 26. Nov.

XXX. Petrus III. de Eetuelde *al.* Fetuelde 1498. & 1504. quo anno, die 28. Junii naturæ debitum solvit. B

XXXI. Guillelmus V. de Merica 1509. Obiit 1515. mense Decembri.

XXXII. Johannes V. de Deinse *al.* de Donza 1516. & 1538. quo anno, die 6. Julii memoratur judex & exsecutor seu commissarius cum certis collegis auctoritate apostolica deputatus ad cognoscendum de excommunicatione vibrata ab officiali Tornacensi in quemdam ecclesiæ collegiatæ S. Bavonis clericum, qui se a prædicti officialis jurisdictione exemtum contendebat. Defecit hoc anno 25. Aug. exstructa refugii domo.

XXXIII. Vincentius *al.* Viventius Impins primus abbas infulis ornatus 1542. Vivere desiit 1549. C

XXXIV. Jacobus V. de Drayere *al.* Rieda & de Ayeca obiit 21. Decemb. 1562.

XXXV. Jacobus VI. Delrio loci alumnus promovetur a Romano pontifice per obitum præcedentis die 30. Julii an. 1563. Eo sedente an. 1570. in vigilia S. Andreæ fulmine delapso templum exarsit. Hæretici quoque cœnobium devastarunt & ipse Coloniam exsul abscessit, unde reversus abbatiam quanta potuit sedulitate restituit. Cetera docet ejus epitaphium, quod sequitur: *Hic jacet reverendus admodum* J*ACOBUS* D*ELRIO 27. abbas monasterii de Baudelo. Obiit 23. mensis Martii 1610. Vixit annos 87. Præfuit annis 48.* D

Abbatum exemplum, specimen venerabile morum;
Spes inopum, veri splendor, honoris honor,* * l. fidei.
Et patriæ communis amor, vere aurea prisci
Vena boni & rivus perpetuæ uber opis.
Delrius hic vitæ defecto humore quiescit.
Mens pia cælesti nectare læta fluit.

XXXVI. Guillelmus VI. del Castillo seu de Castilio interfuit an. 1614. die 9. Febr. inaugurationi Johannis Farinart in abbatem Camberonensem. An. 1620. ei Aubertus Miræus dicavit auctarium originum monasticarum. Hic porro templum magnifice a fundamentis exstruxit, ipsamque domum integram adornavit. Denique superstes duobus coadjutoribus sibi a Principe datis, diem clausit extremum 9 Julii 1636. ex epitaphio, quod sequitur: *Hic jacet reverendus admodum dominus dominus* G*UILLELMUS DEL* C*ASTILLO 28 abbas hujus monasterii, mortuus anno ætatis suæ 87. prælaturæ 27. Requiescat in pace, amen.* E

Del Castillo animi non expugnabilis unquam
Deficiens tandem corpore, mente manet.
Conditus hoc templo, quod condidit ipse, quiescit,
Hospitioque Deum cepit, eumque Deus.
Corpoream hanc corpus numen suscepit in ædem;
Menti in siderea præstitit æde locum.
*Obiit 9. Julii 1636.** *al. 1638.

XXXVII. Johannes VI. d'Isembart *al.* d'Isembiert reperitur abbas 1638. & 1641. cujus epitaphium tale est: *Hic jacet reverendus admodum dominus D.* J*OHANNES DE* I*SEMBART 29. abbas monasterii de Baudeloo. Obiit 4. die mensis Febr. anno Domini 1647. ætatis suæ 61. prælaturæ 11. Requiescat in pace, amen.*

Præsul Isembardus parvo qui tempore magna
Hujus cœnobii surgere tecta dedit.
Dum majora parat, vastans terram impedit hostis,
Pejor & hoste manus mors inopina ligat.
Sed meritis mens fulta suis conscendit ad astra,
Corpus in hac sacra justa recepit humo.

XXXVIII. Balduinus IV. Verschure *al.* Vander-Schuere sequenti epitaphio dignoscitur: *Hic jacet admodum reverendus dominus D.* B*ALDUINUS* V*ANDER*-S*CHUERE 30. abbas hujus monasterii. Obiit 14. Febr. an. Dom. 1649. ætatis suæ 50. prælaturæ mense secundo.* Requiescat in pace.* * f. II.

Totus dum sperat mundus, nec nil omine vano,
Æqualem magnis te fore laude viris,
Lunares bis quinque tibi non amplius orbes
Pastorale pedum Parca severa finit.
Attamen explesti multos virtutibus annos,
Tempore quas longo fama loquetur anus.

XXXIX. Livinus Vaentkens probe itidem notus est ex hoc epitaphio: *Hic jacet reverendissimus ac amplissimus DD.* L*IVINUS* V*AENTKENS 31. abbas de Baudelo, necnon per Belgium vicarius generalis. Obiit 24. Decemb. 1689. ætatis 84. prælaturæ 32. Requiescat in pace, amen.*

Ætas, ingenium, virtus, studiumque, laborque,
Multaque pro populo fortiter acta tuo,
Et quæ fama vehit laudum monumenta tuarum
Triverunt vitæ stamina lenta tuæ.
Jamque sub hoc tumulo præsul Livine quiescis;
Expectans meritis præmia digna tuis.

XL. Gregorius I. van Rooden antea prior & jam an. 1657. coadjutor vivente adhuc decessore factus est abbas, ut liquet ex ipsius epitaphio, quod sequitur: *Hic jacet reverendus admodum dominus* G*REGORIUS van* R*OODEN 32. abbas de Bodeloo. Obiit Aquisgrani die 15. Maii anno 1685. ætatis 66. prælaturæ 5. Requiescat in pace.*

Quem favor & pietas ad summos vexit honores,
Crudeli fato mors inopina rapit.
Dum morbum fugiens ad thermas transit Aquenses,
Thermæ illi subitæ causa fuere necis.
Ossa relata tamen tumulo clauduntur in isto,
Ut mens ad superos transeat, adde preces.

XLI. Petrus IV. Everaert ordinis Cisterc. per Belgium tredecim annis vicarius generalis, & ad Flandriæ comitia deputatus, hoc habet epitaphium: *Hic jacet reverendus admodum ac amplissimus dominus D.* PETRUS EVERAERT *33. abbas de Bodeloo. Obiit anno 1703. die 14. Julii ætatis 70. professionis 48. sacerdotii 44. prælaturæ 18. Requiescat in pace, amen.*

Defunctum quicumque Petrum putat esse, viator,
Fallitur, in vivis post sua fata manet.
Vivit in augustis quæ fecit surgere tectis,
Vivit in altari, vivit in æde Dei.
Non igitur periit, tumulo licet abditus, illum,
Hic bene qui vixit, mors vetat ipsa mori.

XLII. Bernardus II. Zoetaert electus die 22. Augusti, & ab Emmanuele serenissimo Bavariæ duce, Belgii gubernatore confirmatus, per Belgium vicarius generalis & ad comitia Flandriæ deputatus, hac etiam inscriptione meruit decorari: *Hic jacet reverendus admodum ac amplissimus dominus D.* BERNARDUS ZOETAERT *34. abbas de Bodeloo. Obiit anno 1709. die 17. Martii, ætatis 60. professionis 39. sacerdotii 36. prælaturæ sexto. Requiescat in pace, amen.*

Bernardus jacet hic, si vis lugere, viator,
Tristia tam clari funera plange viri.
Utilis & dulcis, decus atque corona suorum,
Ut Paulus, cunctis omnia factus erat.
Ardua quem nequiit moles superare laborum,
Bruxellis subito mors inopina tulit.

XLIII. Johannes VII. Valckgrave postquam vacavit sedes abbatialis tribus annis, propter bellorum tempestatem, tandem an. 1712. ex priore factus est abbas, & a statibus Bruxellensibus die 21. Maii confirmatus. Obiit anno jubilæi inchoato die XI. Dec. an. 1720. ætatis 71. profess. 50. sacerdotii 47. & præfecturæ 9.

XLIV. Gregorius II. Duermael successit electione sodalium an. 1721. mense Julio, qua confirmata per serenissimum principem Eugenium Belgii gubernatorem, in possessionem inductus est, necnon benedictus ab abbate Camberonensi vicario generali. Præest hactenus & prodest.

BILOKA.

* Biloct. PORTUS B. Mariæ *vulgo* Biloka* puellarum ordinis Cisterc. sub Claravalle monasterium in diœcesi Gandavensi, nunc in ipsa urbe, primariam sui debet originem hospitali de Biloka, fundato Gandavi, inquit Gazetus, an. MCCI. a duobus canonicis Insulensibus Jacobo[a] de Vitry & Fulcone de Uthenhove, qui quidem sublevandis pauperibus eidem moniales ord. Cisterc. præfecerunt. Porro situm erat inter ecclesiam S. Michaëlis, & conventum Fratrum Prædicatorum, sed hinc postea translatum est a Truna prædicti Fulconis sorore, ad locum ubi nunc est, dictum portum B. Mariæ in Biloka, non longe a A mœnibus urbis versus portam Cortraci, ampliusque dotatum an. 1227. consilio & ope proborum virorum. Ita Gazetus duplicem hanc fundationem adstruens duplici inscriptione sequenti.

Anno Domini M.° CCI. istud hospitale primitus erat inchoatum in Gandavo inter ecclesiam S. Michaëlis & domum Fratrum Prædicatorum, a veneranda & devota domicella Truna de Curia & domino Fulcone ejus fratre canonico Insulensi.

Anno Domini M.° CCXXVII. prædicta fundatrix proborum consilio & auxilio prædictum hospitale ad istum locum transtulit, qui Portus B. Mariæ B *Biloka vocatur, & ibidem claustrum monialium Cistercienfis ordinis in brevi postea construxit.*

Sic autem ex authenticis rem narrare licet.

Hospitali de Biloka constructo fundatores ob illius conservationem & regimen inchoare primum cœperunt monasterium de loco B. Mariæ in Bosco, cujus abbatissa rexit aliquandiu prædictum hospitale; sed cum formidandi locus esset, ne visitatores ordinis diu haud paterentur, ab abbatissa sorores suas & personas ordinis apud Gandavum propter regimen hospitalis mitti ad morandum in tumultu & in medio mundi, C extra claustrum & extra ordinis disciplinam, de constructione alterius ejusdem ordinis monasterii extra Gandavum juxta idem Hospitale cogitatum est, ita ut ipsum hospitale cum omnibus pertinentiis suis semper esset membrum de corpore ejusdem monasterii Gandavensis, & bona hospitalis in perpetuum, provisione ac ministerio ipsius monasterii regerentur & distribuerentur in necessitates infirmorum & pauperum. Itaque R. (Radulfus) abbas Clarævallensis an. 1228. in die apostolorum Simonis & Judæ, coabbati suo de Bodelo scripsit, ut ad monasterium de Bosco, cum expedire videret, personaliter accedens, inde D moniales aliquot assumeret mittendas ad monasterium, ex suggestione ipsorum Comitum *f.* (Fernandi & J. uxoris ejus) *Portum B. Mariæ appellandum.* Ad hujus pii operis consummationem, quid amplius desiderabatur præter episcopi consensum? hunc dedit eodem anno mense Decembri W. (Walterus) episc. Tornacensis, salvo jure abbatis S. Bavonis, & presbyterorum parochialium S. Martini de Eckerghem, infra quam parochiam monasterium conditum est. Accessit & consensus C. abbatis Præmonstr. & totius capituli generalis datus an. 1229. quo primum istic celebrari cœpit officium in vigilia Assumtionis B. M. Tandem E vero J. Flandriæ & Hannoniæ comitissa anno 1243. mense Maio, & & W. episc. Tornac. scripserunt ad abbatem Clarævallis, ut quandoquidem 25. moniales in eodem monasterio existentes tanto servitio impares essent, numerum earum usque ad quadraginta dignaretur augere. Assensit abbas Stephanus an. 1246. Hæc autem omnia constant, ex authenticis chartis, quas in appendice nostra videre est. Ch. VIII. col. 318. Ch. IX. & X. col. 329. Ch. XI. & XII. col. 330. Ch. XIII. col. 331. Ch. XV. col. 333.

[a] Hujusce loco Catharina Utenhovia Fulconis soror a Miræo substituitur.

SERIES

Series Abbatissarum.

I. Elisabeth I. Wttenhove cognata dominæ Trunæ fundatricis, prima fuit abbatissa per annos viginti. Diem vero clausit extremum an. 1249. pridie cal. Novembris.

II. Maria I. Wttenhove soror præcedentis eligitur eodem anno idibus Novembris. Ipsa est M. abbatissa de Portu S. Mariæ, quæ an. 1255. quasdam Truncinienſi monasterio decimas dimisit. Obiit an. 1285. III. cal. Nov. al. die 3. sepulta solemniter ab archiep. Remensi, quatuor abbatibus præsentibus.

III. Elisabeth II. van Sinte-Baefs al. de S. Bavone an. 1285. 2. Novembris electa est. Decessit an. 1298. pridie cal. Junii, aliquandiu ante mortem abdicato regimine.

IV. Maria II. van Sinte Jans al. de S. Johanne 1298. die 2. Julii, vitam cum morte mutavit an. 1306. nonis Octobris.

V. Maria III. de Poperode a teneris annis educata in monasterio, huic demum præfecta est ad annos 17. & undecim dies. Moritur an. 1323. ætatis suæ 50. pridie Circumcisionis Domini.

VI. Juta Vander-Mude eodem die & anno quo præcedens obiit, ab officio æedituæ assumta est ad abbatissæ munus, præsentibus Dunensi & Laudensi abbatibus. Vivere desiit an. 1329. VI. cal. Aprilis, in capitulo sepulta, adstantibus S. Bavonis & Trunchinensi abbatibus, & ad preces electæ exsequiis operam dante episcopo Tussionensi.

VII. Margareta vanden Berghe electa eodem die & anno, præfuit annis 33. misericordia erga pauperes maxime spectabilis. Obiit 1363. cujus exsequias celebravit abbas Dunensis, ibique aderant S. Petri, S. Bavonis & de Baudelo abbates.

VIII. Avesoeta al. Anastasia Spapen successit anno 1363. rexitque annis duobus cum quinque mensibus & diebus 14. Moritur 1366. a Dunensi abbate sepulta, præsentibus sancti Petri, S. Bavonis, & Trunchiniensi abbatibus, necnon abbatissa de Nonenbosch.

IX. Catharina I. de Masseme nobili sanguine orta, sedit annos 18. defuncta die 3. post natalem diem B. M. Virg. 1384.

X. Bela T'sersymoëns clara item exorta Sobole, eligitur anno 1384. & instituitur ab abbate Dunensi anno ætatis suæ 36. Præfuit autem annis 39. mortua 1423.

XI. Agatha I. T'sersymoëns superioris consanguinea eidem subrogatur 14. Octob. 1423. præsente abbate Dunensi, qui eam confirmavit; episcopus vero Tornacensis ei benedictionem impertivit. Hæc autem bonis paternis monasterium resarcivit, sacramque suppellectilem capsis argenteis aliisque pretiosis vasis decoravit. Diem clausit an. 1433. ætatis suæ 76. præfecturæ 10. feria 4. Cinerum.

XII. Agatha II. Serſanders nobilibus parentibus, rexit annis 32. obiitque anno 1465. 16. Julii, in capitulo sepulta.

XIII. Gertrudis van Pottellis ex antiqua familia, electa fuit die 29. Julii 1465. quam in

A possessionem misit abbas Dunensis, & confirmavit Claræavallensis. Monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus auxit; cujus tandem regimini paulo ante obitum renuntiavit coram abbate Nizellæ, qui ejus funus solemniter prosecutus est. Vide ipsius vitam in hagiologio Sanderi, pag. 55. ubi perperam, uti videtur, electa in abbatissam dicitur 3. Julii an. 1400.

XIV. Catharina II. van Heerberghe al. Keerbrughe electa coram abbate Nizellensi, & ab eo in possessionem inducta 31. Aprilis an. 1472. rexit 18. annis, 4. mensibus & 5. diebus, sub qua monasterium anno 1487. ab aquis exundantibus B gravissima dispendia passum est. Peste occubuit die natali B. Mariæ anni 1490. sepulta in monasterio de Terhaghen.

XV. Maria IV. Skerels in locum Catharinæ sufficitur eodem anno, præsente abbate de Baudelo, & confirmatur ab abbate Claræavall. Multa cum laude per annos 35. monasterium gubernavit, ac denique biennio ante mortem, quæ contigit an. 1530. 28. Aprilis, consensu prævio abbatis Claræavall. munus abbatiale dimisit.

XVI. Josyne (Judoca) van Zuenindonc al. Kueninedonck per resignationem successit, ab abbate Claræavall. confirmata an. 1527. Pie vero ac C laudabiliter præfuit annis 30. & uno mense, quibus exactis obdormivit in Domino 7. Sept.

XVII. Agnes I. van Coudenhove pedum gessit annis 24. & sex mensibus, calamitosis sanè temporibus; siquidem ecclesiam hæretici, monasterium & hospitale sæpius dilapidaverunt, ipsasque moniales expulerunt, ita ut an. 1578. die 24. Augusti a magistratu extranei quidam instituti sint ad hospitale regendum. Obiit in urbe 19. Maii 1580. al. 1581. extra suum monasterium, sepulta in cœmeterio, unde tamen paulo post in capellam hospitalis a parte sinistra altaris translata est. Vacavit abbatia ad 1585. quo circiter anno D moniales suo restitutæ sunt monasterio.

XVIII. Anna I. de Blasere electa fuit die 14. Jan. 1585. instituta vero 2. Julii ab abbate de Baudelo. Rexit 2. annis & 4. mensibus; cujus tempore magna fame urbs Gandavum laboravit; ipsumque monasterium ad extrema fuisset redactum, nisi Laudensis abbas opem tulisset. Obiit 30. Octobris 1587. in capella hospitalis a latere Epistolæ sepulta.

XIX Elisabeth III. van Thimseke amitæ subrogatur, instituta in capella hospitalis ab abbate Baudeloensi. Ea 28. moniales & 20. sorores conversas ad professionem admisit, æs alienum E dissolvit, imo plura comparavit prædia, ac monasterium reparavit. Sedit annis 25. & sex mensibus; indeque defuncta 13. Dec. 1612. sepulturam accepit in capella hospitalis sub tumba præcedentis, translata postmodum in ecclesiam monasterii.

XX. Anna II. van Crombrugghe prosapia nobili genita, primum fuit Beguina Cortraci, ubi cum superiorissa omnium suffragiis proximè eligenda foret, discessit, atque donatæ habitum in monasterio Biloquæ suscepit; sed paulo post inter moniales adscripta rogatu Claræavallensis abbatis, tandem electa fuit abbatissa 10. Febr. 1613. &

instituta per abbatem de Baudelo. Rexit annis A 3. mensibus 9. ac diebus 3. obiitque an. 1616. die 12. Novembris.

XXI. Lievina d'Hooghe instituta 1612. 1. Januarii in capella hospitalis per abbatem de Baudelo: præfuit annis 24. ac deinde migravit e vita 12. Nov. 1639. sepulta in ecclesia monasterii ante majus altare.

XXII. Anna III. Bertault pietate non minus clara quam sanguine, instituitur abbatissa per abbatem de Baudelo die 5. Febr. 1640. Inter alia vero plurima, quæ in monasterii commodum fecit, ecclesiam concameravit; digna sane longiori vita obiit 3. Decemb. 1644. ætatis 49. B

XXIII. Francisca I. de Wulf an. 1645. per abbatem de Baudelo in possessionem immissa in capitulo, obiit 28. Nov. 1657. præfecturæ 12.

XXIV. Antoinetta van Leemput per abbatem de Baudelo die 26. Julii anno 1658. instituta, domum abbatialem a fundamentis erexit: laudatur maxime ob singularem prudentiam, summamque erga pauperes pietatem. Obiit 10. Martii 1694. ætatis suæ an. 73. profess. 55.

XXV. Francisca II. van Steenberghen, postquam in variis muneribus, maxime cantatricis, se se laudabiliter gessisset, tandem instituta est abbatissa 18. Aprilis 1694. per abbatem de Baudelo, C qui quidem eam die sequenti benedixit. Admirandæ humilitatis & patientiæ specimen dedit toto fere sui regiminis tempore, quod fuit annorum 12. mensium 10. ac dierum 4. oculis orbata. Denique fato functa est 22. Febr. 1707. in ecclesia monasterii sepulta.

XXVI. Agnes II. Triest episcopi Gandavensis consanguinea, nominata 7. Aprilis & instituta 14. ejusdem mensis, consecrationis munus accepit 8. Maii 1707. ab abbate Baudeloensi; obiit 29. Febr. 1722. ædificato refectorio, & ara principe novo tabernaculo decorata.

XXVII. Ludgardis de Bouck nominata 18. D Julii ac in possessionem missa 29. ejusdem mensis, benedictionem percepit die XI. Octobris 1722. Tres fudit campanas.

DORISELLA.

Dorisel.

Abbatia B. M. de Dorisel ord. Cisterc. puellarum, fundatur Gistellanorum opibus, ex Grammaio, & anno quidem 1215. ex Gazeto, sed profecto citius aliquot annis, ut patet ex abbatissarum catalogo. Fundatur, inquam, in pago de Everghem sesquimilliari a Gandavo, intra quam urbem juxta D. Salvatoris basilicam nunc subsistit.

Series Abbatissarum.

E

I. Aleydis I. van Walle obiit 1213.

II. Elisabetha Bristees van Harlebeke obiit 1213.

III. Margareta I. obiit 1240.

IV. Margareta II. 1263.

V. Maria I. 1285.

VI. Aleydis II. van de Prele obiit 1295. aut 1298. ex Grammaio, qui eam ex Poelia gente procreatam scribit.

VII. Aleydis III. van Walle obiit 1299.

VIII. Gertrudis I. Ubittewactees 1320.

IX. Catharina I. Vileyns obiit 1331.

X. Pascasia van Pitte obiit 1342.

XI. Margareta III. Silverberghe obiit 1360.

XII. Aleydis IV. van Prele obiit 1370.

XIII. Sophia.

XIV. Gertrudis II. Wittebaert.

XV. Margareta IV.

XVI. Catharina II. de Steelandt obiit 1396.

XVII. Margareta V. Wtenhove obiit 1420.

XVIII. Margareta VI. Axpoele obiit 1440.

XIX. Margareta VII. van Axpoele obiit 1457.

XX. Margareta VIII. Wtenhove obiit 1464.

XXI. Margareta IX. de Bruwaes obiit 1473.

XXII. Johanna Rabauts obiit 1492.

XXIII. Maria II. Sroghels obiit 1519.

XXIV. Catharina III. Sboex obiit 1564.

XXV. Maria III. van Bourgoigne suum in urbem Gandavum transtulit conventum, obiitque 1585.

XXVI. Gertrudis II. de Monte-nigro *al.* de Montenuro, obiit 1623.

XXVII. Maria IV. Deermans resignavit 1631. & obiit 1643.

XXVIII. Margareta X. Coene Vallis-virginum Aldenardæ monialis, obiit 1639.

XXIX. Adriana le Grand rexit diebus 19. obiit 1640.

XXX. Jacoba van Burne præfuit decem hebdomadis, obiitque 1640.

XXXI. Catharina IV. Coquelet e Camera B. M. assumta rexit 18. annis, obiitque 1660. de qua sic habetur in necrologio Cameræ: *VIII. Febr. Reverenda Dom. Catharina Coquelet 31. abbatissa de Dorensel Gandavi, quæ postquam per 18. annos illi monasterio magna cum laude præfuisset, ibidem obiit anno 1660. ætatis suæ 77. professionis monasticæ in hoc cænobio 59.*

XXXII. Margareta XI. Gaudier sapienter præfuit, domumque magna ex parte ædificavit, mortua 12. Octobris 1691.

XXXIII. Beatrix I. Gillarte rexit 20. annis: obiit 15. Julii 1711. ætatis 63. religionis 42.

XXXIV. Beatrix II. van Loo a sororibus electa & ab ordinibus Bruxellensibus confirmata, inducitur in possessionem 8. Octob. 1711. a Johanne Valchgrave priore de Baudeloo, sede abbatiali vacante, & ab eodem jam abbate existente benedicitur 9. Martii 1717. Hactenus feliciter præest.

SUIVECA & SUIBECA.

Suiveck.

Suivecana monialium ord. Cisterc. abbatia fundatur a Mathilde Teneræmundæ domina anno 1223. v. idus Oct. xenodochio S. Egidii, quod ædificaverat in urbe Teneramunda, converso in abbatiam, cui præter omnia dicti hospitalis bona, plurima superaddidit. Nomen vero *de Suiveck* inditum est monasterio, ex eo quod paulo post fundationem, ad locum, ubi prius sita erat parochialis ecclesia de Suiveck, assensu Godefridi Camerac. episcopi, translatus fuerit conventus, prædicta vicissim ecclesia ad locum, ubi prius erat claustrum, traducta. Factum est hoc, an. 1228.

Mir. nova edit. pag. 415.

Ibid. pag. 416.

feria IV. post festum S. Barnabæ apostoli. Abbatia A illa nunc subest visitationi abbatis S. Salvatoris Antuerpiensis ex commissione reverendissimi D. Cisterciensis.

Series Abbatissarum.

I. HEYLWIDIS DE TENREMONDE a fundatrice designatur abbatissa 1223. superstes ad an. 1232. interim an. 1231. beneficum experta Robertum advocatum Atrebatensem, Bethuniæ & Teneramondæ dominum, Mathildis fundatricis filium. Vide Miræum, pagg. 743. & 746.

II. Catharina I. 1235.

III. Delia de Beyschot *al.* Leyschot, dicta Maldegem.

IV. Elisabeth I. de Moerseke obiit 1256.

V. Adelisa de Ascha 1269.

VI. Margareta I. Vander-Straeten 1282.

VII. Ida de Wiense 1298.

VIII. Beatrix I. 1309.

IX. Agnes 1318.

X. Catharina II. 1326.

XI. Catharina III. van Schoubroeck 1335.

XII. Margareta-Christina 1341. in epitaphio.

XIII. Catharina IV. van Schoubroeck 1345.

XIV. Catharina V. van Eertvelde 1372.

XV. Margareta II. Haecx.

XVI. Cecilia Soisons 1391.

XVII. Stephana vanden Houte 1397.

XVIII. Catharina VI. Smunters 1416.

XIX. Johanna I. Everwyn 1431.

XX. Elisabeth II. 1434.

XXI. Catharina VII. Smunters 1435.

XXII. Elisabeth III. de Puteo 1436. & 1455.

XXIII. Laurentia de Ghistelles obiit 1485.

XXIV. Alexandrina van Damme decessit 1504. *al.* 1505.

XXV. Beatrix II. Pietres *al.* Pieters moritur 1516.

XXVI. Johanna II. Sbien.

XXVII. Barbara vanden Eeden *al.* Hese, decessit an. 1540.

XXVIII. Clara Everaerts electa 13. Aprilis an. 1540. tanta cum prudentia rexit, ut, quamvis intestina bella ferverent, nullum sive in spiritualibus sive in temporalibus dispendium expertæ sint moniales. Transiit ad meliorem vitam die 7. Octobris 1575. non sine fama sanctitatis.

XXIX. Johanna III. de Moyc, Namurci quo furor Iconoclastarum fugere compulerat, obiit an. 1584.

XXX. Maria I. Hoegaerts e vivis excessit an. E 1588.

XXXI. Anna van Steelant obiit 1629.

XXXII. Margareta III. Cordieres interiit an. 1652.

XXXIII. Johanna IV. Vander-Borcht loco nobili genita, ab officio priorissæ, quo laudabiliter annis 28. perfuncta est, ad abbatialem dignitatem evehitur. Pie, ut vixerat, devixit an. 1667.

XXXIV. Maria II. van Boesdonck monasterium a fundamentis restituit. Jacet in medio chori sub hoc epitaphio:

D. O. M.

Obiit 1. Januarii anno Domini 1680. venerabilis domina Maria de Boesdonck 34. abbatissa, functa officio 12. annis, ætatis 58. Requiescat in pace.

XXXV. Livina Petronilla Correas eodem anno successit, præeratque adhuc an. 1712.

MONS-ROSARUM *seu* ROOSEMBERCH.

HÆc abbatia vulgarius dicitur *Waestmonster* a nobili Wasiæ ad Durmam pago, in quo B sita erat, spectante ad territorium urbis Teneræmundæ, (nunc enim est intra hanc urbem.) Fundata est an. 1226. a Walterio episcopo Tornacensi, sub regula S. Augustini & congregatione S. Victoris, evocatis ad hoc institutum ex Pratensi cœnobio spectatæ pietatis virginibus. Huic præfuerunt sequentes abbatissæ.

Series Abbatissarum

I. AGNES e monasterio de Prato juxta Tornacum assumta.

II. Gisla rexit 24. annis.

III. Adelisia.

C IV. Beatrix I. abbatissa Montis-Rosarum *seu* Rosemberg juxta Waestmonster & ejusdem loci conventus supplicant Michaëli episc. Tornac. ut consentiat receptioni cujusdam puellæ 1280. in die B. Margaretæ, ut liquet ex charta sequenti:

Reverendo patri suo ac domino M. Dei gratia, Tornacensi episcopo, soror Beatrix abbatissa Montis-Rosarum juxta Ubaesmontr, totusque ejusdem loci conventus, cum debita reverentia & prompta obedientia perpetuam in Domino salutem. Cum, sicut novit paternitas vestra, in multis sumus gravatæ & oneratæ, nobis expediret, ut per adjutorium D *proborum sublevaremur; Hinc est quod paternitatem vestram nolumus latere, quia evidentem nobis accrescentem vidimus in receptione bonæ puellæ Gandensis utilitatem; quod eam de communi consensu recepimus, supplicantes quatenus ad receptionem dictæ personæ, quam recepimus, quantum in nobis est, vestrum velitis adhibere beneplacitum & assensum, & hoc nobis per litteras vestras significare dignemini. Valeat semper in Domino paternitas vestra reverenda. Datum anno Domini MCCLXXX. in die beatæ Margaretæ.*

V. Elisabeth I. Mulaerts.

VI. Maria I.

VII. Elisabeth II.

VIII. Elisabeth III.

IX. Maria II. Hingels *al.* Inghels.

X. Maria III. Vander-Vestel, *al.* Vander-Vesten.

XI. Clara van Caudembergh.

XII. Margareta I. van Daele.

XIII. Margareta II. Tsues *vel* Thines.

XIV. Beatrix II. Bockaghen *al.* Borshaëgen obiit 1476.

XV. Amalberga Sbots decessit an. 1506.

XVI. Judoca de Steelant stirpe illustri oriunda,

præfuit annis 46. omnibus interim ædificiis penitus instauratis: Denique duobus ante obitum annis, qui contigit anno 1552. ætatis suæ 84. resignavit.

XVII. Francisca de Almaraz diem clausit extremum Antuerpiæ an. 1583. ubi cum monialibus ob patriæ tumultus degebat; sepulta est in ecclesia B. Mariæ.

XVIII. Philippina Triest nobili sanguine procreata, viginti-quatuor annis, quibus monasterium gubernavit, illud instaurare aggressa est. Obiit an. 1600.

XIX. Anna I. de Samillan ex familia nobili sata, sedit per annos 25. instauratoque monasterio decessit 4. Febr. 1634. ætatis suæ anno 76.

XX. Regina du Croëser natalibus clara, post decem annorum regimen obdormivit in Domino an. 1645. ætatis suæ 60.

XXI. Elisabeth IV. Gooffens ecclesiam & infirmitorium construxit, exactisque in præfectura 13. annis obiit an. 1658. ætatis 77.

XXII. Magdalena Daelmans instituta 2. Julii 1658. vitam cum morte mutavit 6. Octob. 1665.

XXIII. Anna II. Nonius rexit viginti annis, defuncta 8. Decemb. 1685.

XXIV. Jacquelina Vander-Haeghen sedit annis 13. atque obiit 22. Junii 1698.

XXV. Maria-Catharina Sivori successit, præeratque adhuc an. 1712.

OOST-EECKLO, *sive* OISTERLOA.

B. MARIA DE OOSTEECKLO ordinis Cisterciensis parthenon fundatur ante annum 1200. in vico de Aelschoet, ad orientem oppidi Eclonienfis, unde nomen obtinuit, secundo ferme milliari a Gandavo, *al.* tribus circiter milliaribus. Huic abbatiæ circa annum 1228. Johanna & Margareta Flandriæ commitissæ insigniter benefecerunt, uti & an. 1254. Johannes de Damme vir nobilis, diplomate, quod legere est apud Miræum novæ edit. pag. 1000. Supervenientibus autem tumultibus Belgicis seculo XVI. & grassante hæreticorum rabie, funditus eversum fuit hoc monasterium; unde sanctimoniales circa an. 1585. sibi in urbe Gandavensi domicilium novum compararunt in loco dicto *de Posterna*, qui olim Ludovici Maleani aliorumque Flandriæ Comitum fuit habitaculum. Vivunt illic hodie sub cura spirituali abbatis Bodeloensis.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ELISABETHA I. seu Isabellis de Flandre obiit an. 1230.
II. Egidia de Salsyne 1267.
III. Lyna I. Trys 1286.
IV. Lyna II. de Boulers 1288.
V. Ida Dammand 1290.
VI. Agnes I. van Hove 1308.
VII. Heylsoeta de Roeleers 1310.
VIII. Maria I. Keelcapons 1322.
IX. Belina van Somerghem 1333.
X. Clara I. Tollins 1364.
XI. Margareta I. vanden Berghe 1382.
XII. Margareta II. van Willen 1405.
XIII. Catharina I. d'Appers 1440.
XIV. Margareta III. vanden Voorde 1442.
XV. Catharina II. Seysens 1468.
XVI. Clara II. Smeyers 1478.
XVII. Christiana Laus 1488.
XVIII. Catharina III. van Raveschot post quatuordecim menses regiminis, sequenti resignavit.
XIX. Margareta IV. Poleyts decessit 1492.
XX. Agnes II. Cabelliau 1499.
XXI. Gentina de Mastin 1504.
XXII. Catharina IV. de Beer 1527.
XXIII. Anna de Pottelsberghe 1531.
XXIV. Philippina de Mastin 1536.
XXV. Johanna I. Sanders 1583.
XXVI. Elisabetha II. Fransmans 1610.
XXVII. Johanna II. de Hertoghe 1630. cujus auspiciis templum & alia quædam ædificata sunt.
XXVIII. Maria II. de Brunswyck ducis Brunswicensis filia 1634.
XXIX. Francisca vanden Steene instituitur 13. Jan. 1636. *al.* 39. Refectorium, capitulum & infirmitorium exstruxit, variisque decoravit ecclesiam ornamentis: defuncta est VI. cal. Nov. 1668.
XXX. Isabellis-Clara Eugenia de Houchin, dicta de Longastre, nobilis Bethuniensis, obiit 2. Maii 1722. ætatis an. 93 regiminis 53. Hanc de sacro fonte susceperat Isabella Clara-Eugenia Hispaniarum infans, inferioris Germaniæ gubernatrix.
XXXI. Juliana vanden Borgaerde Brugensis, ex priorissa instituta fuit abbatissa die 3. Octob. 1722. benedictionemque percepit die 18. ejusdem mensis. Obiit ætatis anno 67. postquam præfuisset duos annos & septem menses.
XXXII. Maria-Alexandrina Coene Gandavensis, abbatiæ possessionem accepit 18. Julii 1725. benedicta 2. Sept. ejusdem anni. Hoc autem anno 1727. quinque annos habet supra quadraginta.

TERHAGHEN *seu* DES HAYES.

HAGENSIS abbatia, vulgo *Terhaghen* seu *des Hayes* ordinis Cisterciensis sub Claravalle parthenon, nunc in urbe Gandav. fundatur anno 1230. locum cedente Walterio domino de Axele in parochia de Beoostenbliie in castellania de Axele. Verum post annos 35. maris æstu cogente, ad locum de Ledermerchs *alias* Painperdu in parochia de Merlebeke, semileuca ab urbe Gandavo dissitum, sacræ virgines se receperunt, ubi beneficio nobilis domicellæ Ivetæ van Breiien monasterium ædificarunt, cujus ecclesiam an. 1268. Camerac. episcopus consecravit. Tum anno insequenti Guido Flandriæ comes ratam habuit hanc donationem, & anno 1271. Gregorius papa X. translationem monasterii approbavit, uti etiam capitulum generale Cistercii, & abbas S. Petri. Paulo post autem, anno scilicet 1278.* Margareta Flandriæ comitissa, nova fundatione facta, ad primam sanctimoniales reduxit habitationem, in qua perseverarunt ad annum 1574. quo plurimas ab hæreticis injurias perpessæ, Gandavum accesserunt infra octavam venerabilis sacramenti, ibique

* 1271. mense Sept. ex Sandero.

duobus annis labore manuum victitantes in habitu seculari permanserunt. Deinde Ludovica abbatissa cum suo conventu Audomaropolim adivit, ubi fidelium eleemosynis, præsertim episcopi & patrum Societatis Jesu refecta, decem annos exegit, tandemque reversa Gandavum an. 1584. ibi sedem fixit, adjuta maxime ab Alberto & Isabella patriæ principibus. Primum vero ecclesiæ lapidem posuit Jacobus Delrio abbas Bodeloensis; quam deinde Franciscus vander Burch episcopus anno 1614. die 27. Apr. consecravit. Nunc de abbatissis sermo instituendus.

Series Abbatissarum.

I. Agnes 1279. & 1282.

II. Margareta I. de Vulbeke decessit 8. Feb.

III. Alaidis I. van Lembeke e monasterio Reclinatorii assumta, præerat anno 1322. Obiit 1352. 15. Septembris.

IV. Adelisia van Eversbeke post tres annos regiminis vivere desiit an. 1355. 16. Sept.

V. Alaidis II. de Moesbroeck obiit peste eodem anno 5. Octobris, & cum ea plures moniales interierunt.

VI. Catharina I. van Avensfwoorde rexit annis 13. cessitque tribus ante obitum annis, qui contigit an. 1372. 10. Novembris.

VII. Avezoeta *al.* Agatha van Weest assumta e monasterio de Novo-bosco rexit tribus annis; obiitque 1376. die 25. Decemb.

VIII. Margareta II. van Weest, postquam præfuit 37. annis, mortua est 1414. die 4. Maii.

IX. Catharina II. Maes Swivecana monialis, abbatissa fuit annis 22. deindeque fato functa est 1436. 1. Junii.

X. Laurentia de Maldeghem rexit 16. annis, peste sublata 1452.

XI. Jacoba de Geldria eodem anno 28. Octobris, eodemque morbo exctincta, in Biloka cum præcedenti sepelitur.

XII. Anastasia van Ghistelle præfuit annis 22. mortua 1481. 25. Decemb. sexennio ante abdicato regimine.

XIII. Maria I. van S. Omaers, sive a S. Audomaro, post 15. annos leprosa facta dimisit abbatiam; tandemque e vivis excessit 17. Febr. 1496.

XIV. Beatrix van Buxtale abdicato prius regimine obiit 1516. cal. Novemb.

XV. Judoca I. Goessins, sive Josina Goosins, ex Novo-bosco assumta præfuit laudabiliter annis 25. quibus exactis defuncta est 28. Dec. 1519.

XVI. Barbara Rommelincx post annos 14. obiit 23. Jan. 1534.

XVII. Amalberga Svos regimen obtinuit per annos 38. defuncta 25. Aug. 1572.

XVIII. Ludovica Anchyns *al.* Anchiin instituta 29. Apr. 1573. obiit 20. Maii 1599.

XIX. Willelma van Boonen instituta 7. Nov. 1599. vivere desiit 24. Nov. 1602.

XX. Maria II. van Houcke electa die 31. Martii 1603. monasterium ædificavit, propriis etiam manibus laborans, & lapides operariis deferens. Obiit 6. Septemb. 1609.

XXI. Judoca II. de la Royere *al.* de la Roviere

A instituta 22. Nov. 1609. magnam parthenonis partem exstruxit, necnon organa, sedilia chori & summum altare, in pauperes nihilominus valde liberalis. Migravit a seculo 28. Septemb. 1636.

XXII. Maria III. de la Beuverie instituta 26. Aprilis 1637. obiit 30. Januarii 1675.

XXIII. Elisabeth vanden Bogaert in possessionem missa 30. Apr. 1675. obiit 10. Maii 1682.

XXIV. Angelica vanden Dender instituta 1682. 26. Julii, obiit 7. Julii 1700. ætatis suæ an. 56. profess. 34.

XXV. Constantia Chellinck nominata 22. Aug. 1700. possessionem iniit die XI. Septemb.
B ejusdem anni, curante Petro Everard abbate de Bodelo, ac postridie benedictionem accepit a Luca Vriese abbate Dunensi, ordinis vicario generali. Obiit 28. Nov. 1716. ætatis an. 69.

XXVI. Petronilla de Bachere per obitum Constantiæ electa mense Decembri 1716. nominatur abbatissa ab Imperatore 20. Jan. 1717. Possessionem apprehendit 21. Febr. obtinuitque benedictionem 17. Aprilis. Denique confirmatur a Clarævall. abbate 8. Junii ejusdem anni. Hæc novum altare majus ligneum fieri curavit.

VALLIS VIRG. *seu* MAGDENDAL.

C Hoc cœnobium Cisterc. ordin. feminarum tenuibus initiis ad paludem Aleydis intra parochiam de Vloesberghe inchoatur, ubi adhuc curia & locus (Aelbeec*) primitivi claustri visitur; sed per Arnoldum baronem Pamelium an. 1233.* Aldenardam transfertur, & amplius dotatur. Comburitur autem a Gueusiis circa an. 1573.

*al. rlobeca.
* al. 1232.

Series Abbatissarum.

I. Aleydis, vitæ sanctimonia claruit.

II. Lucia Vranx templum inchoavit.

III. Catharina I. Berlegemia an. 1325. claris orta natalibus.

D IV. Amelberga anno 1337. claustrum muro clausit.

V. G. de Mons œconomiæ laudem retulit an. 1350.

VI. Maria I. de Serusa claruit an. 1351.

VII. Ursula de Gottignies an. 1361. integritatis famam adepta.

VIII. Catharina II. de Munte an. 1370. virginibus 40. laudabiliter præfuit.

IX. Agnes Marcana 1391. dignas genere dotes habuit.

X. Margareta I. Cruyckeninc an. 1397. desiderium sui reliquit.

E XI, Maria II. van Lummen an. 1416. uti diu, ita feliciter imperavit.

XII. Catharina III. Marcana an. 1423. gaudens ipsa inter lachrymas suorum exspiravit.

XIII. Elisabetha I. de Schorisse anno 1466. cœnobium renovavit.

XIV. Elisabeth II. Oliviers an. 1489. ejusdem cœnobii reformati, & ad severiorem vitæ normam revocati laudem tulit.

XV. Johanna van Crombrugge an. 1524. laudatissimam vitam felicissimo fine coronavit.

XVI. Margareta II. van Crombrugge superiori

ut sanguinis, ita virtutis affinitate conjuncta, an. A 1553. mortem oppetiit.

XVII. Martina Coppyns an. 1584. inter innumeras adversitatum nubes serena semper mente.

XVIII. Maria III. Vander-Planken cum laude & fructu gubernabat tempore Johannis Baptist. Grammaii, a quo haec mutuati sumus.

XIX. Anna Gheeraerts abbatissa de Magdendal an. 1635. abbatissam & moniales Belli-prati militum barbariem fugientes benignissime excepit.

NIEUL-BENBOSSE.

B. MARIA DE NOVO-BOSCO.

Puellare ordinis Cisterciensis monasterium sub Claravalle, alio nomine *Silva-nonnarum* seu B *monialium* dicitur, & a Gazeto *Nonnembosſus*, qui fundatum scribit haud longe a Gandavo circa 1242. a Margareta sorore Johannae Flandriae comitissae; Grammaius vero initia hujus coenobii sub titulo Veteris-Busci consignat anno 1225. Verum antiquiora esse liquido probant litterae A. Cisterciensis abbatis de ejus aggregatione ordini Cisterciensi, datae an. 1215. Et certe Valterus episc. Tornac. in privilegio, quod huic monasterio concessit an. 1220. illius accepta refert initia G. (Gosvino) suo praedecessori. Ceterum an. 1234. Johannae Flandriae & Hannoniae comitissae, ejusdem monasterii possessiones cum monasterii de C portu B. Mariae Gandensis, atque etiam hospitalis infra ambitum ejusdem monasterii possessionibus hucusque permixtas dividere placuit. De quibus omnibus vide instrumenta. Deinde 1247. A. S. Nicolai in Vedogio Laudunensis dioec. abbas permisit abbatissae & conventui B. M. in Bosco juxta Gandavum, suum transferre monasterium a loco ubi situm erat, propter ipsius loci ex aquarum inundatione incommoditatem, in parochiam de Huesdene prope Gandavum, in qua jus habebat patronatus. Denique Sanderus addit venisse primum ad urbem Gandavum sanctimoniales an. 1584. & inde anno 1598. ad Hoiam, ubi an. 1603. D templum cum aedibus magnificis aedificarunt.

Ch. v. col. 328. Ch. xii. col. 330. Ch. xiii. col. 331.

Series Abbatissarum.

I. ODA, Grammaio, prima abbatissa constituta 1225. praeerat jam an. 1220. quo prima sui nominis littera O. memoratur. Imo vero jam an. 1218. in vigilia B. M. Magdal. electa est Oda & praefuit annis sex, ex Sandero in Flandria illustrata, pag. 137.

II. Christina. Ea est C. abbatissa 1229. ex cujus litteris hoc anno datis monasterium istud ab Hospitali de Biloka initium sumsisse discimus. Vide inter instrumenta. Recensetur adhuc 1232. E & 1234. quo anno divisionem bonorum monasterii & hospitalis approbavit.

Ch. xii. col. 330.

III. Aleydis successit an. 1235. IV. cal. Febr. rexitque monasterium annis 22. Sub qua proinde an. 1247. translatus est conventus in parochiam de Huesdene prope Gandavum. Obiit Aleydis an. 1250. IX. cal. Novemb.

IV. Agatha I. excepit Aleydem anno 1255. VIII. idus Febr. defuncta pridie cal. Apr. 1257.

V. Maria I. post Agatham sedit; mortua dicitur XIII. cal. Septemb. 1288. quondam abbatissa.

VI. Maria II. monasterium rexit 19. annis & tribus mensibus; obiitque 1298. Fortasse tamen aliquandiu ante cesserat. Enim vero

VII. Agatha II. quae Mariam excepisse dicitur, & obiisse an. 1311. jam an. 1296. memoratur per primam sui nominis litteram.

VIII. Avezoëta I. de Vico-fullonum successit.

IX. Agatha III. Vande-Volderstraete obiit an. MCCC... ipso die S. Dionysii, quae rexit XI. annis, XIII. hebdomadis & octo diebus, ex Sandero.

X. Maria III. Sbaken praefuit annis 21. & obiit 1355. die S. Lucae.

XI. Catharina I. Pytteus post obitum Mariae sedit per annos XI. & septem menses.

XII. Avezoëta II. Sgruters Catharinae successit ad annos quinque, ac totidem dies. Decessit an. 1380.

XIII. Elisabeth I. Militis rexit proxime annis tribus, & quatuor mensibus, cum duobus diebus.

XIV. Margareta I. Swolleslagers sedit post Elisabetham septem annis cum dimidio. E vivis excessit 1393. die 3. mensis Julii.

XV. Odina de Pomerio obiit an. 1416. die 24. mensis Januarii, postquam rexisset 23. annis, sex mensibus & 23. diebus. Sed perperam dicitur abbatissa undecima, nisi forte ita computetur a quadam reformatione in monasterium inducta.

XVI. Isabella de Brake, dicta XII. abbatissa, sedit annis quindecim, mensibus tribus, ac diebus 24. mortem oppetiit an. 1432. XVII. cal. Junii, cui successit

XVII. Elisabeth II. ex Curia XIII. abbatissa, a Nicolao episcopo Sareptano consecrata, quae rexit viginti annis, mensibus octo & decem diebus. Animam exhalavit an. 1452. die Purificationis B. Mariae.

XVIII. Margareta II. ex Curia, soror praecedentis, XIV. abbatissa benedictionem percepit a Philippo Claraevall. abbate. Sedit annis 12. duobus mensibus & tribus hebdomadis. Obiit autem Gandavi an. 1464. Dominica prima Adventus, postquam eodem anno, die S. Laurentii regimen abdicasset.

XIX. Amelberga Brandins, hujus monasterii professa, eligitur a conventu abbatissa XV. rexitque monasterium octo mensibus tantum.

XX. Elisabeth III. de Moro decima-sexta hujus loci abbatissa, obiit an. 1475. expletis in regimine annis decem & totidem mensibus.

XXI. Catharina II. Bedruaen *al.* Bedruan successit die 17. Junii an. 1476. Rexit annos 28. & obiit 1505. die Circumcisionis Domini.

XXII. Catharina III. Dammans, Grammaio Scamans, rexit laudabiliter XXXI. annis, & mensibus decem praeter unum diem. Naturae vero concessit an. 1537. die 30. mensis Octobris.

XXIII. Elisabeth IV. Cabelliau, primum coadjutrix per duos annos, abbatissa XIX. consecratur a Roberto de Clerck abbate Dunensi eodem anno 1537. in festo Omnium SS. Rexit monasterium annis 29. mensibus octo & septem diebus, obiitque anno 1567. die 7. Julii.

XXIV. Margareta III. Biese successit eodem anno, instituta per abbatem Dunensem Petrum

Hellinck die decollationis S. Johan. Bapt. Deinde propter senium abbatiam dimisit an. 1603.

XXV. Barbara Blanquaert, Grammaio Blancart, inducitur eodem anno in possessionem per Robertum d'Ostelart abbatem Camberonensem. Obiit autem an. 1614. in festo S. Andreæ.

XXVI. Margareta IV. van Lummene, e nobili domo genita, instituta est abbatissa per Johannem Farinat (abbatem Camberon.) xv. Febr. 1615. Sanderus asserit eam vivere, cum scriberet historiam hujus monasterii.

XXVII. Clara vanden Bundere, resignavit sequenti.

XXVIII. Catharina IV. de Ghistelles coadjutrix præcedentis & per ejus resignationem abbatissa, obiit an. 1637.

XXIX. Clara vanden Bundere abbatiam resumsit an. 1637. Obiit jubilaria 8. Febr. 1652.

XXX. Johanna le Poyvre creatur abbatissa mense Julio 1652. Obiit mense Febr. 1686.

XXXI. Margareta V. Vander-Zype rexit 12. annis, defuncta 1698. 7. Martii.

XXXII. Juliana de Grutere nominata 3. Maii, possessionem apprehendit die 24. ejusdem mensis 1698. crastina die benedicta. Obiit mense Maio 1727.

DRONGENE seu DRONGHEN.

TRUNCINIUM *vel* TRUNCHINIUM.

HOdie monasterium Præmonstratensis ordinis B. Mariæ sacrum ad ripam Legiæ seu Lisæ uno milliari a Gandavo, diœcesis olim Tornac. jam exstabat an. 944. quo ejus fit mentio in translatione S. Vandregisili & aliorum sanctorum Blandinium deportatorum, de qua vide Mabillonium ad hunc annum n. 70. Imo sunt qui tradant, inter quos novissimus editor operum Miræi, circa an. 633. in hoc loco, olim dicto *Mempisco*, B. Amandum Trajectensem episcopum & Gandensium apostolum, ecclesiam Deiparæ sacram, a S. Basino regulo & martyre constructam & dotatam, collegio canonicorum, sive (ut veteres loquebantur) monasterio clericorum in communi viventium, hoc est, monachorum, uti probavimus in Blandiniensi & Bavoniensi monasteriis, decorasse. Deinde hoc cœnobium, quod *Altum monasterium in Truncinio*, sive B. Mariæ
Pontelin & Meyerus. Trunchinii juxta Gandavum dicitur, an. 851. a Normannis eversum, Balduinus Calvus comes reædificandum curavit, eoque regulares monachos cum Johanne antistite seu abbate reduxit, qui diu sedibus incertis erant vagati; ita Meyerus & Locrius ad an. 884. Ceterum anno 1087. defecerat in præposituram, uti patet ex litteris
Ch. I. col. 325. Roberti Flandriæ marchionis, in appendice relatis, quibus hanc ecclesiam liberam & absolutam facit, sibi duntaxat præpositi nominatione retenta. Mansit autem præpositura solum usque ad annum
Mir. novæ chr. pag. 529. 1138. quo Theodericus Alsatius Flandriæ comes ecclesiam B. Mariæ Truncíniensis liberam concedit ab omni seculari jure ac potestate, cum omnibus appenditiis suis, & Oggerio ejusdem ecclesiæ præposito, necnon etiam Iwano, illustri viro, præfatæ villæ, post nos, inquit, domino & ad-
A vocato, devote postulantibus, in manus domini Simonis venerabilis Noviom. seu Tornac. episcopi & Gosuini abbatis de Jerlechem *al.* de Salechem, quidquid omnino sui juris erat, in perpetuum contradidit usibus omnimodis fratrum, secundum regulam B. Augustini viventium. Huc porro inducta fuisse videtur regula S. Augustini ex loco de Salechem, cujus abbas Gosuinus, & fundator Iwanus a Gandavo, comes Alostanus, qui deinde unum ex utroque monasterium effici curavit, ut innuit charta proxime laudata. Fundatorem vero loci de Salechem adstruit charta ejusdem Theoderici Flandriæ comitis, qua, *petitione domini*
B *Iwani* a Gandavo, comitis Alostani, *ejusdem loci* *Ibid. pag. 177.*
fundatoris, hominis sui, locum quemdam sacræ religioni congruum in fundo Wasiæ situm, inter silvam quæ dicitur *Conegesfurst*, & villam *Bardamara*, nunc *Salechem* vulgo nominatum, sanctæ Trinitati & perpetuæ Virgini Dei genitrici Mariæ, necnon S. Johanni Evangelistæ & omnibus sanctis, liberum obtulit *in usus fratrum Regularium, secundum regulam B. Augustini ibidem Deo servientium.* Jam igitur constat de regula S. Augustini observari cœpta in hoc cœnobio: de abbatiali vero dignitate recuperata & instituto Præmonstratensi illuc inducto, si necdum æqualis habetur certitudo, illam
C haud dubie de utroque subministrabit charta Simonis episcopi Tornac. data anno prædicto
1138. quam in appendice retulimus. *Notum*, Ch. II. col. 325.
inquit, *fieri volumus*............... *qualiter Theodericus Flandrensis comes, assentiente & petente Iwano, illustri viro, necnon & Ogero præposito, Trunchinensem ecclesiam cum omnibus appenditiis suis fratri Gosuino abbati per manum nostram tradidit, ut in ea cum subjectis sibi fratribus secundum regulam S. Augustini ad tenorem Laudunensis monasterii vivat; ita ut quod prædicto Gosuino abbati comes Theodericus sive Iwanus in loco, qui Salchem dicitur, contulerunt, cum*
D *omni accessione sua, Trunchinensi ecclesiæ tanquam matri suæ deinceps appendeat. Si vero abbas Trunchinensis ab ordine & consuetudine Laudunensis monasterii deviarit, abbas S. Martini super correctione sua bis tertiove eum commonebit, quod si incorrigibilis apparuerit, episcopus Tornac. sub præsentia & testificatione abbatis S. Martini & duorum ejusdem ordinis coabbatum in ecclesia Tornac. absque dilatione ordinis sui transgressorem deponet, & depositum ad ecclesiam S. Martini remittet, aliumque idoneum canonica fratrum electione & abbatis Laudunensis consilio e vestigio subrogabit, &c.* Obiit Iwanus fundator in flore
E ætatis anno 1144. & in Trunchiniensi monasterio sepulturam elegit; cujus filius Theodericus comes Alostensis hujus etiam monasterii fundator appellatur in necrologio S. Justi Bellovac. ad diem 21. Martii. Addo, non sine animi dolore, maximam hujus monasterii partem mense Maio anni 1727. fulmine delapso abiisse in favillas.

PRÆPOSITORUM ET ABBATUM SERIES.

I. JOHANNES I. primus abbatum, quandiu ibidem regula viguit Benedictina, nobis innotescit an. 884. ex dictis supra. Grammaius

præpositum vocat, uti etiam Sanderus, qui mortuum tradit an. 934.

II. Reinerus præpositus, ex Grammaio. Obiit ex Meyero, an. 951.

III. Ascelinus de Truncinis-villa, seu Albertus, Reinero successit. Qui spoliatus episcopatu Parisiensi, inquit Meyerus, rediit ad fratrem suum comitem Flandriæ, qui dedit illi reditus omnes oppidi Truncinienfis, ac præposituram illius ecclesiæ, ubi tunc canonici erant sexdecim. Obiit anno 977. in sacello B. M. in Blandinio sepultus, ex Sandero.

IV. Walterius I. successit, mortuus an. 1025. B

V. Sindradus, Waltero subrogatus, animam exhalavit an. 1068. post quem

VI. Folcardus an. 1075. Orientali parte Trunchiniensis cœnobii elegantius constructa commendabilis, obiit 1078.

VII. Fulco Gandensis, Folcardi successor, fatis concessit an. 1080.

VIII. Amandus presbyter successit, per cujus spontaneam cessionem

IX. Godezo electione canonicorum an. 1087. constitutus est præpositus, qui statim anno seq. partem Occidentalem Trunchiniensis ecclesiæ elegantiorem exstruxit. De hoc Meyerus ad annum 1097. sic habet: Eodem anno apud Truncinium Balduinus Gandavensis, Truncinii dominus sacræ accinctus militiæ, assensu Godozonis præpositi totiusque conventus 42. marchas argenti accepit ex templi donariis ad impensas sui itineris. Et ne ecclesia se læsam esse, quereretur, oppigneravit illi Otegam, unde quotannis acciperet 150. modios avenæ. Verum Godozon præpositus inique in iis quæ sunt altaris versatus, duas canonicas præbendas filiis suis Reynero & Henrico, Furnis, sibique in Loo, unde erat oriundus, 42. mensuras terræ ex eis redditibus comparavit. Obiit Godezon 1117. mense Martio, cui successit

X. Meynardus Gandensis scholasticus auctoritate Balduini comitis Flandriæ, sine electione fratrum. D

I. Abbas. XI. Oggerus seu Otgerius Meynardo patri mortuo 1118. suffectus est, jussu Balduini comitis.

XII Gosuinus jam abbas de Jerlechem, seu de Salechem Trunchiniensi abbatia donatur, quæ sit deinceps mater loci de Salechem, a Simone episcopo Tornac. an. 1138. uti supra diximus. Idem anno seq. x. cal. Octob. Iwanum de Gand munificum expertus est, eique Theodericus Flandriæ comes eodem anno cuncta Iwani dona confirmavit. Anno 1141. ab Innocentio II. & 1147. ab Eugenio III. pontificibus Romanis E bullas protectionis obtinuit. Hoc etiam anno idibus Julii Anselmus Tornac. episcopus nonnulla impertivit, litteris Gosvino venerabili abbati inscriptis. Demum abdicasse legitur an. 1152. *al.* 1153. in capitulo generali, & obiisse 1159. cui cum Clemens in eodem capitulo generali subrogatus esset, non consensit.

XIII. Johannes II. Walteri, bullam accepit ab Adriano IV. datam anno 1. ejus pontificatus, Christi 1155. Ipsi quoque inscribitur charta Godefridi electi Trajectensis, data mense Sept. A anno 1156. Cessisse dicitur *al.* obiisse an. 1160.

XIV. Walterius II. reperitur in charta donationis ejusdem Godefridi episc. Trajectensis, factæ anno 1161. & 1166. in charta Philippi Flandriæ & Viromanduorum comitis, qua prædium aliquod tradit pro anima Theodorici filii Iwani de Alost apud Trunchinium sepulti, & Lauretæ sororis suæ, Iwani conjugis; subscribunt Gerardus abbas Ninivensis & Hildebrandus abbas de Getis, seu Jettensi. Obiisse fertur hoc anno 1166.

XV. Johannes III. an. 1167. confirmationem altaris de Ansbeka obtinuit a Gerardo præsule Tornacensi: cujus proinde præsulis mortem uno citius anno consignavimus, tomo 3. Gall. Chr.

XVI. Walterius III. occurrit anno 1180. in transactione Hildebrandi abbatis Jettensis cum monasterio Ninivensi, super ecclesia Liedekerkensi.

XVII. Hugo præerat 1190. Dicitur quondam abbas in charta anni 1214. uti legitur in annalibus MSS. ord. Præm. qui asservantur in bibl. S. Johannis Ambian.

XVIII. Walterius IV. memoratur 1192. in C prædictis annalibus; fortasse tamen idem est qui supra, & qui cesserat.

XIX. Gerardus I. 1192. Reperitur & annis 1202. & 1216. in prædictis annalibus, sed forsan prius abdicaverat.

XX. Giselbertus seu Gilbertus alicubi cognominatus de Molenaere, inauguratur abbas 1193. Occurrit an. 1222. in quadam charta Walterii episcopi Tornac. 1225. in litteris Balduini militis de Nivella, & 1226. in annalibus prædictis; ubi etiam abdicasse dicitur.

XXI. Sigerus I. testis est an. 1228. in charta Razonis domini de Givere pro cœnobio Montis S. Martini.

XXII. Soikinus legitur quondam abbas Trunchiniensis anno 1234. in veteri charta Montis S. Martini.

XXIII Sigerus II. an. 1235. feria IV. post octavas Trinitatis tempore Othonis Trajectensis electi, licentiam obtinuit cujusdam sacelli consecrationem procurandi per cujuslibet episcopi ministerium. Reperitur adhuc annis 1238. & 1246. imo 1254. in prædictis annalibus. Ex Sandero tamen obiit 1250.

XXIV. Simon abbas Trunchiniensis ortam inter Ninivensem & Montis S. Martini ecclesias controversiam sopivit an. 1250. Imo jam an. 1249. electus fuit arbiter ad sopiendas controversias inter cœnobitas Furnenses & canonicos S. Walburgis, superstes ad annum 1257. quo, feria tertia post festum S. Johan. Bapt. se vocat quondam abbatem; ex Sandero.

XXV. Walterius V. testis est an. 1263. in charta donationis factæ a Theoderico comite & principe Alostano ecclesiæ Cameracensi, ex prob. hist. Camerac. Johannis Carpentier, pag. 88. Is est fortasse G. id est Gualterius, qui reperitur an. 1257.

XXVI. Gerardus II. transigit an. 1263. cum Theoderico Dunensi abbate. Obiit 1266.

XXVII.

XXVII. Arnulfus I. memoratur an. 1269. in A prædictis annalibus.

XXVIII. Willelmus I. occurrit eodem anno 1269. feria 5. post Ramos Palmarum, 1273. & 1279.

XXIX. Gerardus III. 1279. & 1284.

XXX. Matthias 1284. & adhuc 1289. ex annalibus prædictis; at Sanderus mortem ejus consignat eodem anno 1284.

XXXI. W. memoratur abbas B. Mariæ de Truncinio 1288. feria 5. post festum S. Matthæi Evang. in charta Cisoniensi, ex cod. MS. bibl. Colbert.

XXXII. Johannes IV. obiit an. 1289. *al.* B 1290.

XXXIII. Arnoldus seu Arnulfus II. ordinatus abbas Trunchiniensis anno 1290. promisit obedientiam Michaëli episcopo Tornacensi, quo etiam anno prædia quædam Dunensi monasterio vendit. Occurrit adhuc 1291. feria 4. post festum S. Petri ad vincula, 1294. & 1304.

XXXIV. Gerardus IV. de Nivella 1304. & adhuc 1323. ex annalibus memoratis.

XXXV. Henricus van Semenberghe *al.* Sevenbergh 1323. & 1327.

XXXVI. Arnolfus III. van Kerke *al.* van Hecke 1329. quo anno mortuus dicitur in præ- C dictis annalibus.

XXXVII. Raimundus *al.* Ramoldus de Vos legitur abbas an. 1331. feria 5. post festum B. Catharinæ virg. & mart. Viam universæ carnis ingressus est 1341.

XXXVIII. Johannes V. Walaert promisit obedientiam A. (Andreæ) episcopo Tornac. ex cod. MS. Colbert. Defecit an. 1357. cal. Dec.

XXXIX. Sigerus III. Hamme electus anno 1358. præsidentibus Ninivensi & Jettensi abbatibus, post annos regiminis 31. moritur 19. Maii 1389.

XL. Johannes VI. Kempe *vel* Kimpe quon- D dam pastor in Hinesdynck, eligitur abbas die festo S. Ceciliæ, assistentibus Guillelmo S. Michaëlis & Johanne Jettensi abbatibus. Aquis submersus est ad portam Brugensem, 22. Novemb. 1397.

XLI. Johannes VII. Colins *al.* Colinsaens *vel* Colinshaus an. 1407. Agnetem Ducis Burgundiæ filiam salutaribus aquis abluit. Idem an. 1411. a Johanne Burgundiæ duce fidelis consiliarii titulo decoratur, ut cum ceteris comitiorum membris intersit Brugis. Obiit die 26. Aug. 1417. sepultus in sanctuario.

XLII. Oliverius Stapinc *al.* Stappaert vir tam pietate quam doctrina conspicuus, magister E artium & in medicina licentiatus, eligitur via compromissi, & confirmatur a commissariis abbatis S. Martini Laudun. an. 1417. quo circiter obsequium pollicitus est Johanni episc. Tornac. ex cod. MS. Colbert. Rexit annos 27. ac menses octo, obiitque 21. Maii an. 1445.

XLIII. Johannes VIII. Voor *al.* Voet, *seu* Voel, anno 1470. ætatis suæ 80. transcripsit abbatiam sequenti. Emisit vero spiritum die 1. Febr. 1472. *vel* 1473. cujus tempore Picardi monasterium invaserunt & incenderunt.

XLIV. Walterius VI. Boulin & Boëlin *al.* Boolyin occubuit an. 1485.

XLV. Razo Goetghebour & Goetghebuer, *al.* Goethbergers, cognomento Bonus-vicinus, abdicasse dicitur an. 1489. seseque recepisse Steinfeldiam, ubi factus novitiorum magister decesserit an. 1509. Alii vero sacræ theologiæ licentiatum prædicantes, ex priore Steynveldensi & novitiorum magistro, Trunchinii abbatem renuntiatum fuisse contendunt, sed nunquam hic resedisse, tandemque Steynveldiæ sublatum peste 13. Jan. an. 1489. Sanderus obiisse tradit an. 1480. quem ideo præponit Walterio præcedenti.

XLVI. Guillelmus II. Huyge *al.* Huys, electus in abbatem 10. Febr. 1489. confirmatur eodem anno ab Innocentio VIII. ejus pontificatus anno sexto. Multa scripsisse dicitur, quæ injuria temporum perierunt; ac demum plenus meritis obdormivit in Domino 19. Aug. 1514. cujus hoc epitaphium legitur:

En jaceo quondam Gandensi totus in arce
Tam celebri, gelidum marmore corpus habet.
Sceptra manu gessi tanto dominantia templo,
Vixit & arbitriis candida turba meis.
Forma mihi florens ipsis velut æmula divis,
Vita decens, virtus ardua, grande.......:
Multa struens colui longum cariosa per ævum,
Et sacer insigni laude patronus eram.
Denique vel cuncta Willelmus dote coruscans,
Occubui fatis cedere jussus ego.

XLVII. Petrus Bloch *seu* Bloecq Carolo V. Imperatori carus, cessit an. 1541. ac mortuus est 1544. XIII. cal. Octobris, ætatis anno 70. regiminis 30. cui hoc epitaphium appositum est.

Hic decumbit PETRUS DE BLOCH *Gandavus, qui concordantibus suffragiis archimandrita hujus domus exstitit, cum provincia iniqua tempora sustinuit, maris inundationes & suppetias graves.* Ipsius brevis sententia erat: *Dominus opem ferat.*

XLVIII. Egidius Baes novam ecclesiam, pluraque alia construxit ædificia. Livinum, qui sequitur, ex fratre nepotem, duobus ante obitum annis sibi coadjutorem adscivit. Morte sublatus est eodem anno, quo Carolus V. Imperator, ætatis 52. regiminis 12. Christi 1558.

XLIX. Livinus I. Baes inauguratur a suffraganeo Cameracensi, die Dominica *Lætare* anni 1558. Turbulentis rerum Belgicarum temporibus Trunchinium rexit, cujus ecclesiæ devastationem numero sextam passus est an. 1577. ipso anno seq. cum suis e monasterio pulsus. Denique obiit 6. Maii anno 1584. ætatis 55. regiminis 26. ac sepultus est in ecclesia S. Michaëlis apud Gandavum, qua in urbe dudum conventus Trunchiniensis suum habuit domicilium.

L. Franciscus Schantheet *al.* Schooutete in templo Carmelitarum inauguratus die 25. Decembris, an. 1584. ascetas tredecim superstites, apud Gandavum in unum collegit. Diem clausit extremum Furnis anno ætatis suæ 50. professionis

32. regiminis 18. die 26. Febr. 1602. ibidem tumulatus.

LI. Livinus II. Molinæus Gandavensem refugii domum in modum cœnobii composuit, ibique templum organis pneumaticis instructum excitavit. Aquis suffocatus est an. 1625. ætatis suæ 73. professionis 55. abbatialis dignitatis 22. cujus corpus post triginta dies in Wetere inventum, sepulturæ traditum est apud Tussehembekam.

LII. Jacobus Goethals ex pastore Trunchiniensi coadjutor, salutatur abbas 19. Januarii 1625. assistentibus domino Triest Gandavensi episcopo, Johanne David Ninoviensi & Guilielmo de Castillo Baudeloensi abbatibus. Hic suum a Gueusiis devastatum monasterium muro firmissimo circumcinxit; cui cum sedulo præfuisset annis 22. viam universæ carnis ingressus est an. 1647. die 7. Maii, ætatis 73. Jacet in refugio.

LIII. Augustinus I. Merlin *al.* Merlion, primum Philosophiæ ac Theologiæ professor, necnon eximius verbi Dei præco, deinde prior, tandem abbas inauguratur 26. Jan. an. 1648. Hic a fundamentis cuncta monasterii loca excitare cœpit; sed fato præreptus non consummavit. Obiit an. 1661. ætatis 58. regiminis 13. conditus in refugio.

LIV. Norbertus van Kerckhove ex priore solemni ritu abbas declaratur 26. Febr. an. 1662. Vix autem infulas accepit, cum inceptum opus a decessore ad finem perducere studuit. Ecclesiam argenteis candelabris, necnon cruce miræ pulchritudinis, ornamentisque pretiosissimis instruxit. Denique cum in deputatum primarium Flandriæ ordinum, universo applaudente clero, electus fuisset, e vivis excessit die 22. Febr. an. 1672. in refugio sepultus.

LV. Augustinus II. Mackoen electioni fratrum accedente Regis nominatione abbas renunciatur 19. Junii 1672. ac post septem dies inauguratur, nempe 26. ejusdem mensis. Is semel atque iterum primarius ordinum Flandriæ delectus est; qui tandem medio sublatus 15. Aprilis 1693. ætatis 65. professionis 43. & abbatialis dignitatis 22. in choro refugii Gandavensis ante summum altare cum tribus antecessoribus sepulturam accepit.

LVI. Claudius Stuperaert electus mense Maio ejusdem anni 1693. & ab Imperatore confirmatus mense Junio, possessionem adeptus est 18. Julii, ac postridie benedictionem. Is autem, quinquennio post, die 17. Septemb. 1698. fratres numero 31. solemni pompa Trunchinio restituit. Adhuc superest grandævus, ab ordinibus Flandriæ deputatus, & instauratione monasterii plurimum commendandus.

PETEGHEM.

Vicus est in diœcesi olim Tornacensi, modo Gandav. in loco peramœno situs ad Scaldim fluvium, primo lapide ab Aldenarda. Illic quondam fuisse præposituram Benedictinorum, quos Rainaldus archiepiscopus Remensis ex abbatia S. Theodorici prope Remos transmisit circa an. 1085. constat ex diplomate apud Miræum novæ editionis pag. 812. Verum anno circiter 1335.
A cum ob distantiam locorum monachos illuc transmittere difficile visum esset, locum hunc cum suis omnibus bonis vendiderunt pretio 3600. librarum monialibus ordinis S. Claræ, quæ ibidem hodieque vivunt sub regimine abbatissæ. Ita quidem novus editor operum Miræi, loco citato: attamen claustrum de Peteghem prope Aldenardam *lez Audenarde* legimus fundatum anno 1277. vel, ut scribit Meyerus, 1286. ab Isabella Namurcensi comitissa, Guidonis Flandriæ comitis uxore, quæ cum in eo Clarissas instituisset, ibidem an. 1298. sepulturam elegit. Ea porro sic conciliari posse videntur, ut revera
B scilicet hic parthenon Clarissarum fundatus sit in eo vico an. 1277. *vel* 1286. sua tamen postea priori sede mutata, in aliam ejusdem vici commodiorem transmigrarit.

BETLEHEM.

Nomen est abbatiæ ordinis S. Claræ apud Gandavum, ubi B. Coleta diem clausit extremum an. 1447. cujus ibidem corpus integrum magna veneratione a monialibus adservatur, & ipsa colitur officio proprio, ex concessione Clementis VIII. papæ an. 1604. Vide Miræum in originibus ordinum mendicantium, pag. 235. & seq.
C Fortasse vero ipsa est abbatia d'Overhout in urbe Gandavensi, cujus abbatissæ fit mentio an. 1505. in historia Messinensis abbatiæ edita, pag. 47.

MARIÆ THRONUS.

Hæc utriusque sexus Brigittana familia, diligentia maxime Petri Vander-Helst & Isabellæ principis gratia constituitur in urbe Teneramundana diœc. olim Camerac. modo Gandav. an. 1468. accitis monialibus ejusdem instituti & fratribus ex cœnobio B. Mariæ ad Aquas-frigidas, non longe a Sylva-Ducis distante, qui hoc anno, die festo Purificationis, solemni supplicatione
D deducti sunt in cœnobium a canonicis, & senatu. Porro istæ moniales in hunc usque diem aureum in digito annulum gestant, & ornantur in capite corona candida, purpureis distincta notis, &c.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Maria van Os, cui jam anno 1468. monialium tradita cura, tertio post anno eligitur abbatissa & benedicitur, cœnobio, quod hactenus abbatiæ Aquæ-Marianæ juxta Silvam-Ducis fuerat obnoxium, sui juris facto; & exinde totius cœnobii administratio, quæ penes confessarium patrem ejusdem ordinis fuerat, ad abba-
E tissam de more hujus instituti translata. Quandiu vero rexerit ignoratur.

II. Margareta I. Lombaerts.

III. Margareta II. van Laër.

IV. Amelberga Vander-Beke.

V. Beatrix Ridders.

VI. Anna I. Snaers.

VII. Helwigis vanden Broecke.

VIII. Anna II. du Bois, quæ Insulas cum sex monialibus abiit novi cœnobii fundandi causa.

IX. Barbara Tasse tempore Alberti archiducis Austriæ.

BRUGENSIS ECCLESIA.

BRUGÆ Flandrorum civitas pulcherrima, tetrarchiam, cujus caput est, in comitatu Flandriæ constituit & Gandavo, Corturiaco, Furnis ac Middelburgo, æquali octo leucarum spatio distat; trium vero milliarium itinere ab Oceano disjungitur, ad Reyam fossam posita, & in eo tractu, quem Grudios olim accoluisse volunt multi, quanquam Grudiorum nomine Lovanienses rectius intelligi docent alii. Sane Grudios nominat Cæsar lib. 5. de bello Gallico, quos una cum Centronibus, Lewsias, Pleumosiis ac Gordunia Nerviorum clientes fuisse ait, de sedibus autem singulorum plane silet. Nonnulli Brugam Lewenburgum a Lewacis populis olim nuncupatam autumant; sed & omnem circum positam regionem maritimam limitaneis arcibus seu castellis, quæ *burgos* nominant, fuisse quondam conspicuam notant antiquissima quædam chronica a Cruquio apud Sanderum relata, in quorum medio situs erat *burgus* Brugensis, quem Balduinus Ferreus Flandrorum comes, contra Danorum irruptiones communivisse fertur anno 856. quo anno hujus oppidi primordia consignant, Balduinus vero *Calvus* dictus, postea muris cinxit: certe ex quo tempore comes Flandrensis curiam hic suam constituit, in magnam excrevit urbem. A pontibus autem, quorum magna est in hac urbe frequentia, nomen habere videtur: *Bruga* enim vel *Brugghe* Flandrorum lingua pontem sonat, teste Iperio, vel ab illo potius ponte ligneo, qui transitum antiquitus pandebat commeantibus ab Aldenburgo & Thorolto ad nundinas Rodenburgicas. Ut ut est, civitatis forma ad rotundam accedit, altis firmisque munitionibus cincta Reyæque aquis alluitur, quæ diversas in urbis regiones derivatæ ripis hinc inde muratis, pontibus (uti jam diximus) arcuato fornice plurimis sternuntur. Hæc fossa augescente maris æstu ad Damum & Slusam navigabilis est, quod ultimum oppidum, cum ad Batavos defecerit, novus alveus magnis impensis perfossus est ad Ostendam usque pertingens, per quem merces e portu ad & intra portas urbis exponendæ deferuntur. Tantæ autem hoc emporium celebritatis & amplitudinis fuit olim, ut omnium fere illustrium Europæ nationum negotiatores huc cum navibus appulerint, ædes quoque suas ibi & collegia constituerint: Flandriæque nomen per eam occasionem vicinas regiones obscuraverit. Hanc urbem sic extollit Barlandus in catalogis urbium: *Bruga Flandrorum oppidum ad Oceanum in æstu marino situm, amplitudine spatiosum, ædificiorum magnitudine tam privatim quam publice, platearum nitore ac latitudine spectabile, canonicorum & monachorum collegiis frequens, majestate civium ac splendore, cultuque venerandum, populi gratia, elegantia ac hospitalitate nobile, doctis viris ingeniisque, & omnis generis artificibus excellens, supra quam dici potest, ut paucis omnia dicam, totus hic locus pascendis oculis, reficiendisque animis dicatus est.*

Verum a sesqui-seculo plurimum decrevit fortuna Brugensis, postquam hinc Antuerpiam primum & inde Amstelodamum ad Batavos translatum est commercium. Porro in sex curias dividitur hæc urbs, quæ suis singulæ vigilum præfectis creditæ sunt; magistratus autem constat prætore & sculteto; qui creantur a Principe, ejusque sunt in officiis suis vicarii perpetui, & sicut horum uterque Principem in gubernanda republica refert, ita juramentum eidem præstandum est ipsis ex æquo commune. A Principis autem delegatis constituuntur burgi-magister senatorius & senatores duodecim, burgi-magister civilis totidemque consiliarii: magistratus vero sic constitutus varios creat officiales sibi subsidiarios, de quibus omnibus, qui plura scire volet adeat Sanderum lib. 1. de rebus Brugensibus. Brugis præterea sunt sex curiæ seu tribunalia, quibus singulis jurisdictio peculiaris attribuitur. Domus autem imperialis Austriacæ dominio nunc subest hæc civitas, cujus ceteris ditionibus cum reliqua Flandria accrevit anno 1714.

Ad res sacras quod attinet, primaria urbis ecclesia beato Donatiano antistiti Remensi nunc sacra; eadem esse fertur, quæ sub divæ Virginis patrocinio primitus dedicata fuit sub Lyderici Harlebecani principatu qui eam inchoavit anno 801. absolvit vero Balduinus Ferreus dictus, Flandriæ comes, quæque ob translatas eo e Thorolto sancti præsulis reliquias postea nomen mutavit, unde non solum ecclesia sed & urbs castrum S. Donatiani quandoque audiit. Superba est & ampla hujus ecclesiæ structura, in qua duodecim canonicos & unum præpositum instituit, & opulenter dotavit Arnulfus Magnus Flandriæ comes anno 961. uti constat ex ejus diplomate, quod refert Miræus in codice donationum; accesserunt dein variæ fundationes, in primis trium præbendarum, quas anno 1194. fundavit ac dotavit Margareta Alsatica Flandriæ comitissa, earum vero numerus ad viginti-septem crevit præbendas majores & minores quatuor. Canonici autem regulares fuisse videntur, non enim alio, quam fratrum ecclesiæ appellabantur olim vocabulo, quod nimirum in communi viverent, licet nullis forsan adstricti votis, uti patet ex lectionibus, quæ recitantur in festo S. Donatiani: sed & supersunt adhuc loca scholæ, cœnaculi, dormitorii, culinæ communis, imo cellarum in quibus solebant olim festis majoribus quiescere.

Porro caput ab antiquo hujus principalis collegii præpositus erat, qui cum negotiis secularibus frequenter foret intricatus, creatus est decanus ad regimen domesticum, præpositi autem fere ex præcipuis Flandriæ optimatibus, comitum filii, affines, Palatini fuere, quos tanto favore prosecuti sunt

Comites, ut non contenti eos facellanos & confessores Palatinos nominasse, anno 1089. canonicos quidem perpetuis suis domesticis adscripserint, præpositum vero magnum Flandriæ cancellarium & monetæ magistrum hereditarium declararint : quod jus posteri ita mordicus retinuerunt, ut recusante nonnumquam Comite eos ad muneris officia recipere, tota regio diris pontificiis fuerit supposita, uti accidit anno 1295. procurante Leonardo præposito. Hæc Sanderus. Præpositorum autem seriem hic attexere juvat.

PRÆPOSITI S. DONATIANI BRUGENSIS, ante erectionem episcopatus.

I. WIBERTUS præerat anno 1046.

II. Balduinus I. memoratur in diplomate fundationis collegii canonicorum S. Petri Insulensis, cui subscripsit ut cancellarius anno 1066. at (inquiunt) anno duntaxat 1089. cancellaria Flandriæ annexa fuit præposituræ Brugensi S. Donatiani, ad quod respondetur, eum interim munere isto potuisse fungi, dignitati suæ needum licet unito.

III. Erkembertus subscripsit instrumento Balduini Flandriæ comitis, quo mutatio canonicorum in monachos in ecclesia S. Winoci Bergensis approbatur an. 1067. *ex Sandero.*

IV. Raynerius, qui & Raynarius & Raynardus occurrit in privilegio Roberti Flandriæ comitis filii Roberti Frisionis dicti pro confirmatione possessionum monasterii Messinensis, in quo se nominat vicecancellarium an. 1080. subscripsit postea anno 1089. diplomati ejusdem Roberti, atque ibi absolute se vocat cancellarium.

V. Lietbertus & Liedebertus sedebat an. 1090. de quo in vita Caroli Boni comitis Flandriæ 3. idus Aprilis.

VI. Bertulfus erat præpositus an. 1100. quo Baldricus episc. Noviom. & Tornac. ei & Dodino decano Brugensi dedit altare de Uthkeren ex chartario Noviom. Idem an. 1105. subscripsit chartæ Roberti, cognomento Jerosolymitani, Flandriæ comitis, abbatiam S. Andreæ prope Brugas institui per uxorem suam Clementiam jubentis, ex t. 1. novæ operum Miræi editionis, pag. 273. Præfuit ad an. 1127. ac interim 1119. subscripsit dotationi abbatiæ Aldenburgensis. Fuit autem dissipator & usurpator bonorum ecclesiæ suæ, uti legere est in vita Caroli Boni Flandriæ comitis, cujus necis conscius fuit & particeps, ideoque Ipris actus est in crucem, vide chronicon Alberici ad annum 1127. ac tom. XII. Spicil. pag. 384.

VII. Rogerius 7. cal. Maii an. 1127. in possessionem præposituræ missus auctoritate Regia & episcopali Simonis episc. Noviom. & Tornac. occurrit in pluribus chartis ann. 1128. 1136. & 37. Anno 1142. testis adest in instrumento Theodorici comitis Flandrensis pro S. Amando, & in litteris ejusdem comitis pro monasterio Dunensi eodem anno. Memoratur etiam sub prima nominis sui littera in diplomate fundationis abbatiæ Clari-marisci ; & 1152. in charta Theodorici Flandriæ comitis Laudense monasterium dotantis. Obiit anno 1157. uti patet ex inscriptione lapidis ante sedem cantoris in choro A S. Donatiani positi, his verbis : *Obiit Rogerius præpositus 1157.*

VIII. Petrus I. præerat an. 1158. & 1163. Memoratur in ordinatione qualiter parochiani de Dudzeele debeant solvere minutas decimas.

IX. Desiderius præpositus Brugensis testis adest an. 1164. in charta Philippi comitis Flandrensis pro monasterio Dunensi. Occurrit & anno 1165.

X. Robertus I. cognomento de Dovia, natione Gallus, patria Carnutensis, obscuro loco natus, Philippo Elsatio Flandrorum comiti carus fuit, cujus patrocinio præposituras S. Petri Ariensis, B S. Audomari & S. Donatiani Brugensis obtinuit jam ab an. 1169. ex quibusdam catalogis. Tornacensem quoque & Atrebatensem episcopatus aliquandiu administravit, tandem ad insulas Cameracenses electus, Condati in itinere a Jacobi Avesniensis, quem offenderat, satellitibus deprehensus, misere trucidatur 3. nonas Octobris an. 1174. ita chronicon Andrense. Memoratur anno 1171. in privilegio Philippi comitis pro fratribus Templariis & 1173. in bulla Alexandri III. qua unio cancellariæ cum præpositura Brug. confirmatur.

XI. Gerardus de Elsatia Theodorici comitis C Flandriæ filius, præpositus sancti Petri Insulensis, S. Audomari & S. Donat Brug. necnon Flandriæ cancellarius, cujus mentionem facit Alexander papa III. an. 1177. in confirmatione communi & de oblationibus apud Dudseel ; testis est & alterius donationis Philippi Comitis, factæ parthenoni B. M. de Busco an. 1201. ex instrum. hujus cœnobii. Vivebat adhuc an. 1205.

XII. Wilhelmus I. præpositus Brugensis occurrit an. 1208. in charta Johannæ comitissæ Flandriæ, *ex notitia ecclesiarum Belgii novæ editionis, pag. 739.* An. 1212. dat capitulo locum D ante templum S. Petri. An. 1220. memoratur in statuto de residentia, suoque sigillo munit eodem anno donationem factam monasterio Dunensi ; tribus autem post annis Johanna Flandriæ & Hain. comitissa eidem sigillum restituit, tali diplomate : *Ego Johanna Flandr. & Hain. comitissa notum fieri volo omnibus, quod cum dilectus & fidelis meus Willelmus præpositus Brugensis & Flandriæ cancellarius sigillum meum de jure suo a me peteret, ego sigillum meum feria quarta infra Pentecosten sibi restitui : ita videlicet, quod propter talem restitutionem nihil mihi de jure meo depereat, nec ipsi aliquid juris accrescat : imo non obstante tali aliquatenus restitutione salvum permaneat*

utrique parti jus suum in eo statu, in quo erat penitus die proxima antequam sibi restituerem : si forte altera partium processu temporis super dicto voluerit experiri. Datum Insulis feria IV. infra Pentecosten, anno Domini MCCXXIII. Superstes adhuc erat an. 1230.

XIII. Franco de Maldeghem dictus, praerat an. 1232. Recensetur in genealogia comitum Flandriæ 1235. Concordiam inivit cum capitulo an. 1238. Memoratur adhuc an. 1239. in charta Dunensis monasterii. Obiit an. 1240. ex necrologio ecclesiæ : forsan & antea abdicaverat.

XIV. Robertus II. reperitur jam ab an. 1239. præpositus Brugensis in veteri charta Dunensis monasterii.

XV. Philippus de Sabaudia Thomæ Sabaudiæ comitis ex Margareta de Foucigny filius, & frater alterius Thomæ Flandriæ comitis, præposituram S. Donatiani obtinebat anno 1240. si fides est Meyero. Occurrit an. 1248. in sententia lata super distinctione officii præconis. Jam ab anno 1146. ad archiepiscopatum Lugd. evectus fuerat ab Innocentio papa IV. retento simul episcopatu Valentinensi, ceterisque beneficiis, quibus abunde cumulatus fuerat, numquam tamen consecratus fuit, & an. 1267. devoluto ad se Sabaudiæ comitatu beneficia omnia dimisit, ut uxorem duceret. Obiit anno 1284. in sepulcro gentilitio tumulatus apud Altam-cumbam in Sabaudia.

XVI. Arnulphus hic inter præpositos numeratur in serie MS. ad nos Brugis transmissa, præfuisseque dicitur anno 1250. quod, quomodo cum his quæ in Philippo supra diximus, conciliari possit, non videmus, nisi forte dixeris Arnulphum Philippi vices absentis aut alibi detenti tanquam vicarium supplevisse, certe in reliquis catalogis tum impressis, tum manu exaratis, qui apud nos sunt, omittitur.

XVII. Johannes I. de Dampetra Guidonis Flandriæ comitis ex primogenita domini de Tenremunde Bethuniensis advocati filius, præpositus fuit Insulanus ac Brugensis, postea Metensis episcopus, ac demum Leodiensis. Memoratur in sententia quadam lata an. 1286. ab arbitris Ægidio S. Donatiani decano & Brictio de Insula. Decessit 2. idus Octobris an. 1292. cujus corpus in cœnobio Flinensi quiescit. Memoratur in libro obituum ecclesiæ S. Donatiani in hæc verba : *Obitus Johannis episcopi quondam hic præpositi.*

XVIII. Leonardus sedebat jam ab an. 1291. forsan cessione superioris : is est, quem Ludovicus Flandriæ comes ad cancellariæ munus noluit admittere, ideoque tota regio interdicta fuit anno 1292. *al.* 1295. ex Sandero.

XIX. Ottobonus de Caretto præposituram obtinebat an. 1317. uti constat ex privilegio dato hospitibus ecclesiæ. Ejusdem fit mentio in citatione capituli ad deliberandum super reparatione turris.

XX. Henricus de Culento admissus est ad præposituram per procuratorem an. 1333. quam dignitatem permutavit cum Guillelmo de Sancta-Maura pro thesauraria Lugdunensi, ad id motus ob dissidia quædam cum capitulo exorta ; sed
A hoc effectu caruit, Guillelmo paulo post vita functo.

XXI. Petrus II. de Chambliaco, filius Petri & Isabellæ Burgundicæ via permutationis cum Henrico præposituram assequitur an. 1335. *al.* 1334.

XXII. Guido I. de Arvernia, seu de Bolonia; Roberto VII. Alverniæ & Boloniæ comite ex Maria Flandrensi genitus, cujus mentionem faciunt tabulæ S. Donatiani 17. Julii 1345. Fuit canonicus Ambianensis, archidiaconus Flandriæ in ecclesia Morinensi, archiepiscopus Lugdun. an. 1340. cardinalis tituli S. Cæciliæ creatus a Cle-
B mente VI. 1342. ac demum Portuensis episcopus an. 1346. & obiit in castro de Casp. Cæsaraugustanæ diœcesis in Hispania 27. Novemb. an. 1373. dum ibi legatione apostolica fungeretur. Corpus ejus inde elatum in Galliam jacet in monasterio Vallis-lucidæ, seu de Boscheto in diœcesi Claromontensi.

XXIII. Petrus III. Mazuyerius patria Arvernensis, canonicus & cantor in ecclesia Leodiensi, præpositura Brugensi donatur a Gregorio XI. cujus in juventute fuerat pædagogus, pontificatus sui anno quarto 18. calendas Februarii, hoc est an. 1374. sed opponentibus sese comite Flandriæ
C & capitulo S. Donatiani desistere coactus, obtinuit episcopatum Atrebatensem.

XXIV. Malinus de Niepa electus forsan a capitulo post obitum Guidonis de Bolonia æmulum passus est Petrum a summo pontifice provisum, sed tandem vicit & obiit præpositus anno 1378. interfuerat paci Lessinæ factæ, ex Meyero lib. 13. annal.

XXV. Sigerus de Beka canonicus S. Donatiani Brug. opposuit se institutioni Petri Mazuyerii, cui papa præposituram contulerat, & sedem apostolicam appellavit, Avenionemque profectus est ubi tum Romana curia degebat, capituli sui nec-
D non Ludovici Flandriæ comitis missus orator. Inde redux, & mortuo Malino de Niepa, in præposituræ possessionem inducitur per Rothomagensem & Ravennensem archiepiscopos an. 1378. In fata concessit 7. Decemb. 1393.

XXVI. Guillelmus II. Vernachten ex decano via S. Spiritus in præpositum eligitur 19. Dec. 1393. Naturæ debitum solvit 21. Sept. 1397.

XXVII. Johannes II. Canardi episcopus Atrebatensis præposituram nactus est eodem anno; forsan favore Principis, cui carus erat, at sponte hanc dignitatem paulo post dimisit. Obiit 1407.

XXVIII. Balduinus II. de Niepa superioris
E cognominis agnatus, in præpositum assumitur electione capituli 19. Octobr. 1397. & mortalitatem explevit 12. Martii 1410.

XXIX. Radulphus Majoris, *vulgo* de Maeyere *al.* Meyere, licentiatus in legibus, fit præpositus capituli suffragiis 26. Martii anno 1410. Anno 1413. missus est in Angliam a Rege Franciæ pro pace tractanda, ex Rimerio, t. 9. pag. 56. Interfuit concilio Constantiensi, a quo iterum ablegatus est in Angliam una cum Martino episcopo Atrebatensi an. 1415. *vel* 1416. Testis adest an. 1417. 28. Augusti in confirmatione Guillelmi

Arnaldi in decanum ecclesiæ Tornacensis. Memoratur & annis 1422. & 1426. in regesto bibl. Colbert. Fuit etiam præpositus S. Amati Duacensis. Fato functus est 22. Dec. 1437.

XXX. Johannes III. a Burgundia, Johannis Burgundiæ ducis & Flandriæ comitis filius, sed nothus, ex Agnete de Croy filia Johannis de Croy domini de Renty, in præpositum postulatur 7. Januarii 1437. stilo veteri, *alias* 1438. pro hodierno computandi more, factus est episcopus Cameracensis anno sequenti, dimissa in gratiam sequentis præpositura. Vide in episcopis Camerac. Decessit an. 1479.

XXXI. David a Burgundia, Philippi Boni Burgundiæ ducis & Flandriæ comitis filius item illegitimus, patruo cedenti successit postulatus a capitulo 26. Oct. 1439. antistes inde Tarvannensis ac postea Ultrajectensis, vivere desiit an. 1496.

XXXII. Ludovicus de Borbonio parentes habuit Carolum I. Borbonii ducem & Agnetem Johannis Burgundiæ ducis natam. Anno ætatis 14. præposituram Brugensem obtinuit 29. Nov. an. 1451. episcopus Leodiensis renuntiatur anno 1456. Interfectus in prælio misere periit anno 1482.

XXXIII. Gislebertus *al.* Gisbertus de Brederode, electus Ultrajectensis episcopus hac dignitate cessit in gratiam Davidis a Burgundia certis tamen conditionibus, quarum una erat, ut præposituram S. Donatiani obtineret, quam tamen brevi permutavit cum sequenti, anno 1457. *al.* 1467.

XXXIV. Antonius Hanneron ex præposito Trajecti ad Mosam via permutationis cum Gisberto assecutus est Brugensem præposituram, cujus in possessionem mittitur 24. Decemb. 1457. *al.* 1467. Romam a Philippo Duce missus orator apud sedem Apostolicam, abbatiam S. Andreæ

A invadere conatus est. Moritur 10. Decembris an. 1490.

XXXV. Franciscus de Busleyden juris utriusque doctor, præpositus eligitur 23. Decembris 1490. Fuit & præpositus ecclesiæ Leodiensis & archiepiscopus Vesuntionensis. In registris capituli S. Donatiani obitus ejus consignatur 3. Octobr. 1502.

XXXVI. Georgius a Bavaria, Comitis electoris Palatini filius, in præpositum postulatur a capitulo 10. Novembr. 1502. factus autem Spirensis episcopus, Brugensi præposituræ nuntium remisit an. 1513.

B XXXVII. Johannes IV. de Heusden præfuit ab an. 1513. ad 1520. quo defunctus est.

XXXVIII. Johannes V. de Carondel, *al.* Carondelet, archiepiscopus Panormitanus & primas Siciliæ in possessionem præposituræ inducitur 8. Nov. anno 1520. Obiit Mechliniæ 1. Febr. an. 1543. & jacet in ecclesia Brugensi cum hoc epitaphio: *Reverendissimus D. D. JOHANNES CARONDELETUS archiepiscopus Panormitanus, primas Siciliæ, præpositus S. Donatiani Brugensis, cancellarius perpetuus Flandriæ, decanus metropolitanæ ecclesiæ Bisuntinensis, abbas commendatarius B. Mariæ Montis-benedicti, præpositus* C *S. Walburgis Furnensis, ac S. Piati Sicliniensis Caroli V. Rom. Imp. semper Aug. secreti, aliorumque consiliorum in Belgica præses primarius, humanæ fragilitatis memor ipse sibi posuit, obiit 7. Febr. anno a Christo nato 1544.* al. *1543. ætatis 75.*

XXXIX. Claudius de Carondel decessoris ex fratre nepos, & ab eodem in coadjutorem adscitus, possessionem inivit 18. Februarii 1543. Eo vivente episcopatus Brugensis erectus est, cui præpositura cessit in dotem, decessit vero Claudius 1564.

EPISCOPATUS BRUGENSIS ERECTIO.

ANNO 1559. Philippi II. Hispaniarum Regis ac Belgarum principis rogatu, civitas Brugensis a diœcesi Tornacensi, cui hactenus paruerat, distracta, episcopali honore donatur a Paulo IV. Romano pontifice, qui novum episcopatum novæ metropoli Mechliniensi subjacere voluit: at cum morte præventus rem imperfectam reliquisset hic Pontifex, absolvit eam successor ipsius Pius IV. limitesque novæ diœcesis definivit, quæ ad 54. in longitudinem & 25. millia passuum Italicorum in latitudinem protenditur, complectens isto ambitu oppida quatuordecim, pagos vero centum trigintasex, & in eis municipia septem-decim. In decanatus autem octo distinguitur, qui hoc ordine apud Sanderum recensentur, Brugensis scilicet, Oudenburgensis, Thoraltensis, Ghistellensis, Rollariensis, Ardenburgensis, Slusanus, & Dammensis.

Porro sedes episcopalis in ecclesia S. Donatiani antea collegiata constituitur, cui præpositura ejusdem ecclesiæ pro dote attributa est una cum bonis abbatiæ S. Bertini in urbe Brugensi aut in vicinia positis. Cessit quoque ipsi abbatia Thosana ord. Cisterc. non quidem cœnobio penitus suppresso, sed cum onere alendi monachos aliquot, quod onus postea, reservata sibi certa præstatione annua transtulit Dionysius Christophori episcopus Brugensis, in Bernardum Campmans abbatem Dunensem ejusdem ord. qui primus cœnobium suum Brugas invexit an. 1628. unione abbatiæ Thosanæ filiæ cum matre Dunensi tunc temporis facta, uti videre est in transactione episcopum inter & abbatem, quam nostris inseruimus instrumentis. Gaudet insuper antistes Brugensis ædibus, quæ ad episcopum Tornac. antea loci diœcesanum pertinebant. Addicti simul ipsi fuere vi institutionis suæ canonicatus & præbenda ecclesiæ suæ, necnon titulus perpetui & hereditarii Flandriæ

cancellarii antea præpositure annexus, cum maxima per Flandriam universam auctoritate, quæ etiamnum Brugis & variis in locis viget, in quibus prætores & scabinos, seu ratiocinatores instituit episcopus, qui potestatem & ipsi habent statuendi in rebus politicis, & a quorum sententiis appellatio fit ad consilium Flandriæ.

Capitulum vero constat triginta canonicis, veniente in numerum episcopo, ex quibus tres aut quatuor e massa communi proventuum excluduntur. Dignitates in eo sunt decanus, archidiaconus, archipresbyter, pœnitentiarius, cantor & scholasticus. Porro præbendæ novem graduatis (uti aiunt) sunt addictæ, e quorum numero, archidiaconus, archipresbyter & pœnitentiarius ab episcopo duntaxat assumuntur, cantor vere communibus suffragiis eligitur sicut & scholasticus. Sunt & alii plures sacellani & inferioris subsellii clerici, qui jus annonæ in hac ecclesia habent, & quorum numerum rescire haud licuit, quod ex illis multi ob tenuiores proventus, hic fixas sedes non habeant, aut alibi morentur.

Potitur autem hoc cathedrale capitulum jurisdictione quadam Brugis & alibi, quam quatuor canonici e gremio deputati per vices, singulis feriis sextis exercent induti veste chorali, jusque dicunt in civilibus, potestate penes ipsos remanente in criminalibus majoris momenti, cognitionem causæ committendi alteri. In causis vero civilibus, a canonicis illis ad capitulum fiunt appellationes, & inde ad consilium Flandriæ, statuuntque similiter de rebus politicis quoad subditos suos, quos vernacule vocant de *Canoninxlaeten*, cui privilegio nihil simile aliis in locis clerus Belgicus habet: locus vero huic tribunali concessus juxta aulam episcopi, & e regione cathedralis ecclesiæ, ubi carceres habet; utuntur autem canonici communi prætore, scriba, & satellitibus a præposito, nunc episcopo nominandis, & juramentum quoad canonicorum jurisdictionem in capitulo præstant.

Præter cathedralem S. Donatiani ecclesiam, duo insuper sunt in urbe canonicorum collegia, nempe B. Mariæ virginis & S. Salvatoris, in quorum primo undecim canonici cum præposito deserviunt, qui præpositus præbendas ecclesiæ suæ confert mensibus quatuor, Romanus vero pontifex octo; Capellanias item omnes tam intra quam extra chorum, omnia item ecclesiæ officia, tam ad fabricam, quam mensam pauperum spectantia; præterea parœcialis est hæc ecclesia, quartamque urbis partem complectitur, & altissima turri conspicua est: alterum in civitate collegium S. Salvatoris viginti canonicos habet cum decano capite, hæc ecclesia etiam parœcialis est, beatumque Eligium fundatorem agnoscit; in collegiatam autem erecta fuit anno 1510. a Petro cognomento Quique Tornacensium antistite tunc loci diœcesano. Sacellum divi Basilii, in quo sacer Domini cruor asservatur, collegio quoque canonicorum olim ornatum fuit, nunc vero appendix ecclesiæ cathedralis est, canonicis sacellanorum titulo contentis. Sunt & aliæ sex parœciales ecclesiæ, sanctorum scilicet Jacobi, Walburgis, Ægidii, Annæ, Crucis & Catharinæ: numerantur & alia plurima minora sacella privata. Præter abbatias, de quibus infra dicturi sumus, Brugis sunt Carthusiani, Dominicani, eremitæ Augustiniani, Carmelitæ calceati & excalceati, Franciscani, Guillelmitæ, Alexiani seu Cellitæ curandis funeribus operam impendentes, Minores Capucini: collegium hic amplum habent patres S. J. & insignem aulam litteris exercitiisque publicis percommodam, quæ construi cœpta est anno 1607. ex ærario senatus populique Brugensis & Franconatensis. Fœminei vero sexus familiæ sacræ numerantur plurimæ, quas inter sunt sorores hospitalis SS. Johannis, Juliani, Bernardi & sanctæ Magdalenæ, Castanienses, Nigræ *alias* S. Spiritus, Bethanicæ, Tertiariæ ex Ardenburgo translatæ, Franciscanæ medicantes dictæ, Tertiariæ in veteri Sacco, Urbanistæ, Clarissæ strictioris observantiæ, Carmelitanæ tituli Sion, & instituti S. Theresiæ, moniales S. Monicæ origine Anglæ e Lovaniensi cœnobio Brugis propagatæ, Carthusianæ S. Annæ, Dominicanæ, parthenon sanctæ Godolevæ ex oppido Ghistella. Brugas traductus, virgines S. Coletæ ab earum reformatrice nuncupatæ, Annuntiatæ Rubeæ, ac Ceruleæ S. Elisabethæ, Sareptanæ, Beguinæ & forsan aliæ religiosæ domus. At nullibi major urbis pietas, munificentia, & humanitas elucet, quam in publicis pauperum hospitiis, variisque valetudinariis, nosocomiis ac xenodochiis, quæ plurima recensentur, in quibus omnibus cujuscumque conditionis, ætatis & sexus egenis, ac quotquot corporis aut fortunæ vitio laborant, abunde ac liberaliter succurritur, sed & peregrinis & adventitiis hospitium & alimenta præbentur. Binæ præterea sunt scholæ, altera masculorum Bogardica nuncupata, fœminarum altera S. Elizabethæ dicta, in quibus imbellis & inops utriusque sexus infantia ex tenui ac infima plebe pie fovetur, educatur, & in variis artibus congruisque disciplinis instituitur. Brugis quoque exstat domus viduarum, vulgari nomine *Goderycx convent*, fundata a nobili matrona Margarita Riim Gerardi Godrycx viri nobilis vidua, quam nuper injuria temporum collapsam instauraverunt nobilissimus vir Florentius Vanden-Eeicchoute eques, toparcha de Aigremont, & reipublicæ Brugensis scultetus, ejusque conjux nobilis ac generosa mulier Adriana Riim, anno Christi 1642.

Jam ad episcoporum seriem discribendam veniamus, de quibus dixere Sanderus, Gazetus, Raissius, Grammayus, & alii bene multi.

EPISCOPI BRUGENSES.

CURTIUS.

ANNI CHRISTI

I. PETRUS.

AD gubernandam Brugensem ecclesiam primus assumtus est Petrus Curtius patria Brugensis, doctor theologus Lovaniensis, necnon professor ordinarius in eadem academia, in qua & olim rethoricam docuerat. Is ad S. Petrum Lovanii tum plebanus & pastor, jam senex episcopali oneri humeros subjicere cogitur, consecratus Mechliniæ
1561. an. 1561. octava Februarii die a cardinali Granvellano primo hujus urbis archipræsule, assistentibus Martino Cupero episcopo Calcedon. suffraganeo Leod. & Nicolao de Spira abbate Grimbergensi. Quantum sibi per ætatem & tempus licuit, magno zelo, summaque prudentia episcopatus munia peregit; viros in primis probos doctosque ecclesiasticis officiis ac dignitatibus admovit, cumque per sex annos, & octo menses totidemque dies præfuisset, ad meliorem vitam tran-
1567. sivit 17. Octobris anni 1567. ætatis 76. Conditur in ecclesia cathedrali, cum hoc epitaphio.

DEO OPT. MAX.

Reverendissimo D. PETRO CURTIO Brugensi, primo hujus civitatis instituto episcopo, perpetuo Flandriæ cancellario, quondam apud Lovanienses sacræ theologiæ professori ordinario, hoc monumentum extremæ voluntatis desiderio positum est. Vixit annos LXXVI. obiit XVI. cal. Novemb. MDLXVII.

DRIUTIUS al. DIRUTIUS & DRUITIUS

II. REMIGIUS.

Curtio subrogatus est Remigius Driutius in Casletensis territorii pago de Volckerinckhove natus, juris utriusque licentiatus & professor Lovanii, collegiatæ S. Jacobi in eadem urbe ecclesiæ olim decanus & officialis Mechliniensis Bruxellis, inde supremi in urbe Mechlinia consilii senator necnon præpositus Brugis ad sacram beatæ Mariæ virginis ædem; ad infulas Leovardienses in Frisia primus sublectus est a Rege Catholico & confirmatus a Pontifice, sed ob tumultus Belgicos ab ineunda hujus cathedræ possessione abstinuit, interfuit tamen primo Ultrajectensi concilio an. 1365. tanquam designatus episcopus Leovardiensis. Ad Brugensem autem ecclesiam traductus, sacra unctione delibutus est Mechliniæ
1569. 19. al. 13. Novembris an. 1569. per Maximilianum a Bergis archiepiscopum Cameracensem, cui operam suam contulerunt Franciscus Sonnius Buscoducensis & Cornelius Jansenius Gandav. antistites. Vir Deo Regique fidus, interfuit utrique concilio provinciali Mechliniensi annis 1570. & 1574. Ipse quoque synodum diœcesanam celebravit an. 1571. in qua salubria condidit statuta pro tota diœcesi sua, quæ postea promulgavit e carcere triennali liber, in quem ob fidem Catholicam Regisque obsequium ab hæriticis perduellibus Gandavi conjectus fuerat una cum aliis præsulibus, & magnatibus; cumque annis 24. & mensibus sex summa cum laude hanc ecclesiam gubernasset, ad superos evolavit Brugis, 12. Maii anni 1594. in æde cathedrali sepultus a dextris Ludovici Nivernensis olim Flandriæ comitis. Ejus tumulo apposita est hæc inscriptio: ANNI CHRISTI 1594.

Sepulturæ reverend. D. REMIGII DRUITII, CASLETANI, Brugarum secundi episcopi, cancellarii Flandriæ perpetui, Regis Catholici in supremo consilio Mechliniæ 13. annos consiliarii, cum munia episcopatus 24. annos, menses sex exercuisset, & annos ætatis suæ 75. excessisset, caducam hanc vitam cum alia feliciore commutavit 12. Maii anno Domini MDXCIV. Orate pro animæ illius refrigerio.

Opuscula quædam scripsit, quæ nondum publici juris facta sunt. Exstat Lovanii collegium Driutianum a Michaële Driutio ipsius patruo fundatum, & ab altero Remigio Driutio episcopi nepote, Michaëlis vero pronepote opulenter dotatum.

LAMBRECHT.

III. MATTHIAS.

Tertius ad hanc sedem evectus est Matthias Lambrecht Franconatensis, e pago S. Laurentii in territorio Maldeghemiensi oriundus, sacræ theologiæ licentiatus Lovaniensis, ingenio, pietate & doctrina conspicuus, ex canonico primum graduato & pœnitentiario Brugensis ecclesiæ archipresbyter tum archidiaconus, quo tempore turbatis in Belgio rebus, ipse una cum aliis quibusdam canonicis ecclesiæ cathedralis exsul Audomaropoli aliquandiu commoratus est, donec sedato tumultu, & urbe Brugensi Deo Regique restituta, a decessore Remigio revocatus, gnaviter saluti animarum incubuit, scriptis etiam vernacula lingua Sanctorum vitis & historia Ecclesiastica. Demum antistes renuntiatus sacro inungitur oleo Lovanii die 29. al. 28. Julii anni
1596. a Matthia Hovio Mechliniensi archipræsule, cooperantibus Petro Simonio Iprensi & Francisco Ribeira ord. Minorum Leyglinensi in Hibornia episcopis; cumque per annos fere sex episcopatum strenue gessisset, migravit ad Dominum cal. Junii an. 1602. ætatis 63. ad sinistram Ludovici Nivern. Flandriæ comitis tumulatus in templo cathedrali, sub hac inscriptione: 1596. 1602.

Sepultura reverendi domini D. MATTHIÆ LAMBRECHT Franconatis theologi, qui post functionem primum pœnitentiarii, deinde archipresbyteri & archidiaconi tandem tertius factus est Brugarum episcopus, sedit annos V. menses X. dies novem. Obiit vero mense Junio M. DC. II. orate pro refrigerio animæ ejus.

DE RODOAN.

IV. CAROLUS PHILIPPUS.

Matthiam excepit Carolus Philippus de Rodoan Berlingemii natus, genere & virtute conspicuus, & in utroque jure doctor, Lovanii designatus. Ex cathedralis eccles. Virdun. canonico primum, inde

ANNI CHRISTI

inde canonicus, cantor & decanus ecclesiæ Gandav. præpositus etiam S. Waldetrudis Montibus in Hannonia, abbas insuper commendatarius Eynhamensis prope Aldenardam, demum episcopus Middelburgensis in Zelandia consecratur Alosti in templo S. Martini 8. Octobris anni 1600. a Matthia Hovio Mechliniensi archiepiscopo, cui in sacris aderant Petrus Damant Gandav. & Gisbertus Masius Buscoducensis antistites: verum ob furentes hæreticos (Geusios vocabant) Middelburgi sedere non potuit: ad Brugensem proinde translatus cathedram, urbem
1604. subiit 24. Martii anni 1604. in cujus sedis administratione laudem consecutus est singularem; Divino quippe amore flagrans, salutisque animarum sitientissimus, nonnullas perversæ vitæ mulieres adire aliquando non dubitavit, quæ licet publice non prostarent secreto tamen corporis sui copiam faciebant. Has ut ex impura ista flagitiorum voragine Christo assereret, ope & pecunia juvabat, quæque ad victum opus erant liberaliter eis largiebatur, vir divitiarum contemtor, & æris sui profusus, supra quam facultates quandoque permitterent. Captivos & morti addictos invisebat etiam, eosque, quibus poterat modis solabatur, pauperibus sine ullius acceptione certis hebdomadæ diebus opem benigne ferebat, esurientes pavit, potum dedit sitientibus, vestivit nudos, oculus fuit cæco & claudo. Adsuit & subscripsit synodo Mechliniensi, die 26. Junii an. 1607. Vitam cum pedo dimisit Eynhami 7. Julii an.
1616. 1616. unde Brugas elatus, apud S. Donatianum humatur in sacello S. Caroli Borromæi, quod exstruxerat & ornaverat, ubi & anniversarium sicut & Virduni fundavit, hocce elogio cohonestatus.

Cælum non solum

Deo opt. max.

Carolus Philippus de Rodoan

H. S. E.

Genere illustris, virtutibus illustrior
ad summa ascendit.
Fuit canonicus, cantor, decanus ecclesiæ Gandav.
dein præpositus D. Waldetrudis Montibus.
Statum ecclesiasticum in ordines Flandriæ induxit.
Fuit abbas Eynhamensis, mox Middelburgensis,
post hujus ecclesiæ episcopus.
Amissum lugete posteri vere virum.

Triest.

V. Antonius.

Rodoano successit Antonius Triest ex nobili & prisca Triestiorum apud Gandavenses gente satus. Primus Brugensium antistitum in æde sua cathedrali Brugensi episcopales infulas accepit a Matthia Hovio metropolitano, cooperantibus Antonio de Hainin Iprensi & Jacobo Boonen
1617. Gandav. præsulibus 9. Julii an. 1617. Pedum
1622. autem istud tenuit ad annum 1622. quo ad Gandavensem transiit ecclesiam, ubi de eo fusius agemus.

Christophori.

VI. Dionysius.

Sextus huic ecclesiæ datus est antistes Dionysius
A Christophori, patria Antuerpiensis & theologus Lovaniensis: vir præclaris animi dotibus instructus, in Antuerpiensi primum ecclesia beneficio ornatur, inde nominatione ejusdem Lovaniensis academiæ ad canonicatum promotus, postea plebanus Turnhauti ad S. Petri ædem fuit, quo munere per sex menses perfunctus, a Roberto cardinali Bellarmino Romam revertente in socium ascitus, a sacris aliquandiu & secretis ipsi fuit, cumque eodem Capuæ postea archiepiscopum agente commoratus, canonicatu & scholasteria in ecclesia Brugensi, summi pontificis favore, donatur; inde reversus ad suos, synodi provincialis ab
B Hovio Mechliniensi archipræsule coactæ, scriba delectus a patribus, Romam ea finita, ad confirmationem apostolicam obtinendam ablegatur, quam & a Paulo V. impetravit cum honorifica meritorum ejus testificatione. Itaque jam secundo ex urbe redux, seminarii Brugensis primus præses & professor constituitur, mox in decanum ecclesiæ cathedralis assumtus, comitiis ordinum Flandriæ etiam assessor interfuit. Ex decano autem episcopus designatus an. 1622. rite ordinatur Brugis anno sequenti 28. Maii a Jacobo 1623.
Boonen metropolitano Mechlin. coadjutoribus Antonio de Hainin Iprensi & Antonio Triest
C Gandavensi præsulibus. Deliciæ populi, urbis amor, carus omnibus vixit; in omnes fere ecclesias tam Brugensis civitatis, quam diœcesis suæ munificum se præbuit. Caput beatæ Godolevæ, quod apud Ghistellanos asservatur, argentea theca inclusit. Catecheseos exercitium, quod pueritiæ ad pietatem rectosque mores erudiendæ efficax ac singulare subsidium est, summe promovit & per varia urbis loca instituit. Verus pauperum pater, quorum necessitati ut aliquando subveniret, frigusque a miseris arceret, aulæa e parietibus cubiculi sui, ceteris profusis, detrahi ac divendi jussit, dicere solitus, *parietes mei non fri-*
D *gent, pauperes vero & captivi frigore divexantur.* Sic Christum fortunis omnibus emit, nulla alia post obitum in ærario suo relicta pecunia, præter quam in egenos alendos mutuam acceperat. Calculi dolore interiit optimus præsul 6. Augusti 1629. summo sui relicto desiderio, cujus funus 1629.
populares sui maxime pauperes, qui a foribus episcopalis palatii avelli nunquam potuere, cum lacrymis prosecuti sunt. Symbolo utebatur *vincit qui patitur.* Jacet autem in cathedrali basilica cum hoc addito elogio.

Siste viator.

E *Metæ ades ad quam properas, monumentum hoc inspice: perillustrem ac reverendissimum dominum D. Dionysium Christophori, hujus quondam ædis canonicum, scholasticum, decanum, dein sextum Brugensem episcopum, magnum virum hæc urna tegit, sed merita sed virtutem non tegit, effulgebit illa æternum in hac ara, quam ære suo statuit, manu sacravit, dotavit adfectu; sibi superstes vivit in illustriore monumento, civium Brugensium animis & pauperum memoria; hac urna annorum cursus non annis mensus est: testis est religio, testis est patria, ambæ ab illo strenue &*

ANNI CHRISTI

feliciter propugnatæ. Sed proh dolor! in sex annos, menses decem, dies decem, dignam seculo præsulis virtutem mors immatura contraxit. Ingemuit pietas, sed cum pugili suo non occubuit, victrix triumphat, cælum vicit, quia patiendo luctata est. Tu sepulto bene adprecare. Obiit MDCXXIX. VI. *Augusti.*

QUINCKERIUS.

VII. Servatius.

Dionysio in sede episcopali suffectus Servatius Quinckerius ortu Brugensis, & in academia Lovaniensi theologiæ doctor, designatus canonicus primum & archipresbyter in hac cathedrali ecclesia, inde capituli decanus evasit & in comitiis ordinum Flandriæ per aliquot annos assessor, magnis rebus gerendis perquam idoneus, decanus etiam fuit Christianitatis (uti aiunt) pro episcopo Tornacensi, cum quo exsilium Audomaropoli aliquandiu pertulit. Demum antistes Brugensis renuntiatus, inivit possessionem 23. Maii
1630. anni 1630. quo & consecratus est mensis Junii die 16. Brugis in templo cathedrali, Jacobi Boonen metropolitæ ministerio, cui collaborabant Antonius Triest Gandav. & Georgius Chamberlain Iprensis episcopi. Forti animo & indefesso zelo cleri sui reformationi incubuit, vir priscæ disciplinæ & morum antiquorum amantissimus, osorque novitatum, quo magis mirere, tentatam ab ipso seminarii dudum ab antecessoribus episcopis erecti dotatique eversionem, dato in hanc rem publico instrumento, quo præsidem & alumnos alio ablegabat, cui decreto, cum suo suorumque omnium nomine intercessisset seminarii præses, re ad consilium provinciale delata, stetit in suo statu seminarium, & posteriori supremi Mechliniæ senatus judicio assertum fuit. Porro dedicavit Quinckerius ecclesiam cœnobii de Sparmalia an.
1634. 1634. Exstinctus est die 3. Martii *al.* 15. an. 1639.

DE HOUDION

VIII. Nicolaus.

Genere & virtutibus illustris Nicolaus de Houdion, vulgo dictus *de Gierberchies*, Servatio datus est successor nominatione regia. Is ex canonico primum, tum decano, ac subinde præposito ecclesiæ Gandavensis, ad Brugenses tandem pervenit infulas; in cujus sedis possessionem immissus est 31. Octobris die an. 1641. sacrisque
1641. pontificalibus initiatus anno sequenti 26. Januarii, per Jacobum Boonen archiepisc. Mechliniensem, assistentibus Antonio Triest Gandav. & Judoco Bouckaert Iprensi præsulibus. Ad cœ-
1649. lestem patriam migravit 24. Sept. an. 1649. in æde cathedrali tumulatus cum hac epigraphe:

Hic jacet NICOLAUS DE HOUDION, *dictus* DE GIEBERCHIES, *quondam cathedralis ecclesiæ Gandensis canonicus, decanus, & præpositus, octavus Brugensis episcopus, nunc pulvis & cinis, pro cujus animæ refrigerio, qui hic transis, precare. Obiit* XXIV. *Septembris, anno* MDCXLIX.

VANDEN-BOSCH.

IX. Carolus.

Ex decano Brugensis ecclesiæ designatur episc. Carolus Vanden-Bosch 23. Julii anno 1650.

A possessionemque nactus die 5. Junii anni sequentis, sacris ornatur infulis rite sacratus 23. Julii subsequentis eodem anno ab Antonio Triest Gandavensium episcopo, cujus in re sacra adjutores erant Gaspard Nemius Antuerpiens. antistes tunc nominatus archiepisc. Camerac. & Jacobus de la Torre archipræsul Ephesinus per Fœderatas Belgii provincias vicarius apostolicus. Ad Gandav. migravit ecclesiam an. 1660. biennio ante designatus a Rege Catholico, ubi vide.

DE HAYNIN.

X. Robertus.

Nobili baronum d'Amelincourt stirpe satus
B Robertus de Haynin, cognominatus *de Vambrechies*, ex præposito ecclesiæ collegiatæ Casletensis ad hanc sedem evehitur, cujus possessionem apprehendit 8. Maii die anni 1662. quo & con- 1662.
secratus est Brugis 22. Octobris insequentis ab Andrea Cruesen archiepisc. Mechlin. qui assistentes habuit Carolum Vanden-Bosch Gandav. & Eugenium Albertum d'Allamont Ruremondensem episcopos. Ad meliorem vitam evocatur 10. Decembris anni 1668. in templo cathedrali 1668.
sepultus, cum adjecta ipsius tumulo hac brevi inscriptione:

Hic jacet ROBERTUS DE HAYNIN *ex*
C *baronibus de Vambrechies, e præposito Casletano decimus Brugensium episcopus dignissimus. Obiit* X. *Decembris, anno* MDCLXVIII. *R. I. P.*

BAILLENCOURT.

XI. Franciscus.

Qui sacra Brugensibus pontifex administraret, undecimus assumtus est Franciscus de Baillencourt Nivellensis, in academia Lovaniensi canonum & legum doctor, ibidemque præses collegii Winckeliani, inde magni Mechliniensis consilii adsessor. Hujus cathedræ possessionem adivit 24. Aprilis 1671. inauguratus episcopus 28. Junii 1671.
D eodem anno ab Alponso de Berghes Mechliniensi archipræsule, cui operam præstabant Marius Ambrosius Capello Antuerp. & Eugenius Albertus d'Allamont Gandav. antistites. Moritur 3. Novembris an. 1681. bibliotheca, quam habebat 1681.
instructissimam, ad fundandas (uti vocant) bursas, testamento legata. Quiescit in cathedrali basilica hoc elogio decoratus.

Hic sepultus est

FRANCISCUS DE BAILLENCOURT *in academia Lovaniensi canonum, & legum doctor, in consilio Mechliniensi senator, Brugensium epis-*
E *copus* XI. *justitiæ domicilium, Gymnasium, propugnaculum; præsul forma gregis factus, virtutibus apostolicis luxit: labore & munificentia singulari ecclesiam suam fulcivit, vixit patriæ semper; sibi nunquam, sedi suæ annos* X. *menses sex. Devixit anno ætatis 73. 3. Novemb.* MDCLXXXI. *Defuncto lector apprecare.*

DE PRECIPIAN ET DE SOIE.

XII. Humbertus Guillelmus.

De hujus præsulis clarissima gente jam sermo fuit in Mechliniensibus archiepiscopis. Ad istam porro sedem nominatus est ab Hispaniarum rege

XXXVII. Nicolaus II. Tordomar 26. Martii 1555. id est 1556. pro nostro computandi more, possessionem nactus est, & finem vivendi fecit 1568. Eo sedente ecclesia S. Donatiani cathedralis evasit 1559.

XXXVIII. Nicolaus III. de Heere electus 12. Novembris 1568. e vita migravit ultima die Aprilis an. 1610. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio:

A Domino factum est istud.

NICOLAO DE HEERE juris utriusque licentiato, protonotario apostolico, a die XII. Novembris an. MDLXVIII. per electionem capituli hujus ecclesiæ decano & canonico, qui sacello hoc restituto & fundationibus aucto, choralibus, refectionalibusque scriptis heredibus, post varia sub quatuor episcopis strenue perfuncta munia, obiit 88. ætatis anno, ultima Aprilis MDCX. orate pro eo.

XXXIX. Antonius II. Triest ab Alberto & Isabella Belgii principibus nominatus, cepit possessionem XI. Augusti 1610. Demum episcopus Brugensis 1617. & postea Gandavensis 1622.

XL. Dionysius Christophori prævia Principum nominatione, ad decanatum pervenit XI. Maii 1617. postea ad thronum episcopalem evectus 1622.

XLI. Servatius Quinckerius a Principe nominatus, decanus instituitur 9. Junii 1622. & ipse postea pontificale solium ejusdem ecclesiæ ascendit 1630.

XLII. Carolus III. vanden Bosch ab Isabella Flandriæ principe, cujus oratorii sacellanus erat, designatur decanus Brugensis, & admittitur 5. Junii 1630. & hic quoque Brugensibus insulis ornatur 1651. Ad Gandavensem ecclesiam nominatur an. 1658. ad quam biennio post tantum accessit.

XLIII. Antonius III. a Burgundia nobilissimo vir A stemmate, ex Jesuita primum canonicus, inde archidiaconus, demum decanus, adivit possessionem 21. Junii 1651. vivere autem desiit 29. Maii 1659.* Quiescit in ecclesia cum hoc epitaphio: * al. 1657.

Admodum reverendus dominus ANTONIUS A BURGUNDIA, hujus ecclesiæ cathedralis Brugensis canonicus, archidiaconus & decanus, genere, doctrina, scriptis, virtutibus illustris, pias hîc expostulat fidelium preces, ut, si forsitan expurgandus adhuc patitur, illarum suffragio cælo citius potiatur. Obiit 29. Maii 1659. ætatis suæ 63. Requiescat in pace.* * al. 1657.

B XLIV. Eugenius de Vicq in decanalis dignitatis possessionem immittitur 3. Februarii 1658. quam cum vita dimisit 1. Maii 1702. conditus in choro ecclesiæ cum hac inscriptione:

EUGENIUS DE VICQ ex canonico nobili hujus ecclesiæ decanus, ordinum Flandriæ pluries assessor primarius, cui avita nobilitas conciliavit claritatem, morum comitas amorem, munificentia applausum, publicarum rerum agendarum dexteritas venerationem, mors perenne reliquit desiderium. Vixit candide & ingenue, mortemque præventurus hoc sibi monumentum posuit, ut ubi Deum voce & spiritu laudare solitus, tantisper depositum corpus C *relinquat, dum æterna resurgat in pace. Erexit illud mense Aprili 1693. Obiit 1. Maii 1702. ætatis suæ 62.*

Decanatus vacat ad triennium propter quædam impedimenta.

XLV. Ludovicus Theodorus baro d'Ongnyes præpositus Rothnacensis, Maximiliano utriusque Bavariæ duci, S. R. I. electori & Belgii gubernatori ab eleemosynis & ab eodem principe aliquando ad insulas destinatus, ad decanatum hujus ecclesiæ nominatur, & admittitur a capitulo 18. Junii an. 1705. adversarium passus est Josephum Lespée, qui causa cecidit. Sedebat an. 1727.

ABBATIÆ DIŒCESIS BRUGENSIS.

Duabus, tribusve abbatiis decrevit hæc diœcesis, de quibus primum agemus, tum de his quæ perseverant.

I. TURHOLTUM *vel* THOROLTUM diœcesis Brugensis inter illa recensetur monasteria, quæ Arnulfus Flandriæ comes reformavit, ex Meyero circa 931.

CAPELLA DE THOSAN, sive monasterium Thosanum, *de Doest*.

II. FUit olim sacellum a loci toparchis erectum in pago de Lisseweghe Franconatus Brugensis juxta viam publicam Brugensem, sesquimilliario a civitate, Slusam versus, quod vulgo *Ter-Doest*, proprio tamen nomine, *Capella de Thosan*, quasi contracto nonnihil verbo Gallico *de Toussaints* vocabatur. Sacellum istud Lambertus toparcha de Lisseweghe an. 1106. fundis ac terris quibusdam dotatum, ædificiisque aliquot monachorum habitationi congruentibus ornatum, in prioratum provehi curavit sub patronatu abbatis S. Richarii in Pontivo, qui dicto prioratus titulo illud possedit ad an. 1174.* quo Everardus Tornacensis episcopus & loci diœcesanus ipsum fratribus B. Mariæ de Dunis Cisterciensis ordinis libere possidendum tradidit, sic tamen ut D cum paulo post jus abbatis S. Richarii in hunc prioratum resciviffet, illum ab eodem numerata pecunia redemerit an. 1177.* Tum vero hanc rem ita compositam probante Alexandro III. Walterus abbas Dunensis eo conventum 12. monachorum deduxit, quibus abbatem præfecit domnum Hacketum. Deinde Willelmus Romanorum rex & Hollandiæ comes bona hujus abbatiæ in Hollandiæ ac Zelandiæ provinciis sita confirmavit, & in protectionem suscepit anno 1248. At processu temporis cum hoc cœnobium per bella & turbas seculi XVI. devastatum

* al. 1175. Mir. novæ edit. pag. 1317. Breve chron. Clari-marisci, tom. 3. Anecd. & in appendice nostra Ch. VII. col. 356.

* Miræus ibid. pag. 1318. & 1319.

Ibid. pag. 1324.

fuisset, augendæ doti episcopatus Brugensis anno 1561. destinatum fuit, hoc tamen pacto, *quod propter hujusmodi unionem in eodem monasterio divinus cultus ac solitus monachorum & ministrorum numerus non minueretur, &c.* qua conditione haud impleta, anno tandem 1624. ab episcopali mensa disjunctum est sub onere pensionis annuæ quatuor millium florenorum episcopo solvendæ, sicque unitum fuit abbatiæ Dunensi, quinetiam factum ipsius sedes. Ceterum loci fundator Everardus ep. Tornac. notatur in necrologio IV. cal. Octobris.

Ibid. pag. 903.

Abbatum Series.

I. HACKETUS DE BRUGIS, postea Dunensis abbas, ubi vide. Notatur in necrol. cal. Novembris, *al.* pridie, de quo vide menologium Cisterc. die 4. Nov.

II. Johannes I. de Brugis an. 1187. testis est in charta W. Cisterc. abbatis quamdam inter Danielem abbatem Camberon. & Gerardum præpositum Audomarensem ratam habentis compositionem. Ejusdem meminit necrologium idibus Novembris.

III. Matthæus de Gandavo locum habet in necrol. nonis *vel* pridie nonas Febr.

IV. Daniel de Brugis obiit XVI. *vel* XVII. cal. Octob.

V. Willelmus I. de Oostburgh memoratur in necrol. idibus Januarii.

VI. Salomon de Gandavo, tum abbas Dunarum an. 1226. ubi moritur idibus Maii.

VII. Willelmus II. de Thielt abbas septimus & nonus, paciscitur anno 1228. cum S. abbate Dunensi.

VIII. Christianus de Ipris de consensu Salomonis abbatis Dunensis vendidit Claro-marisco quidquid habebat apud Gravelingues pretio 70. librarum Atrebatensium. Præerat autem anno 1233. obiitque III. idus Januarii.

IX. Willelmus de Thielt iterum abbas, e vivis excessit nonis Novemb. *al.* 6. Nov.

X. Henricus I. de Craeywyc pepigit an. 1239. cum Nicolao abbate Dunensi. Sedebat adhuc 1240. cujus, vel successoris, temporibus an. 1246. Margareta Flandriæ & Hannoniæ comitissa monasterii possessiones ac privilegia enumeravit & confirmavit. Defunctus est XIV. cal. Apr.

Ibid. pag. 1322.

XI. Johannes II. Smedekin *al.* Sandelryn ex Grammaio, Brugensis, ecclesiam construxit, mortuus XV. cal. Octobr. 1253.

XII. Nicolaus I. Cleywaert *al.* Layenweerd de Oostkerke an. 1259. litem composuit cum Dunensi monasterio. Exstinctus est 5. Octob. *al.* nonis.

XIII. Johannes III. Stephaen *al.* Servaes de Oostburgh *al.* de Oostkerke 1274. deinde abbas Dunensis.

XIV. Willelmus III. de Hemme de Oostkerke totum fere monasterium complevit. Pactum iniit cum Dunensi monasterio 1279. superstes anno 1284. Obiit XIV. cal. Apr.

XV. Arnulfus Neyhensys cum Dunensi monasterio permutationem fecit 1297. Notatur in necrologio calendis Julii.

XVI. Willelmus IV. Mostaert.

XVII. Willelmus V. Cordewaeghen de Jabeke.

XVIII. Nicolaus II. de Lisseweghe obiit V. cal. Januarii.

XIX. Henricus II. de Brabantia memoratur in necrol. III. cal. Aug. *al.* ultima Julii.

XX. Petrus I. de Axella cum Lamberto abbate Dunensi, annuente Johanne Claræвallis abbate, iniit concordiam anno 1334. Obiit 18. Decemb.

XXI. Michaël Cæsar promisit obedientiam A. episcopo Tornac. An. 1342. ratam habuit sententiam a Lamberto Dunensi abbate latam super quibusdam monasterii sui gravaminibus. Notatur in necrol. XVII. cal. Apr. *al.* 16. Martii.

XXII. Willelmus VI. Smetius de Bassevelde sacræ theologiæ doctor, novum claustrum ædificavit, itemque abbatialis aulæ fundamenta jecerat, sed morte præreptus die 3. Octob. *al.* III. nonas, consummare non potuit. Vide biblioth. script. ord. Cist. pag. 326.

XXIII. Johannes IV. de Hulst anno 1387. compositionem iniit cum Johanne abbate de Dunis. Fatis concessit XVIII. cal. Septemb. *al.* 16. Aug.

XXIV. Thomas Vindegoet de Blanchenberghe an. 1417. confirmatus abbas capellæ Thosan ab abbate Dunensi, immediato dicti monasterii superiore, eodem anno benedicitur ab episcopo Tornac. Obiit IV. idus Novembris.

XXV. Jacobus Schaep Brugensis an. 1455. V. cal. Maii *al.* 1457. calendis Maii adfuit consecrationi ecclesiæ Aldenburgensis. Defunctus est VI. cal. Apr.

XXVI. Laurentius Amici de Bierzelingh decessit V. cal. Julii, *al.* 28. Junii.

XXVII. Henricus III. Keddekin *al.* Keddelrin de Vesalia, reperitur an. 1482. & in necrol. IV. idus Martii *al.* die 14.

XXVIII. Martinus Weyts de Brugis V. cal. Apr. *al.* 27. Martii.

XXIX. Adrianus Lanchals baccalaureus formatus in facultate Parisiensi, VII. cal. Septembris.

XXX. Johannes V. Vettegrave *al.* Wettegraet de Brugis, in multis monasterium resarcivit, memoratus in necrol. IX. cal. Martii.

XXXI. Willelmus VII. Petri de Saeftinghe sacræ theologiæ baccalaureus, obiit III. cal. Oct. *al.* 28. Septemb.

XXXII. Judocus Harents Teneramundanus moritur 1525. IV. idus Maii *al.* 17. Maii.

XXXIII. Egidius Vander-Elst Teneramundanus obiit an. 1536. V. cal. Junii.

XXXIV. Johannes VI. Huyssens *vel* Huyslens de Axella, defecit XVII. cal. Septemb. an. 1537.

XXXV. Petrus II. vanden Driessche decessit an. 1549. V. cal. Decemb.

XXXVI. Johannes VII. van Marissien Teneramundanus, obiit pridie nonas Martii *al.* die 7. anno 1556.

XXXVII. Antonius Brakele Brugensis vitam cum morte commutavit anno 1559. V. idus Junii.

ANNI CHRISTI 1683. Catholico anno 1682. cujus possessionem cepit 15. Martii anni subsequentis & sacro delibutus est oleo Bruxellis 21. ejusdem mensis & anni ab Alphonso de Berghes metropolita, cujus in hoc ministerio cooperatores erant Reginaldus Cools Ruremundensis, & Johannes Ferdinandus de Beughem Antuerpiensis antistites. Diœcesim suam lustravit assidue, religionis & immunitatis ecclesiasticæ vindex fuit acerrimus. Ovibus sibi concreditis adeo carus, ut dum ad metropolim Mechliniensem transivit anno 1690. divelli vix potuerit ab ipsis, pluribus eum filialis observantiæ, amoris & gratitudinis argumentis Mechliniam usque ad prosequentibus.

BASSERY.

XIII. Guillelmus.

Bruxellensis patria Guillelmus, honesto loco natus, patre Judoco Bassery mercatore, matre Catharina van Donckerwolck, Lovanium missus studiis altioribus excolendus, philosophiæ operam dedit in pædagogio Lilii, artium subinde renuntiatus magister, jurisprudentiæ studio animum adjecit, & in utroque jure licentiæ gradu cohonestatus, canonum professor regius in eadem academia constituitur. Hinc canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Petri in Anderlecht juxta Bruxellas, postmodum Lovanii ad ejusdem S. Petri ædem, academiæ rector, necnon pædagogii S. Donatiani pluribus annis præses fuit. Ab Innocentio papa XI. designatus vicarius generalis & apostolicus diœcesis Silvæducensis an. 1681. tandem Brugensibus datus est præsul anno 1690. cujus ecclesiæ possessionem adeptus die 30. Decembris, episcopali charactere insignitur anno sequenti 7. Januarii ab Humberto Guillelmo archipræsule Mechlin. & ejus in hac sede antecessore, cui cooperatores aderant iidem episcopi, qui supra. Ecclesiam sibi commissam per annos quindecim ac fere sex menses magna sollicitudine & vigilantia gubernavit, ac demum funebrem pompam Georgii d'Ostiche Brugensis gubernatoris comitatu cohonestans ipse funus est effectus, ante aram epiphora, seu humorum distillatione, suffocatus 18. Junii an. 1706. in choro ecclesiæ suæ tumulatur, cui non ita pridem appositum est epitaphium sequens. ANNI CHRISTI 1706.

Illustrissimo ac reverendissimo Domino

D. Guillelmo Bassery, olim Lovanii regio canonum professori, vicario Sylvæducensi, inde Brugensium episcopo XIII. vere apostolico: perpetuo Flandriæ cancellario, qui funeri assistens, ipse funus fit, mærentibus omnibus, XVIII. Junii anni MDCCVI. ætatis LXIV. Heredes posuerunt.

Vacavit sedes annis ferme decem.

XIV. Henricus-Josephus.

Van SUSTEREN.

Viduæ tot annis ecclesiæ regimini tandem admotus est Henricus-Josephus Batavus, civitate Amstelodamensis, patriciis ortus parentibus, politioribus litteris, theologicis, canonicis, civilibusque disciplinis apprime excultus, Guillelmi Humberti, quamdiu Mechliniensi præfuit ecclesiæ, administer perpetuus, tum secretarii, dein officialis Brabantini, necnon per annos decem vicarii generalis muneribus, ubique indefessam navavit operam, quo factum est, ut vel ipsa populi voce ad infulas jam designatus, Cæsarea Caroli VI, nominatione Brugensem obtinuerit cathedram, cujus possessionem apprehendit die 13. Februarii anni 1716. quo Martii insequentis 22. die inauguratus episcopus Mechliniæ ab eminentissimo cardinali Thoma Philippo de Alsatia de Boussu, tunc tantum archiepiscopo, in æde metropolitana, assistentibus Ludovico Francisco Roscio de Libois Thermopolensi episcopo suffraganeo Leodiensi & Ferdinando comite de Berlo Namurcensi præsule. Octiduo post Brugas adventans solemniter excipitur, & adhuc præest.

DECANI ECCLESIÆ S. DONATIANI BRUGENSIS, olim collegiatæ, nunc cathedralis.

I. Reynerus vivebat an. 1046. ex serie decanorum hujus ecclesiæ MS. ad nos Brugis transmissa.

II. Arnulphus decanus erat an. 1090.

III. Dadinus decanus, cujus fit mentio in litteris Balderici episc. Noviom. & Tornac. quoddam altare capitulo concedentis anno 1100. & anno sequenti in confirmatione erectionis ecclesiæ beatæ Mariæ in collegiatam per eumdem episcopum. Memoratur insuper eodem anno cum Bertulfo præposito, in privilegio Roberti filii Roberti Frisonis Flandriæ comitis, pro ecclesia Brugensi S. Donatiani. Mir. nova ed. pag. 1149.

IV. Helias decanus occurrit an. 1125. in litteris Willelmi Flandriæ comitis pro commutatione cujusdam curtis ad opus ecclesiæ Affligemiensis.

V. Lietbertus & Liedebertus dec. an. 1135. & in litteris Simonis episcopi Tornac. quoddam altare donantis, necnon in charta Theoderici Flandriæ comitis pro monasterio Dunensi 1137.

VI. B. Aketus, Aketius & Hacketus sedebat jam anno 1164. & 1165. testis adest in litteris Philippi comitis pro monasterio Dunensi, ex Miræo in notitia ecclesiarum Belgii, & 1166. in actis ecclesiæ Affligemiensis. Anno 1171. Hacketus decanus Brugensis testis fuit pacti inter Bergenses S. Winnoci monachos & Dunenses. Postea monachum ipse induit in cœnobio de Dunis ord. Cisterc. primusque paulo post abbas Thosanus constituitur circa annum 1174. cui monasterio, cum sex præfuisset annis, a Dunensibus in abbatem postulatus, apud eosdem obiit an. 1181. 2. Novemb.

VII. Robertus I. anno 1172. apud Miræum in notitia ecclesiarum Belgii, folio 425.

VIII. Gerulfus an. 1174. in litteris Philippi

comitis assignantis ecclesiæ S. Donatiani 40. solidos in compensationem damni canonicis illati cum factum est *fossatum*. Reperitur etiam anno 1175. An. autem 1177. ratam habet cessionem Laurentii abbatis S. Richarii, factam monachis de Thosan x. cal. Octobris. Occurrit & anno 1185. apud Miræum in notitia ecclesiarum Belgii.

IX. Hugo cui Ursus cognomen, vulgo *de Beire* lingua Teutonica, memoratur an. 1187. in litteris Philippi Flandriæ comitis confirmantis fundationem cappellæ S. Basilii supra Burgum.

X. Willelmus I. decanus Brugensis an. 1189. suum anniversarium fundat apud S. Amandum.

XI. Joseph decanus an. 1194. in litteris Balduini comitis de gratia sibi ab hospitibus facta in subsidium peregrinationis. Superstes adhuc an. 1216. testamentum condidit anno 1218. quo defunctus est 18. Decembris.

XII. H. prima sui nominis littera notus, in decanum eligitur an. 1219. e vivis paulo post forte sublatus.

XIII. Walterius de Oedelem dictus, cujus mentio fit in confirmatione cujusdam statuti ab episcopo Tornacensi conditi an. 1220. Memoratur & an. 1228. in veteri instrumento Dunensis cœnobii.

XIV. Robertus II. decanus occurrit an. 1230. in compromisso inter capitulum & Ferrandum comitem super libertate hospitum. Vivebat adhuc an. 1253.

XV. Willelmus II. cognomento Giselin, memoratur an. 1257. in annalibus S. Andreæ Brugensis. Transegit an. 1265. cum Carmelitis.

XVI. Ægidius Bonym *al.* Boniin, reperitur anno 1272. in privilegio Margaritæ comitissæ Flandriæ & an. 1286. in quibusdam actis. Obiit an. 1290. sepultus in navi ecclesiæ Onderdenech Blauwersteen cum hoc epitaphio:

Hic jacet venerabilis vir ÆGIDIUS BONIIN *decanus S. Donatiani Brugensis, qui obiit anno Domini 1290. 19. Dec. Requiescat in pace.*

XVII. Nicolaus I. de Ambiano, cui an. 1290. capitulum vendit domum Ægidii Boniin quondam decani. Ejus fit mentio 1308. in statuto de denariis officii altaris. Vivebat adhuc 1326. ex regiltris capituli.

XVIII. Bernardus de Albia, patria & origine Appamiensis, decanus S. Donatiani Brugensis erat an. 1331. Ex episcopo Ruthenensi in Gallia factus est cardinalis a Benedicto papa XII. pro quo legatione functus est in Hispania, postea Portuensis antistes. Vide tom. 1. novæ Galliæ Christ. in episcopis Ruthenensibus. Obtinuit ab eodem papa Benedicto unionem præbendæ canonicalis cum decanatu.

XIX. Philippus de Arbosio, Burgundus præerat anno 1335. Fundavit unam præbendam in ecclesia S. Donatiani. Ex episcopatu Noviomensi transiit ad Tornacensem, & obiit 1377. *al.* 1378.

XX. Reginaldus de Chiavelle *al.* de Chabelli, decanus, possessionem inivit 5. Aprilis an. 1350. postea, inquiunt, ad episcopatum Cabilonensem assumtus.

XXI. Johannes I. Guidouche decretorum doctor, decanus 5. Aug. 1353. moritur Brugis 1367.

XXII. Guillelmus III. Vernachten juris utriusque licentiatus possessionem adeptus est 5. Julii 1368. In præpositum eligitur 1393.

XXIII. Johannes II. Gerson a natali loco in Campania Gallica sic dictus, alias Charlier nuncupatus, laudatissimæ vir memoriæ, sacræ theologiæ doctor ac professor in academia Parisiensi, ejusdemque universitatis cancellarius, & Burgundiæ duci ab eleemosynis, in decanum Brugensem admittitur 16. Aprilis 1394. sedebat adhuc an. 1396. Lite vero subinde ipsi mota per Amandum de Brevi-monte, qui sequitur, cedere coactus est an. 1411. per sententiam Auditoris sacri palatii apostolici.

XXIV. Amandus* de Brevi-monte, expulso Johanne Gerson, decanatum obtinuit an. 1411. 31. Maii. Occurrit an. 1426. die 12. Junii in charta quadam episcopi Tornac. idemque litterarum apostolicarum cum Olondo abbate S. Michaëlis Antuerp. exsecutor permittit Middelburgensibus Præmonstratensibus quamdam curiam alienare. Ejus obitus in registris consignatur 2. Octobris 1434.

* *al.* Edmundus.

XXV. Edmundus de Cortevylle decanus occurrit eodem anno 1434.

XXVI. Rolandus Scriptoris, vulgo l'*Escrivain*; consiliarius & medicus Philippi ducis Burgundiæ & Flandriæ comitis, in decanum recipitur prima die Martii 1439. permutavit cum sequenti.

XXVII. Petrus I. Bogaert archidiaconus, sedis apostolicæ protonotarius, decretorum doctor, antea pastor ecclesiæ beatæ Mariæ Slusensis, in possessionem decanatus inducitur ultima die Apr. 1476. Decessit an. 1491.

XXVIII. Petrus II. de Ligny canonicus & scholasticus S. Donatiani, electus in decanum 5. Aprilis 1491. in fata concessit anno sequenti.

XXIX. Carolus I. de Campis assumtus in decanum 22. Sept. 1492. vitam cum morte mutavit 19. Maii 1499.

XXX. Georgius van Temseken factus decanus 29. Maii 1499. cessit 4. Apr. 1502.

XXXI. Antonius I. Trivultius episcopus Comensis in Italia, S. R. E. cardinalis, cessione præcedentis decanatum obtinuit anno 1502. quem transcripsit sequenti.

XXXII. Johannes III. Bonivicini instituitur 5. Maii an. 1502. fato functus an. 1519.

XXXIII. Marcus Lauryn primum Johannis coadjutor, dein decanus evasit 24. Sept. 1519. Naturæ concessit 5. Novembr. 1540.

XXXIV. Carolus II. Perrenot cardinalis Granvellani frater, virtute indulti Carolo V. imperatori concessi nominatur decanus an. 1540. sed, nondum capta possessione, resignavit sequenti cum regressu.

XXXV. Franciscus Bave vi provisionis a nuntio apostolico sibi concessæ admittitur 8. Februarii. Denascitur an. 1555.

XXXVI. Carolus Perrenot virtute regressus decanatum obtinet 7. Sept. an. 1555. quem mox iterum abdicavit in gratiam sequentis.

XXXVIII. Vincentius Doens Laurentianus A prope Ardenburgum, cujus tempore an. 1561. monasterium fuit unitum episcopatui Brugensi. Obiit 1569. III. cal. Maii.

DULCIS-VALLIS *seu* SOSTENDALE & SOETENDAEL.

III. HÆc abbatia prope Middelburgum in Flandria, diœcesis olim Tornacensis, postea, uti videtur, Brugensis, aluit quondam canonicos Regulares ord. S. Augustini, ex instituto congregationis Arroasiensis; & quidem a monasterio S. Bartholomæi Brugensis originem habuit, fun- B data, si Meyero credimus, an. 1215. quæ postea in tumultibus Belgicis anni 1578. diruta, cessit tandem patribus Societatis Jesu anno 1584. quando civitas Brugensis Catholico Regi reconciliata fuit.

ABBATES.

I. JOHANNES I. abbas Vallis-dulcis memoratur an. 1255. quo etiam anno sola prima sui nominis littera J. connotatus, & abbas de Dulcivalle nuncupatus, decimas de Humbeka vendit ecclesiæ de Gissenghen.

II. Johannes II. abbas B. Mariæ de Dulcivalle ord. S. August. promisit obedientiam A. (Andreæ) episcopo Tornacensi circa an. 1340. ex codice MS. biblioth. Colbert.

III. Balduinus abbas de Dulci-valle, idem præstitit erga Philippum episcopum circa 1360. ex eodem cod. Colbert. Is est fortasse Balduinus Tollin assumtus e monasterio Quercetano, ex Grammaio.

IV. Petrus de Torasto abbas de Zoëtendale obsequium juravit eidem Philippo, *ibid.*

V. Jacobus Weer abbas S. Mariæ de Dulcivalle idem præstitit erga Ludovicum episcopum circa an. 1400. *ibid.*

VI. Antonius Mile electus abbas Dulcis-vallis ord. S. Aug. an. 1419. confirmatur ac benedicitur eodem anno.

VII. Cornelius Pont-casteel abbas Dulcis-vallis per annos 30. deinde Quercetanus, ubi vide ad an. 1541.

Quatuor insuper reperimus apud Grammaium, assumtos ex abbatia Quercetana; nempe Walterium de Brune, Quintinum van Heysberge, Franciscum Joncman, & Johannem Boud Dulcisvallis abbates incerta ætate.

ABBATIÆ QUÆ HACTENUS FLORENT.

ORDINIS S. BENEDICTI.

ALDENBURGUM, *Oudenbourg.*
S. Andreas prope Brugas, *S. André-lez-Bruges.*

FEMINARUM.

Gistella, *seu* S. Godolena.

ORD. S. AUGUSTINI.

Quercetum, *Eesehout.*

FEMINARUM.

S. Trudo in Odeghem.

ORD. CISTERC.

Dunæ, *les Dunes.*

FEMINARUM.

Sparmalia, *seu* Nova Jerusalem.
Vallis cœli, *seu* Domus cœli, vulgo *Hemelsdaele*, ou *Hesendael.*

ORD. S. CLARÆ.

Clarissæ Brugenses.

ALDENBURGUM, *seu* ALDEBURGUM. OUDENBOURG.

FUit olim primæ notæ in Flandria oppidum; Brugas inter & Ostendam positum, in decanatu Rollariensi diœcesis Tornac. quod ab Attila excisum tradunt. Hujus loci dominus seculo VI. quidam Aldo, quem B. Ursmarus ad fidem Christi convertit, ecclesiam in honorem B. Petri apostolorum principis exstruxit, eamque prædiis dotatam Laubiensi monasterio attribuit. Processu temporis collapsum longa ætate hoc templum Aldenburgenses instaurarunt, anno scilicet 1056. quod an. 1070. calendis Maii Ratbodo episcopus Tornacensis dedicavit. Porro cum non multo C post S. Arnulfus Suessionum episcopus jussu Gregorii papæ VII. in Flandriam perrexisset ad extinguenda dissidia inter Robertum comitem & comitatus optimates, idque feliciter præstitisset, ferocesque totius gentis mores, unde oriebantur quotidiana peneque assidua homicidia, plane mitigasset, maxime apud Brugenses, Furnenses & Aldeburgenses; sic omnes Flandriæ incolas, plebeios & nobiles in sui admirationem rapuit, ac præsertim Cononem virum nobilem cum Huzecca uxore, ut hic ecclesiam S. Petri Aldenburgensis, quam in rationem beneficii de Flandrensi comite habebat, dari S. Arnulfo procuraverit, ut D haberet ubi resideret. Itaque congregatis monachis præsul sanctissimus hoc monasterium Benedictinum auspicatus est anno circiter 1084. ubi & mortem oppetiit an. 1087. XVIII. cal. Sept. ac sepultus est.

SERIES ABBATUM.

I. ARNULFUS S. ARNULFI fundatoris quem & nonnulli primum abbatem constituunt, ex sorore nepos, primus abbas rexisse dicitur ad annum 1095. quo mortuus est.

II. Gervinus antea monachus S. Winoci Bergensis, Gandavi apud S. Petrum benedictus, rexit E annos decem; postea cessit 1105. & obiit 1107.* 17. Aprilis, in Brabantia sepultus. * al. 1117.

III. Hariulfus Centulensis monachus, cujus monasterii chronicon desinente seculo XI. scripsit, editum tom. IV. Spicil. Acheriani; libellum etiam de vita S. Madelgisili, Gervino, ejus nominis secundo, abbati Centulensi nuncupavit. Deinde vero creatus abbas Aldeburgensis vitam S. Arnulfi duobus libris complexus est, absolutámque an. 1114. Lisiardo Suessionensi episcopo dicavit. Scripsit quoque vitam Gervini decessoris. Memoratur 1119. in charta Caroli-Boni Flandriæ

comitis, & 1129. in charta Theoderici Alsatii item Flandriæ comitis erga hanc abbatiam munificorum; apud Mir. novæ edit. pag. 679. & 680. An. 1121. calendis Maii, sui regiminis anno decimo-sexto ejusdem S. Arnulfi corpus e terra levari curavit. Eidem abbati an. 1130. XI. cal. Aprilis indict. VIII. Simon Tornacensis ac Noviomensis episcopus dedit ecclesiam S. Mariæ sitam in oppido Aldenborgensi, cum totius parochiæ integritate, sub personatu tenendam. Vitam produxit ad annum 1143. 16. Aug. postquam laudabiliter præfuisset annis 38. Suum ipsius epitaphium scripsit in fine chronici Centulensis, quod evulgavit Mabillonius, tom. 1. Analect. pag. 431.

Mir. novæ edit. pag. 580.

Pontivo natus, pronus studiis HARIULFUS,
Almi Richarii claustra puer subiit.
In quibus imbutus, deceat quid nosse magistrum,
Aldemborgensis tertius abba fuit.
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit,
Crescere, Petre, tuis semper opes sitiens.
Fratribus exemplum prætendens compatientis,
Multa nimis tacuit, quæque loqui docuit.
Centula quos fratres retinet, coluit seniores,
Illis quod sit honor cernere semper amans.

Ejus obitus in veteri necrol. Centulensi notatur his verbis: *XIII. cal. Maii obiit Hariulfus senior.* ut distinguatur scilicet ab alio Hariulfo levita & monacho, qui XIII. cal. Junii obiisse memoratur. Vide secul. VI. Bened. part. 2. pag. 502.

IV. Balderamus quondam prior Laubiensis in Hannonia, obiit 17. Maii 1145.

V. Marsilius S. Bertini Audomarensis monachus, subscripsit abbas 1152. litteris Godescalci episcopi Atrebat. pro cœnobio S. Bertini. Sedit annos 25. e vita sublatus 18. Julii 1170.

VI. Hermannus antea monachus S. Nicasii Remensis, memoratur abbas an. 1177. in charta Elisabeth Flandriæ comitissæ pro monasterio S. Augustini. Fato fungitur 1187. 10.* Octob. cujus proinde tempore Arnoldus vicecomes Gistellensis an. 1180. Aldemburgensi abbatiæ munificum se præbuit.

** al. I.*
Ibid. pag. 285.

VII. Balduinus, ex monacho S. Winoci, vocatur electus Aldemburgensis an. 1196. in sententia Stephani episcopi Tornacensis contra Rassonem militem. Mortuus est Coloniæ an. 1200. X. Novembris.

VIII. Willelmus I. monachus S. Petri Gandensis an. 1217. tanquam abbas Aldenburgensis testis est in litteris Egidii de Bertoulh pro monasterio Dunensi, ubi dicitur *Boni nominis.* Idem an. 1220. testis habetur in litteris Radulfi Tornacensis archidiaconi pro prioratu de Bretenai; proinde mortem Sanderus perperam consignat an. 1211. 27. Nov.

IX. Henricus I. hujusce loci alumnus transiisse dicitur ad meliorem vitam 27. Julii an. 1236. hoc epitaphio donatus:

Hic jacet HENRICUS abbas pius atque pudicus,
Justitiæ, legis exemplar, formaque gregis.

X. Gerardus interiit anno 1246. die 4. Decemb.

XI. Robertus ex cellerario S. Martini Tornac. ac deinde monacho de Thosan, rexit annis 4. & obiit an. 1250.

XII. Johannes I. ex eleemosynario S. Petri Gandav. dormitorium de novo construxit, & complevit an. 1259. in octava SS. apost. Petri & Pauli. Migravit a seculo 12. Oct. an. 1270. sepultus in choro.

XIII. Raso assumtus e gremio, defunctus est 3. Octob. 1278.

XIV. Johannes II. de Bierulict sedit annos 29. ac mortalitatem explevit 17. Jan. 1307.

XV. Johannes III. de Donza spiritum reddidit 24. Febr. 1329.

XVI. Rogerius Wevel ex monacho S. Andreæ juxta Brugas, rexit cum decessore annis 22. & post ejus obitum annis quinque, ac demum fatis concessit 18. Octob. 1334. sepultus juxta campanile ante sacellum S. Crucis.

XVII. Jacobus I. Tinctoris rebus humanis excessit 1354. 25. Aug.

XVIII. Segardus *al.* Ricardus Carlin promisit obedientiam Philippo Tornacensi episcopo, ex MS. codice bibl. Colbertinæ. Morte correptus est an. 1382. 27. Decemb.

XIX. Nicolaus origine Brugensis, defunctus 25. Junii 1393. jacet in sacello S. Mariæ.

XX. Georgius Moor primum monachus S. Winnoci, deinde abbas Aldemburgi anno uno, tandemque sancti Winnoci, ubi vide.

XXI. Willelmus II. Taillet monachus S. Bertini Audomarensis, sedit usque ad annum 1413. XI. Januarii.

XXII. Jacobus II. Coq Machliniensis, obiit Parisiis, sepultus in æde sancti Benedicti 1433. die 13. Aug. Ita vetus Gallia Christ. Sammarthanorum fratrum, quod quidem Sanderus de successore tradit.

XXIII. Johannes IV. Dwynck vivere desiit 8. Maii 1443.

XXIV. Antonius Clerici, duci Burgundiæ a consiliis, decessit 23. Dec. an. 1445. in ecclesiæ navi sepultus.

XXV. Henricus II. Ondermarck domum maxime ampliavit. Moritur 1456. die 5. Junii, Lovanii sepultus.

XXVI. Anianus Coussere Flander Casletensis, antea præpositus S. Winnoci Bergensis, Henrici cessione sublectus 1451. munus accepit benedictionis eodem anno, XII. cal. Julii, quæ fuit dies SS. Trinitatis. Construi curavit capsam pro continendis S. Arnulfi reliquiis priori elegantiorem & ditiorem, in quam maxima cum solemnitate corpus sancti episcopi translatum est anno 1457. Migravit ad alteram vitam penultima die Maii 1462. sepultus in choro ecclesiæ. Vir pius & doctus, inquit Arnoldus Wion Ligni vitæ, lib. 2. pag. 402. ecclesiam a fundamentis reparavit, quam ipsis calendis Maii anni 1457.* per Guillelmum episcopum Sareptanum Johannis episc. Tornac. suffraganeum, præsentibus abbatibus octo, & aliis ecclesiasticæ dignitatis viris consecrari fecit.

Secul. VI. Bened. part. 2. p. 505.
** al. 1455. V. cal. Maii.*

XXVII.

XXVII. Clemens Egidii, duci Burgundiæ a consiliis, occubuit 1463. Junii 14. tumulatus in sacello S. Crucis intra basilicam.

XXVIII. Raphaël de Bourgogne, Philippi ducis Burgundiæ nothus, dictus de *Marcatel* ex matris cognomine, doctor Parisiensis, & monachus S. Petri Gandav. fuit abbas Aldenburgi usque ad 1478. postea S. Bavonis, & inauguratus episcopus Rosensis hoc anno, vitam exuit Brugis 3. Aug. 1508.

XXIX. Walterius a Lacu ex monacho S. Petri Blandiniensis & secundo priore fit abbas Aldenburgensis, decessit 16. Septemb. 1480. sepultus in sacello B. Mariæ.

XXX. Jacobus III. Jacobi, patria Brugensis, Duci Brabantiæ & comiti Flandriæ a consiliis, obiit 5. Augusti 1500. sepultus ante altare S. Crucis, cum prius sibi coadjutorem adlegisset, qui sequitur.

XXXI. Jacobus IV. de Courteville ex monacho Ulierbacensi consecratus abbas in decollatione S. Johannis Bapt. præerat an. 1509. postea S. Winnoci Bergensis abbas, ubi vide.

XXXII. Antonius Stephanus de Courteville quondam canonicus S. Andreæ in nemore Ambianensis diœcesis, sed tunc Aldenburgensis monachus, superioris fratris cessione admissa 20. Maii 1518. promovetur in abbatem a Romano pontifice. Hic multum ecclesiam ornavit, ac tandem devixit an. 1536. die 6. Oct. sepultus in sinistro latere presbyterii.

XXXIII. Johannes V. de Gribouval monachus S. Salvatoris Hamensis, recusante abbatiam Gedeone Vander-Gracht nominato coadjutore, qui deinde fuit abbas Camberonensis, Brugis benedicitur in domo S. Bertini 18. Febr. & obiit anno 1540. 25. Aug. Epitaphium habet apud Grammaium.

XXXIV. Christianus de Vassevelde, *al.* de Bassevelde *vel* de Bassenelde, nobilis Brugensis, abbas ex priore monasterii, fatis concessit 1541. Jan. 22. Ejus epitaphium habes apud Grammaium.

XXXV. Johannes VI. de Verden seu Vander-Werde, abbas inauguratus an. 1542. 10.* Maii, cessit an. 1545. quo translatus est ad abbatiam S. Andreæ Brugensis, unde assumtus fuerat.

* *al.* die 1.

XXXVI. Oliverius de Hulst Alostensis ex monacho & priore S. Andreæ juxta Brugas, inauguratur abbas ipso die S. Benedicti 21. Martii 1544. id est 1545. ante Pascha. Rexit cum laude annis 23. inchoatis, usque ad nonas Dec. an. 1568. Hic suum monasterium instituti primum Cluniacensis, univit an. 1550. congregationi Bursfeldensi. Ipsius epitaphium legitur apud Grammaium.

XXXVII. Gaspar de Bovincourt Bapalmensis, Locrio Atrebas, eques Jerosolymitanus, ac œconomus S. Salvatoris in Aquicincto prope Duacum, destinatus abbas a curia Bruxellensi an. 1569. legatus Flandriæ mittitur an. 1572. ad Philippum II. Hispaniæ regem. Hic vir Græce, Latine, Gallice, Teutonice, Italice & Hispanice doctus, scripsit Gallico idiomate suam peregrinationem Jerosolymitanam & ad montem Sinai, sermones ad fratres, librum de arithmetica, item libros duos versibus Gallicis, alterum de Prædestinatione, alterum de sui ipsius cognitione, inquit Locrius in catalogo scriptorum Artes. ad calcem chronici Belgici. Ejusdem abbatis tempore vivebat in hoc monasterio Georgius Cabelliau, qui sui monasterii annales ad annum 1574. perduxit. Obiit Gaspar 1577. XI. Febr. in choro ecclesiæ sepultus, postquam præfuisset annis septem, mensibus decem & diebus 7.

XXXVIII. Melchior Everardus difficillimis bellorum temporibus præfuit. Anno videlicet 1578. destructum est funditus monasterium a Calvinianis hæreticis, dispersique sunt monachi, quorum pauci Brugas venerunt cum suis sanctis reliquiis, & postea pacatis rebus ad monasterium restaurandum accesserunt.

XXXIX. Johannes VII. Beurier post sexdecim annorum regimen factus est abbas S. Andreæ.

XL. Maximilianus d'Enghien (eum Johannem vocat Martennius noster in altero suo Itinerario, pag. 71.) nobilis Flander, ex monacho S. Vedasti Atrebat. Aldemburgo præsidebat jam an. 1616. & adhuc 1641. cujus abbatis pia & prudenti sollicitudine cœnobium reflorere cœpit; & hic quidem comitiis Flandriæ cleri nomine interfuit.

XLI. Carolus Geleiins.

XLII. N. . . . Taiie.

XLIII. Augustinus van Meulen, *al.* Vermule, ex præposito S. Petri Blandiniensis fit abbas Aldenburgensis prope Brugas an. 1687. Catarrho suffocatus est anno regiminis 4. ætatis 73. professi. 47. ipsa die octava Ascensionis Dom. circa horam quintam matutinam.

XLIV. Martinus Gheerts, antea monachus Blandiniensis.

XLV. Gregorius Lambertii, novitiorum institutor, tum prior, ac tandem abbas, in suo Brugensi refugio anno 1713. die 16. Maii, ætatis anno 58. professi. 36. sacerdotii 34. & abbatialis dignitatis 12. apoplexia correptus interiit.

XLVI. Claudius Launin S. Vedasti Atrebat. monachus successisse videtur, ex altero Martennii nostri Itinerario, pag. 71.

S. ANDREAS prope BRUGAS.

S. Andreas juxta Brugas.

INitia sua debet hoc monasterium ordinis sancti Benedicti voto Roberti Frisonis Flandriæ comitis in terra sancta militantis, quo sua suorumque ab extremo periculo liberatione B. apostoli Andreæ meritis attributa, se se an. 1098. obstrinxit voto fundandi cœnobium in ejusdem sancti honorem. Et hic quidem apprime doctus nescire tarda molimina gratiam Spiritus sancti, impatiens voto faciendi satis, non expectavit reditum in patriam, sed incunctanter per litteras uxori Clementiæ præcepit, ut votum ipsius impleret. Hæc ad obediendum in omnibus bonis haud minus prompta, statim adiit Baldricum episcopum Tornacensem, a quo impetravit altare de Betferkercka seu de Straeten juxta Brugas, assentientibus Lamberto archidiacono, ceterisque clericis, necnon Reinero ejusdem altaris sacerdote collaudante,

cœpitque mox ibi construere cœnobium familiæ Benedictinæ. Cum autem paulo post, an. 1100. ex Meyero & chronographo Affligemiensi, Robertus comes ab Jerosolymitana peregrinatione rediisset, hanc cellam S. Andreæ Fulgentio abbati Affligemiensi & successoribus ejus commendavit anno 1105. id approbante Baldrico Tornacensi & Noviomensi episcopo, datis eodem anno litteris, quas vide inter instrumenta. Attamen processu temporis, *cum jam dicta ecclesia B. Andreæ, quæ prioratus* Affligemiensium *esse solebat, ad tanti profectus venisset incrementum, quod abbas ibidem non immerito creari posset & deberet, locum ab omni dominio suo, subjectione & exactione liberum & emancipatum dimiserunt, & Deo & S. Andreæ dederunt* Godescalcus abbas & conventus Affligemiensis; quibus vicissim Hugo abbas S. Andreæ & monachi ejusdem loci terram quam habebant in pago Oostburch, circiter quinquaginta & septem mensuras continentem, reddentes singulis annis decem marcas, in perpetuum possidendam concesserunt. Id patet tum ex litteris Guillelmi Remensis archiepiscopi hoc totum 1187. confirmantis, tum ex ipsiusmet Godescalci litteris, & Philippi Alsatii Flandriæ comitis nostra inter instrumenta; ac insuper ex charta Everardi de Avesnis episcopi Tornacensis. Tandem vero accessit hoc monasterium congregationi Bursfeldensi an. 1516.

Mir. novæ edit. pag. 272. & 273. Ch. V. col. 355.

Mir. novæ edit. pag. 286. & 288. Ch. XI. & XII. col. 358. & 359.

SERIES ABBATUM.

TRes solum monasterii præpositi seu priores nobis occurrerunt, Ludolfus*, qui scripsit epistolam de origine S. Andreæ, inde abbas de Oostbrouck juxta Ultrajectum; Alardus, qui dono Lamberti episcopi Nerviorum obtinuit ecclesiam Gistellensem an. 1118. & multis annis præfuisse dicitur; tertius denique Walterius.

* Eudolfus, ex Gramm.

I. HUGO, primus abbas jam an. 1187. appellatus in litteris Guillelmi Remensis archiepiscopi supra memoratis, benedictionis munus accepit ab episcopo Morinensi, ægrotante Tornacensi, qui tum eam consecrationem, tum cœnobii Andreani exemtionem an. 1189. approbavit. An. 1196. testis est in sententia Stephani Tornac. contra Rassonem militem; sub quod etiam tempus se se Hugo abbas apud Willelmum Remensem archiepiscopum excusavit ob suæ domus non modicam paupertatem, quod, sicut ipsi mandaverat, proxima feria V. interesse non possit Insulis ad parandam ei refectionem. Defecit an. 1206. die XI. Julii, postquam laudabiliter annos decem & octo præfuisset.

Mir. novæ edit. pag. 286.

II. Walterius I. Raywick *al.* Rolywic monachus S. Winoci Bergensis rexit annis 13. Hic anno sui regiminis XI. pepigit cum Walterio episcopo Tornac. de scholis Ghistellensibus, ita videlicet ut episcopus & abbas eorumque successores alternis vicibus eisdem providerent. E vivis sublatus est 14. Aprilis 1219. prope Hugonem abbatem sepultus.

III. Johannes I. e gremio assumtus, post tredecim menses fatis concessit die 15. Maii 1220. traditus sepulturæ in anteriori ecclesia sub campanili.

IV. Walterius II. Broch subdelegatus cum abbate S. Bartholomæi de Eckout, secundum litteras apostolicas, anno 1225. mense Aprili, revocat suspensionem latam ab episcopo Tornac. contra capitulum sancti Donatiani Brugensis. Hic post decem annorum regimen, animam cœlo, corpus terræ commendavit 18. Dec. 1230. sepultus prope abbatem Johannem.

V. Nicolaus I. S. Martini Tornac. alumnus; exactis in præfectura quatuor annis, moritur 28. Novemb. 1234. ac sepelitur prope Walterium I. abbatem.

VI. Godefridus antea monachus & præpositus Aquicincti, vir monasterio suo valde utilis, ipsum muris circumcingere cœperat, sed fato præreptus 4. Junii 1240. absolvere non potuit.

VII. Guillelmus I. Lentin ex S. Bavonis Gandavensis cellerario reperitur abbas S. Andreæ an. 1240. quo super quibusdam decimis compositionem iniit cum W. episcopo Tornac. Is seculi principibus inprimis carus, ac divini cultus mire sollicitus, tres in monasterio priores, quasi totidem disciplinæ custodes instituit. Incœptum a decessore cœnobii murum complevit; dormitorium amplissimum anno sui regiminis sexto ædificavit; ecclesiam eleganti stravit pavimento, variisque picturis decoravit; vastissimum horreum atque *infirmitorium* construxit; tandemque post multos exantlatos labores migravit ad Dominum an. 1255. die 6. Maii, sepultus in capitulo, sub hoc epitaphio:

Annis ter quinis hæc Willelmus loca rexit
Abbas septenus, quem mors nunc pulvere texit.
Annus millenus bis centenus quoque quintus
Ac quinquagenus pariter mortem dedit ipsi.

VIII. Lambertus cœnobii cantor subrogatur abbas loco Willelmi, a cujus virtutibus & sollicitudine non degener, in spiritualibus & temporalibus haud parum profuit. Omnes autem monasterii redditus quatuor in partes divisit, quorum sibi & hospitalibus unam, fratribus alteram, tertiam fabricæ, & quartam eleemosynis assignavit, sic tamen ut non ipse, sed fratres rem familiarem administrarent. Statuit etiam ut qui prius in cœmeterio, deinceps in ambitu, hoc est in claustro fratres sepelirentur. Pileos nigros, agninasque pelles vestibus assutas a S. Remigii festo ad Pascha ex indulgentia Radulfi Albanensis episcopi ac sedis apostolicæ legati fratribus permisit. Denique mortalitatem explevit ipso die Natalis Domini 1276. sepultus prope Willelmum abbatem, cujus in tumba hic olim versiculus legebatur:

Abbas Lambertus cæli sit in arce repertus.

IX. Henricus I. ex priore, tribus circiter annis præfuit, sepultus in capitulo, cum hoc epitaphio:

Abbas HENRICUS, *prudens, pius, atque pudicus,*
Justus, mansuetus, humilis rector monachorum,
Obtineat lætus requiem sceptrumque polorum.

Obiit autem 5. Aprilis 1279.

X. Johannes II. Makercel ejusdem loci alumnus, rexit annos circiter XI. magna cum laude, ac mortuus est 9. Septemb. 1290.

XI. Petrus I. Honckevliet antea cellerarius, inter sævissima Flandrensium bellorum, quæ Brugense territorium devastarunt, discrimina, monasterium prudenter rexit. Ædes abbatiales eleganti opere construxit; multaque alia in monasterii commodum præstitit. Vivere desiit 1307. die festo S. Barnabæ.

XII. Henricus II. de Colonia regularis disciplinæ observator vigilantissimus; plurimos exscribi libros curavit, quanquam vix uno præfuit anno; mortuus est enim 15. Maii 1308.

XIII. Walterus III. de Wilde ex priore factus abbas, præfuit annos viginti, cujus tempore vigintiquinque monachi in cœnobio degebant, ex quibus Johannes de Bakere prior, strictioris observantiæ zelo incensus, ad Carthusianos Brugis non ita pridem stabilitos convolavit, ubi cum non multo post prior evasisset, pristini sui monasterii fratrum memor, eos omnium Carthusiensis ordinis suffragiorum participes fecit an. 1325. Walterius autem baculum pastoralem fieri curavit, quo deinde sponte dimisso, naturæ debitum solvit an. 1328. professionis suæ 54. cujus sepulcro hi versiculi incisi leguntur:

Hæc sunt in tumba* WALTERI *corporis ossa;*
Qui cœnobita, placeat Christo sua vita,
Prudens, pacificus, mitis, bonitatis amicus,
Nigris in pannis quinquaginta quatuor annis
Circiter inclusus, Benedicti tegmine trusus,
Annis bis denis fuit abbas, largus egenis.
Præbuit augmentum dignum, velut est sapientum.
Illum dilexit conventus, nam bene rexit.
Sponte resignavit. . . . .
. . . .

* l. hic.

XIV. Johannes III. de Zenecote *al.* Zevecote cum prioris munus annis 29. exercuisset, gessit abbatiale annis 12. & 5. mensibus, nono interim sui regiminis anno inita cum Carthusianis societate renovata. Decessit an. 1340.

XV. Michaël I. de Ziseele *al.* Sissele antea prior per multos annos, promisit obedientiam Andreæ episc. Tornacensi; nec multo post societatem iniit cum abbatia S. Adriani de Gerardimonte. Migravit ex hac vita 1345. sepultus in capitulo cum hoc epitaphio:

Hic MICHAEL *stratus de* ZISEELE *cognominatus,*
Abbas prægratus, a conventu peramatus,
Hoc titulo dignus, mitis, plus atque benignus,
Justus, devotus, vitiorum labe remotus,
Prudens, discretus, mira bonitate repletus.
Anni milleni, C. ter, quinti quadrageni,
Martis septena sub luce solutus, amœna
Sanctorum requie regnet, prece dante Mariæ. Amen.

XVI. Gerardus Donckere locum an. 1347. concessit, ad excitandum extra portam S. Catharinæ Brugensis ordinis Carthusiensis parthenonem a civibus Gandavensibus ex nobili Vulpinorum *de Vos* familia fundatum. Obiit 1354. die S. Augustini.

A XVII. Henricus III. de Cleyhem nobili genere natus, a tenella ætate in monasterio enutritus, religiose ad decrepitam usque conversatus est. Hic obedientiam Philippo episcopo Tornac. pollicitus, præfuit annis 14. in Deum & in sanctos devotissimus, clementissimus in pauperes, & in regulari observantia studiosissimus. Desiit esse inter vivos anno 1368. in sacello beatæ Mariæ sepultus.

XVIII. Johannes IV. Goederick nobilem prosapiam religiosis actibus illustravit. Promisit obedientiam Philippo episcopo Tornacensi; ac mortuus est 8. Octob. 1383. conditus in sacello
B S. Andreæ.

XIX. Johannes V. Ivesone, multis cœnobio comparatis, & ecclesia præsertim aurea & argentea suppellectile ditata, spiritum Deo reddidit, post annorum 33. regimen, 6. Octob. 1416.

XX. Sigerus de Coste *al.* de Costre, de Straten oriundus, vir nobilis, postquam anno 1416. de ipsius moribus, conditione &c. inquisitum est, confirmatus fuit atque etiam benedictus eodem anno, statimque promisit obedientiam Johanni episcopo Tornacensi. Laxioris disciplinæ carpitur, qui demum post annos 37. regiminis, volente ac jubente Principe, invitus cessit; occubuit
C vero 1456.

XXI. Jacobus de Steenburch juvenis admodum abbatialem dignitatem adeptus est, qui cum minus esset litterarum peritus, studiorum causa Parisios adiit, immatura morte præreptus 5. Septemb. 1462.

XXII. Petrus II. Maets communi fratrum calculo sublectus, adversarios patitur Antonium Auroen* S. Donatiani præpositum, qui pro certis negotiis a duce Philippo Romam missus, primam vacaturam abbatiam a Pontifice Romano impetravit, & Christianum Sage monachum ambitiosum, cui prædictus Antonius jus suum transcrip-
D serat; sed utrumque tandem amicabili compositione superavit. Præfuit autem qua turbatus qua quietus annis 17. & uno mense, jamque senio confectus vitam cum morte mutavit 8. Maii 1485.

* al. Haneron.

XXIII. Judocus Ruissant *al.* Vissant Gandavensis S. Bavonis monachus, sacræ theologiæ baccalaureus, ex libera superioris cessione anno 1479. die 3. Octob. abbatiam consecutus, anno ætatis suæ 30. die 6. Febr. benedictionem percepit. Ædes abbatiales ex integro pene renovavit, paucis post annis eas relicturus; obiit enim anno ætatis 39. Christi 1488. die 10. Januarii, sepul-
E tus in ecclesia cum hoc epitaphio:

Eximii tegitur hac petra flebile funus
JUDOCI RUSSANT *abbatis, qui prius arte*
Septena pollens, cui rite licentia juris
Canonici data sit, nec huic mors sæva pepercit.
C. quater, X. ter, I. ter, L. & V. semel, M que dat annum,
Quarto idus Februi felix in pace quiescit. Amen.

XXIV. Michaël II. de Cupre *al.* de Cupere, amicorum suorum præsidio, quorum plures erant

in ministerio Maximiliani Romanorum regis, eo tempore in arcta custodia Brugis detenti, prævaluit adversus Andream Daniels, qui simul cum ipso electus abbas fuerat. Cessit in gratiam sequentis die 1. Decemb. an. 1508. defunctus 1512. cujus sepulcro incisum est hoc epitaphium:

Exuviæ molles olim, nunc saxa recondunt
Membra MICHAELIS CUPRE, *quem fecit abatem*
Hujus conventus fors diva, repressit eumdem
Mors fera milleno quingento duodeno
Post quater unum & quinque dies mensis Februari.

XXV. Balduinus Vilain Minorita, sacræ theologiæ doctor, episcopus Sareptanus & suffraganeus Tornacensis, atque etiam abdicatione superioris abbas, monasterium solemni ritu ingressus est in habitu Minoritano 17. Julii 1509. sed quinto post die S. Benedicti habitum a Jacobo de Courteville Aldenburgensi abbate suscepit. Hic omni ex parte venerabilis, sobrius castus & devotus, ascitis e monasterio Gemblacensi monachis, Bursfeldense institutum suam in abbatiam induxit; ecclesiam varia supellectile decoravit, totumque monasterium resarcivit. Humanis rebus exemtus est an. 1519. die 6. Septemb. in choro sepultus cum hoc epitaphio:

Clauditur hoc tumulo pater inclytus ecce celebri
BALDUINUS VILAIN, *quem Deus extulerat*
Donis innumeris, vitæ dum carperet auras.
Nam doctoratus munere functus erat,
Sub duce Francisco dum militat, hinc reverendi
Pontificis magni culmen honoris habens.
Ædibus his sacris divi præerat Benedicti,
Pervigil inducens ad meliora suos.
Anno milleno quingenteno quoque deno
Ac nono extremum clausit & ipse diem,
Septembris sexta, nunc ergo Deum rogitemus,
Spiritus ut valeat scandere celsa poli.

Ejus corpus centum post annos repertum est incorruptum.

XXVI. Rolandus de Steelandt monachus S. Petri Gandav. anno ætatis suæ 23. nominatione Margaretæ * Flandriæ procuratricis, ac provisione domini Papæ 26. Octob. 1519. creatus abbas, solemni benedictione perficitur 18. Dec. ejusdem anni. Is per omnia dissimilis a decessore, bona quæ hic comparaverat distraxit; quamobrem in causam vocatus a Bursfeldensium capitulo, respondere noluit, ipsamque unionem cum Bursfeldensi congregatione dissolvit. Deinde translatus est ad S. Winoci præfecturam, ubi vide.

* *al.* Caroli Cæsaris.

XXVII. Johannes VI. Asset monachus Vedastinus & præpositus Hasprensis, cessione præcedentis, seu translatione, abbatiam consecutus est die 25. Maii 1525. sed nonnisi die 6. Martii 1528. a Romano pontifice confirmationem accepit. Hic tres monachos Gemblacenses in cœnobio superstites carnibus vesci coëgit, vir alioqui severus. Ædificia monasterii reparavit & ecclesiam instruxit argentea supellectile; qui tandem anno 1542. abbatis Aquicinctensis coadjutor

A effectus, coadjutorem & ipse sibi in Andreano monasterio ascivit Mauritium Broignet Aquicinctinum monachum & priorem S. Georgii, fato sibi præreptum. Transiit autem ad abbatiam Aquicinctensem an. 1545. ubi defunctus est an. 1556. ex Sandero.

XXVIII. Johannes VII. vander Werde prius abbas Aldemburgensis per annos quinque, Andreanæ abbatiæ possessionem adiit 14. Februarii 1547. Deinde vero paralysi afflictus an. 1553. coadjutorem sibi adlegit, cui totum regimen dimisit an. 1555. superstes ad an. 1559. Jacet in choro cum hoc epitaphio: *Domino* JOHANNI

B A WERDEN ALOSTANO, *qui prius Aldemburgi V. annis, hic autem annis X. abbatis officio sanctissime functus, Gilberto monacho suo ob invaletudinem cessit. Obiit idus Decemb. an. 1559.* Sanderus habet 12. Decemb. 1561.

XXIX. Gilbertus le Bien *al.* le Bleu, ex coadjutore an. 1555. Johannis superioris consilio, esum carnium abstulit, restituta Bursfeldensi observantia. Rexit sapientissime difficillimis temporibus, quibus omnia sectarii susdeque vertebant, debita plurima solvit, prædia nonnulla comparavit, duasque voluit ali quotidie pauperes viduas. An. 1567. destructo Tarvanensi S. Johannis

C monasterio & Balliolum translato, Johanni Taffin abbati quosdam e suis monachis ad reformandum ejusdem monasterium concessit. Decennio post, ipsum S. Andreæ cœnobium flammis absumitur, non ita multo post ab hæreticis evertendum. Gilbertus vero, qui jam sibi coadjutorem adsciverat, eidem ex integro abbatiam cessit 29. Julii 1578. Exinde captus ipse ab hæreticis multa passus est, tandemque mortuus 1591. sepelitur in hospitali S. Johannis *al.* S. Juliani.

XXX. Nicolaus II. Machaëlis *Michiels* antea prior S. Andreæ Brugensis, & reformator monasterii S. Johannis prope Balliolum, haud me-

D liori quam antecessor usus est fortuna, Curtracum enim fugere coactus est, unde Brugas reversus, peste sublatus est die 4. Septemb. an. 1584.

XXXI. Petrus Aimericus de Campo, Valentiæ in Hispania natus, sacræ theologiæ doctor ex familia Dominicanorum Audomarensi, deinde Benedictinus monachus, cum esset divini verbi facundissimus præco, & Alexandro Farnesio duci Parmensi ac provinciarum Belgicarum gubernatori, a sacris confessionibus, ejusdem opera factus est abbas, possessionem adeptus 25. Jan. 1585. qui mox dispersos monachos in refugio Brugensi coadunavit. An. 1592. in Hispaniam profectus

E de mandato Regis, nonnisi post annum reversus est. Rexit ad annum 1597. quo translatus est ad abbatiam Crispiniensem diœcesis Camerac. ubi vide tom. 3. novæ Gall. Christ.

XXXII. Johannes VIII. Beurrier *vel* Bourier, monachus & abbas Aldemburgensis, an. 1597. die 24. Maii administrator S. Andreæ nominatur ab Alberto principe, eodemque die confirmatur a Mathia Lambrecht episcopo Brugensi. Vir fuit industrius & ad obeunda negotia publica strenuus, qui per 13. annos a clero Flandriæ magno reipublicæ bono destinatus est, ut in quatuor

ordinibus res patriæ curaret; renovandis etiam tam Brugis quam alibi magistratibus occupatus, imo sæpius de publicis necessitatibus ab Alberto principe consultus, monasterium funditus eversum restaurare aggressus est, interea tum in victu tum vestitu sibi omnino parcus. Decessit 21. Januarii an. 1616. sepultus a Brugensi episcopo in ecclesia S. Salvatoris, cum hoc epitaphio:

Posterorum memoriæ. Sacrum in adventum Dei Redemtoris secundum, hic cineres siti atque ossa reverendi præsulis D. JOHANNIS BOURIER, qui, dum fuit, duobus cœnobiis vigilanter præfuit in exemplum piorum, S. Andreæ in agro Brugarum prope urbem, & D. Petri Aldemburgensis, qui & Flandriæ ordinibus per triennium & duo lustra magistratus inculpati officium explevit, natusque octo & sexaginta annos, XII. cal. Februarii est denatus 1616. Felix cui in Domino contigit mori. Mors origo est melioris vitæ. Requiescat in pace.

XXXIII. Henricus IV. vanden Zype monachus & prior S. Johannis Iprensis, necnon præpositus Affligemiensis, in abbatem S. Andreæ confirmatur & benedicitur calendis Maii 1616. a Carolo Rodoan episc. Brugensi. Hic summam cum pari eruditione pietatem conjungens, in sacra facultate baccalaureus, scripsit de monachatu S. Gregorii, de S. Scholasticæ vita religiosa, de *clausura* monialium, de libertate confessionis monialibus tribuenda, &c. Idem reformando S. Godolenæ parthenoni plurimum nec inaniter adlaboravit. Suum vero cœnobium transferre in urbem sæpius cogitaverat, sed tandem in veteri loco suis habitatoribus ab an. 1578. usque ad an. 1632. destituto restauravit; illicque hoc ipso anno, die 28. Julii habitare cœperunt monachi & officia divina celebrare. Obiit Henricus Brugis in ædibus refugii die 14. Martii 1659. sequenti epitaphio donatus:

Hoc conditur sub marmore reverendus admodum dominus HENRICUS vanden ZYPE abbas hujus loci XXXIII. mitra redimitus primus, verbo simul & opere clarus, munificentia in pauperes eximius, suaque ac virginum S. Godolenæ abbatiis multum proficuus, qui ex lapide iconis in Affligemio salutatricis sancti Bernardi formatam Beatissimæ Virginis imaginem hic locavit. Cessit e vita anno ætatis 83. prælaturæ 43. pridie idus Martii anno 1659.

Defuncto, lector, bene precare.

Hæc autem leguntur in necrologio S. Godolenæ: *R. D. HENRICUS vanden ZYPE abbas S. Andreæ XXXIII. præcipuus benefactor hujus monasterii, qui illud ad nihilum fere redactum in temporalibus & spiritualibus, inducta reformatione S. Mariæ Pacis, restituit, & magnis laboribus usque ad mortem protexit 1659. 16. Martii.*

XXXIV. Benedictus vanden Berghe magna ex parte templum reædificavit, ejusque nitorem assidue promovit. Ordinum Flandriæ primarius assessor a clero plus vice simplici delegatus est, & a Rege Catholico septies ad excipienda eligentium vota pro superioribus diversarum abbatiarum designatus est commissarius. Brugis moritur in refugio 12. Aprilis 1679. cujus hoc epitaphium superest:

Hoc sacellum reædificavit in eoque ultimum naturæ humanæ hospitium sibi & suis confratribus posuit R. admodum dominus D. BENEDICTUS vanden BERGHE hujus loci abbas XXXIV. qui soli Deo & sepulcro vixit, ac tandem mortuus est MDCLXXIX. XII. Aprilis, ætatis suæ anno LXXVIII. prælaturæ XX. Requiescat in pace.

XXXV. Placidus van Ochergout post annos 24. regiminis obiit 1703. 9. Maii.

XXXVI. Gregorius vanden Steene monachus, prior & abbas S. Andreæ Brugensis e vivis excessit in monasterio juxta Brugas 18. Maii 1710. anno ætatis 75. professionis 50. sacerdotii 46. præfecturæ 7.

XXXVII. Guillelmus II. Pieters sedebat an. 1712.

S. GODOLENA *seu* GODOLEVA.

GISTELLENSIS S. GODOLENÆ martyris ordinis S. Benedicti parthenon duabus primum Ostenda leucis prope Ghistellas in decanatu Rollariensi dioec. Tornacensis, fundatur circa 1090. a filia Bertulfi ex altera conjuge, postquam priorem, hanc ipsam S. Godolenam occidi jussisset. Tum vero cum ab hæreticis Hollandicis anno 1577. penitus eversus fuisset, translatus est Brugas; cujus sequentes abbatissas ex necrologio, cui soli ex omnibus cœnobii monumentis flamma pepercit, eruimus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. MARGARITA I. abbatissa hujus monasterii obiit 5. Decembris.

II. Maria I. van Gent prima fuit abbatissa in prima reformatione, quæ contigit circa annum 1450.

III. Catharina I. vander Maer abbatissa secunda hujus monasterii in reformatione prima, 1510. 9. Dcembris.

IV. Margarita II. de Beka abbatissa tertia hujus monasterii in reformatione prima 29. Junii.

V. Godelena de Paeyers abbatissa 4. in reformatione prima.

VI. Elisabeth van Eckeren *alias* Gilis, abbatissa quinta hujus monasterii in reformatione prima.

VII. Catharina II. de la Coste abbatissa sexta hujus monasterii in reformatione prima, 1581. 2. Decembris.

VIII. Maria II. vanden Berghe abbatissa 7. hujus monasterii in reformatione prima, 1608. 27. Martii.

IX. Judoca Zwiins abbatissa 8. hujus monasterii in reformatione prima, 1638. mensis Junii 7.

X. Leutgardis vanden Kerckove nona abbatissa hujus monasterii, quæ professa Duaci in

monasterio Pacis, formam pie vivendi juxta regulam S. Benedicti, quam illic didicerat, in hoc monasterio verbo & exemplo propagavit; ac proinde prima fuit hic abbatissa in reformatione secunda seu Pacensi, 1647. 17. Junii.

XI. Gertrudis Stalpaert decima abbatissa hujus monasterii & secunda in reformatione Pacensi. Obiit 1676. 16. Aug.

XII. Maria Gertrudis van Maldegem filia gubernatoris de Damme, virtutum quidem omnium laude præluxit, sed fuga secularium maxime commendatur, quibuscum nullum haberi voluit colloquium Festis diebus ac Dominicis. Denique passionem Domini secundum Johannem devotissime legens expiravit an. 1695. die 5. Febr.

XIII. Bertilia Romeiins consanguinea superioris, postquam annis septemdecim priorissæ munus, interimque per sex annos Novitiarum magistræ laudabiliter exercuisset, onus abbatiale in humeros suscipere cogitur. Defuncta est 25. Martii 1705.

XIV. Aldegundis Andries variis in monasterio, infirmariæ scilicet, magistræ Novitiarum &c. muneribus rite perfuncta, eligitur in abbatissam; vivebatque adhuc an. 1713. annum agens professionis 46. omni virtutum genere clara.

QUERCETUM.

EESCHOUT

ABbatia est canonicorum regularium ordinis S. Augustini, divo Bartholomæo sacra, olim prope Brugas, nunc in ipsamet urbe, quam quidem Meyerus in annalibus Flandriæ, & Miræus in originibus canonicorum regularium fundatam an. 1050. tradunt, ea scilicet ratione quod ibi legatur hoc epitaphium in ambitu ad partes orientales in pariete ad ecclesiam: *Hic jacet * Everelenus anachorita, qui 12. annis hic* in sylva loci nostri conversatus est, & obiit anno 1050.* 2. Octobris.* Quasi vero id probaret jam tunc ibidem monasterium fuisse, & non potius eremum. Et certe quandoquidem, teste ipso Miræo, originem habuit a monasterio S. Medardi sive S. Nicolai in Pratis juxta Tornacum, quo pacto hæc abbatia S. Medardi Quercetum gignere potuit an. 1050. quæ vix erat an. 1125. Itaque tardius differenda est hujus ecclesiæ, saltem tanquam abbatialis, fundatio, & quidem post annum 1130. quo prima fit ejus mentio in charta Theoderici Alsatii Flandriæ comitis. In ea vero Princeps sic loquitur: *Quidquid hereditatis vel redituum, juris vel advocationis in Echolt habeo, quod jacet Brugis in Rogia vivario meo, ecclesiæ Dei, quæ inibi fundata est. & Dei servis in eadem ecclesia Deo & S. Mariæ & S. Bartholomæo apostolo & S. Willebrordo servientibus, petente in nomine Domini monacho ejusdem loci fratre Folcramno, libere possidendum in perpetuum trado.* Judicium esto penes lectorem, utrum in his verbis aliquid abbatiam redoleat. Attamen revera non multo post abbatia evasit, ut ex abbatum serie colligitur, & ad congregationem Arroasiensem accessit. Ceterum anno 1585. die 24. Augusti Alexander princeps Parmensis & patriæ gubernator, hanc

* Querelinus, ex Meyero, *al.* Everelmus. * hac in insula loci nostri, ex Sandero. * *al.* 1060.

Mir. novæ editionis pag. 381.

A abbatiam patribus Societatis Jesu litteris postulavit, oblatis abbati quidem præpositura Divæ Virginis, singulis vero monachis, ejusdem ecclesiæ canonicatibus; sed abbas adeo viriliter intercessit, ut à suo tandem proposito princeps discesserit, ipsique patres Societatis Jesu id scripto sequenti testatum reliquerint. *Quandoquidem R. D. abbas Eechoutanus tam publice quam privatim conqueritur Societatem Jesu collegium nostrum causam esse quo minus ipse locum suum reparare, novitios acceptare, & divinum cultum instaurare & observare possit, quasi ejus vel bona, vel locum ambiamus, ad majorem Dei gloriam protestamur nos* B *neque abbatiæ Eechoutanæ bona, neque locum ambire aut quærere, neque aptum judicare collegio nostro constituendo, imo nos optare ut tam ipsi Eechoutani, quam alii religiosi pie & sancte Deo in suis locis serviant ac floreant, sicut etiam alias R. P. Franciscus Costorus tunc temporis provincialis litteris ad R. P. Prælatum datis ac sigillo munitis testatus est. Datum Brugis 1592. 17. Junii.*

OLIVERIUS MANAXICUS.

SERIES ABBATUM.

I. LAMBERTUS I. reperitur abbas an. 1157. & 1163. quo postremo Walterus abbas C S. Martini Tornac. ei quidquid apud Odenghen prope Brugas habebat vendidit ad censum octo marcharum annuatim solvendarum, mediante Geraldo episc. Tornacensi, ex tabulario S. Martini. Ipsum vero obiisse hoc anno testatur epitaphium sequens: *D. O. M. ac R. P. LAMBERTO hujus ecclesiæ abbati, qui obiit 4. Octobris anno Domini 1163. cujus petram vetustate perfractam & choro indignam, uti & R. D. abbatis Antonii Mil, R. D. Nicolaus Troostenbergh abbas anno 1637. chori pavimentum renovans, auferri, & has novas poni curavit. Jacet & hic amplissimus dominus de Mil, qui XI. regiminis anno obiit die 30.* D *Augusti 1438. Requiescant in pace.*

II. Simon I. occurrit an. 1170.

III. Arnoldus 1172. idem procul dubio ac Arnulfus 1177. in charta Philippi Flandriæ & Viromandiæ comitis pro cœnobio S. Augustini.

IV. Emmanuel 1186.

V. Balduinus anno 1193. ecclesiam de Makerke *al.* Meetkerke dono accepit ab episcopo Tornacensi.

VI. Nicolaus I. 1196.

VII. Johannes I. 1200. is esse videtur qui ex abbatia de Sunebecca ad hanc evocatus dicitur in E epistola Stephani Tornac. 269.

VIII. Simon II. 1208.

IX. Cono seu Conon 1209. & 1222. quo anno ipse, Willelmus præpositus Brugensis & Flandriæ cancellarius, necnon Walterus decanus S. Donatiani juri decimæ Flessinghensis nuntium remittunt.

X. Walterus I. Vilain a Gandavo 1225.

XI. Gosvinus 1236.

XII. Johannes II. 1250.

XIII. Robertus 1266.

XIV. Walterus II. de Oostburgh 1272.

XV. Johannes III. Barbator 1278. & 1284. A in octava Assumtionis B. Mariæ.

XVI. Walterus III. de Follenbeke Tornacensis, 1292.

XVII. Laurentius Ultra-aquam 1314.

XVIII. Johannes IV. de Stuppa electus, sed morte præreptus 1318.

XIX. Walterus IV. de Straeten 1318.

XX. Johannes V. Cambel Tornacensis 1331. sub quo vel successore sepultus jacet sub nigra tumba, cum incisa episcopi effigie Jacobus Linst episcopus S. Andreæ in Scotia, qui mortuus est an. 1332.

XXI. Johannes V. de Fano *al.* de Fœno B 1340.

XXII. Nicolaus II. Crandt *al.* Brandt promisit obedientiam Philippo episcopo Tornac. superstes 1370.

XXIII. Lubertus & Lambertus II. Anschilt & Hauschilt *al.* Hanslilt & Havescilten nobilis Brugensis, doctrina celebris, atque etiam spiritu prophetico illustratus, primarius Burgundiæ, Flandriæ ac Biturigum principum consiliarius, cum tunc ab annis tribus priorem ageret, in abbatem electus est, ipsumque calendis Martii in Dominicam incidentibus an. 1394. Ludov. de la Tremoüille episc. Tornacensis, cui obedientiam C pollicitus est, solemni benedictione perfecit. Porro hic abbas monasticum ordinem ad meliora potius adduxit quam reduxit. Templum ornavit, dormitorium ingens suis cum appendicibus a fundamentis excitavit; precum iniit societates, cum præcipuis ordinis canonici cœnobiis, S. Auberti scilicet in civitate Camerac. S. Eligii in monte, S. Johannis ad vineas in civitate Suession. & cum toto Carthusianorum ordine. Denique an. 1417. ob singulares dotes mitra in concilio Constantiensi decoratus est. Obiit autem hoc anno septuagenarius die 27. Decemb. ut patet ex ejus epitaphio, quod etiamnum in ambitus claustralis D angulo, juxta B. Everelmi vetustam inscriptionem sic legitur: *Anno Dom. 1417. 27. Dec. obiit bonæ memoriæ D. Lubertus Hauschilt, filius Johannis, abbas hujus ecclesiæ, qui cum XIV. esset annorum hanc religionem ingressus, & anno XXXVI. suæ religionis, via Spiritus S. in abbatem electus, rexit ecclesiam annis. . . . . . .* cetera desunt.

XXIV. Johannes VII. Vulre electus in abbatem, benedictus & confirmatus hoc ipso anno 1417. Johanni episcopo Tornacensi obedientiam promisit. Ipsius epitaphium subjicimus: *Hic jacet bonæ memoriæ D. JOHANNES VULRE* E *abbas hujus ecclesiæ, qui obiit anno Dom. 1427. X.* die mensis Augusti. Orate pro eo.*

* VII. ex Sandero.

XXV. Antonius I. Mil *al.* de Mil, Miliguem, ex Sandero. Jurisperitus, ex abbate Dulcis-vallis, uti videtur, præfuit ab an. 1427. ad 1438. quo anno, regiminis XI. die 30. Augusti e vivis excessit, de quo vide in Lamberto, primo abbate.

XXVI. Cornelius I. Zegers *al.* Eeghers in utroque jure licentiatus, rexit ab an. 1438. ad 1450.

XXVII. Antonius II. Bossaert sive Bootsaert ab an. 1450 ad 1458. quo temporis spatio, an. 1452. die 5. Julii statutum episcopi Tornac. & provisorum fabricæ parochialis ecclesiæ S. Walburgis Brugensis, auctoritate apostolica confirmavit.

XXVIII. Nicolaus III. Plante rexit ab anno 1458. ad 1477.

XXIX. Philippus de Beerst patria Brugensis successit an. 1477. 1. Apr. ad 1504. quo anno decessit ex epitaphio sequenti: *Hic* (inter navim & chorum) *jacet reverendus pater D. dominus PHILIPPUS DE BEERST abbas hujus ecclesiæ S. Bartholomæi de Echout, qui obiit anno Dom. 1504. 21. mensis Augusti, cujus anima requiescat in pace.*

XXX. Carolus Trotin Insulensis sedit ab an. 1504.

XXXI. Johannes VIII. Fossaert *al.* Foggaert, decessoris coadjutor ab anno 1537. eidem successit.

XXXII. Cornelius II. Pontcasteel Dunkerkanus, ex abbate Dulcis-vallis per annos 30. hic præerat an. 1541.

XXXIII. Petrus Belchiere *al.* Belleegier & Bellechuer Iprensis, ab imperatore Carolo V. renuntiatus abbas anno circiter 1545. rexit usque ad annum 1571. quo vivere desiit ex epitaphio sequenti, quod habetur in sanctuario: *Abbas PETRUS BELCIRIUS delegit hunc locum quietis corpori, dum spiritus rursus resumto gaudii consortio refloreat. Hac spe laborum devoratis tædiis, seu quercus, ardua pertulit, obduruitque, dum nitorem in pristinum ritus pios reduceret. Obiit anno Dom. MDLXXI. XIV. Augusti. Orate pro eo.* Vide tom. 4. Anecdot. col. 462. D.

XXXIV. Matthæus Longhespée Iprensis, a Philippo II. Hispaniarum rege & comite Flandriæ nominatus abbatiam hanc ab hæreticis violenter occupatam, multisque cladibus concussam ab an. 1578. usque ad annum 1584. in pristinum statum restituit. Obiit 1603. in sanctuario sepultus, sub eadem qua decessor tumba, cum epitaphio sequenti: *D. O. M. ac perpetuæ memoriæ R. DD. MATTHÆI LONGHESPÉE abbatis apud avunculum prædecessorem suum sepeliri volentis, gratitudinis ergo ejus successor Johannes Montanus abbas poni curavit, qui postquam præfuisset annis 32. obiit anno Dom. 1603.* 24. Julii. Ejus anima requiescat in pace*

* 1602. 24. Junii, ex Sandero.

XXXV. Johannes IX. Montanus Brugensis sedit ab an. 1604. ad 1623.

XXXVI. Nicolaus IV. van Troostenberghe & ipse Brugensis, via Spiritus S. electus, & accedente sereniss. Infantis Isabellæ-Claræ-Eugeniæ auctoritate, abbas proclamatus est anno 1623. 14. Nov. Rexit deinde ad 1653. quo viam universæ carnis ingressus, sepulturam accepit in choro, sub hoc epitaphio: *D. O. M. ac reverendis in Christo patribus amplissimisque dominis D. NICOLAO van TROOSTENBERGHE & JOHANNI CHRYSOSTOMO CLAESMAN hujus collegiatæ ecclesiæ abbatibus optime meritis. Primus post laudabile 30. annorum regimen obiit 1. Januarii 1653. anno ætatis 68. profess. 48.*

sacerdotii 43. Decessit alter 28. Martii 1706. A *anno ætatis 58. religionis 39. presbyteratus 33. prælaturæ 4. Requiescant in pace.*

XXXVII. Adrianus van Cattenbronck sedit ab anno 1653. ad 1664. quo decessit, sub eadem qua Philippus de Beerst tumba inter navim & chorum sepultus, cum hoc epitaphio: *Reverendus admodum ac amplissimus dominus* ADRIANUS *van* CATTENBRONCK *hujus ecclesiæ abbas dignissimus quondam debuit mori, hic voluit poni. Obiit an. 1664. 26. Apr.*

XXXVIII. Judocus In Bona ab an. 1665. usque ad an. 1671. quo ex hac vita migravit, ut B liquet ex epitaphio sequenti: *D. O. M. ac reverendis in Christo patribus amplissimisque dominis D.* JUDOCO IN BONA *&* JOSEPHO BEERBLOCK *hujus ecclesiæ abbatibus. Primus obiit 6. Febr. 1671. anno ætatis 73. religionis 57. sacerdotii 40. prælaturæ 7. jubilæi. 7. secundus vero 19. Junii 1702. ætatis anno 90. religionis 72. presbyteratus 63. regiminis 32. jubilæi 22. Requiescant in pace.*

XXXIX. Josephus I. Beerblock ab an. 1671. ad 1702. Epitaphium habet commune cum superiore.

XL. Johannes Chrysostomus Claesman obiit an. Christi 1706. Dominica Palmarum, ætatis suæ anno 58. religionis 39. presbyteratus 33. *prælaturæ* 4. Vide supra in abbate XXXVI.

XLI. Josephus II. Creagh jacet in choro cum hoc epitaphio: *H. S. E. Reverendus admodum ac amplissimus dominus D.* JOSEPHUS CREAGH *abbatiæ hujus Quercetanæ abbas meritissimus, qui post laudabilem in religione vitam perpetuo victurus in cœlo, hic desiit vivere anno 42. profess. 21. dignitatis abbatialis mense vigesimo, die 23. Jan. 1708. In pace sit locus ejus.*

* *Hic sepultus est.*

XLII. Ambrosius Becue obiit 1712. sequenti epitaphio decoratus: *D. O. M. ac piis manibus reverendi admodum ac amplissimi dom.* D *D.* AMBROSII BECUE *hujus abbatiæ præsulis dignissimi, qui spatio 4. annorum & 3. mensium in dignitate abbatiali luxit & exstinctus est XI. Junii 1712. in pace quiescens, amator pacis. Jacet & hic cum sua familia D. Johanna Clara Mincke uxor nobilis D. Johannis Bapt. Becue toparchæ in Werckuichoue, mater prædicti abbatis.*

XLIII. Balduinus de Witte successit eodem anno 1712.

S. TRUDO IN ODEGHEM.

ORigo hujus loci accepta refertur S. Trudoni Brugarum domino, qui cœnobio condito, ubi nunc intra urbem Brugensem templum est B. Virginis, abbatem cum octoginta monachis ibidem collocavit. Eversum autem in Danica & Normannica vastatione, desertum jacuit usque ad tempora Balderici Noviomensis ac Tornacensis episcopi, qui cœnobium instauratum fratribus de Capella dictis, sub regimine prioris, cappas nigras in morem Guillelmitarum gestantibus instruxit. Deinde vero hi fratres, post centum circiter annos, nempe anno 1110. facti sunt canonici Regulares congregationis Arroasiensis, quibus adjunctæ sunt ejusdem ordinis sorores sub unius præfectæ imperio, eorum omnium participes tam in temporalibus quam in spiritualibus, quæ a canonicis possidebantur. Hæc autem forma vivendi perseveravit, etiam ab anno 1122. quo rerum apud Flandros potito Carolo Bono, Canonici cum sororibus alio migrarunt, ad vicum scilicet de Oedeghem, non procul a magno ponte lapideo, extra urbis mœnia. Imo vero substitit quoque, postquam canonici anno 1130. alium locum in oppido Brugensi qui a quercuum multitudine Quercetum dicebatur, nacti sunt a Theodorico Elsatio Flandriæ principe; quanquam enim in veteri extra urbem loco remansérunt virgines, mansit tamen communis prædiorum omnium possessio, usque ad annum 1248. quo plurimis difficultatibus dictos inter canonicos ex una parte & sorores ex altera subortis, demum 21. Augusti ejusdem anni Walterus episcopus Tornacensis consilio & auctoritate abbatis Dulcis-vallis & Margaritæ Flandriæ & Hannoniæ comitissæ, dictas sorores cum priorissa ab C omni jurisdictione dictorum canonicorum, etiam prædiis eorum sejunctis, liberas & absolutas in perpetuum declaravit; ac simul eas transtulit ab Arroasiensi congregatione ad Victorinam Parisiensem, evocatisque monialibus ex asceterio Pontis-Rohardi, loco priorissæ abbatissam præfecit. At vero cum decimo-tertio post anno monasterium fulmine tactum funditus corruisset, moniales haud procul inde, prope viam Curtracensem cœnobium ædificarunt, ibique permansere sub congregatione Victorina, ac deinde ab anno 1459. sub Windeshemensi, lineo utentes habitu, donec anno circiter 1580. Belgici tumultus ad urbem Brugensem illas migrare compulerunt. Sequuntur abbatissæ ex Sandero.

SERIES ABBATISSARUM.

I. USYLIA, ultima inter priorissas sub regimine abbatis & canonicorum Regularium de Querceto, prima fuit abbatissa congregationis Victorinæ an. 1248. Obiit 1261. 16. Sept. in medio capituli sepulta, postquam eodem anno in feriis S. Mariæ Magdalenæ cœnobium fulmine delapso conflagrasset.

II. Margareta I. de Hawe, post annum unum septemque menses e vivis excessit 5. Maii 1263.

III. Gertrudis Roepers præfuit annis sex, & obiit 18. Apr. 1270.

E IV. Catharina I. Standaert sedit annos 26. defuncta 21. Julii 1296.

V. Margareta II. Slote nobili quondam apud Brugenses familia, decessit anno 1297. ultima Decemb.

VI. Catharina II. van Aertrycke præfuit annis 25. mortua 1327.

VII. Elisabeth I. Sjoden duodecim annis in præfectura exactis, obiit 13. Novembris 1346.

VIII. Avesoeta van Ackere rexit annis 15. cujus tempore Balduinus de Vos fratris ejus gener hoc

hoc in cœnobio per hebdomadam sacra quinque fundavit, cum antea sic paupertate premeretur, ut alendo sacerdoti non sufficeret.

IX. Margareta III. Thous post gubernatum cœnobium annis 23. se abdicavit regimine, annisque decem superstes, obiit 12. Maii 1379. in choro conventus ante aram sepulta.

X. Elisabeth II. Clyte, cum præfuisset annos 18. e vita migravit 15. Aprilis 1397.

XI. Maria Brandereels post regimen annorum 22. viam universæ carnis ingressa est 12. Aug. 1419.

XII. Clara Suremont hunc parthenonem moderata per annos 27. postea cessit, indeque vixit annis septem.

XIII. Elisabeth III. vander Schueren post annos undecim cessit officio, superstes annis duobus cum dimidio.

XIV. Petronilla van Aertrycke electa in abbatissam an. 1456. præfuit annis 19. mortua 1475. sub qua reformatio capituli Windeshemensis cum voto se se perpetuo intra monasterii claustra continendi, in hoc parthenone admissa est.

XV. Jacoba Terdelants electa quadraginta duobus suffragiis, cum annorum vix esset triginta trium, virtute ac prudentia ætatem compensante, præfuit annis 37. iniquis bellorum & famis temporibus.

XVI. Cornelia Schons præfuit anno uno, defuncta XI. Martii 1514.

XVII. Catharina III. Ferons regimini admota per annos 17. illud cum vita dimisit 1530.

XVIII. Catharina IV. vander Heede præfuit annis 24. & obiit an. 1555.

XIX. Johanna I. Plas viginti novem annis quibus gubernavit, ter cœnobio pulsa fuit, quod anno tandem 1580. per tumultus Belgicos devastatum est. Defecit anno 1584. sepulta apud Carmelinas Brugenses, cum tunc, ut videtur, degeret Brugis in domo S. Bavonis, quam emerat anno 1566.

XX. Johanna II. de S. Gadea, natione Hispana, præfuit annis 16. & obiit an. 1599. die 3. Julii. Sub qua prædiis aliquot vili pretio, sæviente fame, venditis, acquisitum est vicissim cœnobiolum fratrum tertii ordinis S. Francisci, juxta domum S. Bavonis situm.

XXI. Isabella de Fontaines a Sandero dicitur præsens abbatissa, cujus temporibus e domo S. Bavonis regulari disciplinæ minus commoda Trudonensis conventus, ad prædictum cœnobiolum fratrum tertii ordinis S. Francisci migravit; ubi hactenus, testante eodem Sandero, sub instituto regulari capituli Windeshemensis olim inducto, vivitur.

LES DUNES.

DUNÆ.

ABBATIA B. MARIÆ DE DUNIS, una ex illustrioribus ac opulentioribus totius Belgii, originem habuit fundatore Ligerio anachoreta, quem patria Bituricensem volunt, anno 1107. in agro Furnensi, milliari uno a Furnis, Dunkerkam inter & Neoportum, ac inter monstosa & arenosa maris littora (dunas vocant) unde hoc nomen inditum est monasterio. Ab initio fuit diœcesis Morinensis, tum Iprensis, ac tandem Brugensis; ad quam urbem translata est an. 1626. *vel* 1627 Neque vero absimile videtur eam primum fuisse ordinis S. Benedicti, antequam an. 1137. ad Cisterciensem accederet, sed Savigniaci legibus unquam paruisse nulla suppetunt vetera monumenta, imo contrarium probatur, quod ea inter monasteria, quæ a Savigniaco dependebant, Dunense haud annumeretur. Porro cum sub ipsa incunabula monasterii, plures eo confluerent conversionis gratia quam locus capere poterat, Fulconi abbati, qui Ligerio successerat, visum est anno 1. ejus regiminis, Christi 1128. ad vallem proximam cœnobium transferre. Faverunt in primis canonici Furnenses, horreum amplum a se acquisitum in oratorium aptari curantes, quod episcopus Morinensis consecravit, quibus item consentientibus præsul idem privilegium renovavit de sæcularibus ad sepulturam admittendis; statimque anno seq. omnibus utcumque apparatis conventus ad novum monasterium transmigravit, ad quod accedens hoc ipso anno Theodoricus Alsatius Flandriæ comes inopiæ fratrum compassus, tantum iis de terra dunarum concessit, quantum propriis manibus sub aratro colere possent. Exinde monasterium eo in loco perseveravit usque ad annum 1577. quo ab heterodoxis ac perduellibus Belgii concrematum ac funditus dirutum, monachos solum vertere, novasque explorare sedes compulit. Ad hanc paulo post nova clades accessit, rudera nempe monasterii vi tempestatis ac fluctuum maris ingenti arenæ mole obruta sunt, quibus omnis reditus spes interclusa fuit. Itaque de reædificando alibi monasterio solliciti Dunenses monachi, cum aliquantum temporis huc illucque palabundi errassent, Brugis tandem retento priori nomine sedem fixerunt, ædesque amplissimas eo in loco excitarunt an. 1626. in quo prius extiterat abbatia de Doest quæ, titulo abbatis exstincto, unita fuerat episcopatui Brugensi. De Dunensi monasterio vide fasciculum SS. ord. Cisterc. p. 1. pag. 174. & seqq. & Sanderum, lib. 4. rerum Brugensium, tom. 1. Flandriæ illustratæ, pag. 246.

SERIES ABBATUM.

I. B. LIGERIUS vitam primum anachoreticam duxit, tum vero cœnobiticam, discipulis congregatis, in monasterio, quod ipse ædificaverat, eique præfuit laudabiliter annis 21. ab anno scilicet 1107. ad 1128. quo mortuus est, sed non nisi ab anno circiter 1122. tanquam abbas, quo tempore monasterium in abbatiam erexit Johannes episcopus Morinensis, & ipsum abbatem constituit. De Ligerio legendi sunt Aubertus Miræus in chronico Cisterc. Iperius in chronico Bertiniensi, & Meyerus, lib. 4. annalium.

II. B. Fulco successit anno 2. suæ conversationis in hoc cœnobio, quem perperam tradunt antea monachum Fontis-morigniaci diœcesis Bituric. cum quibusdam fratribus ab Anthelmo abbate

suo missum ad locum istum, ut cœnobium construeret, habitu suo mutato & Savigniacensi assumto; siquidem hoc Fontis-morigniaci cœnobium necdum anno 1127. existebat, nec ullum habuit unquam Anthelmum nomine abbatem. Ut ut est, Fulco, uti jam diximus, vix abbas creatus est, cum excrescente numero fratrum de translatione monasterii ad ampliorem proximam vallem cogitare cœpit, & revera transtulit an. 1129. deinde an. 1137. Theodoricum Alsatium Flandriæ comitem munificum expertus, eodem, inquiunt, anno domum de Claro-marisco inchoavit, quam insequenti, Innocentii papæ II. anno septimo, Ludovici regis Francorum filii Ludovici secundo, Milonis episcopi Morinensis octavo, una cum abbatia de Dunis, in capitulo Claræ-vallis, die Petronillæ virginis, in manu S. Bernardi tradidit, & habitu Cisterciensi assumto ibidem remansit abdicato regimine. Memoratur in menologio Cisterc. die 31. Maii, de quo etiam vide Fasciculum SS. ord. Cisterc. p. 2. pag. 266.

III. Robertus I. de Brugis oriundus, cedente Fulcone, an. 1138. nonis Aprilis abbas constituitur a S. Bernardo, cui erat perquam familiaris, ut patet ex epistolis 336. & 337. nunc 324. & 325. quas ad illum scripsit hic sanctus; idque amplius probatur ex eo quod ab ipsomet S. Bernardo jam animam agente successor electus sit in Claræ-vallis regimine an. 1153. ubi vide tom. IV. novæ Gall. Christ.

IV. Albero, *seu* Albertus Theodorici de Alsatia Flandriæ comitis nepos, monachus Claræ-vallensis a Roberto decessore jam tum abbate Claræ-vallensi abbas præficitur an. 1153. Eugenii papæ III. an. octavo; sed cum aër maritimus ipsius contrarius esset valetudini, regimen transcripsit ei qui sequitur, tumque ad Claram-vallem reversus piissime obiit an. 1161. die 9. Nov. ad quam vide menologium Cisterc.

V. B. Idesbaldus, *seu* Isdebaldus natione Flander, ac hujus cœnobii cantor anno 1156.* cessione Alberonis & sodalium suorum electione creatus abbas, confirmatusque a Roberto Claræ-vallensi abbate, demum ab episcopo Morinensi benedictionem accepit. Illum Theodoricus & Sibilla Flandriæ comites ut patrem venerabantur, & præcipuorum negotiorum consiliis adhibebant. Idem invitatus a Gerardo episcopo Tornacensi interfuit anno 1159. V. nonas Julii cum abbatibus Aldemburgensi & Quercetano elevationi reliquiarum sancti Guathagonis Scotiæ regis, in Oostkercha territorii Franconatus juxta Brugas. An. 1166. præsente & arbitro Milone Morinorum episcopo, testibusque plurimis paciscitur cum Walterio abbate Bergensi, super quibusdam decimis. Ei privilegium contulerat anno superiore VI. idus Febr. Alexander papa III. apud quem ut inter sanctos referretur sanctus Bernardus omnem operam posuit; dignus & ipse qui sanctus haberetur, ut pote cujus corpus annis 1237. 1623. & 1624. 22. Aprilis ita integrum fuit repertum, ac si eodem die vivere desiisset, quanquam pluribus annis aqua propter maris exundationem fuisset coopertum. Sane apud Claram-vallem ipsius imago conspicitur cum hac epigraphe: *Hoc vultu & habitu inventum est integrum & incorruptum corpus beati patris* IDESBALDI, *tertii* abbatis Dunensis, effossumque e ruinis monasterii 13. Nov. anni 1623. cum sepultum ibi fuisset an. 1167.* Itaque ex hac vita subtractus est an. 1167. summo filiorum suorum mœrore, qui ob eximiam illius sanctitatem, eum, præter ordinis consuetudinem, in loculo plumbeo reconditum in ecclesia primum abbatum Dunensium sepelierunt. De hoc vide menologium Cisterc. die 18. Aprilis.

* al. 1155.

Mir. novæ edit. pag. 1315.

* ex quo monasterium ad ordinem Cist. accessit.

VI. Walterus I. de Dickebusch a natali solo juxta Ipras cognominatus, regere cœpit an. 1167. vir tantæ erga pauperes misericordiæ, ut cum aliquando nihil suppeteret quod largiretur, propriam tunicam dederit. Anno 1171. quarumdam terrarum suæ & S. Nicolai de Furnis ecclesiæ anno 1166. a Philippo comite concessarum divisionem fecit cum Hugone abbate S. Nicolai. Memoratur an. 1175. in charta ejusdem Philippi pro Furnensi cœnobio, & iterum in duabus anni 1177. altera pro monasterio S. Augustini, altera pro Thosano, in quod illum Grammaius tradit suorum deduxisse coloniam. Denique an. 1179. se abbatiali munere abdicavit.

Ibid. pag. 712.

Ibid. pag. 1318.

VII. Hacketus de Brugis, quem Gazæus *Haccellum* vocat, primum fuit decanus S. Donatiani Brugensis, inde monachus Dunensis, tum primus abbas Capellæ de Thosan in annos, inquiunt, quatuor, seu potius duos, ac tandem archimandrita Dunensis ex cessione Walteri an. 1179. Testis est anno seq. in charta quadam Philippi Flandriæ comitis, quo etiam anno Heribertum ecclesiæ collegiatæ S. Walburgis de Furnis præpositum, virum in seculo insignem Dunensium benefactorem, ad habitum monasticum admisit. Memoratur insuper an. 1183. in charta ejusdem comitis pro S. Winnoco; quem & ipse hoc anno munificum expertus est in eo quod omnes terras, quas tunc ecclesia Dunensis in officio Furnensi possidebat, liberavit ab omni onere Wateringiæ, & ipsi abbati custodiam Slusarum cum emolumentis commisit. Denique obdormivit in Domino an. 1185. cal. Novembr. ex necrol. Thosano: inscribitur tamen menologio Cisterciensi die 4. Nov. ubi dicitur juxta B. Isdebaldum sepultus.

Ibid. pag. 546.

VIII. Walterus de Dickebusch precibus fratrum inclinatus, defuncto Hacketo, iterum onus abbatiale assumsit, cujus tempore an. 1187. rogatu Philippi Flandriæ comitis Gerardus præpositus S. Donatiani Brugensis & omnes ejusdem ecclesiæ canonici 324. mensuras terræ sub feudo 50. marcharum argenti & 63. arietum dicto comiti in gratiam Dunensis ecclesiæ cesserunt. Cum autem vix annis 4. præfuisset, iterum cessit anno 1189. vel potius obiit, ut asserit Egidius de Roya auctor compendii historiæ monasterii Dunensis. De eo menologium Cisterc. die 28. Aug.

IX. Helias de Coxida a patria cognomen sortitus, pago scilicet territorii Furnensis, ex priore Dunensi fit abbas per cessionem vel obitum Walteri an. 1189. Is qua valebat gratia apud Leopoldum Austriæ ducem, Ricardum Angliæ

regem ab ipsius servitute liberavit circa an. 1192. A ad quem annum & 1189. vide annales ord. Cisterc. Memoratur anno 1197. cum Simone Laudensi & Philippo Bergensi abbatibus in charta quadam Balduini Flandriæ comitis & Hannoniæ, quo etiam anno hic princeps Dunensis abbatiæ possessiones confirmavit, in cujus iterum charta pro Furnensi cœnobio reperitur anno 1202. In bibliotheca patrum ord. Cisterc. an. 1656. edita Coloniæ auctore Tisserio, tom. VI. pag. 131. & seq. ejus duo sermones in capitulis generalibus habiti leguntur, ubi dicitur septimus abbas Dunensis, mortuusque asseritur an. 1203. Sepultus est juxta decessorem suum XVII. calend. Septembris, B quanquam inscribitur menologio Cisterc. 8. Octobris.

Ibid. pag. 1320.

X. Petrus I. vir pius & litteratus successit eodem anno 1203. quem Lambertus episc. Morinensis benedixit. Anno seq. transigit cum Gerardo præposito & capitulo Furnensi sanctæ Walburgis super decima apud Hem. An. 1213. cum Daniele Thosano, Conrado Claræ-vallensi, Roberto Valcellensi & Petro Signiacensi abbatibus confirmat compositionem factam inter Clarum-mariscum & ecclesiam de Loo in Grevela. Idem porro locorum regularium fabricam a decessore inchoatam non modo prosecutus est, summisque im- C pensis in singulas monasterii officinas per meatus subterraneos & canales plumbeos aquas derivavit, verum etiam an. 1214. novæ, qualis nunc cernitur, ecclesiæ fundamenta jecit. Obiit hoc ipso anno IV. cal. Aprilis,* vel sequenti, pro diverso modo annum inchoandi.

**Decembr. et Sandero.*

XI. Amelius eodem anno 1215. benedictus est, cujus permissu ac auctoritate Adami Morinensis episcopi, Simonis capella in fundo monasterii Dunensis constructa est. Item an. 1218. Mathildis Philippi Alsatii Flandriæ comitis vidua, filia Regis Portugalliæ Dunis sepelitur, quæ postmodum ad Claram-vallem translata juxta D maritum suum quiescit. Anno seq. ejusdem abbatis precibus Johanna Flandriæ comitissa monasterii Dunarum limites constituit. Cessit Amelius an. 1221. ac paulo post decessit cum magna sanctitatis opinione.

XII. Egidius de Steene a loco natalium, pago territorii Bergensis sic dictus, quinque annis præfuit, quibus decursis sponte abdicavit an. 1226. quem tradunt an. 1261. fere centenarium devixisse.

XIII. Salomon de Gandavo ex monacho Dunensi Thosanus abbas, Dunensis memoratur 1226. & 1228. ac prima solum sui nominis E littera S. designatus 1231. in charta Claræ-vallis. Hic domum in Dixmuda comparavit an. 1227. obtinuit autem sequenti a Gregorio papa IX. omnium privilegiorum confirmationem; quo etiam anno fundum refugii Brugensis coëmit. Cessit an. 1232. ac mortuus est 1255. idibus Maii.

XIV. Nicolaus patria Balliolanus ex subpriore Clari-marisci electus abbas Dunensis, atque a Radulfo Claræ-vallensi abbate in Flandria tunc agente confirmatus, an. 1235. privilegium obtinuit a Pontifice Romano, quo sacerdotibus ab abbate nominandis liceat famulorum audire *confessiones*, eisque alia sacramenta ministrare. An. 1237. completis novi monasterii locis regularibus juxta vetus constructi, benedictisque capitulo, claustro & cœmeterio ad sepulturam tam monachorum, quam aliorum, qui ibidem sepeliri vellent, ipse in capite cum venerabili sacramento præcedens conventum suum ex dicto veteri monasterio in novum solemniter introduxit. Cumque vetus illud paulatim destruere vellet, majorum ossa exinde statuit adsportare ad novum monasterium, quo tempore corpus B. Idesbaldi jam ante annos 72. humatum, incorruptum & integrum repertum fuit. Ejus tempore an. 1241. Hugo dominus de Steenlant erga hanc abbatiam se munificum præbuit, *apud Mir. novæ edit. pag. 761.* Eidem Innocentius papa IV. duo diplomata impertivit, quibus libertates, privilegia, & possessiones monasterii confirmantur annis 1244. & 1247. Idem præstiterunt Margareta Flandriæ comitissa 1245. & Guillelmus Dampetræus Flandriæ comes 1248. Itemque an. 1246. Henricus Brabantiæ dux & Lotharingiæ liberum ab omni pedagio transitum permisit. Porro hic abbas solitus dicere: *Dunense monasterium montem esse argenteum, modo a sapientibus regatur*, sub se monachos habuit centum viginti,* conversos autem 248.* in omni mechanicarum artium genere exercitatos, quorum opera, multa egregia in monasterio & foris in grangiis ædificia construxit. Vivere desiit an. 1253.* pridie nonas Dec. sui regiminis vigesimo primo.

** al. 130. Gramm. 220.*
** al. 240.*
** al. 1252. et brevi chr. Clari-marisci, tom. 3. Anecdot.*

XV. Lambertus I. (de Trembre) oriundus de Kemla, *al.* de Revila, ex Grammaio, decessori suo a secretis, anno 1254. calendis Octobris novam bonorum ac privilegiorum monasterii confirmationem accepit ab Innoc. IV. & anno seq. IV. nonas Decemb. ab Alexandro IV. facultatem divina celebrandi officia in grangiis & in domibus refugii in civitatibus constitutis. Quinque vero præfuisse dicitur annis, quibus refectorium novum, dormitorium conversorum duplici fornice conspicuum, aliquot officinas & capitulum conversorum exstruxit. Abdicavit regimen an. 1259. nequicquam deprecantibus monachis, eodemque mortuus est.

XVI. Theodoricus de Brabantia antea Dunensis monachus, tum pluribus annis Stephano abbati Claræ-vallensi a secretis, cum eo mortuo Dunas rediisset, in locum Lamberti promotus est. Hic varia privilegia a summis pontificibus, Alexandro IV. Urbano IV. & Clemente IV. accepit annis 1259. 60. 62. & 65. interimque an. 1262. III. idus Oct. novam ecclesiam ante annos circiter quinquaginta fundatam, jamque tandem omnino completam consecrari fecit in honorem B. M. Virginis a Rodulfo Morinensi diœcesano, & Johanne Tornacensi episcopis. Legitur abbas in tabulis Trunchiniensibus an. 1263. in crastino S. Barnabæ apostoli. An. 1265. in civitate Iprensi insignem aliquam domum pro refugio emit a Flandriæ comitissa; & hoc ipso anno abbatiam sponte dimisit, obtenta prius licentia Claræ-vallensis abbatis, tumque fratribus commendavit, ut

Thomam de Gandavo virum mansuetum & pacificum eligerent, in quem omnes consenserunt.

XVII. Thomas I. de Gandavo abbas constitutus an. 1265. præfuit annis 12. quo tempore Prioris domum & juxta illam cellerarii & hospitum ædes in cœnobio construxit, & in Sanda moletrinam, cujus molæ versantur aquarum vi. Emit quoque an. 1271. domum refugii apud Dixmudam, & 1269. sex mensuras terræ, &c. a capitulo S. Pharaildis Gandavensis. Cessit an 1277.

XVIII. Willelmus I. Chucht ex Zelandia ortus, antea prior, regimini admotus est an. 1277. cumque præfuisset annis 3. ultro abdicavit, superstes annis 22.

XIX. Johannes I. de Oostburch, *vel* Oestburch, ex abbate Thosano invitus monasterio Dunensi præficitur an. 1280. Ejus tempore Honorius IV. an. 1285. & Nicolaus IV. 1288. privilegia monasterii confirmarunt; quo etiam sedente Dunis Floruerunt monachi duo, Johannes scilicet de Wardo, primus ex ordine Cisterciensi sacræ theologiæ doctoratum adeptus in alma Parisiensi facultate, & Franciscus Cæsar celeberrimus item sacræ theol. doctor, de quibus vide Bibliothecam scriptorum ordin. Cisterc. Obiit tandem Johannes abbas ætate & laboribus fractus an. 1299. v. cal. Martii, præfecturæ 19.

XX. Jacobus de Bieruliet sub decessore, Nicolai IV. tempore, Romam missus est pro certis monasterii negotiis, quæ tanta pertractavit industria, ut Pontifex ejus doctrina, pietate, aliisque tum naturæ, tum gratiæ dotibus delectatus suum pœnitentiarium creaverit. Et quidem hoc in officio stetit per novem annos, nempe usque ad an. 1298. quo, permittente summo pontifice, ad suos reversus, anno seq. mortuo Johanne, in ejus locum subrogatus fuit. Hoc autem anno 1299. transegit cum capitulo B. Mariæ Curtracensis; ac 1303.* Flandria jam tota bellis æstuante, pedum dimisit.

* *al.* 1301.

XXI. Thomas II. de Ardenborgh cognomento de Sittere, antea cellerarius, creatus abbas an. 1303. Gallorum amicitiam ambivit, qui tunc fere totam Flandriam occupabant, eorumque partes pro virili fovit, sed his brevi tota Flandria expulsis, ipse Parisios fugere cogitur, ubi decessit an. 1305.* sepultus in collegio S. Bernardi ante principem aram.

* *al.* 1303. IX. calend. Junii.

XXII. Willelmus II. de Hulst ex subpriore abbas renuntiatus 1305. suum regimen duorum laterum majoris claustri & lavatorii constructione illustravit. Cessit an. 1318. superstes ad 1324. quo piissime obiit III. idus Octob.

XXIII. Lambertus II. Uppenbroeck, *vel* Uppenbrouck, oriundus de Westootre in Belgio, Claræ-vallensis monachus & abbatis ejusdem loci notarius, an. 1318. in abbatem Dunensem electus est. Eum Ludovicus Nivernensis Flandriæ comes, suis adhibuit consiliis, voluit esse filii sui Ludovici, dicti Malani e sacro fonte susceptorem an. 1330. ipsumque misit legatum an. 1339. ad Regem Francorum Parisiis. Neque tamen sic implicari A aulæ negotiis patiebatur, quin & domesticarum rerum imprimis curam ageret. Porticum ecclesiæ cum duabus capellis summo artificio construxit, duasque turres, quibus ad dormitorium conversorum ascenditur, & claustrum infirmorum, nec non Brugis refugium ædificavit; quodque mirabilius est, ecclesiam ære alieno gravatam sublevavit. Denique postquam annis 37. prudenter rexisset, viam universæ carnis ingressus est octogenarius an. 1354. IV. cal. Junii, *al.* pridie nonas Decemb. sub cujus initium regiminis an. 1319. obiit in collegio Parisiensi S. Bernardi magister Johannes Sindewint Dunensis mona- B chus & doctor eximius, de quo vide Bibliothecam scriptorum ordinis. De Lamberto vero sic Meyerus in annalibus ad an. 1354. *Obiit Lambertus Uppenbrouck abbas Dunensis, qui primus indulsit monachis, ut vinum biberent, eisque singulas pintas quotidie attribuit. Successit Galterus Stryc Capricensis, qui dictam vini portionem duplicavit. Hinc celebris & pergrata eo in cœnobio optimorum illorum abbatum permanet memoria.*

XXIV. Walterus II. Brederoep, *vulgo* Stryck, oriundus de Caprycke, electus 5. Januarii 1354. spatio 22. annorum, quibus præfuit, bona monasterii valde ampliavit, refugii domum Gandavi C emit, multa quoque pretiosa ad usum ecclesiæ thecasque ex argento inaurato fieri curavit. Ex hac vita subtractus est anno 1376. IV. calend. Septemb. in capitulo juxta Lambertum decessorem sepultus.

XXV. Johannes II. Maes, vulgarius tamen Thomæ nuncupatus, oriundus de Bassevelde *al.* de Assevelde, eodem an. 1376. unanimi voto in abbatem cooptatus, statim Romam proficiscitur, ubi a Gregorio XI. benedictionem percepit, primusque tam sibi, quam Stephano abbati Claræ-vallensi jus mitræ & pontificalium impetravit. Tum vero ad Claram-vallem divertens, mitram D insignem cum pontificio diplomate abbati Claræ-vallensi obtulit, quæ usque in præsentem diem ibidem asservatur. Ad suum vero monasterium quod spectat, multa ad ipsius utilitatem & decorem præstitit. An. 1384. compositionem iniit cum capitulo de Trajecto super decimis de Waerde. Juxta ecclesiam condidit sacellum in honorem B. Virginis, in quo missam fundavit quotidianam pro abbatibus; item alterum in infirmitorio ad honorem SS. Cornelii & Cypriani; tertium denique ad portam S. Dionysio sacrum. Studiorum quoque fuit amantissimus, unde aliquot semper monachos Parisiis aluit, ex quibus complures E pietate ac scientia clarissimi prodiere, qui ad alia regenda cœnobia fuerunt assumti. In his Egidius Cupe factus est abbas Regalis-montis in Francia, Nicolaus Maloen in Laude, Johannes Godberons in Claro-marisco, Matthæus Pillaert sacræ Theologiæ doctor, abbas primum Belli-prati, deinde Mortuimaris, procurator ordinis in curia Romana, ubi sacræ theologiæ lauream adeptus doctoralem, agente summo pontifice, creatus est abbas Claræ-vallis, in qua præfuit ab anno 1405. ad 1428. Ceterum cum Johannes noster anno 1406. sui regiminis 30. in gravem lapsus infirmitatem

Brugas delatus fuisset, si quid forte medicorum industria valeret, pie ibidem obdormivit in Domino pridie calend. Octobris, unde corpus ejus revectum ad monasterium, in sacello abbatum, quod ipse in honorem B. Virginis construxerat, sepulturæ traditum fuit.

XXVI. Thomas III. de Corenbytere, oriundus de Caprycke, antea cellerarius, vir litteratus & regularis disciplinæ studiosissimus rexit valde utiliter duodecim annis; sub quo floruit & scripsit Chronodromum suum, id est cursum temporum, in quo de monasterio & abbatibus disseruit suis locis ad an. 1413. Johannes Brando Dunensis monachus, cujus opus integrum exstat B Lovanii tribus tomis in folio in collegio Atrebatensi. Defecit Brugis an. 1418. die incerta, aliis quidem III. cal. Octob. aliis vero ante aliquot menses, ut pote cujus corpus penultima die ante octavam Corporis Christi Dunas relatum volunt, ibidemque, prout exoptarat, in capitulo juxta decessores abbates reconditum.

XXVII. Petrus II. de Foro, oriundus de Hontenesse, ex cellerario præfuit abbas viginti quatuor annis, quibus monasterium opibus & honore non mediocriter auxit, quanquam bellorum procellis tertio conventum suum dispergere coactus est. Denique Brugis in sua Dunensi curia C morti debitum solvit an. 1442. II. idus Octob. unde Dunas translatus, juxta decessores suos conditus fuit cum hoc epitaphio:

Eximitur mundo PETRUS *quadrageno secundo*
Mille quadringentis pastor dum fungitur annis
Octobri lapsis decem quaterque diebus.
Respice, Christe, tui simul & famuli miserere;
Cunctaque possideat cælestis gaudia vitæ.

XXVIII. Everardus van Overtvelt patria Brugensis, professione vero monachus Baudeloensis, Dunensibus inter se divisis circa novi D abbatis electionem, renuntiatus est abbas a Philippo Flandriæ comite. Hydropicus obiit post annos quindecim die 9. Novembris an. 1457.

XXIX. Johannes III. Crabbe, Hulstensis, ex cellerario statim post obitum Everardi electus fuit & in capitulo institutus, præsidente Jacobo de Capella-Thosan abbate. Sed vix ea peracta fuerat institutio, cum adfuere Principis commissarii, qui reprobata electione Jacobum Portugallum, ducis Conimbriæ filium nepotemque ducissæ, pro quo Princeps, Flandriæ scilicet comes, litteras *expectativas* a pontifice Romano acceperat, per vim intruserunt. Verumtamen re ad summum pontifi- E cem Pium II. delata, hic electum confirmavit, litterasque Jacobi subreptitias declaravit; sicque Johannes pacificam adeptus possessionem, summo deinceps cum honore annis fere 31. difficillimis temporibus ecclesiam rexit. Laxiorem disciplinam regularem nitori suo restituit; æs alienum dissolvit; bibliothecam libris tum editis, tum manuscriptis singularibus ornavit. Dehinc Mariæ Burgundæ comitissæ & Maximiliani ejus conjugis adhibitus consiliis, tanta cum prudentia eo se in munere gessit, ut etiam ducalis consilii præses constitutus fuerit, pluriesque nominatus commissarius ad magistratus per totam Flandriam renovandos, maximeque annis 1477. 80. 81. & 86. Idem quoque abbatum Cistercii & Claræ-vallis per totum Belgium vicarius generalis, hanc dum obit provinciam, moniales de Biloka apud Gandavum, & Vallis-virginum apud Aldenardam intra claustra monasterii se se perpetuo continere adstrinxit. An. 1479. rogavit archiducem Maximilianum ut sibi coadjutorem cum jure successionis daret Petrum Vaillant sacræ theologiæ baccalaureum in facultate Parisiensi, idque tandem haud sine maximis difficultatibus obtinuit anno 1482. Rei scilicet moram attulit, imo pene disjecit Antonius de Bergis frater episcopi Camerac. abbas Montis S. Mariæ in Burgundia, qui jam a Gallis occupata Burgundia abbatiam reliquerat & in Belgium confugerat; hic enim circa ann. 1480. & 1481. agente præsertim episcopo Camerac. aliisque aulicis apud Archiducem vix non promotus fuit ad officium coadjutoris, loco Petri Vaillant ab abbate designati. Obiit autem Johannes Brugis an. 1488. ibidemque sepulturæ traditus fuit in sacello refugii. Sub hoc abbate plures monachi floruerunt pietate & doctrina conspicui: in quibus Egidius de Roya, qui Brandonis opus in compendium redegit, Adrianus Budsius qui Brandonis itidem opus compilavit, & historiam ad an. 1487. perduxit, de quibus in bibliotheca Cistercii. Neque etiam omittendus Bartholomæus Danckradi eximius verbi divini præco & suffraganeus episcopi Morinensis.

XXX. Petrus III. Vaillant Brugensis jam ab an. 1482. ab archiduce coadjutor designatus & a Sixto IV. pontifice Romano confirmatus, necnon institutus ab abbate Claræ-vallensi anno seq. demum anno 1488. benedictionem percepit; cumque tribus tantum annis & aliquot mensibus rexisset, interiit Brugis hydropisis morbo anno 1492. unde relatus Dunas, eamdem ac decessores sortitus est sepulturam.

XXXI. Judocus I. de Wevere *al.* Textoris patria Brugensis, vir doctus, migravit a seculo Brugis an. 1495. cui Judocus Badius hoc epitaphium inscripsit:

Hic requiem JUDOCUS *habet Textoris humatus,*
Affatu dulcis, corde benignus erat.
Abbas egregius tres Dunis præfuit annos.
Hinc res mira satis eveniebat ei:
Namque die tali, quo nomen sumsit honoris,
Naturæ lege deficiens moritur.

XXXII. Christianus de Hondt (Christophorum vocat Grammaius) patria item Brugensis, & monasterii subprior bibliothecam ex integro renovavit, & organa pneumatica conflavit. Cessit an. 1509. sui regiminis decimo quinto, & paulo post decessit.

XXXIII. Johannes IV. Teerlynck Gandavensis, sacræ theologiæ baccalaureus præfuit ab an. 1509. ad 1515.* quo vivere desiit. * *al.* 1516.

XXXIV. Petrus IV. de Oudenbourgh Gandavensis, juvenis admodum successit; quem ob

eximias animi dotes senatus populusque Brugensis legatum ad Carolum V. in Regem Hispaniarum recens electum miserunt. Hic etiam annis 1518. & 1519. fuit commissarius pro renovandis in Flandria magistratibus; qui demum Brugis febri correptus obiit an. 1519. IV. idus Martii.

XXXV. Robertus I. le Clercq *vel* de Clercq Atrebatensis, Margaretæ gubernatrici Flandriæ a confessionibus obiit Brugis anno salutis 1557. ætatis 66. præfecturæ propemodum 38. prius in coadjutorem adscito qui sequitur.

XXXVI. Antonius Wydoot Audomarensis, Brugis decessit 1. Nov. an. 1566. sepultus in capitulo Dunensi.

XXXVII. Petrus V. Hellynck Axellensis, sacræ theologiæ licentiatus in facultate Lovaniensi, abbatiali benedictione donatus fuit ultima Decembris an. 1566. Obiit Brugis anno 2. sui regiminis, Christi 1568. die 16. Aug. sepultus in veteri monasterio de Sparmalia extra urbem. Sub eo martyrium passus est Thomas Gabytus, Anglus monachus, quem a patria exsulantem suo monasterio aggregaverat, miseratque in Scapeyam insulam, ubi bonorum præfecturam gereret. Vide Miræum novæ edit. pag. 1322.

XXXVIII. Robertus II. Holman patria Slusanus, antea monialibus novæ Jerusalem, vulgo Sparmaliæ a sacris confessionibus, mortuus est Brugis an. 1579. die 29. Decemb. sui regiminis XI. clam sepultus in sacello pauperum Clarissarum juxta ostium sacristiæ, quia tunc hæretici, devastato jam an. 1577. monasterio, dominabantur in urbe.

XXXIX. Laurentius vanden Berghe alter coadjutor, prior enim Adrianus Fontaine e vivis excesserat, cum tunc essent dispersi monachi, alios sibi adhærentes habuit, alii vero Paschasium Verhel sibi abbatem elegerunt Audomaropoli in refugio Dunensi; unde schisma, quod per annos quatuor duravit: verum sub finem anni 1583. Laurentius suam electionem a Rege confirmari obtinuit, statimque abbas verus & legitimus proclamatus est.[a] An. 1597. Brugis cum suis Neoportum migravit ut bonis suis vicinior esset. Anno 1599. jam antea venditis Audomarensi & Gandavensi refugiis, Brugense quoque monialibus Sparmaliæ vendidit. Anno 1601. conventum suum in villam de Pomario, vulgo *de Boomgaerde*, traduxit, ibique oratorium magnis sumtibus ædificavit. Demum an. 1604. apoplexia percussus, tantam exinde passus est sensuum debilitatem, ut amicorum suasu anno 1606. abbatia cesserit in gratiam nepotis sui Laurentii de Wulf monachi 28. annorum. Verum archidux Albertus, suadente Bernardo de Montgaillard Aureæ-vallis abbate, qui paulo ante Dunas inviserat, pravumque domus regimen observaverat, abbatem nominavit Andream a Quercu, attributa Laurentio mille florenorum & aliquot victualium pensione; is vero statim ad monasterium Groeninganum, cujus soror Elisabeth vanden Berghe abbatissa erat, ac priorissa neptis, secedens, ibidem ex hac vita migravit an. 1611. sepultusque est ante summum altare duas inter abbatissas sororem & neptem sub hoc epitaphio lapidi sepulcrali inciso.

Triplex sepulcrum cernis uno marmore tectum,
Viator, cerne & manibus bene apprecare.
Frater hic medius jacet, sororque dextrum possidet
Busti latus, neptis sinistrum. Cura, virtus,
Dignitas, habitusque, cultus unicus tribus fuit.
Reliquum, viator, suspicare & ambula.
Obiit 1611. 26. Augusti.

XL. Andreas a Quercu *du Quesne*, Athensis patria, Laudensis monachus professione, sacræ theologiæ licentiatus, & Marquettæ monialibus a sacris confessionibus, a Principe, ut dictum est, nominatus, tumque a Claræ-vallis abbate confirmatus, sub initium anni 1607. Dunas accessit; ibique laudabiliter præfuit tribus annis cum dimidio. Obiit enim die 3. Augusti anno 1610. sepultus in choro villæ de Bomgaerde, ubi tunc, eluvione maris submerso monasterio suo, Dunenses fixerant sedem.

XLI. Adrianus Cancellier Dunkerkanus decessit anno 1623. 16. April. ipso die Paschatis, abbatialis dignitatis an. 13. sepultus cum decessore. Ejus vitam conscripsit D. Carolus de Visch ejusdem monasterii prior, quæ an. 1656. typis Brugensibus edita fuit, & anno seq. in Belgicam linguam translata a quodam Carthusiano. De eo etiam disserit Chrysostomus Henriquez initio libri, cui titulus *Fasciculus sanctorum*, & part. 2. pag. 372. Vide biblioth. scriptorum ord. Cisterc. pag. 5.

XLII. Bernardus I. de Campmans Duacenus, institutus abbas die 1. Julii* an. 1623. statim a clero diœcesis Iprensis eligitur, qui suo nomine comitiis Flandriæ præsideret, quo in munere postea servatus est a clero diœcesis Brugensis. Idem quoque summi pontificis auctoritate & abbatis Claræ-vallensis, vicarius & visitator generalis ordinis Cisterc. in Belgio creatus, dum antiqui Dunensis monasterii jam pridem diruti lateres magnis expensis ad alium locum transvehi curat, B. Idesbaldi tertii abbatis corpus integrum repertum, ad novum templum solemni pompa detulit. An. 1624. conventione facta cum episc. Brugensi super distractione monasterii Thosani ab episcopali mensa, mox dictum cœnobium filia Dunarum cum sua matre coaluit; nec multo post, anno videlicet 1627. die 3. Maii conventum suum ad refugium Thosanum transtulit, ubi anno seq. novi monasterii fundamenta jecit, illudque majori ex parte consummavit, tanto quidem splendore, ut vix aliud ejusdem ordinis adeo splendidum, splendidius nullum reperias. Hunc abbatem Sanderus vocat *singularem bonarum artium patronum* in epistola nuncupatoria suo Flandriæ hagiologio præfixa an. 1639. Obiit 20. Decemb. an. 1642. ætatis an. 61. regiminis 20. cujus tempore admissus est in monachum Dunensem Johannes Caramuel scriptis suis toto nunc orbe clarissimus.

* *al.* 18. Junii.

[a] *al.* Dicitur electus 10. Maii 1584. institutusque in monasterio de Laude, ubi ob funditus eversum monasterium Dunense, præfatus Laurentius morabatur cum nonnullis monachis Dunensibus.

XLIII. Judocus II. de Corron, Athensis, monachus primum Dunensis ac prior, tum regia nominatione prior Warschotanus in annos 12. tandem mortuo Bernardo, electus fuit abbas 21. Nov. 1643. & a Rege catholico nominatus 16. Febr. 1644. sed anno duntaxat 1645. calendis Aprilis institutus. Defecit an. 1648. 10. Febr.

XLIV. Bernardus II. Bottyn ex priore instituitur abbas 21. Martii an. 1649. vir in omni disciplinarum genere versatissimus, qui paulo post creatus fuit per totum Belgium vicarius generalis, eoque munere fungebatur an. 1652. Obiit anno seq. ætatis 45. dignitatis abbatialis 5. obdurati calculi violentia oppressus.

XLV. Gerardus de Baer, *seu* de Bare, electus 7. Aprilis 1654. ac in possessionem missus 30. Maii ejusdem anni, die sequenti ultima mensis benedictionem percepit ab episcopo, ex commissione vicarii generalis. An. 1657. a clero diœcesis Brugensis electus fuit in commissarium apud ordines Flandriæ ad tres annos, & rursum anno 1660. ad alterum triennium. Quo etiam anno 1660. mortuo Loci S. Bernardi abbate per Belgium vicario generali, hanc illi mox dignitatem contulerunt Cistercii & Claræ-vallis abbates. Huic Bertrandus Tissier prior Boni-fontis in Theorascia nuncupavit bibliothecæ suæ Cisterciensis tomum v. &c. cum jam Carolus de Visch prior Dunensis suam ei bibliothecam scriptorum ord. Cisterc. an. 1655. dicasset. An. 1663. benedixit ac instituit Mariam vander Elst in abbatissam Vallis cœli. Denique fatis concessit an. 1666.

XLVI. Michaël Bultynck, Thiletanus, electus 7. Aprilis 1667. haud multo post benedixit, ac in possessionem misit Helenam vander Linde abbatissam Vallis cœli, itemque an. 1671. Mariam Zannequin. Moritur 1678.

XLVII. Eugenius vander Velde, Brugensis, cessit ac mortuus est 1680.

XLVIII. Martinus Collé Iprensis obiit 1698.

XLIX. Lucas de Uriese, Iprensis, abbas Dunensis & ordinis vicarius generalis, die 3. Sept. anni 1700. Constantiæ Ghellinck abbatissæ de Terhaghen benedictionem impertivit; itemque an. 1713. 10. Maii Aldegundem Moniot abbatissam Vallis cœli constituit.

NOVA JERUSALEM, *vulgo* SPARMALIA.

ORdinis Cisterciensis parthenon diœcesis olim Tornacensis, modo Brugensis, & quidem in ipsa urbe primaria, initia sua debet nobili mulieri Gelæ seu Ghelæ, quæ an. 1200. sacellum in honorem S. Petri aliaque loca monastica exstruxit sub parochia de Slipis in loco dicto *Hunkevliet;* idque patet ex litteris Innocentii III. hanc fundationem eo ipso anno, sui pontificatus tertio, pridie nonas Augusti confirmantis, quas vide inter instrumenta. Hoc tamen monasterium *Nova terra* tunc appellatum, vix absolutum erat an. 1235. cujus scilicet locum, qui dicitur *Hunkevliet in Slipen,* Johanna Flandriæ comitissa suam in tutelam

Ch. XIV. col. 360.

A hoc anno* suscipit, & ad ædificandum ibidem monasterium monialium ord. Cisterc. suum liberaliter & benigne præbet assensum, ipsumque monasterium ab omni servitute liberum facit. Ejus exstant litteræ inter instrumenta; uti etiam conventio, quæ hoc ipso anno 1235. Dunensi abbate reclamante, quod hic parthenon propius suæ grangiæ de Hem ædificaretur, inter utrumque monasterium facta est de finibus intra quos iisdem acquirere liceret, a B. Camberonensi & W. Laudensi abbatibus, dum scilicet hi duo de mandato capituli generalis ad Novam terram S. Mariæ in Slipis ordinis aggregandam accessB erunt. Verum an. 1239.* moniales istæ a loco de Hunkevliet, qui curtis remansit, migrarunt in parochiam de Ziezele juxta Brugas, ubi Egidius de Brene canonicus S. Donatiani Brugensis, idemque præpositus S. Salvatoris Harlebecensis & Flandriæ cancellarius, fundavit illis monasterium in loco *Sparmalia* dicto, obtento consensu præpositi & capituli B. M. Brugensis, quorum in patronatu locus ille situs est, novumque istud monasterium *Novam Jerusalem* voluit appellari. Hoc autem constat ex litteris Thomæ Flandriæ & Hannoniæ comitis & Johannæ uxoris ejus, datis hoc anno 1239. quibus hanc Egidii donaC tionem & cœnobii translationem confirmant. Deinde, an. 1245. Innocentius IV. pontifex Romanus, & 1256. Alexander IV. bona omnia monasterii hujus Novæ Jerusalem comprobarunt; quibus adde Walterum Tornacensem præsulem, qui an. 1249. donationes Margaretæ comitissæ Flandriæ & Johannis de Praet in gratiam novellæ abbatiæ de Jerusalem, *vulgo* Sparmaliæ, collaudavit. Ceterum novi cœnobii fundator Egidius de Brene obiit an. 1270. nonis Decembris, sepultus in hoc monasterio sub insigni mausoleo ante principem aram, cum leone nigro sub pedibus suis.

* *1230. ex chr. Cisterc. apud Mir. quo anno Greg. IX. Pontifex ibidem dicitur hanc fundationem approbasse.*

Ch. XV. & XVI. col. 360.

* *1241. ex chr. Cisterc. apud Mir. pag. 188. ex Grammaio & Meyero.*

Ch. XVIII. col. 361.

Mir. nova edit. pag. 324.

D

SERIES ABBATISSARUM.

I. DIADELA obiit 17. Septemb. an. 1252. cui successit Liegardis, *ex Meyero.*

II. Agatha vivebat 1279.

III. Maria I. tertia abbatissa decessit XI. Augusti.

IV. Catharina I. van Cassel, *al.* de Casleto, sedebat 1295. consignatur in necrol. die 20. Octobris.

V. Catharina II. Hallwyn nobili gente procreata, ex qua duæ memorantur abbatissæ S. Claræ Brugensis, migravit a seculo 18. Nov. 1303.

VI. Adelisa Wyttenthuyns Aldemburgi nata E florebat 1304.

VII. Catharina III. van Weyden notatur in necrol. 23. Novembris.

VIII. Elisabetha I. van Spieghet, *al.* de Spegel, an. 1318. cellerariæ officio fungebatur. Inscribitur necrologio 26. Febr. cujus tempore anno 1321. Guillelmus abbas Cistercii sororibus in grangia Hunkevliet degentibus usum carnium indulget ob aëris intemperiem, instante necessitate & aliorum ciborum indigentia.

Ch. XIX. col. 362.

IX. Gertrudis Peeksteen erat quoque cellararia 1327. electa vero abbatissa 1330. chartas

monasterii in unum codicem redigi curavit an. 1333. Vivebat adhuc 1344. cujus necrologium meminit 28. Septemb. A

X. Folquina, *seu* Volquidis, *ex Meyero*, filia Lamberti Ricquewaert, ex pago de Lisseweghe oriunda, omnia bona sua monasterio contulit, fato functa 1363. cujus hoc epitaphium legitur:

Prospice mortalis, qui degis sub necis alis,
Ut mundi flores fugias vanos & honores,
Vivendi formam faciendo docet bene normam
Hæc abbatissa FOLQUINA *quæ pulvere missa*
De LISWEGE *sata* LAMBREGHTS
RIQUARTS. B
Ipsa sui juris linquens mundum morituris
[*an. 1314.] *Se, sua dans Christo,* claustro monachatur in isto.*
Moribus & vita nituit virtute polita.
Fastum depressit, sceptrum post dextera gessit.
M. sexaginta migrat tribus adde trecenta
Martii professo, rogo, Christe, sui memor esto,
Regno cælorum quæ sit consors agiorum.

XI. Beatrix van Cruystraete Gandavensis præerat 1364. de qua necrologium 9. Febr.

XII. Liedgardis viginti in claustro egerat annos, cum sedere cœpit. Vivere desiit 20. Junii.

XIII. Cecilia Pleums, *al.* Pluenis, moritur 25. Novemb. C

XIV. Willelma Bampoels sedebat 1390. de qua necrologium die 3. Novemb.

XV. Catharina IV. van Acker præerat 1408. Notatur in necrol. 27. Januarii.

XVI. Margareta I. Bodekins 1415. & 1416. mortua 10. Febr.

XVII. Margareta II. van Heeghene 1424. & 1429. Cessit e vita 18. Nov.

XVIII. Jacoba I. Rattinghem consignatur in necrol. 21. Octob.

XIX. Maria II. Meyers 1447. 67. & 68. obiit 8. Decemb. D

XX. Judoca Bastons electa 1468. reperitur annis 1474. 77. & 83. de qua necrologium 22. Febr.

XXI. Margareta III. Dierix, *al.* Mangarda Jandierix sedebat 1496. 98. & 1502. obiit 8. Martii.

XXII. Francisca I. Lampaerts 1503. 1506. & 1513. Notatur in necrol. 17. Octob.

XXIII. Jacoba II. Crabbe 1518.

XXIV. Elisabeth II. van Wommene, *al.* Woumen 1523. 24. & 25. Obiit 14. Aug. 1548.

XXV. Johanna de la Rogiere 1549. mortua 16. Decemb. 1550. *vel* 56.

XXVI. Catharina V. Beydts 1558. 62. 70. & 75. cujus tempore sacer ipsius conventus post cladem anni 1566. & aliorum, in oppido Brugensi hospitium Dunense habitavit, commemoratur in necrologio 25. Nov.

XXVII. Anna Castelleyns 1578. 79. & 80. cujus necrologium meminit 2. Julii 1584.

XXVIII. Francisca II. de Bejar an. 1600. Dunarum refugium acquisivit. Cumque viginti duos annos præfuisset, cessit an. 1606. ac decessit 1608. die 26. Aprilis.

XXIX. Maria III. de Ramires antea priorissa, rexit annis 43. quibus fundavit & ad optatum finem perduxit novam ecclesiam tribus insignem fornicibus, totidem altaria subjecta habentibus, quorum medium ceteris elatius sanctissimæ Trinitati sacrum est, alterum a dextris, B. Mariæ Dei-paræ, tertium denique SS. Johanni Bapt. & Bernardo. Hæc autem ecclesia consecrata fuit ab episcopo Brugensi Servatio Quinckerio anno 1634. die 8. Octobris. Maria insuper abbatissa omnia loca regularia fundavit, ambitum & bina dormitoria, monialesque septemdecim & quinque conversas ad professionem admisit; ac denique obiit anno 1648. cujus temporibus hujus loci alumnæ Barbara Casenbroot Vallis cœli monasterium & Susanna Pardovan monasterium prope Ruremundam regendum susceperunt.

XXX. Ludovica Trutia electa 17. Januarii 1649. jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Sub hac urna resurrectionis tubam expectat pia & venerabilis D. D.* LUDOVICA TRUTIA *abbatissa hujus monasterii 30. Tu viator expectanti requiem, resurgenti perfectæ beatitatis gloriam adprecare. Præfuit annos 4. Devixit 11. Octobris 1652. Requiescat in pace.*

XXXI. Catharina VI. Rugeley electa XI. Jan. 1653. vivere desiit 1662.

XXXII. Bernarda Veranneman Trist nacta possessionem 14. Julii 1663. benedictionem percepit 12. Aug. ejusdem anni. Mortem oppetiit 25. Octob. 1684.

XXXIII. Theresia Verveere religionem professa 1645. 22. Aug. abbatiali benedictione donatur 14. Januarii 1685. superstes an. 1712.

VALLIS COELI, *seu* DOMUS COELI.

vulgo HEMELSDAELE, *or* HESENDAEL.

HÆC abbatia virginum ord. Cisterc. sumsit exordium anno 1237. in Eessene, pago Franconatus Brugensis, medio circiter milliario ab urbe Dixmuda, in villa *Hiedt* nuncupata, fundatrice domicella Elisabeth van Steinfort,[a] quæ ad hoc opus omnia bona sua contulit, in manu abbatissæ de Reclinatorio B. Virginis, ut patet ex ipsius charta in appendice relata. Nunc vero stat in urbe Brugensi, postquam sæpius mutavit sedem, ut infra videbimus.

[a] Ch. XVII. col. 361.

[a] Grammaius eodem anno fundatam scribit, sed a Balduino viro nobili, Margareta & Alcyde filiabus probantibus, Johanna etiam comitissa & Elisabeth Beverensi, Dixmudæ domina, sequenti anno factum ratum habentibus.

SERIES ABBATISSARUM.

E

I. MATHILDIS I. volente abbatissa de Reclinatorio, prima novo monasterio præficitur. An. 1238. mense Martio locum, in quo fundandum erat cœnobium, subjectum domino castellano de Dixmuda, ab omni jure feodali & servitio seculari eximi procuravit, annuente Johanna Flandriæ & Hannoniæ comitissa, quod & sæpius ejusdem successores confirmarunt. Petrus etiam Morinensis episcopus, rogatu Flandriæ comitis, quantum in se fuit, monasterii fundationem anno 1242. comprobavit. Moritur anno seq.

Elisabeth

Elisabeth fundatrix, quam secuta est Mathildis A abbatissa 1257. condita in ipso monasterio in Eessene.

II. Maria I. Haerlebecana successit, cujus tempore an. 1266. Guido & Margareta Flandriæ comites villam quamdam juxta Ipras ad Orientem, versus viam Cominiensem, fisco suo addictam propter homicidium a Margareta le Meyde in proprium maritum Michaëlem van Torhoudt perpetratum, cum 33. mensuris & 63. virgis terræ in eleemosynam dederunt, quatenus eo monasterium transferetur ex Eessene, iisdem omnino, quibus antea gaudebat, libertatibus retentis; ac insuper dicti comites decreverunt Theo- B doricum le Meyde 200. libras Parisienses monasterio soluturum, quibus annuus aliquis census emeretur, ut in eodem cœnobio annuatim in perpetuum celebrari posset anniversarium pro anima Michaëlis van Torhoudt. Dehinc an. 1270. Maria pepigit cum cœnobio S. Martini Iprensis, de jure patronatus, quod ipsum habebat in loco ubi recens Vallis cœli monasterium erat constructum. Quo etiam anno Salomon Moriin civis Iprensis capellaniam perpetuam hoc in monasterio fundavit, cujus collationem ac præsentationem contulit abbatissæ, probantibus Flandriæ comitissa hoc anno & episcopo Morinensi 1281. C Verum an. 1293. sanctimoniales Vallis cœli suum rursus monasterium Ipris ad pagum Franconatus Brugensis, dictum Werchene *seu* Werckem, Dixmudam inter ac Thoraltum transferendi facultatem obtinuerunt a comite Flandriæ, episcopo Tornacensi, & a capitulo generali Cisterciensi: Imo vero sub excommunicationis pœna id monialibus præceperunt Theobaldus Cisterciensis & Johannes Claræ-vall. abbates. Itaque sub hoc tempus abbas S. Eligii Noviom. parochiæ Werchenensis patronus locum in Werchene ad habitandum, annuente Johanne episcopo Tornac. dictis monialibus concessit, eædemque an. 1295. locum D in Werchene, ubi constructum erat monasterium, aliamque terram ab abbatissa & conventu de Bello-loco, nunc Peteghem, juxta Aldenardam pro mille libris monetæ Flandrinæ coemerunt. Supervixit Maria tribus annis ab hac secunda translatione, jamque monasterio rite constituto, migravit ad Dominum an. 1298. regiminis 40.

III. Agatha tertio loco Vallem cœli gubernavit annis circiter 36. cujus tempore Maria comitissa Namurcensis amita Ludovici Maleani Flandriæ comitis an. 1306. perpetuum sibi pro 15. libris Flandrinis anniversarium fundavit. Decessit Aga- E tha IX. cal. Aug. an. 1334. sortita sepulturam in capitulo.

IV. Catharina I. de Ardenbourgh instituta 1335. sedit annos 16. ad annum scilicet 1351. quo, pridie idus Junii mortalitatem explevit, in capitulo sepulta.

V. Mathildis II. Vastrel obiit an. 1361. XII. cal. Maii, sepulta in capitulo.

VI. Maria II. de Cortraco post annos circiter 30. in pace quievit an. 1390. III. cal. Martii, sepulta in capitulo.

VII. Anna I. de Isendiiche decessit an. 1411. in capitulo tradita sepulturæ.

VIII. Paschasia I. Schranen, postquam annos fere 14. rexisset, obiit 1425. pridie nonas Aug. humata in capitulo.

IX. Danielis de Monte vivere desiit die 3. Junii an. 1442.

X. Catharina II. Mols e vivis excessit III. idus Jan. an. 1465.

XI. Amelberga Brandis fato concessit IX. cal. Novemb. 1482.

XII. Petronilla instituta fuit abbatissa an. 1483: bona certe monasterii fortuna, quod variis debitis exoneravit. Naturæ debitum solvit nonis Jan. 1501.

XIII. Paschasia II. Boudens ex alio monasterio sumta, istud per decennium aut circiter gubernavit, ac deinde cessit, ad locum suæ professionis regressa, de qua necrologium VII. cal. Julii.

XIV. Adriana Timmermans obiit pridie idus Decemb.

XV. Christophora de Barbanzon monialis primum Bello-pratensis juxta Gerardimontem, tum abbatissa Groeningensis, ac postremo Vallis cœli, hoc utrumque monasterium rexit usque ad annum 1535. quo rem temporalem sub sua providentia minus feliciter se habere animadvertens, utrumque transcripsit, & hoc quidem Clementiæ van Voorspoel, quæ sequitur, illud vero Ceciliæ Denys. Deinde ab Bello-pratum reversa, ibidem suos absolvit dies an. 1546.

XVI. Clementia van Voorspoel filia viri nobilis Johannis van Voorspoel & Gestæ de Haveskerche, ex Vallis-Rosarum sanctimoniali, cessione superioris, facta est abbatissa Vallis cœli. Præfuit annis 14. quibus feliciter exactis, vitam cum morte mutavit die 7. Nov. an. 1559.

XVII. Anna II. Stormers ineunte an. 1560: instituta, pacifice rexit usque ad an. 1578. quo per hostes Regis catholici everso funditus monasterio, bonisque omnibus fisco addictis, abbatissa cum suo conventu, Brugas primum, tum ad refugium Dunense confugiens, ibi multo tempore mansit. Sed cum an. 1606. Claræ-vallensis abbas Flandriæ monasteria suæ jurisdictioni subjecta perlustrans, has moniales sine monasterio reperisset, easque tam paucas, ut regularis disciplina observari vix posset, evocatam e monasterio de Braella juxta Basseam Mariam Delville iisdem monialibus præfecit, cui deinde post annum aut circiter accessit abbatialis dignitas, ex cessione Annæ, quæ tandem octogenaria major decessit 5. Junii an. 1609. & fuit sepulta apud Griseas sorores Dixmudæ.

XVIII. Maria III. Delville nobili genere nata, antea, uti mox diximus, Braellæ sanctimonialis, statim a promotione sua de fundando monasterio cogitavit. Itaque an. 1617. hortatu Adriani Dunensis abbatis & consensu tum Flandriæ principum, tum magistratus Dixmudensis, conventum suum Dixmudam transtulit, ibique in loco totius civitatis amœnissimo, juxta portam Iprensem, emtis aliquot ædibus & fundis, novi monasterii fundamenta jecit; tandemque perfectis templo,

ambitu seu claustro, dormitorio, & magna muri parte monasterium contingentis, quievit in pace an. 1623. die 9. Maii, sepulturæ tradita in choro sacerdotum juxta gradum presbyterii.

XIX. Barbara I. Caesembroodt soror Judoci toparchæ de Oostwinchele, ex priorissa Sparmaliæ in civitate Brugensi, invita promovetur in abbatissam 29. Julii 1623. a Bernardo Dunensi abbate, cujus potissimum opera, Tridentini concilii decretum de monialibus intra monasterii claustra perpetuo continendis, suo conventui promulgavit, & exsecutioni demandavit. Cœnobii quoque murum exteriorem, & alia plura necessaria perfecit. Moritur an. 1646. 8. Aug. ætatis 67. professionis 42. dignitatis 24. sepulta Dixmudæ in choro sacerdotum.

XX. Barbara II. de Vriese electa 1647. benedictionem percepit a Judoco Coron Dunensi abbate. Obiit vero 1661. 21. Novemb.

XXI. Maria IV. vander Helst ex priorissa, prævia Regis Catholici nominatione, instituitur abbatissa 9. Junii 1663. a Gerardo de Baert abbate Dunensi, ac die sequenti ab eodem benedicitur. Rexit quatuor annis cum duobus mensibus, mortua scilicet 14. Aug. 1667. ætatis anno 58. professionis 37.

XXII. Helena vander Linde cum esset novitiarum magistra, instituta fuit abbatissa per Michaëlem Dunensem abbatem, qui & ipsam solemni benedictione donavit. Præfuit solummodo diebus 21. fato prærepta 17. Decemb. 1670. ætatis suæ anno 50.

XXIII. Maria V. Zannequin erat priorissa, quando sedi abbatiali imposita fuit, & benedicta 26. Julii an. 1671. a Michaële Bultinck abbate Dunensi. Vix autem mensis elapsus erat, cum Regis jussu ad arcem construendam, urbisque propugnacula, solo æquatur monasterium. Tunc abbatissa conventum suum Brugas transtulit, summisque laboribus & expensis domum construere cœpit 14. Aug. 1672. qua duobus post annis perfecta, ecclesiam an. 1676. ædificavit. Obiit 14. Jan. 1688. anno regiminis 17. ætatis 63. professionis religiosæ 47.

XXIV. Bernarda de Platevoet a Rege nominata die 24. Febr. an. 1688. benedicitur 28. Martii ejusdem anni ab abbate de Bodeloa. Diem clausit extremum Insulis an. 1693. sepulta in cœnobio Laudensi.

XXV. Francisca Erreboot, *al.* Errebort, postquam cellerariæ munus per annos 23. exercuisset, nominata est abbatissa 20. Aug. 1693. & ab abbate Claræ-vallensi confirmata 17. Nov. ejusdem anni. Obiit vero die 20. Jan. 1713.

XXVI. Aldegundis Moniot instituta 10. Maii 1713. a Luca de Vriese abbate Dunensi, benedicitur ab abbate Villariensi 14. Junii.

CLARISSÆ

sive URBANISTÆ BRUGENSES.

Hoc cœnobium fundatricem agnoscit anno 1260. nobilem quamdam puellam in diœcesi Coloniensi, *Ermentrudem* nomine, post acceptam a Romano pontifice Alexandro IV. licentiam. Porro ante motus civiles in hoc monasterio quinquaginta moniales degebant, nunc vero triginta quatuor, inquit Sanderus, qui quidem ab ejus fundatione ad sua tempora triginta-septem abbatissas eidem præfuisse asseverat. Tres duntaxat ad nostram pervenere notitiam.

I. JACQUELINA DE HALLWIN &

II. Clara de Hallwin, ambæ sorores, filiæ Walterii IV. domini de Hallwin, qui obiit 1441. & Jacquelinæ de Wich; Ita D. du Fourny *hist. des grands louvetiers de France.*

III. Adriana Stalpaert, Brugis ac Brugensibus nata præerat, Sandero superstite, abbatissa XXXVII.

IPRENSIS ECCLESIA.

IPRA, Belgis *Iperen*, Gallis *Ipre*, civitas in occiduo Flandriæ tractu, cujus caput est, situm habet in valle quadam & uliginoso loco. Ipram peroptimum castrum vocat Sugerius abbas in vita Ludov. Crassi Franc. regis: Rigordus in gestis Philippi Aug. & Will. Britto in lib. 9. Philippidos Ipram quoque appellant. Ipretum autem dicitur in decretalibus Gregorii papæ IX. lib. 1. titulo 42. de alien. judic. mutat. cap. 1. Urbs est ampla, pulchra, munitissima, a Septentrione centum sexaginta circiter stadiis distantem habet Oceanum, a Meridie vero stadiis octo & quadraginta a flumine Legia disjuncta est, quorum usu & opportuna commoditate omnibus ad vitam necessariis abunde instruitur. Æquali autem tredecim milliarium ab Atrebato & Gandavo intercapedine abest, novem a Brugis & Audomaropoli, totidemque a Tornaco, ab Insula vero, Corturiaco & Casleto quinque, a Neoporto & Furnis sex, a Dixmuda quatuor, a Bellula *seu* Balliolo tribus leucis dissita, castellaniæ ac vicecomitatus titulo insignis est. Porro Ipretum ab arboribus sic dictum volunt aliqui, quas indigenæ Yepen *vel* Ypreaux vernacule appellant, quæ arbor ulmi genus est ibi frequentissimum, sed molliore vena & erectius, ambulacris aptum, pascuis gratum, & structuris conveniens, a quibus urbi nomen inditum, quanquam non desunt, qui ab fluviolo Ipreleto nominatam urbem arbitrentur.

Porro hic amnis nonnihil supra urbem nascitur parum commodus, nisi quod ad tincturam pannorum serviat, ac navibus ineptus; permiscetur vero tribus ab urbe leucis Isaræ fluvio, ac citra ultraque Dixmudam lapsus, tandem findens se, hinc Neoportum, inde Aldenburgum ad usque Brugensia mœnia devolvitur, ubi nomine Ipreleti amisso in Rejam Brugensem influit. Anno autem 1639. amotis aquarum repagulis in Ipreleto fluviolo fodi cœptus alveus ad commodiorem navigationem, regia auctoritate, contra nitentibus aliis quibusdam in Flandria oppidis.

Ipram longe ante Normannorum invasionem exstitisse quorumdam est opinio, quos inter Buzelinus annal. Galloſl. lib. 1. qui ante tempora Clotarii Francorum regis Ipram stetisse suspicatur, infestam prius a Pleumosiis urbem: sed hæc sententia incerto nititur fundamento; veteribus quippe litteris ac omnibus pene antiquitatis monumentis hac tempestate sublatis, caligine obducta sunt omnia: a barbarorum igitur recessu, natales urbis ac progressus repetendi. Balduino itaque cognomento Calvo Iprense Castellum suam debet originem, cujus erectio, vel potius a Normannis diruti restauratio consignatur anno 902. in annalibus Flandriæ; restauratum Arnulfus Balduini successor munivit, Balduinus alter 57. post annis auxit, Robertus Frisius ad annum 1070. ornavit, quod & Theodoricus Elsatius ad annum 1138. fecisse perhibetur: ad eam denique crevit magnitudinem, ut sub Margareta Flandriæ comite anno 1247. ducenta hominum millia Ipræ censa fuerint; at non nisi an. 1388. sub Philippo Audace lapidibus cingi cœpta civitas, mœnibus antea cespitibus spineis ligneisque sepimentis solummodo compactis. Muros nunc habet eminenti propugnaculorum mole instructos, portas sinuoso viarum anfractu, fossas altitudine ac latitudine justa ac sufficienti, quibus adjectæ sunt seculo proxime elapso, novæ munitiones, quæ situs robori junctæ reddunt urbem validissimam, & oppugnationis diu sustinendæ capacissimam.

In diuturno contra Hispanos bello semel atque iterum capta est, tertio tandem expugnata an. 1678. pacis Neomagi factæ conditionibus Franciæ cessit anno sequenti, cujus imperio subdita paruit ad annum 1714. quo iterum in ditionem domus Austriacæ concessit, pacto Ultrajecti ad Rhenum fœdere Cæsaream majestatem inter & regem Christianissimum.

Tres sunt in urbe Justitiæ administri, prætor scilicet comitis, item prætor alter portus, & tertius, quem scultetum vocant, qui partito quasi inter se munere, singuli fines suos & limites habent. Porro rem-publicam Iprensem regit consilium majus urbis, (quod alibi magnum senatum, seu magnam communitatem vocant) ex sex collegiis conflatum: minus ex duobus membris; ordinarium ex unico, uti loquuntur, scabinagio, in quibus singulari industria temperata sunt omnia, ne senatus insolentia aut ambitio plebi, plebis potentia & factiones senatui, nobilium sive divitum auctoritas utrisque possit esse noxia. De his consulendus Sanderus, lib. 1. rerum Iprensium cap. IV.

Plurima exornant hanc urbem ædificia publica, inter quæ eminet prætorium urbanum, seu domus civica foro exposita, structura, longitudine, amplitudine & turri quadra altissima insignis, (quam indigenæ Hallas vocant) per aream intermediam bifariam divisa 462. in longitudinem, quinquaginta vero utrinque pedes in latitudinem habens protenditur, hinc senatorum conclave, sacello & vario cubiculorum, secessuumque ordine stipatum, inde cœnaculum ingens, alibi ambulacra spatiosa, olim quidem digesta fenestrarum conformium serie, officinas lanificum totius Occiduæ regionis exhibere solita. Huic accedit castrum vetus aquis cinctum, ac olim principis domicilio nobile, nunc *Salæ* titulo in plebe notius, eo quod tribunal ibi clientelare, prædiumque superius multis magnisque clientelis late patens, in quo jus de controversiis rem clientelarem tangentibus dicitur. Spectabilis est & curia in foro Iprensi posita, in qua causæ forenses judiciaque popularium

castellaniæ subjectorum tractantur, splendida fronte exornata. Ad angulum etiam plateæ ad forum piscarium ducentis visitur macellum nobili altoque ædificio instructum, in meditullio fere oppidi situm, quo commodior undequaque civium sit accessus, subterraneos habens specus condendis mercibus idoneos. Nec prætermittendæ hic ad portam Boesinganam ingenioso constructæ artificio machinæ transportandis olim ultra repagula defluxus aquarum ex altioris fundi alveo coercentia navibus etiam onustis excogitatæ, ast amotis jam repagulis novoque alveo defosso flumen Iperletum navigabilius evasit ac commodius.

Commendabant Ipram olim varia, eaque multa opificum collegia, celebresque per annum & magnæ nundinationes, præsertim in lanificio, cujus, ut ceteri fere omnes, Flandria semper fuit studiosissima, quæ non modo domestica, sed etiam ab Anglis, Hispanis, Scotis Oceano mari advecta utitur lana, quam in varios pannos conflatam & miro artificio aliis atque aliis, qui desiderari possint, coloribus tinctam in omnes orbis provincias efferebant distrahebantque mercatores; sane de hac urbe sic canit Guillelmus Britto Philip. 2. *Ipra colorandis gens prudentissima lanis:* verum per bellorum & seditionum injurias dilapsis ad alia loca & maximam partem profugis manuariis Flandriæ artibus, plurimum decrevit hæc urbs civium ac opificum numero imminuta, supersunt tamen etiamnum Gildæ, sic enim vocant civium contubernia quædam certis legibus & immunitatibus & strictiore inter se fide cohærentia, ad hoc præcipue olim instituta, ut in militiam irent, & cum ejus rei daretur occasio, præ ceteris focos & aras tutarentur: sunt autem in hac civitate quatuor, quibus lectior marte & arte civium pars nomina dare consuevit: exercentur vero arcu chalybeo, corneo, balista sive sclopo, ac gladio. Porro ex hac urbe prodiere multi eruditionis fama & scriptis editis celebres, quos, qui nosse volet, Grammaium & Sanderum adeat in lib. de rebus Iprensibus. Sed ad ecclesiastica veniamus.

Ipram fidei lumine illustratam a beato Chrysolio, quem Cominii in vicinia Iprensi evangelium prædicasse constat, & ibidem pro Christi nomine cæsum ad an. 484. quorumdam est opinio. Certe beatum Victricium Rothomagensem antistitem verbi Dei semen apud Morinos, ad quorum diœcesim spectabat Ipra, sparsisse testis est S. Paulinus Nolanus episc. epist. 27. & 28. Rosveidi, *al.* 25. & 26. quibus ad Idola magnam partem relapsis B. Audomarus Morinensis antistes iterum evangelii lumen invexit, & Christi cultum stabilivit, templis aliisque locis sacris per regionem excitatis, quæ ad Normannorum irruptionem durarunt, quo tempore devastata circumquaque regione excisum per eos est simul castellum Iprense, quo subinde restaurato, ædicula quoque beato Martino Turonensi nuncupata in pratis aut circa ea ædificata fuit; hanc postea auctam tenuere clerici seculares, seu canonici, quibus in malum abeuntibus, prolapsaque apud eos disciplina, successere canonici Regulares, quos ibidem constituit B. Johannes, antistes Morin. ordine 29. Sub his initium sumsit abbatia seu præpositura S. Martini Iprensis. Narrat id Meyerus annal. lib. 4. ad annum MCI. sub Roberto Hierosolymitano in hunc modum.

Anno MCI. Johannes Morinorum episc. vir per omnia laudabilis, sacerdotes ambitiosos & avaros, propter eorum simoniam atque alia vitia expulit ex oppido Iprensi, rogatuque civium Gerardum quemdam spectatæ vitæ sacerdotem divorum Martini & Petri ecclesiis præposuit, qui statim exstructo in pratis cœnobio, sodales sibi adscivit, qui juxta regulam D. Augustini viverent, doctrinisque Evangelicis populum imbuerent. Ita Meyerus. Id ipsum quoque testatur Johan. de Collemedio archidiaconus Morinensis, & auctor vitæ ejusdem B. antistitis Morin. *Clericos*, inquit, *per latas seculi vias & carnis desideria, multis retro temporibus stratos ad normam recte vivendi reducere laboravit tam exemplo quam verbo invitatos....... illis.....enim de ecclesia, quam per simoniam sibi comparaverant, eliminatis, vineam Dominicam aliis locavit agricolis: cum autem ecclesiam Iprensem liberasset & aliquanto tempore sibi retinuisset, regularibus eam fratribus donavit & abbati* (Gerardo) *in ea ordinato, perpetuo habendam episcopali privilegio confirmavit.* Porro Johannis episcopi diploma hic attexere juvat, tametsi pluries impressum alibi, quod ad rem nostram faciat.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Johannes Dei gratia Morinorum episcopus, cum quosdam clericos seculariter viventes de ecclesia mea, quæ est in villa quæ dicitur Ipra, quam simoniace acquisierant, post acceptum a domino papa Paschali mandatum, canonico judicio convictos ejecissem, eamque, quamdiu volui, usibus meis liberrime retinuissem, ad sanctæ religionis cultum eamdem convertere curavi. Sed cum aliquo tempore hoc quod proposueram peragere distulissem, & obnixis precibus bonorum virorum inibi habitantium, quatenus id acceleraretur, pulsarer, tandem justæ petitioni eorum acquiescens illud quod decreveram perfecturus adveni: cumque in prædicta ecclesia præsens adessem, & quem eidem præesse vellem inquirerem, quemdam presbyterum nomine Gerardum, qui ibidem mecum præsens aderat, de quo minus sperabamus, bonæ opinionis & vitæ virum, & canonica religione instructum, omnes unanimiter injectis manibus dari sibi acclamarunt. Quem satis renitentem, & tantæ curæ pondus suscipere formidantem, piæ eorum instantiæ, quamvis in multis mihi necessarium, negare non potui. Præfatam ergo beati Martini eidem regendam tradidi, quam cum ecclesia beati Petri ceterisque suis appendiciis ad opus canonicorum sub eodem suisque successoribus secundum regulam S. Augustini ibidem constituendorum ab omni exactione, præter duos solidos singulis annis in synodo post Pentecosten persolvendos liberam esse concessi. Hoc etiam statuimus ut si confratres ejusdem loci præposito carere contigerit, alium idoneum, si in eadem congregatione invenire potuerint, sibi præponendum assumant. Sin autem, in alia

congregatione ejusdem professionis aliquem religiosum eligant & episcopo Teroanensi consecrandum repræsentent, oleum infirmorum & oleum sacrum chrismatis a sede episcopali accipiant. Si quis vero, hanc nostram constitutionem infringere, vel aliquid eorum, quæ eidem ecclesiæ a fidelibus collata, aut conferenda sunt, injuste auferre præsumserit, excommunicationi subjaceat, & a communione corporis & sanguinis Domini alienus existat, donec ad satisfactionem veniat. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo secundo, indictione x. calend. Octob. vigente papa Paschali II. Remensi metropolitano Manasse, regnante Philippo Francorum rege, Roberto Flandriæ comite existente: præsentibus idoneis testibus, Arboldo Formosellensis ecclesiæ præposito, Rainaldo Loensis ecclesiæ, Thoma Eversamensis ecclesiæ, priore Hugone, Albodone Teloneo, ac Bertino Roberti comitis sacellano.

Rei igitur omnis sacræ potestas deinceps fuit penes præpositum Martinianum & ejus canonicos regulares, qui sub Morinorum antistite & Remorum archipræsule parœcias omnes Iprensis oppidi procurabant. Quod hic autem animadversione in primis dignum est, variis tum Rom. pontificum indultis, tum episcoporum Morinensium concessionibus, quas secularis etiam potestas confirmavit, id habuit cœnobium hoc Martinianum ejusque præpositus olim privilegii, ut cujuscumque conditionis loca sacra, aut religiosæ familiæ essent, ea nec in oppido Iprensi stabiliri, aut functionem quamcumque sacram exercere possent, nisi prius ad hoc Martiniani præpositi auctoritas & consensus accederet, uti videre est apud Sanderum & alios scriptores Belgicos. Præpositi autem hujus ecclesiæ hi sunt ex Sandero.

ABBATES, *seu* PRÆPOSITI ECCL. S. MARTINI IPRENSIS, ANTE ERECTIONEM EPISCOPATUS.

I. GERARDUS primus abbas, *seu* præpositus, de quo in vita beati Johannis episcopi Morinensis hæc scribit Johannes de Collemedio ejusdem ecclesiæ Morinensis archidiaconus. A

Gerardus per omnia religiosus, ecclesiæ S. Auberti Cameracensis canonicus, ab ipso (Johanne) *postea in monasterio Iprensi primus abbas ordinatus, magister meus, qui in eodem loco annis circiter sedecim omnibus, quibus præfuit, pariter prodesse studiose curavit, & bonis jugiter insistens operibus, post multos, quos pro Christo toleravit labores, ad ultimum in pace quievit an. 1118. sepultus in sua ecclesia Martiniana.*

II. Willelmus I. decessit 4. nonas Dec. 1121.

III. Hilfridus animam exhalavit pridie nonas Januar. 1138.

IV. Helmarus Spiritum emisit 4. cal. Maii 1158.

V. Balduinus I. an. 1166. testis est in transactione inter Idesbaldum Dunensem & Walterium Bergensem abbates super quibusdam decimis. Obiit VIII. idus Sept. 1167.

VI. Carolus piæ memoriæ hujus ecclesiæ abbas sextus, obiit nonis Februarii 1168.

VII. Rogerius abbas septimus fato fungitur an. 1174. cum rexisset hanc eccles. annis sex, mensibus septem, hebdomadis tribus, diebus quinque. C

VIII. Johannes I. piæ memoriæ hujus ecclesiæ abbas octavus, naturæ concessit pridie calend. Novembris, anno regiminis sui 15. hebdomada secunda, die secundo, hoc est anno circiter 1189.

IX. Heliseus abbas nonus e vivis eximitur an. 1205. octavo cal. Maii.

X. Hugo. Hic ædificavit chorum, & in eo sepultus est ad cornu evangelii summi altaris, cum hoc epitaphio:

Hic jacet HUGO præpositus piæ memoriæ, fundator hujus chori anno 1221. Obiit die S. Scholasticæ 1232....

Renovatum fuit a capitulo sepulcrum hujus præpositi an. 1695. novaque hæc inscriptio marmoreo lapidi fuit insculpta.

D. O. M.

In piam memoriam HUGONIS hujus sacræ ædis & canonicorum regularium præpositi decimi, chori exstructoris, monumentum hoc novum, veteri diruto, capitulum posuit anno 1695.

Obiit 1232. R. I. P.

XI. Lambertus I. cognomento de Geluwa, in fata concessit 13. cal. Decembris 1245.

B XII. Petrus I. ad superos evolavit nonis Aprilis 1249.

XIII. Balduinus II. e medio sublatus 14. cal. Aprilis 1266.

XIV. Walterius I. ex hac luce subtrahitur 1277. 5. cal. Julii.

XV. Johannes II. de Dixmuda Jacobi filius, cujus familia multa cœnobio contulit. Obiit 4. idus Julii 1279.

XVI. Nicolaus I. exstinctus an. 1280. Eo sedente Henricus episcopus Morinensis dedicavit chorum S. Martini, & indulgentias in eo orantibus concessit.

XVII. Willelmus II. decessit 18. cal. Oct. 1289.

XVIII. Robertus cognominatur Madidus in serie impressa episcoporum Morinensium, dicitur que ex nobili prosapia Boloniensi, parentibus Roberto le Moitte Regis consiliario ex Margareta du Bucquet progenitus. Fratres habuit Jacobum de Bolonia dictum episcopum Morinensem, & Guillelmum urbis Boloniensis Majorem & patriæ defensorem. Ex præposito S. Martini Iprensis, abbas de Rivovilla* factus, obiit 5. idus Januarii 1299. * Reisceville.

XIX. Johannes III. fato fungitur 7. idus Jan. 1311.

XX. Daniel ab Alneto XI. cal. Maii 1322. A obiit magister Daniel ordinis Carthusiensis, quondam præpositus hujus ecclesiæ.

XXI. Petrus II. Boom mortalitatem explevit 4. cal. Febr. 1346 cum præposituram antea resignasset.

XXII. Alardus de Denterghem, rebus humanis eximitur 7. cal. Novembris 1361.

XXIII. Dionysius filius Andreæ Paeldink 17. cal. Octobris 1383.

XXIV. Christophorus a Dixmuda.

XXV. Willelmus III. Peel sepultus in æde B. Mariæ ad murum chori lateralem versus Septentrionem, in cujus monumento elevato ex lapide B nigro legitur epitaphium sequens.

Hic jacet dominus GUILLELMUS PEEL *piæ memoriæ præpositus hujus ecclesiæ* XXV. *qui obiit anno Domini* MCCCCVIII. *die* XVIII. *Januarii. Orate pro eo.*

XXVI. Nicolaus II. a Maelbeke.

XXVII. Lambertus II. vander Woestiine.

XXVIII. Nicolaus III. de Dixmuda.

XXIX. Walterius II. Thomin.

XXX. Clemens Buedins.

XXXI. Nicolaus IV. de Dixmuda spiritum emisit 12. cal. Junii, cum rexisset ecclesiam an- C nis septem, mensibus septem, hebdomadis duabus, diebus quatuor.

XXXII. Johannes IV. Bane.

XXXIII. Oliverius Buedins *al.* Benen Clementis ex fratre nepos, occurrit præpositus an. 1520.

XXXIV. Johannes V. Snik oriundus ex pago de Sonnebeke sesquileuca a civitate Iprensi, præposituram tenuit 30. annis & quatuor mensibus, vitam finivit die 9. Novembris an. 1557. transcripta nepoti ex fratre dignitate sua, & jacet in superiori choro cum epitaphio sequenti.

Vive ut vivas sine querela.
Hac ego JOHANNES, *cui* SNIK *cognomen in urna*
Contegor, est patrium, cui SONNEBEKA *solum.*
Annis ter decem quatuor cum mensibus egi
Præpositum, & rexi non male spero meos,
Quos ego curavi, non parcens sumtibus, una
Cum litteris sanctis moribus institui.
Tandem ubi successor vetulo novus esset habendus,
Qui posset fracti munus obire senis,
Germano de fratre nepos, nihil inde petenti
Sufficitur, patruum nomine & ore ferens:
Atque ita post mortem magna sum parte superstes,
Namque meo patruus vivo nepote: vale.
Et infra
Hoc uno recubant patruusque nepusque sepulcro,
Ut qui successit vivo successit humato.
Obiit 1557. 9. Novembris.

XXXV. Johannes VI. Snik cessione patrui ultimus præpositus, qua dignitate potitus est annis circiter tribus, tum erecto episcopatu & exstincta præpositura, primus evasit decanus. Conditur eodem, quo patruus sepulcro. Vide in decanis.

Perseveravit hoc in statu S. Martini cœnobium ad annum 1559. quo erectis per Belgium, instante Philippo II. Hispaniarum rege Catholico, novis episcopatibus, instituta simul fuit in Iprensi oppido cathedra episcopalis a Paulo IV. & deinde ab ejus successore Pio etiam hujus nominis IV. qui supremam huic negotio manum imposuit anno 1560. pontificatus sui anno secundo, decisa diœcesis Morinensis dudum suppressæ parte & huic sedi attributa, quæ in æde sacra D. Martini collocata fuit, regularibus canonicis in seculares mutatis, & erectis ex eorum bonis 12. præbendis, seu canonicatibus. Præposituræ vero tum hujus monasterii, tum collegii Furnensis, in dotem episcopi cesserunt una cum aliis redditibus: quæ omnia videsis in bulla erectionis, instrumentis nostris inserta. Ch. x. col. 379.

Porro diœcesis Iprensis, sub Mechliniensi metropoli, secundum limites a Paulo IV. & Pio ejus successore definitos, centum quinquaginta octo parœcias vel circiter continet, in octo decanatus distributas, præter archipresbyteratum unum in ecclesia cathedrali constitutum, qui curam rectorum parœcialium ecclesiarum, verbi Dei & sacramentorum per civitatem Iprensem habet, & sub quo parœciales ecclesiæ S. Martini Iprensis, S. Petri, S. Jacobi, S. Nicolai, B. Mariæ de Briele, & S. Johannis juxta Ipram positæ sunt. Decanatus autem sunt, Bergensis, Furnensis, Casletensis, Popringensis, Balliolensis, Waestenensis, Dixmudensis & Neoportuensis. Ad constituendum autem capitulum præter supradictos cathedralis ecclesiæ 12. canonicatus, qui de membro S. Martini nuncupantur, translatæ etiam illuc fuerunt decem præbendæ ex ecclesia Tarvanensi jam suppressa, uti diximus, ex quibus unam habet episcopus, totidemque ex collegio Furnensi canonicatus, quorum unus fabricæ templi unitus est, & qui quoad redditum ceteris tenuiores sunt.

Capitulum ergo constat illustri triginta canonicorum collegio, novem scilicet Morinensium, duodecim Martinianorum ad collationem episcopi pertinentium, & novem Furnensium, qui triplici distincti membro proventus longe impares nunc quotannis sortiuntur. Sex inter eos præter decanum totius capituli votis eligendum, dignitates censentur, archidiaconus nempe, archipresbyter, pœnitentiarius, cantor, scholasticus & thesaurarius, quas dignitates soli, uti aiunt, graduati obtinent. Porro novem canonicatus membri Morinensis graduatis, ut vocant, solis sunt addicti, tribus scilicet magistris aut licentiatis in theologia, & tribus doctoribus decretorum, seu in eis licentiatis, & tribus nobilibus ejusdem diœcesis, etiam in jure vel theologia saltem ad gradum *licentiaturæ* in famosa quapiam universitate studii generalis promotis, qui soli ad dignitates prædictas assumi debent. E Martinianis autem canonicatibus sex pastorali animarum cura afficiuntur: unus item alius publica sacræ theologiæ professione oneratur. Habet & hæc ecclesia suos sacellanos, *cantuarios*, vicarios, musicæ præfectum, symphoniacos, & alios choro suo (habituati vocantur) addictos.

Ex septemdecim capellaniis novem huc translatæ fuerunt ex ecclesia Morinensi, sicut & tres

cantuariæ, reliquæ vero octo fundatæ sunt in ecclesia Iprensi, postquam in cathedralem erecta fuit, quatuor nempe per D. Petrum Cawel canonicum & scholasticum, duæ per D. Gerardum Liiswelt canonicum & pastorem, una per D. . . . Pilkem canonicum & altera per D. . . Langhemersch, etiam canonicum.

Sunt & aliæ quatuor in hac diœcesi ecclesiæ collegiatæ, Furnensis scilicet sanctæ Walburgis virginis, Casleti duæ, prima S. Petri, altera B. Mariæ, & Messinensis. Ecclesia quoque parœcialis apostolorum principi dicata cultores habuit olim canonicos seculares, qui eodem anno iisdemque de causis, quibus Martiniani per Johannem episcopum Morinensem amoti sunt, nec in integrum amplius restituti, nisi quod jam inde subsidiarii parœco sacerdotes, canonici nuncupari ambiant: habet autem hoc sacerdotum collegium titulum sodalitii S. Nicolaii, cui præest unus, sub curione tamen, qui decani nomine insignitur, canuntque in dies singulos septem horas canonicas, ac cetera hîc divina officia peragunt. Porro collegæ sunt numero sex, quorum institutio prima fertur in ecclesia divæ Virginis Brielana fuisse, & illinc ad templum istud translata; parœcus vero, quem pleno jure instituit antistes Iprensis, simul est canonicus ecclesiæ cathedralis, sicut & ceteri curiones civitatis.

Plurima sunt in urbe, præter abbatias de quibus infra dicemus, utriusque sexus cœnobia, & quidem virilis ea numerantur, nempe Carmelitarum, Augustinianorum, Dominicanorum, Minorum Recollectorum, Capucinorum, Carmelitarum discalceatorum, & collegium PP. Societatis Jesu. Sequioris vero sexus parthenones sunt, Clarissarum pauperum, Nigrarum sororum ord. S. Aug. Grisearum tertii ord. S. Franc. Carmelitanarum instituti S. Theresiæ, Capucinissarum, monialium sub regula S. Aug. *vulgo* Nonnen *seu* Bunderen dictarum, monialium Anglicarum, *seu* potius Hibernarum ord. S. Bened. & Begginagium: plures sunt insuper hospitales domus ægris, peregrinis, imbellibus, senibus ac vetulis deputatæ, præter scholas pauperum puerorum ac puellarum, dum per ætatem & artem possint vitam sustinere: est & Mons Pietatis, ubi gratis nullo fœnore aut usura ad commodantem redeunte, accepto pignore pecunia consignatur, necessitatibus miserorum repentinis certissimum nulliusque dispendii levamen. Mitto alias, quæ plurimæ sunt in hujus diœceseos oppidis ac pagis, sacras utriusque sexus & diversi ordinis familias, quod extra nostri operis metam sint. Denique episcopatus Iprensis suum habet in ipsa urbe Iprensi seminarium ab antistitibus erectum ac optime dotatum, (præter id, quod in academia Duacena ab episcopo Antonio de Hennin quinto Iprensium præsule fundatum est) ubi certus puerorum & adolescentum numerus, non solum alitur, religioseque educatur, & bonas artes discit, sed provectiores etiam in cantu, calendario ecclesiastico aliisque disciplinis sacris instituuntur, & theologica studia hauriunt.

Jam ad ornandum episcoporum catalogum veniamus, de quibus scripsere Gazæus, Raissius & Antonius Sanderus in Flandria illustrata.

EPISCOPI IPRENSES.

BALDUINI RITHOVIUS.

ANNI CHRISTI

I. MARTINUS I.

RITHOVIÆ CAMPINIÆ BRABANTICÆ municipio ortus Martinus Balduini a natali solo cognomen mutuatus est, Rithovius dictus. Lovanii primum philosophiæ incubuit, cui docendæ mox præficitur, inde apud Dilinganam academiam recenter in Suevia erectam litteras sacras aliquandiu explanavit, cumque eruditio ejus ac pietas longe lateque per universum Belgium percrebrescerent, Lovanium redux, sacræ Theologiæ doctor renuntiatur, professor regius, & ecclesiæ collegiatæ B. Petri decanus, nec non academiæ cancellarius constituitur. Wormatiensi apud Vangiones colloquio Catholicos inter ac Lutheranos habito interfuit an. 1557. & tandem ad infulas Iprenses primus destinatur a Philippo II. Hispaniarum rege, episcopali charactere insignitus Bruxellis 2. Novembris anni
1562. 1562. in sacello SS. sacramenti ecclesiæ primariæ B. Gudulæ, cardinalis Granvellani archiepisc. Mechliniensis opera: sedem suam illico adivit, Ipram ingressus solemniter ipso S. Martini festo XI. Novemb. ejusdem anni. Paulo post ad concilium Tridentinum ablegatur una cum Francisco Richardot Atrebatensi & Antonio Havet Namurcensi præsulibus, cui synodo ad finem usque

A interfuit, & ibidem illustria eruditionis suæ præbuit argumenta, testante id Stanislao Hosio concilii præside & ipso Philippo Melancthone, qui antequam illinc recederet, admirari se aiebat solidam doctrinam episcoporum, qui e Belgio illuc convenerant, atque in primis Rithovii Iprensis antistitis. Sane præsulum sui temporis gemma fuit, eruditione, zelo religionis propagandæ, vitæ integritate & sanctimonia præstantissimus. Duobus primis provincialibus conciliis Mechliniæ ac Lovanii annis 1570. & 74. celebratis præsedit, uti senior provinciæ Mechliniensis præsul (absente nimirum archiepiscopo Granvellano.) Primam vero suæ diœcesis synodum coëgit anno 1577. 1577.
B feria tertia ante Pentecosten, in qua perutiles promulgavit constitutiones ex Tridentino præsertim conc. desumtas, in quarum observationem jurat is, qui in collegium Iprense admittendus est, quasque Ipris imprimi curavit eodem anno, necnon manuale pastorum a se elaboratum, Parisiis excusum. Gymnasium Falconis Lovanii a ruina vindicavit una cum Johanne Venduillio Tornacensium antistite; totumque fere collapsum, amicorum quorumdam subsidio restauravit. Denique post varios pro gloria Dei exantlatos labores, post toleratam Gandavi ex ordinum defectione captivitatem

ANNI CHRISTI

diuturnam, e custodia tandem elapsus, Ariæ paulisper substitit, donec rebellionis furor conquiesceret: inde ad ecclesiam suam reversus, sacra omnia restituebat, templa pristino cultui ac decori reddebat, cum ecce totam ejus familiam lues epidemica corripit; itaque Audomaropolim secedere cogitur, ubi contagione ipse tactus, brevi occubuit 9.
1583. Oct. anni 1583. conditus in sacello Nigrarum * sororum, ad quas diverterat, ex quo loco ossa ejus Ipram postea translata, in ecclesia cathedrali quiescunt sub hoc epitaphio.

* monialium sancti Francisci.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Ero mors tua ô Mors! morsus tuus ô Inferne.

MARTINO RITHOVIO Iprensium episcopo, qui Tridentino concilio interfuit, Gandavi pro fide carceres tulit, Audomaropoli obiit IX. Octob. M. D. LXXXIII. Seminarium Iprense heres posuit M. DC. VII. Symbolo utebatur: *Adesse festinant tempora.*

Testamenti sui tabulas scripserat 15. Octobris an. 1576. quibus, tametsi pauper, non modica tamen pia legata fecit, nam & dotavit seminarium, quod erexerat, fundavit etiam anniversarium suum, necnon distributiones panum & pecuniæ pauperibus faciendas in profesto & festo S. Martini in ecclesia Iprensi & apud Rithoviam patriam suam.

Hujus antistitis summa cum laude meminerunt Beyerlinch in auctario Opmeri ad annum 1580. Vernulcus in sua acad. Lovan. lib. 1. cap. 7. Florentius vander Haer, Valerius Andreas, Severtius, Antonius Havensius, Gazæus, Raissius, & alii.

SIMONS.

II. PETRUS.

In locum Rithovii suffectus est Petrus Simons, Tiletanus-Flander, sacræ theologiæ licentiatus in academia Lovaniensi, vir eximiæ doctrinæ & facundiæ singularis, uti testantur varia scripta typis edita, quæ videsis apud Valerium Andream. A Cornelio Jansenio primo Gandavensium antistite vocatus, canonicatu cathedralis ecclesiæ donatur primum, mox pœnitentiarius & demum archipresbyter constitutus: verum tumultuantibus in urbe hæreticis ac prævalentibus, cum catholicis & maxime clericis ibidem morari tutum non esset, Gandavo exire coactus, Cameracum secessit & inde Duacum, ubi tamdiu mansit, donec Curtracensis oppidi fidei ac Regi restituti ecclesiam parœcialem, amicis impellentibus, administrandam suscepit, quo munere quinquennio perfunctus, Iprensis antistes nominatur & a sede apostolica confirmatus, possessionem inivit 20.
1584. Junii anni 1584. sacram vero percepit unctionem anno sequenti, ipso Epiphaniæ festo Tornaci a Maximiliano Morillonio Tornacensium antistite, cui assistebant Matthæus Moulart Atrebatensis & Johannes Six Audomarensis episcopi, vigesimaseptima autem die ejusdem mensis & anni solemniter urbem suam ingressus est. *Qui populum suæ fidei concreditum* (inquit Havensius) *uti vocatio ejus requirebat, usque ad extremum vitæ spiritum magna cum diligentia docuit.* Addit idem auctor,

A ipsum cum Henrico Cuickio Ruremundensi & Matthia Lambrecht Brugensi episcopis serio egisse, ut ecclesiastici more antiquitus in academia Lovaniensi servari solito, capillos alerent. Mortalitatem explevit 5. Octobris anno 1605. Exstat hujus episcopi testamentum in tabulario ecclesiæ Iprensis registro x. folio 369. plurima continens optimi pastoris in suam & alias ecclesias beneficia, in fabricam in primis ecclesiæ & seminarium Iprense, quod variis bursis dotavit, mille quingentis & supra annui redditus florenis eidem legatis: in cujus refectorio supra portam vera ipsius effigies, his versibus ornata cernitur.

B

Ipra tui vultum PETRI cognosce SIMONIS,
Proximus a primo, qui tibi præsul erat.
Pabula bis denos verbi tibi præbuit annos,
Vividus exemplo eloquioque potens.
Nunc silet, ast vivax æternum clamat imago.
Pastoris vocem noveris Ipra tui.
Jambicum,
Pastoris Ipra noveris vocem tui.

Sepulcrum habet una cum decessore in choro ecclesiæ cathedralis, cum hoc epitaphio.

C

PETRUS SIMONS TILETANUS
II. episcopus Iprensis
Prædecessoris vestigia gnaviter sequens,
Ecclesia hac annis XXI. administrata,
Seminario scripto hærede, in Domino
Obdormivit V. Octob. MDCV. 1605.

Pro symbolo habebat: *Esto fortis SIMONS.*

De eo scripserunt Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Severtius, Raissius, Gazæus, Havensius, &c.

III. CAROLUS.

MAEZ.

Bruxellensis & juris utriusque licentiatus, Engelberti Masii sanctioris consilii præsidis frater, necnon Alberti & Isabellæ archiducum Belgiique principum eleemosynarius, ex decano Antuerpiensi ad Iprensem cathedram promovetur, sacro inunctus chrismate Bruxellis in æde primaria in festo S. Johannis Bapt. 24. Junii an. 1607. ab 1607.
archiepiscopo Hydruntino nuntio apostolico, operam conferentibus Audomaropolitano & Namurcensi episcopis, quatriduo postquam per procuratorem inierat possessionem ecclesiæ suæ, cui triennio vel circiter præfuit, inde traductus ad sedem Gandavensem an. 1610. ubi vide. 1610.

E

IV. JOHANNES.

DE VISSCHER.

Winoci-Berganus patria Johannes in orphanorum schola Bergis enutritus, theologiam hausit in academia Duacena, ubi & licentiæ gradum adeptus, pastor primum & decanus Dixmudensis fuit, inde canonicus cathedralis ecclesiæ Iprensis simul & plebanus, quem facundia præcipue ad supremum ejusdem ecclesiæ culmen evexit. Possessionem nactus 28. Decembris anni 1610. consecrationis munere donatur ibidem anno sequenti 6. Februarii ab archipræsule Mechliniensi, cui adjutores erant Gandavensis & Antuerp. 1611.
episcopi.

ANNI CHRISTI

episcopi. Catholicæ fidei studiosissimus fuit, qui A dum diligentia singulari diœcesim perlustrat, ovesque sibi creditas indefessa Divini verbi prædicatione per urbes, vicos & castella pasceret, piis laboribus immoritur, veterno correptus ex opii pilulis, quas ipsi famulus quidam errore & inscitia ad undecim pro duabus porrexerat. Ipris
1313. obdormivit in Domino 26. Maii anno 1313. ætatis suæ 52. in fabricam, seminarium regium Duaci, pauperes & religiosos, locaque sacra testamento suo munificus. Sepulcro illatus est ad partem Occidentalem aræ principis, ubi sequens inscriptio est apposita.

Hic situs est,

Reverendissimus Johannes Visscherius Winoci-Berganus, *qui hujus ecclesiæ canonicus & pastor vigilantissimus, concionum mere Christianorum facundia admirabilis, Divini zeli dotibus incomparabilis, ejusdem demum episcopatus infulam emeruit, quo munere tribus fere annis gnaviter defunctus, seminario Iprensi & regio Duaceno omnium adventitiorum suorum bonorum, scriptis legatariis, tandem maximo sui relicto desiderio, obiit* VII. *calendas Junii anno Christi* MDCXIII. *Tu, ut in æternum beatus vivat, Deum precare.*

Symbolum ipsi erat. *In verbo tuo laxabo rete.*

DE HENNIN.

V. Antonius.

Ex nobili Henniniorum apud Valencenas prosapia ortus est Antonius, ac per triginta annos ecclesiam parœcialem S. Nicolai Ipris pastor rexit; quo tempore seminarium Duaci celeberrimum & amplissimum S. Salvatoris, *vulgo* Henninianum dictum fundavit, liberalissime dotavit, sacellumque ejusdem sacra supellectile auxit, cui & moriens bibliothecam suam legavit.

In episcopum assumtus, possessionem appre-
1614. hendit die 17. Martii an. 1614. & rite inauguratur Dominica 2. post Pascha, 13. Apr. insequentis D in ecclesia sua cathedrali per Matthiam Hovium Mechliniensem archiepiscopum, quem in re sacra adjuvabant Philippus-Carolus de Rodoan Brugensis & Franciscus vander Burgh Gandensis episcopi. Pedum tenuit ad annos duodecim sollicitudine pastorali, liberalitate ac munificentia commendatus: nam ecclesiæ suæ elegantissimam dedit capsam argenteam hinc inde deauratam, lapidibus gemmisque pretiosis ornatam, ad recondendas S. Martini reliquias. In fabricam ecclesiæ suæ multis etiam donis beneficus fuit, mensas pauperum in quatuor urbis parœciis degentium dotavit, religiosis monialibus, civitatis ecclesiis, E scholis pauperum & puellarum, viduis omnibus præclara liberalitatis suæ monumenta reliquit.
1624. Anno 1624. mensis April. die 21. in Dunensi ord. Cisterc. cœnobio juxta Furnense* oppidum suæ diœcesis, corpus beati Idesbaldi tertii ejusdem monasterii abbatis jam ab anno 1167. defuncti pelle illæsa & carne solida integrum invenit. Vide chartam inter instrumenta relatam. Taxationem certam jurium pastoralium pro funeribus & matrimoniis constituit, & turpes ac illicitos quorumdam parochorum quæstus amputare satagit.

* Hæc abbatia Brugas postea translata est.

Ch. XXI. col. 370.

Ad superos evolavit 1. Dec. an. 1616. ætatis 71. sepultus ad murum Aquilonarem superioris chori ad cornu summi altaris a parte Evangelii, ubi erectum est splendidum mausoleum, cum hac adjuncta epigraphe. 1626.

Ad majorem Dei gloriam.

Antonius de Hennin V. *episcopus Iprensis vivens fundavit, dotavit, heredem scripsit seminarium Henninianum sancto Salvatori sacrum in academia Duacensi, reliquiariumque S. Martini huic ecclesiæ donavit. Obiit calendis Decembris anni* MDCXXVI. *ætatis suæ* LXXI. *Qui fre-* B *quentioribus cleri populique precibus se commendatum cupiens, hoc loco carnis resurrectionem expectat. Lector ora pro eo.*

VI. Georgius.

CHAMBERLAIN

Gandavi patre Anglo prænobili, qui huc religionis & avitæ fidei studio e patria confugerat, quique ex antiquissima (ut fertur) Tanquarvilleorum comitum, Normanniæ olim camerariorum stirpe originem ducebat, ortus est Georgius. Is liberalibus disciplinis variisque scientiis in Hispania, Belgio, & Italia cum dedisset operam, linguarumque peritiam sibi comparasset, Octavio C Tricaricensi episcopo nuncio apud Belgas apostolico Bruxellis primum fuit a secretis, inde canonicus, mox archidiaconus, ac postea decanus ecclesiæ Gandavensis, ad episcopalem tandem cathedram Iprensem nominatur 13. Martii 1627. & in possessionem missus 4. Octobris anni 1628. 1628. consecratur eodem anno 5. Novembris ab archiepiscopo Mechliniensi, collaborantibus Gandavensi & Brugensi præsulibus. Vir fuit his animi corporisque dotibus ornatus, ut omnium in se amorem venerationemque raperet, eo reverentia dignior, quo modestius de se semper sensit, humilitatem quippe inter ceteras virtutes summe coluit. Sanctorum ævi sui pontificum mores æmulatus, mentem piis meditationibus & ascetica lectione quotidie pascebat, carnem cilicio, jejuniis & vigiliis domabat, oves suæ fidei commissas sacris concionibus & omnium virtutum exemplo enutriebat. Anno episcopatus sui sexto paralysi tactus, præclara patientiæ documenta dedit; testamentum pro modo facultatum condidit pium, in quo pauperes civitatis & ecclesiam certo modo constituit heredes, omnibus suis in tres partes divisis, quarum una templo cathedrali, egenis altera, tertia vero propinquis cederet, multis antea & pretiosissimis ornamentis ecclesiam suam instruxerat. Denique moriens communi cum decessoribus sepulcro tumulari se noluit, eo honore indignum se ratus, extra chorum sub odeo & vulgari lapide nullis stemmatis nobilitatisque suæ insigniis ornato terræ mandatur, cum hac nuda inscriptione.

Hic Jacet
Georgius *sextus episcopus Iprensis;*
Vixit
Annis LIIX. M. I. D. XIIX.
Obiit
XIX. *Decembris* MDCXXXIV.

ANNI CHRISTI

VII. Cornelius Jansen.

Accoyi agri Leerdamensis vico apud Batavos, tenuibus, at catholicis, parentibus natus est Cornelius an. 1585. 28. Oct. Juvenis, Ultrajecti humanioribus litteris apprime excultus, Lovanii postea in pædagogio Falconis philosophiam ubertim hausit, sodalibus in academica artium liberalium promotione antelatus, mox omni conatu theologiæ incubuit; inde in Gallias profectus, Parisiis primum, tum Bayonæ per annos fere duodecim mansit, doctorum consuetudine plurimum usus, & assidua Sanctorum patrum, maxime Augustini, lectione vehementer illectus, theologiæ secretari mari toto studio contendit. Lovanium vero reversus, magno cum academicorum applausu doctoralem lauream consecutus, ibidem collegio, quod *Pulcheriæ* vocant, Hollandico, severus morum & disciplinæ censor præfuit, regiusque in schola publica sacrarum litterarum interpres instituitur, bina postquam in Hispaniam legatione pro Universitate suscepta, res istic academicas haud infelici successu promoverat.

1635. Exin Iprensis antistes designatus ipso, quo natus erat, die an. 1635. eodem recurrente inauguratur anno subsequenti Bruxellis in sacello B. Mariæ de Zabulono, vulgo *op-den Zabel*, per archiepiscopum Mechliniensem, adstantibus & adjuvantibus Gandav. & Antuerp. præsulibus, ac brevi, quo superstes fuit temporis intervallo, omnem laudatissimi præsulis partem adimplevit, (inquit Sanderus) qui Jansenii mores in episcopatu sic pingit. *Zelus ecclesiasticæ disciplinæ conservandæ in eo summus fuit, severitas etiam & rigor, sed benignitate quadam temperatus, prudentia ac moderatio singularis, vita moresque prorsus inculpati. Paucissimas horas somno ac quieti, plures orationi, studiis ac vigiliis tribuebat, serius semper, in inanem lætitiam effusus nunquam. Unum illi oblectamentum fuisse visum est, cibo sumto ad semihorulam forte hortum in episcopio non inamœnum obambulare; ab illo ad negotia vel studia se transferebat. At inter alia præstantis animi decora, acre illi fervidumque ad debellandas hæresum novitates ingenium fuit, pectus omnibus artibus, variaque linguarum cognitione instructum, doctrinæ thesaurus uberrimus, stilus serius, gravis, nitidus, etiam & quam non affectabat, Latini sermonis elegantia floridus. In familia nihil sordidum vel abjectum, in victu, mensa, vernaculis nihil illiberale: factus episcopus cum non indecoram modo incommodamque episcopali habitationi, sed etiam putrem minantemque ruinas domum videret, amplum augustumque, quod in vicinia erat, ædificium, non sine magnis impendiis eidem habitationi adaptavit, cum modicam adhuc de vellere Iprensi lanam accepisset, sed tantus pecuniæ contemtor erat, ut non oves propter lanam, sed propter oves lanam quæreret.*

Fraternam pacem atque concordiam in sua præsertim ecclesia medullitus adamavit, procuraturus magis & statum optimum illi collegio inducturus, si paucos nescio quo respectu renitentes ad eam cogere potuisset. Denique morbo truci ac violento correptus, de animi constantia nihil deposuit, mente imperturbata sarcinas colligens, testamentum condidit, & quamvis eum dolor & angustia temporis premerent, pie & sapienter ordinavit omnia, de eo sollicitus in primis, ut seria exomologesi facta, purgataque de lapsibus totius vitæ conscientia, Deo se probaret: unde fiduciæ plenus, intrepidis oculis mortem adspexit, quam dum in momenta præstolatur, famulis ob contagii periculum abire jussis, solo fratre Minorita præsente, in amplexibus Crucifixi animam Creatori suo reddidit 6. Maii an. 1638. ætatis suæ 52. episcopatus. 1.° anno, mense 6.° die 8.° Jacet in medio sanctuarii ecclesiæ cathedralis ante gradus aræ principis.

Tota Europa famosus evasit libro suo posthumo, quem *Augustinum* vocari voluit, in quo magno molimine arduisque conatibus dignitatem & efficaciam gratiæ Divinæ asserere nititur, quemque sanctæ sedi apostolicæ, si quid in eo mutari velit, testamento suo subjecit. In lucem prodiit hic liber primum Lovanii an. 1640. ac statim acerrimas illas contentiones excitavit, quas omnes norunt; & quarum historiam hic texere extra metam est operis nostri. Typis etiam Parisiensibus impressus est an. 1641. quem mox Urbanus VIII. prohibuit bulla data die 6. Martii an. 1642. cumque iterum Rothomagi vulgatus esset an. 1651. iterum damnaverunt Innocentius X. bulla data 1653. 31. Maii, & Alexander VII. die 16. Oct. an. 1656.

CETERORUM EJUS OPERUM HIC EST INDICULUS.

Oratio de interiori hominis reformatione, edita Lovanii an. 1631. Parisiis 1640.

Alexipharmacum civibus Silvæducensibus propinatum adversus ministrorum suorum fascinum.

Spongia notarum, quibus Alexipharmacum aspersit Gisbertus Voëtius, Lovanii 1631.

Commentaria in Pentateuchum, Parisiis 1649. 1661. & 1677. Analecta in Proverbia, in Ecclesiasten, in Sapientiam, in Habacuc, & Sophoniam, Lovanii 1644. Commentarius, in quatuor Evangelia, Parisiis 1643. 1649. 1655. & 1667.

Mars Gallicus, seu Alexander patritius Armachanus, in quo Gallos Batavis rebellibus & hæreticis injuste opem tulisse asserit an. 1635.

Solutio duarum quæstionum, 1.a Quod leges Principum circa rem monetariam in foro conscientiæ subditos obligent: Altera de Magistratuum sacramento.

De eo plura vide apud Sanderum in Flandria illustrata, & alios auctores Belgicos, necnon in variis elogiis ejus operibus præfixis.

ANNI CHRISTI

BOUCKAERT.

VIII. JUDOCUS.

Jansenium excepit Judocus Bouckaert, honesto loco Brugis natus, parentibus ex pago de Iseghem oriundis in territorio Curtracensi. Adolescens Curtraci grammaticis artibus & politiore litteratura imbutus fuit, inde Lovanium altioribus disciplinis erudiendus mittitur, & lauream doctoralem adeptus, pastorale munus auspicatur in Monte-acuto juxta Sichemium, quod oppidulum est in tetrarchia Lovaniensi, medium inter Diestemium ad Ortum & Areschotum ad Occasum. Ibi ecclesiam icone B. M. virginis & miraculis insignem, in parœcialem erectam, singulari prudentia, zelo & vigilantia 32. circiter annis gubernavit; beneficentia & hospitalitate in advenas & peregrinos, in omnes comitate & humanitate commendatus. Decanus (ut vocant) Christianitatis, tractus Diestemiensis 22. annis etiam fuit: inde ad decanatum ecclesiæ collegiatæ B. Mariæ virginis in oppido Curtracensi assumtus, sponte sua dignitatem hanc deposuit, & in alium transtulit, ut iterum Aspericollensis, *seu* Montis-acuti parœciæ curam susciperet, ibique templum magnificentissimum excitavit, Belgii principibus Alberto & Isabella auspicalem lapidem pangentibus, sumtusque suppeditantibus, domumque contiguam pro presbyteris Oratorii S. Philippi Nerii, quos sibi in expiandis adventantium quotidie religionis ergo peregrinorum conscientiis socios adsciverat, exstruxit, eorumdem principum ope, quibus & ipse 18. annis præfuit præpositus. Varia interim eaque magni momenti negotia sibi ab iisdem principibus, necnon ab archiepiscopo Mechliniensi commissa, singulari dexteritate & industria peregit. Iprensis tandem designatus antistes, & a sede apostolica confirmatus, in possessionem mittitur 2. Nov. anni 1641. sacro chrismate delibutus in sua ecclesia ab Antonio Triest Gandav. præsule, cui assistebant Gaspar Nemius Antuerp. & Josephus de Bergaigne Silvæducensis episcopi. Palatium episcopale a decessore inceptum auxit, ac pene totum absolvit suis sumtibus. Statuta pro juribus parœcorum in sepulturis fidelium & matrimoniis ab antecessore Henninio promulgata denuo innovavit & confirmavit. Vir fuit candore eximio, moribus benignis, hospitalis, pacis amans, osor rixarum, & indefessus in vinea Domini operarius (inquit Sanderus.) Migravit e vita calendis Novembris an. 1646. sepultus in medio sanctuarii ecclesiæ cathedralis ad gradus majoris altaris sub lapide marmoreo, cui incisum est hoc epitaphium.

1641.

1646.

Latet sub hoc marmore

JUDOCUS BOUCKAERT,

Quem latere dum viveret, virtus noluit, sed per omnium dignitatum gradus spectabilem duxit, & in singulis: sed nec sic latet quidem, quem fama vetat mori: hujus enim industria erecta est Asperi-collensis ecclesia, urbs ipsa condita, & congregatio venerabilium sacerdotum ibidem instituta. Factus episcopus Iprensium VIII. ætate

A *quemadmodum & virtute gravis: palatium episcopale non sibi, sed posteris exstruxit, ovium suarum verum pastor, non turpis lucri cupidus, nedum honoris, unico hoc lapide contentus, Deo & proximo dives. Raptus est Ipris cal. Novembr. anni MDCXLVI. festivo omnium Sanctorum die, eorum numero adscribendus, ætatis LXIII. episcopatus V.*

ANNI CHRISTI

DE CROY.

IX. LUDOVICUS.

Ex nobilissima gente Croya, patre Claudio comite de Roeux, matre Anna d'Estournel genitus Ludovicus, fratrem habuit Eustachium comitem de Roeux Insulæ gubernatorem pro rege
B Hispano. Ex præposito ecclesiæ collegiatæ S. Petri Casletensis & oratorii regii Bruxellis sacellano, ad Iprenses infulas nominatur, sed nondum suscepto consecrationis munere e vivis excessit an. 1647. cui duo subrogati sunt eodem anno, Guillelmus scilicet ab Angelis dictus, patria Silvæducensis, & sacræ theologiæ doctor Lovaniensis, & Marius Ambrosius Capello Antuerpiæ natus, professione Dominicanus; hic ab archiduce Leopoldo, ille vero a Philippo IV. Hispaniarum rege nominati, sed neuter ad sedem istam pervenit: primus enim Ruræmundensis postea designatur antistes, & obiit ante consecrationem, postremus
C autem Antuerpiensis præsul evasit.

DE ROBLES.

X. FRANCISCUS JOHANNES.

Nobilissimos parentes habuit comites d'Annapes, milliario ab urbe Insulensi ad Ortum æstivalem, ac primo J. U. L. canonicatu ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis cohonestatur, inde ad S. Petrum Lovanii præpositus fuit, ibidemque academiæ cancellarius & ejusdem privilegiorum conservator, Regio nosocomio Mechliniæ præfectus, archiduci Leopoldo ab eleemosynis, & capellæ Burgundicæ aulæ Bruxellensis archicapellanus, ad cathedram Iprensem evehitur, anno
D 1652. cujus possessionem cepit die 20. Augusti anni 1654. sacro ritu in episcopum consecratus Bruxellis 2. Octobris eodem anno ab Antonio Triest Gandavensi præsule, cui assistebant Carolus Vanden Bosch Brugensis Antistes, & Jacobus de la Torre archiepiscopus Ephesinus, apostolicus Hollandiæ vicarius. Naturæ debitum solvit epiphora suffocatus 18. Maii an. 1659. ætatis suæ sexagesimo tertio, episcopatus quinto nondum expleto. Sepulturam habet in choro superiori cathedralis ecclesiæ contra gradus summi altaris a latere Epistolæ sub hoc epitaphio.

1654.

1659.

E *HIC SITUS EST*

FRANCISCUS JOHANNES DE ROBLES, ex comitibus d'Annapes, nonus episcopus Iprensis, cujus præcellentis dignitatis culmen, par amplissimos honorum gradus adiit, par universis, canonicus primum Cameraci metropoliticus, mox in S. Petri Lovanii præpositus, Universitatis cancellarius, Regio nosocomio sacrisque oratorii præfectus, serenissimorum principum Leopoldi Guillelmi archiducis & Johannis Austriaci magnus eleemosynarius. Episcopalem sedem tempore ut plurimum turbido tenuit ann. IV. menses VIII. dies VIII. nec viro pacifico

ANNI CHRISTI

datum, ut quod spe gustavit, publicæ pacis bonum, A *eo frueretur ; abreptus Ipris necdum domino suo redditis XVIII. Maii MDCLIX. cum ageret annum vitæ LXIII.*

Legavit centum florenos annui redditus pro fundatione unius anniversarii.

PRATS.

XI. MARTINUS II.

Martinus Prats Bruxellensis J. U. L. ex antiquissima Pratsiorum apud Arragones prosapia originem trahens, S. Alberti toparcha, primum canonicus Atrebatensis ecclesiæ, inde præpositus collegiatæ Seclinienensis, & postea decanus ecclesiæ B SS. Michaëlis & Gudulæ Bruxellis, necnon vicarius apostolicus ad exercitus regios, & cancellarius ordinis Aurei-velleris, ad Iprensis ecclesiæ regimen nominatus, & in possessionem inductus
1665. 17. Januarii anni 1665. sacram unctionem percepit Bruxellis in ecclesia primaria, Dominica 2. Quadrages. 1. Martii eodem anno archiepiscopi Mechliniensis opera, cui collaborabant Gandav. & Brugens. episcopi, & 13. ejusdem mensis die Ipras solemniter ingressus est. Improvisa morte
1671. correptus occubuit Dunkerkæ 7. Octob. 1671. dum officium visitationis huic diœcesis suæ parti impenderet, requirentibus id Francis, at secus C suadente infirma, qua tum laborabat, valetudine. Corpus ejus Ipras translatum terræ mandatur in sanctuario ecclesiæ cathedralis juxta altare majus, cum hoc elogio funebri.

DEO OPT. MAX.

MARTINUS PRATS decimus Iprensium antistes, ex nobilissima antiquissimaque Pratsiorum apud Arragones familia oriundus, & a sanguine hereditario eques, necnon toparcha S. Alberti natus, hic situs est. Vixit annos LXVIII. certavit anno LI. seculi hujus XX. sacræ militiæ quorumdam majorum suorum exemplo, qui purpura & infula cla- D *ruere, adscriptus, hinc variis ecclesiæ stationibus præfectus, & canonici Atrebatensis, præpositi Seclinienensis, vicarii generalis exercituum suæ Catholicæ majestatis, & D. Gudulæ Bruxellis decani muneribus fortiter & suaviter functus, cursum consummavit septennis antistes, dum Occidentalem diœcesis partem, ut vigilans pastor, Dunkerkæ obit, & obiit VII. Octob. MDCLXXI. R. J. P.*

van HALMALLE.

XII. HENRICUS.

Antuerpiensis patria & ibidem cathedralis ecclesiæ decanus & officialis, J. utriusque licentiatus, Iprensi pedo donatus, episcopali charactere in- E
1672. signitur Mechliniæ 28. Octobris anni 1672. per Alphonsum de Berghes ejusdem urbis archipræsulem, quem hac in re adjuvabant Antuerp. & Namurcensis antistites. Festivo apparatu Ipras subiit 22. Decembris insequentis, & postera die in suam ecclesiam inductus est. Vir fuit singulari prudentia præditus, nihil sine maturo consilio aggredi solebat, frugalis in mensa, Divino officio præsertim matutinali assiduus, ægros frequens visebat, & eos caritatis officiis tum spiritualibus tum temporalibus ad mortem usque solabatur, denique pietatis eximiæ præbuit omnibus exempla. Singulare decretum circa ordinandos statutis annexuit. Obiit redux ex visitatione Furnensi
19. Aprilis an. 1676. ætatis 52. sepulcro illatus 1676. in choro superiori, in medio versus Australem murum, sub lapide cæruleo marmoreo, cui inscripta est hæc simplex & modesta epigraphe.

DEO OPT. MAX.

HENRICUS

Dei & apostolicæ sedis gratia undecimus Iprensium episcopus, cinis & umbra, obiit XIX. Aprilis MDCLXXVI. Requiescat in pace.

XIII. GUILLELMUS. HERINKX.

Helmondæ in Majoratu Silvæducensi natus, ordini sancti Francisci nomen dedit apud patres Recollectos. Theologiam pluribus annis professus, inde Germaniæ inferioris provincialis fuit, postea definitor generalis & commissarius in Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, & utraque Germania, demum Iprensibus infulis ornatur, & capta possessione 16. Octob. anni 1677. antistes sacratur 1677. eodem anno Bruxellis 24. ejusdem mensis ab archiepiscopo Mechliniensi, cui assistebant Brugensis & Ruræmundensis præsules. Urbem suam solemniter adivit 20. Novembris insequenti & postridie e templo Recollectorum in ecclesiam cathedralem introductus est, gratulante sibi universo populo, quem verbo & exemplo quoad supervixit, docuit & fovit, immatura morte sublatus 16. Augusti anni 1678. ætatis 59. episco- 1678. patus mense decimo nondum expleto. Summa sua Theologica notissimus, jacet in choro superiori ad partem Aquilonarem, cum sequenti elogio.

HIC SITUS EST

GUILLELMUS HERINKX episcopus Iprensium duodecimus, e Seraphica D. Francisci familia, ob virtutem & omnimodam eruditionem ad has infulas assumtus. Eximias viri dotes Europa, quam pene omnem cum præcipuo ordinis sui munere obivit, cum fructu sensit : quibus fulgentem plus gemmis mitram e sede concionatoria spectandam præbuit accurrenti & sibi gratulanti populo Iprensi universo. Raptus est XVII. cal. Septembris anno MDCLXXVIII. nondum decimo sui pontificatus mense elapso. Requiescat in pace.

XIV. JACOBUS. van LIERE.

Audomaropoli ortus Jacobus, juris utriusque licentiatus, & Audomarensis ecclesiæ cathedralis decanus, a Ludovico XIV. Francorum rege antistes Iprensis nominatur an. 1679. urbe non ita pridem Galliæ regno adjecta, sed ob dissidia Romanum pontificem inter & Regem tunc temporis exorta, bullas obtinere non potuit. Itaque jure suo cessit anno 1695. retenta pensione a Rege sibi assignata, & obiit 6. Sept. 1703.

XV. MARTINUS III. DE ROTABON.

Sublatis difficultatibus ad hanc sedem promotus est Martinus de Ratabon illustri loco Parisiis natus, sacræ theologiæ doctor e domo Navarrica,

ANNI CHRISTI

Regi ab eleemosynis, necnon vicarius generalis episcopi Argentinensis & abbas Herdtiensis* Lutetiæ consecratur in antistitem in abbatia S. Germani a Pratis in sacello interiori B. Mariæ ab Emin. Cardinali Guillelmo Egon de Furstemberg episcopo Argentinensi & abbate ejusdem
1693. loci die 6. Decembris an. 1693. assistentibus Francisco de Caillebot de la Sale Tornacensi & Johanne Balthasare de Cabanes de Viens Vencienfi præsulibus. Possessionem accepit per procuratorem 15. die ejusdem mensis & anni. Solemnem ingressum fecit in urbem suam anno sequenti 16. Maii, & postera die ex seminario ad ecclesiam cathedralem festiva pompa deductus est. Rexit ad annum 1713. quo dimisso hoc episcopatu ad Vivariensem traducitur, nominatus a rege Christianissimo 22. Aprilis eodem anno.

* Ita novus editor operum Miræi.

DE LAVAL DE MONTMORENCI.

XVI. Carolus-Franciscus Guido.

Nobilissima gente satus Carolus-Franciscus Guido, ex metropolitanæ ecclesiæ Cameracensis canonico & archidiacono, subrogatur Martino de Ratabon a Rege Christianissimo designatus
1713. anno 1713. Sacro delibutus est oleo Cameraci ab ejusdem civitatis archiepiscopo, cooperantibus Ambianensi & Audomarensi episcopis, 6. Maii ejusdem anni. Vix trimestris episcopus morte corripitur 26. Augusti eodem anno, ætatis suæ 45. Quo sublato summus pontifex Clemens XI. episcopum huic sedi destinavit Thomam-Philippum de Boussu de Alsatia comitem, cathedralis ecclesiæ Gandavensis decanum, qui paulo post a Carolo VI. Cæsare renuntiatur archiepiscopus Mechlin. & exinde S. R. E. presbyter Cardin. tituli S. Cæsarii creatus est.

DE SMEDT.

XVII. Johannes-Baptista.

Ex Lokeren haud incelebri Flandriæ Wasianæ municipio ortum traxit Johannes-Bapt. de Smedt honestissimis editus parentibus. Hic data primum summa cum laude politioribus litteris opera, Philosophiæ sic incubuit, ut in solemni quatuor collegiorum Lovaniensium concursu palmam ceteris præripuerit, inter sodales primus renuntiatus; inde philosophiam professus est in eadem academia, & theologiam edoctus ipse, licentiæ gradum obtinuit, ac primum ad plebanatum SS. Michaëlis & Gudulæ Bruxellis promovetur, tum inde avulsus, & canonicatu graduato theologico Mechliniæ cohonestatus, præses etiam seminarii archiepiscopalis constituitur & pœnitentiarius, tandem imperiali & regia Caroli VI. Cæsaris nominatione antistes Ipsensis designatus, pontificalibus infulis ornatur Mechliniæ in æde metropolitana sacratus ab episcopo Antuerpiensi in absentia archiepiscopi, 21. Aprilis an. 1721. assistentibus Henrico-Josepho van Susteren Brugensi & Ludovico- 1721.
Francisco Roscio de Libois Thermopolensi, suffraganeo Leodiensis episcopi. Hactenus præest.

DECANI IPRENSES.

Suppressa præpositura, erectus est decanatus, cui in dotem obtigit medietas proventuum decanatus ecclesiæ Morinensis exstinctæ, præbenda & domus per decanum S. Martini haberi & possideri solitæ, & tam ipsi quam archidiacono una medietas bonorum & proventuum, quos duo canonicatus & præbendæ Morinenses ex quinque suppressis obtinebant. Altera vero medietas reliquis dignitatibus in ecclesia Iprensi erectis æquali portione cessit.

I. Johannes Snick ultimi præpositi ex fratre nepos, postremus ipse præpositus & primus ecclesiæ in cathedralem erectæ decanus, decessit die 6. Maii anno 1589. jacet sepultus in choro sub hac inscriptione.

Sepultura D. Johannis Snick postremi præpositi hujus ecclesiæ in cathedralem erectæ an. 1563. & ejusdem primi decani, qui obiit an. 1589. 6. Maii. Orate pro eo.

II. Antonius Vlamiinck ex Ninive, *seu* Ninovio Flandriæ oppidulo, J. U. L. fuit primum cantor in ecclesia collegiata Ariensi, inde canonicus nobilis graduatus Iprensis de membro Morinensi, ac successive officialis, scholasticus, archipresbyter, archidiaconus, ac demum decanus electus an. 1589. possessionem apprehendit 27. Maii eodem anno. Vicarii generalis munere pluries functus est. Fundavit Ninovii in patria gerontotrophion de Nazareth, seu domum hospitalem pro senibus, in fabricam ecclesiæ & in egenos valde munificus fuit. Seminario Iprensi 300. florenos legavit, & in fata concessit 8. Martii anno 1590. ætatis 64. sepultus ex adverso sedis suæ decanalis, cum hoc epitaphio.

Sepultura venerandi domini Antonii Vlamiinck decani & canonici hujus ecclesiæ cathedralis Iprensis, qui 8. Martii 1590. diem clausit extremum anno ætatis suæ 64. & officialatus 25. Orate pro eo.

III. Judocus Veranneman Brugensis & in utroque jure licentiatus, ex canonico & cantore Ariensis ecclesiæ primum, inde canonicatum de membro Martinensi adeptus in ecclesia cathedrali, postea in decanum assumitur, cujus dignitatis possessionem cepit 21. Oct. 1598. Adfuit concilio provinciali Mechliniæ habito an. 1607. unus ibidem ex judicibus synodalibus constitutus. Obiit XI. Aprilis an. 1619. condito testamento, in quo multa legavit. Sepulcro illatus est in choro inferiori, cum hac epigraphe.

Sepultura venerab. ac nobilis viri domini Judoci Veranneman decani hujus ecclesiæ, qui obiit undecima Aprilis 1619. ætatis suæ 83.

IV. Franciscus I. vander Eijcken ex diœcesi Mechliniensi, canonicus de membro Morinensi,

quartus decanus creatur, in possessionem missus 6. Februarii an. 1621. Alberto & Isabellæ Belgarum principibus, necnon cardinali Hispaniarum infanti a sacris oratorii fuit. Vir prisci candoris, & in pauperes dum viveret valde munificus. Finem vivendi fecit 16. Julii anni 1638. testamenti tabulis paulo ante scriptis 25. Maii eodem anno. Jacet in choro inferiori hoc elogio cohonestatus:

D. O. M.

Et memoriæ nobilis & reverendi admodum domini FRANCISCI *vander* EIJCKEN *cathedralis hujus ecclesiæ decani, Alberto & Isabellæ Belgarum principibus, Hispaniæ principi Ferdinando a sacris oratorii, &c. obiit die 16. Julii 1638.*

V. Guillelmus I. vander Sterre in diœcesi Silvæducensi natus, sacræ theologiæ licentiatus, canonicus membri Morinensis in ecclesia Iprensi eo munero graduatorum in theologia, primo thesaurarius, ac successive archipresbyter & archidiaconus, demum decanus quinto loco efficitur, possessione donatus 27. Augusti an. 1639. subita morte occubuit 22. Julii 1663. legatis ecclesiæ cathedrali omnibus, quæ sibi post obitum evenirent fructibus tam ex dignitate, quam ex canonicatu, vel eorum loco mille florenis. Sepulturam habet a latere Georgii de Chamberlain episcopi, ad gradus chori superioris a parte throni episcopalis, sub hoc epitaphio.

D. O. M.

Reverendus admodum dominus GUILLELMUS *vander* STERRE *S. T. L. mortalitatis suæ exuvias hic deposuit, qui olim in sacra æde canonicus, thesaurarius, archipresbyter, archidiaconus ac V. decanus, necnon sedis vacantis vicarius tertio generalis, pro clero Flandrensi ad ejusdem provinciæ membra primarius deputatus, sæpiusque ad episcopatum denominatus, pietate, prudentia ac fama clarus, vixit simul & luxit,*

eXCessIt ferIIs MagDaLenæ

Anno ætatis suæ LXIV. *ut cœlo æternum luceat, dic, viator, requiescat in pace.*

VI. Franciscus II. Caron Hesdiniensis in diœcesi Audomar. J. U. L. primum canonicus membri Furnensis, dein Morinensis e numero graduatorum in jure, thesaurarius, postea decanus sextus evasit, in possessionem inductus 23. Junii 1664. Festum S. Francisci patroni sui celebrandum fundavit in ecclesia cathedrali, cujus fabricæ omnes proventus sibi in die mortis suæ ex decanatu & præbenda debitos, necnon omnia mobilia sua & pecuniam testamento legavit. Naturæ debitum solvit 24. Januarii an. 1681. & sepultus est in choro inferiori haud procul a sede decanali, sub hoc elogio.

D. O. M.

FRANCISCUS CARON *ecclesiæ hujus canonicus graduatus & decanus hic situs est. Obiit* IX. *calend. Februarii anno* MDCLXXXI. *insigni munificentiæ suæ dono fabricæ relicto. Requiescat in pace.*

VII. Guillelmus II. Merghelijnck Iprensis, & in utroque jure licentiatus, Francisco Johanni de Robles episcopo Iprensi quondam fuit a secretis, tum canonicus in ecclesia collegiata S. Petri Casletensis, inde, canonicatum membri Morinensis in hac cathedrali basilica nactus, officialis quoque & tandem decanus effectus est, cujus dignitatis possessionem inivit 29. Maii 1681. sæpe etiam vicarii generalis, sede vacante, munus obivit. E vivis exemtus 9. Novembris 1698. ætatis suæ 76. jacet in superiori choro juxta gradus altaris ad cornu evangelii, cum adjuncta hac inscriptione:

D. O. M.

Et piæ memoriæ GUILLELMI MERGHELYNCK *septimi hujus ecclesiæ cathedralis decani, per plurimos annos officialis; & vacante sede episcopali vicarii generalis. Obiit 9. Novembris 1698. ætatis suæ 76. Requiescat in pace.*

VIII. Johannes-Baptista de la Montagne ex diœcesi Burdegalensi J. U. L. eligitur decanus 7. Februarii 1699. & possessionem apprehendit 14. ejusdem mensis & anni. Mortuus est Boloniæ ad Mare 5. Augusti 1703. ætatis suæ 58. Terræ mandatur in ecclesia cathedrali in sacello ad sinistrum latus chori.

IX. Paulus-Robertus Hertault de Beaufort, Italus, Pinarolii in Pedemontio natus, ex parentibus tamen Boloniensibus, patre civitatis hujus majore existente, doctor Sorbonicus, creatur decanus Iprensis, & in possessionem mittitur 19. Januarii an. 1704. Vivit hactenus episcopus Lactorensis & abbas Foresti-monasterii in diœcesi Ambian. cui successit in decanatu

X. N. du Plessis Bruxellensis.

DE ABBATIIS DIŒCESIS IPRENSIS, QUÆ NON AMPLIUS EXTANT.

I. WOROMHOLTUM *Wormhoult*, locus est in Morinorum & Flandriæ confinio ad fluviolum Penam, secundo lapide a Bergis S. Winoci, nec longe a Sithiensi monasterio. Hunc dederat S. Bertino vir nobilis, *Heremarus* nomine; ipsumque denuo calendis Nov. anno 1. Childeberti *regis*, hoc est 694. *vel* 695. suo privilegio firmavit. Illuc porro S. Winnocus ex regali prosapia in inferiori Armorica genitus, sanctorum videlicet Judicaëlis ac Judoci consanguineus, cum tribus sociis Quadanoco, Ingenoco & Madoco, genere itidem spectabilibus a S. Bertino missus est, ut ibi cœnobium ædificaret, eidemque præesset. Nec mora; injunctum opus aggreditur, summaque diligentia sub patrocinio S. Martini oratorium erigit, cum exiguo fratrum conventu, quem cum sanctissima vita illustrasset, simili morte consecravit VIII. idus Novemb. an. 717.* Nunc parochialis est S. Martini ecclesia in Insula. Primum vero ibidem conditus est S. Winocus, deinde, Normannis ea loca vastantibus, corpus ejus Audomaropolim in Sithiensi monasterio deportatum an. 846. tandemque Bergas, sed de hac postrema translatione dicemus infra, ubi de Bergensi S. Winoci monasterio. Inter hæc autem Gerardus Sperliacensis comes suum prædium Sperliacum an. 852. Woromholtanis cœnobitis attribuit, monasterio ibidem ædificando; at paulo post utrumque cœnobium a Danis eversum est; unicum abbatem reperimus S. Winnocum, de quo supra. Exstat ipsius vita seculi III. Bened. part. 1. pag. 301. & seq.

*716. et *Mycro*.

II. IPRENSIS S. MARTINI ecclesia ab initio collegiata secularis, tum anno 1102. in regularem ord. S. Augustini conversa, litteris Johannis episcopi Tarvan. apud Miræum editis tomo 2. novæ editionis, pag. 1149. abbatiæ titulum obtinuisse videtur eodem seculo mediante. Helmarus enim abbas Iprensis, haud dubie S. Martini testis est an. 1141. in charta Theoderici Flandrensium comitis pro ecclesia Tarvanensi; itemque Balduinus abbas Iprensis an. 1164. IV. nonas Aug. die Dominica indict. XII. adfuit in cœnobio Marcianensi Henrico Remensi archiepiscopo reliquias S. Rictrudis in scrinio argenteo recondenti; ex altero Martenii nostri Itinerario, pag. 93. Demum hæc ecclesia facta est cathedralis, anno 1559. & canonici regulares versi sunt in seculares.

III. MERCKEM pagus in diœcesi aliquando Morinensi, nunc Iprensi, duabus circirer ab urbe primaria leucis, sub decanatu Dixmudano, sesquimilliari a Dixmuda Flandriæ oppido, olim habuit abbatiam monialium ordinis S. Benedicti, fundatam a Clementia Flandriæ comitissa sub finem XI. seculi, aut initium XII. necnon etiam a Philippo Alsatio Flandriæ comite anno 1180. dotatam. Sed cum medio seculo XVI. per Iconoclastas aliosque furibundos rebelles diruta fuisset, ipsius bona auctoritate Pontificia ac Regia Iprensi collegio patrum Societatis Jesu addicta fuerunt. Sequentes abbatissas eruimus ex necrologio Nonenbosci.

Mir. novæ edit. pag. 1319.

I. LUCIA, nonis Januarii.
II. Agnes I. quarto nonas Jan.
III. Agnes II. de Bofflers, XV. cal. Aug.
IV. Elisabeth, XIX. cal. Septemb.
V. Margareta van Hulle, XVIII. cal. Dec.
VI. Beatrix, IV. cal. Decemb.
VII. Agnes III. septimo cal. Jan.
VIII. Martina Willaerts Nonembosci sanctimonialis, deinde abbatissa de Merckem, obiit III. cal. Jan.

ABBATIÆ IN SUO PRIMÆVO STATU PERMANENTES.

ORDINIS S. BENEDICTI.

S. JOHANNES in Monte, vulgo, *S. Jean d'Ipres.*
Mons S. Winoci, *Berg S.t Vinoc.*

FEMINARUM.

Messina, *Messine.*
Nonnenboscus, *Nonnenbosche.*
Anglicanæ virgines apud Dunkerkam.
Anglicanæ virgines apud Ipras.

ORD. S. AUGUSTINI.

Loa, *Lo.*
Formosella, *seu* Formisella, *Wormezel.*
Sonnebecca, *seu* Zonebecka.
Eversham.
Warnestonium.

FEMINARUM.

Pons-Rohardi, *Pontrohart*, ou *Roisebrech* & *Roisbrugge.*
Novum Claustrum, *seu* novum Monasterium.

ORD. PRÆMONSTRAT.

Furnum, *Furnes.*

ABBATIA S. JOHANNIS IN MONTE.

Autrefois S.t JEAN DE THEROUANNE, à present S.t JEAN D'IPRES.

SIc dicta est a situ, nempe a monte Morinensi, qui prius intra ipsam civitatem positus erat; unde constanter in veteribus monumentis usque ad annum saltem 1252. appellatur monasterium S. Johannis in monte Morinensi, *vel* S. Johannis Morinensis, *seu* Therouanensis, vel quod idem est, lingua Gallica *S.t Jean de Therouane.* Verum postea, cum ipsa civitas, quo aptior esset ad bellum

Bungundionibus pro arbitrio inferendum, in angustiorem formam redacta fuisset, monasterium ab illa exclusum est; unde ab anno 1287. & deinceps nuncupatur semper S. Johannis prope vel juxta Morinum, aut lingua Gallica *lez Therouane*, seu *prez de Therouane*. Porro conditorem habuit an. 686. Theodericum Francorum regem, in expiationem scilicet cædis S. Leodegarii Eduensis episcopi, quem Ebroinus major domus, dicto Rege non improbante, martyrio affecerat: Floruit in primis hoc Benedictinum monasterium per octo continua secula cum dimidio, quod quidem adhuc an. 1518. alebat 28. sacerdotes monachos, præter alios clericos, novitios B & conversos. Eo gaudebat privilegio conventus, quod in publicis supplicationibus latus sinistrum collegii cathedralis obtineret; & abbas infulatus episcopum comitaretur. Cetera omittimus, qualia sunt, in spiritualibus soli summo pontifici subjacere, ac in temporalibus jus aulæ abbatialis habere, in qua jus dicebatur, & per feudatorios ejusdem occurrentes causæ finiebantur. Vide Miræum novissimæ editionis, pag. 1325. At vero hic splendor plurimum imminutus est, sin minus deperiit an. 1538.* quo dissipatum est monasterium a Carolo V. imperatore, quod quasi castrum esset respectu civitatis Tervanensis; ipsaque tandem excisa est post diutinam obsidionem anno C 1553. quod sub ditione Regis Franciæ in meditullio Artesiæ constituta, inde quasi ex arce totam patriam infestaret. Hinc igitur monachorum disperso grege, alii, nimirum Franci in grangiam seu prædium abbatiæ, diœcesis Boloniensis recesserunt, alii vero Burgundiones in suam domum, quam vocant refugium apud Audomaropolim; quibus & postea Philippus II. Hispaniarum rex in compensationem aliqualem diruti cœnobii, præceptoriam seu domum hospitalem sancti Antonii prope Balliolum in diœcesi Iprensi, annuente Papa, concessit an. 1568. Tum vero ibidem D constructis juxta ecclesiam præfati hospitalis locis regularibus monachorum usibus necessariis, sub congregatione Bursfeldensi, Deo ibidem aliquot annis militarunt, donec ab hæreticis Iconoclastis & perduellibus vastato monasterio & ecclesia diruta inde pulsi fugatique exsulare coacti sunt. Sed Deo tandem miserante, qui imperat ventis & mari, cessante procella, sub auspiciis serenissimæ principis Isabellæ-Claræ-Eugeniæ Hispaniæ infantis, datis ab ea litteris an. 1598. 3. Novembris, & a Petro Simons Iprensi episcopo 1599. intra mœnia civitatis Iprensis cum omnibus suis privilegiis & immunitatibus translati sunt; ubi a præ- E dicto loci antistite & toto clero, ipsoque senatu, multisque primoribus urbis gratanter excepti & in cives cooptati, statim novi monasterii constructionem aggressi sunt juxta S. Nicolai parochialem ecclesiam, in cujus choro sua peragunt officia, inquit Miræus loco citato, qui quidem addit eos nonnisi ab an. 1608. in urbe Iprensi commorari, sed hoc de absolutis ædificiis intelligendum videtur. Porro abbas jure sessionis gaudet in comitiis pagi Atrebat. quia scilicet præcipui ejus reditus in Arthesia positi sunt. Ceterum de

* al. 1536.

A Capellensi monasterio diœc. olim Morin. huic unito bulla Martini V. anno 1419. dicemus in veteribus monasteriis diœcesis Bolon. de quo interim videndus Locrius, si lubet, pag. 227.

SERIES ABBATUM.

I. AZELINUS reperitur abbas de Monte S. Johannis anno 1022. indictione VI. Roberto rege Francorum, in charta Roberti Burgundiæ ducis filii Roberti regis, de Juliaco Cluniacensibus restituendo, t. VI. Fragm. nostri D. Cl. Estiennot, pag. 96. Vocatur Azzelinus in charta donationis factæ monasterio Fructuariensi ab Othone Willelmo Burgundiæ comite, biblioth. Sebus. pag. 377.

II. Floridus abbas S. Johannis testis est an. 1097. XV. cal. Nov. in charta Gerardi episcopi Morinensis pro S. Bertini cœnobio.

III. Ingelbertus abbas S. Johannis subscripsit chartæ Johannis Morinensis episcopi an. 1122. Andrensis monasterii prædia confirmantis. *Mir. nova edit. pag. 373.*

IV. Folquinus obiit an. 1128. Paulo post autem, anno scilicet 1135. monasterium patitur incendium.

V. Theodoricus memoratur 1156. in pacto inter monachos S. Vedasti & Robertum advocatum de Bethunia, ex schedis viri Cl. D. Maillart patroni in suprema curia Paris. Præerat adhuc 1162. vide in Viconia, tom. 3. novæ Gall. Christ.

VI. Nicolaus I. abbas S. Johannis Tarvanensis dedit Evrardo abbati & monasterio Clari-marisci terram cum nemore, circiter 40. mensuras ad virgam comitis Flandriæ in parochia de Avesnes in compensationem pecuniæ 28. marcharum argenti, quam donationem Desiderius episc. & Evrardus decanus Tarvanensis confirmant. Idem Nicolaus interfuit elevationi reliquiarum S. Folquini, cum pro tertia vice visitarentur in monasterio S. Bertini. Decessit Audomaropoli anno 1181.

VII. Martinus occurrit 1185. in charta Desiderii episc. Morinensis pro Blangiaco, & 1189. in charta ejusdem præsulis transanctionem initam Corbeiensem inter ecclesiam & Balduinum militem de Vainnes confirmantis.

VIII. W. S. Johannis in Monte Morinensis diœcesis abbas, super decimis d'Auchel paciscitur cum abbate Hamensi an. 1201.

Hugo hîc apponitur in quodam abbatum catalogo minus accurato.

IX. Rogerius interfuit an. 1221. translationi corporum S. Oswaldi, *seu* Eduardi regis & martyris, & S. Idabergæ virginis in novam capsam, factæ in monasterio S. Winoci. Anno seq. transigit cum monasterio S. Augustini. Vide Gervasii Sagiensis epist. 19.

X. Nicolaus II. reperitur abbas S. Johannis Morin. 1225. mense Martio in tertio chartul. S. Bertini, teste Balusio.

XI. Bernardus I. sedebat 1231. & 1232. quo anno cum tribus aliis arbitris querelam composuit inter monasterium S. Augustini & Rainaldum de Aria. Obiit 1234.

XII.

XII. Willelmus I. societatem iniit cum Thoma A S. Augustini abbate, qui obiit 1240. ex archivo hujus cœnobii.

XIII. Michael 1243.

XIV. Garinus abbas S. Johannis Morinensis transigit cum abbate Hamensi an. 1256. Num idem ac W. hoc est Warinus, abbas ecclesiæ S. Johannis in Monte Morinensis diœcesis, memoratus 1281. in chartulario S. Salvatoris Hamensis?

XV. Egidius an. 1293. mense Januario ea recensuit bona, quæ suum habebat monasterium in comitatu S. Pauli, ex schedis D. Maillart.

XVI. Johannes I. de Crequy præerat anno B 1316.

XVII. Balduinus an. 1323. die 5. Jan. societatem iniit cum Johanne abbate Hamensi. Defecit an. 1325.

XVIII. Johannes II. floruit an. 1350. post quem in catalogo memorato inducuntur Theodoricus, Nicasius, Robertus, Willelmus & Michael, ex quibus jam pluribus suam propriam sedem restituimus.

XIX. Willelmus II. Gamet, *vel* Gammet 1372. & 1383. ex inscriptione campanæ in parochia de Sains in Artesia repertæ.

De Fourny Maréchaux de France. XX. Johannes III. de Crequy, filius Johannis C IV. de Crequy & Johannæ de Roye mortuæ an. 1434. fuit monachus & abbas S. Johannis in monte Tarvanensi.

XXI. Johannes IV. de Fiennes 1449. & 1456. Hic anno 1455. misit procuratores ad concilium, ex archivo Remensis archiepisc.

XXII. Matthæus 1472. qui quidem habuisse videtur æmulum N. de Lesbarde, petente Ludovico XI. donatum bullis a Paulo II. circa annum 1470. Ut ut est, post Matthæum in prædicto catalogo recensentur Walterus, Thomas Raul, Johannes Silly, Hugo II. Eligius de Cruce, Matthæus le Noir, & Nicasius II.

XXIII. Sigerus Hennequin omissus in prædicto catalogo, tanquam administrator S. Johannis juxta Morinum ord. S. Benedicti transigit cum abbate Capellæ an. 1475. 21. Junii ex apographis ad authentica collatis, asservatis in bibliotheca D. Maillart.

XXIV. Antonius d'Albon, etiam abbas Insulæ Barb. ubi vide tom. 4. superiore; cessisse vero dicitur anno 1504.

XXV. Johannes V. de S. Audomaro Antonii successor in prædicto catalogo usque ad obitum, qui contigit an. 1520. *al.* 1517. dicitur alibi cessione N. de Lesbarde, de quo supra, abbatiam obtinuisse usque ad an. 1518.

XXVI. Johannes VI. Tabbaert quem alibi lego N. Tribart, superiori cedente, bullas obtinet favore Caroli V. imperatoris; sed æmulum habuit N. Disque a Francisco I. rege Francorum nominatum, & bullis etiam pontificiis munitum, qui per annos 17. præfuit: at post expugnatam Tervanam, N. Tribart abbatiam occupavit ad an. 1525. Porro huc revocanda sunt, quæ supra diximus de monachorum tunc temporis divisione, aliis scilicet in prædium abbatiæ diœc. Bolon. secedentibus, aliis apud Audomaropolim. Hujus siquidem occasione divisionis duo fuerunt abbates, alter regularis ab Hispaniarum Rege confirmatus, commendatarius alter Regis Francorum nominatione.) Interea tamen

XXVII. Franciscus I. Everaedt, *seu* Everardt Iprensis, ex alumno ejusdem loci creatus abbas 1526. memoratur 1531. in consuetudinibus S. Audomari, ex schedis D. Maillart, cujus anno decimo, Christi 1536. a Burgundionibus monasterium funditus eversum est. Moritur anno seq. in civitate S. Audomari, sepultus in ecclesia S. Dionysii, ante summum altare.

XXVIII. Franciscus II. d'Averhoudt ab Helfaut primum canonicus Morinensis, tum abbas Lisquensis ord. Præmonstrat. deinde S. Johannis in Monte ab an. 1537. ad annos septem, quos apud S. Audomarum cum fratribus transegit, postea Winocensis ab an. 1544. ad decennium; tandemque ad Gandavensem S. Petri abbatiam traductus, ibidem obiit an. 1567. Interea vero Petrus Bisque, haud alius profecto ab N. Disque æmulo Johannis Tabbaert, de quo supra, abbatiam S. Johannis de Monte permutavit cum Renato de Lambreco abbate commendatario B. Mariæ de Arasis[a] ejusdem ordin. Bened. diœc. Camerac. laudante Papa 7. Maii 1540. ex codice MS. collatas a summis pontificibus beneficiorum provisiones continente, sive, ut alibi legimus, mortuo N. Disque, Rex Christianissimus nominavit Renatum Laubier.

XXIX. Johannes VII. Faschin Atrebatensis; ex monacho Sanvedastino factus est abbas S. Johannis an. 1544. qui cum Audomaropoli assidue commoraretur, locum hunc curiæ abbatialis privilegio insigniri obtinuit ab imperatore Carolo V. sive tribunal in ea constitui & jus dici, quemadmodum in ipsius monasterii curia, ante ipsius eversionem fieri consueverat. Idem an. 1551. D præposituram Watinensem acceptam in commendam postmodum transcripsit, anno scilicet 1565. Audomarensi præsuli, monachis tamen in ea jugiter divina facientibus. Cum autem an. 1562. die 14. Aug. domum præceptoriam S. Antonii prope Balliolum, Hispaniarum Regis beneficio accepisset, in eam paulo post conventum transtulit, ipsumque ad meliorem vitam revocare, adscito sibi coadjutore, cogitavit. Fato functus est Audomaropoli an. 1570. ætatis 85. magno sui relicto desiderio; cujus & successorum vindicandæ memoriæ posuit marmor & inscripsit Bernardus de Cerf abbas & ipse hoc tenore: *Mortalium vindici* E *sacrum. Quiescunt hic cœnobii hujus venerandi abbates D.* JOHANNES FASCHIN, *qui eversis Morinis exul Audomari vivere desiit 6. Julii 1570.* Sepultus est apud Balliolum, deinde translatus Ipras.

XXX. Johannes VIII. de Myrica, *seu* vander Heyden, antea Dominicanus & hæreticæ pravitatis inquisitor in Flandria, ex coadjutore ab an. 1566. factus abbas 20. Julii 1570. & 28. ejusdem mensis confirmatus a Martino Iprensi

[a] Quid sit hæc abbatia, nobis hactenus incompertum.

episcopo, prima die Augusti ab eodem munus benedictionis accepit. Hujus tempore monasterium summis laboribus Ballioli restauratum, reformatumque secundum constitutiones Bursfeldenses, denuo ab hæreticis funditus evertitur. Denique postquam & ipse sibi coadjutorem adlegisset, diem extremum obiit an. 1584. sepultus in ecclesia Fratrum Prædicatorum Audomarensium. Habet autem in præfato marmore sequentem inscriptionem: *D. Johannes van Heyden decessoris coadjutor etiam exul, ibidem* (Audomaropoli) *fato concessit 6. Jan. 1584.* Interim vero legimus in codice MS. provisiones summorum pontificum complectente, Godefridum Hardy institutum fuisse abbatem S. Johannis in Monte ord. Bened. dioec. Morin. nunc Bolon. tempore Gregorii XIII.

XXXI. Vincentius du Bur cum esset prior & coadjutor, electus fuit abbas 10. Januarii 1584. atque benedictus 15. *vel* 22. ejusdem mensis ab episcopo Audomarensi. Hic an. 1596. ad comitia Flandriæ deputatus, an. 1622. quasdam reliquias Blangiacensi monasterio concessit, cum jam tunc in urbe Iprensi sedem conventus fixisset, tentata prius apud Balliolum monasterii restauratione. Ipris decessit anno 1627. die 4. Septembris, ætatis suæ anno circiter 81. coadjutoriæ dignitatis quinto, abbatialis 44. *vel* 43. Talis est ipsius epigraphe in tabula marmorea, de qua supra: *D. Vincentius du Bur Balliolo pulsus a sectariis, hic ædificavit. Obiit 4. Septembris 1627.*

XXXII. Valentinus de Berty inauguratus abbas 1632. locum habet in prædicta inscriptione, his verbis: *D. Valentinus de Berti, qui has ædes auxit, mortuus est Gandavi in comitiis 7. Julii 1637.*

XXXIII. Franciscus III. van Waelscapelle obiit 28. Aug. 1645. in majori Bigardia, ubi fuerat a confessionibus. Ita ejus inscriptio.

XXXIV. Placidus Marivaal, urbe Iprensi a Francis occupata, exsulavit in monasterio Affligemiensi, quo tempore, anno 1649. interfuit benedictioni Hieronymi Marlier abbatis S. Gisleni; cumque hoc ipso anno urbs prædicta Hispano se dedisset, rediit ad suum monasterium, ubi placide tandem obdormivit 28. Oct. 1658. teste prædicto marmore, ætatis anno 58. professionis 40. sacerdotii 32. exactis in abbatiali dignitate annis 12. cum sex mensibus. Inter hæc a Rege Francorum nominatus est abbas quoad fruitionem bonorum, quæ erant in Francia, Claudius Germain decanus ecclesiæ Trecensis an. 1656. bullasque obtinuit, & post hunc Johannes Germain curio de Marquise in tractu Boloniensi, *al.* canonicus Boloniensis.

XXXV. Bernardus II. de Cerf hinc primum assumtus ab Aldenburgensibus in priorem, tum vero a suis revocatus an. 1658. ut esset abbas S. Johannis, Tornaci benedictionem percepit an. 1660. Mortuus est anno ætatis suæ 75. monasticæ conversationis 59. sacerdotalis dignitatis 49. *qui vindicandæ horum abbatum memoriæ, suæque asserendæ, hoc marmor posuit, & obiit 7. Martii*

A *1679.* Sic explicit prædicti marmoris epigraphe. Interea per obitum Johannis Germain, de quo in articulo superiore, a Rege Francorum nominatus est abbas 19. Nov. 1675. Franciscus de Chaliveau Nicolai Lavocat Billiad episcopi Bolon. ex sorore nepos, filius Francisci domini d'Anzan subpræfecti generalis aquarum & sylvarum in regno Franciæ, canonicus ecclesiæ Turon. qui anno 1681. cum suo fratre Johanne Thimoleone de Chaliveau, prædicto avunculo suo Nicolao Boloniensi episcopo monumentum posuit in ecclesiæ Bolon. choro, ubi Franciscus de Chaliveau dicitur abbas S. Johan. de Monte.

B XXXVI. Robertus Baert electus abbas a fratribus Ipris commorantibus, confirmatur 20. Aprilis 1680. a Rege Francorum urbis domino ab anno 1678. qui & anno 1695. 23. Martii decreto sui sanctioris consilii omnia bona & jura antiquæ abbatiæ S. Johannis attribuit eidem Roberto, unaque suppressit titulum abbatialem, quo dominus de Chaliveau successor abbatum S. Johan. Bolon. insignitus erat. Decessit autem Robertus 19. Julii anno 1700. ætatis 72. professionis 50. sacerdotii 45. & abbatialis dignitatis 20.

C XXXVII. Alexander-Ludovicus de Gouy de Cartigny doctor Facultatis Paris. & major vicarius Iprensis episcopi, a Rege Christianissimo designatur abbas regularis S. Johannis Iprensis an. 1700. 22.* Augusti. Bullasque accepit a Clemente XI. datas 26. Febr. anno seq. Hic anno 1708. privati consilii Regis decreto compescuit Claudium Boucher, qui veterem abbatiam de Capella jam pridem monasterio S. Johannis unitam obtinuerat in commendam. Unde etiam anno 1710. 21. Jan. curiæ Parisiensis placito, eidem abbati, ejusque successoribus assertum est jus patronatus ecclesiæ de Marka prope Calesium, dependentis a Capellæ abbatia, tanquam subrogato omD nibus juribus & prærogativis abbatis de Capella. An. 1708. 1711. & 1722. fuit deputatus comitiorum Artesiæ pro clero, quo nomine salutavit Regem nomine Ordinum omnium suæ provinciæ. Adfuit etiam benedictioni abbatis S. Bertini Parisiis in ecclesia S. Martini a Campis, ab archiepiscopo Camerac. priore ejusdem ecclesiæ celebratæ. Adhuc superest hoc anno 1729. ineunte, & utinam ad plures annos optimus abbas!

* al. 15.

MONS S. WINOCI

BERGH S. VINOC.

E SEU BERGENSE S. WINOCI monasterium ord. S. Benedicti, in diœcesi olim Tarvanensi, nunc Iprensi, suam eximiæ hujus sancti famæ originem debet. Cum enim sub annum 900. *vel* 920. ex Meyero, Balduinus, cognomento *Calvus*, Flandriæ comes, firmato apud Bergas præsidio corpus S. Winoci abbatis, quod ex Woromholtensi monasterio Audomaropolim, ob grassantes Normannos delatum fuerat, ad ecclesiam SS. Martini & Winoci, ab ipso Bergis in decliviori parte oppidi ædificatam pro clericis secularibus (modo parochialem) transtulisset, ac post centum & amplius annos, seu 1028. ex

Mir. nova edit. pag. 511.

Meyero, citius tamen fortasse aliquot annis, ut mox videbitur, prædicti clerici rem divinam negligenter peragerent, Balduino Barbato Flandriæ itidem comiti visum est S. Winoco cœnobium exstruere in superiori oppidi parte, eoque corpus sacrum inferre, monachis ex Bertiniano monasterio accitis, quibus tum possessiones pulsorum canonicorum, tum census Wormholtanos attribuit.

Series Abbatum.

I. RODERICUS ex monacho Vedastino abbas Sithivensis an. 1021. deinde simul Bergensis ab anno 1030. (aiunt) in annos septem, quibus expletis reversus est ad monasterium Bertinianum, ubi decessit an. 1042. *vel* 1043. legimus tamen apud Mabillonium seculi III. Bened. parte I. pag. 328. Germanum abbatem S. Winoci subscripsisse chartæ commutationis quorumdam altarium, factæ inter Balduinum Tarvanensem episcopum & Rodericum abbatem S. Bertini an. 1026. Ex quo intelligere est, aut Germanum bis cœnobio Bergensi præfuisse, aut Rodericum ante annum 1026.

II. Germanus, *al.* Gromarus, Bertinianus monachus, *sequentias* ac responsoria, quæ ad cultum divinum pertinent, composuisse dicitur, vix autem quadriennio præfuisse, ac mortuus esse anno 1041. ex Iperio; sed legenda sunt quæ supra diximus in articulo superiori.

III. Rumoldus, *al.* Renuldus, vivente adhuc Roderico, e S. Bertini monasterio assumtus est. Anno 1052. adfuit cum pluribus aliis abbatibus elevationi corporis S. Bertini, & 1063. dedicationi ecclesiæ collegiatæ S. Petri apud Insulas a Balduino Pio fundatæ; cujus etiam tempore an. 1058. ex Anglia in Bergense monasterium facta est translatio reliquiarum S. Lewinæ virginis & martyris, cujus rei historiam Mabillonius refert seculi VI. Bened. part. 2. pag. 112. & seqq. Memoratur idem abbas an. 1067. in charta Balduini Pii Flandriæ comitis, hujus cœnobii originem, mutationem & possessiones recensentis. Denique ipsius exstat memoria in libro miraculorum S. Winoci, cap. 20. seculi VI. Bened. part. 2. pag. 322. E vivis excessit anno 1068. sive, ut habet Iperius, anno 5. Heriberti abbatis Bertiniensis (qui regere cœpit anno 1065.) conditusque est prope altare S. Benedicti.

Mir. ibid.

IV. Ermengerus ex monacho Bergensi abbas, vir probus, ejectus est nihilominus ab Hugone Diensi episcopo in concilio Pictaviensi an. 1078. regiminis circiter decimo, prævalente ambitiosorum hominum, & Ingelberti maxime calumnia; postea tamen restitutus, ut infra dicemus. Vide Miræum origin. cœnob. Belgic. pag. 72. & seq.

V. Manasses sumtus e monasterio Virdunensi ex Miræo, loco proxime citato *al.* prior Tullensis sancti Apri monasterii, volente Roberto Frisone Flandriæ comite, cujus erat cognatus, Bergensis abbas efficitur, nolentibus & reclamantibus monachis, quibusdam & de monasterio recedentibus, imo vero contradicente Huberto Tarvanensi præsule, & ipsi benedictionem negante; sed Hugo Diensis antistes ac sedis apostolicæ legatus, ad quem confugerat, hoc ei munus impendit; Gregoriusque VIII. papa usum annuli, mitræ & sandaliorum impertivit. Quanquam vero prudenter res ecclesiæ suæ disponeret, a plerisque tamen æmulis de dilapidatione apud comitem accusatus est, & in causam tractus; cumque instaret comes, ei Manasses viriliter respondit se abbatem esse & de suo se, non comitem, disponere posse & debere; quo responso indignatus comes, Bergensem S. Winoci ecclesiam ei interdixit. Itaque postquam annis circiter quinque præfuisset, locum alteri dare coactus est. Memoratur autem in necrologio S. Benigni Divion. v. cal. Maii.

VI. Ingelbertus, Balduini Barbati Flandriæ comitis ex filia nepos, de quo supra in Ermengero, & quem ipsius loco sibi præficere monachi voluerant, anno demum 1083. communi consilio in abbatem cooptatur. Ejus tempore floruit apud S. Winocum Gervinus monachus, vir summæ pietatis, prophetiæ etiam dono & miraculorum gloria decoratus, qui deinde fuit abbas Aldemburgensis. Porro Ingelbertus imminente jam mortis articulo, Ermengerum virum probum, suum olim abbatem injuste se accusasse multis cum lacrymis confessus est; cumque illam ecclesiam rexisset annis XXXI. ex Miræo loco citato, *lege* XXI. ex Mabillonio secul. III. Bened. part. I. pag. 328. viam universæ carnis ingressus est anno 1104. ex eodem Mabillonio, non 1101. uti legitur apud Miræum, ante altare S. Johannis sepultus. Ceterum numquid contentio fuit de abbatia inter hunc Ingelbertum & Hubertum quemdam? Etenim hic adfuisse legitur concilio Compendiensi an. 1085 tanquam abbas de S. Winocio. Vide tom. 2. Spicil. pag. 599. & concil. tom. X. pag. 407.

VII. Ermengerus, *al.* Evermarus ex Grammaio, olim injuste depositus, suo monasterio Paschalis papæ II. auctoritate restituitur in duos annos; obiit enim 10. Junii an. 1106. sepultus ante altare S. Johannis, cum paulo ante ipsius mortem Philippus Iprensis comes apud S. Winocum sepultura donatus esset.

VIII. Hermes a puero nutritus in S. Bertini cœnobio, ejusdemque aliquandiu prior, cum tunc Cluniaci commoraretur, Bergensibus præesse jussus est a Roberto Flandriæ comite anno 1106. non 1104. uti apud Miræum loco citato legitur. Hic porro instaurator disciplinæ regularis, faventibus præsertim Lamberto Bertiniensi abbate, Johanne Morinensi episcopo, Clementia comitissa, & Brunone Romani pontificis legato, memoratur 1114. in privilegio Balduini comitis Bertinianis concesso pro Ostersela, nonus abbas apud Locrium nuncupatus. Cujus etiam abbatis precibus Carolus Bonus Flandriæ comes prædia monasterii confirmavit an. 1121. deinde vero abdicata * præfectura, in Remense S. Nicasii monasterium secessit, ibique religiosissime obiit.

Mir. nova edit. pag. 522.

* pulsum, ait Meyerus, ad annum 1120.

IX. Thomas antea præpositus monasterii cujusdam canonicorum Regularium, tum vero monachus Bertinianus, Hermeti abbati subrogatus

est circa an. 1121. quem Johannes Morinorum antistes consecrasse dicitur. Ejus tempore, anno scilicet 1123. oppidum cum abbatia præter ecclesiæ thesaurum & bibliothecam conflagravit. An. 1126. bullam protectionis obtinuit ab Honorio II. papa; quo etiam anno Johannes Morinensis episc. singulis monachis singulas cellas construendi facultatem concessit. Naturæ debitum solvit an. 1130. die 4. Aprilis.

X. Algerus, quem Astergum Grammaius vocat, & Alvesum legimus in charta Theoderici Flandriæ comitis an. 1141. pro Milone episcopo Tervan. reparatam ecclesiam consecrari curavit ab eodem præsule an. 1133. præsentibus Alviso Atrebat. & Simone Noviom. ac Tornac. episcopis, Theoderico etiam Flandriæ comite, Simone Bertiniano, Theoderico Capellæ & Arnulfo * Aldemburgi abbatibus, Balduino quoque Furnensi & Casletensi, Manasse Watinensi, Isaac Formosellensi, & aliis præpositis. Sub idem tempus adfuit Algerus ecclesiæ Morinensis dedicationi, ad quam solemnius celebrandam corpus S. Winoci detulit; quod deinde an. 1138. in novum feretrum auro & argento, gemmisque pretiosis contextum transferri per Milonem episcopum fecit. Testis etiam nominatur in charta ejusdem præsulis an. 1145. pro Claro marisco; ac denique ad Dominum migravit 29. Julii 1148. sepultus in choro super gradu.

* lege Heriulfo.

XI. Theodericus ex monacho Bergensi abbas primum in Capella S. Mariæ juxta Caletium, dein Bergensi cœnobio præfectus, an. 1149. Balduinum natu majorem filium Theoderici Flandriæ comitis apud S. Winocum sepelivit. Recensetur an. 1151. in charta ejusdem comitis pro S. Bertino, & 1156. in pacto inter monachos S. Vedasti & Robertum advocatum de Bethunia, subscribente etiam Hugone S. Amandi abbate. Item eo sedente, Guillelmus comes Iprensis an. 1154. calicem aureum, thuribulum argenteum, triaque pretiosa pallia ecclesiæ S. Winoci donavit. Obiisse dicitur 14. Januarii & quidem in cœnobio Loensi; at certe vivebat adhuc an. 1159. indict. VII. ex charta Milonis episcopi Tarvanensis de venditione quadam abbati Furnensi facta a Fulcone abbate Hasnoniensi, cui subscripsit.

XII. Alcherus, *seu* Acherus obiit Remis in monasterio S. Nicasii die 6. Septembris, ibidemque sepultus est.

XIII. Walterus I. reperitur abbas jam anno 1164. in charta Henrici Remensis archiepiscopi, Hugoni priori S. Laurentii de Nemore monasterii possessiones confirmantis; quo etiam anno adfuit eidem archiepiscopo in cœnobio Marcianensi reliquias S. Rictrudis in scrinio argenteo recondenti. Anno sequenti Philippum Alsatium Flandriæ comitem munificum expertus, anno 1166. transigit cum Idesbaldo Dunensi abbate super quibusdam decimis; eamque transactionem firmavit an. 1167. Ejus obitus consignatur in necrol. ad diem 20. Novemb.

Mir. nova edit. pag. 705.

XIV. Alexius paciscitur an. 1171. cum Walterio Dunensi abbate. Subscripsit anno sequenti chartæ Philippi comitis Flandriæ pro quibusdam paludibus abbatiæ S. Bertini; quo etiam anno testis nominatur in compositione Godescalci abbatis S. Bertini cum Willelmo castellano S. Audomari. Interfuit anno 1181. translationi reliquiarum S. Fulcuini, factæ in monasterio Bertiniano a Desiderio Morinensi episcopo, qui hoc itidem anno corpus S. Winoci in novam capsam a Simone Bertiniensi abbate adornatam transtulit. Ejusdem abbatis precibus an. 1183. Philippus Alsatius Flandriæ comes monasterii possessiones ac privilegia confirmavit. Insequenti vero prædia quædam Dunensi cœnobio vendidit Alexius, & obiit 19. Martii, anno incerto.

Ibid. pag. 546.

XV. Philippus I. nominatur arbiter cum Stephano abbate de Balanciis an. 1194. inter abbatiam de Claro-marisco, & homines de Lon. Idem quoque legitur testis an. 1197. in quibusdam litteris Balduini Flandriæ comitis.

XVI. Johannes I. omissus in catalogo apud Mabillonium secul. III. Bened. part. I. pag. 328. vel certe extra locum positus, & cognominatus *de Brouckburch*, reperitur abbas Bergensis anno 1201. sed etiam fortasse aliud est monasterium Bergense.

XVII. Ingelmarus, *seu* Ingelramnus *vir prudens* occurrit jam an. 1216. & adhuc 1221. mense Martio in chartular. S. Andreæ prope Ariam. Idem an. 1218. VI. idus Junii testis est in charta Christiani militis de Prato pro monasterio Dunensi; ac 1220. in fundatione Trinitariorum domus Hondeschotanæ in Flandria. Vivere desiit 22. Novemb. ante altare S. Stephani tumulatus.

XVIII. Philippus II. & ipse quoque omissus in catalogo laudato; an. 1221. S. Oswaldi, *seu* Eduardi regis & martyris, & S. Idabergæ virginis corpora transferri in novam capsam ab Adriano Morinensi episcopo curavit; cui solemnitati interfuere Johannes S. Bertini, Willelmus Capellæ, Willelmus S. Andreæ, Rogerus Tervanicus, & Johannes Alchiensis abbates; Willelmus item Watenensis, Johannes Formoselensis, Egidius Loanensis, & Johannes Evershamensis præpositi, necnon Johanna comitissa. Obiit Philippus 23. Octob. conditus ante altare S. Catharinæ.

XIX. Guillelmus I. *de Slippe* an. 1234. adfuit translationi corporis S. Bertini. Memoratur & an. 1236. in veteri charta Dunensis monasterii. Cessit e vita 19. Decemb. in choro sepultus.

XX. Walterus II. occurrit an. 1249. in charta cœnobii Dunensis. Fortasse idem est qui cognominatus de Formisele *vel* de Fornizeela, obiit 12. Octob. & ante altare S. Petri quiescit.

XXI. Johannes II. de Lois vita fungitur 5. Januar.

XXII. Egidius de Bosedo.

XXIII. Guillelmus II. de Bapalmis jacet in choro, defunctus 26. Januarii.

XXIV. Balduinus de Belque, *al.* de Billeke; decessit 28. Martii, in choro nactus sepulturam.

XXV. Petrus I. Falkin, *al.* Fulekius circa an. 1290. ex Grammaio, magnificam, qualis nunc cernitur, chori structuram inchoavit, absolutam a successore. Obiit 5. Nov.

XXVI. Nicolaus Lay fatis concessit 10. Sept. sepultus in Alchiacensi S. Silvini cœnobio.

XXVII. Guillelmus III. Marant jacet in sacello S. Thomæ.

XXVIII. Johannes III. Vlegghart tumulum sortitus est in sacello S. Mariæ Magdalenæ.

XXIX. Simon I. Plotin quiescit in sacello S. Thomæ.

XXX. Johannes IV. Naghelrine *al.* Waghelrincq, Iprensis obiit 24. Januarii, primus in novo choro sepultus.

XXXI. Jacobus I. Piscis vitam cum morte commutavit 16. Jan. an. 1338.

XXXII. Johannes V. de Bulscamp.

XXXIII. Johannes VI. de Borvincq, *al.* Borníncq moritur Parisiis 30. Maii, in ecclesia S. Maglorii honorifice tumulatus.

XXXIV. Simon II. de Moor e vivis sublatus est 17. Decemb.

XXXV. Andreas Colin, *al.* Bolin spiritum Deo reddidit eadem die qua decessor.

XXXVI. Jacobus II. Pinchenier, quo abbate, anno 1383. oppidum Bergense penitus eversum est, incolæ cæsi, ecclesia spoliata, prior captivus abductus, fugatique cœnobitæ, obiit an. 1394. die 21. Novemb.

XXXVII. Simon III. de Haringhes decretorum doctor, hic ipse est monasterii prior sub decessore, qui in vastatione prædicta in Neustriam abductus apud *Honfleur*, tum gravi ære monasterii redemtus, tandem fuit electus abbas & confirmatus an. 1395. eodemque mortuus est necdum solemni benedictione donatus.

XXXVIII. Michael Brassatoris eodem & ipse anno defunctus est.

XXXIX. Georgius Moor, *al.* Moer ex monacho Bergensi abbas primum Aldemburgensis, dein Winocensis, vir magni nominis & auctoritatis, quem certe Johannes Impavidus & Philippus Bonus ipsius filius, Burgundiæ duces, magni faciebant, insignia pontificalia obtinuit a Romano pontifice. Præfuit annis 26. interimque monasterium intra urbis muros inclusit. Moritur anno 1420. die 3. *vel* 5. Aprilis.

XL. Walterius III. Bavelaere, *al.* Baudlaere a Martino V. dandæ benedictionis solemnis in ecclesiis monasterio subjectis facultatem obtinuit. Desiit esse inter vivos 28. Nov. 1442.

XLI. Petrus II. Lotin principem aram ex alabastro construi fecit, variisque ornamentis ecclesiam decoravit. Migravit a seculo 16. Nov. 1472. post annos 31. regiminis, & abdicationem voluntariam in gratiam sui capellani.

XLII. Johannes VII. Masius vir fuit erga pauperes quam maxime liberalis, quorum ut necessitatibus subveniret, Dunkercanam decimam vendidit. Præfuit annis 15. ac mortuus est 21. Maii an. 1488.

XLIII. Johannes VIII. Gaudebault Burgundus, obiit Audomaropoli anno 1498. in parochiali S. Dionysii ecclesia ante majus altare sepultus.

XLIV. Adrianus de Peene, *seu* de Penis ex Grammaio, *al.* de Preve, favore Principis electus, sedit annis 14. Hic pretiosis ornamentis

A ecclesiam decoravit, ædes abbatiales resarcivit, monasterium ære alieno gravatum sublevavit, corpus S. Winoci in feretrum pretiosius transtulit, multaque alia præclare gessit; ac denique plenus dierum obdormivit in Domino die 3. Jan. an. 1512.

XLV. Jacobus III. Villiers ex præposito de Wormhout Bergensis abbas effectus, obiit 1517.

XLVI. Jacobus IV. de Courteville Boloniensis ex Aldemburgensi ad Winocensem abbatiam per obitum præcedentis extra Romanam curiam, favore Principum traductus est, bullis

B acceptis 18. Maii 1517. Interfuit an. 1520. dedicationi ecclesiæ S. Bertini, in qua Evangelium cantavit mitra redimitus, pastoralemque baculum gerens. Rebus humanis eximitur an. 1524. die 28. Septemb. *al.* 19. Nov.

XLVII. Rolandus Steenlant, *al.* Streulandt, primum Blandiniensis monachus, tum abbas S. Andreæ Brugensis, ac demum Winocensis, fato fungitur die 27. *aut* 28. Octob. an. 1527.

XLVIII. Franciscus I. Oudegheeste S. Bertini monachus ac præpositus Poperinganus, obiit 2. Sept. 1535. anno regiminis octavo, sepultus a

C latere Jacobi de Courteville.

XLIX. Gerardus I. de Americourt, Bertinianus quoque monachus, & Alciacensis abbas nominatus, volente Carolo V. Winocensi monasterio præficitur, cui dum præest, decimam Dunkercanam an. 1540. recuperavit. Dehinc an. 1544. ad S. Bertini abbatiam evectus est; ac demum an. 1563. primus Audomarensis episcopus consecratus, retento regimine abbatiæ Bertinianæ, cujus quidem expensis pauperum scholarium seminarium, ac collegium patrum Societatis Jesu in sua urbe episcopali erexit. Tandem vero mortuus est an. 1577. in sacello ejusdem

D collegii tumulatus.

L. Franciscus II. d'Auchoult dictus d'Helfaut; vir præcipuæ in Artesia nobilitatis, ex protonotario apostolico & canonico Morinensi factus abbas Licquensis, deinde translatus ad abbatiam S. Johannis prope Tarvanam & illinc ad Bergensem, demum primus Gandavensium episcopus electus, oblatam hanc sibi a Philippo Hispaniarum rege dignitatem modeste recusavit, contentus abbatia Blandiniensi, cujus regimen, postquam Bergensibus præfuit annis 12. accepit an. 1556.

LI. Hieronymus de Grimberghe sacræ theologiæ licentiatus, multis avorum imaginibus cla-

E rus, eodem an. 1556. Bergensibus datus est abbas. Hic decretæ a concilio Tridentino reformationi consensit; sub quo abbate anno 1558. capto a Francis oppido Bergensi, totum monasterium susdeque eversum fuit, tuncque S. Oswaldi regis & martyris, S. Lewinæ & S. Idabergæ corpora perierunt. Cum vero instaurationi domus intentus esset, obiit XI. Jan. 1574. sequenti epitaphio decoratus.

Hic HIERONYMUS jacet, GRIMBERGH vocatus,
Immensus quondam relligionis honos.

VIrgInIs a partV qVI VIXDVM VIX erat abbas,
Cum probat afflictum per mala multa Deus.
Nam postquam semel hinc Francorum bella fugarant,
Tentas Calvini perdere, dire furor:
Dumque aufert factas per te scelerate ruinas,
InDIgnVs MorbVs pVstVLa nIgra rapIt.

LII. Johannes IX. le Roy nobilis Artesianus ex Bonnenghen, *al.* Bouvelinghen, antea œconomus, abbas creatur an. 1576. Is a perfidis sectariis plurima passus, Audomaropolim cum suis se recepit, ubi sex annis commoratus decessit 14. Octob. 1583. postquam Alexandro Farnesio duci Parmensi, ac Belgii gubernatori pro Rege Catholico oppidi Bergensis facta fuisset deditio.

LIII. Johannes X. Mouflin Lutsemburgensis, Philippi Hispaniarum regis sacellanus, vir doctissimus, ab eodem Rege nominatur abbas anno 1585. ea tamen lege ut prius veste monastica indutus, vota postmodum religionis nuncuparet. Porro adduxit ex Hispania raram supellectilem, instructissimamque bibliothecam; sed cum in Romana curia res tardius protraheretur, nondum facta professione, neque accepta benedictione decessit 10. Febr. 1587.

LIV. Thomas l'Ardeur Audomarensis, ex monacho Bergensi rationarius seu receptor Broniensis ad S. Gerardum prope Namurcum, ab avunculo suo ejusdem urbis episcopo Minorita ac Broniensi abbate bis in Hispaniam directus ad Philippum regem, in altera profectione an. 1589. abbas S. Winoci renuntiatur, sed inde vix redux mortem oppetiit 14. Aug. 1590.

LV. Carolus I. d'Argenteau ex antiqua familia Brabantiæ Gallicanæ, in pago scilicet *de Ligny* ortus, designatur abbas ex monacho 28. Martii 1591.* quem 10. Maii ejusdem anni Petrus Simonis episc. Iprensis solemni ritu benedixit. Vir acerrimi judicii & raræ eloquentiæ se se non minus constantem in adversis præbuit, quam in Bergensis collegii Societatis Jesu fundatione liberalem. Idem etiam chorum & fornicem ejus an. 1610. restauravit. Denique obiit de familia sua optime meritus anno 1625. Martii 26. ætatis anno 80. professionis 60. presbyteratus 53. ac regiminis 33. cui nepos & successor tale inscripsit epitaphium:

*al. 1592.

CAROLUS hic jacet, ARGENTEAU cognomine dictus,
Quotus erat præses conspice præsVL habet.
Sexaginta annis habitum portasse probatur,
Quinquaginta tribus presbyter ipse fuit.
AnnIs Iste senex tantVs tot VIXerat abbas,
Quot primum numeros flebile carmen habet.
CVMqVe pIVs peteret raDIantIa spIrItVs astra,
Condidit hoc tumulo corpus inane nepos.

LVI. Carolus II. d'Argenteau præcedentis nepos & coadjutor, ex pago Namurcensi, vico *Vellenne*, ab Antonio Hennin Iprensi episcopo benedictus abbas die 1. Maii an. 1625. tot ac tanta præclare gessit, ut restauratoris titulum sibi merito compararit. Ecclesiam scilicet pluribus ornamentis decoravit, campanas 36. fudit, domum abbatialem a fundamento renovavit, philosophiæ ac sacræ theologiæ studia in suo monasterio instituit, tanto laudabilior, quod tres interim obsidiones urbis expertus sit; ab hac tandem luce subtractus die 24. Nov. 1660. anno ætatis 70. regiminis 36.

LVII. Maurus I. de Vignacourt antiqua & illustri familia ex comitibus de Fletere ortus, prævia Philippi Hispaniarum regis nominatione, abbas instituitur an. 1662. die 29. Martii, ac 16. Aprilis ejusdem anni benedicitur in ecclesia cathedrali Gandavensi a Carolo vanden Bossche ejusdem urbis præsule. Inde accedens ad suum monasterium, solemniterque exceptus die 30. Apr. fratres ad strictiorem observantiam revocare cœpit; domum ære alieno gravatam sublevavit; cumque Regibus tum catholico, tum christianissimo gratissimus foret, monasterii sui privilegia strenue ac viriliter tutatus est. Naturæ debitum solvit 21. Junii an. 1677.

LVIII. Anselmus Lammin præpositus in Ondezeelle, institutus abbas 9. Octob. an. 1677. decessit anno seq. 18. Junii.

LIX. Benedictus I. vander Beke loci alumnus, promovetur invitus, Rege approbante 18. Julii 1678. Monasterium debitis exoneravit, ecclesiam sacra suppellectile argentea instruxit, cubicula seniorum & hospitum, infirmariam, novumque dormitorium perfecit. Regi Christianissimo acceptissimus multis diversarum abbatiarum electionibus præfuit. Denique mortalitatem explevit 30. Martii 1685. professionis monasticæ anno 32. sacerdotii 28. & abbatialis dignitatis 7.

LX. Gerardus II. de Croy ex priore monasterii regia schedula data 24. Julii an. 1685. abbatiam consecutus est, ac deinde XI. Nov. ejusdem anni munus benedictionis accepit ab Alfonso Ludovico de Valbelle episcopo Electensi, Audomarensi designato, assistentibus Clari-marisci & S. Augustini abbatibus; urbemque Bergas decessorum more solemni pompa ingressus est die 18. ejusdem mensis. Denique Ipris apoplexia suffocatur 6. Decemb. 1688.

LXI. Maurus II. d'Hardumme monasterii subprior a Rege designatur abbas 2. Julii 1689. tum Bergis in ecclesia S. Martini benedicitur ab episcopo Electensi, Audomarensi designato, die 24. ejusdem mensis. Hic aulam suam novis ædibus auxit; atque an. 1693. in senatu *seu* consilio Atrebatensi contra parochos de Parvis-Sintenis, tum etiam in senatu Tornacensi contra parochos de Grivelde sententiam definitivam obtinuit. Obiit anno seq. die 1. Augusti.

LXII. Benedictus II. Jansseune anno ætatis 37. omnium fratrum calculis electus, atque etiam a Rege confirmatus an. 1694. mense Septembri, Parisiis benedictionem accepit a Martino de Ratabon Iprensi episcopo die 1. Maii anno 1695. die vero 1. ejusdem mensis solemni ritu in sua

exceptus est ecclesia. Privilegiorum acerrimus A defensor an. 1695. justa lite perpetuum S. Martini vicarium evicit. An. 1697. transegit cum Iprensi episcopo, confirmato sibi jure campanas benedicendi, & in pontificalibus celebrandi. An. 1703. chorum ab ingressu triplici clathris ferreis eleganter elaboratis clausit. Cetera ipsius epitaphium docet.

Deo opt. max.

Morare paulisper viator
Hæc omnium mortalium meta.
Mortem tuæ & sepultorum vitæ remoram
Eis bene apprecando mature rumina.
Hoc jacent solo erecti, ut confidimus
Perpetuæ beatitudinis polo
Infulati patres RR. abbatiæ S. Winoci abbates.
Hanc sepulcralem foveam, ut seculo defunctus
Christo victurus incideret, annos æternos in mente habens
Sibi suisque successoribus construi & aperiri jussit
Reverendissimus D. Benedictus Jensseune
Hujus monasterii abbas 62.
Comes de Wormhout, Sabitshof, Ouderburg,
Toparcha de Cocthof, Hoymille, &c.
Qui hîc sepultus obiit Leodii 13. Martii 1709.
ætatis 52. abbatialis dignitatis 15.
Ora Deum benedictum, in quo clamamus, abba pater,
Æternum perfrui requie ne moretur.

LXIII. Gerardus III. vander Haghe, loci alumnus, ex voto præcedentis eligitur 13. Maii & a Rege confirmatur die 18. ejusdem mensis an. 1709. Obiit 1722. 30. Maii.

LXIV. Guillelmus du Bois cardinalis, & abbas Aureæ-vallis, Novigenti, Burgolii, & Caricampi, per cujus obitum, qui contigit 10. Aug. an. 1723. ætatis 68.

LXV. Gervinus de Rickerwaert ex priore abbas eligitur mense Sept. an. 1723. & a Rege confirmatur 17. Octob. ejusdem anni.

MESSINA ET MISSENIACUM.

HAnc abbatiam ordinis S. Benedicti nobilium virginum, diœcesis olim Morinensis, nunc Iprensis, secundo ab Ipris lapide ædificare cœpit pro sanctimonialibus * & canonicis Adela comitissa uxor Balduini Flandriæ comitis, seu potius uterque conjux an. 1060. sed non absoluta est ante annum 1067. ut innuit Iperius in chronico. Certe an. 1065. indict. III. Drogo episcopus Tervanensis petentibus fundatoribus ejusdem loci absolutissimam libertatem, talem illis concessit, qualem Bertefridus Ambianensis ecclesiæ quondam episcopus, petente Lothario rege ac Bathilde regina, consilioque sui temporis episcoporum atque assensu, scilicet Genesii, &c. ecclesiæ concessit Corbeiensi. Deinde Philippus I. Francorum rex anno seq. indict. IV. prædia per Balduinum Insulanum ejusque conjugem Adelam Messinensi monasterio attributa, confirmavit; ac denique an. 1176. Philippus Elsatius Flandriæ comes Iwanum de Gandavo comitem Alostanum dotasse Messinensem virginum Benedictinarum abbatiam testatus est.

* 30. e Domonio sumptis, ac duodecim sacerdotibus, seu canonicis.

Mir. novæ editionis pag. 64.

Ibid. pag. 67.

Ibid. pag. 193.

Elenchus Abbatissarum.

I. FRISILDIS, *al.* FAISILDIS prima omnium instituta abbatissa 1065. vivere desiit 1075.

II. Natalia sedit annis 25.* cujus tempore Adela fundatrix, Roberti Galliæ regis filia, postquam in habitu viduali, quem ab Alexandro papa II. susceperat, in suo Messinensi monasterio pie B admodum vixerat, ibidem obdormivit an. 1079. 8. Januarii, ibidemque condita fuit, hoc addito elogio:

* al. 26.

Hæc qui scripta legis, jacet Adela filia Regis;
Hæc loca sancta pie fundans in honore Mariæ.

Duobus autem post ipsius obitum annis, *al.* 1080.* Robertus Frisius ejusdem filius Messinensis monasterii possessiones confirmavit. Decessit Natalia an. 1101.

* Ibid. pag. 69.

III. Ogina de Flandres filia Roberti Frisonis Flandriæ comitis, rexit annis 40. fato functa 1141.

C IV. Adelis, *seu* Ælis an. 1147. v. cal. Aug. obtinuit ab Eugenio III. ecclesiæ Messinensis confirmationem. Rexisse dicitur annis 22. * & obiisse 1163. fortasse ante Pascha, hoc est, uti nunc computamus, 1164. nam in historia hujus cœnobii, edita Insulis an. 1677.* Alix abbatissa dicitur an. 1164. ecclesiæ parochialis sub titulo S. Nicolai in Messina ædificandæ facultatem ac licentiam dedisse; nisi forte etiam hic annus 1164. non ipsam licentiam, sed ædificationem spectet.

* pag. 29.

V. Beatrix I. de Warneston terram suam in Lampernesse Camberonensibus elargita est anno D 1164. Moritur 1181. post regimen annorum 18.

VI. Agnes I. in historia prædicta memorari dicitur in charta Philippi Flandriæ comitis privilegia Messinæ confirmantis an. 1176. sed id valde suspectum nobis est, quandoquidem non reperitur in charta ejusdem principis, data eodem anno, apud Miræum novissimæ editionis, pag. 193. Ceterum Gertrudem Philippi comitis sororem, viduam comitis Maurianensis ad habitum religionis admisit; eique Tervanensis episcopus altare Crucicolarum *de Croisette* contulit 1183. Fit mentio Agnetis in necrologio Nonenbosci E XIV. cal. Jan.

VII. Isabellis, *seu* Elisabeth I. occurrit 1194. in schedis nostri Martennii. Cujus fortasse temporibus, anno videlicet 1195. urbem ac monasterium Galli incenderunt. Ita Meyerus.

VIII. Agnes II. fortasse tamen eadem ac prima, obiisse dicitur an. 1199. Hanc autem vel primam Grammaius cognominat Gistellanam. Sub qua tradit totum odei ædificium auxilio Flandrorum comitis ædificatum.

* Grammaius tamen inducit Elisabetham d'Oignies, sub qua, inquit, an. 1162. præbendarum decima-tertia decanalis adjecta reperitur.

IX. Beatrix II. reperitur an. 1218. mense Febr. in quarto S. Bertini chartulario, ex notis MSS. Balusii ad Galliam Christ.

X. Isabellis II. *seu* Elisabeth d'Alsace, filia Theodorici de Alsatia Flandriæ comitis, ac soror Philippi comitis, ex Meyero facta est abbatissa an. 1199. migravit a seculo 1224.

XI. Agnes III. de S.ᵗ Omer an. 1226. sacellum B. Mariæ ædificavit; quæ cum laudabiliter annis 22. præfuisset, fatis concessit 1246. ex necrologio.

XII. Margareta I. *al.* Maria de Crequy pedum pastorale gessit annis 32. ac tandem vivere desiit 1278. sic autem memoratur in necrologio Nonembosci: *XI. cal. Junii Margarita de Kerky abbatissa de Messine.*

XIII. Johanna I. de Crequy superioris consanguinea, totidem annis, 32. scilicet præfuit; cujus assensu Johannes de Rosebek capellam de Rosebek fundavit. Mortalitatem exuit an. 1301. de qua sic habet necrologium Nonembosci: *Idus Junii Johanna de Kerky abbatissa de Messine.*

XIV. Aëlidis d'Auxi, *al.* Maria d'Auchy, eadem, ut videtur, binominis, cœnobium summa cum laude rexit annis 14. & obiit 1315. Legimus tamen alicubi Mariam sponte regimen abdicasse.

XV. Margareta II. de Moerbeke nobilis familiæ puella, post 28. annos regiminis, vitam cum meliore commutavit 1343.

XVI. Beatrix III. d'Annebrouck, *al.* de Dambrugghe paciscitur an. 1358. cum incolis Warnestonii. Rexit cum laude annis 27. mortua 1370.

XVII. Margareta III. d'Oultre, a Grammaio dicta etiam Mourbecana, Castellani *seu* vicecomitis Iprensis filia, præfuisse dicitur annis 16. ac proinde ipsa regente, an. 1383. urbs tota cum monasterio ab Anglis igne consumta est. Defecit an. 1386.

XVIII. Guillelma de Louvigny Messinæ justitiam contra Warnestonenses strenue defendit an. 1400. cumque canonicis an. 1414. de celebratione majoris sacri pactum fecit. Longæva tandem, annorum 31. administratione clara, decessit an. 1417.

XIX. Isabella III. de Steelant pro justitia de Deuslemont sententiam obtinuit 1422. Cessisse paulo post dicitur, quam tamen Sammarthani fratres post annos 23. regiminis e vita migrasse an. 1440. scribunt.

XX. Agnes IV. de Craon, Johannis I. ex Maria de Chastillon filia, soror Johannæ abbatissæ Origniaci, cui etiam monasterio ipsimet Agnes aliquandiu præfuisse dicitur, an. 1451. a Duce Burgundiæ jus ab exilio revocandi, &c. sibi restitui impetravit. Gregem suum provide gubernavit annis 26. tum vero transiit ad meliorem vitam die 7. Jan. 1466.

XXI. Jacquelina I. Hazebrouckana electa 12. Jan. 1466. & confirmata 24. ejusdem mensis, tertio post die solemnem ingressum fecit, in quo de more exules revocavit, ceterisque reis sua scelera condonavit. Sedit annis XI. cujus tempore
A anno 1477. Francorum exercitus monasterium incendit.

XXII. Agnes V. d'Averhout ab Helfaut, *seu* de Hilfault superioris cessione munus abbatiale consecuta, an. 1507. delictorum veniam sontibus indulsit; cumque annos 37. in administrando posuisset, spiritum Deo reddidit 16. Aug. anno 1510.

XXIII. Isabella IV. de Moerbecke an. 1510. unanimi sororum omnium consensu electa, an. 1513. Carolum V. imperatorem hospitio meruit excipere. Morte correpta est an. 1515. die 13. Decembris.

B XXIV. Johanna II. de Ghistelle e primaria Flandriæ nobilitate, rogatu Caroli V. electa est anno ætatis suæ 17. deinde 8. Januarii an. 1516. ab episcopo Tervanensi apud Warnestonium benedicta, solemni tandem ritu monasterium ingressa, delicta omnia de more condonavit. Refugii domum apud Ipras coëmit an. 1548. multaque alia præclare gessit, donec ab hac mortali vita ad immortalem transmigravit die 3. Apr. an. 1560.

XXV. Jacquelina II. de Hennin, nobilissima virgo, cum tunc esset priorissa, abbatialem benedictionem percepit a suffraganeo Cameracensi
C die 6. Junii 1561. Vivere desiit in refugio Iprensi mense Decembri an. 1594. unde postea corpus ejus Messinam translatum est.

XXVI. Antonia de S.ᵗ Omer, *dicta de Moerbecke, ex priorissa, rexit annis 15. quo temporis intervallo collapsum cœnobium reparavit, & postliminio suum conventum velut ab exsilio domum reduxit. Ejus sepulcro inscripta sunt hæc verba:

Sepulture de madame ANTOINETTE DE SAINT OMER, *dite* DE MORBECQUE, *en son vivant abbesse, comtesse dame de Messines,*
D *&c. qui trespassa le XV. de Decembre MVI*ᶜ*-neuf. Priez Dieu pour son ame.*

XXVII. Johanna III. de Baillancourt, *al.* de Baliencourt vitam communem instituit, quam strictiorem S. Francisci observantiam Sammarthani fratres appellant. Chorum domicellarum reædificavit, sacellum S. Benedicti erexit, aliaque plura in templo reparavit; cumque annis octo præfuisset, abdicato regimine in Claustrum secessit, ubi antistita obiit.

XXVIII. Anna d'Antin præfecturam adepta 1618. dormitorium, sanctique Joseph sacellum ædificavit. Ipris e vita migravit 2. Apr. 1642.
E unde postea corpus ejus Messinam delatum est.

XXIX. Isabella V. du Chastel de la Houardrie nominata 25. Januarii 1643. benedicitur eodem anno die 30. Augusti. Muro validissimo circumcinxit monasterium, cujus & privilegia viriliter defendit. Cetera docet epitaphium quod sequitur:

Sepulture de madame ISABELLE DU CHASTEL DE LA HOUARDRIE, *en son vivant abbesse & comtesse de Messines, princesse de Croisette, &c. laquelle trepassa le 15. du mois de Mars, âgée de 83. ans l'an 1679. Priez Dieu pour son ame.*

XXX.

A XXX. Maria-Ludovica-Victoria de Crequy e gremio sororum abbatissa designata 20. Maii 1679. ac instituta 22. Junii, benedictionem percipit prima die Octobris ejusdem anni ab Audomarensi præsule. Obiit vero 31. Octob. 1706. ætatis 73. ac regiminis 27. ex ipsius epitaphio.

XXXI. Susanna-Francisca de Ghistelle hujus loci alumna, beneficio Regis abbatissa renuntiatur mense Jan. an. 1707. sequentisque Maii die octava, solemni benedictione perficitur.

NONNEN-BOSCHE.

NONNENBOSCUS.

HÆc abbatia Virginum ord. S. Benedicti primum in campestri & sylvoso loco, qui *Rumetra* dicitur, non longe ab Iprensi urbe ad Orientem, fundata est in honorem S. Mariæ, ibique permansit usque ad hæc miserrima tempora, quibus Heterodoxi pia loca devastarunt; tunc enim sacræ virgines in urbem Ipras se se receperunt, præscriptam a Tridentino consilio disciplinam regularem amplexæ. Exstabat autem jam an. 1123. quo tum Carolus Flandrensium comes novis redditibus auxit, tum Johannes episcopus Tarvanensis ecclesiam consecravit, & ab omni exactione liberam fecit, teste Alboldo Formeselensi præposito, qui anno 1122. factus est abbas Middelburg. Ei quoque munificum se præbuit Theodoricus Alsatius Flandriæ comes an. 1145. & multi alii, de quibus in Flandria illustrata Sanderi, tom. 1. pag. 375.

Mir. nova edit. pag. 1157. & 1158.

Ibid. pag. 1166.

Ceterum de abbatissis solum nobis præsto fuit necrologium, in quo & memoratur IV. nonas Martii Gertrudis monialis & comitissa. In ecclesia vero a latere Evangelii ad sepulcrum Caroli ab Houcke archidiaconi restauratoris monasterii hæc leguntur:

Gloria, laus, virtus, cum majestate potestas,
Copia & omnis honos, ô Deus! hæc tua sunt.
Omnia sunt tua, quæque tibi tribuisse videmur,
Singula de manibus cepimus illa tuis.
Hoc templum, hoc claustrum, claustroque hærentia tecta
Fundavi: at fateor muneris esse tui.
Et cum corda probes perscruterisque medullas,
Sit mea simplicitas digna favore tuo.
Hoc ego te Dominum precor archidiaconus ante
Quam moriar supplex CAROLUS ab HOUCKE Deum.

SERIES ABBATISSARUM.

Ava solum fuit priorissa, cui successit Geila secunda priorissa.

Anna, tertia priorissa, an. 1177. jacet ante dormitorium, cujus meminit necrologium III. idus Febr.

I. AVA *sive* Eva, prima abbatissa regebat tempore Urbani papæ III. & adhuc 1198. In necrolog. fit ipsius mentio VI. nonas Martii.

II. Agatha, secunda abbatissa, notatur in necrologio XVIII. calend. Jan. jacet ante capellam S. Adriani.

III. Beatrix I. quam volunt esse tertiam abbatissam; secunda tamen dicitur in necrologio, nonis Junii. Quiescit ante capitulum.

IV. Elisabeth memoratur abbatissa de Nonnembosque 8. Jan. 1277. forte ipsa est Elisabeth van Torsy, quæ jacet ante novam portam in ambitu Margaretæ.

V. Margareta I. nominatur in necrol. IV. idus Febr.

VI. Beatrix II. Monts jacet ad Septentrionem B in ambitu.

VII. Agnes vanden Bogaerd jacet in schola; eadem forte quæ absque cognomine notatur in necrol. V. nonas Octob.

VIII. Catharina I. Vanden Pitte quiescit ad Meridiem in ambitu duodecim circiter ab ecclesia pedibus.

IX. Beatrix III. vanden Houtkerke memoratur in necrol. XVIII. cal. Octob.

X. Messendis Mayrets jacet in ecclesia.

XI. Johanna I. Ruddenvolde, *al.* de Rudduorde jacet intra ecclesiam, cujus necrologium meminit IX. cal. Septemb.

C XII. Colina Rufins, *al.* Nicolaa Raissens quiescit juxta portam S. Stephani, ac memoratur in necrol. XIV. cal. Martii.

XIII. Margareta II. vanden Bussche *sanctæ memoriæ* jacet in ecclesia.

XIV. Euphemia de Gapaves *al.* de Gapenes & de Ganapes, jacet infra lampadem, locumque habet in necrol. V. idus Junii.

XV. Margareta III. van Liewe jacet in choro domicellarum.

XVI. Anna Sclewe, *al.* Schelubbe quiescit infra turrim.

XVII. Johanna II. Maelbec memoratur in D necrologio 2. idus Aprilis an. 1455. Jacet in choro S. Petri ante portam.

XVIII. Catharina II. Sclewe, *al.* Scalewen & van Schelubbe, in necrologio recensetur XI. cal. Oct. 1473. ad Septentrionem chori conventus sepulta.

XIX. Christina I. Splanters nominatur in necrol. 2. idus Septembr. 1497. sepulta ante S. Mariam Magdalenam.

XX. Maria I. Seex jacet ad Septentrionem chori presbyteralis, quæ sic memoratur in necrol. *2. calend. Maii obiit domina* MARIA SEEX *abbatissa, quæ dedit ecclesiæ pro pavimento in* E *ambitu 8. libras, & pro refiguratione Crucifixi x. libras; & fecit fieri antiphonaria & multa alia pietatis opera.*

XXI. Margareta IV. Tybaus jacet in anteriori ecclesia, cujus ita meminit necrologium: *IV. cal. Septemb.* MARGARITA TYBAUS, *quæ dedit crucem argenteam 1557.* quo anno cœnobium Grammaius tradit reformatum; sed mox supervenientibus turbis desertum, & anno 1604. auspiciis Principum cura Caroli Houchez archidiaconi Iprensis, restitutum in urbe.

XXII. Catharina III. de Potheo, quæ dedit A unam libram, ex necrol. ad cal. Junii.

XXIII. Margareta V. Provins jacet in choro domicellarum ante sedem abbatissæ; fortasse vero ipsa est Margareta abbatissa de Busco, quæ XI. cal. Septemb. memoratur in necrol.

XXIV. Ludovica d'Espinoy jacet Ipris in ecclesia parochiali S. Jacobi ante sanctuarium, 1586.

XXV. Christina II. de Weiveligheem occurrit VIII. cal. Septemb. in necrol.

XXVI. Maria II. vander Mecien jacet in choro, 1618. eadem fortasse quæ 20. calend. Octob. Maria quondam abbatissa dicitur in ne- B crologio.

XXVII. Maria III. Denys jacet ante summum altare, cujus ita meminit necrologium: *IX. cal. Febr.* MARIA DENYS *abbatissa hujus monasterii, quæ maximam partem hujus monasterii ædificavit, 1636.*

XXVIII. Maria-Magdalena Harduin notatur in necrol. 7. Jan. 1658.

XXIX. Catharina IV. van Acker obiit 22. Maii 1680. ætatis suæ anno 69,

XXX. Maria-Johanna de Keerle præest ab anno 1680. ad annum saltem 1712. quo erat octogenaria. C

VIRGINES ANGLÆ apud DUNKERKAM.

DUNKERKANA B. MARIÆ sub titulo Conceptionis abbatia virginum Anglarum ord. S. Benedicti suam institutionem acceptam refert abbatissæ Gandavensi anno 1662. Hæc enim, consilio dynastæ * Hauvard, petita ab episcopo Gandavensi moniales Dunkerkam mittendi facultate, ipsamet cum quatuor monialibus die 6. Maii profecta est, quam prorex urbis honorifice ac benevole suscepit, eique paulo post domum suam pretio 10000. *Sterlings* vendidit. D Nec mora constituitur superiorissa Ignatia Fortesque, tum vero die 15. Aug. vicarius generalis Iprensis monialibus missam in sacello suo celebrandi facultatem impertivit. Cum autem non multo post abbatissa Gandavensis Dunkerkam undecim moniales cum duabus candidatis misisset, statim priorissam elegerunt Mariam Caryll, quæ tunc annum ætatis agebat 32. Eodem anno 1662. mense Octobri rex Angliæ hujusce domus fundationem confirmavit, urbisque magistratus consensum præbuit 10. Novembris insequentis. Circa vero 1665. fundationem hanc approbavit E vicarius generalis Iprensis, præsensque fuit electioni primæ abbatissæ, quæ fuit

* Milord.

I. MARIA CARYLL paulo post in monasterio S. Bertini benedicta: mortem opetiit anno ætatis suæ 86. professionis 63. abbatialis dignitatis 49. reparatæ salutis 1712. die 21. Augusti, pias inter 52. filiarum lachrymas, quibus, una demta, singulis, sacrum imposuerat velum.

II. Benedicta Fleet Wood filia Ricardi militis & baronis de Calwedg, ex nobili domina Anna de Goolding una fere omnium voce eligitur 12. Septemb. 1712. benedictionisque munus accepit 2. Octobris.

VIRGINES ANGLÆ apud IPRAS.

ANglæ sanctimoniales Benedictinæ instituuntur Ipris an. 1665. ad quod pium opus exsequendum, rogante Martino de Praets episc. Iprensi, Marina de Baumont, Flavia Cary, Helena Wait, & Viviana Aire ingressæ sunt urbem die 14. Julii. Primum autem ipsis ad habitandum concessa fuit domus refugii canonicorum d'Eversham, in qua biennio manserunt; interimque, agente potissimum episcopo, litteras patentes consensusque necessarios obtinuerunt, eodemque suadente abbatissam elegerunt.

SERIES ABBATISSARUM.

I. MARINA DE BEAUMONT electa fuit in primam abbatissam die 14. Januarii, quam Dominica sequenti benedixit episcopus, tumque ipsi & monialibus domum satis commodam in urbe inferiori procuravit, quam inhabitare cœperunt anno 1668. Defuncta est 27. Aug. 1682.

II. Flavia Cary successit, mortua 20. Febr. 1686.

III. Maria Butler ex nobili prosapia ducis d'Ormont, benedictionem percipit ab episcopo Tornacensi 24. Novembris 1686. Deinde vero a rege Jacobo in Irlandiam Dublinum vocata, ut ibi novum fundaret monasterium, duobus annis cum quatuor monialibus in summa omnium admiratione ibidem vixit; sed nova his in regionibus propter religionem exorta tempestate, in Galliam reversa est.

LOA.

Lo.

MOnasterium est ordinis S. Augustini canonicorum, sub patrocinio S. Petri, positum in oppido Flandriæ cognomine, Furnis & Dixmuda duobus milliaribus disssito, in diœcesi olim Morinensi, nunc Iprensi. Id quidem primum fuit nuda & simplex ecclesia, quam Thomas quidam ipsius presbyter in monasterium seu *canoniam* convertit circa annum 1050. Philippus Loensis comes, Roberti Frisii Flandriæ comitis filius, dotavit an. 1093. comitatu & advocatione, stallo & teloneo, omnique jure seculari, quod super illam habebat; unde abbas Loensis dicitur comes Loensis; consecravit an. 1099. Johannes episc. Morinensis, ac denique in abbatiam erexit Gregorius XV. anno 1621. Hispaniarum rege Philippo approbante; quanquam hunc titulum obtinuisse videtur jam anno 1119. quo Johannes Morinensis episc. institutum & prædia monasterii confirmavit.

Mir. nov. edit. pag. 269.

Ibid. pag. 274.

SERIES PRÆPOSITORUM ET ABBATUM.

I. THOMAS I. ecclesiæ S. Petri Loensis presbyter, fuit ejusdem primus fundator & præpositus, de quo necrologium domesticum die 4. Aprilis.

II. Rumoldus memoratur in eodem necrologio 8. Januarii.

III. Gobertus reperitur an. 1093. in charta dotationis monasterii a Philippo Loensi comite factæ an. 1093. quam vide apud Miræum loco citato.

IV. Reginaldus, *seu* Renaldus 1101. & 1102. quo anno subscribit litteris Johannis episcopi Tervanensis de institutione canonicorum Regularium in Iprensi S. Martini ecclesia, modo cathedrali. *Ibid. pag. 1149.*

V. Isaac 1106. ex Grammaio ; notatur in necrol. die 6. Aprilis.

VI. Gerardus I. subscribit an. 1118. litteris Willelmi [a] ab Ipra filii naturalis Philippi Loensis comitis pro monasterio Loensi. Idem vocatur quintus præpositus in charta Caroli Boni Flandriæ comitis an. 1123. prædia ejusdem cœnobii confirmantis; & in alia Theodorici Alsatii Flandriæ item comitis & Suanchildæ uxoris ejus an. 1130. erga idem monasterium beneficorum. *Ibid. pag. 274. Ibid. pag. 373. Ibid. pag. 277.*

VII. Egidius I. præpos. Loensis 1133. in dedicatione Bergensis ecclesiæ.

VIII. Gerardus II. an. 1142. litteris Milonis episcopi Morinensis pro Dunensi cœnobio sigillum apposuit. Ejus meminit necrologium die 27. Junii.

IX. Gauterus nuncupatur abbas Loensis anno 1164. quo Johannes Corbeiensis abbas, precibus Milonis episcopi Morinensis, ei duas partes decimæ Loensis parochiæ sub censu octo marcharum Flandrensium argenti legitimi concessit. Is est Walterius testis anno 1167. in charta Hugonis abbatis S. Nicolai Furnensis pro cœnobio S. Augustini; idemque videtur esse qui præpositus de Lo dicitur 1181. in charta Philippi Flandriæ comitis in gratiam Loensis monasterii. Locum habet in necrologio 2. Julii. *Ibid. pag. 278.*

X. Gerardus III. an. 1199. privilegium obtinuit a Johanne episcopo Morin. ex Grammaio. Plures deinde reperiuntur præpositi sive abbates, sed plerique absque ulla nota, qua vixerint ætate; quos tamen haud inutile est commemorare.

XI. Lambertus 7. Julii, *ibid.* id est in necrol.

XII. Walterius I. *sive* II. 16. Septemb.

XIII. Sigerius, 22. Aprilis.

XIV. Egidius II. adfuit an. 1221. translationi corporis S. Oswaldi regis & martyris in monasterio S. Winoci. Recensetur in necrol. 6. Octob.

XV. Walterius II. *seu* III. 20. Martii.

XVI. Jacobus I. 6. Septemb.

XVII. Thomas II. 20. Decemb.

XVIII. Eustachius, 7. Januarii.

XIX. Simon, 20. Maii.

XX. Johannes I. de Waële, 18. Aug.

XXI. Johannes II. Coutrelan.

XXII. Christianus Bomere vivebat an. 1348. ex charta Evershamensi. Reperitur in necrolog. 16. Junii.

XXIII. Jacobus II. Verclaeren.

XXIV. Johannes III. Vlaemiinck 16. Dec.

XXV. Stephanus Doon dormitorium exstruxit, (circa 1490. ex Grammaio) cujus necrologium meminit 19. Junii.

XXVI. Amelius de Belle 9. Decemb.

XXVII. Jacobus III. de Lokere, 23. Januar.

XXVIII. Hector de Hodoone, 27. Aug.

XXIX. Petrus I. Stulti, juris canonici doctor, 13. Martii.

XXX. Jacobus IV. de Verdiedele, 7. Julii.

XXXI. Jacobus V. de Waale, 30. Aug.

XXXII. Carolus I. de Waghemakere, 1. Julii.

XXXIII. Carolus II. vander Helst, 21. Septemb.

XXXIV. Adrianus de Voghele, 6. Januarii.

XXXV. Malinus le Roy (Martinum vocat Grammaius) quondam canonicus & pastor in ecclesia S. Martini de Ipris, ibidem defunctus est 6. Decembr.

XXXVI. Johannes IV. Snegat *seu* Snepgat Ipris in refugio defunctus, & in ecclesia S. Martini sepultus 5. Junii.

XXXVII. Willelmus I. de Carnis-villa, præpositus, qui resignavit 1. Martii ex necrol.

XXXVIII. Willelmus II. de Poperinghe quondam præpositus, qui cessit quoque 25. Febr.

XXXIX. Johannes V. de Kouckelaere præpositus, qui resignavit 15. Octob.

XL. Remigius de Zaman, primus abbas hoc epitaphium habet: *Hic jacet R. D. REMIGIUS DE ZAMAN hujus loci primus abbas a Gregorio XV. papa mitra donatus, qui postquam 33. annis huic abbatiæ præfuisset & sex Off. Pat. Pub. functus esset, huncque locum restaurasset, obiit 7. Aug. 1637. ætatis suæ 66.*

II. Petrus II. de Huevelle successit, mortuus anno seq. ex epitaphio, quod sic se habet: *Hic jacet R. D. PETRUS DE HUEVELLE natus Meenenis, hujus loci abbas, qui anno primo sui regiminis hanc vitam in meliorem commutavit 17. Octob. 1638. Orate pro eo.*

III. Johannes VI. Reynaerdt, summum altare, quatuor candelabra, pedum abbatiale, &c. fieri curavit. Ei sequens epitaphium appositum est: *Sepultura R. D. JOHANNIS REYNAERDT Meneniensis, hujus loci abbatis, qui obiit anno 1644. 29. Januarii.*

Festo AqVILIne tVo prasVL ReYnarDVs obIVIt.

Regnet In æternVM SpIrItVs astra tenens.

IV. Georgius de Jonckheere quondam subprior & pastor in nova capella, obiit, quartus abbas infulatus, 17. Decemb. an. 1655.

V. Leonardus de Hurtere antea pastor Loensis per tredecim annos, vivere desiit 17. Octob. 1663.

[a] Iste Willelmus in hoc monasterio septem annis vixisse, dies absolvisse, & sepulturam accepisse dicitur.

VI. Nicolaus de Croix quondam œconomus A & prior, majus altare in honorem S. Petri, & aliud in honorem S. Mariæ virginis, insertis SS. martyrum Gregorii & Primitivi reliquiis dedicari fecit a Martino Praets Iprensi episcopo, die 9. Maii 1669. quo anno decessit, 30. Augusti.

VII. Guillelmus de Jonckhere Ipris in refugio fatis concessit 2. Decemb. 1675.

VIII. Judocus David quondam pastor in Winchem, monasterium ære alieno gravatum pristino splendori restituit, ecclesiam marmoreo lapide, aliisque ædificiis decoravit; tres etiam majores campanas, aliasque minores fudit: cumque triginta tribus annis rexisset, jubilarius a se- B culo migravit.

IX. Patricius Lraeys electus an. 1709. benedictionis munus accepit a Martino de Ratabon Iprensi episcopo. Adhuc sedebat an. 1712.

FORMOSELLA, *seu* FORMISELLA.

WORMEZEL.

INitia sua debet nobili equiti nomine *Isaac* domino de Formezelles prope Furnas, qui an. 1068. Drogone episcopo Tervanensi consentiente, hoc in loco fundavit collegium canonicorum secularium, ecclesia B. Mariæ dicata. Hi vero anno 1100. canonicorum Regularium C ex instituto S. Augustini propositum amplexi sunt; ac primum quidem præpositos habuere, deinde abbates.

Præpositorum et Abbatum series.

I. ALbadus, *sive* Albaldus, an. 1108. testis memoratur in litteris Johannis Morinensis episcopi de compositione inter canonicos & monachos S. Martini. Vocatur Alardus in charta Balduini Flandriæ comitis pro S. Amandi monasterio an. 1116. & Arboldus in litteris Johannis episcopi Tervan. an. 1102. in locum canonicorum secularium regulares instituentis in D ecclesia S. Martini Ipris. Rexit ab anno 1100. viginti duobus annis, qui deinde factus est abbas Middelburgensis in Zelandia ordinis Præmonstratensis.

Mir. novæ edit. pag. 1153.

Ibid. pag. 1150.

II. Adam Formisellensis præpositus subscripsit an. 1123. chartæ Caroli Boni Flandriæ comitis, qua cœnobii Loensis prædia confirmat. Omittitur a Meyero, ad an. 1123.

Mir. novæ edit. pag. 374.

III. Isaac præpositus 1133. in dedicatione ecclesiæ S. Winoci, memoratur abbas 1141. in charta Theoderici Flandriæ comitis pro ecclesia Tarvanensi, & 1142. in charta Milonis episcopi Tervanensis pro Warnestunio. Reperitur & an. E 1167. cum Walterio Bergensi, Roberto Lisquensi & Walterio Loensi in charta Hugonis abbatis S. Nicolai Furnensis pro cœnobio S. Augustini. Si Meyero fides, rexit annos 47. pius & industrius, inquit, qui multa ecclesiæ suæ adjecit bona temporalia, eamque sacris reliquiis ex Urbe allatis ditavit.

Mir. novæ edit. pag. 389.

IV. Gosuinus abbas Formoselensis, nobilis amplificator & ædificator illius monasterii, ortus ex nobilitate Formoselensi, obiit 1193. v. cal. Martii; ita Meyerus.

V. Walterus abbas Formiselensis obiit 1194. idibus Septemb. ex Meyero.

VI. Theodoricus successit, qui anno suo quinto præposituram suam cessit alteri.

VII. Hugo præpos. Formoselensis an. 1206. fit præpos. S. Martini Iprensis ex Meyero.

VIII. Johannes nominatur præpositus Formoselensis an. 1221. in translatione corporis S. Oswaldi regis & martyris apud S. Winocum.

IX. Augustinus Wirtaët, *al.* Wstaert, e gremio canonicorum hujus loci, a Rege nominatur abbas mense Junio an. 1681.

X. Marcus Stappens ejusdem loci alumnus, a Rege nominatus est abbas regularis 23. Nov. 1691. per obitum præcedentis. Ipse vero mortuus est 13. April. 1699. ex schedis D. Maillart patroni in senatu Paris.

XI. Cæsar de la Grange S. Genovefæ Paris. canonicus regularis, designatur abbas a Rege Christianissimo 31. Dec. 1702. per obitum præcedentis.

SONNEBECA, *seu* ZONEBECKA.

HÆc abbatia canonicorum Regularium ord. S. Augustini, duabus ab Ipra milliaribus, diœcesis olim Morinensis, nunc Iprensis, titulo B. Mariæ insignitur. Fuit autem ab initio præpositura tantum, & quidem haud plurium quam trium canonicorum, auctore Fulboldo *seu* Fulpoldo castellano Iprensi, pro animæ suæ salute, Ramburgis uxoris, filiorum, & antecessorum suorum, ut patet ex charta Drogonis episcopi Morinensis hanc fundationem confirmantis anno 1072. apud Miræum novæ editionis pag. 1133. & in appendice nostra. Deinde vero Theobaldus Fulpoldi filius non modo fundationem approbavit, sed ad numerum septem canonicorum auxit ex propriis bonis; tandemque ad abbatialem dignitatem provecta est anno saltem 1142. uti palam fit ex bulla Innocentii II. Arnulfo abbati Sonnebeccensi inscripta, qua monasterii privilegia confirmat hoc anno; & statuit ut ordo canonicus secundum B. Augustini regulam & institutionem fratrum de Aridagamantia (Arroasia) perpetuis temporibus ibidem observetur. Exstat hæc bulla in editione novissima operum Miræi, pag. 1163. Dirutum est hoc monasterium per tumultus bellicos an. 1578. quod adhuc tamen perseverat.

Ch. II. col. 375.

Series Abbatum.

LAmbertus filius Theobaldi alterius fundatoris, fuit primus præpositus Sonnebecanus ab anno saltem 1110. quo memoratur in bulla Paschalis II. fundationem approbantis, apud Miræum, pag. 1152. Deinde anno præposituræ suæ quarto factus est episcopus Noviom. ac Tornacensis, ex notis editoris operum Miræi; ibidem, pag. 1164. ubi etiam obiisse dicitur an. 1123.

PRÆPOSITUS.

I. Arnulfus ex secundo præposito memoratur abbas an. 1142. in bulla Innocentii II. cujus supra mentionem fecimus.

II. Daniel, secundus abbas 1153.

III. Johannes I. an. 1179. is profecto Johannes, qui ex abbate de Sunebecca vocatus est ad abbatiam S. Bartholomæi de Ekout in Belgio, ex epist. Stephani Tornac. 269.

IV. Fumaldus 1210.

V. Johannes II. 1230.

VI. Johannes III. 1257. & 1267. quo anno super decimis de Morslede compromisit cum Waltero decano Tornacensi. Memoratur adhuc an. 1268.

VII. Henricus asceta Montis S. Eligii factus est abbas in Zunebeca, ex catalogo virorum illustrium Montis S. Eligii.

VIII. Hugo 1305. & 1324.

IX. Ingelramus I. 1346.

X. Johannes IV. Claëirbout 1360.

XI. Ingelramus II. 1393.

XII. Victor 1408.

XIII. Johannes V. Ladinoet 1429.

XIV. Jacobus I. van Campen decretorum doctor assumtus ex Querceto, 1440. & 1455. in archivo Remensis archiepisc.

XV. Eligius de Vacht electus 1470. cessit an. 1490.

XVI. Johannes VI. de Spina fit abbas 1490. auctoritate Innocentii papæ VIII.

XVII. Guillelmus I. Steelant creatus abbas a Leone X. an. 1516. obiit abbas S. Winoci.

XVIII. Johannes VII. Calin nominatione Caroli V. imperatoris abbatiam consecutus est an. 1538.

XIX. Nicolaus Ogiers, *al.* Osiers, ex Grammaio, a Philippo II. Hispaniarum rege nominatus an. 1568. memoratur in necrologio Nonenbosci his verbis: *VIII. idus Maii* NICOLAUS OGIERS *abbas de Zunnebeke dedit fenestram in ambitu.* Lapidi vero sepulcrali tribus abbatibus communi inscriptum est hoc epitaphium: *R. A. D.* NICOLAUS OGIERS *strenuus abbatiæ contra invasores defensor.*

XX. Carolus Boisot, nominatione serenissimorum principum Alberti & Isabellæ Claræ Eugeniæ renuntiatus, abbas 1608. fato fungitur 27. Aug. 1637. Hanc habet inscriptionem in memorato lapide: *R. A. D.* CAROLUS BOISOT *a vitæ nobilitate & diuturno regimine spectabilis.*

XXI. Bernardus de Haine a Ferdinando imp. designatus abbas 1638. obiit 1652. ex ipsius epitaphio, quod sequitur: *Latet sub hoc lapide* BERNARDUS DE HAENE *20. abbas ac toparcha de Sonnebeke, hujus monasterii fulcimentum, vir celsa humilitate & mortificatione conspicuus, qui ante obitum mortuus, post obitum in æternum vivere cœpit anno Domini* MDCLII. *XIX. cal. Feb.*

XXII. Guillelmus II. van Houcke nominatus a Leopoldo archiduce an. 1652. decessit eodem anno, ut fidem facit epitaphium: *Hic jacet reverendus admodum dominus D.* GUILLELMUS *van* HOUCKE *abbas & toparcha de Zonnebeke ad eamdem abbatialem dignitatem promotus, postquam diversis in locis summa cum laude munus pastorale & decanale obiisset, & carceres Zelandicos* A *ob fidem Catholicam circiter triennio patienter sustinuisset, tandem ætatis suæ anno 63. professionis monasticæ 44. & abbatialis dignitatis die 17. pie in Domino obdormivit anno Verbi Incarnati* MDCLII. *Requiescat in pace.*

XXIII. Hubertus Wycaert sub eodem lapide quiescit, quo Nicolaus Ogiers & Carolus Boisot, cum hac epigraphe: *R. A. D. Hubertus Wycaert indefessa œconomiæ observatione afflicto monasterio proficuus. Requiescat in pace.*

XXIV. Melchior David innotescit ex epitaphio: *Hic situs est reverendus admodum dominus* MELCHIOR DAVID *23. abbas & toparcha* B *de Sonnebeke, cujus mansuetudinem, sedulitatem, virtutes reliquas venerantur omnes ut rariores effectus decennalis regiminis. Obiit 3. Jan. anno Dom. 1670. ætatis 41. prælaturæ XI.*

XXV. Jacobus II. Piers hoc habet epitaphium: *Hunc sibi locum sepulturæ elegit reverendus admodum dominus D.* JACOBUS PIERS *24. abbas & toparcha de Sonnebeke, cujus in rebus agendis vigilantiam venerati sunt coætanei, mirabuntur posteri. Et patriæ fuit, dum resedit inter ordines Flandriæ, & monasterio suo semper utilis, dum ejus partem in meliorem redegit formam, alteram novis ædificiis exornavit, operibus suis op-* C *tatam a seculis apposuit coronidem, ubi toparchiæ jura prius divisa monasterio coadunavit. Obiit anno Dom. 1699. 10. Martii, ætatis 70. prælaturæ 28. Requiescat in pace.*

XXVI. Ambrosius vander Weerde a Rege confirmatur mense Aprili 1699. Tale ipsius est epitaphium: *Sub hoc marmore latet R. admodum ac amplissimus dominus D.* AMBROSIUS *vander* WEERDE *25. abbas ac toparcha de Sonnebeke, vir plane egregius, doctrina conspicuus, consilio præstans, atque ob pietatem, sobrietatem, caritatem, humilitatem, aliasque virtutes plurimas, quibus verissimum bonorum operum exemplar apud* D *posteros in æterna admiratione merito habendus. Munus boni pastoris in Nieukercke per 29. annos zelose obivit, inde ad pedum abbatiale vocatus, monasterium novis ædificiis condecoravit, & suos alimento spiritualis dulcedinis pleno usque ad mortem pavit. Obiit anno Domini 1711. die 18. Maii, ætatis 72. prælaturæ 12. jubilæi 22. Requiescat in pace.*

XXVII. Patricius Holuoet nominatus abbas mense Maio anni 1711. benedictionem percipit die 13. Septembris.

EVERSHAM.

E MOnasterium ord. S. Augustini sub patrocinio S. Petri & S. Vedasti, ad fluvium Iseram in territorio Furnensi, suam debet originem duobus canonicis Casletensibus, Gualberto & Elbodoni, favente Elbodone altero, cujus in parochia locus continebatur, quorum omnium Gerardus episc. Morinensis donationem probavit anno 1091. ipsumque locum suæ tunc diœcesis, nunc Iprensis liberum constituit, & ab omni exactione absolvit. Ita novus editor operum Miræi t. 2. pag. 1140. Et certe de hujusce domus primordiis hi duo leguntur versus:

Me struxit pietas, structamque vocavit Eversham:
Gualberto, clericûm sio, petente, domus.

Hanc vero Johannes Morinorum antistes in præposituram canonicorum Regularium convertit, eique primum an. 1099. præpositum Thomam concessit; quam deinde Robertus Flandriæ comes & Gertrudis Burgravia de Furnis, suis affecerunt beneficiis. Vide Meyerum in annalibus Flandriæ.

SERIES PRÆPOSITORUM.

I. THOMAS, de quo superius, testis est an. 1102. in charta Johannis Tervan. episcopi regulares canonicos loco secularium instituentis in ecclesia S. Martini Ipris, & ibi vocatur prior, non præpositus. Anno 1109. interfuit translationi reliquiarum SS. Walburgis, Willeburgis & Wineburgis apud Furnas.

II. Hugo an. 1120. subscripsit donationi factæ monasterio S. Nicolai de Furnis.

III. Albertus an. 1133. adfuit dedicationi ecclesiæ S. Winoci, cujus tempore S. Bernardus hospes in monasterio exceptus traditur.

IV. Lambertus & Lebbertus de suo benemeritus monasterio, testis occurrit 1175. in donatione facta cœnobio Furnensi.

V. Anselmus reperitur an. 1181. in veteri charta Philippi Alsatii Flandriæ comitis pro Loensi cœnobio, apud Miræum novæ editionis, pag. 278.

VI. Johannes I. an. 1218. quosdam reditus Viconiensi monasterio vendit, adestque tribus post annis in cœnobio S. Winoci translationi corporis S. Oswaldi regis & martyris.

VII. Willelmus I. 1229. & 1232. quo anno quædam prædia comparasse legitur.

VIII. Petrus I. occurrit anno circiter 1348. forte idem qui sequitur.

IX. Petrus II. an. 1371. centum metas sylvarum Dunensi abbati, & rursum 1376. nonnulla eidem monasterio vendit. Obiisse videtur circa 1394.

X. N. obiit 1401.

XI. Venantius Dammere magister artium & licentiatus nonnullos describi fecit libellos. Mortem oppetiit 24. Maii 1419.

XII. Eligius Masin Renyngha oriundus an. 1425. 18. Julii contulit Johanni clerico custodiam & scholas ecclesiæ parochialis de Oeren. Migravit a seculo 1451. postquam rexisset annis 32.

XIII. Petrus III. de Broko interfuit an. 1457. dedicationi templi Aldenburgensis.

XIV. Balthasar vander Poele an. 1471. annuente Sixto IV. Romano pontifice, patronatum curionatus de Hoogsta de manu Georgii sacerdotis suscepit.

XV. Johannes II. van Vleterne captivus cum præposito Loensi abductus fuit ab Alamannis an. 1490. Vivebat adhuc 1502.

XVI. Oliverius Bendin 1508.

XVII. Willelmus II. *seu* Guillelmus Pours antea cellerarius, præerat 1526. Hic pedum pastorale fieri curavit, a quo fortassis tempore hæc præpositura quasi in abbatiam excrevit. Certe ita Miræus eam appellat. Obiit Guillelmus 1538. sepultus ad cornu Epistolæ majoris altaris, ubi hoc olim legebatur epitaphium:

Siccine mors atrox hominum non excipis ullum!
Cædis, qui longo tempore dignus erat.
*Ah decuit superesse diu, quem * profuit usque,* * f. gau.
Vivere, & afflicto semper adesse gregi!
Heu jacet antistes latebris GUILLELMUS in istis
Maxima POURS hujus gloria, luxque domus!
Sed prohibet lachrymis...... suffundere vivos
Non periit, vivit, gaudia tutus habet.

XVIII. Quintinus Caulier primum bubulcus, tum venator conventus, exinde canonicus, postea decanus, ac demum præpositus, an. 1549. impetravit a nuncio apostolico, ut sui vernaculi lacticiniis Quadragesimæ tempore vesci possent. Obiit de suo benemeritus monasterio 8. Maii 1554.

XIX. Rogerius Trier antea decanus e vivis excessit die 26. Maii an. 1557.

XX. Johannes III. Nigri, juvenis secularis, Rogerio substitutus, post paucos menses obiit, cujus hoc epitaphii fragmentum superest.

Pulvis JOHANNES NIGER hoc sub marmore condor,
Quem juvenem rupto stamine Parca tulit.

XXI. Nicolaus Schaste antea cellerarius & pædagogus; obiisse videtur an. 1562.

XXII. Johannes IV. van Loo ex Esseena oriundus benedictionem percepit a Martino Iprensi episc. die 13. Sept. an. 1562. Vir sagacis ingenii & doctus studia litterarum suo intulit monasterio. An. 1566. in urbem Ipras cum suo conventu, sectariorum metu aufugit, & hi quidem an. 1569. monasterium flammis absumpsere. Interfuit an. 1570. concilio provinciali Mechliniensi; tandemque scriptis non paucis clarus obiit Ipris 13. Octob. 1594. & in ecclesia S. Nicolai sepultus est cum hoc epitaphio: *Sub hac tabula quiescit reverendus D. JOHANNES a LOO monasterii de Eversham quondam præpositus, qui annis 32. gregi suo tam Evershamii quam exilii loco, proscriptis fere toto Belgio catholicis, laudabiliter cum præfuisset, tandem ætatis suæ sexagesimo-quarto obdormivit in Domino.*

XXIII. Jacobus I. Beke, Viroviacensis, benedictione percepta 17. Januarii an. 1595. a Petro Bono Iprensi antistite, claustrum reparare cœpit, ad quod tandem suum conventum reduxit. Vir modestissimus consanguineos pauperes voluit ad suam portam cum aliis stipem accipere. Obiit pene octogenarius 9. Dec. 1613. Ipris sepultus in ecclesia S. Nicolai, ubi hoc habet epitaphium:

Quid chorus Iprani planctus squallet Nicolai
De torrente bibens, ne pete, jure dolet.
Præpositi tenet ossa viri, qui præfuit annis
Eversham quinis bis super adde decem,
Destructamque domum ad veterem perducere formam
Cœpit, cum vacuo Parca maligna colo
Illa luce scidit filum, quæ est nona Decembris,
FertO VIatorI, DoCte VIator, opeM.

XXIV. Johannes V. van Welsenes, *aut* Welsenes, antea decanus, benedictus fuit ab Antonio Hennin Iprensi episcopo, ac deinde inter primores cleri, quos membra Flandriæ vocant, adlectus, monasterium instaurare perrexit.

XXV. Jacobus II. Pierin Furnensis occurrit annis 1638. & 1647. Peste interemtus est.

XXVI. Petrus IV. de Quycke Iprensis reperitur an. 1649. ac mortuus est oculis orbatus 1661.

XXVII. Antonius Ghesquiere ex Ulebeka Iprensis agri oppido oriundus, ætatis suæ anno 77. religionis 58. sacerdotii 52. ac præpositurae 46. de monasterio benemeritus obiit 1707. 18. Aug.

XXVIII. Adolfus Baroudt ex parochia de Winchem in agro Furnensi nominatur abbas regularis 1. Novemb. an. 1707. Adhuc præerat 1712.

WARNESTONIUM.

Warneston.

* le Lis.

AMplum est municipium ad Lisam* fluvium secundo lapide ab Ipris situm, in quo canonicorum olim secularium fuit ecclesia sub patrocinio S. Petri, qui an. 1138. regularem disciplinam amplexi, congregationi Arroasiensi se se adjunxerunt. Prima ejus mentio, cum adhuc secularis esset, occurrit an. 1126. quo Adhelidis Peronæ & Warnestonii domina recenset, confirmatque donationes eidem ecclesiæ a decessoribus factas, imo plures adjicit, uti legere est in appendice nostra & apud Miræum novæ editionis, pag. 379. (Ch. IV. col. 376.) Altera est anni prædicti 1138. quo Theodericus Alsatius Flandriæ comes dictam conversionem hujus ecclesiæ secularis in regularem a Milone Morinensi episcopo factam, & huic assensum Adelidis Peronæ & Warnestonii dominæ, litteris suis in appendice nostra relatis (Ch. V. col. 376.) & apud Miræum loco citato, pag. 387. approbavit. Tertiam denique suppeditat hæc eadem domina, quæ anno 1139. partem cujusdam Montis, quem Dodelim vocant, *pauperibus fratribus in Warnestonensi ecclesia Deo & B. Petro sub regula sancti Augustini secundum institutionem S. Nicolai de Aridagamantia famulantibus, concessit.* Ea de re chartam vide inter instrumenta. (Ch. VI. col. 377.)

SERIES ABBATUM.

GAzetus historiæ ecclesiasticæ Belgii, pag. 418. primum inducit abbatem quemdam Milonem prius S. Jodoci in Pontico abbatem, ac deinde episcopum Tarvanensem ; at si vere fuit abbas, fuit antequam ea ecclesia in regularem converteretur ; nam

I. GUALTERIUS I. *seu* GALTERUS, præerat jam anno saltem 1142. quo ipsius precibus Milo episc. Tarvanensis omnes monasterii possessiones confirmavit, apud Miræum novæ editionis, pag. 389. & in appendice nostra. (Ch. VII. col. 377.)

II. Gillebertus I. memoratur 1177. in charta Roberti de Bethunia Atrebatensis advocati quidquid antecessores, fundatores, inquit, ecclesiæ Warnestonensis, eidem concesserant, approbantis,

A apud Miræum, pag. 395. & in appendice nostra. (Ch. VIII. col. 378.) Idem Gillebertus & Hugo monachus ac prior de inferiori Warnestonio subscripsisse leguntur litteris ejusdem Roberti Bethuniæ & Teneramundæ domini, qui quidem adhuc florebat an. 1184. Obiit Gillebertus die 3. Aprilis ex Galloflandr. lib. 1. pag. 138. ubi dicitur e Falempino assumtus.

III. Theobaldus I. sigillum suum apposuit litteris Willelmi advocati Atrebat. filii Roberti supra dicti, an. 1196. XIII. cal. Decemb. ex chartulario Mareolensi.

IV. Lambertus sedit ab anno circiter 1212. B ad 1217.

V. Galterius II. ab anno 1217. ad 1223.

VI. Gillebertus II. ab anno 1223. ad 1230.

VII. Willelmus I. ab anno 1230. ad 1238.

VIII. Gualterius III. ab anno 1238. ad annum, ut volunt, 1285. quo quidem fortasse superstes, sed non amplius abbas ab annis pluribus, ut probatur ex scheda sequenti.

IX. B. abbas S. Petri de Warnestun ordinis Aroasiensis beneficium absolutionis petit ab abbate Aroasiensi totius ordinis capite, qui decessorem ejus perduellem excommunicationi supposuerat, anno Domini 1272. Dominica post C festum SS. Petri & Pauli apost.

X. Jacobus I. præfuisse dicitur ab an. 1285.

XI. Petrus I. d'Assenede.

XII. Ingelramus van Walle.

XIII. Anselmus van Walle.

XIV. Theobaldus II. fortasse idem qui supra.

XV. Willelmus II.

XVI. Gervasius.

XVII. Johannes I.

XVIII. Judocus.

XIX. Jacobus II. Hargier circa 1490. ex Grammaio.

XX. Isoreth de Quicque abdicavit. Isidorum D vocat Grammaius, scribitque sedisse circa annum 1520.

XXI. Oliverius Ballinck.

XXII. Vincentius Martier natus Insulis an. 1470. religionem profitetur 1494. tum ex priore anno 1505. fit abbas 1512. Jacet in capitulo.

XXIII. Paschasius Mariaige, *al.* Maniagios, ex Grammaio, præfecturæ nuntium remisit.

XXIV. Petrus II. Loisier vivebat annis 1539. & 1542. Postea cessit.

XXV. Nicolaus Mariaige, *al.* Maniagios, ex Grammaio, Paschasii frater, *al.* nepos, ex Atreba- E tensi S. Eligii cœnobio assumtus an. 1548. præfuit ad an. 1558.

XXVI. Johannes II. de Hane ex priore, anno ætatis suæ 37. Christi 1558. a Rege catholico designatus abbas, confirmatur 16. Febr. ac Tornaci benedicitur 12. Martii ab abbate Crispinii episcopi Camerac. suffraganeo. Sedit ad annum 1600. sepultus ad *tabernaculum* Venerabilis sacramenti.

XXVII. Guillelmus, *seu* Willelmus III. Riquere *al.* de Rycker, sedit ab an. 1600. ad 1610. quo præfecturam dimisit.

XXVIII. Franciscus des Trompes pedum gessit ab an. 1610. ad 1647. Bruxellæ moritur sepultus in sacello miraculi sacramenti.

XXIX. Jacobus III. Ghiis, sede Iprensi vacante, & a Francis occupata civitate, Tornaci benedictionem accepit 19. Martii 1649. Obiit 5. Aprilis 1657. sepultus ante summum altare.

XXX. Jacobus IV. Hellemius ecclesiam restauravit & marmore stravit, sedilia & altare ligneum auro & argento decoratum erexit, sacraque supellectile exornavit. Fato functus est 12. Junii 1693.

XXXI. Petrus III. le Fevre ex priore nominatur abbas 8. Septemb. 1693. ex schedis publicis, sed fortasse citius, nam Ipris benedictionem accepisse dicitur 12. Julii ejusdem anni. Is porro capitulum, refectorium, duplexque dormitorium ædificavit. Diem clausit extremum 23. Octob. 1706. ætatis suæ anno 72.

XXXII. Yvo des Obry nobilissimus a Rege nominatus 21. Januarii an. 1707. benedicitur a Martino de Ratabon Iprensi episcopo die 26. Apr. assistentibus Alexandro Ludovico de Gouy S. Johannis Iprensis & Ambrosio vander Werde Zonnebecensi abbatibus.

PONTROHART, *ou* ROISEBRECH, & ROESBRUGGE.

PONS-ROHARDI.

ABbatia Pontis-Rohardi, *seu* Novæ-plantationis *vel* B. Mariæ Novæ, *vulgo* dicta *Dominarum de Roisebrech*, ordinis S. Augustini, *seu* S. Victoris, in territorio primum Furnensi ad fluvium qui nuncupatur Isara, nunc in urbe, fundatur a Guillelmo de Bethunia & Elisabeth ipsius conjuge circa an. 1235. hortatu præsertim Martini cujusdam, presbyteri Bergensis, ut liquet ex charta in appendice relata. Certe hoc anno Balduinus de Haveskercke miles decem solidos annuatim super quadam decima, quam a prædictis fundatoribus tenebat, eidem monasterio concessit. Attamen dominus du Fourny in indice tormentis bellicis præfectorum fundatam hanc abbatiam asserit anno 1234. a Maximiliano de Bethune primo hujusce nominis, duce de Sully, pare & marescallo Franciæ ac supremo principe d'Enrichemont, &c. necnon Isabella domina de Pontrohart. Sed fortasse idem est Guillelmus & Maximilianus duplici nomine donatus. Ceterum Balduinus primus capellanus postquam per 30. & amplius annos monialium confessiones excepisset, obiit III. calend. Apr. 1267. ex necrologio, ubi etiam reperitur Elisabeth fundatrix cum anniversario duplici XIV. cal. Febr. ejusdem maritus Willelmus de Bethunia fundator ecclesiæ & frater ad succurrendum, X. cal. Septemb. necnon Mathildis castellana Insulensis domina de Ponte-Rohaldi & de Molembeka, & Johanna domina de Nivella filiæ prædictorum IV. cal. Januarii.

Ch. IX. col. 378.

SERIES ABBATISSARUM.

I. MATHILDIS per primam sui nominis litteram M. connotata reperitur an. 1237. in charta S. Augustini Tarvan. Ejus vero ita meminit necrologium: « III. idus Apr. anniversarium duplex piæ recordationis & sectandæ conversationis ac vitæ venerabilis Mactildis, quondam matris nostræ, primæ hujus ecclesiæ abbatissæ, quæ quam prudens & quam fervens zelatrix fuerit ordinis & bonorum plantationis ejus, pretiosa multiplicatio sufficiat ad probandum. Ipsa vero de monasterio Prumiacensi propter prærogativam meritorum suorum ad regimen hujus ecclesiæ, Dei disponente misericordia, est assumta, quæ ecclesiam nostram incipiens a modico, tam bonis temporalibus, quam personis sanctitate fulgentibus copiose munivit suo tempore, sui curam officii semper agens sollicite, fideliter, humiliter ac devote. O quam gregis Dominici benigna nutrix exstitit! non potestate sæviens, sed patiens ad omnes & compatiens, prout cuique opus erat, nunc ubera porrigebat. Si quas, enim exigente disciplina, verbis duris aut fortassis verberibus puniebat, mox pia gestans viscera, verbis ea suavibus & maternæ dulcedinis uberibus leniebat. Ista namque carissima mater nostra in pascendis oviculis suis se & totum tempus vitæ suæ misericorditer consumens piam matrem in subveniendo, in erudiendo doctricem sedulam & in ceteris se sociam exhibens, omnibus succedentibus permaneat in exemplum, quibus clamat operibus has invitans ad simile faciendum. Hæc igitur lucerna patriæ, mœrentium consolatrix, norma vitæ, religionis exemplar exitu beato terminans vitam bonam, in adolescentulæ filiæ suæ ecclesiæ nostræ gremio requiescit humata, locum sibi dilectum sua nobilitans sepultura, in reditu sponsi laboris expectans præmium & amoris. »

II. Elisabeth I. *seu* Isabella de Dixmude, obiit 9. Octob. 1303. his autem verbis notatur in necrologio: *VI. idus Octob.* ISABELLÆ DE DIXMUDA *quondam abbatissæ de Ponte-Rohardi, quæ fuit bona persona & religiosa, & multis virtutibus conspicua.*

III. Catharina de Vadis, de qua sic necrologium: *IV. idus Januarii ipso die anniversarium solemne* CATHARINÆ DE VADIS *abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ fuit bona persona & religiosa, & magistra nobis amantissima, in prosperis non elevata, in adversis patientissima, pro cujus anima nos habemus unum vasculum in quo portatur Corpus Domini in die SS. Sacramenti, & unum cyphum argenteum cum pede, & alia bona ad ornamentum ecclesiæ nostræ.*

IV. Maria I. de Waverino ita commemoratur in necrologio: *III. cal. April. solemne anniversarium piaque recordatio bonæ memoriæ dominæ* MARIÆ DE WAVERINO *quondam abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ fuit bona persona & religiosa, & ex fundatoribus nostris exorta. Sane justum est ne beneficia ab ipsa nobis impensa immemorata remaneant, sed potius ad perpetuam rei memoriam ascribantur. Sciendum est enim quod in die obitus sui triginta solidos Parisienses ad pittantiam annuatim ordinavit. Item molendinum situm in parochia de Bambeka juxta mansum nostrum nobis acquisivit. Item de baculo pastorali subsequentibus prælatis & ecclesiæ providit. Item pecuniam sibi de jure*

de jure debitam usque ad summam LXVI. *librarum vel amplius Parisiensium nobis & ecclesiæ benigne remisit. Ceterum de suis jocalibus validis & immensis nobis & ecclesiæ competenter distribuit & donavit.*

V. Elisabeth II. Belles locum habet in necrologio his verbis: *VIII. cal. Junii anniversarium solemne domnæ* ELISABETH BELLES *abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ fuit bona persona & religiosa & honesta & virtutum amatrix ferventissima, quæ acquisivit nobis unum molendinum stantem in parochia de Beverne, quod vocatur Broucmoelne, de quo habemus 21. libras Parisienses annuatim, & unum vasculum aureum in quo fertur Sacramentum, & alia multa bona quæ continent bene 100. libras Parisienses.*

VI. Margareta I. de Hallines, cujus ita meminit necrologium: *XIII. calend. Septemb.* MARGARETÆ DE HALLINES *abbatissæ hujus ecclesiæ. quæ . . . . contulit nobis imaginem B. Mariæ sitam supra majus altare & etiam imagines B. Annæ & S. Elisabeth, & alia multa bona.*

VII. Gislena reperitur an. 1496.

VIII. Margareta II. de Scoten, cujus & parentum habetur memoria in necrologio, his verbis: *VI. cal. Aug. domnæ* MARGARETÆ DE SCOTEN *abbatissæ hujus monasterii, quæ laudabiliter rexit. . . . . Totum conventum ejus & bona hereditaria ampliavit, & multa ædificia renovavit, & magnum altare decoravit cum duobus candelabris argenteis & uno capite, in quo multæ reliquiæ sunt inclusæ, & instituit unam missam perpetuam celebrandam semper in feria V.... Item nobilis viri domini Michaëlis Scoten militis & dominæ Annæ uxoris ejus, & domini Oliveri de Scoten militis & dominæ Margaretæ uxoris ejus, & Johannis de Scoten filiorum ejus, & Mariæ Scoten priorissæ nostræ, Leonis de Scoten & domicellæ Johannæ uxoris ejus & Catharinæ filiæ ejus.*

IX. Maria II. Lands recensetur in necrol. in hæc verba: *VIII. idus Septemb.* MARIÆ LANDS *abbatissæ hujus ecclesiæ. . . . . quæ ædificia ruinosa reparavit, & imaginem sancti Sebastiani martyris & quandam solennem cappam* argenteam deauratam delegavit, ex qua nunc est compositum sacramentale, quo corpus Christi ad infirmariam defertur, & multa alia bona.*

* l. capsam.

X. Maria III. Eugghenoest, *al.* Ruggeuroft, sic memoratur in necrol. *XVI. cal. Octob. solemne anniversarium* MARIÆ EUGGHENOEST *abbatissæ hujus ecclesiæ. . . . . quæ dedit nobis tres mensuras terræ & unam lendam jacentes in parochia de Lenseles, & item 104. libras Parisf. & duas ampullas & unum discum argenteos, & multa alia bona.*

XI. Ludovica van Gassele.

XII. Sarra Bollaerds commemoratur in necrol. IV. cal. Septembr.

XIII. Cornelia Vastenavant renovavit dormitorium, & molendinum de novo construxit nomine *Broucmue** & plura alia bona, ex necrol. nonis Martii.

* supra, Broucmoelne.

A XIV. Catharina II. vanden Coornhuyse, cujus tempore XVIII. cal. Jan. anno 1558. monasterium incendio consumtum est, ipsa vero post incendium reædificare fecit ecclesiam & mediam partem cœnobii, & duo molendina ex novo, quæ constiterunt unum quodque duodecim libras grossorum, &c. ex necrol. nonis Jan.

XV. Emma occurrit in necrol. pridie calend. Julii.

XVI. Maria IV. de Renty benedicitur anno 1576. 24. Martii ab Iprensi episcopo. Ejus tempore an. 1579. ab hæreticis monasterio funditus everso moniales Audomaropolim confugerunt. Obiit 1605. 18. Junii, ætatis suæ anno 70. in ecclesia S. Nicolai sepulta & quidem in sacello S. Quirini.

B

XVII. Margareta III. de Magny ex priorissa in abbatissam cooptatur 21. Julii 1605. Hæc transtulit monasterium, cujus refectorium, dormitorium, capitulum, &c. ædificavit, tandemque post 46. annos regiminis defuncta est 28. Febr. 1651.

XVIII. Maria V. Bonaert obiit post 14. menses necdum accepta benedictione.

XIX. Petronilla Cuvillon ex epitaphio sequenti probe innotescit: *D. O. M. Icy gist la R. & noble dame, madame* PETRONILLE CUVILLON *native de la ville de Lille, laquelle estant âgée de 71. professe de 51. jubilaire d'un an, & ayant esté 7. ans prieure & 25. ans abbesse en cette fameuse abbaye de Rousbrughe, trepassa le 22. Novemb. 1677. R. J. P.*

C

XX. Catharina III. de Varenne benedicta 14. Febr. 1678. obiit 23. Junii ejusdem anni.

XXI. Cecilia van Uleteren a Rege christianissimo designata, Brugis benedicitur 25. Julii 1679. Hæc duodeviginti ante obitum annis, defluentibus catarrhi humoribus cæca omnino facta, in suarum nihilominus regimine, eo, quo prius cœperat pede, ire perrexit. Denique obiit ætatis suæ an. 76. profess. 57. dignitatis abbatialis 32. & Incarn. Dom. 1710, die 14. Octob.

D

XXII. Johanna Theresia Marquant a Rege nominata in festo Natalis Domini anno 1710. benedictionem percipit die 28. Junii 1711.

NOVUM CLAUSTRUM;
seu NOVUM MONASTERIUM.

HOc cœnobium pro virginibus in honorem S. Elisabeth fundavit vir nobilis Guillelmus Spiikere in pago suo Spiikere ultra Colmam, versus Dunkercam & mare, transtulit autem prope Bergas anno 1248. Margareta Flandriæ comitissa, evasitque in abbatiam ord. S. Augustini e congregatione S. Victoris anno 1252. favente in primis Guidone ejus filio. Sequentes abbatissas ex codice ejusdem monasterii accepimus.

E

SERIES ABBATISSARUM.

I. MARGARETA I. DE BANE suis omnibus monasterio traditis eidem præfuit annis 1254. & 1263.

II. Beatrix 1270. in necrologio B. Mariæ A novæ, *seu* Pontis-Rohardi dicitur quondam monialis hujus monasterii.

III. Margareta II. 1273.

IV. Catharina I. de Halm 1317.

V. Maria I. Boisacamp.

VI. Catharina II. Kelm 1414.

VII. Catharina III. Belles 1429.

VIII. Catharina IV. Lauwers 1443.

IX. Petronilla I. Suische 1445.

X. Petronilla II. Vischere 1448.

XI. Maria II. Crayes 1457.

XII. Johanna I. Srudders 1459.

XIII. Maria III. Suische 1484. B

XIV. Maria IV. Pollars 1492.

XV. Antoine Boudols obiit 1519. 28. Aprilis.

XVI. Margareta III. Suerwers 1519.

XVII. Margareta IV. Warhem 1526.

XVIII. Catharina V. Suerwers 1531.

XIX. Johanna II. Bekarts 1557.

XX. Jossina de Zuutpeene obiit an. 1580. 22. Septemb.

XXI. Maria V. Raes excessit e vivis 17. Martii 1587.

XXII. Anna I. de Vulf benedicta 1588. monasterium in urbem transtulit 1591. defuncta C 1596.

XXIII. Maria VI. Raes Ipris accepta benedictione a Petro Simons episcopo 1597. obiit 1600.

XXIV. Barbara Rudere benedicta 1601. primum ecclesiæ lapidem posuit 1614. mortalitatem explevit 1623.

XXV. Maria VII. de Vulf benedictionem accepit an. 1624. ab Antonio de Henin episcopo Iprensi. Ecclesiam decoravit, pluraque in monasterii sui commodum præstitit. Interiit anno 1653.

XXVI. Anna II. de Hardewust benedicta D ab episcopo Iprensi decessit 30. Octobris anno 1662.

XXVII. Adriana Carola de Fiennes ab Audomarensi præsule benedictione donata 18. Aug. 1663. migravit a seculo 30. Octob. 1665.

XXVIII. Maria-Clara de Hericourt benedictionis munus accepit a Martino Proets Iprensi episcopo 13. Junii 1668. Abiit e vivis 14. Aprilis 1679.

XXIX. Maria-Theresia Criistiaens benedicta ab Anna Tristando de la Baume episcopo Tarbiensi, Audomarensi nominato 24. Augusti 1679. obiit 14. Aprilis 1689. ætatis suæ E anno 57.

XXX. Maria-Josepha Maes ex priorissa nominatur abbatissa, & benedictionis munus accepit a Ludovico Alphonso de Valbelle episc. Electensi nominato Audomarensi 26. Julii 1689. superstes ad annum saltem 1712.

FURNUM, *vel* FURNA. FURNES.

MOnasterium est ordinis Præmonstratensis sub patrocinio S. Nicolai, cognomento *de Buttenburch*, a parochia vicina sic nuncupati, fundatum a Theoderico Ruso filio Folpoldi an. 1120. approbantibus Carolo Bono Flandriæ comite, & Johanne Tervanensi episcopo, qui quidem ita commemoratur in necrologio sancti Justi Bellovac. *1. Febr. domini Johannis episcopi Morinensis, fundatoris ecclesiæ de Furnis.* Insuper Calixtus II. papa hujus abbatiæ possessiones in tutelam apostolicam suscepit an. 1124. eidemque Milo Morinensis episcopus immunitatis privilegium concessit an. 1135. At vero Præmonstratensis ordinis ab initio non fuisse inde colligimus, quod sit filia Grimbergæ, quæ non prius ad hunc ordinem accessit quam an. 1128. sed neque ideo, quia filia Grimbergæ, ipsius differenda est fundatio ad annum 1128. *aut* 1129. uti Miræus, qui necdum chartas supra memoratas evolverat, scribit in chronico Præmonstrat. ord. pag. 68. Cum enim Grimberga jamjam an. 1110. sub instituto S. Benedicti, seu postmodum regula S. Augustini floreret, ecclesia Furnensis facile potuit ab illa informari anno 1120. ac deinde illius exemplo ordinem Præmonstratensem amplexari; vel certe non incœpit esse filia Grimbergæ, nisi postquam ordini Præmonstratensi nomen dedit. Ceterum primo fuit condita ad muros Furnenses, in diœcesi Morinensi, nunc Iprensi, tum an. 1170. in campestrem locum translata, ac denique sub initium seculi XVII. intra ipsa Furnensis urbis mœnia reducta, postquam an. 1578. per Geusios & Iconoclastas usque ad fundamenta fuisset eversa. Ex hac vero prodiit an. 1164. abbatia S. Augustini Tervanensis, de qua egimus in ecclesia Audomarensi, tom. 3. Quod autem ad ipsius abbates attinet, eorum seriem edidit Sanderus in Flandria illustrata, tom. 2. in auctuario, pag. 15. eamdemque emendavit Petrus de Vaghenore asceta Furnensis in libro, cui titulus, *S. Norbertus canonicorum Præmonstratensium patriarcha in se & suis voce soluta celebratus.* Ex utroque auctore hunc nostrum catalogum ita contexuimus.

Mir. nova edit. pag. 520. & 521.

Ibid. pag. 524. & 525.

ABBATUM SERIES.

I. NICOLAUS ordinatus est abbas S. Nicolai de Buttenburch a Johanne Tervanensi episcopo an. 1120. cujus etiam precibus Calixtus II. papa monasterii possessiones confirmavit an. 1124. Sedebat adhuc an. 1130. ex annalibus ordinis qui manu exarati servantur in bibliotheca S. Johan. Ambian.

Ibid. pag. 521. & 524.

II. Balduinus patria Balliolanus, professione vero Aquæcurtensis alumnus, eligitur abbas Furnensis. Vocatur autem præpos. Furnensis & Casletensis in dedicatione Bergensis ecclesiæ anno 1133. at paulo post, seditionem incolarum exosus, ad suum prius monasterium recessit, donec ab Alviso Atrebatensi episcopo primus abbas Mareolensis creatus est. Is est fortasse

Balduinus abbas Furnensis; cujus meminerunt necrologia Grimbergense & Heylissimense, IV. idus Febr.

III. Basilius innotescit tum ex prædictis necrologiis, VII. idus Maii, tum ex memoratis annalibus MSS.

IV. Gaufridus, *seu* Godefridus I. primus abbas ex ordine Præmonstratensi, an. 1135. obtinuisse dicitur a Milone Morinorum episcopo quatuor* altaria, & omnium cœnobii possessionum confirmationem; ac insuper anno 1138. decimam de Houtem ad usum fratrum & sororum monasterii. Obiit Gaufridus calendis Aprilis, ex necrologio Grimbergensi.

* Tria tantum enumerantur in charta apud Mir. novæ edit. pag. 125. in qua & nomen abbatis non comparet.

V. Erembaldus, *al.* Eulebaldus anno 1139. donum Iwani Gandensis militis, duas scilicet partes decimæ de Houtem accepit. Laudatum necrologium ejus meminit VI. cal. Apr.

VI. Simon testis est anno 1142. in litteris Milonis episcopi Tervanensis pro Dunensi monasterio.

VII. Guillelmus I. plura dona consecutus est a Theoderico & Philippo Flandriæ comitibus, quæ ab Eugenio III. obtinuit confirmari anno 1147. ab Alexandro III. 1164. & a Milone II. Morinensi episcopo anno seq. Obiisse fertur an. 1166. VIII. cal. Aug.

VIII. Hugo, vir magni nominis, Philippum Flandriæ comitem in multis beneficum expertus est annis 1167. 75. & 79. Idem an. 1167. chartam edidit pro monasterio S. Augustini; itemque subscripsit chartæ Elisabeth Flandriæ comitissæ pro eodem monasterio an. 1177. Fuit etiam arbiter cum Desiderio Morinensi episcopo & Walterio Dunensi abbate inter Absalonem S. Augustini abbatem & monachos Clari-marisci tempore Davidis ejusdem loci abbatis. Ceterum Hugo ut seculari strepitui se subduceret, anno 1170. consilio & opera Desiderii Morinorum episcopi & Philippi Flandriæ comitis abbatiam S. Nicolai ex oppido Furnensi, in quo hactenus steterat, transtulit in locum campestrem Orientalis plagæ, ubi permansit ad annum 1578. quo, solo tenus ab hæreticis eversa est. Obiit Hugo die VIII. idus Julii ex necrol. Marchiæ-Radulfi, circa annum 1180.

IX. Paulus I. ex priore factus abbas an. 1183.* plurima dono accepit a Philippo comite; quo etiam anno terram quandam vendidit monasterio Montis S. Martini. Memoratur & 1185. in chartulario Montis S. Martini; ejusque obitus dies notatur V. idus Octobris.

* Nomen abbatis desideratur in charta apud Mir. ibid. pag. 547.

X. Richardus an. 1188. privilegium obtinuit a Clemente papa III. Decessit autem VI. *vel* VII. idus Febr.

XI. Guillelmus II. *seu* Willelmus litteras protectionis ab eodem Romano pontifice accepit an. 1190. Ipsius meminit necrologium Marchiæ-Radulfi, VII. cal. Febr.

XII. Johannes I. an. 1200. calendis Martii testatur se privilegium aliquod vidisse Dunensibus concessum a Balduino Flandriæ comite. Fortasse is est Johannes abbas Furnensis, cujus meminit necrolog. Grimbergense idibus Aprilis, eumque tradit obiisse anno 1223. (legendum 1203. vel ante obitum cessit.)

XIII. Henricus nominatur anno 1206. in chartulario S. Augustini. An. 1211. privilegium obtinuit ab Innocentio III. & a Sibilla de Lilleriis annis 1219. & 1220. Societatem precum iniit an. 1218. cum Hescelone abbate Grimbergensi; quo etiam anno transigit cum Æ. Dunensi abbate. Idem anno 1232. litem composuit inter cœnobium Montis sancti Martini & capitulum S. Walburgis Furnensis; ad quem annum vide Mir. novæ editionis, pag. 1322. Denique mortuus est an. 1233. ejusque ossa & sepulcrum ex antiqui monasterii ruderibus in templum, & ad latus dextrum principis aræ translata sunt anno 1632. Hoc autem epitaphio insignitur.

Abbas HENRICUS *virtutum cultor, amicus*
Justitiæ, gratus populo, jacet hic tumulatus.
Anima ejus in pace requiescat.
Anno Domini MCCXXXIII. *4. nonas* Maii.*

* *III. nonas Junii ex necrolog. Marchiæ-Radulfi.*

XIV. Johannes II. vir pius & providus annis 1235. & 1236. varia privilegia obtinuit a Gregorio IX. itemque a Thoma Flandriæ comite & Johanna ejus conjuge an. 1241. Obiit circa 1243. idibus Aprilis.

XV. Paulus II. de Novo-portu electus anno 1243. memoratur anno seq.

XVI. Gilbertus regimen capessivit an. 1246. ex charta Dunensi. An. 1249. nonnulla commutavit cum eodem monasterio. Quo etiam anno cum inter ecclesias S. Nicolai & S. Walburgis Furnensis mota esset discordia super decimis & novalibus S. Nicolai, S. Dionysii & aliorum locorum, quas Furnenses S. Nicolai ex largitione Johannis, Milonis I. & II. episcoporum Morinensium sibi vindicabant, eo pacto sopita est, approbantibus Petro episcopo Morinensi & Juhello Remensi archiepiscopo, necnon confirmante Innocentio III. ut unus ex prædictis Furnensibus S. Nicolai ab abbate Furnensi nominandus unam ex majoribus S. Walburgis præbendis perpetuo possideret. Defunctus est Gilbertus VI. cal. Junii circa an. 1251. ex necrologiis Præmonstr. Grimbergensi, & S. Augustini.

XVII. Laurentius præerat an. 1252. mense Junio ex chartis tum domesticis, tum Dunensibus. Decessit apud Præmonstratum an. 1258. III. idus Octob. sepultus in navi Præmonstratensis ecclesiæ, cum hoc epitaphio:

Abbas Furnensis LAURENTIUS *hic tumulatur;*
Omni pace satur, litis justus fuit ensis.
In se prostravit carnem, vitam sibi mundi
Respuit infundi, cælesti se satiavit.*
Adfuit huic cura præbere Deo famulatum.
Hunc & prælatum fecit morum genitura.
Det Deus æternus huic gaudia carne soluto,
Ac locet in tuto Regum Rex ipse supernus. Amen.

* *infandi.*

XVIII. Egidius I. reperitur abbas annis 1259. 67. & 69. quo anno privilegium accepit a Guidone Flandriæ comite; hoc habes apud Miræum novæ edit. pag. 589. in eoque vocat Egidium Guido *dilectum & specialem compatrem*

& amicum suum. Idem Egidius bullam protectionis obtinuit a Gregorio X. an. 1272. & a Martino IV. annis 1281. & 83. Henricus etiam Morinensis episc. fundatam anno 1281. capellam S. Laurentii infra limites B. Mariæ de Novo-portu, annuente Egidio abbate, in parochiam erexit eodem anno in vigilia S. Laurentii. Vivebat adhuc Egidius an. 1285.

XIX. Lambertus memoratur annis 1292. & 1293. quo privilegium accepit a Nicolao IV. Romano pontifice. Idem an. 1296. decrevit ut in ecclesia Neoportuensi horæ matutinæ ac vespertinæ cum missa solemni singulis diebus a suis decantarentur. Præfuit ad an. 1299.

XX. Everardus occurrit anno 1300. & in necrol. Præmonstr. IV. cal. Septemb. hoc modo: *IV. cal. Sept. D. EVERARDI abbatis Furnensis, in sacra pagina doctoris.*

XXI. Jacobus laudatur abbas anno 1304. cujus tempore, anno scilicet 1309. cum ex capella B. Virginis omnia fuissent ornamenta per Francos excurrentes ablata, idem pius abbas alia substituit; ejusdemque consensu in hac ipsa capella an. 1313. canonici S. Waldeburgis divina celebrarunt officia, eo quod ipsorum ecclesia sanguinis effusione polluta esset. Obiit Jacobus VII. cal. Martii an. 1315. paulo ante, ut videtur, abdicato regimine.

XXII. Walterus I. innotescit ex epistola Balduini abbatis S. Augustini prope Morinum ad ipsum Walterum data die 2. Octob. anno 1314. cum hac inscriptione: *Reverendo in Christo patri ac domino D. WALTERO, abbati S. Nicolai Furnensis præceptori suo.*

XXIII. Arnulfus, memoratus abbas jam an. 1316. interfuit an. 1330. baptismo Ludovici Malani filii Ludovici comitis Nivernensis. Idem an. 1332. litteras dedit in gratiam abbatis *forte* abbatissæ, Vallis cœli. Defecit V. cal. Septemb. ex necrol. Grimberg.

XXIV. Theodericus, *al.* Theodorus vander Pale an. 1336. privilegium obtinuit a Benedicto XII. papa, quo Furnensibus ascetis professionem emittentibus bona sua mobilia repetere liceret ac retinere. Eidem Ludovicus Flandriæ comes fundum 32. mensurarum terræ emortuum fecit an. 1344. Vivere desiit an. 1359. pridie idus Octob. ex necrol. S. Michaëlis Antuerp.

XXV. Dankardus a Lapide, Aldemburgensis, capellaniæ a se fundatæ in capella B. Virginis in Oostuyt patronatum roganti Ludovico Flandriæ comiti an. 1360. concessit. Migravit e vita 1367. III. idus Januarii.

XXVI. Petrus I. Werdaerde an. 1371. libertatum & immunitatum ecclesiæ Furnensis confirmationem accepit ab Urbano papa. Memoratur & annis 1373. & 1379.

XXVII. Johannes III. interfuit anno 1384. die 22. Febr. cuidam compositioni Dunenses inter & Claro-mariscenses initæ.

XXVIII. Medardus Grunius, *al.* Grimink vir pius juxta & doctus ex præposito monasterii creatur abbas circa an. 1399. Hic privilegia ceteraque ad monasterium spectantia ab an. 1120. A usque ad an. 1409. in unum volumen redigi curavit. Præfuisse autem videtur ad an. 1413. quo legitur sedes abbatialis vacasse, existente priore Johanne van Vergelo.

XXIX. Petrus II. Wickart electus hoc anno 1413. obtinuit 1417. a Johanne comite Flandriæ privilegium de emortuo fundo. Præerat adhuc an. 1420.

XXX. Lymannus ex Antuerpiensi S. Michaëlis monasterio accitus, regebat anno saltem 1425. Idem an. 1451. litteras protectionis accepit a Philippo Flandriæ comite ac duce Burgundiæ. Anno 1455. a Romano pontifice datus est pro- B tector monasterii S. Bertini; ac denique anno 1457. translationi corporis S. Arnulfi episcopi apud Aldemburgum adfuit.

XXXI. Antonius I. vander Donck ex provisore seu præposito monasterii electus abbas, an. 1458. in vigilia S. Johannis fratrem Jacobum de Moon Furnensem alumnum in canonicum S. Walburgis nominavit. Eodem anno, X. cal. Octob. a summo pontifice Pio II. usum mitræ & ceterorum pontificalium impetravit; quo etiam anno datus est cum archiep. Bisontino & abbate Middelburgensi Franciscanorum protector. An. 1462. statuit, ut in ecclesia Neo- C portuensi missa solemnis cum diacono & subdiacono, ac septem horæ canonicæ singulis diebus, adinstar ecclesiæ collegiatæ decantarentur; atque idcirco præter pastorem, tres haberentur sacellani religiosi, ab octo vel pluribus sacerdotibus secularibus, quos quidem Magistratus Neoportuensis admitteret, sed prius abbati Furnensi tanquam ecclesiæ patrono præsentaret, adjuvandi.

XXXII. Walterus II. Oleris, sacræ theologiæ magister & prior claustralis in abbatem cooptatur an. 1465. die 23. Septemb. præside Johanne Grimbergensi patre abbate, & adstantibus Johanne Ninivensi & Jacobo S. Augustini Mori- D nensis abbatibus. Hunc autem aliquando Romanorum rex consiliorum suorum participem effecit. Idem etiam abbas Furnis ædificavit domum refugii, quæ hodie pars est monasterii. Cessit anno 1492. nominato successore, tandemque obiit XI. Maii an. 1502. sub hoc epitaphio sepultus: *Hic jacet R. P. WALTERUS OLERIS quondam abbas hujus ecclesiæ, qui postquam 27. annis eidem præfuit, tandem cessit, & obiit anno Dom. CIↃ IↃII. XI. die mensis Maii.*

XXXIII. Johannes IV. Neyssacke, *al.* Eysacke obiit an. 1494.

XXXIV. Johannes V. Beurse, *vel* Buerse ex E nobili genere satus, sacræ theologiæ magister & pastor Neoportuensis, sub finem anni 1494. abbas benedictus, multa præclare gessit. Anno 1502. cum abbatibus Antuerpiensi & Parcensi a capitulo generali Romam delegatus, renovari & confirmari statuta ordinis obtinuit a Julio II. Defunctus est an. 1512.

XXXV. Egidius II. Comitis, seu de Grave, pastor & ipse Neoportuensis, exeunte an. 1512. factus est abbas; quem Leo X. papa ad executionem litterarum in gratiam monasterii S. Bertini concessarum delegavit. An. 1525. die 14.

Maii infirmitate oppressus abbatia cessit in manibus domini Papæ, eodemque anno ante diem 15. Septembris vitam reliquit.

XXXVI. Petrus III. Stevin, *al.* Sennos, vir doctrina & gentilitio stemmate clarus, ex præposito ejusdem monasterii ad abbatialem evectus est dignitatem 10. Julii an. 1525. Bibliothecam in suo monasterio construxit, & apostolica auctoritate fretus *scholasteriam* in ecclesia S. Walburgis instituit. Vitam cum morte commutavit die 6. Septemb. an. 1540. in choro veteris monasterii sepultus sub eodem lapide ac Egidius decessor.

XXXVII. Martinus Praet vir nobilis, ex pastore Neoportuensi Furnensis abbas evasit an. 1540. qui dum Lovanium proficiscitur, in itinere morbo correptus, Bruxellæ obiit VIII. idus Oct. an. 1541. Grimbergæ in sacello S. Norberti honorifice tumulatus.

XXXVIII. Antonius II. le Febvre ex antiqua familia de Scets procreatus, cum tunc esset prior curatus de Houthem, abbas electus est. Præfuit autem annis circiter octo, & obiit anno 1549.

XXXIX. Johannes VI. van Schorre, *al.* Schoor, Viconiæ chronographus & asceta, primum assumtus fuit in abbatem S. Foillani in Hannonia, indeque ad abbatiam Furnensem evocatus, quam rexit quadriennio, suis in primis carus, benignus in pauperes atque in omnes munificus. Decessit an. 1554. 6. Nov. cujus lapidi sepulcrali hæc inscribuntur: *Sepultura venerabilis viri domini* JOHANNIS DE SCHORE *quondam abbatis hujus ecclesiæ, qui non minori doctrina, quam virtutis studio præfuit annis quatuor, extremumque vitæ diem clausit sexta Novembris, anno salutis humanæ 1554.*

XL. Antonius III. Rataller ex nobili prosapia ortus, pastor & decanus Neoportuensis, creatur abbas anno 1555. ac moritur 1558. die 16. Maii.

XLI. Robertus du Flos, *al.* du Flocq, *vel* du Flouex, Basseianus, ex priore fit abbas an. 1559. sub quo monasterium a Gueusiis occupatur an. 1578. & ipsius incolæ Brugis, Antuerpiæ, Coloniæ, Duaci, & alibi exsulare coguntur. Tandem vero an. 1583. rebus compositis, suos e fuga Audomaropoli colligere cœpit, Furnasque reversus, cum ab Arausicano principe vetus monasterium penitus eversum fuisset, in ædibus refugii sedem fixit. Cum vero ex Walburgensi collegio decem canonici Ipras translati fuissent, hosque inter & remanentes bona essent dividenda, remanentium partes acriter defendit. Viam universæ carnis ingressus est die 28. Maii anno 1588.

XLII. Philippus Dammius nobilis Brugensis, sacræ theologiæ baccalaureus, ex priore factus abbas an. 1588. insequenti benedictionis munus accepit. Templum a fundamentis excitavit, vere pius & humilis, adeo ut episcopatum Brugensem abs se deprecatus sit. Obdormivit in Domino an. 1616. ætatis suæ 67. profess. 50. v. cal. Apr. in templo a se fundato sepultus cum hoc epitaphio:

Condidit hanc ædem præsul, quem laurea sacra
Ornavit, proles fulget honore pari.
Vita perit, doctrina manet, post fata supersunt
In cælo doctis splendida serta viris.

XLIII. Christianus Drivicus, *al.* Druvæus *Druvens*, Neoportuensis, an. 1616. electus abbas, Furnis anno seq. & Dixmudæ an. 1629. scholares & an. 1623. Duaci seminarium pro sui ordinis alumnis instituit. Dormitorium quoque & refectorium an. 1629. ædificavit; ac tandem corporis sarcinam deposuit an. 1636. VII. cal. Octob. ætatis suæ 63.

XLIV. Paulus III. de Gomiecourt, Trajectensis, ex pastore de Houthem assumitur in abbatem, Ferdinandi principis nominatione facta 6. Decembris, & an. 1637. benedictionem percipit a Cornelio Jansenio Iprensi antistite. Anno 1649. Neoporti, magistratu rogante, collegium instituit, in quo Furnenses ascetæ humaniores litteras docent. Obiit die 12. Sept. an. 1653. ætatis 65. profess. 45. præfecturæ 17. cui hoc appositum est epitaphium:

D. O. M.

Heu casus sævi! Quemvis cujuslibet ævi
Febribus exurit mors, aliterque furit.
Hos petit ac illos, magnos rapit atque pusillos.
Nunc infelices, cui cecidere vices.* * f. *quis.*
Claustro qui Furnis vigilanter præfuit, urnis
PAULUS *inest, fati jussus amara pati.*
Clemens Christe veni, dia da mox ut amœni
Vultus luce tui possit in axe frui.
Requiescat in pace.

XLV. Godefridus II. de Courtewille, cum per varia munia, lectoris scilicet, subprioris, Duaci præsidis, pastoris in Oostdunkercke, deinde Neoporti transiisset, ad abbatialem sublimatus est dignitatem anno saltem 1656. qua desperatis temporibus optime gesta, obiit tandem an. 1667. die 16. Julii, anno ætatis 63. profess. 44. sacerdotii 38. præfecturæ 14. Ita scheda pro animæ ejus commendatione, quam ipsemet sua manu conscripsit; cui concinit epitaphium a successore positum an. 1675.

XLVI. Judocus I. de Brauwere Aldenardensis, ex præposito de Houthem abbas Furnensis a Rege Christianissimo renuntiatus est die 14. Nov. an. 1667. Benedicitur anno seq. 10. Junii, ac moritur 28. Decemb. 1688.

XLVII. Judocus II. Liebaert Hundeschotanus, postquam per multos annos fuerat novitiorum magister, atque parochiam S. Nicolai sapientissime rexerat, abbas electus est an. 1689. superstes ad an. 1694. quo decessit 7. Martii, ætatis anno 73.

XLVIII. Milo Abordiin, *vel* Abourdin, Dunkerkanus, eligitur abbas & a Rege confirmatur an. 1694. 15. Aug. *al.* 27. Sept. ætatis suæ an. 36. ac deinde benedictione solemni donatur 23. Maii anni seq. in ecclesia cathedrali Iprensi. Præerat adhuc anno saltem 1712. restauratione monasterii, quod igne consumtum fuerat, non mediocriter commendandus.

ECCLESIA RUREMUNDENSIS.

RUREMUNDA in tractu superiori Geldriæ primaria civitas, ampla, potens, amœna, civibus utcumque frequens, octingentas cum suburbio ædes pene numerans, in veteribus Menapiorum sedibus sita est qua se Rura in Mosam fluvium exonerat, ex quo flumine *Roermont*, seu os Ruræ nomen traxit; mœnibus fossisque munita ab Ottone III. Geldriæ comite anno circiter 1231. ad Aquilonem Hornæ comitatum respiciens, tribus Venlona leucis, sex a Geldriæ oppido, quatuordecim a Neomago, novemque a Trajecto ad Mosam disjungitur.

Porro ditio Gelrica ducatus titulo clara, angustis olim circumscripta limitibus, variis subinde aucta dominiis, primo præfectos, postea comites, ac denique duces proprios habuit; a quibus, exstincto Carolo Egmontio postremo Geldriæ duce anno 1543. & Guillelmo Clivio, qui se post hujus obitum ducem gerebat, in ordinem redacto, ad Hispanos transiit, ceterisque Belgii provinciis adjecta est. Dividitur autem ducatus Geldriæ in regiones, seu tetrarchias quatuor (*Quartiers* Gallice vocant) Neomagensem scilicet, Ruremundensem, Zutphaniensem & Arnhemiensem, ab urbe, quæ cuique tetrarchiæ caput est, denominatas, quarum tres Boream versus ad Rhenum & Vahalim jam dudum provinciis fœderatis seu Batavis cesserunt, quarta, nimirum Ruremundensi, Hispanis sola relicta; Geldria ideo Hispanica dicta; sed & ipse Ruremundensis tractus bis a Batavis concussus & subactus est, anno nempe 1572. Willelmus princeps Auriacus eorum ductor exercitus Ruremundam 23. Julii obsessam, quinto assultu expugnavit, qua in expugnatione furentes milites & hæretici in clerum & catholica sacra impie debacchati sunt, maxime in Carthusianos, e quorum familia, duodecim crudeliter interemti sunt, reliquis aut lytro, aut fuga post multa vulnera neci subductis, episcopium undequaque vastatum & bibliotheca episcopi magnis impensis collecta direptioni hostium tradita est, & anno 1632. iterum ad deditionem compulsa est civitas ab Hollandis sub Henrico Frederico Auriaco principe, certis tamen conditionibus, quas inter præcipua fuit illa, qua cautum fuit de religione Catholica servanda; attamen heterodoxi ecclesiam S. Spiritus, quæ cathedralis erat, invaserunt: verum paulo post, urbe a regiis recepta, Geldria superior Regi denuo asserta est, cujus imperio subjacuit ad annum 1702. quo a Cæsaris ejusque fœderatorum copiis ejectis Gallis, qui, post obitum Caroli II. Hispaniarum regis, Philippo V. ejus successori provinciam hanc servabant, occupata, pace tandem inter Carolum VI. Cæsarem & Christianissimum regem Ludovicum XIV. Radstadii 7. Sept. anni 1714. inita, in ejusdem Imperatoris dominium cum reliquo Belgio concessit. In hac regione præter Ruremundam numerantur oppida, Geldria unde toti provinciæ nomen, ad amnem Niersam posita, Venlona emporium ad Mosam opulentum, Stralena, Wachtendoncka, Montfortium, Neostadium, Ercklinia, Echta, quæ tametsi vallo destituta jure tamen suffragii in comitiis patriæ gaudet.

Cancellariam Arnhemio Ruremundam transtulit Philippus II. Hispaniarum rex an. 1580. postquam tres inferioris Geldriæ partes, abdicato ejus imperio, secesserant; hic supremum est provinciæ tribunal, quod lites ultimo judicio dirimit, constans cancellario, duobus senatoribus equestris ordinis, & sex consiliariis jurisconsultis, inter quos est fisci advocatus, quem & Regis tutorem, seu *Momburnum* appellant, & actuario seu scriba. Rationum item camera civitas hæc fuerat ornata, quæ tamen sublevandis patriæ sumtibus sub finem seculi proxime elapsi, jubente Carolo II. Hispaniarum rege, Bruxellas migravit. Porro, hic habet aulam suam ac degere solet provinciæ gubernator pro Imperatore locum tenens, qui & *Capitanei generalis* titulo decoratur.

Ad ecclesiastica quod spectat, primordia fidei apud Geldros a primis ecclesiæ Tungrensis, *seu* Trajectensis ad Mosam episcopis repetit historia ecclesiastica ducatus Geldriæ, quam sane opinionem firmiori innixam fundamento vellemus: certe Frisones Geldrosque ad beati Willibrordi tempora ejusque sociorum idola coluisse in comperto est, quorum ministerio fidem Christianam edocti sunt; Mosæ vero ac Ruræ accolis, (quos Gelros superiores nostra ætas vocat) eisque conterminis sanctus Wiro, necnon Plechelmus episcopi, atque Otgerus diaconus verbum salutis annuntiarunt. Hos apostolos habuisse gloriatur Ruremundensis ecclesia, sacrisque eorum exuviis[a] saltem ex parte etiamnum decoratur; quæ primo in Monte sancti Petri, nunc S. Odiliæ in Bergh. ubi beato fine quieverant, depositæ, postea Ruremundam translatæ sunt, uti mox dicturi sumus.

Porro in Monte S. Petri primitus fuit monasterium sub invocatione ejusdem sancti constructum, successu temporis in canonicorum collegium conversum, quod Lotharius rex Lotharii Augusti filius canonicis Ultrajectinis, sæviente Normannorum persecutione, sede sua pulsis in refugium concessit an. 858. indict. VI. quibus ad propria regressis, collegium S. Petri ecclesiæ Ultrajectinæ subditum remansit, tametsi in diœcesi Leodiensi, ejusque præpositura (quæ prima capituli dignitas) ad episcopum Ultrajectinum pleno jure pertinebat, uni ex canonicis Ultrajectensibus tribui solita, qui reliquas

a Nam & canonici Ultrajectenses ad Rhenum ad proprios lares reversi partem reliquiarum SS. Wironis, Plechelmi, & Otgeri secum asportarunt, & Baldericus XV. Trajectensium episcopus caput S. Plechelmi & majorem corporis partem Oldensaliam transtulisse fertur an. 954. ubi celebre canonicorum collegium erexerat. *Ex hist. eccles. ducatus Geld. cap. XIII.*

ejusdem capituli præbendas conferebat. Hoc in statu perseveravit ejusmodi capitulum, donec anno 1361. Reinaldo & Eduardo Gelris de principatu inter se contendentibus, cum civili bello patria omnis arderet, crebrisque furtis ac prædationibus, qui ruri degebant maxima rerum dispendia paterentur, canonici Ruremundam concesserunt, collegio suo ad ecclesiam S. Spiritus ejusdem urbis translato, & obtento in id ducum Geldriæ permissu, cui accessit (quos ea res maxime tangebat) Cl. II. col. 390. Cl. III. & IV. col. 391. episcoporum cum Leodiensis tum Ultrajectini consensus, necnon præpositi Montis S. Petri, servatis utrique ecclesiæ suis juribus ac privilegiis. Translationis hujus diplomata instrumentis nostris inseruimus, ad quæ lectorem remittimus.

Anno autem 1559. Ruremunda civitas in novorum episcopatuum per Belgium erectione, inter alias etiam delecta est a Paulo IV. Romano pontifice ut episcopali sede ornaretur, quod & præstitit Pius IV. ejus successor, flagitante Hispaniarum rege Philippo II. Bulla data Romæ VII. idus Augusti anno 1561. pontificatus sui anno secundo: hoc diplomate ecclesia S. Spiritus collegiata in cathe- Cl. V. col. 394. dralem erecta est & a diœcesi Leodiensi, cui hactenus paruerat, distracta, episcopatus vero metropoli Mechliniensi suppositus. Diœcesis territorium decem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum Italicorum comprehendit, ipso Hornæ comitatu atque Thorensi dominio inclusis, quæ postrema duo episcopum Ruremundanum hactenus non agnoscunt, neque quos Pontifex constituerat reditus, episcopali mensæ cedunt, idque, variis de causis. Centum sexaginta tres aut circiter numerantur parœciæ sub novem decanatibus comprehensæ, qui hoc ordine recensentur, Falcoburgensis, Weerthensis, Montfortiensis, Ercklinensis, Kesselensis, Krieckenbecanus, Gelriensis, Neomagensis, Cuickensis, quorum duo posteriores cum suo quisque tractu Batavorum ditioni subsunt, necnon dimidia pars decanatus Falcoburgensis.

Sedes episcopalis stetit in ecclesia S. Spiritus centum circiter annis ab ejus in cathedralem erectione, verum cum nimis arcta & inconcinna videretur ac insufficiens capiendo commode clero ac populo in majoribus solemnitatibus, ad parœciale divi Christophori templum longe augustius, elegantis structuræ, ac turre præcelsa ornatum, translata est una cum canonicorum collegio, satagente imprimis Eugenio Alberto d'Allamont Ruremondensi antistite anno 1661.

In hac ecclesia, quæ simul parœcialis remansit, dignitates post pontificalem sunt, decanatus & scholasteria, octo canonicatus veteris ac primævæ fundationis, quorum unus una cum præpositura episcopatui est annexus; quibus accessere quatuor recentiores, pastoratus scilicet in canonicatum erectus & tres alii a viris piis fundati: novem insuper sunt minora beneficia, seu vicariæ tenuiores. Magister cantus, musici & pueri chorales, & alia id genus munia in ecclesiis cathedralibus consueta. Præbendas sex e capitulo S. Servatii Trajectensi Ruremundam transferendas ad augendum obtinuerat a Romano pontifice Lindanus primus hujus sedis episcopus, ast ob ingruentes Belgii tumultus diploma effectu caruit.

Amplissima est cum adjuncto horto episcopalis domus, post incendium anni 1665. quo Ruremunda pene omnis una cum episcopio conflagravit, magnifice restaurata in platea de Hooghstraet.

Tria numerantur in urbe virorum monasteria, Carthusianorum scilicet, Minoritarum & Crucigerorum. Fuit & olim quartum Canonicorum regularium divo Hieronymo nuncupatum & in episcopatus erectione suppressum, canonicis regularibus alio translatis, cujus reditus & proventus capitulo cathedrali accreverunt, ædes vero cum hortis episcopo ad manendum assignatæ, quæ tandem sedente Jacobo a Castro Ruremundensi antistite in collegium patrum Societatis Jesu conversæ sunt an. 1611.

Porro sequioris sexus octo cœnobia sunt. Abbatia nempe nobilium virginum ord. Cisterc. vulgo *het Munster*, de qua seorsim more nostro dicemus. Hortus Marianus, *Marie-Garden*, sub regula S. Augustini; Insula Dei, *Godts-Weert*, sub tertia regula sancti Francisci; Compassionis B. Mariæ, *Marie-Wee*, ord. S. Dominici; Cellitæ sorores ord. S. Augustini infirmis famulantes, quarum domus vulgo dicitur *Godts-Bomgaert*, id est Dei pomarium, Clarissæ, Ursulanæ, Sorores Pœnitentes ord. S. Franc. quibus ecclesia S. Spiritus olim cathedralis concessa est. His omnibus accesserunt sub finem seculi proxime elapsi moniales instituti B. Theresiæ, quæ in ædibus cameræ Rationum Bruxellas translatæ domicilium fixerunt, annuente ac donante Carolo II. Hispan. rege.

Duæ præterea sunt hospitales domus, altera oppidanis, militibus altera, destinatæ. Nosocomium puerorum ac puellarum, alterum puellare munificentia domini Dulcken erectum ac fundatum. Denique seminarium magistris, ædificiis, ac censu auctum nuper ab illustrissimo antistite Reginaldo Cools.

Qui plura scire volet legat historiam ecclesiasticam ducatus Geldriæ Bruxellis, editam an. 1719. auctore Johanne Knippenbergh, parocho in Heiden, ex quo pleraque mutuati sumus.

EPISCOPI RUREMUNDENSES.

LINDANUS

ANNI CHRISTI

I. WILHELMUS.

Illustrissimi ac piissimi hujus præsulis gesta fuse descripsit Arnoldus Havensius Carthusianus, doctor Coloniensis, necnon Carthusiæ Gandavensis prior, commentarii de erectione novorum in Belgio episcopatuum, libro secundo de administratione episcopatus Ruremundensis, ex quo quæ dicturi sumus pleraque hausimus, necnon ex historia ecclesiastica ducatus Geldriæ. Dordraci, oppido percelebri Hollandiæ ortus est Wilhelmus Damasi Lindanus an. 1525. parentibus admodum catholicis ac patriciis Dordracenis, a quibus jam inde a prima ætate ad omnem virtutem & pietatem informatus, duodennis Meram in comitatu Hochstratano litteris humanioribus instituendus mittitur, inde Lovanii in perdiscendis philosophicis, physicis & ethicis operam impendit, quarum disciplinarum cum non vulgarem sibi comparasset cognitionem, ad litteras etiam Græcas & Hebraicas animum appulit; interea tamen theologiæ studio, in quod potissimum intendebat, sexennium insumsit, magistris usus Jacobo Latomo, Ruevardo Tappero, Jodoco Tiletano & Johanne Hasselensi, eximiis tunc temporis florentissimæ Lovaniensis academiæ doctoribus: postea Parisios veniens præter Gallicam linguam quam ibidem utcumque didicit, Rabbinicos Hebræorum commentarios scriptoresque Græcos uberius degustavit. Sacris subinde initiatus, licentiæ gradum in theologia Lovanii an. 1552. adeptus est, quo tempore scripsit de optimo genere interpretandi scripturas lib. tres, & tabulas analyticas omnium hæreseon hujus seculi. Hinc cum docendi muneri jam maturum cardinalis Truchsesius episc. Augustanus ad scholam Dilinganam, quam nuper erexerat, evocavit, ubi tradita triennium theologia, doctorali laurea Lovanii an. 1558. decoratur. In Frisiam postea jussu Philippi II. Hispaniarum ac Belgarum principis accersitus, vicarii Trajectensis ad Rhenum episcopi & archidiaconi munere Leovardiæ functus est: post hæc decanus Hagæ-comitis, consiliarius regius, & hæreticæ pravitatis inquisitor constituitur, cumque per biennium rem catholicam contra invalescentes illic & in tota vicinia hæreticos egregie tutatus esset, ad ecclesiæ Ruremundensis recenter erectæ administrationem subeundam Regis catholici nominatione primus assumtus est: quam dudum ante sarcinam ignoranti Romanus pontifex in bulla erectionis Lindano imposuerat; urgentibus itaque catholicis ac piis viris invitus & reluctans humeros episcopali oneri supponere cogitur, & consecratur Bruxellis a cardinali Granvellano archiepiscopo Mechliniensi an. 1562. Dominica Palmarum die quarta Aprilis ex Havensio, hoc
1563. est pro hodierno computandi more an. 1563. quo Pascha incidit in diem undecimam Aprilis:

A sed quia necdum per temporum difficultates Ruremundam accedere licebat, Bruxella Hagamcomitis regressus ad suum decanatum, hæreticos & coram & scriptis acerrime exagitavit, donec an. 1566. ingruente illa horribili Calvinistarum (Geusios vocabant) tempestate, vitæ suæ fuga consulere, eorumque furorem declinare compulsus est. Tandem an. 1569. submotis omnibus impedimentis & jubente Albano duce Belgii 1569.
præfecto (Gelri quippe quanquam in avita religione firmi, episcopo tamen, quo minus cathedram suam occuparet, in septimum usque annum
B obstiterant) in ecclesiam Ruremundensem S. Spiritus solemniter inductus est undecima die Maii, comitantibus magistratu & universo clero regiisque commissariis.

Missis e vestigio per diœcesim cursoribus, qui adventum suum nuntiarent, ad 24. ejusdem mensis Ruremundæ synodum diœcesanam indixit, ad quam pastores rei novitate pulsi maximo numero confluxerunt. Die autem statuto, orationem ad clerum habuit episcopus, causasque conventus exposuit, tum omnes ad strenue im-
C plendum officium hortatus, ceterisque, ut tempus & locus ferebant, peractis, concilium Tridentinum assensu cunctorum promulgat, deinde diœcesim in decanatus, seu archipresbyteratus partitur, electis prima vice per pastores præsentes archipresbyteris.

Clero sic ad propria dimisso, nil cunctatus operi manum admovet & ad executionem eorum quæ in synodo fuerant statuta accingitur, qua in re ecclesiasticum tribunal perquam necessarium fore ratus, curiam suis expensis erexit Ruremundæ, cui officialem, seu judicem aliosque ministros
D præfecit. Præcipua autem ejus cura fuit circa crassam populi de rebus divinis ignorantiam atque contemtum: Missæ quippe sacrificium, sacramentalis confessio, ceteraque divina a populo hæresi infecto passim neglecta, de fide fideique articulis inter rudes, rudis crebro disputatio, quibus ut mederetur, doctrinam in concilio Tridentino de fide Catholica definitam, in linguam vernaculam vertit, eamque in ecclesiis parochialibus de suggestu proponi populo jussit, lectionem catechesicam in sacro matutinali, ac
E post vesperas diebus dominicis atque festivis habendam constituit, exinde agrum ecclesiæ suæ undequaque zizaniis consitum inspicere cœpit, assumtis, qui sibi tum concionando, tum in functionibus episcopalibus præsto essent, piis doctisque viris, concionabatur ipse, deinde reliqui, sicque plebem erudiendo ad meliorem frugem revocabat & sacramento Confirmationis muniebat, quod iis in locis antistitum absentia vel negligentia integro ferme seculo omissum fuerat: inquirens interim in pastorum mores sacrorumque ministrorum vitam, pingues sæpe pastoratus ab absentibus seu peregre degentibus detineri comperit,

ANNI CHRISTI

comperit, quibus ex concilii Tridentini decreto *residentiam*, uti aiunt, injunxit, & refractariis exauctoratis alios, qui eorum vices supplerent subrogabat, inhabilesque & omnino indoctos a sacro submovebat ministerio. Luxui autem deditos & vitio carnis immersos, verbis primum corripiebat, obstinatiores vero acrioribus pœnis in ordinem redigebat: laicos etiam, quin & nobiles a concubinatu ad honestatem matrimonii inducere satagebat. Libros suspectos & hæreticos, qui in publicum sparsi, nullo prohibente, circumferebantur, proscripsit, compluribus palam etiam exustis.

1570. Interfuit an. 1570. synodo provinciali Mechliniæ coactæ, in qua collegas suos gravi oratione affatus, clerum ante omnia reformari oportere, simoniam, concubinatum, vestium luxum, beneficiorum pluralitatem, ceterasque pestes tollendas censuit, & quemadmodum patres concilii Tridentini a cardinalium collegio reformationem cœptam volebant, sic & a metropolitana ecclesia, reliquarum in exemplum, disciplinæ sanctæ exordium sumendum, summa cum libertate professus est. Eodem anno Annam Austriacam Maximiliani Cæsaris filiam, Philippi Hispaniarum regis uxorem futuram Neomagi excepit 15. Augusti, & altero post die, præsentibus Regina, duce Albano, ceterisque Belgii primoribus, missarum solemnia celebravit. Inde redux, sexta Septembris alteram habuit synodum diœcesanam, in qua concilii Mechliniensis decreta promulgavit, aliaque plura, ut de sacramentis rite administrandis, de scholis erigendis statuta opportune edidit. Plures alias celebravit synodos diœcesanas sequentibus annis, cum ad abusus tollendos, plebisque suæ mores corrigendos, tum ad optimam in sua diœcesi disciplinam stabiliendam.

1572. Anno 1572. Ruremunda ab Iconomachis, ductore Auriaco, capta, innumeras calamitates perpessa est, quas fuse narrat Havensius, necnon historia ducatus Geldriæ, ad quos curiosum lectorem remittimus. Urbe interim excedere coactus episcopus, ad eam paulo post Regi assertam regressus est, & ecclesiam suam ab heterodoxis fœde deturpatam ingemuit, sumtoque ex tanta ærumna argumento, Ruremundenses ad pœnitentiam per Adventum hortari non destitit: adfuit & alteri

1574. concilio provinciali Lovanii celebrato an. 1574. Libertatis ecclesiasticæ vindex fuit acerrimus; nam & Graviæ pastorem, quem miles Hispanus extorquendis nummis in vincula conjecerat, intentata excommunicationis pœna libertati restituit; sed & ipsum Albanum Belgii gubernatorem & consilii duodecimviralis præsidem Vergam, qui ecclesiarum bona pauperumque redditus quamplurimos, cum rebellium possessionibus indiscriminatim fisco addixerant, zelo & constantia sua vicit, eosque bona prædicta dimittere coëgit.

Porro cum turbatis admodum in Belgio rebus Geldria omnis bello circumquaque quateretur, ac Ruremundæ tuto consistere non posset episcopus, Romam petere statuit, quo cum pervenisset, a

A præstantissimis, qui illic tunc temporis agitabant, cardinalibus perhonorifice exceptus est; at vero Gregorius XIII. summus pontifex, audita ejus adventus causa, quod, salutatis SS. apostolis Petro & Paulo, in Hispanias, propter ecclesiam suam afflictissimam Ruremundensem esset abiturus, oblato viatico & in singulos menses, quos fere tres illic exegit, alimento, in honoratissimum episcoporum, quos a singulari honoris eximii prærogativa vocant *assistentes*, locum in publico suo sacello assumtum lætus admisit. Roma trajecit in Hispaniam, & Madriti a Rege, ut episcopum decebat, habitus, plurima pro Belgii salute consilia

B cum ipso contulit: inde post menses septem per Galliam in Belgium reversus, Lovanii, Regis nomine ac sumtu, seminarium parochorum erexit. Trajecto ad Mosam regiis copiis subacto, tametsi liber in Geldriam suam patebat aditus, aliquantulum tamen Trajecti substitit, donec Ruremunda securior redderetur: interim Falcoburgensem diœcesis suæ pagum perlustravit, quem castra militum, pestis & inedia colonis & habitatoribus penitus exhauserant, parochis aut trucidatis, aut huc illuc profligatis, ac bonis omnibus dure spoliatis, bonus pastor gregem pusillum congregavit, consolatus est, instruxit, docuit;

C ecclesias, quæ violatæ fuerant, reconciliavit, pastoresque in singulis constituit. Inde varias vernacula lingua scripsit epistolas, tum ad Werthenses oppidanos diœcesis suæ de ecclesiæ unitate, atque conservanda veteris & avitæ religionis doctrina, tum contra Missæ osores ac carnivoros, id est eos, qui Sabbato aut diebus jejunii convivia carnibus instruebant: sic quæ præsens ac per se agere non poterat, ea per litteras præstare satagebat, occasionem captans Ruremundam remeandi, ad quam ingenti piorum omnium gaudio tandem pervenit an. 1580. circa Autumnum, 1580.
translata illuc paulo ante cancellaria ducatus Gel-

D driæ, una cum camera computorum, quæ prius fuerat Arnhemii, quod magnum illi civitati & sedi episcopali ornamentum, & incrementum religioni Catholicæ attulit.

Anno 1583. Silvam-ducis evocatus, ut officium ibi præstaret episcopale, antistite hujus urbis 1583.
dudum mortuo, a clero & magistratu honorificentissime exceptus est, ac post ecclesias reconciliatas, multa hominum millia sacro chrismate inunxit, ducentis aut circiter tonsuram clericalem contulit, & ubique rem Catholicam egregie promovit. Quem ob conceptam de eo, virtutis, pietatis & sanctitatis opinionem, episcopum sibi

E dari magnopere, ast irrito conatu, postularunt Silvæducenses.

Alterum ad Urbem iter instituit an. 1584. 1584.
ubi ab eodem summo pontifice Gregorio XIII. perhumaniter habitus, varia cum ipso tum pro Belgio, tum pro universa ecclesia communicavit consilia; nempe presbyteris plerisque ob turbas e patria ejectis ac exsulibus vacua beneficia conferri curavit, annuente Pontifice, cœpta quoque seminarii apud Silvaducum erigendi deliberatio, & decreta in eum finem magna pecuniæ vis. Suggessit & alia Catholicæ ecclesiæ maxime

ANNI CHRISTI

profutura, si nimirum lecti ex Europa præstantes theologi, collato in unum studio, hæreticorum scripta confutarent, maxime *centuriatores Magdeburgenses* & *confessionem Augustanam*. Quod Lindani consilium Pontifex adeo probavit, ut id muneris ipsi Lindano imposuerit, adjunctis, qui eam in rem operam subsidiariam conferrent, tribus theologis, duobus collectoribus & scriba, quibus, singulis annis septingentos ducatos operi huic elaborando attribuit; at inopina Gregorii mors has designationes irritas reddidit. Sixto quinto ejus successori acceptissimus fuit, a quo benedictione & donariis auctus, reditum in Belgium adornavit, conquisito ubivis, quorum amans erat, priscorum scriptorum thesauro. Denique cum primus summa temporum ac rerum varietate, incredibili diligentia ac labore & singulari prudentia ecclesiam hanc fere decem & novem annis ab adepta possessione gubernasset,
1588. ad Gandavensem traductus est an. 1588. mense Julio, cui parvo tempore præfuit, ubi de eo vide.

Statura procerus erat, ac corpori par animus, in periculis imperterritus, judicio acri ac vivido, facie viriliter gravis, vox grandis quidem, ast lingua impeditior præcepsque, viribus ac stomacho valens, frigoris, laborisque patiens, jejunii tenax, somni parcus, nec ultra horas quinque, pauperum, vetulorum imprimis amans, quos catalogo descriptos paterne fovebat, aperto etiam in culinam, ut stipem rogarent, egenis aditu. Frugali contentus mensa, quam aut sacra lectione, aut pio colloquio condiebat; quem vero in actis suis finem scopumque præfixerit ex assumto sibi lemmate, *quæ sursum sunt quærite*, facile conjicere licet. Ita de eo auctor historiæ ducatus Geldriæ post Havensium.

Scripta ejus in defensionem fidei Catholicæ plurima sunt & luculenta, quorum aliqua publici juris facta, reliquis nondum typo vulgatis, recenset idem auctor, ut in catalogo Silvæducis impresso an. 1584. enumerantur. Vacavit sedes pluribus annis.

CUICK.

II. HENRICUS.

Ecclesiæ Ruremundanæ per octo annos integros pastore viduatæ datus est antistes Henricus Cuickius, patria Culemburgensis, honesto loco natus, parentibus egregie probis & Catholicis, quem singularis doctrina, vitæ probitas, virtus, summa in rebus agendis prudentia, variaque munera, quibus ante episcopatum præclare functus fuerat, illustrem reddiderant. Is adolescens Ultrajecti primum humanioribus litteris cum dedisset operam, inde Lovanii decurso philosophiæ studio in pædagogio Lilii primum in artium magisterio locum obtinuit an. 1566. Annis exinde novem elapsis licentiæ gradu in theologia, & interposito paris temporis intervallo doctoratus laurea donatur; interim apud Canonicos regulares ad S. Martinum ac S. Gertrudem theologiam professus, dein Ethicen, seu de moribus philosophiam publice Lovanii tradidit. Variis posthæc honoribus ac titulis auctus, ut rectoris Universitatis semel & iterum, canonici, tum decani ad S. Petrum Lovanii, ejusdemque academiæ cancellarii, vicarii generalis & officialis Mechliniensis in regione Lovaniensi, ac librorum censoris, tandem ad cathedram Ruremundensem nominatur anno circiter 1590. quod onus per sex annos declinare conatus est; putabat namque vir humilis (inquit Havensius ejus vitæ scriptor æqualis) se indignum tali honore, nec aptum & sufficientem satis ad tale onus subeundum. Terrebat eum inter alia officium prædicandi verbi Dei: quod episcoporum maxime proprium esse sibi recte persuasum habebat, se in ista nimirum palæstra parum exercitatum obtendens: verum, urgente Philippo secundo Hispaniarum rege, precibus amicorum victus, cum diutius hanc dignitatem abs se deprecari non posset, ob diuturnam sedis vacationem & animarum inde jacturam, divinæ voluntati totum se permisit, quæ vires utique largiretur, tanto oneri ferendo pares. Pontificio igitur diplomate confirmatus, rite consecratur Lovanii ad S. Petrum 30. Julii an. 1596. a Matthia Hovio Mechliniensi archipræsule, & decimo post die, Lovanio discedens, intra bidui spatium Ruremundam pervenit, ubi a clero, consilio regio, urbis magistratu & universo populo, ea qua par est reverentia susceptus, in possessionem immittitur 9. Augusti ejusdem anni. Mox ad ea, quæ muneris erant episcopalis conversus, gregis sui faciem inspicere cœpit, sacramentum confirmationis fidelibus impertivit, edita tum latine, tum vernacule, quæ populum de eodem sacramento instrueret, summaria institutione, & qui ante concionari reformidabat, frequenter & ex tempore ad populum dicebat, magno civium applausu ac uberrimo fructu. Hæreticos ubique insectabatur, orthodoxæ religionis zelo flagrans, peculiari tamen vigilantia in clericos ac regulares, qui concubinatu insorduerant inquirebat, quibus emendandis sedulo incubuit, vulgato, qui Coloniæ an. 1599. impressus est, libro, cui titulus: *Speculum concubinariorum, sacerdotum, monachorum ac clericorum:* quin & binas ad Mauritium Nassovium Fœderatorum militiæ ducem, scripsit epistolas, quibus veram Christi ecclesiam esse Romano-Catholicam docet; idque tum scripturæ testimoniis, tum ex ecclesiæ Belgicæ statu desumtis argumentis. Porro uniformem in sua diœcesi sacramenta dispensandi methodum induxit, novo, ut vocant, rituali, seu pastorali libro, elaborato, cui paræneticam ad pastores instructionem præfixit.

Lustrata diœcesi universa præter Neomagum ab hostibus interceptum, Romam ad limina SS. apostolorum anno seculari 1600. profectus est, quem Neystadii in via, quod oppidum est Palatinatus, hæretici pessime habuerunt, excussis omnibus sarcinis ejus, libris, schedis & sacculis & ad inquisitionis magistratum adsportatis, quam injuriam in odium Catholicæ fidei & ecclesiastici ordinis sibi illatam patientissime tulit. Romæ autem a Clemente papa VIII. benignissime exceptus est, quem Pontifex sacris reliquiis aliisque piis donariis auctum, viatico insuper pecuniario instructum ad gregem suum a se dimisit.

Margin dates (right column): 1590. 1596. 1600.

ANNI CHRISTI

1607. Interfuit an. 1607. concilio Mechliniæ celebrato, cujus acta subscriptione sua munivit, in quibus præter reliqua salubriter statuta, sancitum est ut Catholicæ fidei rudimenta juventuti vernacule proponenda conscriberentur: id laboris porro Cuickio impositum fuisse auctor est Havensius, qui, qua erat eruditione ac dicendi facultate, catechismum plane utilem juxta ac perspicuum elaboravit, quo Belgica hactenus utitur ecclesia. Plura alia scripsit ad illustrandam fidem Catholicam, quæ recenset Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, & Arnoldus Havensius libro 3. de novorum episcopatuum erectione.

Denique annis & meritis gravis ad cœlestem
1609. patriam migravit an. 1609. VII. idus Octobris, in ecclesia S. Spiritus tunc cathedrali Ruremundæ tumulatus, apposito simul epitaphio, quod in incendio hujus ecclesiæ an. 1665. una cum reliquis ornamentis flamma vorax absumsit. Symbolum ipsi erat, *Esto fidelis.*

A CASTRO.

III. JACOBUS.

Amstelodami celeberrimo apud Batavos emporio natus est Jacobus, patre Gerardo Petersen vanden Borgh, matre Anna Janssen de Boys, honestæ prosapiæ conjugibus, quem pia mater misericordiæ operibus valde dedita, virtutibus assuescere a teneris docuit: hinc cum eo crevit ab infantia in egenos miseratio, utque erat ingenio ad comparandas artes docili, principem in Lovaniensi philosophiæ studio locum facile obtinuit, inde licentiæ gradum in theologia adeptus & sacerdotio initiatus, parochiæ in Linden haud procul Lovanio & beginagii in urbe curam suscepit. Apud Everbodienses postea theologiam professus, regimini exinde majoris collegii Lovaniensis admovetur, ac doctor renuntiatus theologiam publice docuit: quo munere aliquandiu sedulo perfunctus, tandem ad infulas Ruremundenses evocatur inscius & absens ab Alberto Austriæ archiduce principe, qui quoad imperavit, viros passim optimos doctissimosque ad summa sacerdotia delegit. Tantum honorem a se removere omni ope contendit Jacobus, modestissime de se sentiens: verum quo demissius orabat liberari, eo dignior Alberto visus est; quamobrem cedere coactus, accedente Romani pontificis confirmatione, rite inunctus est in episcopum,
1611. Mechliniæ in templo D. Rumoldi anno 1611. Dom. *in Albis*, die Aprilis decima, sacris operante Matthia Hovio archipræsule, cui assistebant Carolus Masius Gandavensis, & Gilbertus Masius Silvæducensis episcopi. Peractis solemniis festinus ad sedem accessit, & 19. Maii Ruremundæ ut episcopus exceptus, in possessionem inducitur, missaque in pontificalibus celebrata, concionem ad populum habuit.

In episcopatu modestiam & summam animi demissionem retinuit, mensa frugali contentus, quam sacra lectione aut utili sermone aspergebat, superfluum potum aversatus, in Adventu carne, in Quadragesima etiam lacticiniis abstinens, vigiliis, cilicio & humi cubationibus corpus domabat, sacræ scripturæ lectione maxime delectabatur.

A De proba autem juventutis institutione sollicitus, unde reipublicæ Christianæ salus potissimum pendet, domum suam episcopalem, quondam monasterium Canonicorum regularium, tum scholis, tum magistrorum habitationi peropportunam, collegio patrum Societatis Jesu aptandam permisit ea lege ut sibi domus congrua successoribusque suis daretur alibi, quod & factum est, translata alio episcopali mansione.

Lustravit autem quotannis diœcesim, quantum per Fœderatos ordines licuit, collapsa aut depravata ubique restituens, & in prædicationis munere assiduus, in Adventu præsertim & Qua-
B dragesima, populum non exemplo minus quam verbo ad pœnitentiam hortabatur, neque verbum Dei in sublimitate sermonis, sed plano apertoque dicendi genere annuntiabat, ea in dicendo lenitate, qua & ipsi novatores mirum in modum caperentur, quos in spiritu mansuetudinis *vicinos nostros* appellare solitus erat, uti conciones ejus posthumæ testatum faciunt, in obduratos tamen suus ei haud deerat aculeus justusque in refractarios rigor. Eo sedente plures familiæ religiosæ in diœcesi stabiliuntur, Minoritæ Venlonæ, anno 1612. & moniales S. Claræ sedem Ruremundæ fixerunt 1614. sanctimoniales quo- 1614.
C que Venlonenses, quæ hactenus sub tertia sancti Francisci regula vixerant, in loco, cui nomen *Cedron*, morantes, institutum Annuntiatarum, eo probante, amplexæ sunt. Patres Capucini in oppidum Geldriæ inducti an. 1619. quorum ecclesiam anno 1628. absolutam sub invocatione 1628.
SS. apostolorum Petri & Pauli idem antistes consecravit.

Anno 1632. Batavis in Geldriam irruenti- 1632.
bus, Ruremunda exili præsidio defensa, hostibus sese permisit, certis tamen conditionibus & salva religione Catholica, Batavis nihilominus ecclesiam S. Spiritus cathedralem invadentibus,
D sedes episcopalis ad tempus translata est ad parochialem divi Christophori, quæ postea cathedralis evasit.

Recepta an. 1637. a regiis civitate, pristino 1637.
statui reddita sunt omnia, ovante plebe Catholica & civibus in gaudia effusis & convivia invicem celebrantibus: his ut modum juxta ac exemplum poneret episcopus, pecuniam, quæ instruendo episcopali epulo subducta ratione abunde sufficeret, in egenos erogari voluit, significans hanc esse sanctam in Domino lætitiam, justamque pro beneficiis gratiarum actionem; gregem postea sibi commissum visitare denuo cœpit & ea, quæ
E Catholicorum incuria aut hostium molimine depravata erant, restaurare, ecclesiam Crucigerorum Venlonæ impio novatorum cultu temeratam solemni ritu expiavit an. 1638. 7. Julii. His pa- 1638.
storalibus curis insenuit pius antistes, viribus tandem fractus, rebusque suis mature dispositis, cum sacrum de more peregisset in vigilia S. Matthiæ, epiphora correptus obiit 24. Februarii anni
1639. non sine opinione sanctitatis, tumulo il- 1639.
latus ante aram principem ecclesiæ S. Spiritus tunc cathedralis. Corpus ejus, aperto ad apponendam plumbeam laminam, quæ ætatem,

ANNI CHRISTI

tempus episcopatus, &c. doceret, sepulcro, multis post mortem septimanis incorruptum inventum est. Epitaphium hoc ejus memoriæ positum & marmori ad ostium sacristiæ inscriptum legitur.

D. O. M.
JACOBI A CASTRO,
Quem Amstelodamum terris dedit,
Lovanium S. theol. doctorem coluit,
Ruremunda episcopum tertium habuit,
Quod mortale fuit
Hic situm est
Virtutem viri immortalem;
Innocentiam, prudentiam, submissionem,
Auctoritatem, charitatem bonorum,
Sed & vitæ
Subinde pro ovibus prodigam,
Quæ maximis eum prisci ævi
Præsulibus æquavit.
A qua plus lucis accepit infula,
Quam contulit,
Breve marmor hoc capit.
Illum annis emeritum, non animis
Mors ex insidiis aggressa,
Non improvisum, sed vigilantem;
Ac eodem die sacris operatum,
Subito catarrho
Pene stantem oppressit
Anno MDCXXXIX. Febr. XXIV.
Ætatis LXXIX. sacerdotii LIV.
Episcopatus XXIX.

Multa scripsit erudite admodum ac luculenter; conciones autem ejus posthumæ prodierunt in lucem Ruremundæ an. 1649. Symbolo utebatur, *Esto vigilans.*

IV. HENRICUS II.

CALENUS.

Exstincto Jacobo tres successive designati sunt antistites Ruremundani: cuncti tamen, priusquam occuparent cathedram, morte sublati. Et quidem Henricus Calenus ex Beringen apud Eburones ortus, sacræ theol. licent. necnon Mechlin. archiepiscopi vicarius generalis, nominatus est episc. Ruremundensis ab Hispaniarum rege Philippo
1644. IV. an. 1644. sed abdicato an. 1648. quod ad hanc sedem habebat jure, demum Bruxellis defunctus est an. 1653. ætatis suæ 70. ac ibidem in æde beatæ Catharinæ sacra, ubi olim parochum egerat, depositus cum hac inscriptione.

Æternitati sacrum. HENRICUS CALENUS H. S. E. qui Beringa Eburonum terra oriundus, Lovanii optimarum artium disciplina excultus, & a sapientia virtuteque magno Jansenio ad maxima quæque formatus, S. theologiæ ibi lauream adeptus est. Inde Ascanæ primum per totos XV. annos, dein per annos XIII. hujus ecclesiæ pastor, & Alostensis ac denique Bruxellensis districtus archipresbyter, mox in metropolitana sancti Rumoldi canonicus & archidiaconus, & illustrissimi & reverendissimi domini archiepiscopi Mechliniensis vicarius generalis, ad cathedram etiam Ruremundensem nominatus episcopus fuit, sed honorum humanorumque omnium contemptor, uti morbis & laboribus exhaustus, ita meritis & virtutibus cumulatissimus, obiit Bruxellæ MDCLIII. kal. Febr. ætatis suæ an. LXX. Bene ei lector apprecare.

V. GUILLELMUS II.

DES ANGES.

Henricum excepit Guillelmus, ab Angelis dictus, patria Silvaducensis, sacræ theologiæ doctor, a Rege designatus, at, priusquam accederet Papæ consensus, e vivis ereptus est tertio nonas Febr. an. 1649. laudatus pro funere ab Antonio Dave 1649.
sacræ theologiæ doctore. Scripsit adversus ministros reformati Evangelii, qui in civitatem Silvæducensem recens ab Hollandis captam irrepserant, idiomate Gallico.

VI. PEREGRINUS.

VOGELS.

Eodem anno subrogatus est Peregrinus Vogelius ortu Ruremundensis, & cathedralis ecclesiæ decanus. Hic primum parochi muneri in Nederweerth admotus, in regale inde Aquensium capitulum canonicus assumitur, mox archipresbyter, necnon sacri ibidem consilii præses, Ruremundano etiam decanatu auctus, antistes demum eligitur, quem mors prius rapuit, quam infulis episcopalibus ornaretur. Ipsi tale appositum est epitaphium in ecclesia cathedrali, ubi sepulturam habet.

Reverendissimus dominus PEREGRINUS VOGELIUS Ruremundensis, sacræ theologiæ licentiatus, pastor in Nederveerth, dein Aquisgrani archipresbyter, ibidemque Regalis ecclesiæ canonicus, ac sacri consilii præses, (trium præbendarum in cathedrali Ruremundensi, totidem bursarum Lovanii ac multarum alibi pius fundator) virtute ac meritis clarus, decanatui ejusdem jam dudum vacanti ab Innocentio X. præficitur, atque mox a Philippo IV. Hispaniarum rege episcopus nominatur, sed infulas priusquam induisset, mors excussit, cælo adscribi cupiens, quia diutius in terris peregrinari noluit. Anno ætatis suæ 74. a Christo nato 1649. 4. Octobris.

VII. ANDREAS.

CRUESEN vel CREUSEN.

De eo jam sermo fuit in Mechliniensibus archiepiscopis. Trajecti ad Mosam natus erat, & Romæ in collegio S. Apollinaris educatus, ex quo in familiam cardinalis Cleselii assumtus est, inde in aula Imperatoris Viennæ, cum publicum exhibuisset doctrinæ testimonium, laurea ibidem doctoris theologi ornatur, & eidem Cæsareæ majestati a consiliis necnon regii exercitus per Germaniam & Hungariam vicarius generalis creatur; postea imperialium precum munificentia canonicatum in ecclesia metropolitana Cameracensi, mox archidiaconatum, magnique ministri ac primi apud ordines ibidem per plures annos assessoris officium adeptus est. Demum ad regendam Ruremundensem ecclesiam diu pastoris solatio destitutam accitus a Philippo IV. Hispaniarum rege, Brugis in templo divi Donatiani consecratur antistes 23. Julii anno 1651. in festo 1651.
S. Apollinaris episc. & martyris, una cum Carolo vanden Bosch. Brugensium episcopo, ab Antonio

ANNI CHRISTI

Trieſt Gandavenſi præſule, cooperantibus in re A ſacra Gaſpare Nemio Antuerpienſi epiſcopo, & Jacobo de la Torre archiepiſcopo Epheſino præpoſito Harlebecenſi, & per Hollandiam vicario apoſtolico. In eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem immiſſus die decima Auguſti ſubſequentis, mox ut his, quæ irrepſerant, malis mederetur, conventum archipreſbyterorum, ſeu decanorum diœceſis indixit ad diem 23. Septembris anni ſubſequentis, ubi de eorum conſilio ſtatuta ab anteceſſoribus ſuis ſalubriter promulgata, aut in uſum revocavit, aut nova etiam pro rerum temporumque exigentia condidit: ſacrorum quoque rituum librum a Cuickio anteceſſore jam editum denuo B imprimi curavit, nonnullis immutatis. Sub hoc præſule Minorum conventus excitari cœptus eſt Venradii in ditione Keſſelenſi ex fidelium oblationibus, adjuncto poſtea elegantis ſtructuræ templo, & canonici regulares ord. S. Aug. Endhoviæ olim fundati, funditus everſa eorum domo, domicilium Werthæ fixerunt in diœceſi Ruremundana. Præfuit vero huic eccleſiæ Creu-
1657. ſenius ad an. 1657. quo ad metropolim Mechlinienſem traductus eſt, ubi vide.

D'ALLAMONT

VIII. EUGENIUS-ALBERTUS.

E clariſſima gente ſatus Eugenius-Albertus C baro de Buſy, comes de Brandeville, toparcha de Allamont & Malandry, dominus temporalis in Sart, Blaigny, &c. patrem habuit Johannem baronem d'Allamont bellica virtute inclytum, matrem vero Agnetem ex comitibus de Merode-Waroux. A sereniſſimis Belgii principibus Alberto & Iſabella-Clara-Eugenia e ſacro fonte ſuſceptus eſt, qui ipſi nomen ſuum impoſuere. Peractis philoſophiæ & juris utriuſque ſtudiis in academia Lovanienſi, nobilis canonicus in cathedrali eccleſia divi Lamberti apud Leodium evaſit
1659. an. 1653. & anno ſequenti ſacerdotio initiatus, hinc Ruremundenſis antiſtes creatur an. 1659. D poſtquam ſedes biennio vacaverat: Mechliniæ vero ſacro chriſmate inungitur in eccleſia metropolitana per Andream Crueſen ejus in epiſcopatu anteceſſorem tunc archiepiſcopum, cui aſſiſtebant Johannes a Wachtendonck præſul Namurcenſis & Zacharias de Metz Trallenſis epiſcopus, necnon vicarius apoſtolicus apud Batavos. Poſſeſſionem adivit per Jacobum Oeveren decanum ac vicarium generalem tertio idus Junii. Ipſe vero Ruremundam ingreſſus 18. ejuſdem menſis, quatriduo poſt in eccleſiam cathedralem ſolemniter inducitur, moxque de transferenda ad divi Chriſtophori parœciale templum epiſco- E pali cathedra cogitare cœpit, quod & executioni mandatum eſt paulo poſt, annuente Rege, & conſentientibus clero & civibus univerſis. Tranſla-
Ch. VI. col. 403. tionis hujus inſtrumentum referemus ad calcem.

Ut novatorum cavillationibus & calumniis iret obviam, qui de ſanctiſſimo altaris ſacramento multa criminantes credulæ nimis plebeculæ imponebant, cancellos paſſim ab eccleſiis removeri juſſit, quo proſpectus in altare pronior eſſet omnibus, quidve fieret ab ſacerdotibus liberius inſpicerent univerſi, relicta ſola cancellorum loco menſa, in qua ſacra ſynaxis populo diſtribuitur, ut conſuetum chori a reliqua eccleſia maneret diſcrimen.

Edictum ad varios abuſus tollendos gravioraque crimina coercenda cum promulgaſſet, quo mulctas ſtatuerat pecuniarias, gravem ſuſtinere coactus eſt litem contra ordines Geldriæ, regiumque conſilium, & qui Regis jura tuetur *Momburnum*, qui id regio juri derogare contendebant. Re utriuſque acriter diſceptata, tandem in conſilio ſanctiori Bruxellis diremta lis eſt, ſententiaque ſecundum epiſcopum pronuntiata 6. Julii an. 1663. quam videſis inter inſtrumenta 1663. noſtra exaratam. Ch. VII. col. 405.

Silvaducenſi civitate Batavorum armis ſubacta, redditibuſque eccleſiaſticis in fiſcum redactis & publicari juſſis, cum non ſupereſſet unde epiſcopus ali commode poſſet, placuit ſummo pontifici nullum ulterius huic eccleſiæ antiſtitem præficere, ſed ejus curam noſtro Ruremundenſi commendavit tanquam vicario generali, qui id muneris ea pietate & prudentia implevit, ut non ſubditis modo gratus, ſed in ipſam etiam Silvamducis cultu epiſcopali admiſſus, a Batavis haberetur honorate.

Anno 1665. ultima die Maii Ruremunda 1665. pene omnis conflagravit una cum ædibus epiſcopalibus, quas intra unius anni ſpatium a fundamentis conſtruxit antiſtes ea amplitudine, ut auguſtiores longe ſurgerent, quam ardendo corruerant; verum eas non ſibi ſed ſucceſſoribus paravit, ab Hiſpaniæ quippe regina Caroli II. regis juvenculi matre ad epiſcopatum Gandavenſem nominatur ineunte Februario anni 1666. 1666. & menſe Julio inſequenti Ruremunda diceſſit, quam ſeptem annis rexerat.

DE GROBBENDONCK

IX. IGNATIUS-AUGUSTINUS.

Ex archidiacono & vicario generali Tornacenſi delectus eſt a Rege Hiſpaniæ ad gubernandam epiſcopali auctoritate Ruremundenſem eccleſiam an. 1667. at eodem anno nondum con- 1667. firmatus a ſede Apoſtolica, ad Namurcenſes infulas evocatur, petente Rege, inde tranſlatus ad Gandavenſem cathedram an. 1679. cui brevi intervallo præfuit.

DE GOTTIGNIES.

X. LANCELOTTUS.

Claris Bruxellæ natalibus ortus Lancelottus de Gottignies Ruremundanæ eccleſiæ præficitur, a Rege deſignatus anno 1670. qui prius ad 1670. S. Servatium Trajecti ad Moſam canonicus, tum S. Gudulæ in patria, necnon ad regios in Belgio exercitus vicarius delegatus, accedente tandem ſummi pontificis confirmatione, poſſeſſionem inivit 3. Octobris anni 1672. per procuratorem 1672. Jacobum Oeveren decanum Ruremundenſem & ſacris infulis ornatur 16. ejuſdem menſis, rite inunctus per Alphonſum de Berghes archiepiſcopum Mechlinienſem, in re ſacra ferentibus opem Ignatio-Auguſtino de Grobbendonck Namurcenſi & Franciſco de Baillencourt Brugenſi epiſcopis; at priuſquam ad ſedem ſuam acceſſiſſet, immatura morte ſublatus eſt Bruxellis 25.

ANNI CHRISTI 1673. COOLS.

Augusti anni 1673. & ibidem apud majores suos sepulturæ traditus in ecclesia parochiali B. Mariæ de Capella.

XI. REGINALDUS.

Reginaldus, piis juxta ac Catholicis Antuerpiæ natus est parentibus Abrahamo Cools & Susanna van Can. Post absoluta humaniorum litterarum studia, jurisprudentiæ etiam incubuit, tum juvenili abreptus ardore arma tulit aliquandiu, quibus positis, togam induit, causarumque patronum, veritatis ac justitiæ tutorem egit in foro Bruxellensi, spondebatque subsellia majora, cum spretis mundi illecebris, & connubio jam parato, sacro Prædicatorum ordini nomen dedit, in quo variis iisque præcipuis muneribus egregie perfunctus est, & doctrina, pietate, prudentia, & morum integritate excelluit. In Hispanias ad Regem negotiorum causa ablegatus, magnam sibi in aula famam conciliavit, quin & dignus habitus, cui Regina conscientiæ suæ moderamen crederet. Jussu dein Philippi IV. regis in Franciam venit, Ludovicum XIV. Christianissimum regem de connubio cum Hispaniarum infante Maria-Theresia certiorem redditurus, & ibidem Pyrenaicæ pacis primordia cum ceteris disposuit. A Carolo II. nominatus Ruremundensis episcopus, vacantis hujus ecclesiæ possessionem 7. Januarii an. 1677. per procuratorem cepit, & 17. ejusdem mensis episcopali charactere insignitur in abbatiali Montis-Frigidi ecclesia, ejusdem archipræsulis ministerio, & assistentibus iisdem episcopis, qui supra. Festinus inde Ruremundam perrexit, ubi solemni tum cleri, tum populi obsequio exceptus, mox ad diœcesim lustrandam se accinxit, collapsa & depravata restauraturus; præcipuas sollicitudinis suæ partes in eo sitas ratus, si plebs Christiana necessariis fidei rudimentis recte imbueretur, instructiones catecheticas in parochiis, sacellis & regularium etiam templis fieri voluit, designato opportune stipendio ministris, qui labori huic operam suam conferrent, utque parochorum hac in re desidiam stimularet, ipse ceteris in exemplum, plebeios indoctos ac parvulos avebat instruere mansuete, delinire verbis, pro bono responso laudare, distribuere munuscula, quo labore mirum in modum delectabatur; non eum inurbanitas rustica, aut puerorum nugæ offendebant, non prementium turba: hoc catechistæ munus in triviis, in compitis, in itinere obibat, qua præsulis mansuetudine multum capiebatur populus; nulla siquidem illi persona vilis, nulla domus humilis, afflictorum consolationes eleemosynis condiebat.

1677.

Clerum vigilanti oculo circumspiciebat, quem moribus integris, in actu cultuque religiosum ac gravem, otium seu pestem fugere volebat. Quamobrem clericum recens ordinatum frequentare chorum, assistere parochis, catechetica lectione populum subinde instruere, aut alio quopiam utili labore jugiter occupari jubebat. Erat in laboribus alacer & hilaris, & si quid in lucrandis animabus feliciter profecerat, Deo in omnibus dabat gloriam; quorsum etiam hoc sibi lemma delegerat, *non nobis*: quamvis autem omnes & singulas oves fidei suæ concreditas ingenti caritate complecteretur, cordi tamen inprimis ipsi erant diœcesani sub Batavorum ditione agentes, quos invisere Hollandorum interdicto vetabatur, ne tamen ab ipso neglecti viderentur, in viciniam, unde facilis ad ipsum erat aditus, perrexit, quibus ad ipsum maximo numero confluentibus, confirmationis sacramentum intra paucos dies quindecim millibus prævia exhortatione impensum est ab indefesso præsule.

Hæc & alia de eo narrat nuperus historiæ ecclesiasticæ ducatus Geldriæ scriptor testis oculatus, qui perfectam optimi antistitis imaginem expressit cum Reginaldi mores ac vitam sic pinxit. Inter alias, inquit, quibus excelluit dotes, eximia quædam in pauperes caritas fulsit in eo, in eleemosynas quippe effusus erat, nam præter eos, quibus clam subveniebat, ingens per hebdomadam pauperum turma ad episcopium affluebat, qui catechetica prævie muniti instructione, esculentis ac jusculis reficiebantur, quin & episcopales reditus assiduis largitionibus usque adeo exhauriebat, ut œconomus, unde familiam aleret, subinde non haberet, immo parandis necessariis pecunias quandoque episcopum celaret. Omnes ferme & singulos etsi infimæ sortis homines, audiebat ipse, postulatis ubi poterat annuebat, comiterque habitos, monitisque firmatos dimittebat. Neque enim sua ei solummodo cordi erat ecclesia, sed & patriæ universæ gerebat curam, hujus quippe per tributa exhaustæ causa, tum ob alia gravissima negotia iterum ac tertio in Hispanias ad Carolum regem profectus est, rebusque ad votum confectis, lætus ad suos rediit. Errantes ac in fide devios mira comitate habebat, quorum innumeros ex errorum tenebris ad veræ fidei lumen perduxit, quos inter eminet Holsatiæ dux, qui Reginaldi argumentis convictus, in manibus ipsius ejurata hæresi palam se Catholicum confessus est; erat illi quoque solemne, omnibus pro cujusque captu speciale quoddam vitæ documentum tradere, & clericis quidem inter cetera id Christi identidem inculcare gaudebat. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ubi de rebus divinis ei sermo erat etiam inter familiares, tanto subinde ardore ac zelo dicebat, ut lacrymæ erumperent: mensa frugali contentus erat, quam lectione sacra aut piis colloquiis condiebat, ita tamen ut commensalibus fastidio non esset, neque honestam aversaretur hilaritatem, quin suos ipse habebat sales: vini parcus, ciborum luxum lautitiamque fugiebat, supellex ac reliqua utensilia uti in mensa, ita in reliqua domo simplicitatem ferme monasticam non superabant; erat ea corporis proceritate ut ultra justam corporis staturam capite fere emineret, corpori par animus, gravi quidem ast hilari aspectu, animique candor ac serenitas tota se facie prodebat.

Matth. 6. 33.

Eo sedente, moniales instituti S. Theresiæ Ruremundæ admittuntur an. 1698. Restauratum & ampliatum fuit ejus sumtibus seminarium episcopale, ac cum præside duo professores constituti, 1698.

ANNI CHRISTI quorum alter Philosophiam, alter Theologiam doceret. Denique an. 1700. ad Antuerpiensem
1700. ecclesiam traducitur, postquam Ruremundanæ annos omnino tres ac viginti præfuerat.

D'ONGNYES & D'ESTRÉES

XII. ANGELUS.

Angelus ex illustri prosapia ortus, patrem habuit Philippum d'Ongnyes comitem d'Estrées & baronem de Rollencourt, matrem vero Mariam-Margaretam d'Ursel imperii comitissam, Capucinorum religionem professus est adolescens, an. 1668. & ecclesiastes subinde regius fuit in sacellis Burgundiæ & Castellæ Bruxellis, quod munus dum obiret, designatus est ab Hispaniarum Rege antistes Ruremundanus an. 1701. & a Clemente XI. confirmatus, inauguratur Bruxellæ in oratorio sui ordinis 1. Januarii anni
1702. 1702. a Guillelmo Humberto de Precipian archipræsule Mechliniensi, sacro adstantibus Reginaldo Antuerpiensi, Philippo Erardo Gandav. & Guillelmo Brugensi præsulibus, ac decima nona Februarii insequentis ingenti honoris significatione in cathedræ suæ possessionem inductus est.
1722. Præfuit ad annum 1722. quo Bruxellæ 9. Aprilis exstinctus est annos natus septuaginta duos; inde vero illatus, in sua cathedrali ecclesia conditus est.

SANGUESSA.

XIII. LUDOVICUS-FRANCISCUS.

Angelum excepit Ludovicus-Franciscus Sanguessa Mechliniensis, Minorita Recollectus, in coadjutorem jam antea assumtus an. 1720. probante Imperatore Carolo VI. Belgii principe, qui a sede apostolica confirmatus, sacratur in episcopum coadjutorem ab ipso antecessore Angelo 10. Augusti anno 1721. cui adjutores fuerunt Petrus-Josephus Antuerpiensis antistes & Ludovicus-Roscius de Liboys Thermopolensis præsul suffraganeus Leodiensis. Hactenus præest.

Novella episcopatus Antuerpiensis historia Leodii 1717. edita memorat inter illustres viros, qui ex hujus ecclesiæ gremio prodierunt, quemdam Reinerum Bervoets de Braeckel archidiaconum Antuerpiensem & episcopum Ruremundensem nominatum. Vide pagg. 208. & 209. ejusdem historiæ ad calcem.

Primaria quondam hujus capituli dignitas erat præpositura, quæ in episcopatus erectione exstincta est, & annexa episcopatui. Ex præpositis autem, qui omnes erant canonici Ultrajectenses, duo tantum occurrunt Hugo Wustinck in actis translationis capituli ex monte S. Odiliæ Ruremundam an. 1361. & Johannes de Teveren decretorum doctor, & SS. Cosmæ & Damiani Assindiensis canonicus anno 1506. in litteris Hermanni Coloniensis archiepiscopi. Porro post translationem capituli, erectus est anno 1430. decanatus.

DECANI ECCLESIÆ COLLEGIATÆ, ac postmodum cathedralis S. Spiritus Ruremundæ.

I. EDMUNDUS DE GRENDE eligitur I. decanus 9. Junii an. 1430. quo abdicante sufficitur

II. Theodoricus I. Pollart, qui ad reformandum cœnobium S. Elisabethæ in comitatu Hornano una cum Johanne a Novo lapide Legum doctore commissarius delegatus est anno 1434. Decanatu cessit & ipse, in cujus locum subrogatur

III. Petrus I. Fonck, qui permutatione facta locum dedit ei, qui sequitur.

IV. Godefridus Milter, quo defuncto, adsciscitur

V. Johannes patria Neomagensis, quem ecclesiæ S. Spiritus multa bona contulisse veteres chartæ perhibent; post cujus obitum

VI. N. de Reida electus est an. 1496. quo e vivis abeunte

VII. Leonardus Fabri assumitur an. 1500. qui decanatum transcripsit sequenti.

VIII. Theodoricus II. Klompmecker cessione Leonardi decanus constituitur, quo defuncto

IX. Mathias Vinck sacræ theologiæ licentiatus, & pastor in Horne, eligitur in decanum an. 1524. cujus tempore capitulum S. Spiritus factum est cathedrale an. 1561.

X. Arnoldus a Daert assumtus est decanus an. 1568. eo autem 1569. Augusti resignante

XI. Theodoricus III. Haen, pastor Ruremundanus, decanatum obtinet ad annum 1586. quo in fata concessit.

XII. Gregorius Gherinx Trudonensis, J. U. licent. & officialis subrogatur 15. Junii eodem anno. Fuit vicarius generalis, sede vacante, post discessum Lindani episcopi. Obiit 16. Augusti an. 1601.

XIII. Petrus II. Pollius sacræ theol. doctor & archidiaconus, sufficitur anno 1602. 14. Martii biennio vicarius generalis post obitum Henrici Cuickii episc. E vivis ereptus 21. Dec. an. 1626.

XIV. Petrus III. Kuyckoven sacræ theologiæ licent. a capitulo electus an. 1627. mortalitatem explevit an. 1640. 20. Junii in cujus locum paribus votis electi sunt anno 1641. Theodoricus Cox & Johannes Cox, ac controversia exinde orta duravit usque ad annum 1649.

XV. Peregrinus Vogelius capituli Aquisgranensis canonicus, archipresbyter & sacri ibidem consilii præses, lite adhuc pendente & jure devoluto ad sedem apostolicam, ad decanatum promovetur ab Innocentio X. papa an. 1649. quem a Rege ad sedem Ruremund. nominatum mors rapuit eodem anno.

XVI. Jacobus ab Oeveren sacræ theol. licent. regia auctoritate creatur decanus an. 1652. non admisso, quem canonici elegerant anno 1650. pridie diei Cinerum, Antonio Bosman canonico S. T. L. & aliquandiu vicario generali. Porro Jacobus vices egit episcopi post discessum Andreæ de Cruesen ad Mechliniensem metropolim translati. Mortalitatem explevit 19. Martii 1686.

XVII. Antonius du Mont J. U. licent. successit eodem anno, & naturæ debitum solvit an. 1708. quem excepit

XVIII. Theodorus Egbertus Bloemaerts J.U.L. præerat an. 1718.

DE ABBATIIS DIŒCESIS RUREMUNDENSIS,

FUit olim prope Ruremundam Bergense monasterium a S. Wirone ejusque sociis, Pipino Herstallio fundum præbente, constructum, quod an. 858. Lotharius Lotharingiæ I. rex, Lotharii imperatoris filius canonicis ecclesiæ cathedralis Ultrajectensis attribuit incolendum, Normannis Frisiam & Bataviam vastantibus. A

Pag. 500. Observat nihilominus operum Miræi novissimus editor, hoc cœnobium postmodum vocatum fuisse Montem S. Odiliæ, & ex monasterio factum esse collegium canonicorum cum præposito, quod an. 1361. translatum fuit Ruremundam ad ecclesiam S. Spiritus, petente Rainaldo duce Gelriæ, & auctoritatem facientibus Ultrajectensi ac Leodiensi episcopis; deinde vero hanc ecclesiam S. Spiritus an. 1559. factam fuisse cathedram, pro qua visum est an. 1659. novam cathedralem deligere ecclesiam S. Christophori, eoque transferre memoratum capitulum. B

Duæ hactenus perseverant in hac diœcesi abbatiæ ordinis Cisterc. feminarum. C

Het-Munster, *seu* Munster-Clooster, & Vallis-comitis, *seu* Novum-Claustrum, Grevendael, *ou* Nieuwclooster.

HET-MUNSTER.

RUremundense B. Mariæ monasterium ordin. Cisterc. puellarum fundavit, seu perfecit pro matre sua Richarde mundum fastidiente Gerardus Geldriæ comes an. 1224. XVI. cal. Junii, ut patet ex charta fundationis, quæ habetur in libro, cui titulus *Lilia Cistercii*, pag. 178. & in historia ducatus Geldriæ, pag. 78. ubi & legitur prædicta Richardis fuisse abbatissa, ac insuper in eo cœnobio fuisse etiam fratres, quibus fundator, quas tradit ecclesias, statuit conferendas, nisi forte conventus fratrum defectum patiatur, tunc enim permittit seculares clericos institui vicarios. Etsi vero charta fundationis annum præferat 1224. prius tamen aliquot annis fundatum fuisse hunc parthenonem constat ex epitaphio fundatorum, quod in medio hujus ecclesiæ cernitur his verbis: *Obiit anno millesimo ducentesimo vigesimo-nono, ipso die beati severi episcopi* GERARDUS *comes Geldriæ & Zutphaniæ, qui cum Margareta uxore sua ad instantiam matris suæ Richardæ de Nassovia primæ hujus loci abbatissæ monasterium fundavit anno millesimo ducentesimo decimo-octavo: Ambo in hoc loco sepulti.* Ex iis ergo sequitur inchoatum esse hoc monasterium an. 1218. perfectum utcumque 1224. quo, ipsis calendis Julii Engelbertus archiep. Colon. ex permissu antistitis Leod. ad quem tunc spectabat Ruremunda, sacro ritu locum hunc inauguravit. Discimus vero ex charta Henrici Coloniensis archiepiscopi, data 1250. ecclesiam & officinas interiores necdum hoc anno perfectas fuisse. Hujus parthenonis visitator est abbas Veteris-campi. D

SERIES ABBATISSARUM.

I. RICHARDIS DE NASSOVIA fundatoris mater, prima fuit abbatissa hujus monasterii an. 1224. ex charta fundationis, quam obiisse tradit Pontanus an. 1231. ipso S. Matthæi festo. Initio tamen ea quæ rexit, qualiscumque fuerit, nonnisi priorissæ titulo gaudebat, ut patet ex bulla Honorii papæ inscripta priorissæ & conventui, an. pontificatus quinto, hoc est 1221.

II. Elisabetha I. de Gelder.

III. Oda Gulick.

IV. Clementia de Gelder.

V. Agnes I. de Herpes.

VI. Elisabetha II. de Swalmen.

VII. Gertrudis de Revenack.

VIII. Fritwindis de Swalmen.

IX. Bela I. de Malborgh.

X. Bela II. de Driel.

XI. Margareta de Elmpt.

XII. Maria de Driel.

XIII. Bela III. de Milendonck.

XIV. Aleidis de Bomel.

XV. Willelma de Kessel.

XVI. Bela IV. de Dript.

XVII. Jacoba de Erp.

XVIII. Agnes II. de Barick.

XIX. Elisabetha III. de Flodorp.

XX. Anna I. de Barick.

XXI. Agnes III. de Imstenraedt.

XXII. Anna II. de Ruissenbergh.

XXIII. Susanna de Pardo, *al.* Pardovan Sparmaliæ sanctimonialis sub Maria de Ramires abbatissa, cujus tempore ad hanc abbatiam regendam assumta est.

XXIV. Adama de Egeren.

XXV. Hermanna de Poll.

XXVI. Francisca de Bossu.

XXVII. Maria-Margareta de Wyenhorst.

XXVIII. Adriana-Albertina de Reede præerat anno 1716.

VALLIS-COMITIS, *seu* NOVUM-CLAUSTRUM.

Grevendael, ou Nieuw-Clooster.

CAstrum *Rhode* ad Niersam fluvium in parochia Asperden, prope Gocham juris Ottonis III. Geldriæ comitis VII. ab eodem conversum in monasterium sanctimonialium ord. Cist. an. 1250. & absolutum an. 1255. mense Junio e Ruremundensi cœnobio sacris virginibus accitis, nomen ab ipso fundatore Vallis-comitis accepit; sed cum an. 1474. bello civili episcopatus Coloniensis omnino devastatum, subinde aliquatenus de novo surrexisset, Novum-Claustrum, *seu* Novum monasterium appellari cœpit. In eo præclarus nobilium virginum conventus in regulari disciplina etiamnum perseverat, inquit auctor historiæ ducatus Geldriæ, sub Anna-Gertrude de Gysembergh, quæ nobili apud Westphalos genere orta, est vigesima-tertia ejusdem loci abbatissa. Isabella vero filia Rainaldi Geldriæ I. ducis ex Sophia Florentii E

Florentii Mechlinienſis filia, e Grimbergico Bertholdorum ſtemmate orta, abbatiſſæ munere tertia in ordine functa eſt, ac 1376. 10. Dec. obiit, in eodem cœnobio terræ mandata.

Alia etiam haud aliter nominata, quam ſoror Mariæ Juliacenſis comitiſſæ, vel duciſſæ, dicitur felicis memoriæ abbatiſſa Novi monaſterii in tranſactione quadam dictæ Mariæ cum Guillelmo filio, Geldriæ ac Juliaci duce & comite Zutphaniæ habita an. 1394. apud Pontanum hiſt. Geldr.

ECCLESIA SILVÆDUCENSIS, *ſeu* BOSCODUCENSIS.

SILVADUCIS, Boſcum-Ducis, *ſive* Buſcoducum, veteribus ſimpliciter Buſcum, incolis s'Hertoghenboſch, Gallis vero *Bois-le-Duc*, vel *Bolduc*, Brabantiæ urbs eſt, paluſtri & uliginoſo loco condita ad Dommelam fluvium, (qui fluvius Aadæ ac Diſſæ aquis auctus, non longe inde in Moſam devolvitur,) inter Hollandiæ ac Geldriæ limites, ſedecim leucis Antuerpia, decem Ultrajecto, novem Neomago, octo Breda, ſex Gravia milliaribus disjuncta. Magnæ ac potentis ditionis caput eſt hæc civitas, quæ cum ſuo tractu, quem vulgo majoratum Silvæducenſem vocant, (Gallice *la Mairie de Bolduc*) unam ex quatuor Brabantiæ tetrarchiis conſtituit: *In Taxandriæ finibus nemus eſt, ab Imperatoribus olim eccleſiæ Ultrajectenſi donatum, cujus advocatiam longo tempore obtinuerunt comites Geldriæ, qui eam amicis ſuis dederunt, ipſique villam de Vucht Henrico duci Lotharingiæ vendiderunt, qui in aggere de Ort urbem ſtruxit, quæ nunc eſt Sylvaducis.* Hinc in antiquis principum reſcriptis vocatur civitas de *Ortduno*, item *nova civitas apud Ortdunum, quæ Sylva dicitur.*

Porro ſilvam hanc repellendis Geldrorum irruptionibus exciſam memorant nonnulli ſcriptores an. 1172. qui locus mox advenarum concurſu frequentatus, ob viciniam Moſæ, Rheni & Vahalis fluminum commerciis opportunam, urbis futuræ initium præbuit; creſcente poſtea indigenarum numero, vallum circa Ortdunum ducitur, ſed a finitimis populis novorum hoſpitum ſedes ferro flammaque pulſata pleroſque ſolum vertere & ab incœpto deſiſtere coëgit: donec coërcita tandem incurſantium audacia, Godefridus Brabantiæ dux, in cunis vulgo dictus, oppidi fundamenta poſuit, (huic enim verior fama urbis originem adſcribit) an. 1184. hac chronographia ſignato

GodefrIdVs dVX e ſILVA feCIt oppIdVM.

Quanquam urbis conditæ annum 1196. annotat Divæus, quo ſcilicet Henricus, cognomento Bellicoſus, Godefridi filius, oppidum a patre inchoatum perfecit, foſſiſque ac muris cinxit, quod temporum decurſu & incolarum multitudine tantum accrevit, ut annis 1361. & 1453. pomeria ejus multum oportuerit ampliari.

Forma nunc eſt triquetra tribus in longum ſpatiis excurrens, quam aquæ hinc & paludes, varia inde communiunt propugnacula, ampla, potens, civibus referta, ædificiorum ſplendore, platearumque nitore ac numero pulcherrima: muris firmiſſimis cingitur, foſſaſque habet altitudinis & latitudinis ſtupendæ, Dommelæ & Aadæ fluviorum allapſu irriguas, qui fluvii diverſis inde canalibus urbem ſubeunt, cujus munimenta ſi ſpectes, ſive a ſitu loci, ſeu ab arte profecta, inter munitiſſimas Belgii urbes cenſenda eſt. Inter ædificia publica eminent civilis baſilica, turri & horologio artificio horarum indice exornata, forum pulcherrimo ædium ordine circumdatum, in quod decem urbis laxiores vici exeunt; curia ſenatoria haud ita pridem conſtructa, & antiquitatum camera, ubi vetera bellorum inſtrumenta, rara plurima e variis regionibus illuc adſportata, necnon libri exquiſitiſſimi aſſervantur.

Variis cladibus afflicta eſt Silvaducis decimo-ſexto ſeculo ob civilia religionis bella, in ea quippe heterodoxi pluries cæde, rapinis, incendio, & rerum ſacrarum violatione debacchati ſunt. Ab Hollandis ſæpe oppugnata, vix non intercepta fuit Holackii comitis dolo an. 1585. ſed civium Catholicorum virtute ſervata, tandem an. 1629. Batavi duce Friderico-Henrico Naſſovio principe Auriaco totis viribus eam impugnarunt, & arcta quatuor menſium ac dimidii obſidione preſſam ad deditionem compulerunt 14. Septemb. ejuſdem anni certis conditionibus: ſic ab Hiſpanis tranſiit ad Fœderatos ordines Silvaducis, quibus in eam territoriumque ejus univerſum, ſeu majoratum jus omnimodum Hiſpaniarum regis ceſſione aſſertum eſt Monaſterienſi tractatu in Weſtphalia anno 1648.

Complectitur autem hic majoratus duas ſupra centum parœcias, ſub regiunculis quinque comprehenſas, Campinia ſcilicet, Cuickenſi ditione, Maſlandia, Oſtervicko & Peelandia, quæ omnes Hollandorum dominio nunc ſubſunt.

Porro Bolducum civitas inter reliquas Belgii urbes digna etiam viſa eſt Paulo IV. papæ, quæ epiſcopali ſede ornaretur an. 1559. quod morte præventus Pio IV. ejus ſucceſſori perficiendum reliquit.

Is an. 1560. *seu* 1561. pontificatus sui secundo, Buscoducense capitulum collegiatum a Leod. diœcesi distractum erexit in cathedrale, novæque diœcesi limites circumscripsit, quam ex pagis Leodiensis potissimum & Ultrajectensis diœceseon, paucis ex Cameracensi detractis, conflatam, metropoli Mechliniensi subjecit. Episcopatui in dotem assignata Tongerloensis abbatia cum omnimoda jurisdictione, qua potiti sunt antistites Silvæducenses simul & abbates ad annum usque 1590. quo decisa ex bonis abbatiæ insigni portione ad summam octo millium florenorum episcopo attribuenda, unio hæc rescissa fuit, sedente Crabbelio tertio Silvæducensium antistite, Romani pontificis assensu, jusque Tongerloensibus proprii abbatis eligendi restitutum. Ch. IV. col. 410. Ch. V. col. 417.

Subjectæ erant huic novo episcopatui urbes quinque, videlicet Sylvaducis, Gertrudis-Berga, Eyndhovia, Heusdenum, Bommelia, municipia item plurima, ac pagi universim 189. in archipresbyteratum urbis & novem decanatus rurales distributi; abbatiæ virorum, tres Præmonstrat. ord. necnon duæ virginum, una ord. Cisterc. S. August. altera, de quibus more nostro seorsim dicemus. Prioratus conventuales quinque, canonicorum collegia tredecim, atque alia utriusque sexus monasteria circiter triginta quinque: verum ex his locis sacris pauca hodie in diœcesi supersunt, plura ob bellorum tumultus & hæreticorum vexationes alio translata, plurima exstincta & ad profanos usus conversa sunt.

Templum cathedrale simul & parœciale S. Johanni apostolo & Evangelistæ sacrum, reliquis Belgii basilicis cathedralibus elegantia, amplitudine & altitudine palmam præripit; ornata fuerat hæc ecclesia jam ab anno 1366. triginta canonicorum collegio cum decano capituli, cui post sedis episcopalis erectionem adjectæ fuerunt archidiaconi, archipresbyteri & pœnitentiarii dignitates, decemque canonicatus, graduatis (uti aiunt) in utroque jure vel theologia addicti: verum ab an. 1629. quo civitas in potestatem fœderatorum ordinum venit, capitulum hoc desiit, episcopo, canonicis beneficiariis, universoque clero seculari ac regulari exsulare coactis, quibus tamen omnibus, quoad viverent, servati beneficiorum fructus, in fiscum postea redacti sunt.

Fuere præter ecclesiam primariam, parochiales tres, una S. Catharinæ, altera S. Jacobi (modo in stabulum equorum conversa) tertia S. Petri solo æquata, ut castrum eo loci fieret ad Catholicos in officio continendos. Has parœcias erexerat an. 1569. primus Silvæducensium episcopus Sonnius, cum antea sola divi Johannis ecclesia esset parœcialis, hæc autem simul cum altera divæ Catharinæ modo subservit hæreticorum ministris. Sacellum divæ Annæ olim sacrum nunc occupant Calvinistæ Galli, S. Gertrudis alterum Lutherani.

Plurima quoque erant in urbe vel suburbiis utriusque sexus cœnobia, Dominicanorum scilicet, Guillelmitarum, Minoritarum, Crucigerorum (ubi hodie armamentarium & militum carceres) Bogardorum, Cellitarum, Patrum Societatis Jesu, quorum ædes amplissimæ, urbis gubernatori domicilium nunc præstant, Capucinorum, Carthusianorum, Clarissarum, Monialium S. Gertrudis, & Orthensium, sororum Nigrarum & Hospitalis domus, ac Begginarum, quæ domus conventuales hodie ab heterodoxis occupantur, plerisque ad profanos usus divenditis.

Interim quantumvis per hæreticos divexata fuerit civitas cum territorio adjacente, totaque civilis ac politica administratio sit penes Calvinianos, supersunt tamen longe majori numero Catholici, avitæ patrum fidei tenaces, quibus publicum religionis suæ exercitium sub gravi pœna quidem interdicitur, at permittitur privatum in undecim ecclesiis domesticis, ubi tum presbyteri seculares, tum Jesuitæ, Dominicani, Minoritæ, & Capucini sacris operantur; non alia tamen lege, quam persoluto prius notabili pretio ad redimendam vexationem sculteti, fiscalis, aliorumque, quos Fœderati ordines in urbe administros constituerunt.

Consule de his rebus historiam episcopatus Silvæducensis, quæ Leodii typis vulgata est an. 1721. ex qua, tum ex Arnaldo Havensio & Grammayo pleraque depromisimus. Texenda nunc nobis præsulum Silvæducensium & eorum, qui ipsis successere vicariorum apostolicorum series.

EPISCOPI SILVÆDUCENSES.

SONNIUS.

ANNI CHRISTI

I. FRANCISCUS.

SONNÆ in Campinia Brabantina natus Franciscus Sonnius a natali solo nomen traxit, cum alias vernaculo nomine vocaretur *Vanden Velde*. Ingenuas artes edoctus, Lovanii philosophiam ubertim hausit, ac principem inter artium magistros locum obtinuit in celeberrimo quatuor collegiorum concursu: hinc ad medicinam aliquandiu animum cum appulisset, mox mutato consilio, theologiæ & sacris litteris totus incubuit, tum pastorali muneri admotus, ecclesiarum de Meerbeeck, & postea divi Jacobi apud Lovanium regimen suscepit. Inde doctoris theologi laurea donatus, canonicus etiam in æde sacra divi Petri & theologiæ professor ordinarius constituitur. Ultrajectum dein migravit, postquam sibi præbenda in ecclesia ejusdem urbis cathedrali, privilegiorum academicorum vigore, obtigisset, ubi & hæreticæ pravitatis inquisitor deputatus est; qua ex urbe ad concilium Tridentinum theologus ablegatur a Philippo II. Hispaniarum rege, cumque an. 1557. Wormatiæ apud Vangiones colloquium de controversiis ecclesiasticis fuisset institutum Catholicos inter & Lutheranos, instante Ferdinando Romanorum imperatore, illuc cum aliis duobus theologis Lovaniensibus missus est, ubi & libros tres *Demonstrationum religionis Christianæ ex verbo Dei* in lucem protulit, quibus ab ipsius obitu accessit quartus liber posthumus *de septem sacramentis*, eleganti ac solido stylo scriptus. Vulgavit præterea *cathechismum*, seu *examen militiæ Christianæ* & *confutationem Calvinianæ confessionis*, quæ *Antuerpiana* vocabatur; utque erat summa in negotiis solertia ac dexteritate, Romam ad Paulum IV. papam missus orator a Philippo II. Hispaniarum rege, conceptum pridem de novis episcopatibus per Belgium erigendis consilium perfecit, Pontifici adeo gratus, ut ipsum votorum omnium compotem factum a se dimiserit, titulo insuper & habitu protonotarii Romani ornatum cum sexcentorum florenorum honorario; hinc in Belgium redux, primus ad infulas Buscoducenses nominatione regia destinatur, sacra unctione delibutus Bruxellis, cardinalis Granvellani archiepiscopi Mechliniensis opera, assistentibus Petro Curtio primo Brugensium antistite & Pipino Rosa ordinis FF. Prædicat. episcopo Salubriensi, ac suffraganeo Mechliniensi, ecclesiæ suæ possessionem cepit per procuratorem 16. Novembris
1562. an. 1562. ac biduo post solemniter in ecclesiam cathedralem inducitur, clero universo civitatis & commissariis regiis comitantibus. Episcopale munus continuo auspicatus est in urbe & suburbiis, donec bulla, qua diœcesis limites definiebantur, publicata ad cunctas suæ fidei concreditas oves curam pastoralem extenderet. Curiam interim episcopalem, seu tribunal ecclesiasticum erexit, cui officialem præfecit Johannem Typotium J. U. licentiatum 5. Februar. 1563.

Concilium Tridentinum promulgavit, & parochis sollicite observandum injunxit. Anno 1565. convocata pastorum synodo 22. Octobris saluberrima condidit statuta ad optimam novæ diœcesis institutionem, quam sedulo lustrabat, nec minori lucrandarum animarum zelo incensus frequens ad populum dicebat in ecclesia cathedrali cum maxima gratia & fructu, quippe cui firma pusillo in corpore latera & miram natura dederat eloquentiam: in suis ædibus explicabat articulos doctorum Lovaniensium contra Lutherum aliosque novatores, ad quas lectiones tum sacerdotes, tum clerici ad sacros ordines promovendi diligenter accurrebant. 1565.

Anno 1569. die 17. Junii coram decano, canonicis & aliis presbyteris statuta quædam reformationis publicavit. Considerata etiam urbis amplitudine & incolarum multitudine parœciarum numerum auxit, quibus & certa jura, & beneficia annexuit. Eodem anno 29. Augusti in possessionem abbatiæ Tongerloensis, quæ sibi in dotem episcopalem assignata fuerat, immissus est, sublatis impedimentis, quæ eam hactenus retardaverant. Statuta curiæ episcopalis promulgavit eodem anno die 4. Novembris. Paulo post ad Antuerpiensem ecclesiam nominatus Silvaducis discessit anno 1570. non sine suorum mœrore, quibus octo annis & mensibus quatuor præfuerat. Vide in Antuerpiensibus episcopis. 1569.

METSIUS.

II. LAURENTIUS.

Sonnio successit in Silvæducensi cathedra Laurentius Metsius, Gerardimontensis, sacræ theolog. licentiatus in academia Lovaniensi, vir eximia doctrina præditus & ecclesiastes facundus, qui pastorem per plures annos egerat Menenis Flandriæ oppido in ecclesia primaria beatæ virginis Mariæ, deinde Bruxellis apud S. Gudulam, ubi & decanatum collegii canonicorum nactus, conservator etiam privilegiorum academiæ Lovaniensis eligitur, necnon vicarius generalis & officialis archiepiscopi Mechliniensis in tractu Bruxellensi constituitur; hinc propter insignia merita ad episcopatum Buscoducensem assumtus nominatione regia, die 16. Novembris an. 1569. consecratur anno sequenti die 23. Aprilis in eadem ecclesia collegiata B. Gudulæ per Maximilianum a Bergis archiepisc. Camerac. cui assistebant Franciscus Richardot Atrebatensis, & Franciscus Sonnius Antuerpiensis episcopi. 1570.

Possessionem ecclesiæ suæ inivit per procuratorem Lucam Dielen cathedralis ecclesiæ decanum die 28. ejusdem mensis, & 4. Maii insequentis in abbatiam Tongerloensem jure usurpato, septima tandem ejusdem mensis die festiva pompa ex ecclesia Cruciferorum in templum cathedrale deductus est. Mox ad lustrandam

ANNI CHRISTI

diœcesim se accinxit, optimorum virorum delectu habito, in quos onera sua partiretur. Interfuit utrique concilio provinciæ Mechliniensis annis 1570. & 1574. celebrato. Ipse vero primam synodum diœcesanam coegit anno 1571. quam eleganti oratione auspicatus est temporum calamitatibus congrua, in eaque plura edidit decreta salutaria, quæ hactenus exstant.

A Friderico Schenckio archiepisc. Ultrajectensi in hollandiam evocatus, quatuor sacerdotes de hæresi & perfidia convictos, neque ullam resipiscentiæ spem facientes de gradu dejecit in Haga-Comitis,& brachio seculari tradidit supplicio afficiendos, præsentibus curiæ consiliariis & urbis magistratu an. 1570. die 27. Martii. Annam Austriacam Maximiliani II. imperatoris filiam & Philippi II. Hispaniarum regis uxorem futuram Neomagum adventantem, Brabantiæ ordinum nomine, salutavit eodem anno, indeque in urbem suam episcopalem deduxit, comitantibus clero, magistratu & civibus 19. Augusti.

Diœcesis parœcias in decem decanatus distribuit, & anno 1572. *manuale pastorum* edidit, succinctum quidem, sed elaboratum, quo pastores omnes uti voluit, ut sacramenta pari ubique ritu, eademque ratione administrarentur. Quin & seminarium pro informandis ad pietatem, & doctrinam theologis junioribus erexit, eoque, quo potuit modo dotavit beneficiorum quorumdam unione, pensionibusque pinguioribus quibusdam ecclesiis impositis, quibus postea ab heterodoxis occupatis seminarium sine censu interiit.

1577. Ipse autem præsul an. 1577. ob civiles patriæ motus Silvaducis discedere coactus, episcopatus regimen vicariis generalibus, quos sibi delegerat, permisit, & Namurcum ad Johannem Austriacum Belgii gubernatorem, cui percarus erat, se recepit, ubi positus, aliquandiu, sede vacante, pontificalia munia exercuit, novumque antistitem Franciscum Wallon-capelle consecravit. Denique morbo ibidem correptus, pie (uti

1580. vixerat) mortuus est 18. Sept. an. 1580. dum de reditu ad suam Silvæducensem ecclesiam cogitaret. Tumulum habet in choro cathedralis basilicæ Namurcensis, ante majus candelabrum sub ingenti lapide sepulcrali, cui insculptum est sequens epitaphium vetustate jam pene detritum, ac vix legibile:

Reverend. D. LAURENTIUS METSIUS episcopus Buscoducensis, e propria sede exulans, hic pie obiit mensis Septembris die 18. anno MDLXXX.

Symbolum hujus præsulis erat: *Tempora nationum implentur.*

Vacavit sedes annis quatuor ac tribus circiter mensibus, quo tempore Lucas Dielen hujus ecclesiæ decanus & vicarius generalis a capitulo constitutus diœcesim administravit. Interim Silvaducis variis concussa tumultibus multas perpessa est calamitates, cives tamen in Regis obsequio & in fide catholica constanter hæserunt; quin & Guillelmus Lindanus Ruremundensis episc. huc ad tempus accersitus rem Catholicam strenue promovit, quem & cives in antistitem sibi dari postularunt, ast irrito conatu.

III. CLEMENS.

CRABBEELS

Patria Lovaniensis, ac in celebri hujus urbis academia sacræ theologiæ licentiatus, post quatuor annorum interpontificium Laurentio sufficitur, qui primum Cornelio Jansenio primo Gandavensium præsuli a secretis, dein successive in ecclesia cathedrali Gandavensi canonicus, officialis & primus archidiaconus, necnon sede per obitum Jansenii vacante vicarius generalis fuit; tum anno 1577. prævalentibus in Belgio hæreticis, secuta est urbis Gandavensis defectio, eoque devenerunt proterviæ seditiosi novatores, ut ducem Arschotanum Flandriæ gubernatorem, Ferdinandum de la Bar supremum urbis prætorem, Martinum Rithovium Iprensem & Remigium Druitium Brugensem episcopos in vincula conjicerent. Ipse vero Crabbelius die 17. Januarii anni 1578. per rebelles ab officio & jurisdictione vicarii generalis summotus, etiam in exsilium pellitur una cum canonicis, quorum pars Tornacum, pars Insulas confugere: quo exsilii tempore Marcus Sterck capituli decanus e vita migravit, cui mox canonici in unum convenientes Crabbelium, licet absentem, successorem dederunt, cumque Gandavum adhuc in rebellione persisteret, vicarii generalis munia nihilominus in locis Hispaniarum regi subditis exercuit, Aldenardæ quoque interim pastorem primarium egit, donec ad episcopatum Buscoducensem nominatione regia promotus an. 1584. possessionem hujus ecclesiæ cepit per procuratorem Lucam Dielen decanum Silvæducensem 28. Decembris hoc ipso anno, tum in festo Epiphaniæ anni subsequentis pontificali charactere insignitus est Tornaci a Maximiliano Morillon Tornacensi episcopo, cui coadjutores in re sacra erant Matthæus Moulart Atrebatensis & Johannes Six Audomarensis antistites: ipse autem 5. Aprilis insequentis die magno cum apparatu in ecclesiam suam cathedralem invectus est, quam per annos septem, ac menses decem summa vigilantia gubernavit. Diœcesi præcipue cavit ut ab hæreticorum zizaniis expurgaretur. Porro sub ipsius regimine, ac eo consentiente, abbatia Tongerloensis ab episcopatu, cui ab ejusdem erectione ad hæc usque tempora conjuncta fuerat, separata est, an. 1590. uti jam diximus. Viribus tandem fractus & apoplexia tactus Silvæducis obiit optimus præsul 22. Octobris anni 1592. terræ mandatus in choro ecclesiæ cathedralis absque epitaphio.

1584. 1585. Ch. VI. col. 411. 1590. 1592.

Symbolo utebatur: *Tempus faciendi Domine.* Psalm. CXVIII. ℣. 126.

Biennio vacavit sedes, quo tempore Gisbertus Coeverinx ecclesiæ cathedralis decanus & episcopus Daventriensis designatus, vicarii generalis munere functus est a capitulo electus.

IV. GISBERTUS.

MASIUS.

Bommeliæ Geldriæ oppido natus Gisbertus & in academia Lovaniensi sacræ theol. licentiatus,

ANNI CHRISTI

verbi Divini præco facundissimus audiit, & ec- A
clesiæ Buscoducensis pastor ac plebanus prius per
annos septemdecim fuit, quam ad supremum
ejusdem ecclesiæ gradum ascenderet, designatus
antistes an. 1594. a Philippo II. Hispaniarum
1595. rege, hinc Bruxellæ in sacello aulæ regiæ anno
sequenti episcopalibus infulis ornatur 7. Martii
die S. Thomæ Aquinati sacra, coram serenissimo
archiduce Ernesto Austriaco Belgii gubernatore:
possessionem apprehendit per procuratorem 18.
ejusdem mensis & 25. insequenti in festo Annuntiationis
B. M. V. ipse ad ecclesiam cathedralem
solemniter deductus est, mox sese totum
curæ & administrationi suæ diœcesis impendit, B
quam assidue lustrabat non obstantibus periculis
sibi ab hæreticis imminentibus. Urbem suam
bina Batavorum obsidione cinctam vidit annis
1601. 1601. & 1603. civesque præsentia sua sic firmavit
bonus pastor, quasi animam suam pro ovibus
suis positurus. Singulis diebus Dominicis, præcipuisque
anni solemnitatibus de rebus divinis ad
populum dicebat. Cum S. Francisco Salesio
Genevensium episcopo amicitia conjunctissimus
fuit, quem & per litteras coluit, vicissim ab eo
epistolis honoratus. Tribus parochiis a Sonnio
1607. erectis ac tenuiori censu dotatis tres præbendas
ecclesiæ cathedralis primo vacaturas uniri curavit C
an. 1607. obtento prius eum in finem consensu
archiducis Alberti Belgarum principis, ad quem
alternis vicibus harum collatio præbendarum
pertinebat, qui & jam antea omnes præbendas &
canonicatus in *turno* suo (uti aiunt) vacaturos per
decennium episcopo conferendos permiserat an.
1602. Inter alia autem quæ reformatione digna
censuit, non minimum erat, quod in ecclesia
cathedrali fierent sub Divinis & alias deambulationes,
quas ut tolleret pius antistes, rem communicavit
cum magistratu, constitutaque est in
transgressores pœna libræ Flandriæ. Interfuit &
subscripsit synodo Mechliniensi die 26. Junii D
anno 1607. Anno 1608. facta sibi ab hostibus
commeandi potestate, profectus est in Boxtel
suæ diœcesis locum, ubi quindecim altaria con-
Vide epist. S. Francisci Salesii. secravit, ecclesiam quoque & cœmeterium ab
hæreticis violata reconciliavit, capitulum ipsum
visitavit, & inde progressus reliquas lustravit
parochias sub Hollandorum ditione positas &
ubique sacramentum Confirmationis impendit,
aliaque, quæ muneris erant episcopalis, implevit.
1612. Anno 1612. synodum diœcesanam celebravit
mense Octobri, in qua statuta condidit,
quæ Coloniæ Agrippinæ anno sequenti typis
mandari curavit. Tandem viribus defectus ad E
meliorem vitam transiit XI. Julii anni 1614.
& jacet in choro ecclesiæ cathedralis sub eleganti
tumba marmorea, cui prostat præsulis decumbuntis
effigies, quæ integra adhuc perseverat,
cum hac subjecta epigraphe:

D. O. M.

Hic jacet GISBERTUS MASIUS
IV. Sylvæducensium episcopus,
Quem Bommelia mundo protulit,
Ducis-Sylva insula excepit,
Mors virtutibus annisque auctum
Intercepit.
Quid hic triumphas germana somni!
Ille tibi reddidit quod debuit,
Et quod non debuit
In patriam transtulit.

Symbolum ipsi erat: *Omnia mors æquat.*

V. NICOLAUS. Zoes.

Amersfordiensis in ditione Ultrajectina Catholicis & patriciæ stirpis parentibus ortus est Nicolaus Zoesius ex gente, quæ plures utriusque juris scientia claros ac toga illustres viros protulit. Ipse quoque post litterarum studia Lovanium ablegatus, juri potissimum incubuit, & in utroque etiam doctor designatus est, hinc a Johanne Venduillio piissimo Tornacensium præsule ut sibi ab epistolis esset ac itineris Romani socius adlegitur, ab eodem subinde canonicus & officialis ecclesiæ Tornacensis constitutus, vitam & virtutes benefactoris sui litteris mandavit. Magni postea consilii apud Mechliniam assessor ecclesiasticus & libellorum supplicum magister fuit: demum episcopus Silvæducensium quintus renuntiatur, ac rite sacratur in sua cathedrali eccle-
sia die X. Maii anni 1615. a Matthia Hovio 1615.
Mechliniensium archipræsule, cui assistebant Johannes Malderus Antuerpiensis, & Jacobus a Castro Ruremundensis episcopi.

Omnia vigilantissimi præsulis munia sedulus implevit, variis licet difficultatibus hæreticorumque molestiis divexatus, Romanis ideo pontificibus ac sedi apostolicæ acceptissimus, quorum nomine gratulatorias litteras meruit accipere. Capitulum cathedrale multis magnisque beneficiis sibi devinxit, restauravit etiam in urbe sua seminarium ab antecessore Metsio tenuiori censu dotatum. Aliud quoque in academia Lovaniensi insigne theologorum collegium in honorem SS. Willibrordi & Caroli Borromæi erexit, cujus pridem fundamenta posuerat, dum adhuc in supremo senatu Belgico judex sederet, coemtis ædificatisque ad usum illius ædibus, statuta vero & leges quoad præsentationem, institutionem, qualitatem, moresque bursariorum (ut vocant) ipsemet præscripsit: Mechliniam tandem una cum reliquis comprovincialibus episcopis evocatus a metropolita Jacobo Boonen ad discutienda quædam gravis momenti negotia, Lovanium inde divertit, collegium a se noviter erectum visendi studio, verum lethali morbo ibidem correptus, infra paucos dies exstinguitur 22. Augusti anno
1625. unde corpus ejus Silvamducis elatum in 1625.
D. Johannis primario templo honorifice conditum fuit juxta aram principem, cum hac inscriptione:

D. O. M.

D. NICOLAUS ZOES
Episcopus Boscoducensis,
Magister libellorum supplicum,
Et consiliarius magni consilii,
Frequentioribus cleri, populique
Ac devoti fœminei sexus precibus

ANNI CHRISTI

Se commendatum cupiens,
Hoc loco vivens sibi monumentum elegit.
Vixit ann. LXI. & dies XVII.
Præfuit ecclesiæ Boscoducensi
Ann. X. menses III. & dies XII.
Obiit an. MDCXXV. die XXII. mensis Aug.
Symbolo utebatur: *Ex momento Æternitas.*

OPHOVIUS

VI. MICHAEL.

Vacanti cathedræ imponitur sextus ordine præsul Michaël Ophovius primus isque unicus patria Silvæducensis, professione Dominicanus, & sacræ theologiæ doctor, variis iisque præcipuis apud suos muneribus summa cum laude perfunctus. B Catholicæ fidei zelo flagravit, animarumque salutis sitientissimus fuit, cujus procurandæ studio etiam ante episcopatum missiones in Hollandiam ceterasque fœderati Belgii provincias hæretica lue infectas instituit: quas dum indefesso labore excoleret, ab Hollandis captus est, arctæque custodiæm ancipatus apud Hagam-Comitis, quam per annum integrum ac dimidium tenuit. Mirum quot calumnias, irrisiones, opprobria, ærumnas hîc perpessus est Ophovius! sæpissime etiam de fide ac legitimo in principem obsequio ejurandis tentatus, victor semper exstitit, & duos hæreticorum insignes ministros, de falsitate doctrinæ C divinique verbi corruptela post crebras disputationes strenue convicit. Libertati tandem restitutus, sedis hujus antistes designatur an. 1625. Isabellæ-Claræ-Eugeniæ Belgii moderatricis & Philippi IV. Hispaniarum regis nominatione,
1626. tum anno subsequenti, pontificio diplomate confirmatus, solemniter inauguratur Antuerpiæ in cathedrali beatæ Mariæ basilica 17. Sept. Jacobi Boonen Mechliniensis archiepiscopi ministerio, coadjuvantibus Johanne Maldero Antuerp. & Antonio Triest Gandav. præsulibus. Festivo dein apparatu sub finem mensis Octobris Silvamducis subiit, & summo concivium suorum applausu ex- D ceptus est; omnia regularis disciplinæ exercitia (quantum licuit) cum pastorali sollicitudine conjunxit, nihil de prioris vitæ instituto remittens, mensa ei frugalis, profusa in egenos liberalitas, summa denique fuit erga gregem suum vigilantia: neque contentus ovium sibi creditarum utilitati consulere, aliarum etiam in Hollandia, Holsatia, Dania, Norwegia, Suecia, ceterisque Septemtrionalibus plagis errantium saluti prospexit; quem in finem seminarium Missionariorum ordinis sui Antuerpiæ fundare cœpit, qui fidem Catholicam in hisce regionibus prædicarent ac foverent, jamque aliqui e suis inde ad missionem E profecti maximos animarum fructus reportaverant, cum civitas Buscoducensis acri exercitus Batavici obsidione cincta ad deditionem tandem (uti jam diximus) facta prius conventione compulsa est anno 1629. 14. Septembr. regiminis præsulis Ophovii quarto, hinc pius antistes prævio crucis vexillo in exsilium e civitate sua pulsus una cum canonicis, clero ac religiosis, omnia episcopatus instrumenta, cum plerisque ornamentis ecclesiæ cathedralis, statuis æneis ceterisque mobilibus pretiosis ad metropolitanam Mechliniensem

A ecclesiam custodienda deposuit. Interim vero gregem suum Lyra atque Antuerpia, quo mœstus secesserat, pro viribus, opportune & importune consolari ac fovere ad finem usque vitæ non destitit, aliquando etiam (occulte tamen ob metum hæreticorum) diœcesim visitans. E terreno tandem exsilio ad cœlestem patriam (uti sperare fas est) migravit Liræ die 4. Novemb. an. 1637. 1637. ætatis suæ 66. unde cadaver ejus Antuerpiam delatum, sepulturæ traditur in choro ecclesiæ PP. Dominicanorum (ejus potissimum diligentia exstructo,) juxta aram majorem ad lævam, ubi visitur statua lapidea ad vivum ipsum repræsentans, & in genua ante imaginem Deiparæ procumbens, cui tale appositum est epitaphium:

D. O. M.
Fr. MICHAEL OPHOVIUS
Ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ doctor,
quem
Conventus hic quarto priorem;
Belgium provincialem,
Sylvaducis patria VI. antistitem vidit;
Sub hoc lapide jacet.
Obiit anno MDCXXXVII. IV. Novembris.
Requiescat in pace. Amen.

Symbolo utebatur: *Luce & fructu.* Ipsum pro funere laudavit Hyacinthus Choquetius ejusdem ordinis doctor theologus in academia Duacena oratione typis postea edita. Porro probaverat Ophovius historiam miraculorum B. Mariæ Silvæducensis, ab Othone Zoilio Societatis Jesu presbytero conscriptam, cujus imago sacra post captam urbem ex æde primaria Silvæducensi solemniter Bruxellas translata, primum in templo divi Gaugerici, postea in abbatiali Frigidi-Montis ecclesia reposita fuit, ubi nunc magno in honore habetur.

VII. JOSEPHUS.

DE BERGAIGNE.

Septimus ac postremus Silvæducensium episcopus fuit Josephus a Bergania origine Italus, patria Antuerpiensis, professione Minorita, legationibus amplissimis, quas felicissime obivit & gravissimis, quæ prudentissime tractavit, negotiis, toto orbe notissimus, de quo jam fuse diximus in Cameracensibus archiepiscopis: cetera quæ ad episcopatum ejus Silvæducensem spectant, hîc tantum percurremus. Regia Philippi IV. nominatione ad hanc ecclesiam evectus anno 1637. 1637. *al.* 38. & ab Urbano VIII. summo pontifice confirmatus, solemni ritu Bruxellæ pontificalibus infulis ornatur die 27. Octobris anni 1641. in 1641. ecclesia F F. Minorum Recollectorum a Jacobo Boonen archiepiscopo Mechliniensi, cui in re sacra coadjutores erant Antonius Triest Gandavensis & Gaspar Nemius Antuerpiensis antistites; sed occupata per Batavos Silvaducis, rebusque sacris & publico Catholicæ religionis exercitio prorsus interdictis, pontificalia ibidem exercere haud ipsi licuit, sed neque quo dignitatem suam sustineret habuit, bonis episcopalibus post decessoris obitum fisco addictis. Unde ipsi quotannis ex abbatia Tongerloensi episcopatui quondam unita pensio congrua suppeditabatur.

ANNI CHRISTI

Tandem retenta hujus ecclesiæ administratione A creatus est archiepiscopus & dux Cameracensis anno 1645. cujus sedis possessionem cepit per procuratorem, at ea nondum salutata, legatus a Philippo IV. Hispaniarum rege Monasterium Westphalorum mittitur, ut pacem ipsum inter & fœderatos Belgii ordines conciliaret: cui negotio dum totis viribus allaborat, icto necdum

1647. fœdere, moritur anno 1647. 24. Octobris & sepelitur apud Franciscanos in eadem urbe, cujus corpus a suis summis precibus expetitum, tandem ad natale solum longo post tempore translatum est, & in choro PP. Minoritarum Antuerpiæ honorifice conditum an. 1663. 18. Septemb. B Ambrosio Capello Antuerpiensi episcopo exsequias celebrante, & capitulis, tum cathedralis ecclesiæ, tum collegiatæ S. Jacobi, magistratu civitatis, & castri Antuerpiensis gubernatore, necnon patribus totius nationis Belgicæ ex observantia Franciscana assistentibus.

Symbolum ipsi erat: *Fortiter & mansuete.* Vide ejus epitaphium in archiepiscopis Cameracensibus.

Defuncto Josepho nullus hactenus datus est successor, eo quod civitas, itemque majoratus Silvæducensis, diœcesis hujus pars præcipua, Batavorum dominio cesserint, ab an. 1648. ex quo tempore ecclesiastici proventus fisco fuere addicti, & quæcumque supererant virorum monasteria aut canonicorum collegia, per totum Silvæducensem majoratum decreto statuum Hollandiæ exstincta sunt, ecclesiastici dimissi, publicumque avitæ religionis exercitium ubique suppressum, substitutis in qualibet parochia ministris hæreticis, quibus portio congrua ex occupatis ecclesiarum proventibus assignata fuit. Res interim catholica, ne funditus periret, vicariis generalibus seu apostolicis credita est, per quos deinceps clero plebique catholicæ in spiritualibus consultum fuit. Horum seriem hic attexere operæ pretium duximus.

VICARII GENERALES, *seu* APOSTOLICI SILVÆDUCENSES.

I. HENRICUS vanden Leemputte doctor theol. Lovan. Buscoduci natus, canonicus C graduatus & archidiaconus ecclesiæ cathedralis, sede vacante, constituitur vicarius an. 1647. immediate post ultimi præsulis decessum a canonicis capitulariter congregatis, quorum plerique supererant variis in locis exsulantes, proventibus tamen præbendarum annuis, vita durante, gaudentes; quod munus, occulte quidem ob metum hæreticorum, conniventibus tamen ordinibus Batavis, strenue gessit usque ad annum circiter 1657. quo septuagenarius e vivis ereptus est.

II. Judocus Houbraecken patria Geldorpiensis (qui pagus est diœcesis Silvæducensis) sacræ theologiæ licentiatus in academ. Lovan. canoni- D cus graduatus & scholasticus ecclesiæ Antuerpiensis, ac ibidem, sede vacante, vicarius generalis, idem munus aliquandiu pacifice gessit in diœcesi Silvæducensi, electus an. 1658. 2. Aug. a quinque canonicis superstitibus & capitulum cathedrale repræsentantibus, ad quos solos ex sacrorum canonum dispositione jurisdictio episcopalis, sede vacante, devoluta erat: verum anno 1662. jus capituli Silvæducensis in controversiam vocatum est a curia Romana, noluitque Alexander VII. Romanus pontifex curam hujus diœcesis penes capitulum illud amplius manere, reservato sibi in posterum sedique apostolicæ vicariatu, quem E & apostolicum reddidit, ac proinde Judocum a collata sibi jurisdictione summovit, quam eodem anno administrandam contulit vicino Ruræmundensi episcopo, & eo abdicante an. 1666. Johanni Hubenio pastori Mollensi, cui ad tempus vicariatus administratio demandata fuit ab internuntio apostolico in Belgio.

Judocus interim nullum non movit lapidem ut delatam sibi potestatem tueretur, ast irrito conatu, causamque suam judicio tandem Pontificis permisit, a quo supplex vicariatum oravit & exoravit, cum prius nulla amplius esse jura cleri aut capituli Silvæducensis agnovisset. Quo munere deinceps functus est ad annum 1681. quo vivere desiit Antuerpiæ, die 20. Maii, sepultus in ecclesia cathedrali ad sinistram chori, ubi sequens legitur epitaphium columnæ affixum & marmori incisum.

Vox posthuma
Rev. Ampliss. ac eruditiss. viri ac D.
JUDOCI HOUBRAECKEN
Mortui XX. Maii MDCLXXXI.
Quis vivus fuerim, a mortuo accipe.
Lovanii
Quondam Philosophiæ & Eloquentiæ professor,
Uti & sacræ theologiæ licentiatus,
Antuerpiæ
In cathedrali canonicus,
In urbe scholasticus,
In diœcesi vicarius,
Romæ
Ita gratus, ut me protonotarii
Apostolici titulo insignitum
Sancta sedes generalem & apostolicum
Silvæducensis episcopatus vicarium
Constituerit.
Sed qui dixi, docui, & præfui,
Hic conditus sum & in pulverem reversurus.
Alloquentem sistebant
Johanna-Maria van Santvoort uterina soror
Consepulta 1. Martii MDCLXXXII.
Justus Sannen nepos, hujus ecclesiæ
Presbyter & canonicus
R. I. P.

Scripsit Judocus opuscula quædam, scilicet dissertationem de Iride inversa, de sanctitate sacerdotii, & Philippi IV. Hispaniarum regis orationem funebrem a se eloquenter habitam.

III. Eugenius Albertus d'Allamont episcopus

Ruræmundensis vicariatum apostolicum episcopatus Silvæducensis sibi ab Alexandro VII. demandatum anno 1662. tenuit ad annum 1666. quo traductus ad Gandavensem sedem abdicavit. De eo vide in episcopis harum sedium.

IV. Johannes Hubenius pastor & archipresbyter Mollensis ejusdem diœcesis municipii in Campinia Brabantina, vicariatus administrator fuit ab internuntio apostolico nominatus ad tempus. Decessit anno 1677. in choro ecclesiæ suæ parochialis tumulatus cum hac inscriptione.

Hic Jacet

Admodum reverendus dominus
Johannes Hubenius S. T. bacal. form.
Pastor in Mol egregius,
Episcopatus Sylvæducensis vicarius generalis,
Qui dedit munifice decorem huic ecclesiæ,
Venerabili honorem,
Bona pauperibus,
Mensam hospitibus,
Consilium cunctis,
Vitam ovibus,
Animam Deo,
Qui vixit annos LXII. denatus anno 1677.
R. I. P.

V. Guillelmus Bassery Bruxellensis, J. U. licentiatus & canonum professor regius in academia Lovaniensi, necnon canonicus ibidem ad divi Petri ædem, vicarius generalis & apostolicus designatur ab Innocentio XI. Pontifice an. 1681. inde Brugensis episcopus, ubi de eo vide.

VI. Martinus Steyaert Somerghemii Flandriæ pago natus, sacræ theologiæ doctor celebris & professor regius in academia Lovaniensi, primum canonicus theologalis ecclesiæ cathedralis Iprensis, inde insignis ecclesiæ collegiatæ divi Petri Lovanii canonicus & decanus, necnon librorum censor & apostolicus ejusdem academiæ privilegiorum conservator, ad vicariatum Silvæducensem præter exspectationem suam promovetur ab Innocentio XII. an. 1691. quam diœcesim provide gubernavit, lustravit frequenter, ipsam Silvamducis ingressus, facta sibi prius per Batavos potestate, plura clero suo salutaria sanxit, habitasque ab antecessoribus episcopis synodos recudi curavit & notis illustravit, multaque alia scripsit, quibus perennat ejus memoria. Defecit

A Lovanii an. 1701. 17. Aprilis annos natus 55. multo sui relicto desiderio, & pauculis, quæ sibi post largas eleemosynas supererant, in pauperes piasque causas testamento erogatis. Terræ mandatur in ecclesia sua divi Petri Lovanii ante chori introitum sub lapide sepulcrali a se vivente posito, cum adjuncta hac epigraphe.

Deo Opt. max.

Martinus Steyaert Somerghemius,
sacræ theologiæ
Doctor & professor, collegii majoris præses;
Vicarius generalis & apostolicus diœcesis Silvæduc.
B *Hujus eccles. canonicus & decanus,*
Privileg. academic. conservator,
Hunc lapidem renovati pavimenti primum;
Sibi supremum
Posuit an. Domini CIƆ. DC. XCIX. æt. LIII.
Obiit XVII. Aprilis CIƆ. DCCI.
Requiescat in pace.

Defuncto parentavit oratione typis edita Martinus Harney ord. FF. Prædicatorum, sacræ theologiæ doctor & facultatis professor in eadem academia Lovaniensi.

C VII. Petrus Govaerts Turnhautanus, juris utriusque doctor & sacræ theologiæ licentiatus in academia Lovan. cathedralis ecclesiæ Brugensis pluribus annis canonicus, inde, permutatione facta, in templo collegiato D. Petri Lovanii canonicus & scholasticus, in supremo Belgii senatu apud Mechliniam consiliarius ecclesiasticus, necnon archiepiscopi ejusdem urbis vicarius generalis & judex synodalis, vicariatu tandem apostolico diœcesis Sylvæducensis cohonestatur a Clemente XI. sub finem anni 1701. quod munus summa cum laude gessit, diœcesim quotannis visitando usque ad ipsam urbem Silvamducis. Mortalitatem D explevit 17. Septemb. anni 1726. Varia publici juris fecit opuscula a se conscripta, inter quæ est *certamen immunitatis ecclesiasticæ & juris regii* contra quosdam sacerdotes Belgii jurisdictionem ecclesiasticam excutientes, item varia juris motiva. Ei porro successorem Pontifex Romanus designaverat Franciscum van Raust ordinis S. Dominici alumnum, sed mox ut Flandriam attigit, fato functus est die 31. Maii an. 1727. hora septima post meridiem.

DECANI ECCLESIÆ CATHEDRALIS SILVÆDUCENSIS.

I. Adamus de Mierd, cujus sollicitudine & opera capitulum Silvæducense erectum fuit. Is vivente adhuc uxore, ac de ejus consensu, duas fundavit domos hospitales, unam pro 13. viris, alteram pro totidem mulieribus senio confectis: elata vero conjuge, ex scriba civitatis factus est sacerdos & plebanus ecclesiæ sancti Johannis Evangelistæ, ac postea primus decanus an. 1366. Ejus memoria adhuc in benedictione est.

II. Godefridus de Curia decanus an. 1412. Fuit insuper pastor in Oosterheyn prope Lovanium, canonicus Nivellensis & cantor Lovaniensis ecclesiæ, fundavit monasterium de Bethleem canonicorum regularium juxta Lovanium.

III. Petrus Crom decanatum obtinebat anno 1434. quo tempore cœnobium S. Brigittæ exstrui cœptum est ad Aquas-Frigidas prope Silvamducis, cui fundationi cum se opposuisset una cum suo capitulo, pœnitentia postmodum motus, dignitate sua cessit, & in prædictum cœnobium secedens

cedens, regulam professus est, factus deinde prior, etiam a confessionibus monialium fuit ejusdem conventus, *ita Wichmans in Brabantia Mariana, pag. 876.*

IV. Johannes van de Straeten præerat anno 1469.

V. Guillelmus Enckevortius natus in Mierlo in tractu Silvæduc. S. R. E. cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli, episcopus Derthusanus, dein Ultrajectensis, Adriano VI. Pontifici & Carolo V. Cæsari percarus. Fuit præpositus ad S. Salvatorem Ultrajecti, & S. Rumoldum Mechliniæ, canonicus Antuerpiensis, Romæ cum versaretur canonicorum omnium calculis in decanum assumitur an. 1519. Vicarium suum constituit Gerardum Naetsium canonicum Silvæducensem. *Ita Wichmans in Brab. Mariana, pag. 371.*

VI. Michaël Lombaert ab Enckevoort superioris ex sorore nepos, avunculo abdicanti successit, præposituram insuper obtinuit & archidiaconatum ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris Ultrajecti, fuit & canonicus in ecclesia cathedrali Leod. & archidiaconus Campiniæ, obiit anno 1556. cal. Maii.

VII. Johannes II. Reyneri, Werthæ in Geldria ortus, decanus erat Sylvæducensis ecclesiæ an. 1560. quo e vita migravit. Fuerat antea professor in pædagogio Castri & præses collegii Trilinguis apud Lovanium, necnon canonicus ad S. Donatianum Brugis. Ejus tempore capitulum S. Johannis collegiatum erectum est in cathedrale.

VIII. Godefridus II. de Doirn decanus anno 1562.

IX. Lucas Dielens Werthanus, juris utriusque licentiatus, interfuit an. 1570. concilio provinciali Mechliniæ. Decessit an. 1575.

X. Philippus de Spina decanus Silvæducensis, moritur an. 1579. fundatis aliquot bursis in academia Lovaniensi, relicto cum in finem personatu suo de Schyndel, ex quo decimæ in hodiernum usque diem cedunt facultati theologicæ Lovaniensi.

XI. Gisbertus Coeverinx Oderodæ Silvæducensis tractus municipio natus, sacræ theologiæ licentiatus, ex pastore Offensi, dein canonico & archidiacono factus decanus, an. 1592. designatur episcopus Daventriensis, exstinctus circa annum 1615.

XII. Johannes III. Hermans, ultimus decanus an. 1629. quo civitas Buscoducensis in potestatem Fœderatorum ordinum venit. Anno sequenti factus est decanus ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi Lovanii, ac paulo post obiit.

DE VETERIBUS DIŒCESIS SILVÆDUCENSIS MONASTERIIS.

I. CORONA B. MARIÆ, vulgo *Marien Croon*, ordinis Cisterc. monasterium, situm erat juxta Heusdenum in finibus Brabantiæ & Hollandiæ, olim sub archiepiscopatu Ultrajectensi, nunc vero sub episcopatu Sylvæducensi. Initium habuit circa annum 1338. beneficio Mechtildis de Riede, Herberni militis viduæ, ejusdemque capituli Heusdeni fundatricis, quæ in vico de Heesbeen, monialibus vocatis ex Cisterciensi cœnobio, cui nomen *Ten-Dael*, in Trajecto inferiore, locum novellæ plantationi inducendæ concessit. Dehinc ab hoc cœnobio recedentibus monialibus, orta est abbatia virorum an. 1382. loci fundum præbente Alberto Bavariæ duce, Hollandiæ comite, &c. statimque conventum in urbem Heusdensem translatum ædificavit, largiterque dotavit Willelmus de Croonemburg miles, Heusdensis castellanus, primis monachis a Guillelmo de Colonia abbate Veteris-campi, prope Gelriam obtentis. Unde elegans fundationis chronicon in Psalmis:

4. 12. *BenedICes Coronæ annI benIgnItatIs tVæ,*
& CaMpI tVI repLebVntVr Vbertate.

Hoc autem monasterium abbatiæ titulo claruit usque ad annum 1421. quo tristis illa contigit septuaginta duorum pagorum prope Dordracum inundatio die 7. Julii, ruptis ab impetu maris aggeribus inter Dordracum & Gertrudisbergam. Hoc fato redditus cœnobii tantopere sunt imminuti, ut Johannes de Goch quartus abbas consulto dignitatem suam ad manus Johannis a Bottenbroeck abbatis Veteris-campi reposuerit; unde an. 1426. feriis S. Viti ex abbatia prioratus evasit. Quinetiam monachi, propter civilia bella, quæ Belgium seculo XVI. devastarunt, capta ab Hollandis urbe Heusdena, Sylvamducis recessere; qua itidem succumbente anno 1629. etiam prioratus desiit; remanente tamen aliquandiu priore aliquo titulari, ut ex sequenti serie constabit.

PRIORES ET ABBATES Heusdeni Cœnobii.

I. GUILLELMUS DE WISSE ex monacho Veteris-campi primus abbas, egregius & constans peculii sacri, contra heredes fundatorum, defensor.

II. Wernerus Saxo, promotor & testis gerontocomii duodecim pauperculorum in urbe Heusdena fundati.

III. Thomas de Geldria.

IV. Johannes I. de Goch ex abbate Heusdensi factus an. 1423. abbas Veteris-campi.

V. Johannes II. Martini, primus prior an. 1426.

VI. Everardus de Goch secundus prior anno 1439. cujus industria fundatus est prioratus Doncæ-Marianæ, vulgo *Mariendonck*.

VII. Cornelius Nicolai de Velt.

VIII. Johannes III. Theodorici, *Jacobus* a Grammaio vocatur.

IX. Lambertus de Gorichem.

X. Franco de Langel 1570. cujus tempore facta est unio prioratus Doncæ-Marianæ cum hoc prioratu Coronæ-Marianæ.

XI. Ludovicus de Rosné, *al.* de Rosevali, sacræ theologiæ licentiatus, ex abbatia Camberonensi assumtus, cum suis exsulavit Silvæducis, quibus præfuit circa an. 1596.

XII. Johannes IV. Farinart sacræ theologiæ doctor in academia Duacena, designatus est prior Coronæ-Marianæ anno 1596. inde paulo post renuntiatus prior Camberonensis, ubi monasticen fuerat professus: demum abbas ibidem ab anno 1614. usque ad 1635. quo defunctus est.

XIII. Rolandus Schotte ex abbatia Villariensi assumtus in *confessarium* monialium prioratus de Muysen Mechliniæ, hinc factus ultimus prior titularis Coronæ-Marianæ, obiit circa an. 1636.

II. BINDRIUM quod & Locus-Imperatricis dicitur, & aliquando Helmonda, vulgarius *Binderen*, vetus erat nobilium puellarum ordinis Cisterciensis abbatia, horæ quadrante ab Helmonda oppido dissita, cujus fundationem anno 1231. miraculo tribuunt; sicque rem narrant. An. 1231. Maria imperatrix, Henrici I. Brabantiæ ducis filia, & Othonis IV. Cæsaris anno 1218. defuncti vidua, in dotem ac partem hereditatis suæ acceperat Helmondam, antiquum ac munitum districtus Silvæducensis oppidulum, cum terris adjacentibus, ibique locum habitationis suæ elegerat. Cum die quadam mulo insidens venationi indulgeret, circa fluvium Aa in loco paludoso, jumentum fræni impatiens in paludem præceps agebatur, jamque simul cum insidente, non sine certo suffocationis periculo, incipiebat subsidere. Tunc ergo, inquiunt, Imperatrix vitæ anxia monasterium se eo loci beatæ Mariæ Virgini constructuram vovet, si incolumis evadat. Evasit protinus, sed neque ejus vana fuit promissio. Commissum est autem curæ Villariensis abbatis an. 1246. unde cum hujus loci moniales liberius viverent, Dionysius a Zeverdonck abbas Villariensis eas in ordinem redegit, nova ex Valle-Ducis, loco defunctæ, abbatissa instituta circa 1540. adjuvante Maria Hungarica Caroli V. imperatoris sorore, Belgarum gubernatrice, ut in chronico Villariensi fusius narratur. Deinde gravissima etiam in suis bonis temporalibus damna pertulit monasterium, ab Iconoclastis an. 1566. ab Anglis & Scotis 1571. ac denique an. 1588. a comite Holachio devastatum. Substitit tamen ad annum circiter 1648. quo emortuis monialibus, bonisque ad hæreticos dilapsis, penitus exstinctum est.

Quatuor tantum deprehendimus abbatissas, ex quibus tres primæ dicuntur ex abbatia Vallis-ducis assumtæ.

Prima est Catharina Brissaert, qua, ut videtur, per abbatem Villariensem inducta, omnes præter unam abscessisse dicuntur sanctimoniales.

Secunda Philippina de Bie.

Tertia Magdalena de Muysen.

Quarta Margareta van Kessel, abbatissa circa an. 1580. & 1620.

III. IN vico de Neder-wetten, altero lapide ab Helmonda, districtus Silvæducensis oppido, videbatur olim insigne monasterium canonicarum Regularium ordinis S. Augustini, Hoydoncanum nomine *(de Hoydonck)* situm ad ripam Dommelæ fluvii; nobilium virginum domicilium, ejusdemque plane instituti, ac Dononiensis canonicarum abbatia, vulgo *Denaing*, secundo lapide a Valencenis Hannoniæ urbe. Sua porro initia debet Leoni cuidam canonico Regulari Rodensi in ducatu Limburgensi, qui an. 1144. obtenta a superioribus discedendi licentia, in Taxandriam venit, ibique ædiculam ligneam exstruere cœpit in loco, cui nomen *Hooghe-donck*, quasi dicas *Palus elevatior*, & per corruptionem *Hoydonck*. Qam quidem ecclesiolam, triennii spatio absolutam, an. 1148. in honorem Dei-paræ sanctique Johannis Evangelistæ consecrari curavit a Philippo comite de Catzenelleborghen episcopo Osnabrugensi. Quin & inchoavit ibidem cœnobium monialium, S. Augustini regulam & Rodensis abbatiæ statuta sectantium, cooperantibus ac dotantibus fratribus suis, quos Augustinus Wichmans in sua Brabantia Mariana vocat nobiles de Stakenborch, simulque asserit tres filias illius familiæ primas fuisse ejusdem cœnobii moniales. Cura vero spiritualis & jus visitandi ejusdem Hoydoncani cœnobii ab initio fuit penes abbates Rodenses, qui unum e suis cum titulo prioris præficiebant, alium vero destinabant ad curam pastoralem pagi de Nederwetten, cujus olim dominium spectabat ad Hoydoncanam antistitam. Hinc abbas Rodensis Theobaldus an. 1301. in visitatione abbatiæ Hoydoncanæ constituit, ut ob loci paupertatem, multaque debita, nonnisi viginti moniales deinceps admitterentur. Ceterum lapsu temporis in hoc cœnobio Hoydoncano religiosæ disciplinæ fervor prope erat exstinctus, & moniales, quæ nonnisi claris ortæ natalibus assumebantur, communem vivendi & cohabitandi rationem jam ferme excusserant, ut similem canonicabus Nivellensibus, aut Montensibus vitam ducerent. Adfuere tamen propria remedia, indicta scilicet an. 1544. auctoritate Caroli V. Cæsaris visitatio cœnobii per abbatem Rodensem & Carolum Serrarium sacræ Cæsareæ majestatis consiliarium, qui una præscripserunt nova statuta deinceps a monialibus observanda, ut scilicet in communi viverent, vescentes in eodem refectorio, in eodem claustro dormientes, & ex communi massa recipientes necessaria. Verum occasione incensi monasterii an. 1564. die 21. Julii, hæc statuta, quæ aliqualiter hactenus servabantur, neglecta fuere, neque ultra potuit communis vita ibidem retineri; tandemque monasterium anno 1659. penitus exstinctum fuit decreto Fœderatorum Belgii ordinum, qui ab an. 1648. totius majoratus Silvæducensis absolutum dominium per sancitam pacem Monasteriensem obtinuerant. Tunc alimentorum attributio facta monialibus Hoydoncanis, quæ paucæ supererant, ipsique ultimæ abbatissæ Agneti de Pollaer, quæ diem extremum obiit Liræ in Brabantia die 19. Martii 1663. ætatis anno 55. sepulta in medio sacelli B. Mariæ Virg. in Duffel.

IV. Clarissæ, dictæ Urbanistæ a regula per Urbanum IV. approbata, conventum habuere Silvæducis in platea de Hinthamer, fundatum a viro nobili Willelmo de Busco, Gerlaci filio, toparcha de Erpe, qui castrum suum cum bonis pluribus huic fundationi deputavit per testamentum an. 1335. conditum. Coadjutorem in hoc pio opere habuit Theodoricum de Hoorne, Craeneburgi dynastam, qui templum an. 1344. exstruxit. Primæ moniales Colonia Agrippina evocatæ venerunt an. 1359. atque olim Franciscanis, dictis Gaudentibus, postmodum vero reformatis erant subditæ. Sed urbe Silvæducensi Batavis tradita, conventus hic desiit, aut forte post varias mutatas sedes adhæsit Mechliniæ.

B. MARIA *ad* AQUAS-FRIGIDAS, *vulgo* Cauwaeter.

V. Brigittina utriusque sexus abbatia juxta Silvam-ducis, fundatur a domina Milla de Campen an. 1434. quæ post habitum illic susceptum, facta est etiam abbatissa loci; primi vero monachi, itemque sanctimoniales advenere ex urbe Bisontina, uti etiam ex hac abbatia processit Mariæ-thronus, abbatia ejusdem instituti in urbe Teneramunda. Anno 1566. hoc monasterium furore Iconoclastarum incensum atque direptum periit, unde translatum fuit ad urbem Silvæducensem, qua Batavis reddita an. 1629. Brigittini recesserunt ad pagum de Hoboken juxta Antuerpiam; Brigittinæ vero diu hæserunt in pago de Roosmaelen media circiter leuca a Silvaducis, ibique exiguum habebant monasterium, tolerantibus Statibus fœderatis, data ingenti pecuniarum summa prætoribus, ut ab omni vexatione abstinerent. Verum an. 1712. decreto Statuum domus illa occupata fuit, spoliata atque divendita, & moniales in diversa loca dispersæ.

Abbatiæ in hac diœcesi perseverantes.

Ord. Præmonstrat.

Tongerloa, *Tongerlo.*
Berna, *Berne.*
Postula, *Postel.*

TONGERLOA, *seu* TONGERLETUM.

Tongerlo. Insigne est ordinis Præmonstr. monasterium sub patrocinio S. Mariæ, in Campinia Brabantiæ, diœcesis olim Camerac. nunc Silvæducensis, ab cujus primaria civitate 15. milliaribus distat, Herentalium inter & Arschotum Brabantiæ urbes positum, tertio fere ab hac milliari, & ad Austrum fluviolo *de Wimpe* irrigatum. Fundatur autem in vasta quadam solitudine anno saltem 1133. a quodam ruricola prædivite, nomine Giselberto, qui se suaque Domino devovens, illic conversorum habitum sumsit, & obiit 2. Decemb. ex necrol. S. Justi Bellovacensis, ubi sic memoratur: *2. Decembris Giselberti fundatoris Tongerloensis & ibidem conversi.* Sane hoc anno Burchardus episc. Cameracensis, rogatu

A B. Waltmanni I. abbatis S. Michaëlis Antuerpiensis, & S. Bernardi Claravallensis, hanc ecclesiam libertate donavit, litteris datis, quas vide inter instrumenta. Unita fuit postmodum hæc abbatia episcopatui Silvæducensi a Pio IV. summo pontifice, an. 1560. qua ratione ea potiti sunt Franciscus Sonnius & Laurentius Metsius episcopi Silvæducenses; verum tempore & assensu Clementis Crabeelli tertii ejusdem sedis antistitis, sejuncta est ab episcopatu an. 1590. certa dote annua in perpetuum episcopo assignata. Exinde nihilominus tam celebris facta, ut hodie centum & quinquaginta canonicos, sive in ipso cœnobio, B sive in pastoratibus alat, foveat & in sinu suo complectatur. Hæc autem tum jam dicta, tum dicenda ex historia in primis hujus monasterii edita collegimus. Ch. 1. col. 407. Mir. nova edit. pag. 913.

Series Abbatum.

I. Henricus I. S. Norberti socius & adjutor in expugnanda Tanchelini hæresi, ex abbatia S. Michaëlis Antuerp. eductus est cum octo sodalibus ad incolendam Tongerloam anno 1133. quo nomen ejus præfigitur cuidam chartæ apud Mir. novæ edit. pag. 686. Ad ejusdem preces anno circiter 1150. Godefridus C III. dux Brabantiæ advocationem abbatiæ suscepit, ut ibidem legere est, pag. 536. Henricus autem obiit hoc anno IV. calend. Octob. hoc est 28. Septemb. *al.* 22.

II. Hubertus I. an. 1158. indict. VII. donationis allodii de Esschen, factæ a Bernero de Reseberga viro nobili, confirmationem accepit a Godefrido III. Brabantiæ duce. Eidem Rainaldus archiep. Coloniensis privilegium concessit anno 1164. Cujus quoque temporibus inita est societas spiritualis Tongerloenses inter & canonicos S. Servatii Trajectensis. Decessit 1167. die 7. Decemb. *al.* Octob. & Novemb. *Ibid. pag. 828.*

D III. Wipertus nobili genere natus, multa secum e paternis bonis cœnobio Tongerloensi contulit, cujus deinde tertius abbas effectus est. Ipsius tempore Ludovicus abbas Epternacensis, de consensu fratrum suorum, Tongerloensibus concessit jus patronatus ecclesiæ parochialis de Alphen, & cum iisdem precum iniit societatem. Vivere desiit an. 1178.

IV. Hermannus an. 1183. Godefridum Lotharingiæ ducem beneficum expertus, an. 1186. diploma pontificium accepit ab Urbano III. quo monasterii possessiones ac privilegia confirmantur. Obiit circa 1206. *Ibid. pag. 550.*

E V. Henricus II. regebat an. 1207. quo duæ parochiales ecclesiæ, Happaert & Hoogeloon, in diœcesi Silvæducensi monasterio accesserunt.

VI. Engelramus, abbas sextus obiit an. 1210. ex Grammaio.

VII. Wenemarus abbas septimus, cui Henricus præpositus S. Servatii Trajecti ad Mosam anno 1211. parochiales ecclesias de Ravels & Poppe contulit. Abdicavit paulo post, ut liquet ex ejus chirographo in quodam cum sequenti abbate negotio, quod sic est: *Wenemarus quondam abbas.*

VIII. Salomon præerat 1213. & 1219. quo anno capitulum S. Johannis Leodiensis ecclesiam S. Martini de Fenaco, vulgo *Viscenaecken*, prope Thenas ei concessit. Mortalitatem exuit anno 1222. & quidem nonis Januarii, ex necrologio Albæ-curiæ.

IX. Egericus an. 1223. jus patronatus trium ecclesiarum accepit ab Henrico Brabantiæ duce, & 1231. jus itidem patronatus ecclesiæ de West-Tilborg ab eodem serenissimo principe. Huic etiam abbati Gregorius IX. cœnobii jura & possessiones confirmavit. Demum exstinctus est an. 1233.

X. Johannes I. ex Averbodio sumtus, cui Reinerus Epternacensis abbas, annuente suo capitulo, dedit capellam de Diessem, quæ nunc est insignis ecclesia parochialis in territorio Sylvæducensi, cultu & miraculis sancti Villibrordi celeberrima. Eidem abbati an. 1238. Petrus de Fenaco S. Petri, vulgo *S.t Peeters Vissenaecken*, & Margareta ejus mater dederunt jus patronatus & administrationis ecclesiæ S. Petri in Fenaco prope Thenas. Anno 1241. Giselbertum militem de Tilborg munificum expertus est. Idem insuper an. 1253. soluturum se cathedrali capitulo Ultraject. annuum censum pro bonis acquisitis in Westerloo & Oëlen pollicetur. Denique obiit Johannes 1263.

Ibid. pag. 762.

Ibid pag. 424.

XI. Petrus I. an. 1264. ecclesiam S. Martini *in Rhetii* in campestri Brabantia accepit a Willelmo decano, totoque S. Martini Leod. capitulo. Diem suum obiit hoc anno.

XII. Franco, sub cujus regimine fundatur ecclesia de Roosendal ad honorem B. Mariæ Virg. an. 1266. e vivis excessit 1269.

XIII. Johannes II. de Berlaer, cui Arnoldus de Lovanio Bergarum & Bredæ dominus cum uxore sua Elisabetha contulit sexaginta bonaria in sylvis & myricis, sita inter curiam de Nulende & sylvam Templariorum. Mortem oppetiit 1286.

XIV. Guillelmus I. de Calstris, *al.* de Caldris nobilis Lovaniensis, an. 1288. cœnobii sui & ordinis causa Præmonstratum profectus, ibidem ultimum diem clausit XV. cal. Nov. 1291. ex Grammaio, sepultus in ecclesia sub lapideo sarcophago.

XV. Reynerus an. 1292. diploma consequitur a Johanne Brabantiæ, Limburgiæ & Lotharingiæ duce, quo Tongerloæ possessiones confirmantur. Fato functus est anno seq.

XVI. Arnoldus I. de Grimbergen an. 1297. similem bonorum confirmationem accepit a Johanne II. Brabantiæ duce. Sedebat autem jam an. 1294. quem mors sustulit 1299.

XVII. Godefridus de Herentaels, dictus *de Roest*, successit, cui familiaris admodum fuit & in monasterium beneficus Henricus Buten multiplici scientiarum genere conspicuus, Mechliniensis sacræ theologiæ doctor & publicus professor Parisiis, cantorque majoris ecclesiæ Leodiensis. Decessit Godefridus an. 1309. X. calend. Febr. ex necrol. S. Martini Laudunensis.

XVIII. Hubertus II. Back Tilburgensis e nobili stirpe Berthoutiorum an. 1309. in abbatem electus ex præposito, insequenti, jus patronatus &

A gubernationis ecclesiæ de Eickelberg in territorio Silvæducensi accepit a Johanne de Gemmert. Anno 1315. Henricus de Mierle & ejus filius Henricus Roovere dederunt Huberto abbati jus patronatus ecclesiæ de Mierlo prope Helmondam cum omnibus capellis in eadem parochia construendis. Vir tandem optimus dormiens in lecto suo de nocte a duobus ministris suis parricidali cæde jugulatur an. 1333. Homicidæ vero cum spoliis ex fuga retracti meritas sui sceleris pœnas dederunt in loco juxta cœnobium, qui etiamnum Het-Raybblock nuncupatur. Servatum est ad nostra usque tempora in ecclesia Tongerloensi

B descriptum cenotaphium in tabula e pariete pendulum, cujus hi sunt duo ultimi versus:

Mille trecentenos, sed & ter, ter quoque denis,
Dum Virgo scandit, obitum lux prævia pandit.

XIX. Henricus III. de Beckevoirt, *al.* de Beckevoort electus fuit XIX. abbas, sed minime confirmatus.

XX. Walterius Back ex nobili Berthoutiorum familia natus, an. 1345. mutuo dedit Johanni Brabantiæ duci magnam pecuniæ summam ad munitionem oppidi Lovaniensis contra Hunnorum invasiones. Interest anno seq. capitulo ge-

C nerali Præmonstratensi, in quo frater Philippus a Gandavo, canonicus Tongerloensis, constituitur dicti capituli syndicus, & procurator. An. 1356. emit a Philippo Polono milite curiam Ter-Elst in Dusséle, omniaque jura ei annexa, & quia feudalia erant dominis de Immerseel subjecta, Johanna Brabantiæ ducissa ab onere feudali illa absolvit ad petitionem ejusdem Walteri, quem in litteris suis vocat suum consiliarium & capellanum. Petrus quoque episc. Camerac. an. 1365. altare, personatum & jus patronatus ecclesiæ parochialis de Hersel prope Arschotum dono dedit Waltero & cœnobio Tongerloensi. Officio de-

D functus est Walterus an. 1368.

XXI. Egidius de Hildernisse S. Michaelis Antuerp. canonicus, eodem an. 1368. fundavit perpetuam capellaniam in Broechem sub onere trium missarum singulis hebdomadis. Obiit 1379.

XXII. Guillelmus II. de Comptich memoratur abbas 1390. & 1394. quo anno ad ejus petionem Johanna Brabantiæ ducissa solemnibus litteris omnes chartas & privilegia monasterii confirmavit. Obiit Guillelmus hoc anno, non autem 1390. uti legitur in historia episc. Buscoducensis, aut 1385. uti habetur apud Grammaium.

XXXIII. Johannes III. de Gravia an. 1395.

E obtinuit a Bonifacio IX. summo pontifice confirmationem omnium parochialium ecclesiarum Tungerloæ subditarum, earumque gubernationem. Fortasse vero idem est ac Johannes Rotselaer, quem reperimus abbatem hoc anno in annalibus ordinis manu exaratis, qui asservantur in bibliotheca S. Johannis Ambianensis. Ceterum cum an. 1400. Johannes Gravius Romam profectus esset ad universalem jubileum indictum a prædicto summo pontifice, primus abbatum omnium ord. Præmonstr. per totum Belgium jus mitræ & usum pontificalium impetravit. Is vero

domum suam reversus hoc ipso anno animam A suam Deo reddidit 19. Decembris.

XXIV. Johannes IV. Gerardi, Sichemensis sive a Sichenis, an. 1403. decimas parochiæ de Schaffen juxta Diesthemium cœnobio suo comparavit, insequenti profectus ad generale ordinis capitulum in abbatia Præmonstratensi. Anno 1405. novum claustrum, novumque dormitorium ædificavit. Delegatur 1408. a duce Brab. cum pluribus primariæ nobilitatis Trajectum ad Mosam pro componenda lite Trajectenses inter & Leodienses, occasione Johannis Bavari episcopi; quo etiam anno dux idem se monasterii advocatum contra quoscumque invasores constituit. B Anno 1409. mittitur Johannes ex parte Brabantiæ ad concilium Pisanum pro exstinctione schismatis indictum. Tum an. seq. Johannes pontifex Romanus ei de novo & successoribus ejus mitræ & pontificalium usum indulsit. An. 1411. cum Petro abbate Præmonstratensi Hortumconclusum B. Mariæ nuper erectum pro virginibus ord. Præmonstr. visitavit, in quem etiam a prædicto Petro jurisdictionem immediatam accepit. Idem anno 1414. ad Constantiense concilium legatus ab Antonio Brabantiæ duce missus est, eumque Johannes dux Brabantiæ an. 1418. in suam peculiarem protectionem suscepit; cui C pariter Philippus Bonus dux Brabantiæ immunitates ac privilegia confirmavit an. 1427. Moritur Johannes anno seq. ipsa die S. Magdalenæ, ad quam diem memoratur in necrologio S. Justi Bellovacensis: *22. Julii Johannis de Sichem abbatis Tongerloensis fundatoris collegii canonicorum Diestensium in Brabantia.*

XXV. Theodoricus ab Haren beneficio Philippi Boni Brabantiæ ducis exoneratur anno 1429. ab hospitalitate venatorum ejus & pluribus aliis. An. 1437. ei litteras dedit Eugenius IV. pro defensione decimarum Tongerloensium in Haren & in Belneren. Hoc etiam anno idem D Philippus Bonus abbati Theodorico privilegium pro emortuis fundis largitus est, & alterum 1443. constituendi videlicet scabinos septem in suo dominio de Sonder-Eygen sub parochia de Baerle: pie tandem mortuus est Theodoricus an. 1447. De quo addit auctor historiæ hujus monasterii publici juris factæ, magnis eum efferri laudibus a Philippo Bono in suis ad Johannem S. Michaëlis & Theodoricum Parci abbates, litteris, quibus eis præcipit, ut statim, si contingat mori abbatem de Tongerlo, eo se conferentes novi abbatis electionem celebrent. At siquidem genuinæ sunt hæ litteræ, vel alium abbatem Tongerloensem E spectare dicendum est, cum nondum essent abbates anno 1447. sive Johannes S. Michaëlis, sive Theodoricus Parci, quibus scriptæ dicuntur litteræ, vel certe obiit serius Theodoricus Tongerloensis.

XXVI. Henricus IV. de Vooren an. 1456. Diesthemii fundasse dicitur capitulum 13. canonicorum, fortasse tamen solum dotavit amplius, ex dictis supra in abbate XXIV. Additur etiam multas eum a commendatariis abbatibus passum esse difficultates, sed tandem a summo pontifice fuisse confirmatum. Obiit an. 1457. VII. idus Octobr.

XXVII. Henricus V. de Kemminagio defunctus est anno 1470. *al.* 1469. in vigilia Paschæ, pro vario scilicet modo initium anni ducendi.

XXVIII. Johannes V. de Kinschot ex nobili gente hujus nominis prope Turnhoutum oriundus, statim abbas eligitur; sed Ferricum de Cluniaco Cameracensis ecclesiæ canonicum, & protonotarium apostolicum, necnon postea Tornacensem episcopum æmulum passus est; qui quidem Principi carus, abbatia in commendam obtenta, Johannis electionem rescindi Romæ curavit. Haud diu tamen sua Ferricus victoria potitus est; id unum assequi visus, quod annua pensio mille florenorum ei solveretur. Verum neque huc adduci potuit Johannes, quanquam variis censurarum spiculis percussus, ut hanc ei pensionem solveret, aut Philiberto cardinali tit. S. Luciæ in Silice, seu Lucæ de Tollentis Sibinicensi episcopo, quibus ex ordine, huic scilicet a Philiberto, & Philiberto a Ferrico transcripta fuerat. Interim an. 1471. Sixtus IV. pontifex Romanus omnia Tongerloensis monasterii privilegia confirmavit, hoc in suis appellans litteris, *insigne, notabile, famosum.* Nec multo post tandem cum dictus Lucas Zebenicensis, *seu* Sibinicensis episcopus pro memorata pensione Johannem abbatem Tongerloensem urgeret, hic Romam querelas suas detulit ad Sixtum IV. pontificem, qui an. 1474. prædicta pensione abrogata, ipsum Johannem ad solutionem ejus non teneri, neque censuras incurrisse non solvendo, declaravit. Denique Johannes abbas naturæ debitum solvit an. 1477.

XXIX. Wernerus de Haller, statim ut mortuus est decessor, accedentibus ad monasterium Theodorico Parcensi, Bartholomæo Averbodiensi, Floreffiensi vicario generali, & Rogero Heylissemensi abbatibus, unanimiter electus est die 7. Jan. & a prædictis abbatibus institutus & confirmatus; pro cujus etiam conservatione adversus invasores commendatarios plurimum laboravit Maria Burgundica Caroli filia, Brabantiæ princeps hoc ipso anno inaugurata. Tum vero infulis abbatialibus Wernerus insignitus fuit an. 1478. & an. 1480. die x. Aprilis adfuit ostensioni reliquiarum S. Rumoldi. Deinde anno seq. ad ejusdem preces Sixtus IV. pontifex bullam indulsit contra perturbatores jurium quorumcumque tam spiritualium quam & temporalium abbatiæ Tongerloensis: quo itidem anno Wernerus impetravit a Maximiliano & Maria ducibus Brabantiæ litteras, quibus venatio quorumvis animalium, & piscatura libera, seclusis omnibus aliis, in dominio Tongerloæ Calmpthoutano confirmantur. Demum vir iste a primoribus patriæ multum desideratus, vivere desiit an. 1487.

XXX. Johannes VI. de Westerhoven, passim *pater pauperum* dictus, erga cœnobium virginum Herentalense munificus exstitit, cujus ope & auspiciis nova ipsarum ecclesia sumsit exordium. Hic senio gravatus, quæ pericula vacantibus abbatiis evenire solent, prævertere sollicitus fuit; quamobrem prævio sui conventus assensu, anno 1497. Petrum Mans de Westerhoven monasterii

Tongerloensis tunc præpositum in suum coadjutorem & successorem obtinuit ab Alexandro VI. summo pontifice. Obiit Johannes an. 1501.

XXXI. Petrus II. Mans de Westerhoven ex coadjutore abbas, decessit an. 1504.

XXXII. Antonius Tsgrooten, *al.* Isgroslen & Tranthet, Oosterwicanus patria, erat tunc præpositus S. Sulpitii Diestensis, jurisque pontificii licentiatus, quando confirmatus est abbas anno 1515. Hic licet humili loco natus, magno tamen animo fuit, nec utique arroganti, quippequi ut se memorem jugiter redderet patre fabro ferreo prognatum fuisse, soleas ferreas equinas in suis gentilitiis insignibus hinc inde voluit appendi. B An. 1511. cum soli Flandri difficultatem moverent pro collatione subsidii pecuniarii ad bellum Geldricum, missus est ad eos legatus, bisque ea de causa Gandavum profectus, eos ad contributionem feliciter induxit. Idem an. 1514. peculiarem exstruxit ecclesiam parochialem pagi Tongerloensis, intra ipsos cœnobii muros, B. Virgini & S. Annæ sacram, cum prius esset in ipsa navi ecclesiæ abbatialis. Hunc autem Johannes & postea Jacobus an. 1518. uterque ordinis Præmonstratensis abbas generalis, in pluribus participem suæ auctoritatis fecerunt, tanquam suum vicarium, C in variis etiam occasionibus cum plenitudine potestatis. Fuit etiam gratus admodum Carolo V. qui non semel eum publice laudavit ob servitia sibi & patriæ fideliter præstita. Unde quamvis Carolus vacantium in Belgio abbatiarum nominationem sibi vindicaret, facultatem nihilominus ei concessit eligendi sibi coadjutorem & successorem; quinimo ea de causa ipse Carolus ad Pontificem litteras scripsit. Itaque anno 1522. Adrianus VI. Antonio abbati coadjutorem dedit Johannem[a] Huberti Huysman licentiatum in decretis, & eo mortuo Clemens VII. novum ei coadjutorem indulsit 15. Apr. an. 1526. Arnoldum Steyters pastorem in Roosendael, & in de- D cretis baccalaureum. Inter hæc Antonius litterarum amator nullis sumtibus pepercit, ut sui in omni disciplina versatissimi evaderent. Bibliothecam constituit, aula amplissima, vestibulo, pulpitis, scalis ac porticibus regio sumtu a fundamento exstructis. Stupendam quoque illam basilicam, qualis nunc cernitur, maxima ex parte ædificavit. Verum iste multo sane majorem promeretur laudem, quod amator & rigidus disciplinæ regularis cultor exstiterit; & id quidem maxime in eo miratus est, ac laudavit Jacobus abbas Præmonstrat. dum anno 1529. Tongerloense monasterium visitaret. Obiit Antonius anno seq. E in majori choro ante principem aram sepultus cum hoc epitaphio æneæ laminæ insculpto: *Reverendus in Christo pater D.* ANTONIUS TSGROOTEN *ab* OOSTERWICK *juris pontificii licentiatus, vir omnibus naturæ ac virtutum dotibus clarus, huic monasterio præfuit annis fere* XXVI. *Refectorii piscium ædificia cum parte claustri exstruxit, & chori fundamenta partim jecit, erga pauperes mire pius & benignissimus.* A *Decessit omnium mœrore anno ætatis suæ* 69.* *salutis nostræ* 1530. XVIII. *cal. Maii.*

XXXIII. Arnoldus II. Steyters Diestensis, juris pontificii peritissimus, adeo ut passim *doctor canonum* fuerit appellatus, imo *seculi sui Papinianus*, ex coadjutore abbas, templum inchoatum perfecit, variisque pretiosissimis decoravit ornamentis; quod quidem an. 1553. Martinus Cuperus episc. Chalcedonensis & suffraganeus Camerac. B. V. M. tanquam peculiari & unice tutelari dedicavit. Tanta porro hic non solum apud Belgas suos, verum & apud exteros fama inclaruit, ut Theodoricus Locrius a Stratis, Carthusiæ Hildesianæ apud Saxones prior, ac provinciæ Saxonicæ præfectus ei commentarios suos in opera Dionysii Carthusiani præclara nimis epistola dedicarit. Anno 1539. augendo cultui SS. Sacramenti cœpit Arnoldus ædificare perinsignem ædiculam eidem reponendo, quæ non nisi anno 1547. absoluta fuit. Idem quoque sacellum abbatiale dulcissimi nominis Jesu titulo insignitum construxit, ipsumque per Martinum Cuperum an. 1553. dedicari curavit. Tandem Arnoldus e vita migravit Mechliniæ in refugio Tongerloæ an. 1560. sepultusque est in crypta, quam sibi vivens paraverat in sacello dulcissimi nominis Jesu. Ei vero in summo odeo Tongerloensi prægrandis appositus est lapis sepulcralis, cum ænea lamina eum referente, & hoc epitaphium exhibente: *Reverendo in Christo patri D.* ARNOLDO STEYTERS *a Diest abbati, in crypta chori nominis Jesu quiescenti, de religione optime merito, Mechliniæ decimo septimo die Augusti anno* 1560. *defuncto.* Legitur etiam in ecclesiæ porticu hæc inscriptio: *Rever. in Christo pater D.* ARNOLDUS A STEYTERS, *a Diest monast. Tongerloen. abbas* 33. *ætatis suæ* 59. *& officii* 23. *hujus ecclesiæ molem exstruxit, absolvit & ornavit anno Domini* MDLIII. *qui obiit post multa de hoc monasterio benemerita anno Dom.* MDLX. *Mechliniæ* XVIII. *Augusti.*

XXXIV. Johannes VII. de Westerhove electus dicitur post obitum Arnoldi, ac mortuus 1561. ideoque fortasse omittitur in editis catalogis, quia non est confirmatus.

XXXV. Jacobus I. Veltackerus a Diessem Arnoldi præcedentis camerarius, in abbatem a conventu electus est, assistente Philippo Nigro Aurei-velleris cancellario & aulæ commissario. Rex tamen assensum retinet, quia consilium uniendi monasterii cum episcopatu Silvæducensi animo volutatur. Regem obsecrant ordines Brabantiæ, ne hanc unionem fieri patiatur; fit tamen ac promulgatur a Pio IV. summo pontifice; sed cum a supplicando Regi prædicti ordines non desisterent, Rex tandem Philippus apud Pontificem effecit, ut unio facta dissolveretur; moxque in prælatum nominavit prædictum Veltackerum an. 1564. eumque anno seq. conventus excepit, instituit & in realem possessionem misit, solitas cæremonias peragentibus Carolo vander Linden Parcensi, & Matthæo Smolders Averbodiensi abbatibus. Etsi vero minime fuit benedictus, qua ratione incompertum, pacifice tamen

* al. 79. Christi 1529. desit secundum veterem calculum.

[a] Legimus alibi Johannem Vlesti-Garysemon, vander Strate, canonicum dicti monasterii, nominatum 16. Maii 1523.

per quadriennium ea dignitate functus est, usquedum an. 1569. illam ejurare & refundere coactus est in manus Francisci Sonnii sacræ theologiæ doctoris, primi episcopi Silvæducensis designati, honore & appellatione præpositi Tongerloensis ad qualemcumque compensationem insignitus. Decessit an. 1583. ex Grammaio.

XXXVI. Franciscus Sonnius I. episc. Silvæducensis, eo nomine abbatiæ Tongerloensis possessionem accepit die 29. Augusti anni 1569. unde an. seq. translatus ad cathedram Antuerpiensem, Laurentio, qui sequitur, abbatiam reliquit. Ejus sic meminit necrologium S. Justi Bellovacensis: *VII. Martii FRANCISCI SONNII abbatis Tungerloensis, & postea episcopi Silvæducensis, qui ad episcopatum Antuerpiensem translatus, ibidem obiit ultimo Julii anno 1576.*

XXXVII. Laurentius Metsius inita dignitate episcopali & abbatiali, reliquit Veltackerum in eo præpositi gradu, quo sub Sonnio gaudebat; unde an. 1572. primæ synodo diœcesanæ Silvæducis ab episcopo Laurentio celebratæ interfuit Veltackerus, loco & honore præpositi ante præpositos & decanos omnium aliarum ecclesiarum fruitus. Mortuus est Laurentius Metsius dignus Silvæducensium antistes an. 1580. 10. Aug. Sic tamen habetur in necr. S. Justi Bellovacensis: *2. Augusti LAURENTII-MATTHIÆ*, lege *METSII, & CLEMENTIS RABELLI*, lege *CRABEELLII, abbatum Tongerloensium, & successive episcoporum Silvæducensium.* Hoc autem circiter anno Johannes Veltacker suppetias tulit ad fundationem collegii Præmonstrat. in academia Lovan. Obiit autem an. 1583. in majori odeo tumulatus.

XXXVIII. Clemens Crabbeelius tertius episcopus Silvæducensis, fuit etiam eo nomine abbas Tongerloensis, sub quo, Rege volente, post obitum Veltackeri, calculis fratrum electus est administrator regularis, qui, absentibus metu hæreticorum episcopis, instar abbatis cum auctoritate gubernaret, Walterus a Corswarem Montenacensis, quem Rex ipse nominavit & constituit administratorem monasterii tam in spiritualibus, quam in temporalibus, deindeque Egidius d'Asschelet abbas Floreffiensis & ordinis vicarius generalis per circarias Floreffiæ & Brabantiæ confirmavit. Primum Waltero studium fuit abbatiam separare ab episcopatu; itaque anno 1584. una cum prælatis Brabantiæ supplicem Regi libellum dedit pro disjunctione abbatiarum Brabantiæ ab episcopatibus, ac specialiter pro Tongerloa, quæ morte Veltackeri & iniqua loci compositione majoribus periculis exposita manebat; neque segnius apud sedem apostolicam agebatur tum per canonicos aliquot Tongerloenses, tum per alios Romæ tunc temporis commorantes; quinetiam episcopus ipse Silvæducensis Clemens Crabbeelius supplices Regi litteras exhibuit in gratiam Tongerloensium. Verumtamen non nisi an. 1590. res ista ad exitum suum perducta est, certa nimirum dote episcopo constituta.

XXXIX. Nicolaus Mudtzart a Tilburg & ibidem pastor, novi abbatis electione permissa secundum formam sub Carolo V. definitam, A præsentibus abbate Helissemensi & Philippo Boxhornio adsessore in consilio Brabantiæ a Parmensi duce delegatis, potioribus fratrum calculis electus est, tandemque a Philippo rege nominatus an. 1592. mense Augusto, postquam eodem anno, die 26. Aprilis Walterus a Corswarem ejus in administratione antecessor obiisset, sepultus in odeo Tongerloensis ecclesiæ e regione Veltackeri. Deinde hoc ipso anno, die 26. Oct. Nicolaus Bruxellis institutus est atque in realem possessionem missus a Francisco Ulierden Parcensi abbate, & ord. Præmonstr. per Brabantiam vicario generali, assistente Mathia Valentini abbate B Averbodiensi, necnon præsentibus nomine conventus Tongerloensis, & obsequium pollicentibus Dionysio Droogen priore & Johanne Jacobæo subpriore. Tandem vero die 28. ejusdem mensis & anni solemni ritu benedictione & mitra donatus est in æde monialium S. Elisabeth ord. S. Augustini a Lævino Torrentio episcopo Antuerp. assistentibus, præter jam nominatos Parcensem & Averbodiensem, Antonio de Oyenbrugghe Grimbergensi & Levino van Couwenberghe Diligemiensi abbatibus. Jam igitur sic perfectus abbas cœpit pro viribus collapsa restaurare, deperdita recuperare, ære alieno cœnobium C liberare, disciplinam regularem resarcire, templumque sacra, & bibliothecam libraria supellectile ditare. Insuper an. 1595. suum curavit monasterium inscribi collegio Theologiæ ordin. Præm. apud Lovanium, quod ceteri Brabantiæ prælati an. 1570. erexerant, eoque deinceps suos alumnos studiorum gratia mittere haud cessavit. Obtinuit autem an. 1603. sibi dari coadjutorem & successorem; cumque an. 1607. concilio provinciali Mechliniensi, & Johannis Vercuylen Bernensis abbatis benedictioni adfuisset, obiit an. seq. ipso die Præsentationis B. M. Virg. conditus ante summum altare, cujus sarcophago hæc D circum inscripta leguntur: *Reverendus in Christo pater ac dom. D. NICOLAUS MUTSAERTS Silvæducensis, vixit annis LXXIIX. Rexit annis XVII. Obiit anno MDCIIX. XV.* calend. Decembris.*

* al. 16. Novemb.

XL. Adrianus Stalparts, *vel* Stalpaerts, Hilvarisbecanus, erat pastor in Waelwyck prope Heuden, quando in coadjutorem, præsentibus Johanne Drusio abbate Parcensi & domino de Winghene vicecancellario ab Alberto principe delegatis electus est 1603. Hic statim amplioris scientiæ & Gallicæ linguæ avidus ad Duacensem academiam profectus est, ibique mansit usque ad obitum E Nicolai abbatis, hoc est ad annum 1608. quo, mense Decembri in cœnobio Parcensi prope Lovanium per ejusdem abbatem Johannem Drusium circariæ Brabantiæ vicarium, assistentibus nomine conventus Tongerloensis priore Bernardo Boon & Martino Lintrensi monialium in Herentals præposito, obsequio sibi ab iisdem promisso institutus est & in realem possessionem missus. An. seq. 1609. die XI. Januarii Dominica infra octavam Epiphaniæ benedictionem percepit in cœnobio suo per Gisbertum Masium episcopum Silvæducensem, assistentibus supra nominato

Parcensi & Mathia Valentini Averbodiensi abbatibus. Dehinc per omnia decessoris optimi factus imitator, anno 1615. ad ingressum ecclesiæ in parte meridionali ex adverso chori Nominis Jesu insigne sacellum ad honorem S. Norberti excitavit, in quo Nicolaus Zoësius episc. Silvæducensis altare consecravit eodem anno. Novum item nosocomium (infirmariam dicunt) suis an. 1618. intra claustrum ædificavit, in cujus sacello die festo S. Mathæi apostoli ejusdem anni altare consecravit Zoësius Silvæduc. episcopus ad honorem SS. Adriani mart. Ceciliæ virg. & mart. & B. Siardi confessoris, abbatis quinti Horti-Mariani in Frisia ord. Præm. cujus reliquiæ an. præcedenti die 6. Julii festiva pompa illatæ fuerant in ecclesiam Tongerloensem. Romæ insuper an. 1622. *al.* 1626. & 1628. suis impendiis utique maximis fundavit sub patrocinio S. Norberti collegium theologicum pro suis aliorumque cœnobiorum provinciæ Brabantiæ, si prælati vellent, alumnis, ea causa permotus, quod cum ordo Præmonstratensis quasi penitus Romæ ignotus esset, ea ratione ibidem posset innotescere, itemque negotia totius ordinis per dicti collegii præsidem ceterosque fratres curari. Adriano abbati chronicon suum Præmonstratense nuncupavit Aubertus Miræus; qui quidem in epistola dedicatoria sic eum affatur: *In tota Europa cœnobium pulcherrimum, ornatissimum, atque amplissimum summa laude moderaris, &c.* Adfuit idem abbas an. 1629. die 7. Novembris benedictioni Johannis Chrysostomi vanden Sterre abbatis S. Michaëlis Antuerp. unde post triduum Dusselam reversus, in ædibus istic Tongerloanis in morbum incidit, obiitque die 25. ejusdem mensis. Corpus ejus Tongerloam delatum est, & in sacello B. Norberti per eum condito humatum, cum hoc cenotaphio.

D. O. M.
Reverendus D. HADRIANUS STALPARTS HILVARIBECANUS, hujus cœnobii abbas XXXVI.[a]
HIC SITUS EST
Qui ordinis & disciplinæ observantissimus,
Religiosorum & tenuioris fortunæ studiosorum Patronus munificentissimus,
Magno suo relicto desiderio
Decessit VIII. cal. Nov. anno Christi 1629.
Ætatis suæ LXVII. prælaturæ XX.

XLI. Theodorus Verbraecken Helmondanus, postquam 24. annis pastor fuisset in Mierlo Pelandiæ pago prope Helmondam, unanimi fratrum suorum consensu abbas electus est, scrutinio præsidentibus Ferdinando de Boischot Brabantiæ cancellario & Johanne Chrysostomo vanden Sterre abbate S. Michaëlis, quorum posterior Theodorum instituit & in realem possessionem induxit pridie Dominicæ III. Adventus, & postridie ipsa illa Dominica 16. Dec. anni 1629. benedictus fuit per D. Michaelem Ophovium episcopum Silvæducensem, assistentibus prædicto S. Michaelis abbate & Mathia Valentini Averbodiensi. An. 1635. Laurentius Lameter Tongerloensis canonicus abbati suo Theodoro commentarium in regulam S. Augustini nuncupavit. Sub initium vero sequentis anni dira exarsit hostilitas ex parte ordinum confœderatorum, qua omnes cujuscumque ordinis ecclesiastici fugere coacti sunt. Unde & ipse Tongerloensis præsul cum toto sodalium suorum grege per triennium in suo quodam refugio, forte Bruxellensi, exsulavit. An. 1642. coadjutorem obtinuit, ac denique an. 1644. die 22. Junii, ætatis suæ circiter 75. mortuus est, & ex voto ante altare S. Petri sepulturam accepit; ubi successor ei monumentum ex marmore & alabastro composuit, cum inscriptione, quæ summatim vitæ seriem & gesta complectitur.

XLII. Augustinus Wichmans, *al.* Franciscus-Augustinus, Antuerpiensis, ex antiquis oriundus Zutphaniensibus Wichmannis, pastor de Tilborg & archipresbyter districtus Hilvarisbecani, primum coadjutor electus est Bruxellæ in ædibus Tongerloanis anno 1642. præsidentibus Ferdinando de Boischot Brabantiæ cancellario & Johanne Chrysostomo abbate S. Michaelis; tum vero a Rege nominatus, an. 1643. die XI. Januarii Dominica infra octavas Epiphaniæ coadjutor institutus est a prædicto S. Michaelis abbate, præsente Nicolao Ambrosii abbate Averbodiensi; deinde mortuo decessore, die 9. Julii an. 1644. in realem abbatiæ possessionem missus a Johanne Chrysostomo vanden Sterre abbate Antuerpiensi, ac tandem postridie benedictionem percepit a Josepho Bergaigne episc. Silvæducensi, assistentibus supra memoratis abbatibus, necnon præsentibus Johanne Masio Parcensi & Cornelio Boesdonck Postellano. Porro hic anno 1647. defuncto Johanne Masio abbate Parcensi ordinario Brabantiæ ordinum adsessore, omnium episcoporum & prælatorum suffragiis in ejus locum electus est, sed rara modestia hunc honorem deprecatus est, quem tamen iterum paulo post oblatum, defuncto scilicet Henrico vander Heyden Villariensi abbate, ordinario itidem Brabanticorum ordinum adsessore, non detrectavit. Complures libros needum abbas in lucem edidit, quales sunt, *Rosa candida & rubicunda*, id est *martyrium V. Petri a Calemptout, canonici Tongerloensis & pastoris in Haren anno 1572. a Gueusiis hæreticis crudeliter necati, Antuerpiæ 1625. Apothecha spiritualium pharmacorum contra luem contagiosam aliosque morbos, Antuerpiæ apud Verdussium 1626. Diarium ecclesiasticum de sanctis contra pestem tutelaribus, ibidem. Sabbatismus Marianus typis Guillelmi a Tongris, Antuerpiæ 1628. Dissertatio historica de origine & progressu cœnobii de Postula, Antuerpiæ 1628. Brabantia Mariana, Antuerpiæ 1632. &c.* Sub hoc abbate vivebant in Tongerloa vel in curis pastoralibus 99. sacerdotes, tres diaconi, subdiaconi totidem & quinque novitii. Obiit XI. Febr. an. 1661. præfecturæ 17. in choro sepultus cum epitaphio sequenti: *D. O. M. Reverendus admodum, ac amplissimus Dominus D. AUGUSTINUS WICMANS abbas XXXVIII.*

[a] Minime scilicet computatis tribus episcopis Silvæducensibus, nec abbate hac in nostra serie XXXIV.

XXXVIII. hic situs est, satis dixi. Decor domus hujus, scripta praclara & viri integritas cetera loquentur. Obiit anno 1661. prælaturæ XVII. Requiescat in pace.

XLIII. Albertus Ursino antea pastor in Roosendael, abbatiali benedictione donatus 10. Maii 1663. obiit an. seq. 23. Febr. in choro sepultus cum hoc epitaphio: *D. O. M. Hic dormit, donec excitetur a tuba, reverendus admodum ac amplissimus dominus D. ALBERTUS URSINO abbas XXXIX. eloquentia & zelo animarum* (conspicuus)

Anagramma,

ALIUS NORBERTUS.

XLIV. Jacobus II. Rhosnata Crils, benedictus die 14. Septemb. an. 1664. postea tanquam ord. Præmonstr. per circarias Brabantiæ, &c. vicarius generalis an. 1689. die 30. Aug. permisit principia theologica Florentii de Cocq typis vulgari. Obiit 1. Januarii 1695.

XLV. Gregorius Piera Mechliniensis, eodem anno 1695. die 5. Junii Antuerpiæ ab ejusdem urbis episcopo benedictus, sedebat adhuc 1721. simul ordinis sui per Brabantiam vicarius generalis, in hoc maxime commendandus, quod bibliothecam sui monasterii jam insignem libris plurimis exquisitissimisque adauctam novis thecis exornaverit, omnibusque voluminibus simile integumentum rubeum ac deauratum apponi curaverit.

XLVI. Josephus vander Achter abbatiali benedictione insignitur Antuerpiæ, ab ejusdem urbis episcopo die 7. Maii an. 1724.

BERNA.

FLorentissimum aliquando Præmonstratensis ordinis cœnobium, sub patrocinio B. M. Virg. & S. Johannis Baptistæ, diœcesis quondam Ultrajectensis, dein Buscoducensis, situm habuit ad Mosam fluvium prope Heusdenum, primo *vel* secundo a Silvaducis milliari. Originem ei dedit an. 1134. Folcoldus Teisterbantiæ comes, (Fulconem de Barna Grammaius vocat) qui propter insequentes hostes in Mosam fluvium equo insidens se præcipitem dare coactus, Deo vovit monasterium se constructurum, si trajicere flumen incolumis posset. Hujusce voti compos effectus, votum alterum implere sategit. Itaque Andrea Ultrajectensi episcopo probante, castrum suum Bernam juxta Heusdenum oppidum situm, in monasterium convertit, fratribus aliquot Præmonstratensibus ex cœnobio Insulæ B. Mariæ prope Culemburgum in Geldria sito, quod quidem jam dudum exstinctum est, evocatis, quos inter ipse fundator in humili conversorum conditione annos quindecim vixit, pie defunctus an. 1149. 12. Aprilis, qua die inter sanctos Præmonstratensis ordinis numeratur. Bessela vero de Summeren Folcadi conjugis æmulata pietatem, Voortense puellarum ord. Præmonstr. monasterium condidit, in quo regularem disciplinam professa septuaginta* virginibus laudatissime præfuit; tandemque 9. Augusti piissime in Domino obdormivit.

Mir. notit. abb. pag. 173. & Chr. II. inter diplomata, vol. 408.

** Al. 71.*

Porro illic conventus in dies floruit, donec suo monasterio a furentibus hæreticis seculo XVI. procedente propemodum exciso, sese in urbem Silvæducensem recepit, ubi aliquandiu in suo refugio commoratus, subinde an. 1623. domum fratrum in communi viventium, pretio comparatam & a Johanne Moors abbate dignissimo in modum abbatiæ adaptatam incolere cœpit. Verum an. 1629. urbe ab Hollandis expugnata, Bernenses iterum cœnobio pulsi & cum cetero clero exsulare coacti, primum quidem sedem posuere secundo ab urbe Silvaducis lapide in prædiis de Bernhese, quæ olim Albertus dominus de Dintere, anno scilicet 1196. Bernensi cœnobio donaverat; *Ibid. pag. 290.* sed neque illic securis, bonis eorum omnibus anno 1648. fisco Fœderatorum ordinum addictis, tandem abbas cum paucis alumnis tutum refugium Vilvordiensi in oppido prope Bruxellas acquisivit.

SERIES ABBATUM.

I. B. EVERARDUS I. DE BRUXELLA ex abbatia Insulæ B. Mariæ in Geluria diœcesis Ultrajectensis assumtus, primus abbas novo Bernensi cœnobio concessus est an. 1134. Obiit anno 1168. XVIII. cal. Octob. ad quam diem fit ejus commemoratio in hagiologio ord. Præmonstrat.

II. Hugo patria Teruanensis, artium magister, & quondam capellanus Godefridi episcopi Traject. deindeque professus Insulæ B. M. electus fuit abbas an. 1168. cumque templum fundasset an. 1176. eodem, sui regiminis octavo decessit XVIII. cal. Aprilis.

III. Godescalcus I. de Postels, primum fuit Floreffiensis canonicus, tum primus præpositus Postulensis, unde fortasse cognomen *de Postels* sortitus est, ac tandem abbas Bernensis, qui Coloniam profectus ad comparandas fruges per annonam caram, ibi mortuus est, ac sepultus ante fores dormitorii apud S. Andream, an. 1185.

IV. Everardus II. e gremio Bernensium canonicorum electus, an. 1196. amplissimam bonorum apud Bernhese donationem accepit ab Alberto domino de Dintere. Rexit cum laude annis 21. deinde cessit, ac pridie idus Febr. decessit. *Ibid.*

V. Henricus I. de Alphen electus an. 1206. fuit depositus an. 1215. postea in locum restituendus.

VI. Arnoldus I. ex priore abbas, obiit anno 1224.

VII. Henricus de Alphen iterum, eodem anno 1224 e vivis excessit.

VIII. Theodoricus I. cessit an. 1228.

IX. Ludovicus abdicavit quoque 1231.

X. Walterus I. eligitur an. 1231. post quem plures sequuntur absque nota temporis.

XI. Henricus II.

XII. Alardus.

XIII. Balduinus.

XIV. Johannes I.

XV. Arnoldus II.

XVI. Walterus II.

XVII. Nicolaus I.

XVIII. Gerardus I. is esse videtur, qui datis litteris an. 1306. Johannem ducem Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. sui monasterii advocatum agnoscit, hist. episc. Buscoduc. pag. 253.

XIX. Rodolfus.

XX. Johannes II.

XXI. Nicolaus II.

XXII. Johannes III. de Beers.

XXIII. Johannes IV. de Paep.

XXIV. Johannes V. de Paep.

XXV. Gerardus II. de Clootwyck.

XXVI. Robertus de Doern.

XXVII. Godescalcus II. de Veen.

XXVIII. Ingravius Rompot.

XXIX. Petrus de Hemert.

XXX. Mercenus de Macharen, *seu* de Macheren, omissus in historia episcopatus Silvæducensis, memoratur abbas Bernensis ex præposito de Bogdeburg an. 1445.

XXXI. Plarcellus de Macheren. Circa id tempus Lucas ab Eyck dicitur alicubi ex præposito Postulæ factus abbas Bernensis, dein Floreffiensis.

XXXII. Alexander de Ossch.

XXXIII. Arnoldus III. de Wyck.

XXXIV. Arnoldus IV. de Malsen, obiit an. 1515.

XXXV. Johannes VI. Bierkens, obiit eodem anno.

XXXVI. Egidius Ingenlandt, decessit anno 1527.

XXXVII. Conradus de Malssem, *vel* Malsen electus an. 1528. primus a sancta sede mitram & pedum obtinuit. Mortalitatem explevit die 22. Jan. 1549.

XXXVIII. Otto de Roetzelaer, obiit 25. Julii an. 1552.

XXXIX. Theodoricus II. Spirinck ex Wel, adfuit capitulo provinciali in abbatia Parcensi celebrato an. 1572. Animam exhalavit 1. Julii 1584. *al.* 1585.

XL. Adrianus Ulyemins, *al.* Adrianus Johannes Ulymmins interfuit concilio provinciali Mechliniensi & synodo Buscoducensi, defunctus 19. Decemb. 1606.

XLI. Arnoldus V. Vessemius obiit 24. Aug. 1608.

XLII. Johannes VII. Vercuylen, *al.* Verluyhen, quem legimus benedictionem percepisse an. 1607. obiit 1. Nov. 1621.

XLIII. Johannes VIII. Mors, domum fratrum vitæ communis in urbe Silva-ducis pretio comparatam an. 1628. in modum abbatiæ adaptavit. Mortem oppetiit an. 1641.

XLIV. Leonardus I. Bosch, obiit an. 1668.

XLV. Joachimus Keysers moritur an. 1676.

XLVI. Henricus III. van Daele, obiit anno 1692.

XLVII. Lucas s'Jongers, fato præreptus est an. 1694.

XLVIII. Norbertus de Jode infula redimitus 8. Dec. 1695. obiit 12. Sept. 1705. sepultus in abbatia Grimbergensi.

A XLIX. Leonardus II. Maes benedictus 5. Junii an. 1713. ab Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edesseno internuncio apostolico in Belgio & nuncio ad Augustum Poloniæ regem designato, assistentibus abbatibus Diligemiensi ord. Præmonstr. & S. Gertrudis apud Lovanium. Præerat adhuc anno saltem 1721. sede sua stante Vilvordiæ in decanatu Mechliniensi.

POSTULA, *sive* POSTELLA. POSTEL.

MIrum sane nonnullos hujus cœnobii fundationem illigare an. 1173. *vel* circiter, cum in charta quasi fundationis inserta operibus Miræi B novissimæ edit. p. 709. nostrisque instrumentis, Ch. III. col. 409. protectioni Leodiensis episcopi Alberonis, qui annum 1145. non excessit, commissum dicatur a (Ludolfo) primo abbate de Ostbruch, quod est monasterium Benedictinum fundatum an. 1121. *vel* 1122. in quo Fastradus *de Vutwicht*, post fundatam Postulam, habitum religionis induit. Verius itaque Augustinus Wichmans abbas Tongerloensis, tum in peculiari dissertatione, tum in sua Brabantia Mariana, Postulense monasterium inceptum tradit an. 1140. auctore prædicto Fastrado milite, qui prædii Postulani, itemque prædii ecclesiæ de Roselo partem, quarto lapide a Tongerloa, in C Campania Brabantiæ, & diœcesi olim Trajectensi, modo Silvæducensi, ecclesiæ Floreffiensi ordinis Præmonstratensis contulit: unde Postula facta est præpositura ejusdem ordinis, sub titulo S. Mariæ & S. Nicolai, a Floreffia dependens; donec an. 1621. ad abbatialem dignitatem evecta est a Paulo V. summo pontifice. Floret etiamnum hæc abbatia, ubi cum an. 1610. non nisi quinque canonici degerent, nunc circiter quadraginta numerantur.

PRÆPOSITI POSTULENSES.

I. GODESCALCUS ex WILYCH primus huic D cœnobio præfuisse legitur, vocatus ex abbatia Floreffiensi; dein electus an. 1176. abbas Bernensis.

II. Thomas I. obiit 1200.

III. Godefridus 1215.

IV. Henricus I. 1229.

V. Urbanus 1242.

VI. Thomas II. 1249.

VII. Walterus 1268.

VIII. Andreas I. 1281.

IX. Reinerus 1306.

X. Robertus de Turnhaut, antea Floreffiensis abbas, præposituram Postulensem suscepit anno E 1317.

XI. Johannes I. de Orpio, obiit an. 1339.

XII. Henricus II. van Stakenborgh 1355.

XIII. Johannes II. de Perweys decretorum doctor, ex abbatia Floreffiensi assumtus 1355. quinto post anno eligitur abbas Floreff.

XIV. Andreas II. de Ribemont, obiit anno 1390.

XV. Nicolaus de Blehaing, an. 1414. electus abbas Floreff.

XVI. Johannes III. ab Eyck, obiit circa annum 1420.

XVII. Balduinus de Fourvy translatus anno 1430. ad dignitatem abbatis Floreff.

XVIII. Lucas ab Eyck successit præcedenti, tum in præpositura, tum in abbatia Floreff. & in hac quidem an. 1449. mortuus 1465.

XIX. Thomas III. Warouzel.

XX. Johannes IV. de Fumale obiit an. 1452.

XXI. Thomas IV. ab Eyck missus ex abbatia Floreff. obiit 1463.

XXII. Gerardus ab Eyck, an. 1465. electus abbas Floreff.

XXIII. Henricus III. ab Eyck, obiit an. 1479.

XXIV. Philippus I. ab Hodimont, obiit 1524.

XXV. Philippus II. del Houssie, Nivellensis, defecit an. 1526.

XXVI. Henricus IV. Stryp, ex Roda sanctæ Odæ, obiit an. 1527.

XXVII. Johannes V. Thomæ, ex Breugel, obiit an. 1537.

XXVIII. Lambertus Hozius moritur anno 1544.

XXIX. Henricus V. Boerthen, ex Erp, obiit 1548.

XXX. Johannes VI. de Buyl, Alostanus, obiit an. 1553.

XXXI. Hubertus Simonart, ex Ohain, obiit 1568.

XXXII. Willelmus Lamberti, Mollensis, præfuit ab anno 1590. *forte* 1570. usque ad annum 1597. quo defunctus est.

XXXIII. Rumordus Colibrant, Lovaniensis, an. 1615. die 14. Maii declaratus fuit primus præpositus immunis a jurisdictione abbatis Floreffiensis. Ejus temporibus an. 1600. libellus supplex Postulensium canonicorum Hispaniarum regi porrectus fuit pro exemtione a quibusdam oneribus. (Ch. VII. col. 422.)

ABBATES.

I. RUMOLDUS idem ex præposito primus abbas, benedictus Floreffiæ anno 1621. die 16. Maii ab episcopo Namurcensi, assistentibus Floreffiensi & Leffiensi abbatibus. Obiit Lovanii die 13. Octob. 1626.

II. Johannes du Chesne asceta Floreffiensis & pastor in Sautour, ab Isabella-Clara-Eugenia Hispaniarum infante renuntiatus abbas Postulensis die 19.* Novemb. 1627. solemni benedictione donatur in ecclesia Postulensi die 22. Octobris 1628. a Michaele Ophovio episcopo Silvæducensi. Obiit 25. Nov. 1635. (* al. 11. an. 1628.)

III. Cornelius van Boesdonck nominatus abbas 2. Maii 1636. ab Hispaniarum infante principe cardinali, mortuus est Bruxellis in refugio abbatiæ Tongerloensis die 22. Junii 1650. Sub hoc abbate, occupata a Batavis Silvaducis, ascetæ Postulani migrarunt Bream, oppidulum territorii Leodiensis, ubi cum aliquandiu resedissent, ad abbatiam redire cogitabant; sed omnes ab equitibus præsidii Silvæducensis in ericeto de Lommel apprehensi sunt; qui tandem circa an. 1641. ab ordinibus Fœderatis obtinuere licentiam remeandi ad suum monasterium, modo tamen ad majoratum non accederent. (*Vide nostra inter instrum.* Ch. VIII. col. 424.)

IV. Egidius Janssen benedictus Antuerpiæ in abbatia S. Michaelis die 24. Julii 1650. a Gaspare Nemio episcopo Antuerp. & Camerac. archiepiscopo designato.

V. Antonius Franciscus Gaillard antea pastor in Arendonck, die 3. Maii 1667. nominatus fuit coadjutor præcedentis, eodemque cedente, die 22. Aprilis 1679. abbatialem dignitatem assecutus est. Hic sibi suisque successoribus primus usum mitræ & pontificalium ab Innoc. XI. impetravit; inauguratus a Reginaldo Cools episcopo Ruræmundensi, assistentibus abbatibus Averbodiensi & Bernensi. Obiit Aquisgrani die 1. Junii an. 1685.

VI. Gregorius Sichmans benedictus & infula decoratus Leodii die 21. Aug. 1685. a Johanne-Antonio Bavier episcopo Dionysiensi & suffraganeo Leod.

VII. Hieronymus Raveschoot die 13. Jan. 1703. designatus fuit coadjutor præcedentis; quo deinde propter senium abdicante, die 13. Septemb. 1704. Leodii in abbatia Belli-reditus, abbatialibus infulis insignitus fuit a Ludovico-Francisco Rossio de Liboy episcopo Thermopolensi, suffraganeo Leodiensi, assistentibus abbatibus Belli-reditus & S. Jacobi Leod. Præest hactenus, vel certe præerat 1721. ex historia edita episcopatus Silvæducensis, ex qua potissimum a nobis dicta deprompsimus.




GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA.


PROVINCIA MOGUNTINENSIS, CUJUS METROPOLIS MOGUNTIA.

GERMANIÆ primæ in notitia Imperii, aliisque Galliarum, metropolis est Moguntia, quæ apud Ptolemæum, Tacitum, Ammianum, Hieronymum, celebris est, ob urbis quondam florentissimæ dignitatem, quæ situs commoditate & commerciorum frequentia inter Germanicas urbes caput extollit; a Goswino lib. 1. cap. 27. sic describitur: « Nobilissima urbs opinatissimi Rheni fluentis » alluitur, omniumque bonorum & honorum copia perfruitur: & ex omni gente » & natione confluentibus hospitalis, & portuosa, tam per pontificalem primatum » divo apice, quam per regni fastigium, mundioli culmine gloriosa, situque jucunda, glebis fœcunda, » aëre salubris, delectabilis facie, omnique prorsus coronata dignitate. » Ptolemæo lib. 2. cap. 9. dicitur civitas Germaniæ minoris, quæ secundum ipsum & Celto-Galatia Belgica est, unde proprie ad Gallias pertinet, juxta cosmographos, qui Gallorum Imperium Rheno claudunt, intra quod Moguntia continetur; metropolis Germaniæ minoris superioris, ut habetur in notitia Imperii & annalibus Francor. Fuldensibus, regia civitas & Franciæ metropolis dicta in continuatore Reginonis. Primum condita erat ducentis passibus distans a Rheno, sed ut refert *legenda* S. Aurei, ab Attila eversa, non in eo in quo prius condita fuerat, sed in alio Rheni & Mœni confluentis magis propinquo loco, ubi hodie sita est, multo melius multoque honestius quam prius, restaurata est a Francorum regibus. Moguntiacum apud Eutropium, lib. 7. & Eginhardum in vita Caroli Magni, a Tacito, lib. 4. hist. Maguntiacum, ab Ammiano Marcellino, lib. 15. Maguntiacus appellatur; cujus etymologiam nominis quidam deducunt a Magog filio Japhet, aut Magantio Troiano, vel a Magis qui hîc urbem condiderunt, sed ista ad fabulas amandamus: alii deducunt nomen a Mogo fluvio, quem volunt esse Mœnum, qui Moguntiam alluit, & Cia fluviolo urbem irrigante, ad quod alludit poëta Ligurinus, libro 1. describens Fridericum Moguntiam ingredientem:


Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo.

Sed non arridet hæc opinio, cum nullus antiquus auctor Mœnum, Magum, aut Mogum vocet. Beatus Rhenanus, lib. 3. vult a Mago quod olim domum significabat, & Cia vocatam Maguntiam, forte tamen aptius Ciomagus appellaretur, secundum alias urbes, ut Bormetomagus & Noviomagus civitates vicinæ, sed de iis nihil certi apparet. Scriptor libri lectionum S. Aurei dicit Moguntiam Julium Cæsarem principalem habuisse fundatorem; melior conjectura est, quod a Claudio Druso Germanico, Augusti privigno, Tiberii fratre videatur constituta, paulo ante Christum natum; nam antequam ibi versaretur, nulla fit ab historicis mentio de Moguntia; cum autem apud Florum, lib.


GALLIÆ CHRISTIANÆ
GERMANIÆ PRIMÆ
PROVINCIÆ MOGUNTINENSIS
PARS SEPTENTRIONALIS
Continens Diœceses
Moguntinensem
Vormatiensem
et Partem
Spirensis
Descripta a J.B. Nolin
Geographo.
Occidens
Meridies
Bonna
Westerburgum
Andernacum
Confluentia
Cochemium
Augusta Trevirorum
Waldecka
Halsfelda
Dillenburgum
Marpurgum
Herborn
Wetzlaria
Francofurtum
Hanovia
Moguntia
Darmstadium
Spanheimium
Vormatia
Spira
Landau
Bruchsella
Heidelberga
Ladenburgum
Lodoipolis ad Saravum
Saravi Burgum
Hombergum
Bipontium
Alba Choura
Odenheim
Philipsbourg
Kirchbach
Mulbrunnum


Northausen
Mansfeldia
Gottinga
Gerode O.S.B.
Reinhausen O.S.B.
Mulhausen
Gotha
Erfordia
Veimar
Iena
Eysenack
Vacha
Smalkalden
Meinungen
Henneberg
Fulda O.S.B.
Herfeldia
Neostadium
Coburgum
Lorh
Gemunda
Schwenfurtium
Carolopolis Carlstat
Bamberga
Werthaimum
Herbipolis Wirtzbourg
Sala Fl.
Mœnus Fl.
Calfeldia O.S.B.
Cella Paulina O.S.B.
Walkenreda O.Cist.
Mockmull
Oriens
NOTÆ Sequentes designant Dignitates Ecclesiasticas
Sedes Archiepiscopales
Sedes Episcopales
Abbatias Virorum
Abbatias Mulierum
Abbatias non Amplius exstantes
LITTERÆ Sequentes designant Ordines &c.
O.S.B. Ordinem S. Benedicti
O.Cist Ordinem Cisterciensem
O.S.Aug. Ordinem St. Augustini
O.Præm Ord. Præmonstratensem
Clar: Clarissarum
C. Loca ubi habita sunt Concilia
MOGUNTIA intra et Circa
Scalæ Leucarum.
Milliaria Geometrica
Leucæ Horariæ
Leucæ Germanicæ
N.Baillieul, Junior Sculp.


Septentrio
Occidens
Meridies
PARS PROVINCIAE TREVIRENSIS
PARS DIOECESIS ARGENTORATENSIS
PARS PROVINCIAE VESONTIONENSIS
CONST
Nanceium
Tullum
Lunevilla
Sareburgum
Hagenoa
Strasburgum
Offenburgum
Basilea
Solodurum
Berna
Lucerna
Vesontio
Mons Bellicardus
Luxovium
Friburgum
Silva
Murbacum
Colombaria
Notae sequentes designant varias Dignitates Ecclesiasti:
Sedes Archiepiscopales
Sedes Episcopales.
Sedes olim Episcopales
Abbatias virorum
Abbatias mulierum
Abbatias non amplius exstantes.
Abbatias nunc seculares.
Litterae sequentes Designant Ordines.
O.S.B. Ordinem S.t Benedicti.
O. Cist. Ordinem Cisterciensem.
O.S.Aug. Ordinem S.t Augustini.
O.Praem. Ordinem Praemonstratensem.
C. Loca ubi habita sunt Concilia.
Fl. Flumen vel fluvium.



Galliæ Christianæ
Germaniæ Primæ
Provinciæ
Moguntinensis
Pars Meridionalis
Continens Diœceses
Argentoratensem
Constantiensem
et Partem Spirensis
Descripta a J. B. Nolin Geographo.
Leparmantier Sculp.
Scalæ Leucarum
milliaria Geometrica
Leucæ Horariæ.
Leucæ Germanicæ
Leucæ Helveticæ et Suevicæ.
Oriens
Augusta
Vindelicorum
Augsbourg
Ulma
Gemunda
Elvangenum
Marbachum
Canstadium
Goppinga
Adelberg
Tubinga
Reutlinga
Memingа
Campidona
Kempten
Lansperga
Mindelheimum
Leutkirch
Uberlinga
Constantia
Lindaugia
S. Gallus
Rapersvilla
Clarona
Glaris
Curia
Meyenfeldt
Feldkirk
Rhenus

4. dicatur Drusus quinquaginta amplius castella direxisse per Rheni ripam, inter ea probabile est Moguntiam incepisse; nam ad eam rem locus opportunus, in confluente Rheni & Mœni & rivorum; quam sententiam amplectitur Otto episcopus Frisingensis, lib. 3. cap. 4. & abbas Urspergensis; auget fidem quod antiquitus hac in urbe Drusi multa monimenta visebantur, nempe ejus statua cuprea, & nodus deauratus, in quo viscerum cineres condebantur, ut annotant MS. Moguntina. Eutropius vero, lib. 7. ait Drusum apud Moguntiam monumentum habere; præterea ejus statua in saxo sculpta cum hac inscriptione : *In memoriam Drusi Germanici.* Videtur nunc in vineis S. Jacobi monasterio proxima moles, quam Appianus refert altitudinem habere centum pedum & planitiem in cacumine octo, & basim in circuitu 132. pedum, quam Drusi cenotaphium fuisse suspicantur Frising. & Ursperg. Denique beatus Rhenanus, lib. 3. Maguntiaci observat fuisse magnam copiam veterum inscriptionum, ideo quod Romani semper ibi versati sint, limitem regni tuentes, & sub posterioribus Augustis præfectus militum Armigerorum & dux militaris, qui multas præfecturas gubernabant, illic sedem suam habuerint; quod probatur ex notitia Imperii, in qua describitur, sub dispositione viri spectabilis ducis Moguntiacensis; ex quo collige urbem fuisse illustrem. Porro multoties vastata iterum & restaurata est; primum a Batavis tempore Vespasiani capta; id conjicitur ex Tacito, lib. 4. historiarum; tempore Juliani a Barbaris possidebatur, ut patet ex Ammiano Marcel. lib. 16. Deleta fuit a Vandalis, Alanis & Suevis circa Honorii tempora sub annum 413. cum hæ barbaræ gentes in Galliam irruperunt; quot urbes cum Moguntia expugnaverint, aut ferro, igneque vastaverint, commemorat Hieronymus in epistola ad Gerontiam, sive Ageruchiam de Monogamia, cum inquit : *Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno, includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & ô lugenda Respublica! hostes Pannonii vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacum nobilis quondam civitas capta, atque subversa est, & in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus translatæ in Germaniam. Aquitania, Novemque-populorum, Lugdunensis & Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes populata sunt cuncta : quas & ipsas foris gladius, intus vastabat fames. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, sancti episcopi Exsuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ, quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ.* Anno autem 872. terræ motu diruta est, ut tradunt annales Francorum, & 1080. juxta Marianum Scotum igne consumta magna ex parte; sed, ut placet Dodechino a Frid. Barbarossa funditus evertitur, ob parricidium Arnoldi præsulis a civibus crudeliter cæsi; restauratur vero ab illis, permittente Othone imper. post varias ejus urbis ruinas. Vult Rhenanus, lib. 2. Clodovæum post baptismum Argentoratum templis instruxisse, nec dubitat quin Moguntiæ idem præstiterit : unde Gallorum regibus debet potiora sua ornamenta; nam & a Dagoberto renovata, a Carolo-Magno pontem accepit. Postquam enim Romanorum Imperium a Gallis per Reges nostros diminutum est, paruit ipsis Moguntia pluribus sæculis : nunc archiepiscopo, qui decani Electoris primaria dignitate potitur, unde non tantum Germaniæ metropolitanum Sigonius, lib. 7. de regno Ital. sed & Witikindus Saxo summum pontificem vocat, intellige quod ecclesiastico & civili honore maxime fulgeat. Ceterum Imperii per Germaniam archicancellarius declaratur bulla aurea Caroli IV. imp. scripta Nurembergæ 1354. Hinc factum, ut cum dignitate creverit etiam dominium temporale, quo aliis ecclesiis Alemaniæ præstare dicitur : nunc enim subsunt ejus potestati plurimæ urbes, comitatus, castra, & toparchiæ in provinciis Hassiæ, Turingiæ & Franconiæ, cum civitate & castro Aschafemburgensi, quod æstivo tempore ob amœnitatem inhabitat archiepiscopus. Marescallo utitur pro belli administratione, cancellario pro re civili, assessoribus quoque & secretioris consilii comitibus, qui urbem administrant. Cathedralis patronus est sanctus Martinus; olim B. Stephanus, cujus basilica ad metropolis fastigium evecta fuit sub S. Bonifacio, a Zacharia summo pontifice, qui ei subdidit has civitates & ecclesias, *Epist. 13. ad S. Bonifac.*
Tungras, Coloniam, Wormaciam, Spiraciam & Trectis (Trajectum *Utrecht*) & uno verbo omnes Germaniæ gentes; adeo ut amplissima olim fuerit Moguntina provincia; nam præter ecclesias utriusque Germaniæ Cis-rhenanæ, ipsi subjectæ fuerunt aliæ diœceses Trans-rhenanæ. Nunc vero, quantum ad Gallias attinet, quatuor tantum suffraganeos habet, *Wormaciensem, Spirensem, Argentinensem & Constantiensem.* Sunt autem in Germania ei etiamnum subditæ episcopales ecclesiæ, Herbipolensis, Eistatensis, Curiensis, Hildesheimensis, Paderbornensis, & Augustana.

Capitulum metropolitanum, cujus variæ apud antiquos appellationes & nomina fuere, dictum videlicet *monasterium majus*, vel *episcopale*, seu *S. Martini*, *conventus fratrum de domo*, & *conventus fratrum de S. Martino*, nobili constat collegio canonicorum 42. e quibus viginti quinque capitulares sunt, eo numero sex dignitatibus comprehensis, præposito scilicet, decano, custode, scholastico, cantore & archipresbytero,* quæ omnes suffragiis obtinentur, præter dignitatem custodis, quam confert archiepiscopus, qui quidem præsul tres inter ecclesiasticos Electores primatu gaudet. Sunt & aliæ in ambitu civitatis ecclesiæ, S. Albani, S. Petri, S. Stephani, S. Victoris & Deiparæ Virginis, decem quoque monasteria virorum, feminarum octo, & parochiæ septem. In ea quoque civitate, quæ academia gaudet, anno, inquiunt, 1482. ab archiepiscopo Dietherico d'Ilenbourg fundata,

* Ista hodie dignitas non comparet.

multa concilia celebrata fuere. Ac denique typographia suam originem[a] acceptam refert Johanni Guttemberg nobili Moguntino, cujus artis primum an. 1440. specimen dedisse perhibetur.

Moguntinorum antistitum catalogum Petrus Cratepolius in annalibus Electorum Ecclesiasticorum publicavit. Sed urbis antiquitates sacras ac prophanas, cum historia archiepiscoporum descripsit plenius Nicolaus Serarius Soc. Jesu in academia Moguntina professor; ac iterum uberius Georgius Christianus Johannis duplici volumine res Moguntiacas complexus est an. 1722. ex quibus aliisque monumentis Præsulum seriem subjicimus.

[a] Alii natam ex Argentinensi episcopatu & Slestadiensi urbe tradunt, alii ex Hollandia, urbe scilicet Harlemo.

EPISCOPI MOGUNTINENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Crescens.

Hunc fuisse primum in sacra sede Moguntina episcopum ostendunt Moguntinarum rerum scriptores omnes editi & inediti. Fuit autem B. Pauli discipulus, uti ex variis optimæ notæ auctoribus probat Nicolaus Serarius in suo Moguntinarum rerum libro secundo cap. 1.° quem certe
80. in Galliam, *seu* Germaniam anno circiter 80. missum fuisse Eusebius notat, lib. 3. cap. 4. Hic porro 22. solidos, aut 23. inchoatos annos ecclesiæ Moguntinæ præfuit; tumque sub Trajano imper. martyrio affectus est Moguntiæ, ibidemque sepultus, uti aperte docent Trithemius in vita S. Maximi cap. 18. S. Hieronymus in catalogo illustrium virorum & Sophronius, & quidem in S. Hilarii templo, unde ad S. Albani translatus est. Initium & finem ejus regiminis testantur hi versus in Moguntinæ arcis templo residui:

Crescentis fecit clarum sacra pagina nomen,
Dum tibi fidus erat, Paule beate, comes.
Inde sed occiduas Gallorum cessit in oras,
Ut Christi promto spargeret ore fidem.
Bisque Moguntinis undenos præfuit annos,
Et vita clarus, clarus & eloquio.
Martyriumque tulit Trajano principe, Christi
103. *Cum decades denas auxerat una trias.*

Colitur apud Latinos die 27. Junii; de quo recurret mentio in Viennensibus archiepiscopis.

II. S. Marinus.

Quem Martini nomine afficiunt Cochlæus, & Papebrochius comment. de S. Aureo § VI. pag. 44. præfuit annos sex.

III. S. Crescentius.

Sedit annos 18.

IV. S. Cyriacus.

Rexit ecclesiam Moguntinensem annos 14.

V. S. Hilarius.

Occupavit cathedram Moguntinam annis 20. quem Trithemius in vita S. Maximi vocat virum sanctum & martyrem, & in cujus memoriam ecclesia in Dalheim ædificata fuit, uti videtur D. Latomo.

VI. B. Martinus I.

VII. S. Celsus.

Obtinuit episcopatum Moguntinensem annos 22. subinde martyrii palmam consecutus.

VIII. S. Lucius I.

Annos decem præsulis munus obiit.

IX. S. Gothardus.

Qui & Godeardus a Cochlæo, Bothadus in diplomate Sigefridi archiepiscopi de S. Nicomedis ecclesia, a quibusdam Bodardus & ab aliis Budibardus vocatur, vir fuit sanctissimæ vitæ, ait Trithemius, & multa gentilium millia sua prædicatione convertit ad Christum. Excitavit ecclesiam in honorem D. N. Jesu Christi, ad sanctum postea Nicomedem nuncupatam. Rexit ecclesiam Moguntinam annis 15. ac tandem sepultus est in sacra valle, nunc Dalheim dicta, indeque inter alios translatus ad S. Albanum ab Hildeberto.

X. Sophronius.

A Trithemio, Bruschio, & Cochlæo Suffronius vocatus, vir fuit per omnia sanctissimus, qui sedem Moguntinam annis octo tenuit.

XI. S. Herigerus.

In episcopali munere annos quatuor implevit, quod & martyrio coronavit.

XII. S. Rutherus.

Hic etiam martyr occubuit, postquam præfuisset annos 20.

XIII. S. Avitus.

Sedit annos 22. vir doctus atque sanctissimus a Trithemio dictus.

XIV. S. Ignatius.

Martyrium subiit post regimen annorum 13.

XV. Dionysius.

Præfuit annos 26.

XVI. Ruthbertus.

Pastorali munere claruit annis 12.

XVII. S. Adelhardus.

Decennio præfuit.

ANNI CHRISTI

XVIII. S. Lucius II. Annæus.

Eum Trithemius vocat virum apostolicæ & sanctissimæ vitæ, qui postquam sedisset annos 18. relegatus in Phrygiam, Arianorum insidiis necatus dicitur in fastis ecclesiæ anno Domini
343. 343.

XIX. Martinus* II.

* Maximus vocatur a Bucelino, ac Trithemio.

Interfuit Coloniensi concilio per legatos anno 346. ubi depositus Euphratas Coloniensis episcopus, Arianæ impietatis accusatus convictusque, de qua tamen synodo non levibus ex conjecturis dubitatur, uti tomo 3. diximus in Euphrata Colon. archiepisc. At Martinum in Sardicensi concilio inter 34. Galliarum episcopos sedisse
347. an. 347. constat. Plenus dierum finem vivendi
378. fecisse dicitur anno 378. die 18. Nov. sepultus in ecclesia S. Hilarii, postea nuncupata in Dalheim, unde postmodum an. 935. in ecclesiam monasterii S. Albani cum aliis novem præsulibus translatus est.

XX. Sidonius I.

397. Mortalitatem explevit anno 397.

XXI. Sigismundus.

404. Diem clausit extremum an. 404.

XXII. Leupoldus, *seu* Lupoldus.

421. Mortuus est ad annum 421.

XXIII. Nicetius.

429. Rebus humanis exemtus est an. 429.

XXIV. Marianus.

439. Hujus præsulis obitus refertur ad an. 439.

XXV. S. Aureus.

De eo sic habet martyrologium Romanum: *XVI. calend. Julii Moguntiæ passio sanctorum Aurei & Justinæ sororis ejus, & ceterorum martyrum, qui synaxim in ecclesia agentes, ab Hunnis Germaniam diripientibus trucidati sunt.* Idque referendum est ad Attilæ in Gallias irruptionem
451. anno Christi 451. abundat enim triennio Eusebii chronologia, quam sequitur Sigehardus apud Serarium, dum id ait contigisse *anno post partum Virginis 454.*

XXVI. Eutropius.

Sedit ad clavum ecclesiæ Moguntinæ, Merovei Francorum regis temporibus, fato functus, in-
477. quiunt, an. 477.

XXVII. Adalbertus, *sive* Adelbertus.

XXVIII. Ratherius, *seu* Radherius.

XXIX. Adelbaldus.

XXX. Sigebertus.

Hic passim omissus, ex solo Pantaleone parte I.
503. de viris illustribus Germaniæ fol. 176. an. 503. electus Moguntin. episcopus innotescit.

XXXI. Laudfridus.

XXXII. Rutardus.

XXXIII. Sidonius II.

Iste famæ celeberrimæ episcopus, Theoderico & Theodeberto Francorum regibus ætate proximus, & quidem florens anno 546. sæpe, ut Brouverus in notis observat, laudatur a Fortunato, ubi memorat præteritos Moguntiæ casus, & ruinas templorum, quæ hujus Sidonii & Mediomatricum regum opibus, in pristinum paulatim rediere splendorem. Scribit enim Venantius Fortunat. lib. 2. poëmatum, cap. 12. eumdem antistitem baptisterium Moguntiæ insigni fabrica exstruxisse, Berthoaræ munificentia. Præterea, ut observat Carolus le Cointe ex eodem auctore, duorum amnium, Rheni scilicet ac Mœni, qui nivibus & imbribus inflati conjunctique validiore cum impetu ripis Moguntiaco proximis inferri solent, violentiam coërcuit operibus aut aggerum molitione. Sed in primis egregium condidit carmen, quo virtutes Sidonii præsulis canit, lib. IX. cap. IX.

Reddita ne doleas felix Moguntia casus;
Antistes rediit, qui tibi ferret opem.
Ne mœrore gravi lacrymans orbata jaceres,
Te meruisse fame..........
Porrigit ecce manum genitor Sidonius urbi;
Quo renovante loca, prisca ruina perit.
Jura sacerdotum sacro moderamine servans,
Per cujus studium crevit & ipse gradus.
Parturis assidue gravidos ecclesie* fructus,*
Quamvis apostolico vinctus amore regis.**
Suscipit heredes cælesti germine natus,
Tali nupta viro quando marita placet.
Te vigili custode lupus non diripit agnos,
Te pascente gregem, non ovis ulla perit.
Cautius in toto per mitia pascua ducis;
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus ut populi, placide jejunia servas;
Et satias alios, subtrahis unde tibi.
Nudos veste tegis, captivis vincula solvens,
Deposito reddens libera colla jugo.
Exsulibus domus es, & esurientibus esca,
Felix cui Christus debitor inde manet.
Te doctrina probum, providentia sacra modestum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo.
Templa vetusta novans specioso fulta decore,
Inseris hinc populis plus in amore Deum.
Ut plebem foveas, & Rheni congruis amnes
Quid referat terris, quæ bona præbet aquis.*
Hic quod fana micant, & instaurata quod exstant,
Viris in æterno laude fluente tibi.
Hac cresces longos meritorum fruge per annos,
Et crescente diu de grege vota feres.

* f. legendum parturit. * ecclesia. * quam vir * regit. * al. qui.

XXXIV. Wilbertus, *seu* Wilebertus.

XXXV. Leunisius & Leonisius *seu* Ludegastus & Leudegastus.

Vir in Christo magnarum virtutum, ait Trithemius, memoratur ab Aimoino, lib. 3. hist. Francorum, cap. 98. ubi dicitur anno 17. regni 612.
Theodorici, obviam ei occurrisse, dum Theodebertum fratrem persequeretur, hujusque Theoderici fautor exstitisse: *Beatus*, inquit, *&*

ANNI CHRISTI

apostolicus vir Leonisius Magancensis urbis episcopus, diligens utilitatem Theuderici, & odiens stultitiam Theudeberti, ad Theudericum veniens, dixit: quod cœpisti perficito, satis te utiliter oportet hujus rei causam expetere. Rustica fabula dicitur, quod cum lupus ascendisset in montem, & cum filii sui venare cœpissent, eos ad se in monte vocat, dicens: Quam longe oculi vestri in unam quamque partem videre prævalent, non habetis amicos, nisi paucos, qui de vestro genere sunt: Perficite igitur quod cœpistis. Denique in vita S. Columbani a Mabillonio relata seculo 2. Bened. pag. 26. legitur hic episcopus eidem sancto & sociis ejus itineris sumtuum copiam tribuisse quantum sanctus necesse judicavit.

XXXVI. Rutelmus, Rudhelmus & Rudelinus.

XXXVII. Ruthwaldus, Luthwaldus, *seu* Landowaldus.

Vir per omnia christianissimus, ait Trithemius.

XXXVIII. Lupoaldus, *seu* Leowaldus.

Interfuit concilio Remensi cum aliis quadra-
625. ginta & amplius Galliarum episcopis anno 625. apud Flodoardum, lib. 2. hist. eccl. Remensis, cap. 5. non vero anno 630. siquidem Senochus pontifex Elosanus, qui eidem concilio interfuit, subscripsitque, an. 626. Clotarii regis 43. pulsus in exsilium traditur a Fredegario, cap. 54.

XXXIX. Richbertus, *seu* Rigebertus.

Nicolaus Serarius in suis rerum Moguntiacarum libris, cum Georgio Christiano Johannis, qui notis eos illustravit, censet eumdem esse Richbertum *seu* Rigebertum, qui in historia S. Bilhidis Sigebertus nuncupatur, istius sanctæ avunculus. Tradit autem Carolus le Cointe in suis ecclesf. Francorum annalibus Richbertum & Sigebertum duos fuisse Moguntinos episcopos, quorum posterior successit priori, at nullo, ut quidem videtur, justo subnixus fundamento. Ceterum Rigebertus ille, *seu* Sigebertus rerum ecclesiasticarum & studiosissimus & scientissimus fuit, qui, teste Latomo in suo catalogo, templa S. Pauli, S. Georgii, sanctæ Walpurgis, quæ extra civitatem aliquando fuere, construxit. Viam autem universæ carnis ingressus dicitur
712. anno 712.

XL. Geroldus.

Fuit pater Gervilii, *seu* Gerviliebi, qui sequitur; *vir prudens,* inquit Petrus Merssæus Cratepolius, *callidus, & ad maximas res, magis tamen ad civiles, quam ecclesiasticas, gerendas summe appositus & idoneus, corporis statura insigni, animo vero intrepido, ac longe maximo; aulicæ vitæ studiosior, quam ecclesiasticarum cæremoniarum, quas parum, aut omnino non curabat.* Is, inquam, artis bellicæ quam munerum episcopalium peritior, pugnans demum adversus Saxones, multis cum aliis in prælio cecidit ipse, ex Othlono scriptore vitæ S. Bonifacii, lib. 1. cap. 37. & secul. 3. Bened. part. 2. pag. 51. Hic porro Geroldi casus accidit anno Christi 743.

XLI. Gervilius, Gervilio & Gewiliebus. 743.

Patrem habuit Geroldum decessorem, ut modo dicebamus. Hic, referente Othlono, loco supra laudato, *adhuc laicus in palatio constitutus, pro sedando patris dolore, clericatus officio promovebatur, & ad regendam ecclesiam Mogontiacensem post obitum patris subrogabatur.* Quem mox, insequenti scilicet an. 744. *iterum Carolomannus* 744.
exercitu congregato contra Saxones secum deduxit. *Considentibus autem utriusque populi exercitibus cis citraque ripam fluminis Wisaraha, præcepit Gewilieb puerum suum inter hostes pergere, illicque nomen ejus, qui patrem occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero jussa complenti responderetur a quodam, proxime illum adesse quem quæreret, venire rogate,* inquit, *eum huc quantocius, quia secum sermocinari senior appetit meus. Quo veniente, & utrimque alterius adventu denuntiato, mox præparatis equis ab utroque itur; & in medio amne occurentibus atque colloquentibus ait Gewilieb episcopus:*

Accipe jam ferrum, quo patrem vindico carum:
Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum;

Qui statim corruens ex equo, in flumine exhalavit spiritum, nemine id quod factum est a Gewilieb in homicidii crimen imputante. Unde & reversus solitos episcopales sibi vindicavit usus. At sanctus præsul Bonifacius habita synodo in majoratu Carolomanni anno 745. *inter cetera correctionis* 745.
colloquia, hæc pariter in conventu synodali protulit, attestans nullum homicidii reatu pollutum debere episcopali sacerdotio fungi. Ad hæc etiam ei objecit, propriis oculis se perspexisse illum cum avibus canibusque jocantem, quod episcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gewilieb, sentiensque se nullo modo contra stimulum vel secularis potentiæ, seu auctoritatis canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes coram positos proferebatur, calcitrare posse, judicio consentit communi, depositusque est ab ordine episcopali. Et certe apud Melchiorem Goldast, tomo 1. ejus constitutionum imperialium, pag. 15. legitur edictum anni 745. datum a principe Carolomanno, filio Caroli-Martelli & fratre Pipini regis, ex quo liquet Gervilionem episc. Mogunt. *synodaliter* exauctoratum fuisse.

Porro Gervilius, licet depositioni suæ, episcoporumque judicio consenserit, res tamen ecclesiæ Moguntinæ, vel earum partem sibi per aliquot annos vindicare conatus est. At in se tandem reversus, eidem ecclesiæ pecunias suas & mancipia reliquit, pœnitentiamque egit annis 14. uti testatur manuscriptus codex D. Latomi apud Serarium, lib. 2. rerum Moguntiacarum, cap. 26. *Accepit* (Gervilius) verba sunt codicis manuscripti, *in beneficium pro sustentatione sua Sponsheim & ecclesiam, quæ* Caput montis *dicitur, ubi* XIV. *annis honeste vixit, hospitalitatem maxime exercens. Moguntiam vero ad aliquem conventum vel synodum nunquam denuo est ingressus; aliquando tamen*

tamen in Cœna Domini lotionem pedum, humilitatis gratia, in ecclesiis exercuit, tandemque bono fine quievit. Ejus pœnitentiæ patienter expletæ mentionem faciunt quatuor hi versus apud eumdem Serarium loco mox laudato, in quibus sic loquens inducitur Gervilius:

A *Patrius affectus me movit ad arma cruenta;*
Pœnam, quam merui, dignius ergo tuli.
In claustro latui pro crimine tempore vitæ;
At licet hic lateam, spero salutis opem.

Obiit anno 765. 765.

ARCHIEPISCOPI MOGUNTINENSES.

I. S. Bonifacius.

Germaniæ apostolus, sedisque pontificiæ in ea regione legatus, quem Anglo-Saxones patria lingua *Winfridum*, seu *Winfrethum*, Latini dein molliori vocis sono *Bonefacium Bonifaciumve* appellavere, ex nobili prosapia natus est sub an. 680. in Saxonia occidentali, & quidem in hodierno comitatu Devoniæ, urbe Cridianto, *Crediton*, seu *Kirton*, quæ quondam sedes episcopalis, ab Exona sex circiter milliaribus distat. Religionem monasticam primum professus, pietate & sacrarum litterarum studiis claruit; tum anno suæ ætatis trigesimo presbyteratu insignitus, elapsis deinde aliquot annis, hoc est anno 716. relicto natali solo in Frisiam venit, ubi præco divini verbi effectus, in multorum animis Christianam ingessit religionem, indeque ad suos reversus est. Paulo post vero, nempe circa annum 718. cum litteris episcopi sui, Danielis nomine, commendatitiis Romam profectus, summum pontificem Gregorium II. adiit, apud quem aliquandiu commoratus, inde sub finem anni 719. accepta benedictione litterisque munitus a beatissimo Papa, in Germaniam se recepit. Hic S. Willibrordo episcopo, Trajectensis ad Rhenum ecclesiæ fundatori adhæsit per annos tres, ac deinde Saxones & Hessones convertit ad fidem. Postea Romam iterum accessit ad eumdem Gregorium papam, qui anno 723. eum ordinavit episcopum, & ut fidei mysterium incredulis gentibus annuntiaret, potestatem illi fecit, ac insuper eum Carolo-Martello duci, majori palatii Franciæ commendavit; a quo revera principe, in Alemanniam reversus, ubi monachorum & virginum monasteria primus instituit, gratanter excipitur, ut patet ex epistola Gregorii, ubi inter alia ipsi gratulatur, quod ad imitationem apostolorum verbum Domini annuntiaret; respondet etiam ad varias ejus interrogationes, & consulta de rebus divinis ac sacra religione observanda. Constat quoque ex plurimis epistolis ejusdem Gregorii, quantum ipsi acceptus fuerit, dum exponit ad quas res pro fide Christiana promovendas missus sit, quem & plurimis sacris idem Gregorius libris donavit. Sed neque Gregorio III. in secundi demortui locum suffecto an. 731. minus fuit gratus, quem scilicet hic Pontifex vagæ & incertæ sedis archiepiscopum instituit anno seq. & pallio exornavit. Exinde Romam tertio invisit Bonifacius an. 738. ibique ab eodem summo pontifice facultatem accepit novos instituendi episcopatus, quod & præstitit anno seq. in Bajoaria, ubi concilium juxta ripam Danubii fluminis celebravit. Memorat etiam idem Pontifex, Bonifacii pietate, & Caroli Principis gratia, Deum de potestate Paganorum, centum millia animarum, in sinu matris ecclesiæ, aggregare dignatum fuisse. Rationem vero ministerii apostolatus sui Bonifacius exhibet in ea epistola, quam Zachariæ papæ misit anno 742. quomodo tres episcopatus in Germania instituerit, nempe apud Wirtzburg, sive Herbipolim, Buraburg & Erphesfurt, *seu* Erfordiam; quo anno in Germania, loco incerto concilium celebravit.

Idem porro legatus, vicarius & missus sedis apostolicæ in Galliarum provincia & Bajoaria, concilio Liptinensi præest an. 743. calendis Martiis habito, in quo superioris synodi canones relecti & approbati sunt, additis canonibus quatuor, quorum unum duntaxat Othlonus refert. Anno vero 744. Suessione habita est synodus episcoporum trium & viginti, cui præfuit Bonifacius; eodemque anno tria ipsi pro totidem metropolitanis pallia misit Zacharias papa, pro Rothomagensi videlicet, Remensi & Senonensi archiepiscopis, ac vices illi suas per Galliam omnem delegavit, quem & magnopere commendat epistola ad Galliæ Belgicæ & Germaniæ præsules, anno, ut volunt, scripta 748. cum jam anno prædicto 744. celeberrimum tota Germania Fuldense monasterium Bonifacius ædificasset, ut patet ex epistola ad Zachariam, quam vide inter instrumenta; jamque triennio ecclesiæ Moguntinæ præesset. Deposito siquidem, ut supra diximus, Gewiliebo Moguntino episcopo an. 745. *statim S. Bonifacius a supradictis, Karlomanno videlicet & Pippino fratre ejus, ecclesiæ Moguntiacensi præficitur. Et ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem principes ecclesiam Moguntiacensem, quæ prius alteri subjecta erat, metropolim omnium in Germania positarum ecclesiarum efficere: moxque legatione facta, illud a præsule apostolico impetravere*, ab eodem scripto diplomate, quod habes in appendice nostra, ex Auberto Miræo novæ edit. p. 641. ac inter epistolas Zachariæ papæ, numero XIII. in collectione Labb. concil. tom. VI. ubi & epistolæ summorum Pontificum ad eum scriptæ collectæ continentur. Ejus consiliis Carlomannus ita profecit, ut abjectis regiæ dignitatis pompa, deliciisque, in Monte-cassino vitam incognitus amplexus sit. Sic autem ejus frater Pipinus integro Francorum regno potitus, Suessione inungitur Rex, coronaturque

Mir. novæ editionis pag. 12.

745.

ANNI CHRISTI

an. 751. aut proximo ineunte, referentibus veteribus Francorum annalibus, ab eodem S. Bonifacio, quo etiam suadente multa pius Princeps
751. pro religione fecit.

Inde vero S. Bonifacius dicitur archicancella-
752. rius Pipini regis, in ejus diplomate anni 752. pro abbatia S. Willibrordi, dicta *Epternaco.* Tum idem a Zacharia pontifice Trevirensis ecclesiæ visitator instituitur, Milone archiepiscopo parum pie pontificatum administrante, ut est in MS. Trevirensi. Rexit etiam Ultrajectensem ecclesiam post obitum S. Willibrordi, quemadmodum Marcellinus refert in vita Swiberti apud Surium; & colligi potest ex his verbis Willibaldi in vita S. Bonifacii secul. III. Bened. part. 2. pag. 23. *multa jam millia hominum, virorum ac mulierum* (in Frisia) *sed & parvulorum, cum commilitone suo coepiscopo Coëbaneo* baptisavit, quem ad subveniendum suæ senilis ætatis debilitati, Fresonibus injuncto episcopo, in urbe, quæ vocatur* Trecht, *subrogavit.* Eoque nomine, Bonifacii rogatu, Pipinus Francorum rex ecclesiæ cathedralis sancti
753. Martini Ultraject. prædia confirmavit an. 753.

Mir. nova edit. pag. 641.

*al. Eobano.

Ibid. pag. 494.

Hoc etiam circiter anno scripsit Bonifacius epistolam ad Stephanum papam de statu ecclesiæ Ultrajectinæ post obitum S. Willibrordi. Verumtamen Mabillonius noster propendet, ut credat ecclesiam Ultrajectensem Bonifacio nonnisi tanquam archiepiscopo subjectam fuisse, atque etiam legati apostolici jure, propterea quod hæc episcopalis sedes Romano pontifici subjecta censebatur, ut patet ex epistola Bonifaciana 97. ad Stephanum papam. Id porro amplius discutiendum relinquimus, quando nobis erit sermo de Ultrajectensi ecclesia. Ceterum cum Bonifacius ad vitæ exitum se properare animadveteret, ea usus facultate, quam scriptis litteris ante annos quatuor concesserat Zacharias, sibi in sede Moguntina successorem ordinandi, & huic pontificiæ auctoritati regia etiam accedente, Lullum, qui fidelissimus prædicationis & laboris sui comes exstiterat, cujusque probitatem, & congruas illi dignitati dotes probe noverat, pro se Moguntinum episcopum elegit, & ordinavit an. 753. Quo facto in Frisiam trajecit anno seq. ut illic laborum suorum mercedem ac præmium perciperet, ubi prædicationis primitias posuerat. Cumque aliquando neophytos consignaturus esset, circumventus a Paganis ad vicum Dokingam martyrium passus est cum 52. sociis an. 754. nonis Junii, vel potius anno sequenti, referente Willibaldo vitæ S. Bonifacii auctore, cujus utpote æqualis præferenda videtur sententia. Sancti præsulis corpus cum sociorum corporibus translatum in urbem Trajectum ad Rhenum, ibi primum conditum ac sepultum fuit, postea vero, uti vivens ipse mandaverat, Fuldam delatum, in præparato ipsi arcuato sepulcro tumulatum est, multis subinde miraculis illustratum. De illo plura Serarius, lib. 3. de rebus Mogunt. ubi refert epistolas Bonifacianas e bibliotheca Viennensi Cæsarea erutas, quæ continentur etiam, tom. XIII. Biblioth. veterum Patrum, Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis, martyrologium die 5. Junii, & Aubertus Miræus in fastis Belgicis; sed præsertim Mabillonius noster secul. III. Bened. part. 2. pag. 52.

Ibid. pag. 23.

Annal. Bened. tom. 2. p. 161.

II. S. LULLUS, *sive* LULLO.

Ex Anglorum gente, moribus & vita laudabilis, inquit Wandelbertus Prumiensis diaconus, lib. 2. de gestis S. Goaris, cap. 1. in regno Saxonum Occidentalium originem accepisse videtur. Illum S. Bonifacius, suum appellat filiolum in epistola 92. qui quidem Lullus monasticam vitam professus est in Maldubia civitate, Eaba abbate, a quo sortitus est cognomen *Irtel,* teste monacho anonymo ejusdem cœnobii, cujus verba Mabillonius profert in historico Lulli elogio part. 2. secul. III. pag. 393. idque, rursus, nempe monachum fuisse, probari potest ex chartis tertia & vigesima-tertia corporis Traditionum Fuldensium auctore Johanne Friderico Schannat, in quibus vocatur *frater Lullo episcopus.* Hic porro grandior factus, circiter annum 732. in Germaniam accessit rogatu S. Bonifacii, a quo humanissime exceptus est cum sociis. Diaconus inde, sive in Britannia, sive in Germania ordinatus, scripsit epistolam Bonifacianam IV. Reverendissimo fratri Dealuno, jam dudum magistro, per Penewaldum fratrem litterarum portitorem, quibus *suffragiorum communionem postulat, &c.* Eumdem vero jam archidiaconum Bonifacio commendat Theophilacias archidiaconus sanctæ sedis apostolicæ, *seu Romanæ ecclesiæ, epist. 147.* Lullus demum presbyter factus, ad Zachariam papam missus est a S. Bonifacio; cujus rei indices sunt Bonifacii litteræ ordine 141. hoc exordio: *Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, ut hunc presbyterum meum portitorem litterarum mearum, nomine* Lul, *grato animo clementer suscipiatis, &c.* Hæc autem legatio contigit an. 751. ut patet ex responsione Zachariæ data indict. v. pridie nonas Novembris, quæ indictio a die 24. Septembris incœpta erat. Lege Othloni librum 2. de vita S. Bonifacii cap. 13.

Exactis fere duobus annis a sua legatione, 753.
Lullus a Bonifacio, ut diximus, episcopus ordinatus est, ac paulo post, Bonifacio in Frisiam proficiscente, Moguntiacensi cathedræ impositus. Exstat hac de re epistola Zachariæ apud Othlonum in lib. 2. cap. 9. prævitque Othlono Willibaldus in vita S. Bonifacii, cap. 10. ubi Bonifacius Lullum in episcopatus gradum provexisse, atque ordinasse dicitur. Corrigenda proinde Bedæ continuata epitome an. 754. ubi, mortuo Bonifacio, fertur pro eo Redgerus consecratus archiepiscopus a Stephano papa; qui quidem Pontifex nec Lullo pallium misit, nec ordinationem episcopalem contulit, sed Bonifacius ipse, ut diximus, priusquam in Frisiam ultimo proficisceretur. Sane Lullum non accepisse pallium a Stephano papa, probat epistola Adriani pontificis Romani Tilpino Remensi antistiti directa, & a Frodoardo relata in lib. 2. historiæ Remensis, cap. 17. qua ipsi Pontifex de Lulli vita & moribus, fide & ordinatione inquirere præcipit,

ut pallium Lullo, si aptum eum, dignumve A
judicet ad episcopalem cathedram gubernandam,
secundum consuetudinem ipse transmittat. Ubi
mirari subit, quid causæ fuerit, cur Adrianus examinari
voluerit Lulli ordinationem ante annos
decem peractam. Ceterum, mortuo Bonifacio,
Lullus memorem in tam dilectum patrem ac
magistrum animum gerens, ipsius corpus Fuldam
transferri, vitamque describi curavit. Monasterium
Hersfeldense perfecit, reditibusque amplissimis
auxit. Bleidenstadense excitavit, quo transtulit
B. Ferrucii reliquias, & S. Goaris ecclesiam
Caroli jussu benedixit, ejusdemque sancti viri
corpus in paratum sibi locum transtulit, cum B
Basino, Nemeti & Magengodo, Wirziburgi episcopis,
anno circiter 768. Interfuit Attiniacensi
763. placito anno 763. & concilio Romano sub Ste-
769. phano III. pontifice an. 769. cujus etiam ministerio
Widekindus Saxonum dux baptismi gra-
785. tiam percepit an. 785. ex annal. circuli Westphalici,
lib. 2. pag. 87. denique ad superos
786. evolavit anno 786. ex chronico Wirziburgensi,
tom. 1. Miscellan. Baluzii, die 16. Octobris,
seu XVII. cal. Novemb. ex Mabillonio, & aliis,
non autem XVIII. calend. Octob. uti legitur in
necrol. Laurishamensi, apud Schannatium, lib.
cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*. Moritur autem C
in monasterio Hersfeldensi, ubi etiam sepulturæ
locum habuit. Ejus laudes recensentur in codice
MS. Ingolstadiensi; cujus quoque vitam pluribus
exaravit Serarius in sua Moguntina historia;
Surius tom. 5. Cratepolius, Rabanus, Lupus
Servatus, Wandelbertus, Trithemius, & ultimus
omnium Mabillonius noster part. 2. secul. III.
pag. 392.

III. Richulfus & Ricolfus.

Alio nomine *Damœtas* dictus, ex archicapellano
palatii & consiliario Caroli-Magni, cui carissimus
fuit, beatum Lullum excepit, ordinatus D
787. Mogunt. archiepisc. an. 787. IV. nonas Martii.
Hunc falsas decretales ex Hispania primum in
Germaniam attulisse, auctor est Hincmarus epist.
24. ex quo plerique recentiores eum malæ mercis
fabricatorem putant. At Riculfum hujus farraginis
crimine vix par est onerare, maxime cum
Blondellus, qui primus dedita opera his epistolis
larvam detraxit, ipsum eo crimine absolvat.
Leoni III. pontifici maximo munera submisit,
a quo vicissim reliquias S. Cæsarii, quas postulaverat,
accepit, & appellari meruit *sanctissimus*,
epistola XIII. dicti Leonis gratulatoria. *Vir* autem
præpotens, excellentis admodum ingenii, auctoritate E
pollens, ut habet MS. codex, *præsentia tamen, &
hæc caduca despiciebat, æterna toto animo concupiscens.*
Utrum tamen caduca hæc & præsentia
animo tam magno infra se duxerit, dubites, si
vera sunt, quæ Latomus in catalogo MS. his
de illo verbis commemorat: *Quare cum esset archiepiscopus
admodum magnificus & opulentus,
gestaretque lituum, sive pedum aureum, reprehensus
fertur a Rege, quod a simplicitate majorum
deflecteret, & superfluum ornatum sequeretur.*

Sane vero Riculfus cum sancti Albani martyris,
qui ex Africa tempore Hunnerici Wandalorum
regis Moguntiam appulsus, martyrium
ibidem passus fuerat, neglectum tumulum videret,
locum elegantis fabricæ basilica exornavit,
ac B. martyri mausoleum erexit, auro, &
argento, gemmisque decoratum. Insuper in cultum
sanctuarii, & in ministerium altaris, vasa
aurea & argentea, sacrasque vestes pretiosissimas
contulit. Atque ut congruus sacro loco divini
officii cultus haberetur, contiguum eidem basilicæ
monasterium adjunxit in gratiam monachorum,
ad quorum usus multa prædia, cum villis
ac decimis contulisse memoratur. Hanc autem
basilicam consecrasse dicitur an. 805. calendis 805.
Decemb. ac Bleidenstadensem anno 812. die 6.
Junii. An. 809. Fuldam accessit pro compo- 809.
nendis monachorum cum Ratgario abbate querelis;
at illas non composuit, nisi an. 811. quo
circiter cum Bernhario Wormatiensi, Hattone
Augustano, Volfgero Herbipolensi episcopis iterum
Fuldam convenit. Eodem an. 811. sub- 811.
scripsit testamento Caroli-Magni cum plurimis
aliis præsulibus. Tum an. 813. die 9. Junii concilium
Mogunt. primum ex provinciis Moguntina
& Coloniensi conflatum ejus mandato celebratum
est in claustro S. Albani, eique præfuit cum
Hildebaldo Colon. archiepiscopo, cujus synodi
acta manuscripta dicuntur asservari in Bibliotheca
Cæsarea Viennensi; ac tandem eodem anno, ut
habet chronicon Wirziburgense *, & quidem * Tom. 1 miscell. Baluz.
9. Augusti, sive V. idus Augusti ex chronico
S. Galli *, *al.* 814. e vivis excessit, sepultusque * Ibid.
est in basilica S. Albani. De Riculfo meminere
Alcuinus, qui eum filium suum appellat, epist.
41. & Hincmarus Remensis scribens contra
nepotem Hincmarum Laudunensem. Ejus epitaphia
legere est apud Serarium, lib. 4. rerum
Mogunt.

IV. Atulphus, *sive* Haistulfus.

Riculfo successit, antea, inquiunt, Weissenburgensis
abbas, certe non Fuldensis, monachum
simpliciter ordinis Benedictini asserit Bruschianus
catalogus, Fuldensem monachum Bucelinus.
Is autem anno saltem 814. nec serius impositus 814.
est cathedræ Moguntinæ, siquidem hoc ipso
anno, X. cal. Jan. Rabanum Fuldensem monachum
presbyterum ordinavit, ex Fuldensibus annalibus
Lambecianis. An. 815. rogatu Ratgarii 815.
Fuldensis abbatis, teste Browero, ab ipso dedicata
est ecclesia in Cellis ad honorem D. N. J. C. &
S. Bonifacii martyris. Tum vero duobus post 817.
annis eodem Ratgario Fuldensi abbate deposito,
& in exsilium amandato, Eigilonem ejus successorem
paterne inter alia monuit, ut talem se filiis
patrem exhiberet, qualem sibi & fratribus Ratgarium
esse postulaverat, deinde anno insequenti
more solito ipsum benedixit; posteaque Fuldensem
basilicam in honorem S. Salvatoris calendis
Novembris an. 819. ipse consecravit; qua de re 819.
carmen Rabani, & anno abhinc tertio, id est
an. 822. XVIII. calend. Febr. parvam ecclesiam 822.
subterraneam ad cœmeterium Fuldensium fratrum
dedicavit. Dictus porro Rabanus libros de

institutione clericorum, necnon & suos in Matthæum commentarios ei dedicavit ; quibus in scriptis cum Haistulfus singularem viri perspiceret doctrinam, & in erudiendis aliis ingenii dexteritatem, hortatus Rabanum est ad homilias in textus populo explicari solitos conscribendas, cui & ille morem gessit. An. 821. mense Octobri sedit in concilio Theodonis-villæ cum episcopis & metropolitanis provinciarum Moguntinæ, Colon. Trevir. & Remensis, vide tom. VII. concil. pag. 1519. Adfuit etiam anno seq. synodo
825. Triburiensi prope Moguntiam, & an. 825. in conventu Aquisgranensi habito mense Maio nominatur inter missos dominicos, capitul. cap. 25. At non diu postea vixit; mortuus enim legitur eodem anno, *seu* decimo-tertio imperatoris (Ludovici Augusti) ex chronico Hildensheimensi, v. cal. Jan. ex Serario, aut 28. Januarii, ex codice MS. hoc est 826. ineunte, uti nunc computamus, sepultusque est ad S. Albanum in sacello B. Bonifacii, cum hac inscriptione :

Præsulis Haistulfi sita sunt hoc membra sepulcro,
Pontificale sacrum qui bene gessit onus.
Bis senis urbem hanc pastor qui rexerat annis,
Dogma & apostolicum protulit ore sacro.
Justitiæ custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis, & pietate placens.
Lulli discipulus, successor rite Ricolfi,
Ambobus, meritis non minor iste fuit.
Quis te, sancte pater, cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat!

V. Otgarius.

Sic ipse nomen suum scribit in autographo Dionysiano, cujus mentio paulo post fiet. Riculfo sanguinis nexu conjunctum fuisse docet Benedictus levita in præfatione capitularium. Erat autem abbas Weissemburgensis, quando in locum Haistulfi subrogatus est; statimque lustralibus aquis tinxit Harioldum sive Haraldum primum Danorum regem christianum, cum ejus uxore, magnaque Danorum multitudine : cujus quidem Regis ac Reginæ susceptores in baptismo fuere Ludovicus imperator & Juditha augusta, an.
826. 826. Tum vero an. 829. Moguntiæ synodum
829. habuit, in qua apud ipsum, aliosque patres Gothescalcus conquestus est, quod Rabanus Fuldensis abbas ipsum ad vitæ monasticæ professionem adegisset, & votum parentum de se puero factum, ratum habere coëgisset. Cujus querelis Otgarius favens cum aliis episcopis Gothescalcum a voto absolvit. Deinde adfuit circa 831. consecrationi S. Ansgarii in primum Hamburgensem archiepiscopum. Sua quoque subscriptione probavit partitionem bonorum Dionysiani monasterii fac-
833. tam an. 833. uti ex autographo intelligitur, in libro de re Diplomatica relato, & explicato,
835. lib. 6. n. 75. pag. 521. An. 835. adfuit synodo
837. Theodonis-villæ, & an. 837. in synodo Carisiacensi damnavit monachos Anisolenses, qui subdi episcopo Cenomanensi recusabant. Subscripsit etiam edicto Lotharii Augusti pro restitutione Ebonis in sedem Remensem, dato 24. Junii

A 840. in conventu Ingelheimensi prope Moguntiam, cui adfuit Otgarius cum multis aliis metropolitanis & episcopis. Tradit autem Lambertus Scafnaburgensis Herosfeldenses monachos anno 840.
845. reconciliatos fuisse cum Otgario archiepiscopo, super decimis frugum aliarumque rerum ex provincia Thuringorum, per fideles legatos domini Luituichi (Ludovici Germanici) episcopos videlicet ac præsides. Denique, si Trithemio fides, hoc an. 845. decessit Otgarius, 846. ex chronico Wirziburgensi, at melius 847. XI. 845. 847.
cal. Maias, ex annalibus Fuldæ & chronico Hildensheimensi; conditus est ad S. Albanum; cui,
B dum viveret, suos Rabanus in Sapientiam & Ecclesiasticum circa an. 840. nuncupavit commentarios, & an. 842. suum librum pœnitentialem; quem etiam Otgarium Benedicto Moguntiacensi Levitæ auctorem fuisse, ut capitularibus Caroli-Magni & Ludovici Pii ab Ansegiso collectis, librisque quatuor comprehensis tres alios adjiceret ipsemet testatur Benedictus in his versiculis :

Quatuor explicitis, lector venerande, libellis,
Qui canonum recitant jura tenenda satis,
Quosque pater quondam collegit nobilis apte
Ansegisus ovans, ductus amore Dei ;
C *Otgario demum, quem tunc Moguntia summum*
Pontificem tenuit, præcipiente pio,
Post Benedictus ego ternos Levita libellos
Adnexi, legis queis recitatur opus.

VI. Rabanus-Maurus.

Patria Moguntinus, ex abbate quinto Fuldensi, in locum Otgarii suffectus est an. 847. 847.
die non ita certo ; annales enim Pithæani habent v. calend. Julii, Franco-Saxonici MSS. optimæ notæ, VIII. cal. ac denique Franco-Fuldenses VI. cal. quæ dies, utpote hoc anno in Dominicam incidens, magis arridet Mabillonio. Eodem or- *Secul. IV. Bened. part. 2. pag. 30.*
D dinationis suæ anno, circa calendas Octobris, jubente Ludovico Germaniæ rege, concilium habuit cum suis suffraganeis in monasterio sancti Albani ; quo etiam anno mulier quædam *de Alemanniæ partibus, nomine Thiota, pseudoprophetissa, quæ certum diem consummationis seculi se scire jactitabat, & falsis vaticiniis plebem turbaverat, Moguntium venit, ubi publice flagellis cæsa.* Aliam quoque synodum Moguntiæ tenuit an. 848. in qua congregati præsules, Gothescalcum Orbacensem monachum, de prædestinatione Dei prave sentire, ut plurimis visum est, convictum, inquiunt annales Fuldenses, ad pro-
E prium episcopum Ingumarum (Hincmarum) Remos transmiserunt. Certe Lupus Ferrariensis epist. 30. ad Gothescalcum, eum non obscure carpit, quod in variis quæstionibus ingenium suum contereret, a quibus proinde ipsum abstinere hortatur. Multa alia subinde Rabanus pro ecclesiæ suæ utilitate ordinavit, in quibus extra muros Fuldenses monasterium Montis S. Petri ab eo conditum est ; instauratum Clingense monasterium, cujus alteram saltem basilicam incendio consumtam in integrum restituit ; & ecclesia S. Wigberti in cœnobio Fritislariensi an. 850. 850.

ANNI CHRISTI

dedicata, & quidem v. cal. Nov. ex chronico Hildensheimensi. Ad quem etiam annum hæc habentur in annalibus Fuldensibus & Metensibus: *Anno* DCCCL. *gravissima fames Germaniæ populos oppressit, maxime circa Rhenum; Morabatur autem Rahtbanus Moguntinus archiepisc. eo tempore in quadam villa parochiæ suæ, cui vocabulum est Winzella; & pauperes de diversis locis venientes suscipiens, cotidie plusquam trecentos sustentabat, exceptis his, qui in præsentia ejus assidue*

852. *comedebant, &c.* An. 852. Moguntiæ synodus habita est, præsidente Rabano archiepiscopo, cui synodo episcopi atque abbates omnes, Orientalis Franciæ, Bajoariæ & Saxoniæ adfuerunt, præsente Ludovico rege, qui synodalia decreta comprobasse dicitur in annalibus Fuldensibus. Insuper anno seq. celebrata est synodus in palatio regio *Franconoford*, præsente Ludovico Germaniæ rege, in qua quid Gozberto Osnabrugensi episcopo in Herifordensis parthenonis ecclesias competere deberet, definitum est coram archiepiscopo

856. Rabano. Hic tandem mortuus est anno 856. pridie* nonas Febr. ex annalibus prædictis & chronico Leodiensi, tom. 3. anecdot. Martennii, sive 855. ex chronico Wirziburg. & Hirsaug. pro varia inchoandi annum ratione, cum ætatis annos fere septuaginta, in episcopatu annos novem, mensem unum & dies quatuor exegisset; quod quidem tempus quo pacto sit computandum, vide Mabillonium secul. IV. Bened. part. 2. pag. 35. Eum vero decessisse apud Vinicellam, habitationis suæ vicum ad Rhenum, auctor est Trithemius. Ejus corpus, uti vivens mandaverat, Moguntiam relatum est, & in suburbana monasterii S. Albani basilica sepultum, nempe in sacello sanctorum Martini & Bonifacii, uti legitur in brevi de eo commemoratione, quæ post ejus libros de Universo habetur in codice nostro MS. Germanensi n. 270. in hæc verba: *Rabanus-Maurus, Moguntiæ natus & renatus, & a puero in Fulda monachus, deinde cella inclusus, tandem in archiepiscopum adsumitur: cujus idonea sunt opuscula in utriusque testamenti pagina. Et ante portam prædictæ civitatis meridianam apud S. Albanum sepulcri ejus ostenditur memoria in sanctorum archiepiscoporum Martini & Bonifacii capella;* tum ejus epitaphium ab ipsomet, ut videtur, compositum, in eodem codice subditur sub hoc titulo: *Epitaphium S. Rabani-Mauri Moguntiæ sedis archiepiscopi, apud S. Albanum sepulti.*

* Mendosè, ut videtur IV. nonas Febr. in necrol. eccl. Mog. apud Schannatium, lib. cui titulus, *Vindemiæ litterariæ.*

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam,
Tempore mortali, discere sic poteris.
Urbe quidem (hac) genitus sum, & sacro fonte renatus,
In Fulda posthæc dogma sacrum didici;
Quo monachus factus, seniorum jussa sequebar;
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incaute hanc, nec fixe semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast ubi jam plures transissent temporis anni,
Convenere viri vertere fata loci.
Me abstraxere domo invalidum, Regique tulere
Poscentes fungi præsulis officio;
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
Nec pastoris opus jure beneplacitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus
Feci quod poteram, quodque Deus dederat;
Nunc rogo te ex tumulo, frater dilecte, juvando,
Commendes Christo me ut precibus Domino,
Judicis æterni me ut gratia salvet in ævum,
Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Raban nempe mihi nomen: cui lectio dulcis
Divinæ legis semper ubique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cælestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

Vitam Rabani Rodolfus Fuldensis monachus, ejus discipulus scripsit, eamdemque Mabillonius recudit cum observationibus præviis, & elogio historico; tribus quoque libris eam complexus est Trithemius abbas; Baronius tom. x. & Serarius, lib. 4. sed plura de eo scriptorum illustrium elogia exstant, quæ pleraque Mabillonius congessit loco citato, pag. 37. Eum se habuisse præceptorem Lupus Ferrariensis gloriatur epist. 40. quo quidem suo discipulo rogante collectarium fecit de diversis SS. Patrum opusculis in epistolas S. Pauli, uti notat Rodulfus in ejus vita, secul. IV. Bened. part. 2. pag. 19. & ipse testatur Rabanus tum in epistola ad Samuelem episcopum, tum in alia ad ipsum Lupum. De ceteris ejus scriptis fuse disserit Mabillonius loco citato, pag. 38. ubi quæ legitima, quæ spuria & aliena; quæ restant inedita, & quo tempore singula scripta sint, docte, ut solet, commemorat, ad quem remittimus lectorem. Denique postquam sanctum Rabani corpus, teste Trithemio, annis 659. in cœnobio S. Albani sepultum, in sarcophago juxta murum chori elevato permansisset, Albertus cardinalis Brandeburgicus anno præsulatus sui Moguntini primo, Magdeburgensis autem secundo, basilicam S. Albani ingressus, cum ejusdem Rabani & aliorum novem pontificum sancta corpora sine honore neglecta videret, auctoritate non minus apostolica, quam ordinaria usus, corpus S. Rabani quondam archiepiscopi totum, & S. Maximi episcopi medium, permissione canonicorum inde abstulit, & in Saxoniam transferrens, apud Hallas oppidum in basilica sancti Mauricii solemni processionis officio collocavit an. 1515. indict. III.

Secul. IV. Bened. part. 2. pag. 1. & seqq.

VII. CAROLUS.

Ex Pipino I. rege Aquitaniæ & Engeltrude, Theodeberti Madriacensis comitis filia ortus, Pipini II. frater, & Ludovici Pii imperatoris nepos, Rabano successit anno 856. VIII. idus 856.
Martii, uti testantur annales Fuldenses. Hic porro ante ordinationem suam, anno scilicet 849. mense Martio, ait auctor chronici Fontanellensis, 851. ex annalibus Bertinianis, quod auxilium Pipino fratri in Aquitaniam destinaret, a Viviano comite captus, & jubente Carolo rege tonsus fuerat, ac in monasterium Corbeiense retrusus; quem inde postea fuga elapsum tradunt annales Bertiniani, in quibus hæc leguntur ad annum

ANNI CHRISTI

854. *Carolus Pippini frater, jam diaconus ordinatus, a Corbeiensi monasterio recedit;* nempe ad Ludovicum patruum suum, Germaniæ regem defecit; & ut ex annalibus MSS. probat Henschenius in commentario prævio ad vitam Rabani archiepiscopi Mogunt. eidem successit, non solum ex voluntate Regis, verumetiam ex consensu & electione populi; qua in re dissentiunt annales Fuldenses, dum Rabano successisse Carolum tradunt, magis ex voluntate Regis & consiliariorum ejus, quam consensu & electione cleri & populi. Ceterum de Carolo sic loquitur vetus codex MS. Moguntinus, a Serario relatus: *Carolus S. Pipini regis Aquitaniæ filius, & Corbeiensis antiquæ in Francia monachus, vir carne quidem nobilis, sed omnium virtutum genere nobilior, conversatione religiosus, devotione plenus, scientia legis divinæ & humanæ optime pollens, ad quem sæpe summus pontifex litteras destinavit, a patruo suo Ludovico Germaniæ rege, e monasterio vocatus, in Moguntiacensis ecclesiæ archipræsulem septimum sublimatus est.* Præfuit synodo Moguntinæ circa calendas Octobris anno 857. cujus

857. synodi, *Magnæ* a Lamberto appellatæ, acta ignorantur. Gessit autem Carolus archicancellarii officium sub Ludovico rege; ac demum e vivis ex-

863. cessit an. 863. die 4. Junii, *seu* pridie nonas, ex annal. Fuld. & Lamberto Scafnaburgensi, ipsis vero nonis Junii, hoc est die 5. memoratur in necrol. ecclesiæ Moguntinæ apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ.* Jacet ad S. Albanum, quam ecclesiam nimio terræ motu concussam restauraverat. Ejus tale est epitaphium:

Quis lateat tumulo, quisquis miraris, in isto,
Nolo mireris: tu quoque pulvis eris.
Sic equidem dura mors exercet sua jura,
Ut nulli parcat, parcere nec valeat.
Est testis Carolus regali semine natus,
Præsul magnificus, vermibus esca datus.
Sed, lector, fragilis quia putrent omnia carnis,
Dic, animæ perpes ut maneat requies.

VIII. Luitbertus.

Sive Lieutbertus successor Caroli, ejusdem sedis honore sublimatus est pridie cal. Decemb. ex annal. Fuld. & Lamberto Scafnaburg. ad annum 863. *al.* die 29. Nov. ex D. Fleury, in

864. sua hist. eccles. Anno insequenti adfuit synodo Pistensi, in qua cum aliis episcopis subscripsit confirmationi bonorum omnium monasterii S. Germani Autissiodorensis. Idem anno 865. S. Rimbertum in locum S. Anscharii Bremensis archiepiscopi electum, ac Ludovici regis jussu Moguntiam adductum episcopali charactere insignivit. Tum vero Luitbertus sedit in concilio

866. Suessionensi III. anno 866. cujus præsules in epistola synodica ad Nicolaum papam scripta gratulantur, *quod ipsius benefico munere donatus est pallio pontificali, & ob sanctitatis ejus reverentiam, sapientiæ amplitudinem, interventu Caroli-calvi regis huic synodo eum aggregari expetierunt.*

868. Duobus abhinc annis, nempe an. 868. habitum est Wormatiæ concilium provinciale in causa ecclesiasticæ disciplinæ, cui præfuit Luitbertus noster, & in quo Luthardo Paderbornensi antistiti facultatem dedit parthenonem Herisiensem excitandi. Eodem anno conventui Metensi apud S. Arnulfum, & Aquisgrani 870. in conventionibus habitis cum Ludovico & Carolo regibus 870. interfuit, uti tradunt capitularia Caroli-calvi, de quibus tamen duabus synodis nihil nobis occurrit. Sedit autem an. 873. in synodo Coloniæ 873. jussu Ludovici regis, VI. cal. Octobris congregata, cujus acta leges, tom. 9. concil. Labb. pag. 252. ac postridie ibidem adfuit ecclesiæ metropolitanæ dedicationi. Exinde Johannes VIII. papa eum invitavit, epist. 106. apud Ivonem, cap. 51. ad concilium, quod celebraturus erat apud Trecas, habitumque est an. 876. ipsum monens, *ut secundum cælitus sibi datam sapientiam frequenti* 876. *exhortatione suggereret Ludovico Germaniæ regi,* ut ad præfatam synodum venire non gravaretur; attamen huic cœtui minime adsuit. Aliam idem Pontifex ad eum scripsit epistolam, scilicet 108. de restituenda filiabus Bosonis hereditate. Anno 880. convocavit synodum episcoporum in sua 880. diœcesi, ubi nulla habita fuerat a multo tempore. Convocatam fuisse constat ex 23. & 24. earum formularum, quæ vocantur *Alsaticæ.* Annum probant plures aliæ ex iisdem formulis, Baluzio teste in notis ad Galliam Christianam. Adsuit an. 887. concilio Coloniensi, & anno insequenti 887. præfuit alteri in sua urbe habito, cum Williberto Coloniensi, & Ratbodo Trevirensi archipræsulibus, triumque provinciarum episcopis. Cancellarius fuit Caroli Crassi, & in diplomate pro S. Medardo legitur archicancellarius. Vide Mabillonium, lib. 2. Diplom. cap. 12. n. 9. Fundavit quoque collegiatam ecclesiam S. Mauricii, ac tandem ex hac luce migravit an. 889. VIII. 889. idus Septemb. ex necrol. ecclesiæ S. Mauricii Mogunt. depositus ad S. Albanum. Plura de illo memorant Rhegino, Otho Frisingensis, Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Aventinus annalium Boiorum, lib. 4. Serarius, & annalium Francorum-Fuldensium scriptor, qui eum nobilem archiepiscopum, probitate morum insignem, & doctum appellat. Ea vero fortasse de causa Otfridus monachus Weissenburgensis in Alsatia insigne opus Evangeliorum versibus Teutonicis redditorum *ejus sagaci prudentiæ probandum* transmisit, ut in præfatione latina Luitberto inscripta legitur. Vide Mabill. ad an. 865. n. 48. Cujus etiam Otfridi ad Luitbertum epistola legitur ad calcem opusculorum Hincmari. Ipsius vita his quatuor explicatur versibus in codice MS. & in annal. Fuldens.

Largus erat multum, patiens, humilisque, benignus,
Omnibus exemplum, in bonitate manens.
Ister qua fluitat, currit Rhenusque bicornis,
Litterulis doctis doctior ipse fuit.*

* al. doctis & ille fuit.

ANNI CHRISTI

IX. Sunzo & Sunderoldus, *seu* Sinderoldus.

Moguntiæ natus, Rheginoni, lib. 2. vir religiosus, sacrisque litteris in Fulda monasterio, ubi monachus erat, ab ineunte ætate excultus, post Moguntinus præsul, Arnulfi imperatoris favore, renuntiatur anno 889. *al.* 890. quem Stephanus papa eo nomine quintus jussit interesse concilio apud Vangionum civitatem anno
890. 890. cui Fulco Remensis archiepiscopus, eodem Pontifice jubente, præfuit, vide Flodoardum, lib. 4. cap. 1. Ipse vero Sunderoldus præsedit eodem anno in synodo Forcheimensi, cum Herimanno Colon. ubi cum aliis præsulibus, rogatu Bisonis episcopi Paderbornensis, Herisiensem parthenonem peculiari confirmarunt diplomate, quod habes apud Schatenum annalium Paderborn. lib. 3. pag. 221. Cum autem per biennium circiter Moguntinam ecclesiam gubernasset, haud procul a Clivia, inquit D. Fleury, seu ad torrentem Guliam, ait Mabillonius, in prælio contra Normannos, una cum Arnulfo comite
891. occubuit VI. cal. Julii 891. Rheginoni, Sigeberto, & annalium Fuld. scriptori, necnon Augiensi chronico, tom. 1. miscell. Baluzii, pag. 498. itemque Wirziburgensi, ibidem pag. 505. non vero 893. indict. XI. uti legitur apud Trithemium in prolixiori chronico Hirsaug. Ceterum sanctus & martyr nuncupatur IV. cal. Julii in necrologio ecclesiæ Moguntinæ apud Schannatium in libro, cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*. Sunzonis exanime corpus honorifice ad natale solum Moguntiam relatum, apud S. Albanum sepelitur. Ejus elogium habes secul. IV. Bened. part. 2. pag. 489. cujus etiam epitaphium refert Serarius, lib. 4. rerum Mogunt.

Hist. eccles. tom. XI. pag. 602.

X. Hatto I. *seu* Otto.

Augiensis abbas, obscuro, inquiunt, genere ortus, decessori suo moribus longe dissimilis, ingenio subtilis & vafer, quem tamen, quod Arnulfo regi acceptissimus esset, *cor Regis* appellabant, inauguratur archiepiscopus in æde sua metropolitana 891. quo ipso anno San-gallensibus loco Bernhardi depositi abbatem dedit Salomonem. Cellam quoque his temporibus & basilicam in honorem S. Georgii in insula Augiensi exstruxit, referente Hermanno, quam anno seq.
892. 892. ejusdem S. martyris reliquiis, capite nimirum, & alio quodam membro, acceptis a Formoso papa, decoravit. Exinde Hatto die 1. Febr. an. 893. adfuit coronationi Caroli Simplicis, factæ Remis, præsentibus Rathbodone Trevirensi & Hermanno Colon. præsulibus, cum suis suffraganeis; tumque Triburiensi concilio prope Mo-
895. guntiam præfuit an. 895. mense Maio, præsente
899. Arnulfo rege, qui hunc an. 899. legatum misit ad publicum colloquium, quod Zuentiboldus Lotharingiæ rex, pace composita cum Carolo rege Francorum, habuit apud S. Goarem. Porro graves inter eum, Albertum comitem, & Henricum Saxoniæ ducem simultates intercesserunt, de quibus disserit fusius Otto Frising. lib. 6. cap.

A 15. Ei librum de Musica Hugboldus Elnonensis monachus dicat; hunc & urbem Moguntiacum transtulisse, Rhenoque propius quam erat exstruxisse testatur D. Fleury in sua hist. eccl. ad an. 910. Idem cum suis suffraganeis scripsit epistolam ad Johannem papam IX. de morte Arnulfi, quæ contigit 899. die 29. Nov. de Ludovico ejus filio, qui septennis salutatus fuerat Germaniæ rex, & de archiepiscopatu nuper apud Moravos erecto. Fuit autem ejusdem Ludovici regis cancellarius, ut liquet ex diplomate an. 910. Tri- 910.
buriæ dato. Denique Romam sub finem vitæ profecturus Hatto, Constantiam accessit, Salo-
B monem episcopum amicum suum invisurus, eique thesauros suos, Moguntinis minime fidens, dum rediret, commissurus. His ea lex sodalitatis erat, ut quia ambo versutissimi erant, alter alterum, ubi posset, qua verbis, qua rebus, falleret. Erant Salomoni duo vascula, unum æneum ad aquam, alterum aureum ad vinum bibendum. Hatto discessurus vas aquæ ab eo petiit, sed a pincerna vas aureum, quasi ex domini mandato, accepit. At Salomon, fraude intellecta, thesauros Hattonis sibi ea lege consignatos, ut si ille in Romano itinere obiret, eos pro arbitrio dispertiret; sparso de Hattonis obitu rumore, ornandis
C ecclesiis, egenisque recreandis impendit; cumque reversum ex Italia his verbis lenivit, optime cum illo actum dicens, eleemosynas quippe, quæ obitum præcedunt, Deo longe gratiores esse iis, quæ sequuntur, & acceptiores. Non diu post obiit Hatto *Italica febre* confectus, an. 912. ex 912.
Lamberto Scafnaburgensi, Rheginone, ac Fuldensium annalium auctore, necnon ex chronico Wirziburg. *al.* 913. 914. & 915. Notatur vero dies obitus ejus in necrol. ecclesiæ Moguntinæ apud Schannatium libro laudato, XV. cal. Febr. itemque in necrologio Laureshamensi, *ibid.* in quo dicitur archiepiscopus *ex abbate nostræ*
D *congregationis;* nimirum hanc abbatiam cum Augiensi, Elwangensi & aliis, ut ferunt, plurimis, etsi non monachus, in episcopatu retinuit.

XI. Herigerus.

Post Hattonem mortuum, factus est Moguntinus antistes Herigerus, quem Fuldensem abbatem, virumque diuturna religionis exercitatione commendabilem fuisse probat Serarius ex quodam Moguntino codice, quem minorem vocat. Si ita est, non dubito, inquit Mabillonius, lib. 41. annal. Bened. tom. 3. pag. 341. quin is sit Huoggi, *seu* Huoggerus, & *al.* Hugo, Ful-
E densis abbas, quem Browerus ad hunc annum pervenisse demonstrat ex diplomate Conradi regis, qui ei insigne super decimis, electione & ceteris monasterii exceptionibus privilegium concessit, datum VIII. idus Apr. an. 912. ind. XV. Ceterum Herigerus Johannis X. papæ jussu concilium indixit Altenheimii, quod in Rhætiæ ac Norici confiniis est, cui adfuit. Hoc autem in concilio an. 916. Conradi imperatoris anno 5. 916.
XII. cal. octobris habito, inter alia decretum, ut Richwinus Argentoratensis ædis occupator Herigero Moguntino satisfaceret, sin minus, curia

ANNI CHRISTI

sacerdotum exaugurarctur. Idem anno 919. A
Henricum Aucupem Romanorum regem Fislariæ
pronunciavit, quem & sacra volebat inunctione
delinire, sed ille præ modestia recusavit, Regis
nomine satis superque contentus. Tum vero
922. 922. adfuit concilio Confluentino, cum archi-
episcopo Colon. & sex episcopis; ac tandem vi-
924. vere desiit an. 924. calendis Decembris ex Lam-
berto, & ex chronographis, tum Saxonico, tum
Hildensheimensi, quos approbat Serarius, &
Mabillonius sequitur. Nam quod attinet ad Ru-
pertum quemdam, modo episcopum ex abdica-
tione Herigeri, modo duntaxat coadjutorem in
Bruschiano catalogo memoratum, Serarius om-
nino rejicit, utpote de quo nulla fit alibi mentio,
nisi forte, inquit, interpontificium aliquod fuit,
in quo rem administrare potuit Rupertus aliquis,
non episcopus, sed vicarius, & quasi procurator.
De cetero alias aliorum sententias de anno mortis
Herigeri prætermittere visum est, utpote nullo
æque firmo subnixas fundamento.

XII. Hildebertus.

Francus genere, ex abbate Fuldensi, ob vitæ
sanctimoniam, eruditionem & singularem sapien-
tiam, ad pontificatum provectus est an. 924. ex
chronicis tum Saxonico, tum Lamberti Scafna-
burgensis; additque Witikindus, lib. 2. eum inter
cetera gratiarum dona spiritum prophetiæ acce-
pisse. An. 926. auctoritate sua effecit, ut Diethar-
dus, *seu* Diethmarus monachus S. Galli in locum
Rudolfi Hirsaug. abbatis mortui eligeretur. Fuit
autem Hildebertus Henrici Aucupis Cæsaris sacræ
capellæ archicapellanus, ut scribit Cuspinianus in
Ottone magno, sed male a quibusdam Orientalis
Franciæ dux nuncupatur. Auctor fuit eidem
Henrico regi, ut celebraretur concilium Erfor-
932. diense, quod habitum est die 1. Junii an. 932.
935. eique præfuit. An. 935. decem primorum an-
tistitum Moguntinorum ossa ex æde S. Hilarii
solemni pompa in S. Albani transtulit basilicam.
Dein Ottone ad imperium electo, dum Colo-
niensis ac Trevirensis archiepiscopi de unctione
regia inter se contenderent, proceres Hildebertum
delegerunt, qui ceremoniam perageret in palatio
936. Aquensi 936. hanc descripsere Otto Frising.
Witikindus, ac Trithemius in chronico Hersaug.
pag. 66. Insuper autem eodem anno Fuldæ sa-
cellum S. Georgii, abbatis Hadamarii rogatu,
dedicavit. Cujus denique mortem alii aliter con-
signant. Verumtamen præponderare debet, ut
quidem nobis videtur, necrologii Fuldensis auc-
937. toritas, quod sic habet: *Anno 937. Hiltibraht*
(is est Hildebertus) *archiepiscopus 2. cal. Junii*
obiit. Ita quoque D. Fleury in sua hist. eccles.

XIII. Fridericus.

Tom. 1. misc. Baluz. Frithuricus appellatur ab Augiensi chrono-
grapho, qui quidem minus apposite ejus ordina-
tionem refert ad annum 936. Is antea Fuldensis
monachus, cum Gisleberti Lotharingiæ ducis,
qui sororem Ottonis magni Gerbergam duxerat,
propinquus esset, hujus affinitatis beneficio ad
hanc dignitatem sibi gradum fecit. Vir alioquin
in sancta religione strenuus & valde laudabilis,
inquit continuator Rheginonis, vir optimus &
omni religione probatissimus, habet chronicon
Saxonicum nondum editum. Et certe sub ipsa
suscepti pontificatus initia Fridericus ostendit,
quam in rebus ecclesiarum promovendis vigilans
esset ac impiger. Suasit enim in primis Othoni
imperatori, qui Magdeburgi celebre instruere
cœperat monasterium an. 937. ut res ad victum 937.
cultumque fratrum necessarias abunde suppedita-
ret. Quatuor vero post annis ipse conspirationis
in Ottonem insimulatus, etsi se communione
corporis & sanguinis Domini purgasset, Fuldam
B tamen est deportatus an. 941. quo quidem anno 941.
ipsius habetur mentio tanquam archicapellani in
præcepto Ottonis I. imperatoris pro Metensi mo-
nasterio S. Arnulfi, quod editum est in historia
episcoporum Metensium, pag. 305. Anno sub-
inde 947. mandatum legationis apostolicæ de- 947.
tulit ad Robertum Trevirensem archiepisc. ut
cognosceret de controversia Hugonis & Artaldi,
qui Remensem ecclesiam sibi vindicabant; &
anno seq. adfuit synodo Engilenheimensi, ubi 948.
damnatus Hugo, ex Flodoardo; quo ipso anno
beati Petri collegium ac templum extra urbis
Moguntinæ mœnia a se constructum, benedixit.
C Denique Augustano concilio præfuit an. 952. 952.
decimo-sexto regni Othonis, die 7. Aug. indict.
x. postquam anno præcedenti * Moguntia civi- * 953. ex chron. Augiensi, tom. 1. miscell. Baluz.
tas ab Ottone rege obsessa fuisset, ex Trithemio,
qui addit archiepiscopum Fridericum ab eodem
denuo captum fuisse, & in monasterio Fuldensi
sub custodia Hademari abbatis non multo tem-
pore mancipatum. Obiit an. 954. ex chronico 954.
Hildensheimensi, ubi dicitur *vir summæ absti-*
nentiæ, in religione sancta & doctrina probatus,
& quidem die 25. Oct. uti legitur in Augiensi
chronico & consentiunt Mabillonius ac D. Fleury,
non autem an. 953. ut habet chronicon Wirzi-
D burgense, tom. 1. miscell. Baluzii, *vel* 955. ex
Trithemio. Sepultus est ad S. Albanum, apposito
ad ejus tumulum epitaphio, quod Serarius retulit.
Ejus elogium habes secul. v. Bened. pag. 118.

XIV. Guillelmus.

Dux Saxoniæ, imperii archicancellarius, Ottonis
I. ex concubina Sclavonici generis natus, aiunt
Sammarthani, *seu* potius, ex prima conjuge
Ottonis Edgitha Angliæ regis filia, ut Witikindus
Saxo, Merserus, Bruschius, Trithemius, Serarius,
& ultimo D. Fleury existimant, electus est an.
954. ut ipse tradit sub finem chronici Augiensis,
E tom. 1. miscell. Baluz. his verbis: *Anno Dominicæ*
Incarn. DCCCCLIV. indict. XII. beatæ memoriæ
domnus Frithuricus sanctæ Moguntiacensis ecclesiæ
archiepiscopus VIII. cal. Novemb. obiit. Eodem
vero anno ego Willelmus tantæ successionis indignus,
loco ejus, cum consensu cleri & populi ejusdem
sanctæ sedis, XVI. cal. Jan. (ipsoque die pace
inter regem Ottonem & filium ejus Liudolfum
facta in loco Aranstedt) sum electus, & in IX.
cal. Jan. Moguntiæ ordinatus, ut additur in MS.
ait Serarius, *per patruum S. Brunonem archiep.*
Coloniensem. Hæc eadem Trithemius habet in
chronico

ANNI CHRISTI

chronico Hirsaug. contracto, sed nonnihil immutata in fusiori. Inde vero Guillelmus scripsit chronicon, in quo de archiepiscopis Remensibus & Moguntinis. Eum Witikindus lib. 3. sapientem, prudentem, pium & cunctis affabilem nominat; de quo etiam Rogerus in vita S. Brunonis,
957. & Bavariæ historia multa produnt. Anno 957. Ludolfum fratrem in Italia defunctum, indeque translatum, apud S. Albanum honorifice tumu-
961. lavit. Tum an. 961. Otto imperator Ottoni filio, vix sexenni, Regi designato & Aquisgrani die Pentecostes coronato Germaniæ regnum sub tutela Willelmi archiepiscopi Moguntini commisit.
965. Deinde Guillelmus an. 965. S. Albani monachis auctor fuit, imo mandavit, ut Wernherum Hirsaugiæ cœnobitam in locum Adelhardi fato functi abbatem S. Albani constituerent. Anno
967. 967. Othonem secundum fratrem, parentis jussu, Romam deduxit, ut insignia imperii susciperet. Nec multo post, anno scilicet insequenti, invisit S. Mathildem aviam suam, nimirum matrem Ottonis I. quem genuerat ex Henrico cognomento Aucupe; & ab ea vaticinium accepit mortis proximæ. Cum enim reginam absolvisset a peccatis, post factam confessionem, atque sacrosancto corporis & sanguinis Domini mysterio recreasset, pallium ipsius sepulturæ destinatum ab ea discedens accepit; & quidem in itinere morte repentina exstinctus est, priusquam Mathildis moreretur, an.
968. 968. vide secul. v. Benedict. pag. 350. Obiit autem VI. nonas Martii ex Serario, vel ipsis calendis, uti legitur in necrologio ecclesiæ Mogunt. apud Schannatium libro sæpius laudato. Ejus corpus Moguntiam delatum, magno omnium mœrore apud S. Albanum sepelitur, tali affixa muro inscriptione:

Lector, siste gradus, proprios horresce reatus;
Et commortalis compatiare neci.
Rege fui genitus, sublimis episcopus, auctus
Nomine Wilhelmus, nunc cinis exiguus.
Dic. animæ requiem da cujus, Christe, perennem.
Vivere fac tecum, qui tibi crediderat.

Hunc porro fecisse initium archicancellarii S.R.J. dignitatem privative, ut loquuntur, possidendi, & ad successores transmittendi, communis est scriptorum sententia.

XV. Hatto II.

Bonosus cognomento, ex abbate Fuldensi & avunculi Hademari successore, Ottonis impera-

A toris gratia, Moguntinus creatur archiepiscopus an. 968. Ut autem ordinatus fuit, statim Ravennam concessit, ac in synodo, quæ tum ibi habebatur, cum Hildewardo Halberstadensi episcopo nondum consecrato, consensit, ut Magdeburgi archiepiscopalis sedes erigeretur. Exinde redux eumdem Hildewardum, teste chronographo Halberstadensi, pag. 118. episcopali ordine initiavit XII. cal. Januarii. Non diu post Moguntina sede potitus est Hatto II. postero anno 969. defunctus, ex Mabillonio, 970. ex chronico Wirziburgensi. Certe adhuc III. cal. Nov. an.
969. memoratur archiepisc. & archicapellanus, 969.
B tom. 3. annal. Bened. pag. 600. Imperite vero multi Recentiores fabulantur a muribus fuisse corrosum, quod nimium avarus, & in pauperes inclemens, facultatibus suis eos in extrema famis indigentia minime juvarit. Non est autem quod pluribus commentitiam hanc assertionem centuriatorum refutare tentemus, cum eam Serarius in historia sua pluribus argumentis refellat.

XVI. Rupertus, *seu* Robertus & Ruotbertus.

Illustri apud Saxones genere satus, teste chronico Magdeburg. MS. Othonis sigillorum custos,
C Moguntinensem cathedram conscendit an. 969. (desinente) ex Lamberto, melius tamen fortasse 970. ex Mariano & ex chronico Wirzi- 970.
burgensi, non autem an. 973. Julii 27. ut volunt Sammarthani fratres. Hoc autem anno ind. I. vocatur archicapellanus Ottonis junioris, tom. 3. annal. Bened. pag. 618. Vir fuit, ait Trithemius in chronico Hirsaug. fusiori, pag. 116. ingenio mansuetus, & vitæ conversatione tranquillus, sed propter brevitatem regiminis sui tantum prodesse non potuit, quantum pro sua bona voluntate coram Deo & hominibus esse peroptavit. Porro naturæ debitum solvit 975. ex chronico Hildes- 975.
D heimensi, quo circiter anno ad eum exstat epistola Benedicti papæ VII. tom. IX. Concil. pag. 718. Eumdem quoque Ruperti obitus annum inferre licet ex chronico Wirziburg. tom. I. Miscellan. Baluz. quanquam præferat annum 977. cum enim expresse dicat Rupertum Hattoni suffectum fuisse an. 970. nec amplius rexisse quam annis quatuor & mensibus decem, necessario dicendum est mendum irrepsisse in chronico, legendumque 975. pro 977. Ceterum notatur ejus obitus dies idibus Januarii in necrologio eccl. Mogunt. apud Schannatium.

ARCHIEPISCOPI ELECTORES.

ANNI CHRISTI

I. Willegisus, *seu* Willigisus.

Quanquam humili apud pagum Schoningen
ortus loco, parente nimirum fabro lignario,
doctrina tamen & ingenio, eo pervenit, ut ca-
nonicus primum fuerit Hildesheimensis, tum
Tom. 3. annal. Benedict. pag. 618. regius sacellanus, deinde anno saltem 973. can-
cellarius, ac tandem 975. Moguntinus antistes,
& archicapellanus, *sive* archicancellarius; quo
975. etiam anno Benedictus VII. pontifex ei non so-
lum honoris archiepiscopalis insigne, pallium,
verum etiam primum in tota Germania atque
Gallia, in omnibus ecclesiasticis negotiis, in Rege
consecrando, & habenda synodo locum indulsit;
de quibus vide Georgium Christianum Johannis,
tom. 1. rerum Moguntiacarum. Inde vero su-
mitur electoralis dignitatis initium, qua dehinc ad
successores transitura primus ornatus fuisse vulgo
dicitur; itemque pro insigni rotam assumsisse,
pristinæ suæ tenuitatis memor, quo stemmate
etiamnum successores archiepiscopi gloriantur.
976. An. 976. testibus Mariano Scoto, ac Trithemio,
S. Disibodi monasterium instauravit, nec multo
post, ait chronicon Wirziburgense, cœpit in
primis ædificare monasterium S. Martini, hoc
est, ecclesiam suam cathedralem, quam tandem
perfectam solemniter consecravit, Trithemio re-
978. ferente ad an. 978. in suo prolixiori chronico
Hirsaugiensi; quo itidem anno Villigisus Adel-
bertum in Pragensem episcopum sacravit, uti
narrat ejus vitæ scriptor apud Surium, tom. 2.
in Aprili, seu potius 983. ex D. Fleury, tom.
XII. pag. 220. & Mabillon. tom. 4. pag. 13.

Othonem vero Ludolfi patrui Othonis II. imp.
982. filium, Boicæ ducem an. 982. Aschaffenburgi,
honorificentissimo apparatu sepelivit; ac deinde
anno seq. Rethario episcopo Paderbornensi Spiræ
983. consecrationis munus impertivit. Adfuit eodem
anno comitiis Veronæ habitis, in quibus Otto II.
filium suum Ottonem III. in imperatorem eligi
curavit; ubi & ab eodem Ottone II. non solum
jurium omnium, quæ sedes Moguntina tum
Bingæ habebat, confirmationem obtinuit, verum
etiam quidquid Imperator ibidem ad id usque
temporis habuerat, intra, juxta, atque extra op-
pidum impetravit; statimque Othonem III.
Aquisgrani, die Natali Domini ejusdem anni
coronavit. Fuit autem archicancellarius Ottonis
II. in Germania, ut patet ex pluribus diplomatis
ejusdem imperatoris, quæ hoc nomine subscripsit
986. & recognovit, itemque Othonis III. a quo 986.
pro monasterio S. Remigii privilegium accepit,
995. & pro Corbeia-nova an. 995. III. cal. Aug.
privilegiorum omnium confirmationem.

Ottone demum mortuo, suffragia Willegisus
contulit Henrico Bavariæ duci in conventu Fran-
1002. cofordiensi, ipsumque an. 1002. octava post
Pentecosten Dominica, quæ dies erat 19. Julii
in Germaniæ regem coronavit, & Cunegundi
ejus uxori die 10. Augusti Paderbonæ coronam

A imposuit; qui conjuges albo sanctorum sunt
inscripti. Hoc autem anno Villegisus archican-
cellarius præceptum Henrici pro S. Remigio re-
cognovit; & an. 1007. præfuit synodo Franco- 1007.
fordiensi, ubi actum de Bambergensi ecclesia in
cathedralem erigenda. Obitus ejus contigit an.
1011. ex chronicis Wirziburgensi & Augustensi, 1011.
anno vero 1010. ex chronico Australi, tom. 1.
B rerum Germanicarum, pag. 315. & quidem VII.
cal. Martii ex necrol. eccl. Mogunt. apud Schan-
natium. Jacet in nova S. Stephani basilica, a se
constructa, in monte S. Disibodi cum collegio
canonicorum, cujus epitaphium Serarius profert,
lib. 5. rerum Mogunt.

Illum Trithemius in chronico Hirsaug. pag.
120. magnopere laudat propter facilitatem mo-
rum ejus, caritatem in pauperes, erga omnes be-
nevolentiam. Contra Tangmarus in vita S. Ber-
nardi episcopi Hildesheimensis Willegisum de-
pingit tanquam superbum, pervicacem, vindictæ
C appetentem, & in aliena jura involantem, nimi-
rum in jura sancti Bernardi; sed tamen eum
postea publico sermone culpam suam professum
esse, ac ferulam episcopalem eidem sancto con-
donasse tradit auctor vitæ S. Godhardi, episcopi
item Hildesheimensis.

Ceterum huic archiepiscopo Gallia Christiana
quadripartita substituit Meingaudum ex auctori-
tate solius Alberici, cujus aliunde præsulis nullam
haberi mentionem fatetur hic auctor; verum nec
ipsum apud Albericum notatur archiepisc. Mo-
guntinus, sed solum archiepiscopus; & in edi-
tione Godofredi Guillelmi Leibnitii, additur in-
D ter duos uncinos (Trevirensis) Quapropter illo
omisso.

II. Erkembaldus.

Sive Erkenwaldus ex abbate Fuldensi designa-
tus archiepiscopus, consecratur a Bernwardo Hil-
densheimensi præsule, ejus consobrino, anno
1011. calendis Aprilis, ut in actis ipsius sancti
Bernwardi legitur & in vita S. Gothardi, cap. 9.
apud Surium, tom. 7. quo anno præceptum
Henrici regis pro Tegernsensibus monachis ut
archicapellanus recognovit: aliquandiu tamen ad-
huc Fuldense monasterium procuravit, quem &
E aiunt in habitu pontificali vitam monachi nun-
quam exuisse, & monasterium S. Mariæ in Cam-
pis extra muros Moguntiæ anno 1018. con-
didisse, quod nunc *S. Crucis templum* vocatur.
Anno 1013. in comitiis Francofurti una cum 1013.
Burchardo Wormatiensi episcopo delectus fuit,
qui Henricum Virzburgensem adduceret, ut ec-
clesias parochiales Hallstadt, Amlingstadt, &
Sufflingen antistiti Bambergensi Eberhardo di- *Hoffman. annal. Bamberg. lib. 1.*
mitteret, earumque loco acciperet comitatum *§. 77. pag. 49.*
Bissingensem, qui tum, intermortuis clientibus,
ad Imperatorem, unde exierat, feudi redierat lege.
Dehinc Popponem, Ditmarro teste, Megingaudo

ANNI CHRISTI 1017. Trevirorum antistiti successorem datum, anno 1017. ipsis calendis Januariis, Henrici II. imperatoris mandato, Treviris solemni ritu inauguravit; nec multo post plura passus est, cum toto Moguntino pago ab Ottone comite Hammersteinensi, quod ipsum communione ob illicitum conjugium privasset; sed poenas dedit comes ab Ottone imperatore, a quo in bello captus est. Ipse
1020. vero Erkembaldus an. 1020. ind. III. dedicavit ecclesiam in Creinfelt in honorem S. Udalrici episcopi, ex Schannatio in corpore Traditionum Fuld. pag. 344. Denique animam Deo reddidit
1021. anno sequenti 1021. post sedem annorum 10. & mensium 4. humili sepultus tumba in templo B S. Johannis ante chorum. Ipsius tamen obitum consignant anno praecedenti Lambertus, & chronica tum Stederburgense, tum Wirziburgense; at certum est eum ad annum 1021. pervenisse. Imo necdum decesserat X. cal. Aug. hoc anno, ut patet ex diplomate Henrici imperatoris, quo quemdam comitatum Gandersheimensi monasterio confirmavit, &c. *Actum Noviomagi X. cal. Aug. anno ab Incarn. Dom. MXXI. ind. IV. &c.* quod diploma Guntherus cancellarius recognovit *vice Erkemboldi archicapellani.*

Annal Paderborn. pag. 444.

III. Aribo.

C Is etiam Erbo & Erpho appellatus, natione Noricus, prosapia nobilis & sapiens, aptusque regalibus consiliis, inquit Wippo in vita Conradi Salici, regius capellanus erat, ut innuit chronicon Saxonicum nondum editum, quando Moguntinum assecutus est pontificatum 1021. quo quidem anno III. nonas Novembris (IV. nonas legimus apud Bruschium, sed nonis fortasse melius, utpote quae dies in Dominicam incidebat) Bambergae dedicationi templi Montis monacho-
1022. rum interfuit. Anno seq. Dominica I. Adventus* B. Gothardum episcopum Hildesheimensem inauguravit, cum quo postea diu disceptavit pro D jurisdictione in parthenonem Gandersheimensem, maxime in synodo habita Selingunstadi, in natali S. Matthaei apost. an. 1026. ex chronico Saxonico inedito, cujus meminit Mabillonius ad hunc annum n. 98. Cum autem S. Henricus imperator absque liberis mortuus esset pridie idus
1024. Julii anno 1024. & in ejus locum Conradus cognomento Salicus electus fuisset, ipsum Aribo diademate cinxit Moguntiae VI. idus Septemb. ejusdem anni.

* *de 30. Novemb. ex Mabill.*

Porro vir ecclesiasticae disciplinae studiosus, plures synodos congregavit; apud Selegunstat cum suffraganeis pridie* idus Aug. an. 1022. E Moguntinam pro causa Ottonis comitis de Hanistein, *seu* Hamerstein, 1023. cujus acta recitat Surius in vita S. Gothardi. Chronographus quidam anonymus meminit etiam cujusdam synodi Francofurtensis celebratae ab Aribone &
1027. 26. antistitibus an. 1027. uti legere est apud Mabill. ad hunc annum n. 2. Anno quoque insequenti habuit synodum generalem suae provinciae in *Geizlete*, seu *Geizlice*, cujus memoria in chronico Hildesheimensi, vide tom. 9. Concil. Labb. pag. 860. Haec de synodis ab Aribone

* *III idus. ex D. Fleury.*

celebratis, quibus aliam Poeldae 1029. habitam addit Georgius Christianus Johannis, de qua nihil aliunde ad nos pervenit. Ceterum hoc anno 1028. archicancellarius memoratur in diplomate Conradi imperatoris pro monasterio *Deus-Lowart;* archicapellanus vero in uno & altero ejusdem imp. praecepto an. 1031. XIII. cal. Febr. & XI. calend. Martii pro Meinwerco Paderborn. antistite; ac tandem dum Merseburgi in festo Pentecostes versaretur Conradus imperator, Aribo Moguntinus, & Godehardus Hildensheimensis antistites, qui illic aderant, concordiam inierunt super diutina disceptatione, quae de subjectione Gandersheimensis parthenonis jam dudum inter utriusque sedis praesules vertebatur. Nam Aribo Godehardum, *seu* Gothardum coram episcopis convenit, seque errasse confessus, perpetuum hac de re silentium se servaturum pollicitus est. Ita Mabillonius ad an. 1029. quod in annum sequentem differt Wolferus. Tum anno 1030. Paderbornae peracta solemnitate Natalis Domini cum imperatore, ab eo licentiam impetravit Romam proficiscendi, peregrinationis causa, ex qua cum rediret, *Cumis*, seu *Comi* apud Insubres ex hac vita migravit, an. 1031. VIII. idus Aprilis, ex Mabillonio, & necrologio ecclesiae Mogunt. apud Schannatium, non autem idibus Apr. ut habet D. Fleury, multoque minus XVI. cal. Septembris, uti legitur in chronico Wirziburgensi. De Aribone plura Lambertus, Marianus Scotus, Sigebertus, Trithemius, chronicon Stederburgense, & Saxonicum nondum editum, ubi legitur monasterium construxisse super montem Hasungum in honorem SS. apost. Petri & Pauli, & in memoriam B. Heimeradi, cujus, inquit, super aliquot psalmos tractatus invenitur; is haud dubie commentarius in psalmos graduales, quem scripsit ad Bernonem abbatem, cui vicissim Berno tractatum de Adventu Domini dicavit, uti legimus in veteri Gallia Christiana.

ANNI CHRISTI 1028.
1030.
1031.

IV. B. Bardo.

DE OPPERSHOFEN.

Ex nobili genere natus est in oppido Wetteraviae, cui *Oppershofen* nomen est, unde & ipse cognomen sortitus est; primum fuit monachus Fuldensis, tum Werthinensis prope Coloniam abbas, deinde Hersfeldensis, at nunquam Fuldensis; tandemque pene quinquagenarius a Conrado rege, cui notus erat, in sede Moguntina positus est an. 1031. consecratusque ipso SS. apostolorum Petri & Pauli festivitatis die, & anno seq. pallium a Romano pontifice, ac die festo Pentecostes ejusdem anni 1032. annulum accepit ab Imperatore. Insequente vero suam consecrationem Natalis Domini solemnitate Bardo ad curiam profectus, pro suae sedis dignitate, prima die missam celebravit, cujus tempore, post Evangelium scilicet, brevem habuit sermonem atque impolitum, unde statim in contemtum venit aulicorum, quasi rudis esset ac illiteratus. Sed in festo S. Johannis Evangelistae, ita docte concionatus est, ut omnes in sui admirationem converterit. Hunc posteriorem sermonem integrum retulit ejus vitae scriptor. Nominatur

1032.

Secul. VI. Bened. part. 2. pag. 15.

ANNI CHRISTI

archicancellarius, sive archicapellanus in diplomate
Conradi an. 1032. xv. calend. Febr. & in plurimis anni 1033. pro Meinwerco Paderborn.
præsule, quorum quidem altero, quod ad rem nostram facit, Conradus Warburgensem comitatum, quem ab ecclesia Paderbornensi tulerat, ut in jus Aribonis archiepiscopi & ecclesiæ Moguntinæ transferret, primo ejusdem possessori restituit, aliumque juris imperialis comitatum, qui situs est in Cluinga, Bardoni archiepiscopo & ecclesiæ

Annal. Paderborn. pag. 493.

1036. Moguntinæ concessit. Deinde Bardo an. 1036. viii. cal. Junii dedicationi ædis sacræ, quam Meinwercus morti proximus Paderbornæ in honorem B. M. Virg. & BB. apost. Petri & Andreæ condiderat, rogatus adfuit. Tum vero ipse majorem suæ sedis ecclesiam, quam a Willegiso archiepisc. incœptam perfici curaverat, solemni pompa
1037. an. 1037. Deo sub S. Martini titulo consecravit; cui solemnitati Conradum imperatorem, Henricum III. regem, cum plurimis episcopis, principibus & abbatibus interfuisse testis est Trithemius. Eodem anno 1037. Helingestadii Burchardum Halberstadensem præsulem, die festo S. Stephani, & an. 1038. Laurishami solemnibus adhibitis cæremoniis xiii. calend. Septemb. Thietmarum Hildensheimeinsem episcopum inauguravit, an-
1039. noque 1039.* exeunte, in natali scilicet SS. Innocentium, Mimigardevordæ, Suitgero Babenbergensi episc. munus consecrationis impendit:
1044. itemque sub an. 1044. Agnetem imperatricem
1049. Henrici III. conjugem unxit. Anno subinde 1049. Moguntiæ synodus generalis habita est, *præsidente domno apostolico* (Leone IX.) ut scribit Adamus, præsente Henrico imperatore, cum episcopis, Bardone Moguntino, qui hac in synodo sanctæ Romanæ ecclesiæ declaratus est legatus, Everardo Trevir. Hermanno Colon. & aliis. Ipsi denique Bardoni accepta referuntur celebris monasterii S. Jacobi in monte specioso primordia, cujus
1050. fundamenta jecit an. 1050. at vix erant cœpta monasterii ædificia, cum ipse fato correptus fuit,
1051. non tamen inopinato, utpote qui an. 1051. in festo Pentecostes habito intra missam sermone, coram Leone papa, Henrico imperatore, & multis principibus in Paberborna, obitum suum instare clara voce prædixerat. Sigebertus tamen & chronicon Wirziburgense defunctum tradunt anno 1050. & Albericus in chronico anno 1049. Verum scriptores omnes ipsi coævi, Lambertus Scafnaburgensis, Marianus Scotus, Hermannus Contractus, & qui deinceps secuti sunt, auctor chronici Saxoni MS. Trithemius, aliique passim Bardonis obitum anno 1051. consignant. Ab his tamen omnibus recessit Papebrochius in Junio Bollandiano, quod illorum scriptorum calculus componi nequeat cum vitæ auctore, qui Bardonem vix quinquagenarium Moguntinam sedem conscendisse scribit, ac post ter septem regiminis annos septuagenario majorem, iii. idus Junii feria vi. ad cœlos convolasse. Cum autem feria sexta die xi. Junii an. 1053. contigerit, concludit vir eruditus Bardonis obitum ad hunc annum revocari debere. Attamen movere debet tot scriptorum æqualium, & data opera ea de re, etiam

* al. 1040.

A in Germania scribentium auctoritas. Nonnihil etiam difficultatis est in assignando Bardonis obitus die, quem quidem undecimum Junii, seu iii. idus notant vitæ scepriptor & Hermannus Contractus; at martyrologia quæque, (præter Moguntinum S. Johannis, quod habet v. idus Junias) necnon Marianus Scotus in chronico diem præcedentem assignant. Ceterum obiit haud procul ab urbe Paderborna, dum Moguntiam contenderet. Istuc vero corpus deportatum, in principe S. Martini ecclesia, quam ipse, ut diximus, perfecerat, conditum est. Vide ipsius vitam secul. vi. Bened. part. 2. pag. 1. & seq.

B

V. Leopoldus, *seu* Luitpoldus.

Illustri Bogiorum comitum familia satus, Hardovici Bambergensis episcopi frater, teste Hofmanno, cum primum Fuldensis monachus fuisset, jamque tunc præposituram Bambergensem obtineret, ad Moguntinum pontificatum pervenit anno 1051. cujus adhuc primus episcopatus annus notatur insequens 1052. indict. v. feria v. 1052.
in Pentecoste, xiii. regni Henrici III. imperii autem ejus quartus, apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ*, pag. 42. Jam autem hoc anno vocatur archicancellarius, cujus vice
C Wintherius cancellarius litteras Henrici III. datas 1052. indict. v. sexto calend. Apr. recognovit. Eodem insuper anno adfuit Bambergæ solemnitati, qua Leo IX. papa in festo S. Lucæ jura, privilegiaque ab antecessoribus suis eccl. Bambergensi concessa relegi jussit, confirmavitque. Nec multo post pallium accepisse Luitpoldum ab eodem Pontifice, una cum potestate equitandi, crucemque præ se ferendi, fidem faciunt litteræ ab ipso datæ xv. cal. Nov. anno 1052. Tum vero
Luitpoldus anno seq. Wormatiæ suis juribus 1053.
tuendis acriter institit. Cum enim Leo IX. & imperator natalem Dominicum ibidem celebrasD sent, die sequenti Luitpoldum, utpote in sua provincia dominum ac superiorem, ut sacrum faceret, rogavit Pontifex. Quidam autem ex diaconis Luitpoldi, *Hunnibertus* nomine, post primam missæ orationem, lectionem decantavit. Ægre id ferentes nonnulli ex Romanis, Pontifici persuaserunt, ut diacono silentium juberet. Jussit Papa; verum diaconus, more juvenum, mandatum sprevit, lectionemque ad finem usque perduxit. Ea finita illum Pontifex ministerii sui ordine privavit; quod ubi factum, Luitpoldus ad Leonem misit, ut suum sibi ministrum redderet; eoque abnuente, mox ut Evangelium perlectum
E est & Offertorium decantatum, Luitpoldus in sua sede resedit, contestans nec se, nec alium quempiam completurum sacrificium, nisi prius suus sibi minister redditus fuisset. Cessit tandem Pontifex, reindutumque diaconum continuo remisit. Factum illud referunt Crantzius, chronographus Saxo, pag. 252. Albertus Stadensis, pag. 234. ac novissime D. Fleury, tom. xii. histor. ecclesf. Deinde Luitpoldus monasterium sancti Jacobi in Monte-Specioso, incœptum, ut diximus, a Bardone decessore, multis, opimisque proventibus
dotatum, anno 1055. solemni ritu in honorem 1055.

Annal. Bamberg. lib. 2. pag. 72.

ANNI CHRISTI

1057. S. Jacobi Majoris consecravit, eique Walterium abbatem præfecit. Memoratur etiam an. 1057. indict. x. pridie nonas Apr. tom. 1. *Vindemiarum litter.* auctore Schannatio, pag. 43. idemque anno seq. Lambertum Scafnaburgensem, nobilem historicum, monachum Hirsfeldensem presbyteratus ordine initiavit. Cum autem anno 1059. Henricus rex proprietatis suæ decimas in Thuringia ab inquisitione episcopali redimere vellet, haud quidem difficilem se præbuit Luitpoldus, sic tamen, ut de tuendis ecclesiæ suæ rebus nil quicquam consueti remitteret studii;

1059. actum Moguntiæ XVI. cal. Martii MLIX. indict. XII. Obiit hoc anno * die 7. Decemb. sepulturæ mandatus in cœnobio S. Jacobi, cujus ossa, Trithemio referente in fusiori chronico Hirsaug. ad an. 1060. post multos annos levata, & in capsula lignea deposita fuerunt in extrema chori parte supra januam, in fenestra subtus altare S. Helenæ imperatricis. Hodie vero ad dextrum latus majoris altaris juxta presbyterium reposita, in ligneo sarcophago asservantur. Sic autem habet de Luitpoldo Gozechinus scholasticus in eleganti epistola, quam edidit Mabill. Analect. tom. IV. pag. 360. circa finem: *Postquam clarissima duo ecclesiæ luminaria, quæ nimis sero Deus accendit, & nimis mature in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum abscondit, Henricum dico II. imperatorem, & Liutboldum Moguntinæ sedis protopræsulem, in quos aurei seculi fines cum maxima sui decoris specie devenerunt....... quidquid divinæ religionis, quidquid æquitatis & justitiæ, quidquid liberalium studiorum, quidquid moralis disciplinæ ubique vigebat...... cum eis pariter sepulta, immo in cælum recepta sunt.*

* 1060. ex [illegible]

VI. SIGEFRIDUS I.

DE EPSTEIN.

Qui & Sifridus, vir magnificus, doctus & religiosus in chronico Hirsaug. laudatus, ex abbate Fuldensi evasit archiepisc. Moguntinus an.

1060. 1059. desinente aut ineunte 1060. quo quidem anno, die 6. Januarii, ab Anselmo Lucensi episcopo Nicolai Papæ legato consecrationem accepit. Quam strenuus & acer fuerit in ecclesiæ suæ juribus ac reditibus tuendis testatur Lamber-

1062. tus ad annum 1062. Otto siquidem Marchiam Thuringorum obtinere non potuit, nisi promitteret Sigefrido nostro, ei se decimas de suis in Thuringia possessionibus daturum, ceterosque Thuringos, ut idem facerent, coacturum. Quo etiam anno ægre admodum tulit Alexandrum II. papam Burchardo Halberstadensi episcopo, legatione ad sedem apostolicam functo, atque hoc anno in Germaniam revertenti, licentiam equitandi concessisse, crucem præ se ferendi, certisque diebus festis pallium induendi archiepiscopale. Anno

1063. insequenti, referente eodem Lamberto, Goslariæ adfuit Cæsari, a quo litteris datis XVIII. calend. Julii abbatiam Seligenstadensem accepit. Tum vero 1065. cum Ottone Ratisponensi, Gunthario Bambergensi, Willelmo Trajectensi, aliisque præsulibus, & sociis circiter 7000. Jerosolymitano itineri se commisit; quam peregrinationem ob Arabum vias obsidentium assiduas pugnas difficillimam & periculosissimam litteris consignarunt Lambertus Scafnaburgensis, & Urspergensis abbas. Idem Lambertus ad annum

ANNI CHRISTI

1070. narrat ejus Romanam profectionem, ubi increpatus est, pro sacris ordinibus venditis, cum Annone Colon. & Hermanno Bambergensi, ab Alexandro papa II. qui tamen Sigefrido volenti abdicare dignitatem episcopalem obstitit. Hoc autem etiam circiter anno de Conradi nece, qui Eberhardo Trevirensi subrogatus erat, gravem ad Alexandrum pontificem epistolam scripsit Sigefridus contra comitem Theodericum. Celebravit 1071.

anno seq. 1071. Moguntiæ concilium in causa Caroli Constantiensis episc. quem clerici ejusdem ecclesiæ ob crimen simoniæ cathedra deponi urgebant. Anno 1072.* orationis causa, inquit Marianus, in Galliciam ad S. Jacobum profectus, cum venisset Cluniacum, ibi monasticam vitam amplecti constituit, at in suo proposito minime perseveravit. Inter epistolas Gregorii VII. exstat vigesima-nona, lib. 2. data 2. nonas Dec. ind. XIII. hoc est an. 1075. qua Sigefridum, ejusque suffraganeos ad synodum venire jubet; qua ex epistola habemus Sigefridum *reliquum vitæ suæ conferre voluisse monasterio Cluniacensi.* Porro hic ab inito pontificatu, uti jam diximus, sibi decimas ex Thuringorum possessionibus vindicare conatus, nunquam subinde ab eo proposito destitit, quinetiam id consequendi Henrici regis pollicitatione illectus, ejusdem cum Bertha divortio favere visus sit an. 1069. ipsasque decimas, ait Lambertus, alio quam episcopum decebat modo exegerit. At voti tandem compos affectus est an. 1073. in concilio Erfordiensi mense Martio, 1073.

* 1073. ex Trithemio.

Henrico rege, quem vicissim spe dimidiæ partis decimarum inescarat, jubente & minas intentante. Anno seq. Cobeiam novam conveniens hortatus est Saxones cum Henrico rege tunc dimicantes, ut ab oppugnatione castellorum abstinerent. Quo etiam anno in civitate Moguntina ecclesiam canonicorum ad Gradus novam construxit in honorem B. Mariæ virg. quam prædiis & proventibus magnifice dotavit. Idem an. 1075. habuit 1075.

Trithem.

synodum Moguntiæ, in qua publicavit decreta Gregorii papæ VII. quibus jubebatur clericis conjuges abjicere, aut a ministerio altaris abstinere; sed in eum tanta vi insurrexerunt clerici, ut periculum capitis incurrisset, nisi hoc negotium Papæ relinquendum judicasset, ut narrat Lambertus ad hunc annum. Adfuit an. 1076. 1076.
conventui Wormatiensi, in quo Henrici suggestione depositio Gregorii VII. conclamata fuit; quamobrem in concilio Romano tertio ejusdem anni Sigebertus excommunicatur nominatim tanquam auctor totius schismatis, quasi videlicet episcopos & abbates regni Teutonicorum a sancta Romana ecclesia scindere conatus esset; sed brevi ab eo schismate resiliisse probat epistola 2. lib. 3. Gregorii papæ ad eum; probat & ipsius ab Henrici partibus defectio in conventu Triburiensi habito eodem anno, ubi cum principibus de ipso exauctorando, nisi curaturum se promitteret, ut quantocius excommunicatione absolveretur, consilium dedit. Paruit Henricus, sicque absolvit eum Pontifex mense Januario anni 1077. at 1077.

ANNI CHRISTI

promissis non diu stetit Rex; unde rursus Moguntinus antistes Sigefridus & alii principes, die 13. Martii Forcheimium convenientes, Henrico imperium abrogant, Regemque dicunt post biduum Sueviæ ducem Rodolfum, quem Moguntiam deductum Sigefridus antistes Dominica mediæ Quadragesimæ, die 26. ejusdem mensis inunctione regali consecravit. Hinc anno seq. grave Rodolfo regi & Saxonibus cum Henrico prælium fuit, in quo captus est Sigefridus, sed mox pene a Friderico Saxoniæ Palatino liberatus; qui tamen extra Moguntiam vivere coactus, Henrico non ita multo post vicem rependit; cum enim Rodolfus rex, die 15. Octob. B
1080. anno 1080. in prælio cecidisset, Hermannum Lutzenburgensem anno seq. pridie * S. Laurentii subrogatum, Goslariæ in festo S. Stephani protomartyris regio diademate cinxit. Tandem animi mœrore ex malis ecclesiam affligentibus concepto tabescens, defecit ac mortuus est an. 1084.
1084. XIV. cal. Martii, ex necrologiis eccles. Mogunt. & Laurisham. apud Schannatium, sepultus in monasterio, quod Hasungæ, sede sua pulsus, exstruxerat. Ipsius vitam pluribus exponunt memoratus Lambertus, & alii scriptores Germanici. Exstant quoque in collectione Tengnagelii, pag. 297. Sigefridi aliquot epistolæ ad Alexandrum C II. papam, ad Hildebrandum archidiaconum, & ad eumdem, posteaquam Gregorii VII. nomine fuit pontifex Romanus. Qui quidem etiam ad eum scripsit epist. 60. lib. 1. datam Romæ XV. cal. Apr. indict. XII. expostulans, quod causam episcoporum Bragensis (forte Pragensis) & Moravensis jam delatam ad sanctam sedem, ad se convertere præsumeret. Epistol. 2. lib. 3. data XIII. cal. Aug. indict. III. ipsum monet depositionis ac dejectionis Herimanni Bambergensis episcopi. Epist. 4. ejusdem libri data Romæ III. nonas Septemb. indictione XIV. incipiente trepidum ob imminentia pericula ex odio Regis, D ad constantiam hortatur. Demum in codice MS. 4364. Bibliothecæ regiæ & apud Gretserum in divis Bambergensibus, pag. 509. & 510. habentur ad hunc Sigefridum epistolæ duæ Guntheri episcopi Bambergensis, de quibus Bruschius in catalogo episcoporum Bambergensium.

* al. ipso die ex Mabill. & D. Fleury.

Quod ad Sigefridi successorem attinet, solus Albericus in chronico ad an. 1085. pag. 130. Erkenbaldum inducit his verbis: *Archiepiscopus Moguntiæ post Sigefridum fuit Erkembaldus, qui claustrum S. Mariæ ex Campis construxit. Hunc secutus est Vezellus, &c.* Sed quandoquidem nulla de illo Erkembaldo in diptychis Moguntinensi- E bus, nulla apud alios auctores mentio, eum omittimus, de quo mox tamen sermo recurret.

VII. Wezellus, Werzelinus & Vezilo.

Antea clericus Halberstadensis, ac deinde Sigefridi successor, ut Ekkiardus, qui sub vocabulo abbatis Urspergensis delitescit, Dodechinus, Binius in notis ad concilia, auctor chronici Wirziburg. pag. 516. tom. 1. Miscellan. Baluzii, Bertholdus Constantiensis, chronographus Saxo, pag. 164. Albertus Stadensis, p. 248. ac denique A annalium Hildesheimensium auctor, p. 732. &c. tradunt, commendatur ob facundiam a Trithemio Hirsaugiensis chronici fusioris, tom. 1. pag. 257. Et hinc quidem in collatione habita in Thuringia inter Henrici regis fautores & ejus adversarios anno 1084. *aut* 1085. uti modo 1085.
computamus, Vezelo delectus est, qui causam Henrici tueretur. Ex his autem pene constat, nulla ratione Erkembaldum collocari inter Sigefridum & Wezelonem, nisi forte dicamus, duos tunc fuisse, qui se dicerent archiepiscopos Moguntiæ, unum Papæ adhærentem, alterum schismaticum. Et certe tom. X. Concil. pag. 442. exstat epistola Urbani II. quæ docet Wezelonem invasisse Moguntinum episcopatum simoniaco facinore, & eum, quem tum Urbanus consecraverat episcopum Pisanum, fuisse antea ordinatum diaconum a Guezelone Moguntino. Ex quo certo colligitur caput *Daibertum* 1. 4. 7. cap. 25. in quo scriptum est Daibertum a Nezelone simoniaco fuisse in diaconum ordinatum, intelligendum esse de Vezelone archiepiscopo Mog. non vero de Vezelone archiepisc. Magdeburg. nam iste obiit in unitate ecclesiæ diu ante pontificatum Urbani. Vide Paulum Bernriedensem in vita Gregorii VII. Insuper etiam Wezelinus fuit anathemate & excommunicatione multatus in synodo Quintilimburgensi anno 1085. tanquam auctor novæ hæresis, ejusque ordinationes irritæ sunt declaratæ. Paulo post tamen, tertia scilicet ab hac synodo Quindelinburgensi hebdomada, Moguntinæ apud S. Albanum pseudosynodo præfuit habitæ contra Gregorium VII. indeque abbates & monachos sibi contrarios multum vexavit; ac tandem in schismate mortem oppetiit, ait vir Cl. D. Fleury in hist. eccl. tom. 13. pag. 506. & tom. 14. pag. 74. & quidem an. 1088. ex chronico Wirziburg. & 1088.
Trithemio, non autem 1089. indict. X. quæ minus convenit, ut habet chronicon Hildensheimense. Vir fuit aliunde litteris apprime eruditus, ac eloquens, teste Urspergensi abbate, quo sedente, 1085. moritur Marianus Scotus chronographus, ætate sua admodum disertus, ut de eo Sigebertus tradit, chronici scriptor usque ad annum Dom. 1083. quod Dodechinus continuavit.

VIII. Ruthardus & Rothardus.

Hic cum esset abbas S. Petri Erfordiensis, electus est in archiepiscopum Moguntinum anno 1088. consecratusque 1089. VIII. cal. Aug. ut referunt auctor chronici Wirziburg. & scriptor annalium Hildensheim. pag. 732. Graves sustinuit persecutiones ab Henrico IV. a quo tandem sua cathedra pulsus octavo sui reginimis anno, ait Trithemius, seu 1098. ex chron. Wirziburg. & in Thuringia per octo circiter annos commoratus, cum deinde a partibus Henrici filii, contra patrem rebellantis stetisset, per eumdem in pontificatum restitutus est; qua de re Otho Frisingensis, lib. 7. cap. 9. & Urspergensis, qui totam exsilii ejus narrationem prosequitur. Interea occurrit mentio Ruthardi tanquam archicancellarii in privilegio Henrici IV. pro Tharissensi

ANNI CHRISTI

Tom. I. Vet. monum litterar. pag. 180.

Ibid. pag. 110.

cœnobio anno 1097. apud Schannatium; ubi etiam charta ejusdem Ruthardi legitur, qua cellam S. Martini ad Werram fundat & mansis quatuor dotat an. 1104. indictione XIII. Idem quoque Schannatius refert traditionem Ruthardi cœnobio Reinhartsbornensi factam an. 1105. pridie cal. Maii, indict. XIII. & rursum certam bonorum commutationem cum eodem monasterio anno 1108. ind. II. Ipsius etiam enituit munificentia

1090. erga S. Albanum an. 1090. S. Jacobum 1091. ædis metropolitanæ canonicos 1092. ac denique

1093. erga Bursfeldense monasterium 1093. Deinde

1105. Ruthardus, Alberici testimonio ad annum 1105. necdum suæ sedi redditus, quanquam id accidit hoc anno, præfuit conventui episcoporum apud Northusen, videlicet ut legatus Papæ, ad quem etiam accesserunt Richardus Albanensis episcopus, & Gebehardus Constantiensis, itidem legati Paschalis papæ, ad quorum pedes prostratus Henricus senior imperator, depositisque imperii insigniis veniam petiit, qua de re vide rerum Germanicarum scriptores. Ad eum scripsit Paschalis II. papa epist. 50. tom. X. Concil. editionis Labb. de episcopis, qui investiuntur a Regibus, ac de iis, qui tempore schismatis consecrati sunt. At

Annal. Paderborn. pag. 634.

1107. vero idem Paschalis an. 1107. in concilio non modico (Trecensi) quod circa Ascensionem Domini celebravit, *ex synodi sententia Rothardum Moguntinum episcopum ab officio suspendit, eo quod Udonem Hildesheimensi sine consensu ecclesiæ restituit, & quia Reinhardum contra jura canonum Halverstadensi ecclesiæ ordinavit, &c.* Simulque Pontifex copiam dedit alium archiepiscopum eligendi, ex chronico Hildesheimensi; ac tunc quidem electum fuisse Arnoldum in archiepisc. Moguntinum verisimile est; hoc enim titulo decoratur a Paschali in epist. 26. quam ei scribit, ut de causa Adalberti episcopi Augustensis judicium ferat. Attamen apud Serarium, lib. 5. rerum Moguntiacarum, pag. 798. Ruthardi ad Pontificem exstant litteræ, quibus perlectis suo eum Paschalis officio restituit. Denique Ruthardus novam ordinis Benedictini præposituram, sive cellam in Ringavio non procul a Winicella, sub titulo S. Johann. Bapt. in monte, *vulgo* Episcopi montem *Bischoffsberg* appellatam,

Tom. X. concil. Labb. col. 755.

Ibid. col. 652.

1108. condidit an. 1108. in qua tumulatur, defunctus anno seq. ex chronico Stederburgensi, & quidem VI. nonas Maii,* ex necrol. eccl. Mogunt. apud Schannatium.

* al. pridie cal. Maii, ex eodem necrol. ait Serarius.

IX. Adelbertus I. *sive* Albertus.

DE SARBRUCH

Natione quidem Lotharingus, teste Ottone Frising. lib. 7. cap. 14. at Lotharingiæ dux minus recte nuncupatus, originem traxit e comitibus Saræpontanis *de Sarrebruche*, Sigeberti, primi comitis filius, ex D. du Fourny in historia magnorum Franciæ pincernarum. Hic jam cancellarius Henrici V. & primus inter primos ejus præcordialis consiliarius, ut loquitur idem Otto loco citato: omnium cancellariorum, qui ante eum fuerunt, in aula Imperatoris celeberrimus, ex chronico Saxonico MS. *Vir denique potentissime tunc temporis famosus, & famosissime potens in curia Imperatoris,* inquit Trudonensis chronographus, quique *secundus a Rege Imperii negotia tractabat,* ait Urspergensis, *an. MCXI. in Assumtione B. Mariæ, præsente Imperatore, & consentiente unanimi ecclesiæ electione,* ex prædicto chron. MS. & annal. Hildesheim. pag. 738. *Moguntinus archiepiscopus constituitur,* cum jam eidem sedi biennio ante destinatus fuisset. Sane anno 1109. 1109.

Spicil. t. 7. pag 434.

indict. 2. VI. idus Sept. Moguntinus archipræsul memoratur in chartario Reinharsbornensi apud Schannatium, cap. VII. pag. 111. Et hic quidem nobis esse videtur Adelbertus, qui ibidem, pag. 112. præceptum Henrici imperatoris pro Reinharsbornensi cœnobio datum an. MCXI. indict. V. sexto cal. Septemb. tanquam cancellarius, *vice Moguntinæ ecclesiæ, quæ nunc archicancellariatum tenet,* recognovit, ubi tamen mirari subit, non archipræsulem appellari; uti nec in diplomatis ejusdem Imper. pro eodem cœnobio, ann. 1113. & 1114. quorum illud *Brun cancellarius vice Adelberti cancellarii,* istud vero vice ejusdem *archicancellarii* recognovisse dicitur, ibidem pag. 113. & 114. Et vero nec ipse Albertus se dicit archiepiscopum, sed cancellarium duntaxat in sua jurisjurandi formula, pro stabilitate pactorum Henrici cum Pontifice an. MCXI. V. idus Febr. apud Baronium ad hunc an. §. VII. quanquam in privilegio, quod idem Henricus Senoniensi cœnobio diœcesis Tullensis concessit VIII. cal. Octob. indict. IV. anno MXCI. id factum legitur consilio Alberti Moguntinensis archiepiscopi, qui quidem hoc ipsum privilegium recognoscens, utrumque titulum adhibuit, archiepiscopi scilicet & archicancellarii. Cum autem sub initium hujus anni MCXI. Henricus regio apparatu in Italiam 1111.

progressus esset, ei se comitem præbuit Adelbertus, ac primos inter ad habenda cum Pontifice colloquia adhibitus fuit, ubi & maxima pars fuit captivitatis Papæ. Verum subinde cum Adelbertus perspiceret Henricum ab archiepiscopo Viennensi, plurimisque aliis episcopis, & concilio Lateranensi anni 1112. pro excommunicato haberi, iisdem adhæsit contra Imperatorem, scripsitque ad Pontificem litteris hortatus est, ne latam ab his præsulibus excommunicationem solveret. Quod ut audivit Imperator, jussit eum comprehendi & in carcerem trudi an. 1112. ubi, testante 1112.

Othone, detentus per triennium, variis ergastuli tormentis & incredibili famis inedia pene enectus est. Tum vero libertati restitutus favore civium Moguntinensium, qui minas Henrico intentarunt, nisi suum ipsis pastorem redderet, an. 1115. Coloniam haud multo post accessit, ubi 1115.

suam consecrationem, diu interceptam, ab Othone Bambergensi præsule solemniter accepit, die 26. Decemb. ejusdem anni, quod Henrico imperatori, ait Trithemius, non parum displicuit. Verum & vicissim Adelbertus Cæsari semper adversus exstitit, nec solum apud Paschalem, sed etiam apud Calixtum, cujus ipse litteras accepit statim ab ejus in summum Pont. electione facta mense

Epist. 1.

Febr. anno 1119. Accessit eodem anno mense 1119.

Octobri ad concilium Remense, cum septem Germaniæ episcopis, quingentis equitibus stipatus,

ANNI CHRISTI

cui Calixtus papa, qui concilio præerat, obviam
misit Hugonem comitem Trecensem, ibidemque
inter alios auctor fuit Calixto, qui eum postea le-
gatione apostolica in Germania cohonestavit, teste
Urspergenti, ut anathematis sententiam in Henri-
cum exprimeret. Memoratur & annis 1121. 22.
& 25. in chartario Reinharstborn. apud Schan-
natium, pag. 115. & 116. ubi constanter dicitur
sedis apost. legatus. Habitus est an. 1122. refe-
rente multis Urspergenti, Wormaciæ universalis
conventus, in quo ecclesiasticæ communioni red-
ditus est Imperator, & ubi primas tenuit Adel-
bertus noster, magnamque apud fautores Ponti-
ficis gratiam iniit. In cujus rei testimonium vide
1124. tom. 1. Anecdot. col. 374. An. 1124. idem vo-
catus Aldebertus Mogunt. archiep. & sedis apost.
legatus Odoni abbati S. Remigii confirmavit
quæcumque in sua diœcesi possidebat; testes fuere
Buggo Wormaciensis episcopus, Folbertus abbas
S. Albani, Werenboldus abbas S. Jacobi, Dudo
major præpositus, ex tabul. S. Remigii. Adfuit
anno seq. Moguntiæ, transactioni inter Mainardum
comitem de Moerspec, & Sugerium S. Dionysii
1131. abbatem, de terra Bliterstof. Ibidem an. 1131.
habitum est concilium, inquit Dodechinus, præ-
sidente Matthæo Albanensi, cum archiepiscopo
Moguntino, ubi Bruno Argentinensis a clero &
populo super violenta intrusione & consecratione
impetitus, in manibus archiepiscopi & cardinalis
episcopatum resignavit. Anno seq. vocatur Adel-
Mir. novæ edit. pag. 96. bertus archicancellarius in charta Lotharii impera-
toris jura & privilegia ecclesiæ S. Servatii Trajec-
tensis ad Mosam confirmantis; idemque beneficio-
rum memor, quæ in se olim ab Imperatore deten-
1135. tum cives Moguntini contulerant, an. 1135. eos
privilegiis decoravit, ut fidem facit diploma e MS.
codice a Serario relatum, nostraque inter instru-
Ch. VI. col. 411. menta recusum. Tandem e vita migravit Adelber-
1137. tus 1137. *vir ad seculum prudens, potens, locuple-
tissimusque* dictus ab Alberico, Ottone, lib. 7. cap.
21. & Dodechino; quo anno major ecclesia Mo-
guntina, cum parte non modica civitatis incendio
periit, ex Trithemio. Dies obitus non ita certus;
Dodechinus habet IX. cal. Julii, quem sequitur
Trithemius chron. Hirsaug. pag. 403. Stederbur-
gense chronicon 14. Julii, ac Dieffenbachius in
catalogo MS. 24. Julii. Hic porro nos incertos
relinquit auctor chronici Erbacensis MS. quan-
doquidem solum diem, quo humatus est, litteris
consignavit. Hæc sunt ipsius verba: *Verum perpe-
tua laude tantus patronus sexennio, postquam Ru-
thardus ex Clara-valle venisset, IX. cal. Aug.
MCXXXVII. sepultus est in eo ipso loco* (Eberbaco)
*quem novis sacris, & religione donavit, fundator
& conditor de re monastica meritissimus.*

DE SARBRUCH

X. ADELBERTUS II. *sive* ALBERTUS.

Superioris fuit nepos ex fratre Friderico, co-
mite Saræpontano, qui hunc genuit ex Gisela
uxore. Moguntinam primum S. Petri præposi-
turam obtinuit, tum Erfurtensem, *sive* Erfordien-
sem S. Mariæ, ac denique prævia cleri & populi
electione, Moguntinus præsul a Conrado rege,
in ipsa urbe Moguntia, paulo post Pascha anni

A 1138. renuntiatus est, deindeque Bambergæ
Sabbato quatuor temporum Pentecostes presby-
ter ordinatus, ac die sequenti consecratus in ar-
chiepiscopum a S. Ottone Bambergensi episcopo, 1138.
præsente Conrado, in frequenti episcoporum &
procerum cœtu. Hoc autem anno, V. idus Apr.
seu potius anno seq. uti nunc computamus, ha- *Mir. novæ edit. pag. 526.*
betur mentio archicancellarii Moguntini tacito
nomine, in charta Conradi imperatoris pro ec-
clesia cathedrali Ultrajectensi. In aliis vero dua-
bus ejusdem Conradi, altera anni 1139. pro 1139.
S. Servatio Trajectensi, altera pro Stabuleto an. *Ibid. pag. 688. & 870.*
1148. memoratur Albertus, *sive* Adelbertus ar-
B chicancellarius. Romam adiit hoc anno vocatus *Trithem.*
ab Innocentio pontifice, qui eum non modo be-
nigne suscepit, sed legati etiam titulo, secundum
antiquum privilegium, decoravit. Anno inse- 1141.
quenti Adelbertus cum Saxonibus, qui Conradi
electionem quasi subreptitiam improbabant, ut
ait Otto, adversus Regem conjuravit, *& non
post longum moritur XVI. cal. Aug. cum in ea esset
cogitatione, ut in expeditionem Jerosolymitanam
sese pararet, quod ad illam Conradum regem,
cui reconciliatus erat, ipse hortatus esset.* Erfurti
vero vita defunctum tradit anonymus, qui Lam-
bertum Scafnaburgensem continuavit, pag. 255.
C Quod ad diem obitus spectat, in diversa scriptores
abeunt; Dodechinus & post eum Trithemius,
assignant XVI. cal. Aug. chronographus S. Petri
Erford. X. cal. Aug. Pater Anselmus Augusti-
nianus Discalceatus, XVII. Aug. ac Dieffenba-
chius, die 27. ejusdem mensis. Litem dirimet
necrologium ædis majoris Moguntinæ, his verbis:
*IX. cal. Julii vigilia Johannis Bapt. obiit Albertus
archiep. Moguntinus, sepultus in capella S. Gothardi*
(Moguntiæ juxta ædem primariam) &c.

XI. MARCOLFUS, *seu* MARCULFUS.

Sic eum vocant Dodechinus, chronographus
D Saxo, pag. 296. scriptor incertus chronici Lau-
terbergensis, pag. 37. Engelhusius in chronico,
pag. 1101. & alii, neque Albericus dissentit, *aut*
assentit, siquidem omnino silet tam de Arnulfo
quam de Marculfo, contra quam aiunt Sammar-
thani fratres, qui successori Adelberti II. Arnulfi
nomen affingunt, ex Alberici auctoritate. Ante-
quam vero ad clavum ecclesiæ Moguntinæ ad-
moveretur, collegii canonicorum Achaffenbur-
gensis præpositum multos egit annos, ut probant
tabulæ anni 1122. datæ monachis Albanensibus
ab Adelberto I. archiepiscopo, & aliæ successoris
Adelberti II. datæ S. Victoris collegio an. 1139.
E Inde igitur assumtus in archiepiscopum ob vitæ in-
tegritatem, ut ait Latomus in catalogo, ædes sacras
prolapsas, dirutasque diligenter reparare cœpit,
quem plura præclare facturum spes erat haud
dubia, nisi mors præmatura intercepisset. E vita
cessit an. 1142. idibus Julii, teste eodem Latomo, 1142.
die vero 9. Julii ex annalista S. Petri Erford.

XII. HENRICUS I.

Cognomento *Felix*, nobili stemmate oriun-
dus, (quippe qui suum cognatum vocat Wic-
kerum comitem de Horeburg in litteris de castro
Schonenberg

ANNI CHRISTI

1142. Schonenberg editis an. 1151.) ex præposito majoris ecclesiæ simul & S. Victoris Moguntinensis factus archiepiscopus an. 1142. a Rege apud Francofurtum, non modo præsentibus Gregorio & Dieewino cardinalibus, sed adstante etiam S. Bernardo Claræ vallensi abbate, jura regalia suscepit; pallioque donatus est ab Eugenio papa 1145. per manus Theodewini cardinalis. Legitur autem

1143. archiepiscopus ann. 1143. 1144. & 1149. in chartis pro Erfordiensi S. Petri cœnobio, cujus possessiones confirmat, apud Schannatium, lib. cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*, pagg. 181. 183.

1145. & 184. Archicancellarius dicitur an. 1145. in diplomate Conradi imperatoris pro S. Remigio, B & 1146. ind. VIII. cujus vice Arnoldus cancellarius diploma Conradi Romanorum regis pro ecclesia Trajectensi recognovit, ex Gelenio in notis ad vitam S. Engelberti, pag. 298. Ad hunc etiam annum refertur epistola S. Bernardi, olim 323. nunc 365. huic inscripta archiepiscopo, qua ipsius querelis de quodam Radulpho, qui fideles in Judæorum necem armabat, respondens, hunc ipsum Radulphum monachum

Mir. novæ edit. pag. 105.

1148. graviter redarguit. An. 1148. accessit ad concilium Trevirense celebratum ab Eugenio III. pontifice, quem consuluit de sanctæ Hildegardis abbatissæ in monte S. Ruperti revelationibus & C miraculis, uti legitur in libro 1. vitæ sanctæ virginis apud Surium, & in chronico Hirsaug. Vide quoque, tom. X. Concil. col. 1128. Vocatur adhuc archiepiscopus in diplomate Friderici Romanorum regis pro monasterio S. Vincentii & SS. Omnium anno 1. Friderici, IV. cal. Aug.

1152. anno vero Christi 1152. indict. XV. ubi legitur: *Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici archiepiscopi & archicancellarii recognovi;* & iterum eodem modo & anno in charta ejusdem Friderici pro Stabuleto. Eum porro insigni licet pietate excultum, Conradus vel potius Christianus chronici Mogunt. scriptor (in collectione histor. Germ. D auctore Christiano Urstitio) refert, fuisse negligentiæ in suo officio ac somnolentiæ accusatum apud summum pontificem; ad quam calumniam refellendam & diluendam, Romam misit Arnoldum, quem majori * præpositura, & alia S. Petri donaverat, constitueratque civitatis camerarium. Hic vero tot beneficiorum immemor, archiepiscopum criminationibus oneravit, petiitque dari judices ex collegio cardinalium, quos pecunia corrupit, a quibus (Bernardo scilicet, & Gregorio) cum Wormatiam venissent, Henricus deponitur, & Arnoldus subrogatur. Injuste dejectus archiepiscopus, non Papam, sed Christum E appellavit, & post annum adjecto dimidio, pie vivens in Cisterciensium claustro obiit, quem paulo post secuti sunt iniqui judices, qui misere

Mir. novæ edit. pag. 699.

* *vide infra n. XIII.*

1153. perierunt. Deponitur autem an. 1153. a Gregorio cardinali, secundum chronicon Stederburgense, & in Saxoniam relegatur, ubi dicitur pie hoc anno calendis Septembris interiisse. Ita quidem Dodechinus, Trithemius & necrologium Hildesheimense, sed pro *calendis,* quod ipsius tumulo inscriptum est epitaphium, *nonas* habet, testante Bruschio. Necrologium vero ædis majoris

A Moguntinæ, die *VII. nonas Jul.* vita defunctum his prodit verbis: *Henricus archiep. Mogunt. sepultus in ecclesia Eimbecke, &c.* Porro Eimbecca erat Amelunxbornensis monasterii curia, ut ait Georgius Christianus Johannis in suis observationibus ad Serarium. Unde etiam Mabillonius docet in fusioribus notis ad epist. 302. S. Bernardi, qua pro Henrico legatos orat apostolicos, hunc archiepiscopum non multo post secessum in Saxoniam, in cœnobio Cisterciensi, hoc est, ut ex prædictis Conradi verbis interpretor, Cisterc. ordinis, non quidem monachum factum, sed in consueto habitu vitam ducentem, inquit Conradus, diem extremum pie ac feliciter clausisse. Videndi Serarius de rebus Moguntinis, lib. 5. & Baronius ad annum 1153. Ceterum scriptor chronici Moguntini, centum annis junior Henrico, eum excusat, uti supra vidimus; ejusque depositionis causam rejicit in Arnoldum proditorem; Dodechinus in canonicos, uterque in legatos auro corruptos. At Otho Frisingensis, lib. 2. de vita Friderici I. cap. 9. scriptor coævus juste depositum archiepiscopum docet; *Rex,* inquit, *proximam Pentecosten Wormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ sedis archiepiscopum, virum pro defensione* [a] *ecclesiæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem cardinales deposuit, &c.* idemque Trithemius colligit ex epistola quadam S. Hildegardis ad eum (Henricum) scripta. Quem certe Eugenius papa epist. 62. redarguit, quod amotos ab ecclesia Heidenhemensi clericos seculares, ut daretur locus monachis, ad eam revocasset aut revocari permisisset. Jam vero lector videat, utri assentiendum sit, scriptori suppari Conrado, *seu* Christiano, an Othoni oculato, docto & sincero. Certe quod addit Conradus, brevi post tempore ambos cardinales morte pudenda interiisse, erroris arguitur, cum Otto ibidem asserat, eos diu supervixisse; & Bernardum quidem alia legatione itidem in Germania perfunctum esse sub Adriano IV. in comperto sit.

Chron. Hirsaug. ad an. 1153.

[a] Ita Mabill. in nota ad epist. S. Bernardi 302. legit autem *distractione*, Georgius Christianus Johannis in suis commentariis in Serarium.

XIII. ARNOLDUS.

DE SELEHOFEN, vel SELEHOVEN.

Is natione ac patria Moguntinus, ex ea nimirum civitatis parte, quæ *Selehoven* antiquitus vocabatur, unde & cognomen accepit, scriptores omnes, si Conradum excipias, suarum virtutum præcones habet, uti apud Serarium videre est, & apud Georgium Christianum Johannis in suis ad eumdem Serarium observationibus. Aquisgranensem decanum exstitisse non unus Bruschius asserit, sed auctor etiam libelli de cæde ejus §. III. pag. 80. tom. 2. rerum Mogunt. Georgii Christiani Johannis, ubi etiam, præter allatum Conradi testimonium in Henrico decessore, S. Petri apud Moguntiam præpositum fuisse testatur. Utrum vero camerarius quoque civitatis fuerit, non ita certum videtur Georgio Christiano Johannis; quamvis enim, ait, in duobus dicti Henrici archiepisc. diplomatis ann. 1143. & 1147. editis Arnoldus *præpositus & camerarius* occurrat,

ANNI CHRISTI

nondum tamen confectum est (tametsi multis probabile videatur) utrum hic noster Arnoldus intelligatur. Ipsum quoque majoris ecclesiæ præpositum exhibet unus Conradus loco supra citato, sed contrarium invicte probat Georgius Christianus Johannis, ut infra videbimus in catalogo præpositorum. At vero communis est scriptorum omnium sententia, cancellarii munus cum exercuisse, & quidem an. 1152. vice Henrici archiepiscopi & archichancellarii, ut supra in Henrico diximus; cui tandem suffectus est in cathedra Moguntina, testante D. Fleury, non autem Radulfus, ut scribit Albericus. Porro electionis ejus tempus deprehenditur in diplomate Friderici imperatoris pro Viennensi ecclesia, in cujus fine legitur:

Lib. 69. hist. eccles. tom. XIV. pag. 629.

1153. *An. ab Incarn. Dom. MCLIII. anno vero regni ejus II. eadem die, qua Arnol cancellarius Regis fuit electus in Moguntinum archiepiscopum;* quam quidem innuit D. Fleury loco citato fuisse diem Pentecostes. De anno certe consentiunt scriptores Moguntini, solusque dissentit Albericus ex errore supra memorato. Dehinc Arnoldus regalibus *investitus* ab Imperatore, Moguntiam advolavit, ubi ejus occasione gravis orta est dissensio; nam aliqui ei, utpote suo concivi favebant, alii dolebant venerabilem virum dominum Henricum ab episcopatu amotum. Hinc pugnæ & cædes inter cives, vocatis etiam ad utriusque partis subsidium comitibus, ut describit Conradus supra laudatus. Ceterum vocatur archiep. & archicancellarius anno 1154. XV. cal. Julii in
1154.
charta Friderici I. Anno seq. Hermannum Palatinum Rheni comitem propter injurias, contumelias, & rapinas Wormatiensi tam ecclesiæ, quam Pontifici & clero irrogatas, cum suis auxiliaris excommunicavit, ex chron. Hirsaug. ubi vide ad hunc annum, sub cujus finem in Natali scilicet Domini, præsente Friderico imperatore, eos absolvit. Tum vero legatus apostolicus declaratur ab Adriano Pontifice max. quem Romæ

Mir. nova edi. pag. 970.

1156. inviserat an. 1156. ac insequenti 1157. XVII. cal. Junii initium dedit Brunbacensi monasterio
1160. ordinis Cisterc. Idem subscripsit anno 1160. pseudo-synodo Papiensi, ubi rejecto Alexandro papa III. Octavianus, dictus Victor, ab episcopis Cæsarianis pro Papa est agnitus. Talis est ejus, post Aquileiensem patriarcham, subscriptio. *Ego Arnoldus archiep. Mog. cum XV. suffraganeis interfui & consensi.* Verum hoc ipso anno, die natali S. Johannis Bapt. a civibus in cœnobio S. Jacobi immaniter trucidatur, prout ei prædixerat S. Hildegardis in quadam epistola, cujus excerptum in chronico Hirsaug. ad an. 1153. Bruschius sepultum tradit in ecclesia collegiata B. Virginis apud Moguntiam. De Arnoldi cæde ita chronicon Stederburgense, diem quoque prædictam assignat necrologium Laureshamense apud Schannatium, libro sæpius laudato. In hujus vero parricidii ultionem Fridericus imperator an. 1163. urbis Moguntiæ mœnia solo æquavit, & quotquot invenit tanti sceleris auctores, aut conscios, dignis affecit pœnis.

XIV. RADULFUS.

ANNI CHRISTI

DE ZERINGEN

Tres post immanem Arnoldi cædem electi fuere; Radulfus iste, Conradi Zaringiæ ducis filius, a furente adhuc populo & vi adacto clero: Christianus comes de Buche, Thuringus, ab Hasso & Conrado Palatino: Conradus denique frater Othonis comitis de Wittelsbach, ab Friderico imperatore. De quibus nunc sigillatim dicendum.

Radulfus de Zeringen apud Albericum, pag. 349. & alibi dicitur frater Bertholdi * Zeringiæ ducis, Conradi vero de Zeringen itidem ducis filius, in chronico Hirsaug. Verum tom. I. rerum Germanic. Freheri, pag. 310. exstat epistola B. ducis Burgundiæ ad Ludovicum regem Francorum, in qua ei commendat fratrem suum Radulfum, *canonica electione in archiepiscopatu Moguntino investitum.* Sane nullus istius nominis ea tempestate reperitur dux Burgundiæ; at cum ille se profiteatur descendere de eodem sanguine, ex quo descendebat rex Ludovicus, dicendum est aut erratum esse in scribenda prima littera nominis ejus, aut Eudonem II. sive Odonem Burgundiæ ducem fuisse binominem. Electus est igitur Radulfus an. 1160. a clero quidem & populo, ait Tri- 1160.
themius, sed absque Cæsaris consensu, præter juramentum, quo se illi Moguntinenses ante triennium obligaverant. Unde & Radulfus gravem adversarium expertus est imperatorem, qui, ut ait idem Dux, *ob nostri generis odium, alium superintrusit.* Expulsus est autem, inquit Albericus, *quia Bennohem destruxit,* id est *quamdam statuam auream in ecclesia Moguntina sic appellatam confregit, & aurum expendit, & consanguineis suis divisit. Deposito igitur apud Moguntiam,* pergit Albericus, pag. 353. *memorato Radulfo, factus est archiepiscopus Conradus, vir honestus & magnanimus, contra quem Imperator schismaticum intrusit, non re, sed nomine, Christianum.* Immo vero, ait Trithemius, Rudolfo deposito, Conradus ex ducibus Suevorum comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris in archiepiscopum Mogunt. quemdam nobilem virum, nomine Christianum constituit; sed Imperator ambobus, Rudolfo scilicet, atque Christiano, refutatis, Conradum fratrem Ottonis Palatini comitis de Witelinsbach substituit. De quibus etiam audiendus Dodechinus ad an. 1160. in hæc verba: *Scelere peracto in Arnoldum, sceleris auctores cum clero, licet coacto, Rodolfum filium Conradi ducis de Zeringen episcopum substituerunt, postposita fide, quam prius in manus Imperatoris dederant.* Et postea anno 1161. *totum quod residuum fuit* e cruce quadam aurea, Willigisiana dicta, *supradictus Rudolfus cum beneplacito Moguntinensium sumsit, & placaturus sibi & illis Imperatorem, Longobardiam pergit, sed frustra: quia Conradus Palatinus alium, nomine Christianum, episcopum levavit, & Rex munera Rodolfi & aurum sprevit: sicque Moguntinenses cum suo episcopo delusi sunt.* Anno 1162. *Imperator in Longobardia res publicas agens, Christiano priore electo, interim neglecto, cum electione priorum Moguntinæ ecclesiæ, qui*

** al. Friderici, ex chronico Conradi.*

ANNI CHRISTI

tunc inibi plures præsentes adfuerunt, episcopum constituit Moguntinæ sedi Conradum fratrem Ottonis Palatini. Hactenus Dodechinus, quem sequitur D. Fleury, tom. 15. hist. eccl. pag. 127. Verumtamen de variis, quibus hæc facta fuisse annis tradit, infra videbimus. Ceterum Radulfus ad ecclesiam Leodiensem assumtus est, ubi vide tom. 3. novæ Gall. Christ.

DE WITELSBACH.

XV. CONRADUS I. *primum.*

Filium fuisse Othonis Witelspachii, nominis hujus IV. ex Heilika, comitibus Velthemio-Lengenfeldensibus orta; fratrem Othonis, *Majoris* vulgo dicti, qui Friderici I. gratia Bavariæ dux factus est, & Othonis cognomento *Minoris*, qui Othonem genuit regicidam, ut probet Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium observationibus, etiam adjungit schema genealogicum. Attamen hunc alias legimus Friderici comitis, præfecti prætorio Bavariæ filium fuisse naturalem.
1160. Ut ut est, certe jam anno 1160. contra quam docent Dodechinus ac Trithemius, Moguntinam sedem Conradum iniisse, probatur ex ipsiusmet Conradi diplomate, quo monasterium Ilfeldense an. 1193. confirmavit; sic enim desinit: *Acta sunt hæc anno Dom. Incarn. MCXCIII. ind. XI. domino Cælestino apostolicæ sedi præsidente, Henrico VI. gloriosissimo Romanorum imperatore imperium gubernante, & anno nostræ electionis in Moguntinum archiepiscopatum XXXIV. exilii XXIX. reversionis vero ab exilio XI.* Anno
1162. 1162. cum esset in comitatu Friderici imperatoris, testis fuit constitutionis ejus in gratiam ecclesiæ Gebennensis. Quo quidem anno *Electus* solummodo vocatur apud Honoratum Bouche in historia Provinciæ, lib. 9. sect. 2. §. 2. pag. 133. ubi cum Henrico Leodiensi episcopo & aliis extranearum regionum præsulibus interfuisse legitur, quando Fridericus Ænobarbus imperator, Provinciæ atque Forcalquerii comitatus dedit Raimundo juniori, comiti Melgoriensi, filio Raimundi alterius, ac nepoti Raimundi senioris, marito vero Richildis Hispaniarum reginæ, Friderici neptis. *Datum an. Incarn. Dom. 1162. indict. X. anno regni ejus decimo, imperii vero octavo, apud Taurinum, post destructionem Mediolani, XV. calend. Septembris.* Exinde Conradus eodem Friderico imperatori adfuit Moguntiæ,
1163. anno 1163. spectator pœnæ civibus ob cædem Arnoldi archiepiscopi justo judicio tum inflictæ, ibidemque Eberhardum Salisburgensem, necnon Hermannum Brixiensem, qui Cæsari præsto erant, omnibus accurate officiis prosecutus est. Cum autem hoc circiter anno Conradus Alexandro III. uti vero pontifici obedientiam fecisset, idque Fridericum ægre laturum haud ignoraret, inscio ipso ad dictum Alexandrum in Franciam profectus est, eique hoc ipso anno Turonis concilium celebranti adfuit, ut testatur Romualdus Salernitanus episc. scriptor coævus. *Tempore*, inquit, *concilii hujus, Conradus nobilis clericus Alemanniæ & imperatoris consanguineus, qui in Moguntina ecclesia erat electus, nolens Octaviano* (pseudo-papæ) qui 22. Aprilis anno 1164. mortuus est, *&* *Imperatori schismatico consentire, ecclesiam suam deserens*, ignorante imperatore, *ad Alexandrum papam in Franciam festinus advenit &c.* Vide t. X. Concil. Labb. col. 1424. Scio quidem plures & ipsum D. Fleury * Conradi adventum in Franciam consignare an. 1165. sed quanti facienda sunt plurium testium quasi absentium testimonia in comparatione unius testis quasi oculati? Et si quidem, ut post annum 1163. Conradi adventum in Franciam differant, innituntur consilio, quod, allato de morte Victoris nuncio, Friderico dedisse fertur, ab Alexandro ne amplius alienus esset, neve de substituendo alio consilium iniret; an non id absens potuit facere ut præsens? Ceterum e Galliis cum Papa, mense Novembri anni 1165. Romam concessit, ibique, ait chronographus Reicherspergensis, *electus Moguntiacensis statim in Natale Domini, in diebus quatuor Temporum, id est XV. cal. Januarii consecratus est ab ipso Alexandro in presbyterum & archiepiscopum Moguntiacensem.* Similiter Romualdus archiepiscopus Salernitanus: *quem papa*, inquit, *satis benigne recipiens, postmodum secum Romam usque adduxit, dehinc in cardinalem episcopum Sabinensem promovit, postremo in Moguntinum episcopum sublimavit.* Quin ipse Conradus in oratione ad Papam anno 1177. habita, quam Baronius ad hunc annum §. LXXIII. affert. *Vos autem vestri gratia mihi vicem congruam rependistis; nam primo me in presbyterum cardinalem, dehinc in Sabinensem episcopum, postremo in Moguntinum archiepiscopum consecrastis.* Paulo post vero, & hoc quidem anno, cum pacis Imperatorem inter ac Pontificem conciliandæ gratia episcopatum Moguntinum dimisisset, pontificatum Juvavensem, *seu* Salisburgensem omnino adiit; hoc unum ea de re adducam testimonium, quod apud Georgium Christianum Johannis in suis ad Serarium observationibus legere est: *Tandem dominus Christianus se interponens inter Papam & Imperatorem, ambos ad concordiam revocavit; actumque est de episcopatu Moguntinensi, ut dominus Christianus archiepiscopatum Moguntinensem obtineret pacifice & quiete, & dominus Conradus Salzburgensem archiepiscopatum accipiens gubernaret.* Addo & alterum testimonium, litteras nimirum ipsius Friderici imperatoris ad Salisburgenses: *De gremio*, ait, *ecclesiæ Romanæ, domnum videlicet Chunradum, consanguineum nostrum, Palatinum, & in ecclesia vestra enutritum, in pastorem & episcopum animarum suarum concorditer & unanimi voto elegerunt. Quam utique electionem domnus Papa, totaque curia ratam habuit, & confirmavit; nosque de regalibus ipsum investivimus, cum ea integritate, qua episcopus Eberhardus illa tenuisse dinoscitur.* Et certe Conradus ipse diploma, quod Alexander III. anno 1179. parthenoni Quedlingburgensi concessit, ita subnotavit: *Ego Conradus humilis ecclesiæ Salzburg. minister, & Sabinæ episcopus*; quem quidem ultimum titulum, quamdiu vixit in humanis, semper retinuit, adeo ut sedi etiam Moguntinæ restitutus, ita subscriberet, *Conradus D.G. episc. Sabin. & S. sedis Mogunt. archiepisc.*

* Tom. XV. hist. eccles. pag. 206.

ANNI CHRISTI

Nunc de Christiano agendum, a quo deinde ad hunc Conradum revertemur.

DE BUCHE.

XVI. Christianus I.

De hoc præsule nonnulla jam in duobus præcedentibus delibavimus. Nempe diximus patria Thuringum, e comitibus de Buche oriundum, jam an. 1160. archipræsulem designatum a Conrado Palatino, statimque reprobatum ab Imperatore. Verum hunc tandem suum cancellarium, ait Romualdus scriptor coævus, Imperator ira commotus, quod Conradus clam, ut diximus, ad Alexandrum III. in Franciam profectus, & inde Romæ in cardinalem episcopum Sabinensem promotus, ac postremo in Moguntinum archiepiscopum sublimatus esset, in Moguntina ecclesia eligi fecit, & a suis suffraganeis consecrari, cum prius, inquit chronographus Lauterbergensis, ædis cathedralis Merseburgensis præpositum egisset. Multis eum Bruschius laudibus effert, quem & virum magni excelsique animi fuisse, nec parum aliis cum virtutibus, tum naturæ muneribus ornatum testantur alii. Christiani certe chronicon sub nomine Conradi episcopi editum tom. I. rerum Germanic. auctore Christiano Urstisio, pag. 573. non modo virum vocat *miræ prudentiæ in rebus ambiguis & arduis, subtilissimi* itidem *consilii & velocissimi inventorem*, sed etiam addit: *erat vir miræ patientiæ in adversis, nulla in prosperis superbia extollebatur, vultus benignitate omnibus gratiosus & aliis honestis moribus adornatus*. Albertus itidem Stadensis ad an. 1173. p. 292. *Christianus archiepiscopus, licet Teutonicus, scilicet Thuringus, disertus exstitit & facundus, vir largus & illustris; utens lingua Latina, Romana, Gallica, Græca, Apulica, Lombardica, Brabantica, uti lingua materna*. Ipsum vero in cancellarii aulici officio successorem datum Reinoldo, cathedræ Coloniensi imposito, præter Bruschium, prodit Sarisberiensis, qui lib. I. epist. XXXI. ad S. Thomam Cantuariensem sic loquitur: *Adjiciunt etiam, quod in ecclesiam Moguntinam velit intrudere illum ipsum, non Christianum, sed antichristum, apostatam suum, qui Reginaldo successit in officio cancellariæ*. Quem idcirco ita suggillat hic auctor, quod ab Octaviani antipapæ partibus staret. Ceterum fuisse etiam majoris ecclesiæ Moguntinensis præpositum, antequam ad ipsius pontificatum sublimaretur, probant litteræ Conradi I. archiepiscopi secundùm, quibus an. 1183. controversiæ, quæ Burchardo S. Petri Mogunt. præposito cum sanctimonialibus Diesenthalensibus erat, finem imposuit: *Ego*, inquit, *Conradus Dei gratia Moguntinæ sedis primo electus & confirmatus, sedens pro tribunali inter alia negotiorum emergentia, litem motam inter moniales Diesendal, & Burchardum præpositum S. Petri, super quadam ecclesia, quam utraque pars suam esse contendebat, pluribus aliis occupatus, terminare eam non valens, cognoscendam & rationali fine decidendam, domino Christiano, tunc Moguntinæ sedis præposito, & Otthoni viro strenuissimo, fratri nostro, qui postea dux fuit Bavariæ, nunc vero Palatino, vicem nostram demandavimus, qui allegatis hinc inde diligenter visis & inspectis, præfatam ecclesiam Burchardo præposito S. Petri adjudicaverunt. . . . . . .*

A *Procedente vero tempore, cum pro schismate multis annis exularemus, domino Christiano, pro voluntate domini Imperatoris nobis subrogato, cum omnia, potius fortuna, quam judiciario regerentur ordine, præfatis monialibus super præfata ecclesia queri- moniantibus, dicitur dictus dominus Christianus, contra nostram, non, imo contra suam venisse sententiam*. Porro, siquidem, ut supra diximus, non prius in archiepiscopum electus est Christianus, quam audivisset Imperator, Romæ Conradum in cardinalem episcopum Sabinensem & in archiepiscopum Moguntinum sublimatum fuisse, vix ante initium anni 1166.* ista electio contigisse 1166. * 1165. ex chron. Augustens.
B videtur. Proinde quoque ad hunc annum referenda est epistola Christiani ad Cluniacenses, qua hortatur ipsos, ut Hugonem quondam suum abbatem, quem nonnulli expulerant, denuo recipiant. Exstat hæc epistola inter instrumenta ecclesiæ Matisconensis, tom. IV. novæ Gall. Christ. ubi perperam notatur in margine *circa an. 1160*. Eodem anno 1166. se sacri palatii cancellarium & Moguntinæ sedis electum dicit in duobus Friderici imperatoris diplomatis, altero Ulmæ dato VIII. idus Martii, Ratisbonæ altero, III. idus Aprilis, quod utrumque recognovit. Idem anno seq. ecclesiæ majoris Moguntinæ canonicis pa- 1167.
C rochialem in vico Nider-Ulmen benefica concessit voluntate; cujus traditionis litteræ datæ leguntur *in espicopatu Faventino apud S. Proculum, mense Martio*. Ecclesiam quoque S. Jacobi in urbe, ejectis Benedictinis monachis, ob cædem Arnoldi archiepiscopi ibidem cæsi, favente perduellibus abbate, ut vulgo creditum, Præmonstratensibus tradit anno incerto; unde sic legitur in necrol. S. Justi Bellovac. ejusdem ordinis: *25. Augusti Christiani Moguntini episcopi, qui contulit ordini nostro ecclesiam S. Jacobi in suburbio ejusdem civitatis*. Adfuit an. 1168. solemni principum conventui a Friderico I. imperatore in civitate 1168.
D Francorum *Herbipoli* coacto, ac insequenti Bambergæ, in conventu itidem principum, ubi unus omnium maxime operam dedit, ut Henricus quinquennis, Friderici filius, Rex designaretur, patri olim successurus; quem deinde septem annorum die Pentecostes anni 1172. Moguntiæ in monasterio S. Albani in regem Francorum Orientalium coronavit. Nominatur etiam 1171. in actis veteribus oppignerationis Heristallii pro ecclesia Leod. 1171.
factæ a Godefrido Lotharingiæ duce; & iterum in diplomate Friderici I. venditionem Jopiliæ castri Rodulfo Leodiensi episcopo factam a Godefrido Bullonio confirmantis, ex annalibus circuli West- Mir. nova edit. pag. 189.
E phalici. Hunc Albertus Stadensis ad an. 1172. pag. 291. vocat imperialis aulæ cancellarium & sedis apost. legatum; archicancellarius vero dicitur in charta Friderici I. imp. qua pactum inter capitulum B. M. Aquisgran. & abbatiam Altimontensem ratum habet an. 1174. Denique cum Cæsari visum anno 1176. pacem facere cum Alexandro, Christianus Anagniam missus est cum Magdeburgensi præsule & aliis, qui Pontifici reconciliationis ineundæ mentem aperiret; cumque jam omnia rite ad pacem firmam essent disposita, idem Christianus, cum Coloniensi, Magdeburgensi, & quibusdam aliis, Pontifici, pacta conventa 1172. Mir. nova edit. pag. 545. 1174. 1176.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

religiose servatum iri, Cæsaris loco, jurejurando A
1177. interposito fidem fecit. Audiatur ipse Alexander: *XII. calend. instantis mensis Augusti* (an. 1177.) *principes Teutonici regni, scilicet venerabiles fratres*
Chronic. tom. 1. Baluzii. pag. 72. *nostri, Magdeburgensis, Coloniensis & Christianus dictus Moguntinus, archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se jurare fecerunt, &c.* Christianus quidem tribus post diebus, damnatis, quas hucusque secutus fuerat, partibus, solemni cum aliis expiatus ritu, in potestate sedis Romanæ se futurum conceptissimis verbis spopondit, & combusto, quod tanquam potestatis pontificalis insigne olim a Guidone antipapa acceperat, pallio, novum accepit per manus Hya- B
cinthi cardinalis, inquit Albertus Stadensis, male ad annum 1179. De quibus iterum audiendus Alexander papa: *IX. vero calend. Aug. præfatus Imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam B. Nicolai, quæ per unum milliare distat a Venetiis, & ibi tam ipse, quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni, abrenunciantes schismati, per fratres nostros episcopos & cardinales, de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt.* De his etiam legendum Andrense chronicon, tom. IX. Spicil. pag. 464. Tum vero Papa Christianum in cathedra Moguntina con- C
firmavit, translato ad Saltzburgensem ecclesiam Conrado legitimo archiepisc. Mogunt. Dehinc adfuit eodem anno, die 14. Aug. Concilio Venetensi, ubi pax denuo sacerdotium inter ac imperium sancita est; indeque Romam, ait
1178. chronographus Saxo ad an. 1178. pag. 312. cum Wormaciensi, pluribusque aliis episcopis, & nobilibus viris, quos Imperator cum eo direxit, Alexandrum papam reduxit; seditque anno sequenti in Concilio Lateranensi, quod idem Papa
1179. celebravit; subinde captus eodem an. 1179. a Conrado Montis-ferrati marchione, custodiæque mancipatus, e qua non nisi gravi ære soluto, D
biennio post se se redemit. Fuit bellator, ut præclara ejus facinora testantur; Fridericum enim in Italiam secutus an. 1167. prope Tusculum cum parva manu quindecim millia Romanorum profligavit, Rainaldo Coloniensi archiepiscopo suppetias ferente. Litteris etiam probe instructum fuisse, libri ab eo editi dubitare non sinunt: nam præter epistolas & conciones, composuit tractatum de vita & gestis Imper. Barbarossæ, qui ejus opera plurimum usus est in legationibus obeundis; hoc tamen vituperandus, quod militaribus studiis nimium deditus esset. Duæ hujus præsulis ad Hildegardem abbatissam epistolæ le- E
guntur, & plures vicissim Hildegardis ad ipsum scriptæ, de quibus Gerardus Johannes Vossius, lib. 2. histor. Latin. Denique obiit Christianus Tusculi juxta Romam, cum ingentem exercitum Germanorum ad suppetias Lucio papæ ferendas
1183. adversus Romanos duceret, an. 1183. v. cal. Septemb. ex necrol. Silvæ-majoris in Aquitania, quem aliunde supra vidimus locum habere in necrol. S. Justi Bellovac. die 25. Augusti; statim vero Conradus Moguntinam cathedram recuperavit, de quo nunc agendum.

XVII. CONRADUS *secundùm*.

ANNI CHRISTI WITELSBACH.

Post Christiani mortem rediit Moguntiam Conradus, & a Moguntinis honorifice, inquit Bruschius, susceptus est. Sane hoc ipso an. 1183. 1183.
xv. cal. Decemb. tanquam archiepisc. Moguntinus, controversiam, de qua supra in Christiano, Burchardum inter S. Petri Mogunt. præpositum & sanctimoniales Diesenthalenses diremit. Subscripsit anno seq. chartæ Friderici im- 1184.
peratoris in favorem Lantelmi abbatis Casæ-Dei, Tabular. Casæ-Dei.
datæ Veronæ III. nonas Nov. una cum Roberto archiepiscopo Viennensi, Guillelmo episc. Vasionensi, Othone episc. Bambergensi. . . . . Bertrando episc. Metensi, Godefrido superioris aulæ cancellario, aliisque viris nobilissimis. Quo etiam anno Theodericum Halberstadensem episcopum consecravit. Lucio insuper adsuit Veronæ testis adhibitus, cum hic Pontifex Quedlinburgensis cœnobii statum, juraque novo diplomate roboravit, suumque primus sic edidit nomen: *Ego Conradus Sabinensis episcopus, Moguntinus archiepiscopus.* An. 1186. inter ipsum & Ludo- 1186.
vicum Landgravium Thuringiæ gravis orta est discordia, ex qua villarum in Thuringia & Hassia ipsius episcopi, & Landgravii Thuringiæ devastatio secuta est. *Tunc vero temporis episcopus contra terram Hassiæ ædificavit Heilgenberg castrum; econtra Landgravius contra terram episcopi ædificavit Bramburg castrum.* Finita tamen expeditione ista bellica, Augustæ Vindelicorum an. 1187. VIII. idus Apr. feria secunda, S. Udal- 1187.
rici ædem dedicavit, cooperantibus venerabilibus episcopis, Udalscalco Augustensi, Othone Frisingensi, Hermanno Monasteriensi, Othone Arelatensi, & Berchtoldo Tullensi. Scripsit ad eum Epist. 143.
Petrus Blesensis 1193. pro veteri in scholis olim Rimer. t. 1.
inita amicitia, rogans eum, ut ad procurandam pag. 78.
Ricardi regis Angliæ libertatem nervos omnes intenderet; nempe hic princeps rediens ab expeditione sacra, post recuperatas multas urbes, & fusos in truculento prælio fidei hostes, cum in manus Leopoldi ducis Austriæ, hostis ejus infensissimi an. 1192. incidisset, indeque traditus 1192.
esset Imperatori haud minus inimico, utrimque diu in arcta custodia detentus est. Idem postea Conradus legatione apostolica in Syriam, jubente Cœlestino III. functus est circa an. 1197. 1197.
eoque duxit ingentem Germanorum cruce-signatorum exercitum, Conrado-Herbipolensi episc. alium ducente. Quo in itinere, Leoni, *seu* Livoni Armeniæ regi petenti coronam nomine Imperatoris detulit, & solemniter imposuit, quem cum familia & subditis ad Romanæ sedis obedientiam adduxit, & ad concordiam cum principe Antiochiæ revocavit. Hoc ipsum quoque beneficium præstitit erga Emericum, quem alii Henricum vocant, & Andream fratrem ejus, quos de Hungariæ regno dissidentes anno 1199. conciliavit. 1199.
Denique mortuus est in quodam oppido Pataviensis diœcesis in ducatu Austriæ an. 1200. die 1200.
27. Octobris, cujus corpus Wolfherus Pataviensis episc. celebratis ex more defunctorum Trithem.
officiis, ad ecclesiam Moguntinam destinavit. De

ANNI CHRISTI

illo legendi Gaspar Bruschius in episcopis Germaniæ, Urspergensis, Dodechinus, Baronius, Canisius, Ciaconius in cardinalibus, qui perperam ejus obitum notat an. 1205. & Ughellus in episcopis Sabinensibus, tom. 1. Italiæ sacræ, ubi frustra laudatur in registris Innocentii III. epistola canonicis Moguntinis directa, anno 5. pontificatus, x. cal. Apr. hoc est 1202. ut in locum bonæ memoriæ Conradi Moguntini episcopi Sabinensis, Lupoldum Wormaciensem antistitem, a majori parte canonicorum postulatum, si idoneus repertus fuisset, confirmarent. De hac enim epistola dubitandi locus est non mediocris, quando aliunde constat Lupoldum a majori quidem canonicorum parte, sed qui Philippo Suevo, regi favebant, electum fuisse, cui Philippo contrarius Innocentius, Ottonem in Regem ungi curaverat; nec aliunde minus certum est Sigefridum æmulum Lupoldi fuisse consecratum a legato pontificio, & confirmatum, palliique donatum ab Innocentio III. Vide hist. eccl. D. Fleury, tom. XVI. pagg. 83. & 89.

DE EPSTEIN.

XVIII. Sigefridus II.

Sigefridus iste, *Senior* appellatus, ex præposito S. Petri Moguntini, non autem majoris ecclesiæ, pontificatum obtinuit adversus Lupoldum Wormaciensem episcopum, qui a majori parte capituli fuerat electus. Sane jam an. 1200. III. nonas Febr. hoc est 1201. pro hodierna computandi ratione, Siffridus Moguntinus electus testis habetur in charta Ottonis IV. bona ecclesiæ Coloniensi concessa, Adolfo archiepiscopo confirmantis. Exstant *ibidem* t. XIII. Reginaldi, pag. 157. litteræ Philippi Romanorum regis de Luipoldo & Siffrido pro sede Moguntina contendentibus. Exstant & Othonis Romanorum regis datæ an.
1201. 1201. quibus Innocentio III. Siffridum Moguntinum electum commendat. Et hic quidem eodem anno, in Sabbato quatuor Temporum mensis Septembris a Guidone cardinali Prænestino, sedis apost. legato presbyter, ac Dominica seq. in archiepiscopum consecratur, ex chronico Hirsaug. pag. 500. ubi dicitur, quamdiu vixit rex Philippus, ad quietam possessionem Moguntinæ ecclesiæ pervenire nunquam potuisse. Ipse nihilominus statim a sua consecratione Romam profectus cum litteris commendatitiis dictorum cardinalis & Othonis, ab Innocentio III. confirmatur, & archiepiscopali pallio decoratur. An.
1204. 1204. nescio quid Siffridum inter & Moguntinos cives intercesserat, pontifex enim Innocentius III. litteris hoc anno, XII. calend. Maias ad ipsum datis, se dicit in Moguntinos, qui eum in præsulem admittere detrectabant, animadver-
1205. tere hactenus distulisse. Coloniam anno seq. cum Johanne Cameracensi episcopo, de mandato Innocentii III. accessit, ubi Adolfum Coloniensem archiepisc. excommunicatum denuntiavit, quod eo ipso anno Philippum anathemate percussum Aquisgrani coronasset, qui prius Othonem ibidem coronaverat, ac nisi intra mensem ab hac denuntiatione se Romam satisfacturus conferret, officio Pontificali fore deponendum præmonuit.

Reginald. tom. 13.

Ibid. ad an. 1202.

A Quod cum Adolfus parvi pendisset, Siffridus iterum Coloniam venit cum suo collega, & XIII. cal. Julii in majori ecclesia, coram Othone rege & omni populo, eum ab officio deposuit;
nec multo post, anno scilicet 1206. electum 1206.
Brunonem consecravit archiepiscopum Coloniensem; verum eodem anno dato prælio, in quo Philippus vicit, Colonia Sigefridus se subduxit, Romamque fugit ad ecclesiam S. Sabinæ, cujus tituli cardinalis erat, sive, ut alibi legimus, ubi (Romæ) cum esset, S. Sabinæ episcopus creatus est, ibique per biennium substitit, donec exstincto Philippo 1208. ejectoque auctoritate apostolica B Lupoldo, Moguntiam rediret; cum tamen jam anno præcedenti, rerum imperii tranquillandarum gratia, Hugolinus episc. Ostiensis & Leo antistes Veltrensis legati pontificii Philippum ad hoc induxissent, quod regalia, ut vocant, sive beneficia atque commoda revocaret, quæ Lupoldus archiepiscopus factus, fiduciario jure ab eo receperat, & ipse Lupoldus rerum Moguntinensium ecclesiasticarum administratione decederet. Neque vero solum Sigefridus cum honore magno, & lætitia tam a populo quam a clero in urbem suam Moguntiam susceptus est, sed etiam Lupoldo in exsilium acto, per quatuor annos C Wormatiensis episcopatus, Pontificis jussu, gubernacula tenuit. Sane memoratur archiepiscopus
& archicancellarius an. 1209. XVI. cal. Julii in 1209.
diplomate Ottonis IV. Nivellensi ecclesiæ benefacientis. Quo etiam anno Othoni adfuit in comitiis Herbipolensibus, ait Arnoldus Lubecensis, lib. 7. cap. 19. pag. 741. Post hæc Sifridus legatus Papæ creatus, in cœtu Bambergensi
an. 1211. excommunicavit Othonem impera- 1211.
torem, sive hunc ab Innocentio pontifice censuris ecclesiasticis innodatum, & imperio excidisse declaravit; atque ut idem ab antiquis ecclesiarum antistitibus fieret, missis undique litteris aucto- D ritate apostolica mandavit. Cui (Othoni) nihilhominus adhærentem Theodericum Colon. archiepisc. anathemate percussit; quod cum sprevisset Theodericus, Coloniam Sigefridus veniens,
sua eum sede in Cœna Domini dejecit, an. 1214. 1214.
ex chronico Hirsaug.

Verum interea sic habitum Othonem indigne ferentes Henricus comes Palatinus, frater Othonis, dux Brabantiæ, & alii nobiles, diripuerunt & incenderunt pleraque loca diœcesis Moguntinensis; quamobrem & ipsum Henricum Sigefridus an. 1213. excommunicatione perculit, & Othonis gratiam sibi conciliare minime curans,
E Friderico Siciliæ regi ejus æmulo coronam im- 1215.
posuit ad Aquas-granas, die 25. Julii 1215. eodemque anno suum ad expeditionem in terram sanctam nomen dedit. Legimus in chronico Thuringiæ apud Bucelinum, quod cum sub annum 1219. Siffridus archiepiscopus Ludovicum Thuringiæ Landgravium absque sufficienti causa anathemati subjicere constituisset, ille impatiens, multa Siffridi castella obsederit, & provinciam devastaverit, donec istud negotium, Fuldensis & Hersfeldensis abbatum opera, componeretur.
Inde anno seq. in comitiis Francofurti habitis, 1220.

ANNI CHRISTI

[illegible] lib. 2. [illegible] cap. 9.

Reg. 8. Inn. III. epist. 141.

Mon. nova edit. pag. 734.

ANNI CHRISTI

testis est Sigefridus in diplomate Friderici II. pro A
principibus ecclesiasticis, & in charta Hugonis
de Petraponte episc. Leod. fundationem domus
Mir. novæ edit. pag. 505. de Juncis ordinis equitum Teutonicorum confirmantis. Scripsit an. 1221. epistolam gratulatoriam ad ecclesiam Hildesheimensem super electione Conradi scholastici Moguntini, in suum
Schannat. Vindem. litter. pag. 191. episcopum, quam confirmavit. Tum an. 1222.
adfuit conventui Aquisgranensi, in quo S. En-
1222. gelbertus Henricum VII. adhuc decennem, in
consortem paterni imperii, regiis insignibus &
Mir. novæ edit. pag. 413. honore inauguravit. Erfordiæ concilium habuit an. seq. in ecclesia B. Mariæ, ex chronico Erford.
1227. & alterum Moguntiæ 1226. annoque 1227. B
adfuit alteri apud Aquisgranum conventui, ubi uxor Henrici regis, filia Lupoldi ducis Austriæ per ministerium Henrici Coloniensis archiepisc. in reginam uncta & coronata fuit. Quo etiam anno latam a Gregorio papa sententiam anathematis in Fridericum imperatorem, quod expeditionem transmarinam subire detrectaret, per
1228. totum regnum promulgavit. Anno seq. 1228. indict. 1. Odocharus & Wenceslaus fratres Bohemiæ reges, ecclesiæ Moguntinæ privilegium dederunt, quo Moguntinus archiepiscopus pro tempore existens Bohemiæ reges ungere & co-
Schannat. Vindem. litter. pag. 120. ronare deberet. Munificum se præbuit eodem C anno Sigefridus in cœnobium Reinhartsbornense, nonis Martii, *nostri pontificatus*, ait, *anno XXVII.* Denique moritur Erfordiæ anno
1230. 1230. v. idus Septemb. conditus ibidem in ecclesia B. M. Virg. ab Engelhardo Nuwemburgensi episcopo, cum hoc brevi epitaphio:

Migrans vir fidus quinto Septembris in idus
Præsul Sigfridus, fulget cœlo quasi sidus.

Sub hoc antistite Conradus episcopus Portuensis cardinalis & legatus Honorii III. synodum habuit Moguntiæ 9. Decemb. an. 1225. ubi pro tota Germania multas edidit constitutiones ad eccle- D siasticam disciplinam pertinentes.

XIX. SIGEFRIDUS III.

DE EPSTEIN.

Superioris Sigefridi ex fratre Godefrido nepos, natus sorore Theodorici archiepiscopi Trevirensis,
1231. successit patruo 1231. ut scribit Albericus, & quidem optime, ut liquet ex ipsiusmet Sigefridi litteris, quibus Erfurti hoc anno fratribus S. Lazari sacellum Brunesrodense confirmat; sic enim desinunt: *Datum Erfordiæ anno Dominicæ Incarn. MCCXXXI. XV. cal. Januarii, pontificatus nostri anno primo;* unde colligas ipsum anno 1230. 18. Decembris nondum ad archiepisco- E patus Moguntini apicem evectum fuisse. Anno
1232. seq. 1232. cum Aquileiæ interesset comitiis, ab Cæsare Laurishamensem abbatiam, editis ibidem mense Aprili tabulis peculiaribus, obtinuit, pro qua deinde sub annum 1238. contra Ottonem ducem Bavariæ, uxorio jure magnum comitem
1233. de Rheno, dimicavit. Francofurti anno 1233. III. cal. Martii Henricum episcopum & cives Wormacienses, sociis operæ consiliorumque Conrado episc. Spirensi & marchione Badensi, ad concordiam reduxit. Eodem anno Erfurti concilium provinciale coëgit, sive, ut alibi legimus, Moguntiæ, III. idus Martii, sui pontificatus anno tertio, hoc est 1234. uti modo computamus, ibique habito consilio cum canonicis Moguntinis pro sui decessoris debitis, quibus episcopatus jam dudum Romæ fuerat obligatus, in tota sua diœcesi redditiuum vicesimam partem ab omnibus clericis colligi mandavit, dato super hoc privilegio, se nunquam a clero suo, dictis suis, quidquam amplius petiturum; canonici vero matricis ecclesiæ Mog. fide juratoria confirmaverunt, se de cetero nullum pontificem electuros, nisi in idem privilegium consensurum.

Grassabatur autem his temporibus in Germania hæresis Stadingorum, qui, dæmone magistro, horrenda suis in conventiculis flagitia perpetrabant; ad quam exscindendam Gregorius IX. scripsit ad Conradum Marpurgensem ex ordine Prædicatorum, epist. 173. lib. VI. registri, ut adversus eos sacram militiam compararet, ut videre est, tom. XI. Concil. Labb. col. 478. ubi episcopus, qui tunc Moguntinæ præerat ecclesiæ, dicitur *Conradus*, mendose profecto, nisi forte Sigefridus duplici nomine uteretur. Ceterum an.
1237. Trithemio referente, Fridericus imperator advocatiam villæ Bischoffsheim, cum omnibus 1237.
proventibus suis, in Francia orientali, quatuor ab Herbipoli milliaribus sitæ, quam ut Sueviæ dux in beneficio feudali tenuerat ab ecclesia Moguntina, Sifrido archiepiscopo liberam restituit, mense Aprili. Dehinc anno seq. idem Sifridus 1238.
archiep. Conradus de Eberstein episcopus Spirensis, & plures alii principes, cum valido suorum exercitu adjutores in Longobardiam ad Imperatorem profecti sunt, quorum auxilio, multa ibidem prælia gessit. Interea tamen Siffridus, cum esset homo prudens & astutus, metuens indignationem sedis apost. per communionem Cæsaris, ut multos contigit incurrere, quibus potuit modis, Imperatorem, quatenus sibi ad suam ecclesiam redire liceret, induxit. Unde persuasus Cæsar filium Conradum regem ejus fidei committens, cum illo remisit in Germaniam, & totius regni gubernationem ei commisit. Ita Trithemius in chron. Hirsaug. ad hunc an. pag. 570. Tum anno
seq. 1239. majorem ecclesiam Moguntinam, 1239.
quam ut perficeret, jam an. 1233. XV. calend. Julii largas peccatorum condonationes singulis ac omnibus indulserat, qui ad opus explicandum liberaliter stipem conferrent, IV. nonas Julii consecravit in honorem Domini nostri Jesu-Christi, B. M. Virg. & B. Martini episcopi & confess.
Idem an. 1243. sub finem mensis Junii provin- 1243.
ciale concilium celebravit, quo etiam anno Trevirorum antistitem inauguravit. Cum autem an. 1245. Fridericus imperator in concilio Lugdunensi generali, cui præerat Innocentius IV. excom-
municatus & imperio privatus fuisset, anno seq. 1246.
Moguntinus, Colon. & Trevir. archiepiscopi, cum ceteris episcopis, Argentinensi, Metensi, Spirensi, & aliis, elegerunt in Regem apud Herbipolim Henricum Landgravium Thuringiæ;
eoque mortuo 1247. Guillelmo Hollandiæ & 1247.
Zelandiæ comiti regnum detulerunt feria 5. post

ANNI CHRISTI

festum S. Michaëlis ejusdem anni. Denique in Carthusiæ Moguntinæ libello MS. de Moguntinis conciliis, una Sifridi ad abbates & ecclesiasticos alios, contra ecclesiarum violatores, exstat epistola an. 1248. data, in qua, eadem de re Innocentii Pontificis litteras Lugduno ad se an. 1245. missas inclusit, & cum pœnas alias, tum hanc in sacrilegos illos decrevit, *ne in cœnobia ulla eorum aut filii, aut filiæ possent recipi.* Clausula vero hæc est : *Datum Erfordiæ anno MCCXLVIII. calendis Aprilis, pontificatus nostri an. XVIII.* Non integro abhinc anno supervixit

1249. Sigefridus ; anno siquidem sequenti 1249. postquam per universam diœcesim suam omnes præ- B positturas, ac meliores parochias vacantes auctoritate domini Papæ per biennium sibi usurpandi jus obtinuisset, dictus Papa eum Germaniæ legatum constituit ; at cum hic esset in expeditione cum Rege, ante curtem regiam, Ingelheim dictam, cœpit infirmari, venitque Pinguiam, *seu* Bingam, ubi VII. idus Martii diem clausit extremum, sepultus in choro ferreo ecclesiæ suæ cathedralis ante altare beatæ Virginis. Postea vero, ut ipse narrat Christianus, qui sequitur, non Conradus, *convenerunt fratres ecclesiæ Moguntin. tractantes de patre futuro, qui posset ipsam tot & tam gravibus oppressam miseriis, &c. consolari. Et* C *concorditer in C. Coloniensem archiepisc. vota sua transtulerunt ; sed heu ! a sede apostolica non est hæc postulatio admissa, sed electio capitulo restituta.*

Chronic. Erford. apud Schannat. Vindem. litter. pag. 102.

XX. Christianus II.

Cum antea Christianus fuisset præpositus S. Victoris Moguntinensis, cantor item, decanus, ac præpositus ædis majoris, rejecta, ut diximus, Conradi Colon. archiepisc. postulatione, electus

1249. est in archiepiscopum III. cal. Julii an. 1249. eademque die a legato, qui tunc erat præsens, confirmatus, & a Rege regalibus investitus ; tandemque consecratus eodem anno, & pallio do- D natus. Eum nobili stemmate natum, etsi quo ignoretur, probant ipsius litteræ, quas in chronico S. Victoris §. XV. apud Georgium Christianum Johannis, legere est, quippequi in his Wernerum de Boland suum vocat cognatum. Qua vero fuerit erga subjectos benignitate, certo colligitur ex ejusdem litteris datis hoc anno calendis Novembris, quibus incolas villæ *Hagene*, haud procul Aschaffenburgo, non solum omni advocatorum jure & onere eximit, verum eadem libertate, qua cives Aschaffenburgenses gauderent,

* al. 1250. frui constituit. Erfordiam venit eodem anno * in vigilia Natalis Domini, *obedientiam jurata* E *fide sibi stipulaturus*, qui honorificentissime susceptus, inter confertam cleri, senatus, populique multitudinem, ad cœnobium S. Petri, ordinarium archiepiscoporum diversorium, deductus est ; cumque sub id tempus in statum simul, resque hujus monasterii, vi muneris sui, inquireret, Henricum abbatem jam valetudinarium, Volmaro Bursfeldensi suffecto, magistratu movit. Ei dicavit librum pontificalem Fridericus monachus, quem publici juris fecit, quod spectat ad sacras ordinationes, Johannes Morinus Oratorii

A sacerdos. Exinde Christianus cessit an. 1251. ut ipse loquitur, sive, ut alii, exauctoratus fuit. Ipsummet de sua loquentem depositione juvat audire : *Omnes religiosi, & qui Deum præ oculis* 1251. *habere credebantur, super hujus hominis* (Christiani scilicet) *promotione gaudebant, sperantes pacem rebus dari ; maxime quia idem bellicis rebus non fuerat assuetus : etiam qui negotio erant inimici, congratulabantur ei. Sed non stetit diu in episcopatu. Accusatur enim apud Papam, quod omnino inutilis esset ecclesiæ, & quod evocatus ad expeditiones Regis invitus veniret. Hoc autem verum erat, eo quod fierent incendia, sectiones vinearum, devastationes segetum. Dicebat enim, nequaquam decere talia sacerdotem ; sed quidquid deberet per gladium spiritus, quod est Verbum Dei, omnimode se promptum asserebat & voluntarium. Cumque ejus prædecessorum sequi vestigia moneretur, respondit : scriptum est*, mitte gladium in vaginam. *Johan. 18. 11.* *Ob hoc in odium Regis & multorum incidit laïcorum. Qui omnes eum accusantes, apud Papam obtinuerunt, eum ab episcopatu omni submoveri.* Hactenus ipse Christianus, qui hoc ipso, quo episcopatu abiit, anno, abiit etiam e vivis, ex Trithemio, & quidem XI. cal. Decemb. ex necrologio ædis majoris. Sic autem habet anonymi chronicon Erfordiense apud Schannatium, libro inscripto *Vindemiæ litterariæ*, pag. 104. de Christiani depositione : *Anno Dom. 1251. dominus Papa. . . . . quemdam H.* cardinalem ordinis Fratrum Prædicatorum de suo latere legatum misit in Alamanniam ad Willelmi regis confirmationem, qui veniens Moguntiam, ejus ecclesiæ præsulem Christanum, cessionem a Papa noviter petentem, deposuit, assignans eidem per totam Moguntinam diœcesim in qualibet ecclesia conventuali præbendam, subrogando nihilominus ipsi Gerhardum Sylvestris comitis filium.* Inde vero Christianus, ex eodem chronico, anno 1253. hospitalariorum ordini se tradidit, ac eodem ipso Christianus Moguntinus quondam episcopus Parisiis defunctus est, ac in domo hospitalariorum sepultus.

* Hugonem

XXI. Gerhardus I.

WILDGRAVEN.

Wildgravius germanice dictus est, quod idem est ac latine comes Sylvestris, filius Conradi, Silvestris itidem comitis. Fuisse prius ecclesiæ metropolitanæ canonicum evincitur ex charta ejusdem capituli, cui canonicos inter ædis majoris subscripsit *Gerhardus comes Silvestris*, an. 1238. XI. cal. Novemb. ac proinde vix crediderim illum se unquam S. Francisci regula devinxisse, nisi forte morti vicinum. Ceterum, ut Christiani antecessoris de sua ipsius depositione narrationem prosequar ; *An. 1251. substitutus est ab eodem legato adolescens subdiaconus, Gerhardus nomine, filius Conradi comitis, qui dicebatur Silvester comes. Hunc autem substituit cardinalis presbyter & legatus, inductus a quodam Henrico archiepiscopo Ebredunensi, qui socius erat ipsius legati : nec tamen hoc ipse Henricus archiepisc. consuluit sine causa ; acceperat enim occulte CC. marchas pecuniæ numeratæ a Gerhardo, quem idem archiepiscopus instituí*

ANNI CHRISTI

instituti procuravit. Nihil opertum, quod non revelatur. Ad annum vero sequentem sic habet laudatum Erfordiense chronicon: *Hoc anno* 1252. *Maguntinæ sedis electus in Dominica* Exurge *Erfordiam veniens, ab hujus civitatis clero honorifice susceptus est, qui ibidem jejunio vernali diaconatum, & Sabbato sacerdotium adeptus est, ac dein Brunswick cum Rege veniens, in die Palmarum ab Eboracense archiepiscopo in pontificalem sublimatus est auctoritatem.* Jam autem hoc anno in tabulis publicis Cæsaris Willelmi, VI. nonas Maii monasterio S. Petri Goslariæ datis memoratur archiepisc. Mogunt. & sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius, itemque in aliis Ricardi Romanorum regis Coloniæ & Coloniensibus datis. Eodem an. 1252. die 4. Febr. Erfordiam venit, magno stipatus comitatu, nec minori exceptus pompa, ac in monasterio montis S. Petri aliquandiu substitit, interimque vicesimam redituum partem a clero exegit. Tum etiam ibidem decessorum suorum sententiam in marchionem Mysnensem, & Brabantiæ ducissam pro feudis ex obitu H. regis episcopatui solutis, & a jam dictis injuriose detentis promulgatam confirmavit, omnes civitates & villas ipsorum jurisdictioni per Hassiam atque Thuringiam subjectas sub interdicto ponens. Post hæc Willelmus rex solemnem indixit curiam calendis Julii apud Francofurtum celebrandam, in qua ei Gerardus noster omni adfuit obsequio, Willelmi testantibus litteris, in quibus testes inter primo reperitur loco. Quin ita illi navavit operam, ut petenti mutuam daret pecuniam; superant enim litteræ in castris ante Cubam an. 1252. II. nonas Aug. datæ, quibus oppidum Oppenheim ecclesiæ Moguntinæ pignori opponitur. Anno seq. Erfordiensi chronico referente, *dum Hugo sedis apost. legatus pro quodam theloneo fere per annum excommunicationis sententia Moguntinum innodasset, ac illius sententiam contra marchionem latam*, de qua supra, *cassasset, citra pascha reconciliati sunt.* Hoc etiam anno Moguntinus archiepisc. cuidam Theodorico episc. de Minorum Fratrum ordine vices suas in Thuringia commisit, qui Erfordiæ septimana Pentecostes, ordines celebravit, ac in festo Apostolorum ad Fratres Prædicatores sacras virgines velavit. Pacem anno seq. 1254. cum Wormaciensibus fecit, & abbates multi, ut exhausto bellis ærario metropolitano subvenirent, multa suis e prædiis & reditibus largiti sunt. Durante interim Sophiæ Brabantinæ cum *Henrico illustri*, marchione Misnensi, bello, Gerhardus huic *jure feodali* contulit *officium mareschalli* (archiepiscopatus scilicet Moguntinensis hæreditarii) &c. Tabularum hac de re tum scriptarum formula hanc habet clausulam: *acta apud Udenstett an. MCCLIV. VII. cal. Aug. pontificatus nostri anno III.* Biennio post Guillelmus de Hollandia Romanorum rex in bello contra Frisones misere periit sub finem mensis Januarii 1256. quo quidem anno Gerhardus noster sociatis armis cum Ebersteinensi comite contra Brunswicensem ducem dimicavit, sed magno suo incommodo; captus enim ab eodem duce, per annum custodiæ mancipatus est. Interea vero a Pontifice litteras accepit datas 28. Julii ejusdem anni, quibus monebatur, ne in electione Regis sineret ullam Conradini pueri haberi rationem. Adhuc autem captivus detinebatur, quando suffragiis archiepiscopi Coloniensis tam suo nomine, quam archiepiscopi Moguntini, cujus se vices idem Coloniensis archiepisc. gerere asserebat, & assensu comitis Palatini, die 13. Jan. an. 1257. Francofurti in Regem electus est Richardus Cornubiæ comes, Regis Angliæ fratrer, cujus opera tandem octo millium marcarum argenti pretio liber evasit Gerhardus, eodem anno ante primam diem Aprilis, qua satagentibus archiepiscopo Trevirensi, Bohemiæ rege, Saxoniæ duce & marchione Brandeburgensi, quasi nulla esset prior electio, Alfonsus Castilliæ rex in Romonarum Regem assumtus est. Denique obiit Gerhardus non 1260. ut ait Trithemius, sed an. 1259. ut liquido probat diploma quoddam Widekindi comitis de Battenburg hoc anno datum, XIV. cal. Decemb. Ita namque incipit: *Recognoscimus & protestamur, quod olim præstitimus corporale sacramentum domino nostro Gerhardo piæ memoriæ archiepiscopo Mogunt. &c.* Erfordiæ vero in æde Franciscanorum terræ mandatus est, cujus obitus dies notatur in necrologio majoris eccles. Moguntinæ VII. calend. Octobris.

Matthæi 10. 26. — 1252. — Chron. Erford. — Tom. I. Anecdot. pag. 1160. — 1253. — Chronic. Erford. — 1254. — 1256. — 1257. — 1259.

XXII. Wernherus.

DE EPPENSTEIN.

Patre natus est Gerhardo, qui frater fuit Sifridi III. *vulgo* Junioris, archiepiscopi, & Godefridi de Eppenstein; sic enim Wernherus ipse loquitur in litteris anni 1260. III. nonas Sept. *Wernherus D. G. sanctæ Moguntinæ sedis electus constare cupimus universis, quod cum Helfricus, miles de Rudenkeim, junior, vendiderit fratribus de Hagenehe decimam villæ de Ennenkein, cum omnibus appenditiis, resignando eamdem in manus patrui nostri Godefridi de Eppenstein, & Gerhardi fratruelis nostri, &c.* Et iterum in aliis anni 1273. nonis Junii: *Nos Wernherus D. G. S. Moguntinæ sedis archiepisc. . . . . quod gratias & libertates, quas recolendæ memoriæ quondam dominus Sifridus archiep. Moguntinus patruus noster, civitati Moguntinæ, &c.* Ipse quoque se dicit enutritum in ecclesia Moguntina, litteris datis an. 1268. *Nostris oculis*, ait, *præponentes & pensantes ex corde, quod nos nostra ecclesia Moguntina a primis quasi cunabulis enutrivit, &c.* & in aliis an. 1284. *Nos jugi meditatione pensantes honores & beneficia grata, quæ ecclesia Moguntina, mater nostra, multis temporibus nobis impendit, a primævæ nostræ juventutis flore, maternis uberibus educando, &c.* Enim vero Cantoris primum, dein summi etiam præpositi dignitatem assecutus est; imo non ædis solum majoris præpositum egit, sed etiam ad S. Petrum & ad B. M. Virg. ad Gradus; ut ipse perhibet in variis litteris; *Wernherus*, inquit anno 1253. pridie cal. Junii, *D. G. majoris ecclesiæ & S. Petri præpositus, &c* Et in aliis ejusdem anni & 1254. *Wernherus D. G. præpositus majoris & ecclesiæ B. V. ad Gradus.*

ANNI CHRISTI

Cathedræ autem impositus fuit eodem, quo A Gerhardus obiit anno, 1259. ut liquet ex tabulis Widekindi comitis Battenburgensis, de quibus supra in Gerhardo: in his enim leguntur hæc verba: *Quia vero dominus noster dominus Wernherus sanctæ Moguntinæ sedis electus, &c.* Adhuc autem solummodo dicitur *Electus*, in litteris de concordia cum Ludovico & Henrico, comitibus Rieneccìis VII. cal. Aug. an. 1260. inita quinetiam III. nonas Septemb. eodem anno, ut supra. Deinde Romam perrexit, ubi a Pontifice non confirmatus modo, sed solemni etiam ritu episcopus ordinatus fuit, teste Sifrido presbytero, lib. II. ad an. 1261. pag. 697. *Hoc anno*, inquit, B *quatuor metropolitani, Moguntinus, Trevirensis, Bremensis, Magdeburgensis a papa Alexandro IV. consecrati sunt.* Id quoque testatur Wernherus ipse in diplomate pro Reinhardo Hanoviensi dynasta, IV. nonas Febr. anno 1261. *consecrationis suæ primo; quod nos attendentes constantem fidem & fidelem constantiam, quam diebus suis habuit erga ecclesiam Moguntinensem nobilis vir Reinhardus de Hagenove, consanguineus noster, labores quoque & pericula personarum & rerum, quæ nobiscum pertulit in itinerando ad curiam Romanam, cum pro confirmatione nostra illuc personaliter fueramus profecti, &c.* Ab Urbe redux C provinciale statim concilium egit Moguntiæ; ac Philippum de Hohenfels, quod clerum gravibus premeret exactionibus, nec ullum monitis locum relinqueret, a sacris repulit: quem tamen post, anno scilicet 1263. ad saniora redeuntem & die 7. Januarii positis odiis, pacis secutum consilia, vinculo excommunicationis absolvit. Tum vero Pragam concessit, ab Rege Odocharo non evocatus solum, verum etiam tabulis liberi commeatus ac patrocinii instructus, datis Pragæ anno 1261. in Dominica *Ad te levavi.* Et ibi quidem Odocharum tum matrimonii vinculo cum Kunigunda, Belæ Regis nepte, copulavit, D tum ipso natalis Domini die, regali diademate cinxit. Exinde Margaretam Friderici II. imperatoris filiam, Alberti degeneris, Misniæ marchionis, conjugem, domo extorrem, & VI. idus Aug. an. 1270. Francofurti fato functam, regio propemodum apparatu, sepulturæ dedit. Anno seq. castrum Wildenberg, cum villis adjacentibus, ab Ulrico domino de Durne, nongentis marcis monetæ Coloniensis emit; itemque an. 1272. idibus Jan. ab eodem oppidum Amorbach, cum advocatione tum oppidi, tum claustri, & judicio, quod *Centa* vulgariter appellatur, justo emtionis titulo, sibi, sedique Moguntinæ E comparavit; quo etiam anno Bertholdo abbati Fuldensi tutor datus est ad biennium. Auctor fuit præcipuus anno seq. ut Rodolfus Habspurgensis, apud Francofurtum Imperator eligeretur pridie calend. Septembris. Lugdunensi concilio anni 1274. interfuit, jussuque Pontificis Othonem episcopum Hildesheimensem ibidem consecravit. Sub annum vero 1278. castrum Waldbockelnheim ab Henrico Sponheimensi comite, mille quadringentis marcis denariorum Aquensium emit; quod Johanni comiti Sponheimensi, Henrici germano adeo displicuit, ut in acrem primum contentionem excederet, post vero in apertum bellum, sed hoc male cessit comiti; tandemque concordia, Rudolfo rege vices interponente suas, inter eos reformata est an. 1282.

Margin (left): 1259. 1261. 1270. 1272. 1274. 1278.

Ceterum, quam ab initio erga suam ecclesiam benevolentiam habuit, eam ad ultimum spiritum retinuit; illi siquidem donatione, ut vocant, inter vivos, quartam partem castri *Hohenberg*, quam ipse proprietatis titulo hucusque possederat, una cum incolis, agris, &c. addixit, tradiditque, omni simul exceptioni, qua facta donatio infringi posset vel revocari, sciens volensque renuntians, Aschaffenburgi, die 26. Martii anno 1284. Hoc autem anno ibidem decessit IV. nonas Aprilis, & in majori ecclesia sepultus est.

Post obitum Wernheri, Moguntina sedes duobus ferme annis vacavit, distracta in varias electiones canonicorum sententia. Postulatur enim ab aliquibus Gerardus comes de Epestein archidiaconus, *al.* archipresbyter Trevirensis, ab aliis Petrus canonicus Basileensis, & Moguntinæ majoris ecclesiæ præpositus; sed rem totam Honorii decretum diremit.

XXIII. Henricus III.

Patria Suevus ex Algovia, oppido Isena, fabri cujusdam filius, professione Minorita, & ideo Germanice *Knoderer*, aut *Gurdelknopff.* a nodoso scilicet funario cingulo, vocatus, lector theologus in cœnobio Moguntinensi, postea *guardianus* ut vocant, in oppido Lutzernensi, tum in Basilea, & Rudolfo imperatori a sacris confessionibus, deinde mirabili, ut inquiunt, modo factus episcopus Basileensis, tandem an. 1286. ab Honorio papa Moguntinis datus est archiepiscopus; quem certe titulum assumit eodem anno, VI. calend. Septemb. in tabulis Spirensibus datis, cum jam tunc etiam fortasse episcopatus Spirensis curam suscepisset; id quidem hoc anno facere jussus, propter absentiam Friderici episcopi. Denique obiit XVI. cal. Aprilis ex necrologio ædis majoris Moguntinæ, an. 1288. in templo majori sepultus ante aram SS. Petri & Pauli apostolorum, ex Trithemio; cujus sepulcro hæc verba fuisse incisa docet Urstisius in episcopis Basileensibus:

Hic jacent in fossa Henrici mendici ossa.

XXIV. Gerhardus II. — DE EPSTEIN.

Filius Godefridi ac Elisabethæ Nassoviæ, Sifridi III. archiepiscopi nepos, & Wernheri itidem archiepiscopi patruelis, antequam archiepiscopatus Moguntini gubernaculis admoveretur, fuit archidiaconus Trevirensis tituli S. Lubentii, & canonicus Moguntinus. Inde post Wernheri mortem, ut diximus, electus est in archiepiscopum Moguntinum, contra Petrum majoris ecclesiæ præpositum, sed neuter obtinuit. Dein archiepiscopatus Trevirensis eidem ab altera capituli parte delatus est, altera Bohemundo deferente; interimque defuncto Henrico Moguntino archiepiscopo, Gerhardus ab aliis successor designatus, atque ab aliis Emericus Schonecus rei

Margin (right): ANNI CHRISTI 1282. 1284. 1286. 1288.

ANNI CHRISTI

scholasticæ præfectus. Dum vero hi tres rem suam prosequuntur Romæ, pontifex Nicolaus IV. sacræ Quadragesimæ Dominica *Reminiscere,* Mo-
1288. guntinensem cathedram Gerhardo, ac Boemundo Trevirensem adjudicavit; *atque ita solemnibus ordinationum feriis ad sacerdotalem honorem gradu facto, ambo uno eodemque die a Pontifice Maximo, præclaro cæremoniarum apparatu consecrati, & subsequente Palmarum die, recepto pallii gestamine usuque condecorati sunt.*

Brower. Annal. Trever. lib. XVI. c. 123.

Sic ergo perfectus sacerdos magnus, in obeundis pontificiæ dignitatis muneribus acrem se præbuit ac vigilantem. Ac primo quidem Erfurtenses rebelles legibus devinxit, civitati mulcta octingentarum marcarum argenti irrogata, quam deinde sibi conciliatam adiit, cum magna festivitate & occursu publico in pervigilio S. Thomæ receptus. Cumque interea Anhaltini parthenonem Gerenrodensem variis premerent exactionibus, antistiti Halberstadensi, scriptis Erfordiæ
1289. VI. cal. Jan. 1289. litteris, vi juris metropolitani mandavit, monasterii causam ut defenderet, & adversus illorum injurias propugnaret. Anno seq.
1290. 1290. Walkenriedensis cœnobii commodis consulturus, omnibus id, vel ipsis templi propediem ibi inaugurandi solemnibus, vel diebus B. Virginis, sanctique Bernardi, ac aliorum sanctorum memoriæ sacris, religionis causa adituris, IV. nonas Jan. quamamplissimas piaculorum concessit condonationes. Eodem anno asceterium, quod fratres B. M. Virg. de Monte-Carmelo Francofurti ad Mœnum statuerant, religionis bono, pontificia confirmavit dignatione. Uti vero in rebus tractandis impiger erat, ita provisurus, ne bona ecclesiarum aliquo distraherentur modo, vel im-
1291. probe occultarentur, an. 1291. litteris III. nonas Octobris editis, Moguntinensium decanis serio graviterque mandavit, ut intra duos proximos menses, jura, census, reditus, & proventus suæ quisque ecclesiæ accurate conscriberet, & dein peculiarem redigeret in librum, qui postea in armariis ecclesiæ catena loco certo alligatus publice prostet, ut a canonicis, quandocumque voluerint, possit inspici. Cum autem hoc anno Rodolfus Romanorum rex die 30. Sept. obiisset, Gerhardus noster Adolfum Nassovium bellica laude, aliisque multis dotibus insignem, consobrinum suum, ad regiam Romanorum dignitatem
1292. pene solus evexit an. 1292. ineunte, eumque ad Imperii coronam accipiendam, equos phaleratos mille quingentos habens, Aquisgranum comitatus est. Celebravit etiam hoc anno synodum Aschaffenburgi, cum suffraganeis episcopis, &
1297. an. 1297. ipso Pentecostes festo, Pragæ Wencestaum & Juttam Bohemiæ regem & reginam, solito ritu inauguravit. Interea regem Adolfum sua auctoritate abutentem, ut plures volunt, obtenta Romani pontificis licentia, ipsorumque Electorumque consilio, e solio dejecit die 23.
1298. Junii an. 1298. Albertumque Austriæ ducem, die 9. Augusti ejusdem anni in ejus locum subrogandum curavit, cum paulo ante pugnæ inter utrumque Imperii competitorem, in qua periit Adolfus, interfuisset. At vero cum in decreto

A electionis Alberti Francofurti factæ scriptis nuper comprehenso, ipse Gerhardus e primo in secundum ordinem quasi detrusus, & infra Bohemundum Trevirensem positus fuisset, id ne sibi, sedique suæ fraudi foret, animum haud indiligenter advertit; siquidem a Cæsare tabulas impetravit, quibus tum ipse, tum successores, in procedendo, sedendo & nominando, primum semper tenere locum debeant, nonobstante, quod in decreto nupero in secundo collocatus fuerit ordine. Editæ sunt hæ litteræ Rotemburgi IX. cal. Octobris an. 1298. Verumtamen haud multo post inter Albertum regem & Gerhardum ar-
B chiepiscopum simultas intercessit; sed hic tandem e vivis abiit an. 1305. V. cal. Martii, postquam 1305.
rexisset hanc ecclesiam sexdecim annis, ex necrologio ædis majoris, in qua sepultus est.

XXV. PETRUS.

AICHSPALTER, al. RAICHSPALT, vel ACHZPALT

Treviris honesto loco natus est Petrus, vir pius juxta & doctus, medicus Henrici Luxemburgensis comitis, qui fuit Imperator; ecclesiasticum vitæ genus cum amplexus esset, ad summos emersit honores. Ac primum quidem cathedrali apud Treviros collegio præpositum hunc an. 1288. Nicolaus IV. pontifex dedit, tametsi,
C quod nobili non esset stirpe, majoris canonicorum partis constantia in tuendis ecclesiæ suæ statutis & consuetudinibus (de nobilibus scilicet ac legitimis duntaxat recipiendis,) hujus dignitatis in possessionem haud venit. Dein Petro Reichensteinio, *seu* Divitis, antistite Basileensi fatis functo, Basileæ illum sedere jussit idem Nicolaus papa. Tum vero hac occasione Moguntinus archiep. evasit. Cum enim ista sedes per obitum Gerardi vacaret, noster Petrus missus est ab Henrico Luxemburgensi comite ad Clementem papam Pictavii tunc commorantem, ut pro Balduino ipsius fratre Moguntinam cathedram ob-
D tineret, sed recusavit Pontifex ob immaturam Balduini ætatem. At cum tunc temporis gravi morbo decubuisset Papa, in magno vitæ discrimine positus, episcopum Basileensem (Petrum de Achtepal) quem medicæ artis peritissimum noverat, accersivit, ejusque ope sanatus, eumdem, beneficii memor, archiepiscopum Moguntinum instituit; quem exinde Julio mense [a] anni 1306. 1306. [a]
apud Treviros solemni pompa ordinatum, ac deinceps pallio donatum, insigni cum honore Moguntiam missum esse Trithemius docet in recognita chronici Hirsaug. editione. Denique Petrus archiepiscopatus sui jura regalia Colum-
E bariæ ab Alberto rege XVII. cal. Maii an. 1307. 1307.
solemni ritu accepit. Unde non multo post, eodem scilicet anno, idibus Novembris Ulricum comitem de Helfenstein ad fidem, obsequiumque suum adduxit, tradita illi, clientelæ titulo, villa *Machtolsheim.* Idem anno seq. novo Regi cli- 1308.

[a] Necdum XVII. cal. Julii erat ordinatus, vel certe id nondum Cæsar resciverat; is enim in suis tabulis datis hac die de facta inter Sifridum de Eppenstein & collegium Moguntinum primarium transactione pacifica, sic habet: *Est etiam actum expresse, quod si futurus pontifex Moguntinus dicto Sifrido in recompensam damnorum. . . . . nomine episcopatus Moguntini persolverit, pecuniam aliquam tradiderit, &c.*

ANNI CHRISTI

gendo sese accinxit; suffragioque suo primum A
Rensæ in Henricum Luxemburgi comitem ivit,
iterumque Francofurti ad Mœnum, die 27.
Novemb. quæ solemni dicta erat electioni,
postquam anno præcedenti apud canonicos Tre-
virenses sua obtinuisset adhortatione, quod Bal-
duinum ejusdem Henrici comitis fratrem, ter-
tium atque vigesimum ætatis annum tunc agen-
tem, in archiepiscopum postularent, ac deinde
apud Papam, hujus electionis confirmationem
procurasset. Neque vero majora hæc negotia
1308. obstiterunt, quo minus eodem anno 1308.
Carthusianis in diœcesim Moguntinam evocatis
sedem præbuerit in Rhingavia inter castrum B
Scharpfenstein & vicum Ridderich. Henricum
1309. anno seq. coronandum Aquas deduxit; eidemque
postea Coloniæ, Francofurti & Spiræ omni
præsto fuit consilio & opera, suasor inter alia, ut
Wenceslai Bohemiæ regis defuncti filiam Elisa-
betham nuptum collocaret Johanni filio, eidem-
que simul regnum Bohemiæ conferret. Anno
1310. 1310. diebus 11. 12. & 13. Maii, provinciale
concilium habuit Moguntiæ, jussu Pontificis,
in quo Templariorum causa tractata est. Quo
etiam anno, æstate procedente, Johannem præ-
dictum Henrici filium jam anno præcedenti
cum Elisabetha Spiræ matrimonii vinculo junc- C
tum, insigni comitatu, delectaque militum manu,
in Bohemiam prosecutus est; ambosque Pragæ
1311. anno seq. ipso lustratæ virginis Deiparæ festo,
in frequenti ordinum regni corona, Johanne
Pragensi antistite, & Petro Lomnicio Olomucensi
suffragantibus, regali diademate cinxit. Idem
1314. postea Petrus an. 1314 die 20. Octobris Franco-
furti in electione novi Romanorum Regis suum
Ludovico Bavariæ duci suffragium contulit; id-
que per litteras tertio post die, summo Ponti-
fici futuro significavit. In collectione Rimerii
Angli tom. 3. pag. 665. exstat epistola Regis
Anglorum, cujus testimonio nuntii verbis acce- D
Lettre de creance. dit fides & auctoritas: Sic autem incipit: *Rex
venerabili in Christo patri domino P. eadem gratia
archiepiscopo Moguntino, sacri imperii per Germa-
niam archicancellario, &c. Datum apud Eborum*
1317. *10. Sept. 1317.* De quo & ista leguntur in
chronica aulæ regiæ ad eumdem annum 1317.
digna, quæ hoc in loco describantur, teste Ba-
luzio in notis MSS. ad Gall. Christianam. *Tem-
pore, quo disertus, & expertus venerabilis pater
dominus Petrus S. Moguntinæ ecclesiæ archiepisc.
in regno Bohemiæ manebat, & Johannem regem,
reginamque Elisabeth regebat, florebat pax in
Bohemia, justitiaque vivebat. Tractabat enim so- E
lerter cum quibusdam aliis de regno viris illustribus
negotia regni & regis, non tantum armis, sed ani-
mis, innixus consilio sapienti. Plures autem de Bo-
hemia oderunt archiepiscopum, prætendentes, quod
de regno nimium portaret thesaurum. Igitur ad
archiepiscopatum revertitur Moguntinum.* De ejus
morte hæc paulo infra leguntur in eodem libro
ad an. MCCCXX. *Eodem anno nonis Junii reve-
rendus pater dominus Petrus natione Treverensis,
Moguntinus archiepiscopus, expertus & excellens
medicus, sapiens Principum consiliarius, vir in*

omnibus eventibus mundanæ conversationis fortunatissimus, præsenti seculo valefaciens, ætate senili confectus, de carnis ergastulo spiritum exhalavit extremum.

Illum etiam hoc anno, sed pridie nonas Junii mortuum tradit necrologium ædis majoris, his verbis: *II. nonas Junii MCCCXX. obiit venerabilis pater Petrus de Treviri, archiepisc. Mogunt. qui rexit ecclesiam honeste XIV. annis & V. mensibus, multiplici ornatu eam decorando.* Depositus est in Moguntino templo ante chorum ferreum, ad columnam primam a sinistra, ubi ejus imago sublimi stat insculpta saxo, cum infulis & pondere, ostentans hinc inde Reges a se inunctos: cum hoc epitaphio:

Anno milleno trecentenoque viceno,
Petrum petra tegit, tegat hunc, qui tartara fregit.
De Treviris natus præsul fuit hic trabeatus,
Redditibus, donis, & clenodiis sibi pronis,
Ecclesiam ditat, res auget, crimina vitat.
Hic pius & largus, in consiliis fuit Argus.
Sceptra dat Henrico regi, post hac Ludovico.
Fert pius extremo Johanni regna Bohemo.
Hic quinos menses, annos deca tetra repenses,
Quos vigil hic rexit, quem Christus ad æthera vexit. Amen.

XXVI. MATTHIAS.

DE BUCHECK.

Inclita comitum de Bucheck familia prognatus, filius Henrici comitis de Bucheck & Landgravii Burgundiæ, fratres habuit Hugonem comitem, Morbacensis, nobilis in Alsatia ordinis S. Benedicti monasterii, cujus Matthias alumnus & custos erat, advocatum, & Bertholdum Spirensem antistitem & Argentoratensem. Porro iste Matthias ad preces Roberti Siciliæ regis, ob servitia Hugonis prædicti, hunc archiepiscopatum a Johanne papa consecutus est, cum tunc, ait Albertus Argentinensis, pag. 121. spes esset de procurando ipsi episcopatu Constantiensi. De hac autem promotione sic habent acta Balduini Trevirensis episcopi, tom. 1. Miscellan. Baluzii, pag. 141. *Quo* (Petro) *defuncto, Moguntinense capitulum ante Argentinam venit ad dominum Baldewinum, totaliter congregatum, & ad sanctam Moguntinensem sedem in capitulo concorditer ipsum postulaverunt. Et ecce non post multum temporis intervallum venit quidam Nigrorum de ordine monachorum, Matthias nomine, electus, ac confirmatus a Papa, in archiepiscopum Moguntinum destinatus, qui se omnimode in domini Baldewini gratiam donavit, electionem domini Ludovici regis per dominum Baldewinum approbavit, & cum ipso sibi utiliter conspiravit. Unde dominus Baldewinus ipsum a capitulo in archiepiscopum receptari feliciter procuravit, de sua postulatione facta, gratiarum multimodas referendo actiones.* Ceterum non eodem statim, quo Petrus diem obiit, anno Moguntinensem archipræsulatum obtinuit; supersunt enim litteræ Ditmari episcopi Gabulensis, quibus manifestum fit, mense Febr. anni 1321. sedem archiepiscopalem adhuc vacasse. Quod ut magis pateat, illarum initium &

ANNI CHRISTI

finem afferre non pigebit. *Fr. Dithmarus ord. Cisterc. D. G. episc. Gabulensis, gerens vices in diœcesi Moguntina a capitulo nobis commissas, sede vacante, universis Christi fidelibus, &c. Datum anno Dom. MCCCXXI. VI. idus Febr.* Imo vacabat sedes eodem anno calendis Novemb. uti etiam decanatus. Confirmavit autem eodem statim, quo ad titulos Moguntinenses assumtus fuit, anno, civitati Moguntinæ privilegium a Sifrido eidem concessum, haud secus ac decessores, sin-
1321. gulari diplomate, dato 1321. XVIII. cal. Januar.
1323. Deinde Matthias an. 1323. Dominica die post festum SS. apostolorum Petri & Pauli, quæ fuit v. nonas Julii, Aschaffenburgi, Marquardo episcopo Eichstadensi sacris operante, episcopalem suscepit
1324. unctionem. Idem anno seq. vocatus sacri Imperii per Germaniam archicancellarius, in chartario Reinhartsborn. apud Schannatium, Carthusianis a Petro decessore in diœcesim Moguntinam accitis, feria VI. post Annuntiationem B. Mariæ non solum possessiones ac census liberaliter confirmavit, verum etiam indulsit, ut domicilio e valle S. Petri Moguntiam translato, in monte S. Michaelis juxta S. Albanum sibi claustrum statuere possent. Francofurti quoque ædem B. M. Virg.
1326. quæ vulgo *in Monte* dicitur an. 1326. solemni
1327. cæremoniarum apparatu dedicavit; & anno seq. synodum episcopalem Moguntinæ provinciæ convocavit. Quo etiam an. 1327. eidem Matthiæ, marchionis Misnensis oppidum *Suden-Geysen* appellatum obsidione vallanti, neque tamen expugnare valenti, Balduinus Trevirensis archiepiscopus *adjutorialem expeditionem destinavit, quinimo personaliter venit. Unde hoc oppidum viriliter expugnavit, & cum tota sua acie in adjutorium domini Baldewini* (Matthias) *Bopardiæ prope-*
1328. *ravit.* Denique moritur anno 1328. IV. idus Septembris, ex necrologio ædis Moguntinæ majoris, in qua tumulum accepit VI. cal. Octobris, cum hac epigraphe:

Mille trecentenis annis, octoque vicenis
Matthias præsul, fuit iste comes, licet exsul.
De Bucheck natus, tamen exsilio bene gratus.
Magnanimus, justus, virtutum sole perustus.
Verax, ut nostis, invictus & hostibus hostis.
Donis magnificus; & amicis fulsit amicus.
Se satis hic stravit, dum relligione notavit.
Hic sublimari meruit, quia pontificari.
Annos octo quidem non plene rexerat idem.
Heu! datus hic turmis, probitatis luxit in armis,
Exsequias flendas peragas, data sexta calendas
Octobris, juncta sibi sint cœli bona cuncta.

De cetero ad partem curarum archiepiscopalium sustinendam adjutorem a Papa Henricum, cognomento Placidum, Austriæ ducem & canonicum Moguntinum acceperat, qui *resignans postmodum uxorem duxit, & obiit an. 1327.*

DE VIRNEBERG, ou VIRNENBURCH.

XXVII. HENRIDUS III.

& ante eum,

BALDUINUS* administrator.

*de Luxembourg.

Matthia fatis functo, titulos quidem Moguntinenses prensabat Berchtoldus de Bucheck, sed quominus fratri subrogaretur, inde erat, quod antea in conventu principum Confluentino disturbarit consilia Papæ, impediendo ne Rex Francorum eligeretur Imperator. *De quo eum,* inquit Albertus Argentinensis in chronico, pag. 123. *secretariis papæ Johannis decanus Moguntinensis detulit; quod ipsum* (Johannem papam) *post mortem Matthiæ Moguntini ab ipsius fratris Berchtoldi provisione retraxit.* Ceterum clerus elegerat sibi pontificem quemdam canonicum, nomine *Gerlacum*, contra quem Johannes papa Henrico de Virneburg æque canonico, de archiepiscopatu Moguntino providit, qui Moguntiam veniens, a clero refutatus est, & ad sedem apostolicam appellatum. Continuum itaque per triennium contentio cleri coram Papa fuit contra Henricum, clericis multis in eum scelera jaculantibus. Verum ne interim ecclesia Moguntina pastoris destituta solatio, dentibus patesceret impiorum, Papa memoratus ad instantiam canonicorum Baldewinum archiepiscopum Trevirorum, administratorem archiepiscopatus Moguntini constituit, quousque finem contentio susciperet. Hæc Trithemius in chronico Hirsaug. recognito, pag. 169. attamen pro Balduini administratione non annuit continuo Papa, quin potius, cum percepisset a canonicis Balduinum postulari, præpositum, decanum & capitulum, litteris VII. idus Novemb. Avenione datis corripuit; sed, eo tandem illorum postulatis obsequente, Balduino, quem postulaverant, administratoris detulerunt partes; quas & ille, tum illorum, tum sedis Moguntinæ beneficiariorum precibus adductus, in se suscepit, ut fortunis ecclesiæ Trevirensis res Moguntinenses, multis modis afflictas fulciret juxta restitueretque. Qua de re juvat hic adducere verba auctoris anonymi gestorum Balduini, tom. 1. Miscell. Baluz. pag. 145.
Eodem anno (1328.) *Matthias Moguntinensis archiepisc. viam universæ carnis fuerat ingressus.* 1328.
Hic fratres Moguntinensis capituli dominum Baldewinum in suum archiepiscopum unanimiter postularunt, & postea dominum Baldewinum in propria venientem persona, suæ diœcesis tutorem fecerunt, & castra & munitiones in ejus manus assignarunt. Qui statim cuncta ipsius ecclesiæ debita ab antecessoribus multipliciter contracta, quia longissima cum Landgravio Hassiæ fuerat in guerra, quæ nondum erat sedata, ne aliqua supercrescerent damna, de sua propria pecunia funditus persolvebat. Ipsius vero primum fuit studium de bello cum Hasso comprimendo, quod ut præstaret, quamdam cum illo, Munzerburgæ an. 1328. feria tertia ante festum S. Martini compositionem fecit. Deinde cives Moguntinenses non cleri solum libertates oppugnantes, verum etiam audentes administratoris violare imperium, atque ejus improbare tutelam, in officium reduxit an. 1330. statimque eo ipso 1330.
anno, die 8. Sept. Vallem B. Mariæ in Rhingavia, vulgo *Marienthal*, dedicavit. Ad quem etiam annum hæc in historia Landgraviorum Thuringiæ cap. 93. legimus: *cui* (Balduino) *adhæserunt Ersfordienses*, & hi *habuerunt aliquos clericos, qui*

ANNI CHRISTI

adhæserunt dato a Papa (Henrico) *suspectos, & ceperunt eos, imo aliquos occiderunt, nec ad preces Balduini episcopi electi, detentos in vinculis absolvere volebant, propter quod malum eos excommunicavit, & excommunicari fecit.* Alia plurima ipsius egregie facta in gratiam ecclesiæ Moguntinensis, prætermitto, quæ refert anonymus, tom. 1. Miscellan. Baluz. pag. 146. & seqq.

Unde illud etiam habemus, Balduinum hujus ecclesiæ administrationem tenuisse usque ad an.
1337. 1337. contra Trithemium & Serarium, quorum ille 1330. hic 1332. abdicasse contendunt. Et certe an. 1337. qua principatus Moguntini provisor, Johanni de Berlichingen, armigero, ad dies vitæ, in feodum, sive beneficium concessit arcam castrensem in Oren, prope oppidum Orengau sitam, hoc tamen cum onere, ut in area dicta statuat propugnaculum quoddam & alia ædificia ibi necessaria in modum unius fortalitii, secundum Heilmanni decani Aschaffenburgensis, & Wilderici ibidem vicedomini, mandatum. Datum anno prædicto 1337. in crastino Epiphaniæ. Balduinus autem abdicavit, indignationem veritus Pontificis, ægre ferentis, ipsum rei Moguntinæ tamdiu præesse; missis ergo 1336. die 12. Nov. Avenionem litteris per nuntios & oratores Benedicto, ei non solum explicuit, cur archiepiscopatus Moguntinensis administrandi partes in se suscepisset, hactenusque non sine multo labore sustinuisset, verum etiam, voluntaria regiminis abdicatione, ejusdem castra, oppida, &c. ad manus Pontificis dimisit. Tum vero Papa nuntios in Germaniam misit, Guigonem de S. Germano, & Nicolaum de S. Audomaro præpositos, ad archiepiscopatus possessionem actu ipso recipiendam, qui die 10. Aprilis an. 1337. Moguntiæ in loco capitularium conventibus destinato mandata sua senatui civico exposuere, ut constat ex publico notariorum instrumento, quod Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium nuperis observationibus se ad verbum retulisse in codice diplomatico testatur. Exinde Bingam discessum, ut similiter agerent cum capitulo. Ex quibus auctorem gestorum Balduini interpreteris, qui sic habet cap. 9. *Voce imperativa papali, & cardinalium consilio emissa, anno Dom. 1337. domino Baldewino & capitulo Moguntinensi fuerat mandatum, ut episcopatum Moguntinensem in manus duorum legatorum ad hoc in Pinguiam destinatorum, tanquam in manus Papæ libere resignarent. Cui mandato dominus Baldewinus obediens accessit Bacheracum, convocans ibi capitulum & officiales ecclesiæ Moguntinensis, præcepitque eis, ut mandatis apostolicis obedirent, & juramento sibi per eos præstito libenti animo renuntiarent. Quo audito, quia videbant, quod eis amplius præesse non vellet, inobedienter ab eo recesserunt, & contra voluntatem Papæ & domini Baldewini,*[a] *Henricum de Virnenburg, eis a Johanne papa destinatum, contra quem prius, crimina & defectus opponendo, appellaverant, nunc*

Tom. 1. Miscellan. Baluz. pag. 149.

[a] Legimus tamen in annalibus Trevir. lib. 18. Balduinum non modo judicio Pontificis obtemperavisse, sed etiam clero suasisse, ut Henricum pro archiepiscopo reciperet.

in archiepiscopum acceptarunt: qui statim omnibus suis temporalibus ab Ludovico imperatore in feodum receptis, cum domino Baldewino est pacificatus. Bene alioquin Henricus *Rebdorfensis* ad an. 1337. pag. 615. *Et Henricus archiepiscopus Moguntinus admissus est ad possessionem ejusdem ecclesiæ, qua diu caruerat.*

Henricus de Virnenburg archiepisc.

Et sic devenimus ad Henricum de Virnenburg, cognomento *Busman.* Natus is fuit illustri, vetustaque admodum stirpe, Virneburgiis oriundus comitibus, cujus pater Rupertus, & patruus Henricus archiepiscopus Coloniensis. Præpositus autem Bonnensis tum temporis fuit, quando a Johanne papa ecclesiæ Moguntinæ datus est archiepiscopus, teste bulla Benedicti XII. Avenioni data XVII. cal. Jan. pontificatus anno 2. in hæc verba: *Dudum felicis recordationis Johannes papa XXII. prædecessor noster, ecclesiæ Moguntinæ per obitum bonæ memoriæ Matthiæ Moguntini archiepiscopi, tunc vacanti, ac per eumdem prædecessorem, dum adhuc idem Matthias ejusdem ecclesiæ regimini præsideret, dispositioni apostolicæ reservatæ, venerabilem fratrem nostrum Henricum, archiepiscopum Moguntinum, tunc præpositum ecclesiæ Bunnensis, Coloniensis diœcesis, virum utique de multis gratis obsequiis ecclesiæ Romanæ per eum præstitis, ac aliis virtutibus multipliciter commendatum, de fratrum suorum consilio, præfecit in archiepiscopum & pastorem; ac deinde sibi fecit in partibus munus consecrationis impendi, ac pallium de corpore S. Petri more solito assignari.* Idem habet auctor historiæ Landgraviorum Thuringiæ cap. 93. ad an. 1330. pag. 938. *Econtra dominus Papa dedit Henricum de Veranberg præpositum Bonuensem, & orta est magna discordia in diœcesi.*

Ceterum hic sedi Moguntinæ destinatus, bulla XVII. cal. Novemb. an. 1328. Avenioni data, 1328.
decano & capitulo ecclesiæ Moguntinensis commendatus fuit; quinimo cum provisionibus Papæ & litteris commendatitiis 15. Martii anno 1329. Moguntiam adiit, quanquam sine effectu, ut ex jam dictis patet. Cum igitur a clero non admitteretur, civium sibi conciliaturus benevolentiam, die 3. Apr. an. 1329. dato eis polli- 1329.
citus est diplomate, se nec vectigal, nec pedagium intra milliare circum urbem, in fluviis æque ac terra, unquam impositurum, vel a quopiam exacturum, nisi consensu civitatis. Novam eis anno seq. 1330. contulit gratiam. Incurrerant illi pœnas, in statutis concilii provincialis 1330.
Moguntini iis constitutas, qui clero petulanter vim, damnaque intulissent, atque adeo noxis illigati erant, ac detestationibus ecclesiasticis. Pollicitos, iis de damno se satisfacturos, quibus jure detrimentum resarcire deberent, censuris, quibus adstricti erant, exsolvit; illosque simili ratione, qui clericos sedi Pontificiæ non obedientes, eoque ipso sacris commerciis indignos, in custodiam dederant, modo ne manus iis injecerint violentas, pœnis ecclesiasticæ exsecrationis haud esse obnoxios, litteris datis XI. cal. Junii pronuntiavit. Quin usque adeo se iis dederat, ut an. 1331. cum peterent sibi licentiam dari, 1331.

cœnobium S. Jacobi, una cum turribus & sacellis in area ejusdem erectis, vel ex parte, vel penitus ad solum diruendi, potius eos ad S. Petri & S. Stephani cantores remiserit, litteris hoc anno datis calendis Dec. quam improbato tam audaci postulato repudiarit. Ac insuper sacramento, quo se judæis creditoribus pecuniam mutuatam constitutis terminis reddendi obstrinxerant, exsolvit

1335. VI. idus Apr. an. 1335. Interea vero, quamvis sedem inire non posset, quæ tamen pontificiæ auctoritatis sunt, exercere non dubitavit; siquidem an. 1333. quo D. Fleury hist. ecclesf. tom. XIX. pag. 478. Henricum obtenta causa, inauguratum fuisse archiepisc. Mogunt. & sedis possessionem apprehendisse tradit, donationem monasterio Ilfeldensi a comitibus Hohensteinensibus factam tabulis III. idus Septembris publice editis firmavit.

1337. Porro, ut dictum est, Henricus an. 1337. Balduino, Pontificis voluntate, administratoris de provincia decedente, admissus tandem est, sed ea lege, ut Ludovico regi accederet, & munitiora diœcesis castra, oppidaque in manu capituli & potestate relinqueret. Et quidem Cæsari ferventer adhæsit, pro cujus absolutione, ex decreto habiti Spiræ conventus, ad Papam litteras per nuntios episcopum Curiensem & Gerlacum comitem de Nassawe scripsit. Rensii quoque, super alveo Rheni, Septemvirum interfuit comi-

Albert. Argent. pag. 127.

1338. tiis an. 1338. ac Cæsaris res pro viribus sustinuit. Tum vero Francofurti, quo Cæsarem comitatus erat, epistolæ ad Benedictum, qua politiam adversus Pontificis potestatem adstruxere Septemviri, ita nomen suum præscripsit, *Henricus archiep. Moguntinus. Electorum principum decanus.* Eidem & aliis Electoribus inscribitur diploma Ludovici IV. Bavari imperatoris datum Francofurti, quo Reinoldum ex comite Geldriæ ducem

1339. creavit an. 1339. 19. Martii. Inde Balduino Trevirensi gratum se præbiturus, ei an. 1340. adversus Johannem comitem Silvestrem suppe-

Alb. novæ editionis pag. 450.

1340. tias tulit. Anno sequenti, dato Ludovicus imperator diplomate declaravit, ac voluit archiepiscopum Mogunt. haud obligatum esse, ut coram advocatis, sive adsertoribus pacis provincialis respondeat; irritum itidem esse omne id, quod ab iis usque huc adversus ipsum fuerit constitutum in odium Henrici. Econtra Clemens VI. pontifex tabulis Avenione datis 2. Maii an. 1343. Pragensem episcopatum juri Moguntino primum subtraxit, atque ad archiepiscopatus evexit dignitatem; dein aliis III. nonas Maii, jus Reges Bohemiæ inungendi & coronandi, quod archiepiscopis Moguntinis proprium hactenus fuerat, sedi Pragensi contulit. At vicissim Henricus Ludovico, Francofurti mense Septembri anni

1334. 1334. adfuit, & eodem cum reliquis ordinibus animo capita reconciliationis a Pontifice dictata, decreto facto, repudiavit; Paulo post tamen, anno scilicet 1345. de quodam Imperatoris de-

Albert. Argentin. pag. 134.

1345. creto Palatinis comitibus grato, in damnum suum, permotus, cœpit ambire gratiam Pontificis, quam eo nonnisi fœdis durisque conditionibus offerente, Ludovico se rursus applicuit. Quamobrem

A eodem anno sacrorum interdicto publice notatus, & ecclesiæ communione submotus fuit a Clemente papa VI. qui anno seq. die 7. mensis 1346.
Aprilis ipsum ab omni pontificali privavit honore; & in locum illius Gerlacum Nassovium, *factionis suæ satellitem*, substituit. Vide Baluzii notas ad vitas Pap. Avenion. col. 863. Tametsi vero exauctoratus erat Henricus, pro archiepiscopo tamen se gerere non destitit, per annos plus minus octo arma cum Gerlaco & certamina miscens; ambobus interim competitoribus spiritualia æque ac temporalia jura in locis, quæ singuli occupabant, exercentibus. *Eo* nihilomi-
B nus *tempore*, ait Albertus Argentin. in chronico pag. 139. *de consilio Principis, & voluntate H. de Virnenberg archiepiscopi Moguntini, assignatis eidem reditibus mille marcarum, commissa est administratio Moguntinensis tribus canonicis de capitulo, quibus & Princeps auxilium juramento promisit; & ortum est schisma magnum, judicibus Gerlaci provisi archiepiscopi constitutis in civitate Moguntina, absolventibus ligata per judices H. depositi in Alta-villa constitutos.* Hi porro canonici administratores fuere Cuno de Falckenstein scholasticus, quem D. Fleury coadjutorem vocat, Nicolaus de Lapide canonicus, (qui ambo cum
C Eberhardo de Rosenberg præfecto Durensi, Johanne de Randecke vicedomino Rhingaviæ & Johanne de Beldersheim milite occurrunt his nominibus tituloque *provisorum ecclesiæ Moguntinæ* in litteris anni 1346. feria IV. ante festum SS. Simonis & Judæ;) & Conradus de Kirckel præpositus ecclesiæ Spirensis & canonicus Moguntinus, qui quidem paulo post *a Principe & H. Moguntino, se solus, volentibus aliis duobus, sibi coëlectis, de administratione ecclesiæ Moguntinensis intromisit, cui munitiones & gentes obedierunt;* donec ipso a Nassowiis capto mense Febr. anni 1348. in ejus locum subrogatus est a 1348.
D capitulo Cuno prædictus de Falckenstein. Interea vero Henricus noster hoc ipso anno Electorem egit in creando novo rege Romanorum, qui fuit Eduardus Angliæ rex, contra Carolum ab aliis jam pridem electum, Ludovici depositi loco; qua de re habetur in collectione Rimerii Angli, tom. 5. pag. 622. epistola Regis Anglorum ad Electores ipsum Regem ad Imperium designantes respondentis, cujus hoc est initium: *Rex illustribus & nobilibus principibus dominis Henrico eadem gratia archiepiscopo Moguntino, sacri Imperii per Germaniam archicancellario, Rudolfo & Ruperto, &c. 10. Maii 1348.* Deinde hoc
E etiam munus obivit in electione Friderici Misniæ marchionis; & rursum anno 1349. ineunte, 1349.
quando prædictis duobus imperii fasces recusantibus, electus est Guntherus comes Schwarzburgius. Observant insuper Sammarthani fratres in regio Chartophylacio Parisiensi, Henrici litteras exstare anni 1351. quibus se profitetur Philippi 1351.
regis Franciæ fidelem & fœderatum amicum. Henricus tandem e vivis excessit anno 1353. 1353.
die * S. Thomæ apostoli; de quo sic habet necrologium ædis majoris: *XII. calend. Januarii obiit Henricus de Virneburg, archiepisc. Mogunt.*

* *al.* in vigilia Natalis Domini,

ANNI CHRISTI

qui rexit ecclesiam annis 25. & contulit & legavit ad præsentiam ecclesiæ Moguntinæ molendinum in Hattenberg, cum pratis, pascuis, piscationibus in Rheno, jurisdictione temporali, & aliis bonis in Mombach, & extra muros Moguntinos, pro anniversario, septimo & trigesimo ipsi perpetuo peragendo.

DE NASSAU.

XXVIII. Gerlacus, *seu* Gelracus.

Patrem habuit cognominem Nassoviæ comitem, matrem vero Agnetem, quam plerique scriptores Othonis Hassiæ Landgravii filiam dicunt, defunctam an. 1332. in octava Epiphaniæ. Illum *adolescentem*, quando ad ecclesiam Moguntinensem, Henrici depositi loco, pontificia auctoritate promotus est an. 1346. Rebdorfensis, pag. 629. exhibet, *juvenem vixdum vicessimum ætatis annum agentem* Albertus Argentin. pag. 135. ac denique Johannes Andreæ in additione ad caput Speculi Durandi de sacra unctione, *satis juvenem ætate, vere tamen scientia & moribus maturum valde.* Ex quibus colligas velim contra D. Fleury, hist. eccles. tom. xx. pag. 61. non illum esse Gerlacum a capitulo jampridem electum contra Henricum a Johanne papa provisum, cum Gerlacus iste, de quo nunc agimus, vix tum puer trium annorum esset. Trithemius vero in chron. Hirsaug. ad an. 1346. p. 198. tunc fuisse decanum majoris ecclesiæ tradit. Et quidem in hac dignitate successit Johanni de Constantia anno 1345. ut infra videbitur. Ceterum eodem quo sedi Moguntinæ destinatus fuit an. 1346. comitia Electorum indixit Rensæ, in quibus Carolus comes de Luxemburgo, Johannis Bohemiæ regis primogenitus in Romanorum regem electus est die xi. Julii; quem & mense Novembri Bonnam profectus est, & Coloniensi archiepiscopo, regali eum diademate ornanti, una cum Trevirensi adstitit. Interfuit etiam anno seq. conventui principum Confluentino, in quo regalia fide clientelari ab eodem Carolo rege accepit circa festum Purificationis B. M. Virg. Ad quem insuper & Balduinum Trevir. archiep. exstant litteræ Clementis papæ VI. an. 1349. xv. cal. April. apud Reginaldum. Verumtamen, uti supra diximus in Henrico, Gerlacus, nonnisi post mortem dicti Henrici, an. 1353. pacifice in cathedra Moguntina sedit; nec nisi post certas pactiones factas cum Cunone de Falckenstein Moguntinæ sedis, dum Henricus viveret, provisore, mense Jan. anni seq. Dicitur autem hoc anno 1354. indict. vii. tertio idus Martii, archiepiscopus & archicancellarius per Germaniam, necnon Trevirensem vacantem sedem specialiter habuisse in commisso, in charta Caroli regis, qua Wenceslaum fratrem suum ex comite primum Luxemburgensem creavit ducem. Anno seq. ipso die Epiphaniæ Dietericum abbatem Corbeiensem, tum in ministrum sibi adscivit, tum suum in patrocinium suscepit litteris Eltvillæ datis. Inde anno 1356. xii. cal. Jan. adstitit Cæsari privilegia quædam urbi Mussipontanæ concedenti memorata in aliis litteris 17. Martii 1391. ex tabul. Lothar. arcula *Pont-à-Mousson n. 30.*

Marginalia (left): 1346. — *Baluz. in not. ad vitas Pap. Aven. col. 863.* — 1347. — 1354. — *Mir. novæ edit. pag. 222.* — 1355. — 1356.

Ei litteras scripsit Innocentius VI. Avenione datas x. cal. Novemb. pontificatus anno sexto, quibus ipsum delegat, ut Salviano, *al.* Salmanno Wormatiensi episcopo, senio & corporis infirmitate laboranti ad pontificii muneris procurationem virum idoneum adjungat, *citra tamen futuram* successionem. An. 1360. die 7. Martii parochialem ecclesiam Ameneburgensem extulit in canonicorum collegium. Norimbergæ anno seq. iii. idus Aprilis, Dominica, qua cantatur *Misericordias Domini*, Wenceslaum Caroli IV. filium de salutari fonte suscepit. Tum vero ejusdem archiepiscopi, Guillelmi Colon. & Boëmundi Trevir. consilio, Carolus imperator comitatum Burgundiæ Philippo Turonum duci, suo nepoti, Johannis regis filio dedit an. 1362. ind. xv. decimo-octavo cal. Febr. Denique Gerlacus in duobus ejusdem Caroli diplomatis, altero anni 1366. ind. iv. octavo idus Jan. pro Johanne de Groleya domino castri Neyrii, & altero 1367. indict. v. decimo-tertio cal. Martii pro confirmandis urbis Leucorum privilegiis, legitur archicancellarius, cujus vice has recognovit chartas Johannes Olomucensis epis. aulæ regalis cancellarius; huic porro sigillum appensum est ex auro ponderis octo duplionum aureorum, ex histor. Tullensis Patris Benedicti appendice, pag. xxxviii. Se ipse vero Gerlacus munificum præbens erga monasterium Reinhartsbornense, die 22. Junii vocat archiepiscopum & sacri per Germaniam Imperii archicancellarium. Vivere desiit Aschaffenburgi 12. Febr. an. 1371. honorifice tumulatus in Erbacensi Rhingaviæ monasterio.

Marginalia (right): ANNI CHRISTI 1358. — *Baluz. in append. ad Lup. Servatum, epist. 4. p. 357.* — 1360. — 1361. — 1362. — 1366. — 1367. — 1371.

DE LUXEMBOURG.

XXIX. Johannes I.

Gerlaco mortuo, suffragiis in diversum abiere canonici. Siquidem alii Cunonem de Falckenstein, de quo supra in Henrico & Gerlaco, Trevirensem eo tempore archiepiscopum, elegerunt; sed suo is Trevirico grege contentus recusavit. Alii vero Adolfum de Nassau filium Adolfi, fratris Gerlaci archiepiscopi; at electionem istam impediit apud pontificem Gregorium XI. Carolus imperator, effecitque, ut fratris sui Wenceslai filius Johannes deligeretur, cum tunc esset episcopus Argentoratensis. Ita quidem Serarius, post plures numero scriptores, quam qui secus de natalibus Johannis sentiunt; verum non tam sunt numerandi, quam ponderandi, ut secundum Georgium Christianum Johannis in suis ad Serarium observationibus loquar; hic porro Johannem Wenceslai consanguineum statuit, non filium, filium vero Johannis Lucelburgensis, comitis Ligniaci,* & Adheleidis Flandricæ. Ut autem ita statuam, inquit, facit, quod Jacobus de Konigshoven & Johannes Gensbein Johanni ætate suppares ita sentiant, & ille præterea Argentorati vixerit, ac suum chronicon se an. 1386. concinasse cap. vi. p. 396. disertis verbis referat. Moguntiæ vero ad pontificatus culmen evectus est mense Maio anni 1371. quo Moguntinæ ecclesiæ & toti diœcesi privilegia sua roboravit; cum jam anno præcedenti, inquit anonymus auctor 1371.

* *al.* comitis S. Pauli.

ANNI CHRISTI

auctor chronici Colon. nondum editi, parum A absuisset, satagente Cæsare, quin e cathedra Argentinensi gradum fecisset ad fastigium Coloniensis archiepiscopatus. Tum anno 1372. circa finem Febr. Moguntiam urbem ingressus est, a civibus honestissime susceptus. Nec multo
1373. post, anno scilicet 1373. viam universæ carnis subiit apud Altam-villam, *Elvil*, seu *Elfeldt*, unde corpus ejus delatum fuit in Eberbacensis monasterii templum, in quo non amplius exstat epitaphium a Sammarthanis relatum, adeo ut verisimile sit in tabella olim fuisse appensum. Adest vero etiamnum lapis, in medio chori solo impositus, cum hac circum effigiem B Johannis exsculptam inscriptione: *Anno Domini MCCCLXXIII. pridie nonas Aprilis obiit reverendus in Christo pater, dominus Johannes archiepisc. Moguntin. cujus anima requiescat in sancta pace, amen.*

DE MISNE.

XXX. Ludovicus.

Patre Friderico cognomento *Gravi*, sive *Severo*, Thuringiæ Landgravio & marchione Misnensi ex Mechtilde filia Ludovici imperatoris natus an. 1340. in crastino S. Matthiæ apostoli, fit episcopus Halberstadensis anno 1358. deinde Bambergensis an. 1366. tandemque, post obi- C tum Johannis, excelsioris dignitatis cupidus, episcopatum suum dimittere, & Moguntinum, favore Caroli imperatoris sibi subjicere statuit; atque adeo in Galliam* ad Pontificem profectus, eumdem an. 1374. ineunte Vere, obtinuit; necnon a Cæsare jura regalia eodem anno, vel insequenti. Decertandum quidem fuit cum Adolfo Spirensi episcopo, communibus votis canonicorum electo, sed hunc Gregorius papa reprobavit, & Ludovicum ad Caroli Cæsaris gratiam confirmavit. Et certe litteras, quibus Carolus
1374. Carthusiam Erfurtensem VI. nonas Maii 1374. stabilivit, ipse tum Ludovicus Pragæ recogno- D vit, & se recognovisse his verbis adscriptis testatus est; *Et nos Ludovicus D. G. sanctæ sedis Moguntinæ archiepisc. S. I. per Germaniam archicancellarius recognovimus eas.* Idem simili ra-
1376. tione anno 1376. die 10. Junii Wenceslaum Caroli imperatoris filium suffragio suo Cæsarem elegit; idque post biduum litteris datis testatum fecit; de quibus consule Baluzii collectiones ad vitas Pap. Avenion. col. 794. & 797. Quinetiam vide col. 804. ad Ludovicum enim spectare credimus verba hæc pontificis Gregorii XI. ad Carolum IV. imperatorem, de electione Wenceslai filii ejus in Regem Romanorum: *Præterea* E *serenitatem augustam obnixe rogamus, quatenus electo Maguntino, quem, ad tuarum precum instantiam, ad eamdem ecclesiam promovimus, præbere digneris auxilium & favorem, quibus mediantibus possessionem ipsius ecclesiæ valeat adipisci.* At vero Gregorii successor Urbanus VI. controversiæ Ludovicum inter ac Adolfum finem imponere volens, Ludovicum quo obstrictus erat ecclesiæ Moguntinæ vinculo exsolvit, & tum patriarcham Jerosolymitanum constituit, tum an-
1378. tistitem Cameracensem an. 1378. Verumtamen cum Ludovicus id genus patriarcha esse nollet, omnia prius tentanda ratus, quam Adolfo concedendum, ope suorum rem eo deduxit, ut Urbanus anno seq. sententiam revocaret. Quamvis autem sic in pristinum locum restitutus esset, de munitionibus tamen, quæ ditionis sunt Moguntinæ, nullam obtinuit, nisi oppidum in Thuringis, cui nomen *Salza*, ubi dein se continebat & commorabatur. Sed anno demum 1381. Dominica post Pascha, videlicet *misericordias Domini*, omnibus antea per Regem & Principes inter archiepiscopos Mogunt. videlicet Ludovicum & Adolfum complanatis, remansit Adolfus archiepiscopus, confirmatus ab Urbano, & fuit gloriose *inthronisatus*, & susceptus in Maguntia ab omni clero & populo in prædicta Dominica. Chronic. Magdeburg. Obtinuit autem Ludovicus Urbani papæ beneficio pontificatum Magdeburgensem; cui parvo tempore ut commendatarius præfuit, titulum nihilominus Moguntinensis archiepisc. sibi, quamdiu vixit, adscribens. An. 1381. obitum ejus consignat Bucelinus in annalibus Germaniæ, his verbis: *In vivis esse desiit Ludovicus Thuringus, sedis Moguntinæ contra Adolfum invasor, de quo MS. codex, cui multum defert Serarius: cum comessationi & saltationi vacaret, coorto incendio, in ipso triclinio, periculum effugere conatus, per gradus decidit, & post paucos dies, imo postridie, ut habet Cranzius, vivere desiit.* Idem habet chronicon Magdeburgense ad an. 1382. quo quidem anno hæc apud Tenzelium, p. 165. leguntur: *MCCCLXXXII. XIII.* cal. Martii in civitate Kalbensi interiit domnus Ludovicus episcopus Moguntinensis, ac provisor in episcopatu Meydebergensi, cum multis aliis,* qui fuit frater dominorum marchionum Misnensium.* Sepelitur Magdeburgi in sacello palatii archiepiscopalis, quod S. Gangolfo dedicatum est, vulgo *intestinorum sacellum* dictum; ita Latomus, & chronicon Magdeburgense.

* Id est Avenionem

* al. XII. calend.

* Solus de tanta multitudine expiravit, ait chronic. Magdeburg.

DE NASSAW

XXXI. Adolfus.

Ei fuit pater Adolfus Gerlaci I. filius, mater Margareta, Friderici IV. Burgravii Norimbergensis filia, patruus autem Gerlacus archiepiscopus, quo defuncto, nonnulla, ut diximus, suffragia tulit, ut ei succederet, tunc solum octodecennis. Paulo post tamen Lamberto, qui Spirensem cathedram cum Argentoratensi commutavit, successor datus est, ac deinde, post Johannis de Luxembourg obitum, a Moguntinensibus denuo quidem expetitus, sed a Pontifice reprobatus. Ipse nihilominus interim castella, oppidaque archiepiscopatus in finibus Hassiæ & Thuringiæ munitiora fidis sibi hominibus tuenda commisit. Tum se Clementi, quem Gallicani cardinales, contra Urbanum VI. Pontificem appellarant, submisit, a quo pallium statim, honoris archiepiscopalis insigne, una cum largis accepit indulgentiis. Inde nil cunctatus *Sabbato crastino Simonis & Judæ*, hoc est an. 1379. Clementis 1379.
litteras, quibus confirmabatur, publicavit, pallioque a duobus indutus episcopis, pro archiepiscopo se gessit. Factum id Eltvillæ, præsentibus

ANNI CHRISTI

majoris ædis canonicis, multisque archiepiscopatus tum beneficiariis, tum officialibus. Nec multo post, Sabbato videlicet post festum Omnium SS. capitulo certa pactione se ibidem obstrinxit, qua signata e vestigio in plenariam archiepiscopatus possessionem immissus est, jussis per litteras eodem die ibidem datas universis archiepiscopatus *vasallis* sive beneficiariis, &c. ut ipsum tanquam feudi dominum agnoscant. Tum etiam misso episcopi Spirensis & administratoris Moguntini titulo, quo ad id usque temporis usus erat, archiepiscopum Moguntinum, & administratorem Spirensem se scribere cœpit. Tandem
1381. an. 1381. Dominica post gloriosam Paschalium diem secunda, *Misericordias Domini*, ab Urbano similiter jam confirmatus, Moguntiam solemni apparatu introiit; quem an. 1385. purpuram sibi ab eodem Urbano delatam respuisse tradunt. Sub
1389. annum vero 1389. Erfurti academiam statuit, sive, ut Gudenus loquitur, sacravit. Adolfus denique Heiligenstadii vitam cum morte com-
1390. mutavit die 6. Febr. an. 1390. testibus tum necrologio majoris ædis, tum epitaphio, quod ita est: *Anno Dom.* MCCCXC. *sexta die mensis Febr. ob. reverendus in Christo pater, ac dominus dominus Adolfus, &c.* Heiligenstadio Moguntiam devectus, sepulturæ locum nactus est in basilica majori, cathedram inter ordinariam & subsellium electorale, in media via versus aram B. M. Virgini assumtæ sacratam.

DE WINSPERG.

XXXII. Conradus II.

Filius Engelharti domini de Winsperg, fuit S. Petri in Valle Wimpinensi Wormatiensis diœcesis præpositus, ac in eadem & Moguntina ecclesiis canonicus, necnon parochialis ecclesiæ Lorchensis rector, posteaque scholasticus ædis Majoris Moguntinæ; quibus tandem gradibus ad Moguntini præsulatus apicem canonicorum suf-
1390. fragiis evectus est an. 1390. & a Papa non modo confirmatus, palliоque donatus, sed etiam a Cæsare jura regalia consecutus anno seq. una cum omnibus sedis Moguntinæ honoribus, die 7. mensis Septemb. *sceptro regali, & aliis cæremoniis investitus*, uti Wenceslaus peculiaribus tabulis, ipso hoc die confectis, testatum facit. Inde
1392. anno 1392. inquiri fecit in Waldenses hæreticos, quorum triginta sex Bingæ feralibus flammis exusti sunt. Porro necdum tunc adierat ur-
1394. bem suam Moguntiam, sed anno tandem 1394. solemnem in eam ingressum fecit die S. Bartholomæo sacra, a civibus honestissime susceptus; eodemque anno civitati privilegium de immunitate a telonio & vectigalibus, eidem olim a decessoribus suis indultum, dato diplomate ratum
1396. esse voluit. Conradus etiam an. 1396. Judæos Francorfurtenses ad tres annos in tutelam suscepit, feria v. post festum Pentecostes. Desiit esse inter vivos hoc ipso anno Aschaffenburgi die 19. Octob. uti fert inscriptio lapidis, honori illius ac memoriæ in æde primaria positi, ac prope gradus, quibus in summum chorum a læva adscenditur, parieti inserti: *Anno Dom.* MCCCXCVI. *decimo-nono die mensis Octob. obiit quondam* A *reverendissimus in Christo pater ac dominus Conradus de Weinsperg archiepisc. Moguntinus, cujus anima requiescat in sancta pace.* Moguntiæ biduo post sepultus fuit & quidem in choro majori, ante aram *trium Regum* honori dicatam; tumuloque impositus lapis, cui tum illius, tum Andreæ de Brauneck præpositi, incisa effigies, Brauneccii a dextra, a læva Conradi. Ita post mortem juncti, qui, dum in vivis agebant, & sanguinis nexu & officiorum omnium societate erant conjunctissimi. Ceterum passim ab integritate, tranquillisque commendatur moribus a; Trithemio quidem in chron. Sponheim. *Vir bonus atque pacificus* B dicitur. Dieffenbachio, *Vir integerrimæ vitæ, multæque modestiæ, &c.*

DE NASSAU.

XXXIII. Johannes II.

Adolfi superioris frater, dignitatis confirmationem, seu potius ipsam dignitatem Romæ accepit a Bonifacio papa an. 1397. die 24. Jan. 1397.
quamvis electus fuisset a collegio canonicorum Godefridus Leiningiæ comes. Fuit hic præsul statura brevis, ait Trithemius, sed ingenio valde astutus; qui, cum Leiningensis, ægerrime ferens, locum sibi præreptum, hostilia spiraret, ut ad omnem adversarii vim fortiter sustinendam tem- C pestive se compararet, Hannemannum, comitem Bipontinum anno 1398. ipso die Purificationis 1398.
B. M. in usus belli contra eumdem sibi addixit. Idem an. 1400. die 20. mensis Augusti senten- 1400.
tiam nomine Septemvirum tulit adversus Wenceslaum Romanorum regem, qua regno privabatur, quod schisma tollere neglexisset; ac postridie in imperii fastigio Rupertum Palatinum, eoque mortuo 1410. Jodocum, ac deinde anno seq. Sigismundum Caroli IV. filium constituit. Sunt in archivo regio Parisiensi ipsius litteræ an. 1409. quibus hominium profitetur Carolo VI. Franciæ regi; quo etiam anno misit *ambassiatores*, D aut procuratores ad concilium Pisanum, ut liquet ex ipsius actis, Spicil. tom. VI. pag. 362. Eum anno seq. Johannes XXIII. de sua in Papam electione commonuit. Dehinc sub anni 1415. 1415.
initium Constantiam, ad concilium profectus, *intravit multum solemniter in profesto octavarum Epiphaniæ, cum septingentis* equis:* ita Oratores Universitatis Coloniensis epist. 1. tom. 2. thesauri Anecdot. Martennii & Durandi col. 161. Fasti vero Concilii Constant. tom. IV. collect. Hardtianæ, pag. 20. sic habent: XIX. *Januarii Johannes Nassovius Elector Moguntinus magno stipatus comitatu Constantiam venit;* cumque ibi- E dem in fugam Johannis papæ consensisset, a Patribus de concilio pœnitentiam suscipiens, veniam impetravit. Tum vero abiit Constantia *propter aëris illius contrarietatem*, sed continuo misit legatos, qui die 3. mensis Maii per concilium admissi sunt. Inter hæc Johannem Heideck confirmavit episcopum Eichstadensem, die 29. Octob. an. 1415. & 1417. Johannem Ambundii episcopum Curiensem. Porro ipsius habentur litteræ ad concilium publice ibidem recitatæ anno 1416. die 3. Junii, quibus se dela- 1416.
tum fuisse ab obtrectatoribus queritur, quasi in

Reginald. tom. 17. n. 13.

* *400. ex Trithem.*

Trithem. in chron. Hirsaug.

ecclesiam Romanam & Imperium conjuraret.
ANNI CHRISTI Sigismundus rex anno seq. pridie S. Antonii,
imperialis Weteraviæ vacantis ei commisit admi-
1417. nistrationem; cumque Johannes eodem anno
Constantiam perrexisset, communi rursus cum
Patribus consilio de rebus ecclesiæ acturus, ibi-
dem die 23. Febr. terrarum ac dignitatem suarum
jura solemni ritu a Cæsare impetravit. Denique
1419. anno 1419. die 23. Septemb. ultimum obiit
Aschaffenburgi, unde Moguntiam delatus, in
æde majori sepultus est ad latus fratris, suggestum
parochialem inter & subsellium electorale in
medio.

XXXIV. Conradus III.

Reingrave de Dune.

Wildgravius in Dune, sive ut in inscriptione
quadam in ædis Moguntinæ majoris peristylio
est, *comes Silvestris de Dune, Rhingravius de la-
pide*, filius fuit Johannis II. Wild- & Rheingra-
vii; Moguntiæ clero principi adscriptus, Rusten-
bergensis præfectus, & Francofurti ad S. Bartho-
lomæum præpositus, inde ad Moguntinum as-
sumitur pontificatum, non Moguntiæ, inquit
Serarius, propter tumultuantes tum cives, sed
1419. Rudesheimii, an. 1419. die 10. Octobris, nec
multo post a Martino V. pontifice confirmatur.
1420. Anno seq. mense Aug. *Erfordiam venit, suam-
que in fidem civitatem recepit, ne Moguntinæ urbis
exemplo, quæ furiose tumultuabatur, seducta, do-
minum excluderet.* Ita Gudenus hist. Erfurt. lib.
2. §. XXI. pag. 130. Tum Sigismundus Cæsar
eum sibi ad decem annos in Imperii administra-
1412. tione vicarium adscivit, an. 1422. qua tamen
provincia ultro se abdicavit anno seq. Ceterum
sigillo suo munivit instrumentum, quo Adolfus
a Montium dux, ejusque filius[a] Robertus (qui
prius pro ducatu Barrensi infeliciter decertarant, in
bello capti) consenserunt cessioni ejusdem, Renato
Andegavensi factæ a Ludovico cardinali Barrensi
legitimo herede. *Actum 3. Aug. anno 1422.*
Ejus sigillum exhibet archiepiscopum solemniter
benedicentem, additis duobus minoribus scutis,
sic depictis ab eo qui illa exploravit: *le 1. chargé
d'une roue, l'autre d'un lion écartelé d'un autre
lion la queuë fourchuë.*
1423. Idem anno seq. 1423. Moguntiæ synodum
provincialem coëgit, quam quidem in lucem
exiisse docet Nicolaus Serarius, lib. V. rerum
Mogunt. & tamen desideratur in ampla collec-
tione Labb. Deinde vero sollicitus de Concilio
Basileæ indicto, consultum duxit, libere Patribus
conscriptis exponere, quæ ecclesias Germaniæ
premerent incommoda, quodve remedium pos-
cerent. Prius tamen, quam in medium ea con-
ferret, suis cum suffraganeis omnia maturo dis-
cutere statuit consilio. Singulos igitur omnesque
ad synodum provincialem Aschaffenburgi ad
1431. diem XII. Nov. habendam invitavit an. 1431.
Porro exstant in codice MS. 5716. Biblioth.
regiæ epistola synodi Basileensis ad hunc archiep.

[a] Ex Yolanda conjuge, filia Roberti ducis Barrensis, quæ quidem in pactis matrimonii renuntiarat successioni & hereditati, ut liquet ex alio instrumento Adolfi & Roberti, facto eodem die & anno.

A in causa conversionis Bohemiorum, & alia ency-
clica istius archiepiscopi ad suffraganeos suos & ANNI CHRISTI
eorum ecclesias de eodem argumento. Inter hæc
tanta erat clerum inter & cives Moguntinos
dissensio, pro conservatione privilegiorum ec-
clesiæ, quibus illi continue violentiam infere-
bant, ut totus clerus Moguntia egressus, habita-
verit in Alta-villa & in Rhingaugia, ut potuit,
hinc inde dispersus. Quapropter an. 1433. feria 1433.
V. post festum S. Jacobi apostoli convenerunt in
Alta-villa Conradus archiep. Mogunt. Theodo-
ricus archiepisc. Colon. & cum eis episc. Leod.
commissionem habentes a Basileensi concilio, ut
B inter dissidentes concordiam reformarent. Ho- 1434.
minem exuit anno seq.* X. Junii in oppido Alta-
villa, *Eltvil*, & in ecclesia principali Moguntina
sepultus est.

* *1433. ex chronico Citizensi, t. II. rerum Germanic. pag. 859.*

XXXV. Theodericus.

Schenck.

Pincerna & dominus de Erbach, *sive* Erpach,
canonicus & cantor majoris ecclesiæ Moganti-
nensis, Bingæ in octava SS. apost. Petri & Pauli
electus est in archiepiscopum an. 1434. eodem- 1434.
que confirmatus ab Eugenio papa, XIII. calend.
Nov. necnon a Sigismundo jura consecutus rega-
lia die 23. Nov. ejusdem anni, ad cujus demum 1435.
C voluntatem anno seq. Heppenhemii in strada
montana conceptis verbis sacramentum dixit, &
fidam Imperio se navaturum operam spopondit,
Rabano Trevirensi formulam excipiente. Deinde
anno 1436. pro pace Rabanum inter archiepisc. 1436.
Trevirensem, Spirensem antistitem & Udalri-
cum Manderscheidium reformanda non medio-
criter laboravit. Tum an. seq. die 9. Decemb.
Sigismundo imperatore vita defuncto, neque tunc
temporis levibus inter Eugenium Pontificem &
Basileensis concilii Patres interpositis offensis;
mense Februario anni 1438. suffraganeos suos 1438.
Moguntiam ad diem Dominicam, qua cantatur
D *Judica*, vocavit, ut cum iis maturo dispiceret
consilio, quid maxime in turbis hisce ecclesiasti-
cis, Germanicis ecclesiis expediret. Francofur-
tum postea concessit, quo Principes Electores
convocaverat, dieque 18. Martii Albertum Au-
striacum, Hungariæ & Bohemiæ regem, una
cum reliquis voluntate, Cæsarem designavit.
Necdum autem urbem suam inierat, ut tum
moris erat, solemni pompa, iniit tandem Saturni
die post Dominicam *Reminiscere* an. 1439. & 1439.
mox ibidem interfuit celeberrimo procerum con-
ventui, in quo fortiter pro Concilio Basil. locu-
tus est. Hoc anno desinente præmatura morte
E rebus humanis ereptus est Albertus Cæsar, cui
suffragio suo die 2. Febr. seq. successorem dedit
Fridericum Austriæ ducem. Eodem an. 1440. 1440.
ut grave istud, quod rem Christianam tunc pre-
mebat, ac in dies magis corroborabatur, dissi-
dium opportunis aliquando remediis reduceretur
ad concordiam, synodum ad diem Martis post
Assumtionem B. Mariæ Aschaffenburgi haben-
dam indixit. Sub exordium vero anni seq. cum 1441.
in suæ gubernatione ecclesiæ tanta negotiorum
in ecclesiasticis juxta civilibusque premeretur mo-
le, ut obeundis archicancellarii per Germaniam

ANNI CHRISTI

partibus vix par esse posset, Jacobo Trevirensi
archiepiscopo suas vices detulit. Hinc Fridericum
regali diademate ornandum honoris ergo Aquisgranum
deduxit, solemnibusque die 17. Junii
1422. 1422. a Coloniensi præsule peractis magna
interfuit dignatione; nec multo post, die scilicet
divisionis apostolorum, Francofurti ab eodem
Friderico regalia jura petiit, ac impetravit. Idem
1445. an. 1445. Reinhardum de Sickingen in locum
Friderici Vormat. antistitis fato suo nuper functi
subrogatum a canonicis, die 27. Julii confirmavit;
ac die 26. Octobris Johannem de Eych
1446. episcopum Eychstadensem. Insequenti anno* in
* al. 1447. conventu Francofurtensi partibus Eugenii sub
certis conditionibus accessit; eodemque litteras
ab eodem Pontifice nonis Febr. accepit; ipsoque
paulo post defuncto, Nicolaus V. se in locum
ejus subrogatum fuisse litteris Romæ XII. cal.
Apr. scriptis ei significavit. Denique Theodericus
diem clausit extremum Aschaffenburgi, quod
oppidum ædificiis plurimis exornaverat, pridie
1459. nonas Maii an. 1459. ibidemque sepultus est in
choro basilicæ collegiatæ SS. Petri & Alexandri,
cum hoc epitaphio: *Theodericus pincerna ab
Erbach, archiep. Mogunt. S. R. J. per Germaniam
archicancell. & princeps Elector, archiepiscopatum
iniit an. 1434. pridie nonas Julii, administravit
annos 24. menses 10. reliquit, beata immortalitate
fruiturus, an. 1459. pridie nonas Maii.
Requiescit in hoc SS. Petri & Alexandri collegio,
quod impense coluit semper & dotavit, inter piissimos
ecclesiæ fundatores tumulatus.*

DE ISENBURG.

XXXVI. DIETHERUS *primum.*

Natus illustri comitum Isemburgensium, familiæ
Budingensis, stirpe, patrem habuit cognominem,
an. 1448. satrapam, *seu* præfectum in
Buchonia constitutum, matrem vero Elisabetham,
Solmensem comitissam, Othonis & Agnetis
Falckensteinio-Munzenbergiæ filiam. Hic jam
annis maturior Erfordiam missus est, ut ingenium
liberalibus excoleret disciplinis; ubi cum
in dies ad altiora virtutis quodam niteretur impetu,
maturitate jam quadam doctrinæ ac sapientiæ
tempestivus, dignus an. 1434. habitus est,
qui fasces gereret academicos. Inde locum in clarissimis
Moguntinensi, Trevirensi & Coloniensi
collegiis cum invenisset, virtute sua meruit, ut
idoneus maxime haberetur ad honores & amplissimos
magistratus gerendos. Dein Moguntiæ
in collegio majori custodis dignitatem obtinuit
an. 1453. cum jam an. 1442. præpositus esset
S. Victoris, ac etiam fortasse S. Johannis, fuit
certe; tandem vero ad pontificatus culmen evec-
1459. tus est an. 1459. 18. Junii, diebus scilicet quadraginta
tribus post obitum decessoris, ut ait
Tom. 2. rerum Mog. Georgii Christiani Johannis. Helwichius de dissidio Moguntino, sect. 1. §. III.
pag. 137. Et certe jam die 19. hujus mensis
& anni ad infulam vocatum fuisse, patet e clausula
pactionis, qua ipse, cum electus esset, collegio
principi sese obstrinxit. Simul autem ac
sedem iniit, tum Mantuam ad Pontificem, tum
Viennam Austriæ ad Cæsarem legatos misit; ad
illum, ut muneris adipisceretur confirmationem,

A & dignitatis insigne, pallium: ad istum, ut spatium
jura regalia recognoscendi impetraret. A Pontifice
paulisper dilatus fuit; post tamen, cum iteratis
instaret precibus, & probatus est, & pallium,
quod donari solet, obtinuit. A Cæsare vero
litteris Viennæ die Martis ante festum B. Luciæ
martyris datis, tempus annuum ad beneficia,
juraque regalia clientelari fide recipienda consecutus
est. Interim se Friderici comitis Palatini,
quod partes Adolfi Nassovii, qui contra eum
electus erat, defenderet, inimicum una cum suis
affectis publice denuntiavit; unde & pro belli
apparatu, ditionis Moguntinæ populo vicesimam
B bonorum partem imperavit an. 1460. ipso die 1460.
Epiphaniæ Domini. Sed cum aliquando devictus
esset a Palatino, inire cum illo pacem duris
conditionibus coactus est; alteri mox duriori
bello implicandus. Ærario scilicet Moguntinensi
exhausto, legati a Diethero missi pecuniam Pontifici
pro pallio solvendam a mensariis mutuo
sumserant, hac quidem lege, nisi hoc ære ad
constitutum Dietherus exiret, anathematis illigandum
vinculis. Quare, cum ad diem nomen,
ut legati receperant, haud explicaret, creditores,
quibus id permolestum erat, judices adiere cameræ,
qui haud cunctati Dietherum, papa quidem
C inconsulto, sacrorum interdicto subdidere.
Inter hæc accidit, ait ipse Pius II. pontifex, *ut
ad instantiam mercatorum, qui pecunias apostolicæ
sedi debitas sibi concesserunt, cum jam satisfactionis
tempus præteriisset, Dietherus ipse excommunicaretur,
absque nostra scientia: nam id per judices
inferiores in forma cameræ fieri solet.* Hinc Dietherus
in conventu Principum Norimbergæ habito,
a Pontifice provocavit ad concilium, qua
in re sibi adhærentes habuit Fridericum marchionem
Brandeburgensem & Fridericum comitem
Palatinum Rheni, utrumque Electorem,
litteris ibidem datis Sabbato ante Dominicam
D *Reminiscere.* Alius item Moguntiæ habitus est
conventus sub initium Junii an. 1461. ubi plurimum 1461.
adhuc de Papa conquestus est Dietherus
coram principibus & legatis pontificiis. Sed post
illum legatorum unus, Rudolfus, Wormatiensis
decanus, assurgens, tanta Dietheri verba dexteritate
retudit, ut plurimi, qui alioquin ei favebant,
in diversum mutarent animos.

Hoc ut animadvertit Dietherus, animo fractus,
appellationi suæ renuntiavit, eoque libentius,
quod ei spem facerent legati, non modo præteritorum
veniæ, sed æris etiam solvendi si non
remissionis, alicujus saltem diminutionis. At vero
E spe tandem veniæ lapsus, dignitate archiepiscopali,
mense Septembri, dejectus est. Litteræ exauctorationis
datæ Tiburi an. 1461. XII. cal. Sept.
Moguntiæ clero tum majori, tum minori perlectæ
sunt Sabbato ante festum S. Michaëlis. Exstant
nihilominus Dietheri litteræ in pervigilio Purifi-
cationis B. Mariæ anno 1463. quibus cœnobio 1463.
Billickeim, ne penitus pessum iret, Ludovicum
de Sickingen advocatum dedit. Nimirum se tamdiu
pro pontifice gessit, quoad hoc anno, die
Mercurii post S. Francisci festum, in castris juxta
villam Zeilsheim, transactione cum Adolfo,

ANNI CHRISTI

qui sequitur, facta per Henricum Hassiæ Landgravium, imo, donec ista transactione Francofurti ad Mœnum tabulis die Lunæ post S. Severi editis effectui data, archiepiscopatui renuntiavit, aliisque die Mercurii subsecuto confectis, oppida, locaque ditionis Moguntinæ, Steinhemio, Diepurgo, & Hochsta exceptis, necnon Lonsteinio, quod habuit titulo pignoris, sacramento sibi dicto exsolvit. Adhuc siquidem die S. Dionysii, cum Johanne episcopo Herbipolensi, de bello Johanni comiti Wertheimensi, ob vim bonis quorumdam mercatorum in via publica illatam, propediem inferendo, collatis egit sententiis. Ceterum Pius II. papa non modo gratam habuit eam transactionem, sed etiam Dietherum magnis effert laudibus in epistola data, die 10. Jan. an. 1464. pontificatus anno sexto, quam vide-sis, tom. 2. rerum Moguntiacarum auctore Georgio Christiano Johannis, edito 1722. pag. 193.

XXXVII. Adolfus II.

DE NASSAU.

In lucem editus patre cognomine, matre Margareta, Bernhardi marchionis Badensis filia, Adolfum I. & Johannem II. sedis Moguntinæ archiepiscopos in patruis magnis numeravit. Canonicis Moguntinis adscriptus, cum & consilio & re se præter ceteros promptum ostendisset, an. 1451. die Mercurii post annuam S. Ulrici memoriam, tum provisor Erfurtensis, tum supremus Rustenbergæ, necnon totius Eichsfeldiæ præfectus constitutus fuit; quibus insuper muniis, præpositi ad S. Petrum Moguntinum dignitatem adjecit; tandemque ad primariam ejusdem urbis, pro qua jam post obitum Theoderici an. 1459. postulatus fuerat, ascendit, litteris a Pio II. datis die & anno, quibus litteræ
1461. dejectionis Dietheri, hoc est an. 1461. XII. cal. Sept. Has autem litteras, cum aliis ad capitulum Moguntinum, aliisque ad diœcesim, legere est apud Helwichium de dissidio Moguntino, nuper editas tom. 2. rerum Moguntiacarum auctore Georgio Christiano Johannis, pag. 146. & seqq. Sic verus ac legitimus ecclesiæ Moguntinæ agnitus est pontifex a clero, senatu & populo die Jovis post festum S. Michaëlis ejusdem anni, appellante interim ad futurum concilium Diethero, & ad munitissima, quæ sibi parebant, oppida confugiente, ac uno verbo adversus Adolfum sese totis viribus opponente, non sine multi ex utraque parte sanguinis effusione, & magnis expensis, quas huic ecclesiæ vicies centenis millibus florenorum constitisse tradunt; donec, ut diximus, concordia inter eos sancita est mense Octobri anni 1463. Jam vero quietus Adolfus in Moguntina sede, nihil prius habuit, quam ut Diethero, tum Pontificem, tum Cæsarem conciliaret, ceterisque conditionibus, ad quas descenderat, staret; atque etiam in civitate interruptum belli fragore com-
1465. mercium instauraret. An. 1465. Henricum comitem Wirtembergensem in coadjutorem assumsit, deinde repulit, facta cum eo, Caroli marchionis
1467. Badensis opera, transactione an. 1467. Porro nonnisi anno seq. sacram pontificalis dignitatis
1470. unctionem accepit; nec regalia priusquam anno

A 1470. Idem triennio post quamdam Judæorum synagogam in facellum Omnium SS. memoriæ dicatum convertit, die 12. Octob. Denique cum in castris ad Novesium esset, gravi cœpit ægritudine conflictari, quare in Eltvillanum Ringaviæ castrum deductus, ibidem non multo post decessit an. 1475. indeque ad cœnobium Eberbacense non procul a prædicto oppido delatus, in choro ejusdem a sinistris ante aram majorem juxta Gerlacum Nassovium honorifice conditus est, cum hac epigraphe: *Anno Dom.* MCCCCLXXV. 1475.
sexta mensis Septembris obiit reverendissimus in Christo pater & dominus, dominus secundus
B *Adolfus de Nassau archiepiscopus Moguntinus, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Ita quidem Serarius & Helwichius; verum Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium notis, sepultum in crypta docet, superimposito lapide, qui, cum solum chori anno 1707. majoris decoris gratia elevaretur, parieti juxta Gerlaci statuam insertus est, cineres vero in urnam lecti, & inter ambas statuas reconditi.

XXXVIII. Dietherus *secundum*.

DE ISENBURG.

Adolfo fatis functo, lectus iterum fuit in archiepiscopum Dietherus, & quidem die Jovis
C ante festum S. Martini, qui fuit IX. mensis Novembris, non autem ipso S. Martini festo; sic 1475.
enim habent decanus & collegium ædis majoris in suis ad vicedominos, præfectos, prætores, scabinos, consules civitatum ditionis Moguntinæ litteris die Lunæ post S. Martinum datis; & in aliis ad Pontificem die XXXI. Decemb. *De persona, quæ eamdem (ecclesiam) relevare, resque ab ea alienatas melius recuperare, atque ad id faciendum aptior, utilior & convenientior reperiri posset, prout tenebamur, providere volentes, die nona mensis Novemb. nobilem & generosum virum, dominum Dietherum de Isenburg, comitem de Bu-*
D *dingen, in diaconatus ordine constitutum, multis bonis atque laudabilibus respectibus, tanquam habilem & idoneum, ac ut talem, qui præ cunctis dictam ecclesiam nostram defensare, atque in pace & tranquillitate conservare, & ab ea alienata recuperare possit ac valeat, elegimus in rectorem & pastorem.* Electus est autem ad Adolfi, leto jam propinqui commendationem, ut scribit Trithemius chron. Hirsaug. ad hunc an. pag. 484. sed invito Sixto IV. pontifice, qui vel etiam sub anathematis interminatione prohibuit ne eligeretur. Ea de re ipsius allatæ sunt litteræ die XII. Dec. cum jam pridem electus fuisset Dietherus; qui
E demum aliis ejusdem Pontificis Romæ nonis Aprilis an. seq. datis, quam rogarat, ex voto 1476.
consecutus est, confirmationem. Tum vero Dietherus Moguntiæ academiam instituit, quam Sixtus papa comprobavit bulla data IX. calend. Decemb. Arcem etiam in fine urbis, qua Rhingaviam spectat, excitavit, eamque sancti Martini castrum voluit appellari. Porro necdum anno 1478. presbyteri consecutus erat honores; hoc
autem anno bulla peculiari Romæ idibus Aug. 1478.
data, a Sixto IV. licentiam accepit eos a quocumque velit antistite catholico suscipiendi, necnon

ANNI CHRISTI

ab eodem vel alio, accitis tribus vel duobus episcopis consecrationis munus solito capessendi ritu. An. 1479. die 27. Apr. ut tam docentes quam discentes ad litterarum studia redderet acriores, academiam, quam Moguntiæ condiderat, multis tum privilegiis, tum immunitatibus exornavit. Arcem vero, quam, ut diximus, de novo construxerat, cum tota sub noctis medium feria sexta
1481. ante Dominicam *Esto mihi*, an. 1481. deflagrasset, reædificare decrevit. Dysenteria exstinc-
1482. tus est Aschaffenburgi anno seq. die 6. Maii, cum prius de capituli partis majoris consensu, a Pontifice Sixto impetrasset, ut Albertus annos natus XVII. Saxoniæ ac Misniæ ducis Ernesti filius, fieret administrator & postea successor. Moguntiæ jacet in æde majori, cum hoc epitaphio: *Anno Domini MCCCCLXXXII. die VII. Maii obiit reverendus in Christo pater, dominus Dietherus de Isenburg, comes in Budingen, archiepisc. Mogunt. cujus anima requiescat in pace.* Ejus statua, ad columnam ibidem posita, episcopali habitu, librum in sinistra, pedum vero in dextra gestans cernitur, hac circumscriptione superaddita.

Bis præsul factus comes Isenburgk Dietherus,
Moguntinam arcem struxerat atque scholam.
Hoc voluit tumulo corpus condi miserandum.
Civibus æthereis dans animamque Deo.

DE SAXE.

XXXIX. Albertus I. *sive* Adelbertus III.

Ernesti Saxoniæ & Misniæ ducis principis Electoris, & Elisabethæ Bavaræ filius, canonicus Moguntinensis, a Diethero etsi admodum juvenis, provisor Erfurtensis constitutus postridie festi Pentecostes an. 1479. ac feria IV. post S. Severi memoriam, castri Rustenbergensis, totiusque tractus Eichsfeldensis summus præfectus; quinetiam in coadjutorem assumtus, Sixto IV. probante
1482. litteris anno seq. pridie idus Januarii datis, eodem mortuo regimen adiit, biennio tantum superstes, quem mors scilicet præmatura, nondum conse-
1484. cratum, sustulit Aschaffenburgi, an. 1484. calendis Maii. In æde primaria sepultus est ad latus Dietheri decessoris sui, cum hac inscriptione: *Hic manet reliquum reverendissimi domini Adelberti, administratoris Moguntini, optimi atque innocentissimi adolescentis, qui ut omni applausu est ingressus, sic patrum, populique mœrore carnem felicissime solvit anno salutis 1484. calendis Maii.*

DE HENNEBERG.

XL. Bertholdus.

Patre Georgio natus est ex altera conjuge Johanneta Philippi Welburgo-Saræpontani filia. Hic jam decanus metropolis, nominatur antistes
1484. die 20. Maii an. 1484. cui paulo post rogatus pontifex Innocentius litteras auctoritatis una cum pallio transmisit. Certe hoc anno, die 14. mensis Novemb. in choro ædis majoris pallium solemniter induit, præsente, ut Innocentius jusserat, Johanne Dalburgio Wormatiensi præsule, qui
1485 quidem anno seq. Dominica *Lætare*, illum quamplurimis præsentibus, in æde metropolitana con-
1486. secravit. Inde 1486. Francofurtum, quo Cæsar Fridericus comitia indixerat, se contulit, illustri maxime, magnificoque stipatus comitatu; ubi litteris die 13. Febr. datis, diem Jovis proximum, qui 16. dicti mensis Februarii erat, collegis electioni novi Romanorum Regis peragendæ constituit; interimque die 14. ejusdem mensis, jura regalia solemni apparatu a Cæsare impetravit; ac biduo post in Maximilianum Friderici Cæsaris filium suo ivit suffragio; quem & postea coronandum, die 9. Aprilis, Aquisgranum deduxit. Tum vero ejusdem Maximiliani rogatu, an. 1494. aulam Cæsaream secutus est, ut archi- 1494.
cancellarii munia præsens obiret; annoque subsequenti, die 14. Julii regalia ac Imperii beneficia a Cæsare, ut moris est, requisivit, suamque professus fidem fiduciario ritu consecutus est. Eodem anno 1495. in conventu Wormatiensi 1495.
auctor fuit constituendæ imperialis cameræ Spirensis, itemque Suevici fœderis constituendi: ad quem anno seq. die XI. Aug. Carolus VIII. Francorum rex scripsit ex Ambasiæ castro, ut suspicionem aucupandi Imperii a se depelleret, ex tabul. Lothar. arcula, *Sicile*, *Naples*, *&c.* *n. 32.* Synodum egit Moguntiæ pro diœcesis regimine an. 1499. ac denique fato concessit 1499.
die 21. Decemb. an. 1504. postquam die 26. Aug. ejusdem anni vicariæ perpetuæ in sacello S. Catharinæ institutionem approbasset, Moguntiæ in majori templo depositus, in pervigilio natalis Domini, & quidem in vestibulo chori ferrei, ante altare S. Christophori, quod nunc ex marmore novum, simulacro *matris dolorosæ* affabre ex ære fuso exornatum est. Lapis vero, qui tumbæ impositus, rubro ex marmore superest, cum hac circa figuram episcopalem exsculptam inscriptione: *Bertholdus archiepisc. Mogunt. comes de Henneberg, obiit XXI. Decemb. anno MDIV.* Ei viventi Bernardus Bredembachius 1504.
decanus Moguntinus itinerarium Jerosolymitanum, & Jacobus Vimphelengius libellum de triplici candore dicarunt. De hoc videndi Trithemius chronici Hirsaug. pag. 627. & auctor chronici terræ Misnensis, pag. 69. & 72.

DE LIEBENSTEIN, *sa* LEWENSTEIN.

XLI. Jacobus.

Nobilissima in Suevis ad Kocharum gente ortus est, parentibus Petro & Agatha de Kaltenthal. Ex decano metropolitani collegii, Bertholdo invitus subrogatus fuit in sede Moguntina, die 30. Decemb. an. 1504. & a pontifice Julio II. 1504.
litteris pridie calend. April. confirmatus, in æde majori consecrationis munus accepit die 20. mensis Julii an. 1505. a Thoma episcopo Vice- 1505.
componensi, collaborantibus Philippo Spirensi episcopo & Johanne Chermosopolitaneo ejus in pontificalibus vicario. Cumque postea in arce gratulantium excepisset voces, clero, nobilibus & aliis munificum præbuit epulum; in quo ad mensarum primariam ei adsidebant Philippus, Thomas & Johannes episcopi; ad alteram beneficiarii archiepiscopatus, comites & dynastæ accumbebant; ad tertiam abbates; ad quartam ædis majoris canonici; ad alias alii. Convivarum vero si putes numerum, quinquaginta fere supra

ANNI CHRISTI 1507. quingentos fuere adhibiti. An. 1506. in capitulo generali ordin. S. Bened. ad suffragiorum participationem admissus est. Adfuit an. 1507. comitiis Constantiensibus, quæ dum agebantur, ipse calendis Julii, in Electorum, Principumque omnium, qui ad ea venerant præsentia, jus regalium, ut moris est, Imperiique beneficia a Maximiliano Cæsare petiit & impetravit. Obiit
1508. anno seq. XVII. calend. Octobris; sic enim non modo necrologium ædis majoris habet, sed lapis etiam sepulcralis, cui lamina ænea indita, in qua scriptum :

Reliquum domini Jacobi de Liebenstein piissimi ac integerrimi præsulis Moguntini. Vixit ann. XLVI. mens. I. dies XX. Obiit anno salutis MDVIII. XVII. cal. Octob. Jacet in æde majori ante chorum ferreum. Epitaphium vero, de quo Gallia Christiana quadripartita post Serarium, visitur ad columnum litt. *M.* notatam, & manifesto laborat errore. Ceterum quam populi sui vicem moriens deplorarit, narrat Wimphelingus, pag. 678. *Non sine causa*, inquit, *Jacobus arch. jam fere moriens dixit: se de morte sua non adeo dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur.*

XLII. Uriel

DE GEMMINGEN, *al.* GEMMIGER.

Parentes habuit Johannem, dictum *Audacem*, advocatum in Germersheim, & Brigittam de Neuenstein. Is legum doctor, Wormatiæ primum ædis cathedralis fuit custos, dein Moguntiæ collegii metropolitani nomine præfectus Mumbacensis, ac tandem ejusdem ecclesiæ decanus; tantam alioquin doctrina sua nominis famam consecutus, ut Imperatori dignus visus sit, qui Spiræ Nemetum in foro Cæsareo jus diceret. Et his quidem muniis, quasi totidem gradibus, ad supremam ecclesiæ Moguntinæ dignitatem as-
1508. cendit, electus canonice 1508. in festo SS. Mar-
1509. tyrum Cosmæ & Damiani. Tum anno seq. die festo S. Matthiæ apostoli allatum ex Urbe pallium pro sua confirmatione accepit, eique Dominica *Lætare* ejusdem anni Thomas Ruscher suffraganeus Moguntinus consecrationis munus impertivit, divinæ rei subservientibus episcopo Wormatiensi & suffraganeo Spirensi, præsentibusque multis tum abbatibus, tum nobilibus, quos omnes, finitis sacris convivio excepit splendidissimo. Inde Wormatiam se contulit, ut interesset comitiis, ibique postea in frequenti Electorum, Principum, comitum, nobiliumque corona, solemni apparatu, regalia Imperiique beneficia die 23. Aprilis Maximiliano Cæsari accepta tulit.
1512. Dum autem an. 1512. in frequentissimo principum conventu, quem Treviros acciverat Imperator, adstaret, ibi sacro die Pentecostes Richardum, archiepiscopum Trevirensem consecravit, Willelmo Argentoratensi & Reinharto Wormatiensi inservientibus. Subscripsit eodem anno feria 2. post S. Dionysii festum, fœderi Suevico, Augustæ in decem annos rursus prorogato. Ceterum hic archiepiscopus a sede apostolica impetravit, ne quis deinceps in civitatibus Imperii simul A posset habere canonicatus, aut vicarias in diversis ejusdem civitatis ecclesiis, sed ut singulæ in singulas distributiones deservirent. Ex hac tandem luce discessit Moguntiæ an. 1514. die XI.* ANNI CHRISTI 1514. *al. IX.
Febr. sepulcro illatus, ut in vivis ordinarat, in loco majoris ecclesiæ, qui vocatur *memoriæ*, die 13.* Febr. ante altare S. Egidio dicatum; cui *al. 12. Dominica Septuag.
hæc apposita est inscriptio *Urieli de Gemmingen, archiepiscopo Moguntino, Principi Electori, viro singulari vitæ gravitate, animique constantia præclaro, qui posteaquam sedit annis IV. ætatis suæ anno XLV. a Christo nato MDXIV. V. idus Febr. vitam cum pontificatu deponit.*

B

XLIII. Albertus II. *sive* Adelbertus IV.

DE BRANDEBOURG.

Hic lucem aspexit anno 1490. patre natus Johanne, Electore Brandeburgensi, matre Margareta, Willelmi III. Saxoniæ ducis filia. Canonicus primum Moguntinus ac Trevirensis, eodem, quo presbyter ordinatus anno, sacri hujusce ordinis primitias octava Paschæ celebravit, ex Langio. An. 1513. die XXXI. Augusti Ernesto Saxoni in archiepiscopatu Magdeburgensi, & præsulatu Halberstadiensi subrogatus est, assentiente Leone papa, & anno seq. 1514. archi- 1514.
episcopus etiam Moguntinensis salutatus, die 9.
C Martii, accedente similiter ejusdem Pontificis confirmatione litteris datis XV. calend. Septemb. quibus illum utrique archiepiscopatui præesse jubet, aliis vero ipsis calendis Septemb. pallii gestamine exornat; hac tamen conditione adjecta, ut antequam archiepiscopatus Moguntini administrationem susciperet, sedi Romanæ coram Spirensi & Brandeburgensi episcopis, interposita sacramenti religione, obsequium deferret. Exinde 8. Novembris ejusdem anni ad hujus ecclesiæ possessionem solemniter admissus est; in qua tertio post die sancti Martini memoriæ sacro, pontificio indutus amictu, appa-
D ratissima pompa, missæ peregit solemnia, assistentibus, & subservientibus episcopo Vicecomponensi, & quinque abbatibus. Tum vero pallium die Veneris post S. Thomæ apostoli festivitatem, sacro missæ officio ab eo, cui commissum erat, decantato, flexis ipse genibus ante aram,* procumbens, bullis papalibus lectis, ac *Coram episcopo Brandeburgensi.
jurejurando sedi Romanæ præstito, accepit, ac postridie in æde S. Petri extra mœnia Moguntina sacros ordines contulit. Anno 1518. ad- 1518.
fuit comitiis Augustæ Vindelicorum, ubi cardinalatus insignia per Cajetanum calendis Augusti percepit, cum jam die 24. mensis Martii Romæ
E ad hanc dignitatem evectus fuisset. Ita Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium observationibus; ac etiam Jacobus Manlius, tom. 2. rerum Germanicarum, ex bibliotheca Marquardi Freheri, qui rem totam ob oculos ponit. Quo etiam anno, & fortasse eodem in loco, dignitatum suarum jura, Imperiique beneficia, ut moris est, requisivit, atque a Maximiliano fide recepit clientelari, die 28. mensis Sept. Anno seq. die 1519.
12. Januarii Maximiliano vita functo, auctor in primis fuit, ut Carolus V. Francofurti eligeretur die Junii 28. cujus deinde coronationi apud

ANNI CHRISTI

Aquisgranum interfuit die 22. Octobris anni A
1520. Illum postea Wormatiam ad comitia indicta tendentem amplissima pompa, die Veneris ante S. Catharinæ festum Moguntiæ excepit, & mox ipse Wormatiam perrexit. Deinde anno
1522. 1522. feria 2. post Dominicam *Reminiscere* Fœderi Suevico in conventu Ulmensi ad XI. rursus annos prorogato alios inter & ipse nomen dedit. Inde Norimbergam concessit ad comitia Ordinibus indicta, ut de Turcis reprimendis, liberandisque ex eorum faucibus Hungaria, finitimisque regionibus, quam necessitas postulabat, institueretur deliberatio. Interfuit etiam anno
1529. 1529. Spirensibus comitiis, religionis & belli B
1530. Turcici causa habitis; & insequenti celebratissimis illis comitiis Augustanis, ad quæ Cæsarem die 15. Junii accedentem, nomine omnium decentissima excepit oratione; interimque Balthasarem Merckelium, episcopum Hildesheimensem & Constantiensem, Cæsare & imperii ordinibus magna cæremoniam pompa cohonestantibus, consecravit. Eodem anno cum Cæsar reipublicæ sibique necessarium judicaret, ut secundum se crearetur aliquis Romanorum Rex, velut alterum Imperii caput, noster Albertus litteris 13. mensis Novemb. datis, Electores ut ad diem 29. Decemb. sibi Coloniæ adessent, C citavit. Inde Cæsarem secutus, contendit Coloniam, ac de Rege Romanorum creando cum collegis egit; nec multo post, die scilicet Januarii
1531. 5. itum in suffragia, quibus Ferdinandus, Caroli Cæsaris frater, Rex Romanorum dictus est, & octavo post die, 13. ejusdem mensis, Aquisgrani coronatus, Alberto nostro præsente. Hinc domum redux, Willelmum episcopum Argentoratensem, collegii metropolitani consensu, die XI. Martii ad partem archiepiscopalium curarum in diœcesi Moguntina sustinendam, sociamque in jure dicendo potestatem, *Adjutoris* titulo, & cum spe succedendi, certis sub conditionibus co- D optavit; qui primum annuit, deinde 24. Nov. sponte renuntiavit. Inter hæc Martino Luthero Novatorum in Germania antesignano hæresim suam disseminanti egregie obstitit, quem & epistolis & exhortationibus ad meliorem vitam re-
1540. ducere tentavit. Anno 1540. ultimæ voluntatis suæ tabulas edidit; quin & lapidem sepulcro suo olim imponendum tum temporis ex marmore rubro sibimet cædi curavit. Interfuit anno
1542. seq. comitiis Ratisbonensibus & 1542. Spiren-
1545. sibus. Cumque an. 1545. adversa pressus valetudine, Concilio Tridentino per se interesse non valeret, honorifica legatione suum Patribus tes- E tatus est studium; quorum in consessu legatorum alter Michaël Helding episcopus Sidonius, in muniis pontificalibus obeundis Alberti vicarius, illum die 18. Maii, quod concilium ipse non adiisset, diserta oratione excusavit. Hoc autem anno e vita discessit Albertus, die VIII. calend. Octobris, terræ illatus solemni apparatu, quarto post die, octavo scilicet & vicesimo Septembris, ad aræ tum summæ basim sub marmore rubeo.

Quia vero, inquit Serarius, ei vivo tam molestus fuit Lutherus, dabo hic Lutheranum, Melanchtonis ipsius generum, *Georgium Sabinum*, qui mortuum lachrymis & versibus decoret.

Albertus jacet hoc loco sepultus,
Qui de sanguine regio creatus,
Lumen Cardinei fuit senatus,
Qui virtute potentiaque rexit
Magni Saxonicas Othonis urbes;
Et Moguntiaci fluenta Rheni.
Nil Germania majus hoc habebat;
Nam de litibus, arduisque rebus
Conventus ubi Principes agebant,
Verbis promptus, & elegante lingua;
Ceu Laërtiades regebat alter,
Tutum consilio suo Senatum:
Ac tot dissidiis ubique motis
Terrarum bene consulebat orbi.
Pacis suasor erat, quieta pacis
Sævis ocia præferebat armis:
Quin & justitiæ tenax & æqui
Dignas sontibus irrogare pœnas,
Complectique bonos & innocentes
Mitis non secus ac parens solebat.
Nec fulvum sibi congregabat aurum;
Doctos munera conferens in omnes:
Dispensabat opes, manuque larga
Sacras Pieridum fovebat artes.
Hunc lugubria tectus ora velo
Albis, Rhenus, Havelus hunc peremptum;
Fontis Pegasei cohors, & omnis
Est respublica prosecuta fletu.

XLIV. SEBASTIANUS.

DE HEUSENSTAM.

Parentes illi fuerunt Martinus urbis Moguntiæ aliquando vicedominus, & Elisabetha Brendel ab Homburg, Martini altera conjux. In æde metropolitana scholastici dignitate præfulgebat, eratque juris utriusque doctor, quando e pluribus, seu a Pontifice, seu a Rege Ferdinando & a Philippo Landgravio Hassiæ commendatis, electus est qui succederet Alberto, die 20.
Octobris an. 1545. Ut vero Pontificis quam- 1545.
primum judicio stabiliretur, & archiepiscopalis dignitatis ab eodem consequeretur insigne, pallium, legatos destinavit Romam, quibus reversis,
Dominica in Albis anni seq. sacram accepit unc- 1546.
tionem, Melchiore Zobel Herbipolensi episcopo inaugurante, cui Michael Helding episcopus Sidonius & Georgius Lorch suffraganeus Wirzburgensis subserviebant; ac deinde Sabbato quatuor Temporum, quo, pro introitu missæ *Caritas-Dei*, cantatur, sacros ordines, tam majores, quam
minores petentibus contulit. Idem an. 1547. co- 1547.
mitiis apud Augustam interfuit, ac insequenti,
cum Cæsar Mauricio, Saxoniæ duci, die 24. Febr. 1548.
dignitatem conferret Septemviralem, *seu* Electoralem, huic solemni cæremoniæ non modo præsens fuit, verum etiam eidem honores istos petenti, Carolo innuente, & respondit, & jusjurandum, quo Septemviri tenentur, recitavit. Eodem anno diœcesanam habuit synodum mense Novembri,
& anno seq. die 6. Maii provincialem. Adfuit 1549.
rursum Sebastianus conventui ordinum Imperii
apud Augustam indicto, die 25. Junii an. 1550. 1550.
ubi actum

ANNI CHRISTI

ubi actum de cœpto Tridentino concilio, de A
servando religionis decreto nuper Augustæ facto,
de jurisdictionis ecclesiasticæ, bonorumque sacrorum a Novatoribus occupatorum, & direptorum restitutione. Tum vero ad Tridentinum
1551. profectus concilium, an. 1551. calendis Maii continuari cœptum, calendis Septembribus, in quas progredientis concilii consessus alter dilatus fuerat, præsto fuit Tridenti, una cum Trevirensi Johanne Isenburgico. Sed paulopost comperto, quod Mauricius Saxoniæ dux, Albertus Brandenburgicus & Guillelmus Landragius Hassiæ Thuringiam & loca vicina, ac maxime ditionis Moguntinæ, depopularentur, Tridentinis Patri- B bus placuit tantisper concilium intermittere, ejus-
1552. que intermissionis decretum, die 28. Aprilis in sessione XVI. solemni ritu palam exponere, cum jam XI. die Martii Sebastianus noster & Coloniensis archiepisc. e concilio abiissent. Domum itaque redux Sebastianus, id primum sibi curæ habuit, ut firmioribus Moguntiam complecteretur munimentis, atque ad omnem se casum compararet; quibus deinde non obstantibus, cum hostes prævalerent, furori cedendum ratus, Moguntia discessit, atque inter hæc de pace cum Hasso egit; sed mox Albertus Moguntiam urbem ingressus, cives Regi Galliæ sacramentum C dicere coëgit, Sebastiano & clero Moguntinensi sexcentis Florenorum millibus imperatis, quæ cum ingens summa confici non posset, in tractu superiori arcem Aschaffenburgensem & Miltenburgensem, Moguntiæ vero Sammartinianam cum templis S. Albani, S. Victoris, S. Crucis & Carthusiæ flammis feralibus incendit. Vita demum defungitur Sebastianus Eltvillæ anno
1555. 1555. feria 2. post Dominicam *Oculi*, quæ XVIII. Martii dies erat, postquam vixisset annos 47. dies 2. unde abductus Moguntiam die 23. Martii sepelitur in æde majori, & quidem in loco *memoriæ* juxta pias exsuvias patris Martini de D Heusenstam, absque lapide sepulcrali. Mausoleum tamen habet ad columnam in ichnographia ædis primariæ littera R. signatam, in quo ista supra ejus caput leguntur. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*: Infra pedes: *memorare novissima*: Et infra: *Domino Sebastiano ab Heusenstam, Moguntino archiepiscopo, sacri Romani Imperii per Germaniam archicancellario, Principi Electori, &c. Viro ingenio, rerumque usu clarissimo, utriusque juris doctori, ac in administranda rep. domi forisque indefesso; qui inter fluctuantes Germaniæ procellas dum fatigatus oneri succubuisset, spiritumque Deo reddidisset, successor pio* E *officio monumentum posuit. Sedit annis novem, mensibus quatuor, diebus XXVIII.* lege *XVIII. Moritur in Eltuil XVIII. Martii MDLV.*

BRENDEL ab HOMBURG

XLV. DANIEL.

Parentibus Frederico & Margareta Redesceliana in lucem editus est, an. 1523. die 22. Martii, cujus fratres Philippus & Eberhardus Brendelii magna cum auctoritate, ambo Vicedomini ordine, Moguntiam urbem gubernarunt. Cum autem Daniel insignis doctrinæ ac virtutis fama

prææditus esset, canonicus primum ecclesiæ Spirensis evasit, tum ejusdem scholasticus, ac tandem ex canonico Moguntino ad archiepiscopatum
sublatus est 18. Aprilis an. 1555. uti legere est 1555.
apud Serarium, qui fuse vitam ipsius in commentariis Moguntinis illustravit. Inde vero Daniel
an. 1558. cum Carolus V. secum constituisset 1558.
Imperii fasces titulosque ponere, & Francofurtum legatos misisset, qui Electoribus id denuntiarent, x. calend. Martii ducentis stipatus equitibus eo venit, Cæsaris percepturus mentem, qua cognita, & votum Caroli ratum habuit, & Ferdinandum die XIV. Martii Imperatorem agnovit; a quo, die sequenti, regalia Imperiique beneficia, septemvirali præstito sacramento accepit.
Interfuit præsens anno seq. comitiis Augustæ ce- 1559.
lebratis, in quibus religionis pax, quæ an. 1555. placuerat, confirmata, nullum scilicet, neque veteris religionis, neque novæ illius confessionis, Augustanæ dictæ, causa, ulli quidem exhibendum negotium: si quis tamen ex ecclesiasticis ad hanc transire vellet, cum eo ecclesiastica bona & dignitates nequaquam transirent, sed eorum ille omnium jacturam faceret. Idem anno suæ
electionis sexto, Christi 1561. Patres Societatis 1561.
Jesu in suam urbem Moguntiam advocavit; iisque, litteris datis die 20. Julii an. 1577. monasterium Fratrum Minorum, tanquam ad illorum functiones aptius, ad habitandum concessit.
Insequenti vero 1562. cum Dominici corporis 1562.
festus instaret dies, ad majorem Christo Jesu honorem tribuendum, majoremque tanti mysterii memoriam & venerationem excitandam, statuit non publicæ tantum, quam metropolitanus clerus, præclaro cum ordine, pretiosa veste plurima, coronis ob solis æstum & nudorum capitum munimen quernis habere solet, *processioni* adesse, sed suis etiam manibus venerabile sacramentum gestare. Eodem anno, die 24. Nov. Maximilianum II. imperatoris Ferdinandi filium Romanorum regem elegit in Francofurtensi S. Bartholomæi templo, eumdemque ibidem die mensis ultimo inunxit. Accessit ad Augustana comitia,
die 26. Februarii anno 1566. ibique die 22. 1566.
Aprilis in ædibus Fuggerianis, habitu indutus Electorali, regalia ac beneficia Imperii fide clien-
telari accepit. Spirensibus etiam anni 1570. 1570.
præsens fuit, atque in istis Elisabetham, maximiliani II. filiam, Carolo Galliarum regi desponsam, Ferdinando archiduce vices ejus obeunte, matrimonio rite conjunxit. Ad Francofurtensem conventum an. 1571. legatos misit. Dein Henricum Andegavensem ducem, electum & proclamatum Poloniæ regem in pervigilio Pentecostes anni 1573. Moguntiæ solemni occursu magnifice excepit die 15. Decemb. Tum
ad Ratisponentia comitia, quæ an. 1575. habita 1575.
sunt, ipse profectus est; in iisque Rodolfum II. Imperatoris Maximiliani II. filium primogenitum in Romanorum regem elegit, & inunxit. Ea vero, quæ ibidem anno 1576. habebantur, obiit per legatos; in quibus cum imperator Maximilianus obiisset die 12. Octobris, invitatus anno seq. ad cohonestandas exsequias, Pragam

ANNI CHRISTI

misit, qui funus prosequerentur, Wolfgangum A a Dalberg summæ ædis præpositum & alios, e quibus Wolfgangus, cum id die 22. Martii e cœnobio, quod in veteri urbe S. Jacobo dicatum est, in ædium maximam deduceretur, Septemviro Coloniensi a dextris, Trevirensi vero a sinistris medius incessit; ac in basilica proximo ab Imperatore consedit loco; ac demum quarto post die per eosdem legatos Daniel jura regalia, Imperiique beneficia a Rodulfo requisivit, solemnique more, sub lege clientelari consecutus est. Porro hic archiepiscopus ecclesiam suam non mediocriter auxit duorum comitatuum Rieneccani & Konigsteiniani accessione, illius quidem B
1581. jam an. 1559. istius vero an. 1581. Aschaffenburgi fatis concessit anno seq. die 22. Martii, quo supra diximus natum, unde ipsius corpus sexto post die abductum, postridie Moguntiam pervenit, ac die sequenti, solemni apparatu in arca plumbea juxta rever. & nobil. D. Bernardi Breidenbachii tumulum, in templi metropolitani sacello B. M. Virginis, humo illatum, sub nullo tamen lapide sepulcrali. In proxima vero extra id sacellum columna positum est ei a successore magnificum hoc monumentum:

DANIEL, DEI GRATIA,

Archiepiscopus Moguntinensis, sacri Imper. per Germaniam archicancellarius, Princeps Elector, & è nobili familia Brendel ab Homperg, an. 1555. ætatis suæ 33. electus, ecclesiam annis 27. optime pacificeque rexit, haud paucis emolumentis auxit, atque ampliavit: justitiam coluit, religionem promovit, carus omnibus extitit. Duos Imperatores Maximilianum II. & Rudolphum II. coronavit, inculpate vixit, sacramentis catholice perceptis, pie placideque quievit, desiderium sui luctumque cunctis reliquit. Obiit Aschaffenburgi anno MDXXCII. 22. Martii G. A. R. I. P. successor prædecessori bene-merito posuit.

DE DALBERG.

XLVI. WOLFGANGUS.

Eum genuit Fridericus ex Anna de Fleckenstein conjuge. Addictus clero, fuit canonicus Spirensis & Moguntinus, quinimo utrobique præpositus, cum prius tamen hunc ob eximiæ tum religionis, tum prudentiæ famam Daniel an. 1563. ad vicariam rerum ecclesiasticarum procurationem assumsisset, quam ad an. 1578. summa cum nominis laude administravit, atque etiam sodales ædis majoris scholasticum elegissent an. 1564. Tandem vero in archiepiscopum co-
1582. optatur die 20. Aprilis anno 1582. probante Rudolfo rege, ut patet ex illius ad Pontificem litteris die 7. Maii exaratis, in hæc verba: *Qui cum præter avitæ nobilitatis decus, & sincerum, piumque orthodoxæ religionis catholicæ zelum, vitæ honestatem, aliasque insignes animi dotes, atque virtutes hujusmodi præsule maxime dignas, ætate atque judicio jam maturus sit, & a prædicto antecessore suo multo jam tempore gravissimis negotiis, tam in generalibus comitiis, quam aliis sacri imperii conventibus... agendis tractandisque adhibitus, singularem rerum experientiam sibi comparavit.*

Eodem suæ electionis anno accessit ad Augustana comitia, & inde Romam misit Johannem Bernhardum a Gablenz ædis primariæ Mogunt. canonicum, & Vitum Miletum, Erfordiæ ad sancti Severi decanum, petitum, ut & Pontificis probaretur judicio, & pallio cohonestaretur; quibus auditis Gregorius primum bulla III. nonas Septemb. edita cum confirmavit; dein una cum alia, mense Octobri signata, pallio, quod Mileto deferendum dedit, condecoravit. Neque se minus ei gratiosum præbuit Rudolfus Cæsar, ad quem cum legatos misisset Imperii beneficia petitum an. 1583. hæc ipsa Princeps ultro concessit die 1583.
13. Aprilis. Aschaffenburgi hoc etiam anno die S. Thomæ apostoli, in sacello arcis a Stephano Webero, episcopo Mysiensi, diaconus, tum vero presbyter sabbato Quatuor Temporum post S. Luciam ordinatus fuisse dicitur, *legendum* an. 1584. quo quidem istud Sabbatum incidit in diem 22. Dec. nam an. 1583. incidit in XVII. ejusdem mensis, quod implicat. Ceterum scribit Serarius Aschaffenburgi consecratum fuisse archiepiscopum an. 1584. Interfuit vero decem post 1584.
annos Ratisponensibus comitiis, ubi actum de 1594.
bello Turcico; eique Johannes Busæus an. 1600. 1600.
operum Petri Blesensis editionem nuncupavit. C
Denique Aschaffenburgi an. 1601. die 5. Apr. e 1601.
vita discessit, postquam vixisset annos 63. menses 4. dies XI. Inde Moguntiam advectus die 17. ejusdem mensis, in templo metropolitano juxta cardinalis Alberti sepulcrum conditus est.

XLVII. JOHANNES ADAMUS.

DE BIKEN.

Patre Philippo Moguntinensis aulæ marescallo & Anna Brendelia, Danielis archiepiscopi sorore natus, adolescens apud Herbipolim & Moguntiam philosophicis ac theologicis disciplinis eruditus, externis peregrinationibus studiisque confectis, canonicatu in templo metropolitano primum do- D natur, deinde ad scholastici dignitatem evectus 1595. die Novemb. 13. postremo ad ejusdem ecclesiæ pontificatum die 15. Maii anni 1601. 1601.
sublimatus est; quam ei dignitatem VI. calend. Sept. Clemens VIII. papa confirmavit; ac etiam Rodolfus II. imperator, regalibus traditis sub initium anni sequentis. Hoc autem anno 1602. 1602.
Moguntiæ promulgari fecit maximo fructu, quam a Pontifice impetrarat, peccatorum, seu pœnarum, quæ his temporales debentur, indulgentiam; cumque varia ad ecclesias diœceseos in melius constituendas statuta edidisset, Aschaffenburgi vitam cum morte commutavit an. 1604. 1604.
E ætatis 39. die X. Januarii, Sabbato post Epiphaniam. Corpus inde avectum die 20. Januarii, Moguntiæ post biduum in æde primaria conditum est.

XLVIII. JOHANNES SUICARDUS.

DE CRONBERG

Lucem aspexit patre Hartmudo, matre Barbara de Sickingen, Suicardi de Sickingen filia, die 15. Julii anno 1553. Cum autem ecclesiastico vitæ generi ab ineunte adolescentia sese dicasset, anno statim 1564. Danielis archiepiscopi provisione, Moguntiæ cleri principalis cœtui

ANNI CHRISTI

adscriptus fuit, & biennio post collegio ad equestrem S. Albani basilicam. Tum Romæ in collegio Germanico philosophia, aliisque studiis, magno virtutis litterarumque profectu excultus, domi ad varios subinde honores successit. Et anno quidem 1576. a cardinale Morono, nuntio apostolico præpositus ad S. Petri extra mœnia Moguntina constitutus, dehinc an. 1582. a canonicis metropolitanis scholasticus ædis majoris electus est, ac biennio post ab archiepiscopo Wolfgango muniis vicarii generalis in spiritualibus, sive ecclesiasticis admotus. Obtinuit quoque an. 1588. præpositi ad S. Albanum dignitatem, & an. 1595. non præpositus solum B. M. Virg. ad Gradus rite designatus fuit, verum etiam decanus collegii metropolitani legitimis factus est suffragiis; tandemque ad pontificalem ascendit cathe-
1604. dram an. 1604. die 17. Febr. id approbante papa Clemente, bulla data die 2. Aug. pallioque tradito 19. ejusdem mensis & anni. Neque vero suam longius distulit consecrationem, quam quidem accepit die 21. Novembris insequentis, sacram peragente cæremoniam Stephano Webero episcopo Misiensi, assistentibus Trevirensi & Herbipolensi suffraganeis. Restabat, ut a Cæsare imperii beneficia, juraque regalia perciperet, ad
1605. ea petenda delegavit Pragam an. 1605. Philippum Christophorum de Sotern præpositum Trevirensem & canonicum Moguntinum cum aliis, quibus auditis, ea Rudolfus ritu fiduciario concessit 19. Julii. Rebus imperii hoc temporum
1606. tractu non parum dubiis, visum anno 1606. Lothario Trevirorum antistiti, cum sacris coëlectoribus de opportuno malorum impendentium remedio consultatione mutua cogitare. Cum igitur Confluentiam eos invitasset, Johannes Suicardus eo descendit, & Ernestus Coloniensis ascendit; iisque tribus, consiliis inter se communicatis, placuit Fuldæ habenda esse comitia Septemviralia. Ea vero Johannes Suicardus ad diem 27. Augusti indixit, & missis postea, ut & illi, legatis,
1610. obivit. Deinde anno 1610. a Rodulfo Cæsare, Hungariæ regnum sibi cum Austria ereptum esse a fratre Matthia, dolente plurimum, invitatus, die 26. Aprilis Pragam accessit, & inde Viennam, ubi eo potissimum adnitente, res ad aliquam concordiæ faciem deducta est; ac interim ei, tanquam S. R. I. per Germaniam archicancellario die 4. Maii sigillum Cæsareum majus minusve a vicecancellario Imperii Stralendorfio allata fuere: unde postea tam in sanctiori senatu, quam in judicio rebus Imperii dijudicandis constituto, archicancellarii obiit munia. Tum vero reversurus domum sigilla Stralendorfio restituit; cumque in officio, sicuti vocatur, *taxæ*, varia deprehendisset, quæ contra constitutiones, præsertim in expediendis decretis & æstimandis laboribus, invaluerant, die 15. Septemb. in ipso monumentorum publicorum receptaculo, singulis & omnibus, qui tabularii rationes curabant, convocatis & præsentibus, quasdam leges, quibus pravæ id genus consuetudines emendabantur, Stralendorfio tradidit, dato simul mandato, ut stricte eas observari curaret. Anno seq. comitiis Norimbergæ habitis adfuit, ubi inter omnes convenit anni insequentis 1612. primum & vicesimum mensis Maii diem statuere, quo Francofurti more consueto de Romanorum regis electione ageretur. Adfuere omnes, quorum intererat, habitisque consultationibus usque ad diem XIII. Junii, hoc ipso demum Matthiæ Hungariæ & Bohemiæ regi Septemvirûm suffragiis imperium delatum; quem Johannes Suicardus die 24. ejusdem mensis inunxit, Annam vero ipsius conjugem die 26. Eodem anno Franciscanis patribus Moguntiæ sedem concessit; & Aschaffenburgi patribus Societatis Jesu. Dein ad comitia Ratisbonæ habenda profectus est anno seq. ibique regalia 1613.
die 20. Aug. ab Imperatore consecutus est. Cum autem an. 1619. die Martii mortem oppetiisset 1619.
Imperator, statim collegis Septemviris in 20. mensis Julii diem conventum indixit Francofordiam, in quo Ferdinando communiter Imperii fasces delati sunt die 28. Aug. nec multo post Johannes Suicardus, die scilicet IX. Septemb. eum inunxit, infulisque augustalibus exornavit. Anno subinde 1624. Electoratu Palatino a 1624.
Cæsare in domum Bavaricam averso, Maximilianum Bavariæ ducem, postquam ille collegio fidem sacramenti religione professus esset, in Septemvirum consortium adscivit die 27. Julii. Ei porro Brouverus *Germaniæ Sidera*, Melchior Heiminsfeldius Goldastus *tomum 1. rerum Alamannicarum* an. 1606. & Johannes Bernardus abbas Fuldensis, Rabani Moguntini opera dicaverunt. Denique Johannes Suicardus animam efflavit Aschaffenburgi die 17. Sept. an. 1626. 1626.
natus annos 73. menses 2. & totidem dies, magno sui desiderio bonis omnibus relicto. Funus inde Moguntiam devectum, prima Octobris in ædium maximam deductum fuit, & corde, cerebro, lingua, intestinisque die 24. Sept. Aschaffenburgi in æde sacra patrum Societatis Jesu ante aram principem terræ mandatis, ad ostium cryptæ, quam ante sexdecim annos sub ara S. Crucis sibi exstrui curaverat, depositum est.

XLIX. Georgius-Fridericus.

Greiffenklaw de Volrats.

Parentibus Diethero & Apollonia de Reiffenberg in lucem editus an. 1573. die 8. Sept. a primaria statim pueritia animum pietate & virtute, tum suorum sub parentum, tum celsissimi susceptoris Georgii de Schonenburg episcopi Wormatiensis & præpositi majoris Moguntini cura, excoluit; ac deinde Romam missus est, ut optimis scientiis & salutaribus præceptis ad munia ecclesiæ olim cum laude gerenda institueretur. Inter hæc autem Danielis archiepiscopi beneficio an. 1580. die 25. Febr. canonicorum collegiatæ equestris ad S. Ferrutii Bleidenstadensis adscriptus cœtui, septennio post Moguntiæ in clerum maximi collegii receptus fuit. Wormatiæ insuper e canonico basilicæ majoris fuit summus præpositus; Spiræ vero e canonico primum cantor, & simili dein fortuna præpositus major factus est. Moguntiæ quoque ad S. Albani fuit custos, & ad S. Victoris, necnon B. M. V. ad Gradus intra mœnia urbis canonicus; posteaque ad scholastici &

ANNI CHRISTI

præpositi metropolitani dignitatem evectus fuit. A
Tum vero maxime regendi Dominici gregis tyrocinia posuit, quando Johanni Suicardo anno 1610. Pragam ad Rudolfum Cæsarem proficiscenti visum est eum summæ rerum interea, locum tenentis titulo & loco præficere. Et quidem sexennio post cathedram Wormatiensem, justis eligentium suffragiis expetitus, die 15. Sept. ascendit, e qua tandem ad Moguntinam unanimi
1626. consensu traductus die 20. Octobris an. 1626. confirmatur a Pontifice IV. cal. Maii, pallioque donatur III. nonas ejusdem mensis an. 1627. quo etiam anno Aschaffenburgi in æde SS. Petri & Alexandri episcopalem accepit unctionem die B
festo Assumtionis B. Mariæ per ministerium Ambrosii episc. Mysiensis, cui Christophorus episc. Ascalonensis subserviebat. Inde Mulhusam eodem anno ad conventum Septemviralem proficiscitur; ac denique rebus humanis excessit Moguntiæ die
1629. 6. Julii an. 1629. in sacello ædis primariæ S. Michaëli dicato, uti vivus expetierat, tumulatus.

L. ANSELMUS CASIMIRUS.

WAMBOLD ab UMBSTATT.

Natus hic Eberhardo patre & Anna de Reiffemberg matre anno 1582. die 30. Nov. cum Romæ & alibi strenue in litteras incubuisset, varios deinde gessit honores; præterquam quod C
enim canonicum ad S. Victoris & scholasticum ad S. Albani egit, anno 1596. clero principis collegii Moguntini adscriptus est, dignus postea visus, qui Halberstadii ædis primariæ præpositus esset. Tum anno 1627. Georgio Friderico ad conventum Mulhusanum profecto, domi locum
1629. tenentis administravit munia, & 1629. die 3. Aprilis scholastici majoris obtinuit dignitatem; tandemque archiepiscopalem die 6. Aug. ejusdem anni, quam ei confirmavit Urbanus VIII. papa die 16. Febr. anni seq. Ratisbonam vero
1630. adiit hoc an. 1630. ad comitia a Cæsare indicta, ubi die Octobris 29. in curia episcopali jus re- D
galium ab Imperatore petiit, rituque solito publice recepit. Dein alumnis S. Francisci de Paula Sigenæ sedem habere permisit litteris datis 31.
1631. Maii an. 1631. quo anno urbem Moguntiam Gustavus Adolfus hostiliter invasit, cum jam exinde Coloniam recessisset Anselmus Casimirus; ubi pacem, Pragensem dictam, Cæsarem inter & Saxonem die 7. Julii ratam habuit, & tractus Rhenani ordinibus publicavit; ibidemque 1633. adfuit translationi corporis S. Engelberti Colon.
1636. archiepiscopi. An. 1636. Franciscanis patribus Bischofshemii sedem petentibus ultro concessit, tabulis Coloniæ pridie cal. Junii signatis; nec E
multo post, ipse Moguntiam rediit, a suis, omnibus honorum & observantiæ argumentis exceptus; haud diu tamen substitit Moguntiæ, quippequi a Cæsare ad comitia Ratisbonensia vocatus, die XI. Aug. profectus est. Cum autem illic Cæsar gravi oratione ætatis suæ viriumque imbecillitate exposita, se inter ancipitem Imperii statum & rerum gerendarum molem Rege adjutore indigere professus, eam in spem filium proposuisset, Anselmus Casimirus die 17. Novemb. collegis Septemviris diem negotio illi obeundo indixit, qui erat 9. Decemb. quem tamen postea in diem 22. protraxit; ibique Ferdinandus Hungariæ & Bohemiæ rex, Romanorum rex in æde cathedrali, unanimi consensione renuntiatus est, quem dein ipse Anselmus Casimirus, paulo ante in presbyterum & episcopum consecratus a nuntio apostolico in ipsa urbe Ratisbona, die 30. Decemb. qua solet sacrorum magnificentia & apparatu inunxit. Rursum vero Anselmus Casimirus abire Moguntia cogitur an. 1644. Gal- 1644.
lorum metu, qui revera paulo post urbem ad deditionem compulere. Cumque postmodum nulla melioris fortunæ spes affulgeret, necessitati cessit, ac die 9. Maii an. 1647. suo & collegii 1647.
principis nomine, cum Turrenio principe super hostilibus utrimque intermittendis transegit. Obiit autem hoc ipso anno die 9. Octobris Francofurti, ubi, occupata a Gallis Moguntia, sedem cum sua curia collocaverat. Corpore, principum more, aromatis & odoribus differto, cor una cum intestinis, die dicti mensis 16. Moguntiam avectum, ibidemque in crypta ædis S. Gangolfi sub ara principe conditum: funus vero quinta demum Novembris Moguntiam quoque delatum, die 7. ejusdem mensis in æde primaria solitis cæremoniis terræ mandatum fuit, juxta tumbam cardinalis & archiepiscopi Alberti a sinistris in choro majori.

LI. JOHANNES-PHILIPPUS.

DE SCHONBORN.

Primam lucem aspexit Eschbachii in silva occidentali, vulgari appellatione *der Westervald* dicta, patre Georgio, matre Maria-Barbara *von der Leyen* anno 1605. die 6. Augusti. Prima quidem litterarum rudimenta Weilburgi posuit in ludo publico; annis vero maturior Aureliis, urbe in Galliis haud incelebri. Inde militiam aliquandiu sub signis Cæsareis secutus, meruit ut in cohorte Hatzfeldica turmam equestrem duceret, cum jam prius, scilicet 1621. Herbipoli die 2. Oct. & an. 1625. Moguntiæ domicellaris factus esset. Missa dehinc militia seculari, & ecclesiasticæ redditus, Herbipoli primum an. 1635. die 15. Nov. præpositi locum ad S. Burchardi obtinuit, & 1642. die 16. Aug. ipsam iniit sedem episcopalem, inauguratus die 8. Sept. anno 1645. Tum vero Moguntinam cathedram consecutus est die 19. Novemb. an. 1647. unanimi suffragantium 1647.
consensu, communique omnium applausu & congratulatione; pro qua pallium accepit bulla idibus Septemb. anno 1649. data. Ipse interea 1649.
promovendo pacificationis negotio omni intentus studio, huc sua vertit consilia, ut compressis belli, quod Germaniam per tot annos gravissime afflixerat, motibus, res ad pacis conditiones Monasterii ac Osnabrugæ in Westphalis adduceretur; & pax quidem promulgata fuit hoc an. 1649. Cum autem postea Carolus Casparus de Petra, sive *von der Leyen*, collegii cantor, Philippo Christophoro Trevirensi archiepiscopo datus cum spe succedendi adjutor, a Pontifice non modo confirmatus, sed archiepiscopus etiam Rhodiensis designatus fuisset, ne ad sedem Romanam multo sumtu & labore accedere cogeretur, ab Innocentio

ANNI CHRISTI papa X. Johanni Philippo litteris anno 1651. v. nonas Julii datis commissum, ut ab eo secundum formulæ missæ præscriptum, fidei excipe-
1651. ret professionem : quod & anno postero 1652.
1652. Herbipoli ritu solemni factum, præsentibus tabellione publico & septem testibus, ut ex responsoriis ad Papam die 31. Maii datis fit manifestum. Exinde Pragam, invitante Cæsare, ad Ordinum Imperii comitia Ratisbonæ habenda profectus, ibidem die 9. Nov. præstito coram Saxone, Octovirum seniore, jurejurando, unionem, ut vocant, Electoralem firmavit, & inde Ratisbonam discessit, quo vix tamen ille, sive etiam alius quivis accessisse videtur, præter Imperatorem, qui litteris 17. Dec. ibidem datis, Johannem Philippum rogavit, vellet cum collegis Electoribus de Rege Romanorum eligendo quantocius agere, qui quidem haud cunctatus die 22.
1653. Januarii an. 1653. eisdem conventum ad diem 24. Maii Augustæ Vindelicorum habendum indixit. Ipse igitur illo se contulit tempore præstituto; ac die 18. ejusdem mensis felicibus auspiciis urbem ingressus est. Cumque jam finitæ essent deliberationes, pridie cal. Junii, quo in suffragia itum est, Ferdinandum, Hungariæ & Bohëmiæ regem, Romanorum etiam dixit; quem dein Ratisbonæ die 18. Junii, qua solet magnificentia & pompa sacrorum inunxit, & postea die Augusti 4. Eleonoram Imperatricem, Caroli II. ducis Mantuani filiam, sceptro, diademate, aliisque regni decoribus exornavit, Coloniensi archiepiscopo utrobique intercedente. Ceterum, ut
1654. jura impetraret regalia, Cæsarem die 6. Maii anno 1654. more solemni adiit, & ea, cum fidem obsequiumque sacramenti religione professus esset, jure clientelari accepit. Annus deinde
1657. 1657. graves illi curas ingessit ; mortuo namque die 2. mensis Aprilis Ferdinando III. id primum negotii habuit, ut principibus Electoribus diem novo Cæsari creando indiceret, qui fuit XIV. Augusti. Ac interim controversiam de jure Imperatorem inungendi amica transactione cum archiepiscopo Coloniensi, die 25. Junii his conditionibus finivit, ut quisquis in sua diœcesi, extra utramque vero alternis vicibus partes istas obiret, perageretque. Tum vero Francofurtum perrexit pro Imperatoris electione, ubi confecto tandem pactionis augustalis negotio, itum anno
1658. 1658. die 18. Julii in conclave ; in quo Leopoldus Hungariæ & Bohëmiæ rex more solemni Imperator designatus est; quem dein Coloniensis archiep. ibidem in æde S. Bartholomæi sacris inunxit cæremoniis, Johanne Philippo tum consentiente, tum assistente ; qui fidem suam obsequiumque, missis Viennam legatis, Cæsari jurisjurandi religione professus, anno 1660. die 23. Aprilis ab eodem jura regalia, ritu solemni sub lege beneficiaria consecutus est. Uti vero Moguntiam variis hactenus exornaverat operi-
1661. bus, ita an. 1661. magnis etiam impensis pontem in Rheno struxit, navibus XLII. subjectis fultum, & die 12. Maii vectigali soluto primus pedes, aulicis comitantibus, transivit. Itemque
1665. anno 1665. die 28. Aprilis orphanotrophium

A Moguntiæ statuit, certis reditibus assignatis, postquam ibidem seminarium, quod *Bonifacianum* dicitur, instituisset, in utraque re suppetias ferente Johanne ab Heppenheim collegii principis decano, ac deinde præposito. Ex his porro sat liquet summam in eo præsule pietatem eminuisse, sollicitudinem pastoralem, amorem & liberalitatem in pauperes, & in negotiis publicis tractandis, bonoque patriæ procurando miram prudentiam. Hinc ab ipsius ore consiliisque pendebant plurimi principes tum in Germania, sive catholici, sive Protestantes, tum etiam in Europa pene universa; nam sicut linguas fere omnes Europæ
B apprime callebat, Gallicam, Italicam, Hispanicam, ita quid cujusque gentis reipublicæ interesset, optime noverat. Itaque cum nec suis, nec familiæ suæ commodis inserviret, oblatum a canonicis mense Maio anni 1665. episcopatum Wormatiensem invitus accepit, jubente summo
pontifice Alexandro VII. Idem an. 1667. cantum 1667.
Gregoriano-Moguntinum breviario Romano accomodatum Moguntiæ, Herbipoli & Wormatiæ, quarum insimul ecclesiarum pastoratum gerebat, introduxit; Franciscanisque patribus strictioris observantiæ sedem in oppido Eichsfeldiæ, *Worbis* dicto, ad asceterium statuendum concessit
C anno 1668. die 2. Maii. Quamvis autem curis 1668.
atque laboribus per totam vitam assuetus, rebus ecclesiarum suarum tractandis adhuc sufficeret, boni tamen publici causa, adjutorem sibi, atque adeo in archiepiscopatu successorem dari expetiit; cui desiderio ædis primariæ canonici, ut par
erat, satisfacturi, an. 1670. die 15. Decemb. 1670.
elegere Lotharium Fridericum, episcopum Spirensem, quem in arcem deductum ipse propensissima humanitate & cum gaudio excepit singulari. Hoc autem etiam circiter anno *Graduale* Moguntinum recognosci, & ubi a Romano discrepabat, eidem conformari curavit, quod
D dein typis vulgatum an. 1671. tum in archi- 1671.
diœcesi Moguntina, tum in utroque episcopatu Herbipolensi scilicet & Wormatiensi, communem in usum induxit. Anno subinde 1672. tranquillitati patriæ præmetuens, cum Cæsare, Electoribus Trevirensi & Saxone, antistite Monasteriensi, & Marcgravio Culmbacensi, die X. Febr. societatis, mutuique auxilii fœdus iniit atque contraxit. Herbipoli demum naturæ con-
cessit die 12. Febr. an. 1673. ubi, cum vivens 1673.
non semel dixisset, in qua diœcesi mortem obiret, in ea se mandandum sepulturæ, visum fuit ædis majoris Wirzburgensis collegio, ibidem
E condendum esse. Quare tertio & decimo post die, proxime tumulum Francisci antistitis, gente Hatzfeldiorum prognati, quem in vita maximi semper fecerat, cadaver terræ dederunt, corde tamen, ne Moguntinensibus querendi esset materies, Moguntiam translato, ubi pone principem aram in choro majori infra cistam sanctorum reliquiis plenam, & quatuor æneis columnis impositam, sub lapide ad figuram cordis exciso, terræ illatum fuit die 8. Martii.

ANNI CHRISTI

LII. Lotharius Fridericus.

DE METTERNICH.

Johanne Gerhardo & Maria *von der Leyen* patre & matre an. 1617. die 29. Sept. natus est. Tum an. 1639. Moguntiæ clero principi adscriptus fuit, cum jam esset adlectus Trevirensi, atque Spirensi. Ubique vero morum honestate, prudentiæque laudibus sic inclaruit, ut ad maximos identidem honores emergeret. Et certe is in ecclesia Trevir. summi chorepiscopi tit. S. Petri ornatus fuit dignitate; Spiræ an. 1652. die XI. Aprilis cathedram promeruit; Moguntiæ autem anno 1670. die 15. Dec. ad partem archiepiscopalium curarum sustinendam electus, insulæque magno omnium applausu destinatus fuit adjutor. Antequam vero ad hunc supremi gradum honoris pervenisset, an. 1672. die 21. Martii Johanni ab Heppenheim, dicto *de Saal*, Moguntinæ majoris ecclesiæ præposito subrogatus fuit. Sed anno
1673. tandem insequenti 1673. Johannis Philippi in locum subiit, die 23. Febr. solemni apparatu urbem ingressus; & postquam optimo decessori sacra funebria persolvisset, die 13. Martii a clero maximi collegii in ædium primaria, tum vero in arce S. Martini de more in possessionem immissus est; quem & iisdem diebus primarius apud Vangiones clerus una voce ac mente in antistitem postulavit. Clemens vero papa X. litteris datis die x. Junii ejusdem anni, illius ad restinguendas dissidiorum faces, & ad conciliandos Christianorum principum animos, studium, pietatem ac solertiam, plurimum commendavit. Deinde anno
1674. seq. 1674. Viennam misit Carolum Henricum de Metternich principis collegii scholasticum, jura regalium, ut moris est, petitum, quæ etiam die 8. Augusti a Cæsare, jure fiduciario accepit. Cumque sic omnia stabiliendi honoris munia explevisset, & tam sedi Moguntinæ, quam universo imperio fidem præstaret, immaturo fato e
1675. vivis excessit an. 1675. die 3. Junii, & 25. ejusdem mensis in choro majori sepultus est.

LIII. Damianus Hartardus.

VON DER LEYEN, *seu* DE PETRA.

Ortus est an. 1624. die 2. Martii, parentibus ut stirpe sanguinis, ita pietatis, religionis, vitæque laudatæ ornamentis plusquam vulgaribus apprime conspicuis; patre quidem Damiano dynasta Adendorfensi, & curiæ provincialis Trevirensis præfecto, matre Anna-Catharina, inclita Waltbottiorum a Bassenheim stirpe prognata. Hic primum canonicus Moguntinæ ac Trevirensis ecclesiarum, tum anno 1652. Moguntiæ præpositus ad sanctum Albanum, ac deinde Trevirensis ecclesiæ præpositus, die demum 3.
1675. Julii anno 1675. Moguntinensi cathedræ impositus est, nec multo post, die scilicet duodecima ejusdem mensis postulatus etiam episcopus
1676. Vormat. sacro dehinc oleo anno seq. die 8. Septemb. delibutus est, Petri Philippi episcopi Bambergensis & Wirtzburgensis ministerio, cui collaborabant Johannes Henricus episcopus Hierapolitanus & Stephanus episc. Domitiapolitanus, ille Trevirensis, hic Herbipolensis suffraganei. His autem peractis, anno seq. die 5. Januarii

A dignitatis Electoralis jura Lincii a Cæsare impetravit; ac denique præmatura morte sublatus an. 1678. die 6. Decemb. tumulo illatus est in sacello ædis primariæ, S. Laurentii memoriæ dicato, die 28. ejusdem mensis.

ANNI CHRISTI 1677. & 1678.

LIV. Carolus-Henricus.

DE METTERNICH WINNENBURG & BEILSTEIN

Patrem habuit Willelmum, matrem Eleonoram nobilissimo Bromserorum de Rudesheim genere prognatam, in lucem susceptus die 15. Julii an. 1622. Varios inde consequitur honores; ac primum quidem Moguntinus fuit canonicus ac Trevirensis, dehinc anno 1655. die 15. April.
B Moguntiæ scholasticus renuntiatus est, tum custos ad S. Albanum anno seq. postea vero in ecclesia Trevirensi chorepiscopus S. Castoris in Cardona constitutus, denique an. 1679. die 9. Januarii 1679.
sedis Moguntinæ culmen ascendit, ac die 30. ejusdem mensis in episcopum Vormatiensem postulatus est. Hoc autem anno, die 26. Septemb. Aschaffenburgi ætatis anno 57. apoplexia exstinctus est; unde cadaver Moguntiam devectum, die 25. Octob. in sacello ædis primariæ, S. Lamberti memoriæ consecrato, sepulturæ traditum fuit.

LV. Anselmus-Franciscus.

C DE INGELHEIM.

Primam lucem aspexit anno 1634. die 16. Sept. Coloniæ Agrippinæ, parentibus Georgio Johanne de Ingelheim, & Anna Elisabetha Sturmfederin de Oppenweiler. Ex domicellarium canonicorum ecclesiæ Moguntinensis ordine, in quem anno 1656. receptus erat, anno 1660. capitularium aggregatus fuit collegio. Inde gradum ad majores fecit dignitates; cum enim & consilio spectatus esset ac auctoritate, an. 1674. civitatis Moguntinæ camerarius a Lothario Friderico constitutus, insequenti rerum Erfurtensium administrationem, locum tenentis titulo,
D consecutus fuit; ac tandem an. 1679. die 7. 1679.
Novembris in locum defuncti Caroli Henrici archiep. subrogatus. Confirmatus autem a Pontifice anno seq. bulla data v. idus Martii, palliique honore donatus, dignitatis episcopalis sacram unctionem ipsis calendis Maii suscepit, consecra- 1680.
tionis munus peragente Johanne Henrico episcopo Hierapolitano, Bambergensis & Spirensis episcoporum in pontificii muneris procuratione vicariis, rei divinæ subservientibus. An. 1684. 1684.
die 15. mensis Augusti, viginti annorum induciis Ratisbonæ cum Gallo pactis consensit, ac die 20. Octobris ejusdem anni spectabilem ac pretiosam
E arculam, ex auro solido factam & adamantibus elegantissime distinctam, in grati erga Deum, pacis auctorem, animi significationem, & sacratissimi sacramenti honorem, thesauro ædis metropolitanæ intulit. Ista nihilominus quiete citius, quam opinatus erat, excidit; cum enim Galli an. 1688. 1688.
sublatis induciis, sibi Moguntiam tradi postularent, eisdem, pactione 17. Octobris facta, urbem permisit, seque postea recepit Erfordiam, donec die 9. Sept. an. 1689. ipsi reddita est Moguntia. Interea vero Cæsaris hortatu, Electorum comitiis Augustam Vindelicorum ad 19. Septemb.

ANNI CHRISTI anni ejusdem 1689. convocatis, illic Josephum A Hungariæ regem calculo suo ad amplitudinem regalis Romanorum fastigii evexit die 24. anni 1690. & biduo post inunxit, cum paulo ante, 19. scilicet Januarii augustissimam Imperatricem Eleonoram Magdalenam Theresiam, Electoris Palatini filiam corona redimitam imperatoria inaugurasset. Dehinc an. 1691. sibi coadjutorem adjungi postulavit; quod æquum judicantes ædis summæ canonici, die 19. Aprilis elegere Ludovicum Antonium, supremum militiæ Teutonicæ magistrum, & præpositum Elvacensem, Electoris Palatini filium, ab ipso archiepiscopo 1693.
1694. consecratum; sed cum is an. 1694. die 4. Maii, B ardenti febre confectus Leodii animam exhalasslasset, placuit in ejus locum die 3. Sept. Lotharium Franciscum episcopum Bambergensem subrogare. Denique obiit Anselmus Franciscus As-
1695. chaffenburgi die 30. Martii an. 1695. ibidemque in æde SS. Petri & Alexandri terræ mandatus est juxta Theodorici archiepiscopi sepulcrum; cui subinde heres tumulum honorarium Moguntiæ exstruxit.

DE SCHOMBORN.

LVI. Lotharius-Franciscus.

In humanis esse cœpit an. 1655. die 4. mensis Octobris, patre natus Philippo Erwino domino C in Reichelstberg, archiepiscopi Mogunt. Johannis-Philippi fratre germano, matre Maria-Ursula Greiffenclaw de Volrats. Obtinuit autem tum Herbipoli, tum Bambergæ, necnon & Moguntiæ locum inter primarios istarum urbium canonicos. Dein Bambergæ scholastici majoris dignitate auctus, inde ad ejusdem ecclesiæ fastigium promotus est an. 1693. die 16. Nov. Tum anno seq. die 3. Septemb. ad partem curarum archiepiscopalium sustinendam Anselmo Francisco adjutor datus, eidem paulo post defuncto successit, ac urbem solemni pompa ingressus est,
al. Martii. 1695. die 30. mensis Aprilis anno 1695. solemni D cæremonia inauguratus die 2. Maii, quo etiam anno sub initium Novembris in æde principe sacro dignitatis episcopalis charactere insignitus est, Matthia episcopo Coronensi inaugurante, Spirensi autem suffraganeo & tribus abbatibus pontificio habitu assistentibus. Erfordiam anno

1700. novis munitionibus firmavit, insequenti mense Febr. jura regalia ritu solemni a Leopoldo Cæsare consecutus. Anno 1707. sponsam futuri Imperatoris Caroli Elisabetham Christianam, ducibus Brunsvico-Luneburgicis prognatam, ipsis calendis Maii Bambergæ in templo cathedrali, ejuratis Protestantium sacris, fidem secundum ecclesiæ Romano-catholicæ formulam publice professam, in ejusdem sinum recepit, solemnique ritu inauguravit. Hoc etiam anno jus regalium die 29. Julii a Josepho imperatore, cum fidelis obsequii sacramentum de more dixisset, impetravit. Ceterum habuit anno seq. 1708. coadjutorem in cathedra Bambergensi Fridericum Carolum de Schomborn suum nepotem, electum die 13. Decembris; cumque & in Moguntina an. 1710. suæ pariter auctoritatis consortem expetiisset, die 5. Novembris summus ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam magister, archiepisc. Trevir. episcopus Vormatiensis, & Uratislaviensis (Breslau) Franciscus-Ludovicus, comes Palatinus Rheni, & dux Bavariæ electus fuit. Dehinc anno seq. mortuo 17. Aprilis Josepho Imperatore, Carolum VI. die 12. Octob. in conventu Ratisbonæ habito, calculo suo Cæsarem designavit, inunxitque die 22. Dec. Sacravit autem die 10. Nov. an. 1720. Herlipolensem episcopum Johannem Philippum Franciscum ex fratre nepotem in ipsa Herbipolensi ecclesia cathedrali. Idem Moguntiæ pauperum hospitium exstrui curavit, dotavitque, primo ejusdem lapide anno 1721. die 15. Novemb. posito; necnon alia plurima ad urbis decorem & commodum perfecit. Denique fato functus est die 30. Januarii an. 1729. ætatis 74.

ANNI CHRISTI 1700. 1707. 1710. 1720.

LVII. Franciscus-Ludovicus. DE NEUBOURG.

Hic princeps Palatinus Rheni, frater principis Electoris Palatini & Augustæ uxoris Leopoldi Ignatii imperatoris, archiepiscopus Trevirensis, & Uratislaviensis, ac Vormatiensis antistes, necnon præpositus Elwangensis, coadjutor Moguntinensis electus die 5. Novemb. an. 1710. & a Pontifice confirmatus an. 1712. die 12. Octobris, per obitum decessoris omnimodam assecutus est administrationem.

DE PRIMA POST ARCHIEPISCOPUM DIGNITATE,
seu DE PRÆPOSITIS ECCLESIÆ MOGUNTINÆ.

I. Theodoricus I. vir nobilis ac E eruditus, majoris ecclesiæ Moguntinensis præpositus fuisse scribitur tempore Ruperti archiepiscopi Mog. anno circiter 960. Hic ecclesiam S. Gingolfi, quæ nunc arcis templum est, pro 12. fratribus construxit ac dotavit; posteaque Trevirorum archiepiscopus constitutus 965. obiit Moguntiæ anno 970. tumulatus ad ecclesiam collegiatam S. Gingolfi, *seu* Gangolfi, de qua supra.

II. Megingaudus & Meingaudus floruit anno 990. qui post hæc ab Henrico II. imperatore Trevirorum item archipræsul creatus an. 1008. e vivis excessit Confluentiæ, *al.* Cophelenci an. 1016. in vigilia Natalis Domini, sepulturæ locum apud Treviros nactus. *Megingoz* dicitur in necrologio, VIII. cal. Jan.

III. Thietmarus, venerabilis sanctæ Asenbrunnensis ecclesiæ episcopus, servus S. Mauritii in Magdaburgo, & prius utilis Moguntiæ & Aquisgrani præpositus, caligine quadam obfuscante, lumen hoc visibile in priore perdidit anno; ita Ditmarus Merseburgensis, lib. 7. pag. 416.

IV. Embricho I. comes Leyningensis, occurrit *præpositus Novi-monasterii in Maguntia*, an. 1056. & summus præpositus 1064. quo anno fit episcopus Augustanus, Henrici IV. imperatoris promotione. Moritur autem an. 1077. die 30. Julii.

V. Hermannus I. *al.* Ricimannus Embrichoni in præpositura successit an. 1064. factus anno seq. episcopus Bambergensis.

VI. Razo decanus an. 1064. præpositus laudatur 1069. in litteris cœnobii S. Petri in Erfordia, & in aliis S. Jacobi Mogunt. an. 1070. Vocatur autem archipræpositus in necrol. ecclesiæ Mogunt. apud Schannatium, calendis Febr.

VII. Godeboldus, testis adducitur an. 1090. in litteris Ruthardi archiepiscopi pro Sant-Albanensibus, & in aliis cœnobii sancti Jacobi ann. 1092. & 1096. itemque in fundatione cœnobii Chomburgensis; ac denique 1097. in tabulis pro Sant-Albanensibus, & 1099. in litteris Ruthardi archiepisc. pro ecclesia S. Stephani. Memoratur autem diaconus & præpos. S. Martini pridie nonas Octobris, in necrol. ecclesiæ Mogunt. apud Schannatium.

VIII. Embricho II. legitur præpositus 1104. in litteris Ruthardi archiepisc. pro abbatia S. Petri in Erfordia, & 1108. in aliis ejusdem litteris pro monastario S. Disibodi.

IX. Anshelmus innotescit ex litteris monasterii S. Jacobi Mogunt. ann. 1112. & 1122.

X. Dudo, major præpos. ecclesiæ Mogunt. occurrit 1122. in tabulis Adelberti I. archiep. monasterium Elvenstatense confirmantis. Testis etiam est in litteris ejusdem archiep. pro S. Remigio Remensi anno 1124. & iterum eodem anno in dotatione monasterii Sponheimensis. Is autem est fortasse Bubo memoratus præpositus in necrol. eccl. Mogunt. apud Schannat. IV. nonas Junii.

XI. Richardus legitur major præpositus in litteris Adelberti I. archiepiscopi, pro S. Disibodo an. 1127.

XII. Henricus I. dictus *Felix*, majoris & S. Victoris ecclesiarum præpositus reperitur an. 1130. in charta Adelberti archiepisc. præposituram S. Johannis Bapt. in Ringavia in abbatiam erigentis; itemque 1139. in charta Adelberti II. archiepiscopi pro ecclesia collegiata S. Petri Mog. & adhuc 1141. Eligitur autem in archiepiscopum an. 1142.

XIII. Hartmannus & Haritmannus, major præpos. eccl. Mogunt. testis est 1143. in tabulis Henrici archiepisc. pro ecclesia S. Victoris; dicitur de Domo & S. Stephani præpositus 1147. in chartis ejusdem Henrici pro ecclesia collegiata S. Petri, & 1150. pro fundatione prioratus de Offenbach. Item anno seq. in charta cœnobii S. Jacobi, & annis 1152. & 1158. in litteris cœnobii S. Ruperti; ac denique 1160. in tabulis Arnoldi archiep. his verbis: *Hartmannus præpos. S. Martini & S. Stephani.*

XIV. Christianus I. comes de Buche, canonicus majoris, & beatæ Mariæ Virg. ad Gradus præpositus, fuit etiam præpositus metropolitanus, antequam esset archiepiscopus, uti supra legere est, col. 477.

XV. Arnoldus occurrit præpositus 1170. in litteris cœnobii Erbacensis, & in aliis parthenonis S. Ruperti ann. 1171. 81. & 87. atque etiam 1184. in charta ecclesiæ S. Mauricii Mog. adhuc superstes & præpositus 1193. Fortasse vero idem est ac *Arnolt* memoratus presbyter & præpositus in necrol. eccl. Mogunt. XI. cal. Jan.

XVI. Conradus (de Isenburg)[a] occurrit 1196. in tabulis Conradi I. archiepisc. quibus filialem *Gosbach* ad parochialis evexit honorem, & adhuc 1200. & 1213. in litteris Sifridi II. archiep. pro fratribus S. Albani.

XVII. Philippus nominatur præpositus in litteris Sifridi II. archiep. Mogunt. an. 1215. quibus cœnobio S. Ruperti omnia privilegia ab antecessoribus data confirmat.

XVIII. Henricus II. comes de Staleck, *al.* de Staheleck e cantore an. 1216. factus præpositus, nominatur in litteris anni 1217. quibus a sede apostolica delectus fuit ad finiendam quamdam controversiam inter capitulum S. Victoris & præpositum in Gottesthal. Interfuit etiam confirmationi ac dotationi monasterii S. Catharinæ prope *Crucenacum* anno 1219. itemque confirmationi parthenonis in Schmerlenbach eodem anno, superstes an. 1220. ex Gelenio, lib. 1. vitæ S. Engelberti, pag. 88.

XIX. Poppo ex decano præpositus an. 1220. jussu Sifridi archiepisc. canonicos S. Petri in corporalem possessionem ædis ad Heymerammum immisit. Vocatur *Popelinus major præpos.* anno 1222. in litteris ejusdem Sifridi, X. cal. Dec.

XX. Gerbodo, decanus 1222. fit præpos. anno seq. Poppone defuncto. Anno 1224. dicitur præpositus majoris, 1227. major præpositus & præpositus S. Petri. Idem an. 1234. bona quædam in Heimbach, quæ a præpositura fuerant alienata, vindicavit, eaque fratribus in præbendarum augmentum attribuit. Fatis concessit anno seq. IV. idus Novemb. ex necrol. ædis majoris.

XXI. Christianus II. ex decano sub annum 1224. necnon S. Victoris præposito, fuit præpositus majoris an. 1236. Memoratur ecclesiæ Mogunt. major præpositus, sed prima tantum sui nominis littera C. connotatus an. 1238. in tabulario S. Remigii Remensis. Citatur autem cum integro nomine an. 1247. in litteris monasterii S. Jacobi; ac denique post biennium eligitur archiepisc. Moguntinus.

XXII. Wernerus comes de Eppenstein, ex cantore in præpositura Christiano successit anno 1247. simul præpositus S. Petri & B. Mariæ Virg. ad Gradus. Reperitur adhuc 1259. pridie nonas Martii, in chronico Hirsaug. pag. 601. quo anno in archiepiscopum electus est.

XXIII. Sigefridus *vel* Sifridus baro a Westerburg, canonicus Moguntinus & Coloniensis, occurrit præpositus ab an. 1262. ad 1275. quo creatus est Coloniensis antistes.

[a] Vocatur *de Moguntia* hoc anno 1196. indict. XIV. in charta Conradi archiep. pro monast. Halnensi.

XXIV.

XXIV. Petrus Reich de Reichenstein Sifridi A successor factus an. 1275. præpositus item Basileensis, ac deinde præsul ejusdem ecclesiæ 1286. obiit 1296. die 6. Septemb. Basileæ sepultus in sacello beatæ Mariæ Virg. quod est in æde majori.

XXV. Fridericus baro de Eppstein Petro successit an. 1286.

XXVI. Bertelinus, *sive* Bartholinus, cognomento *de Canali*, reperitur ann. 1322. 26. & 42. quo anno donavit ecclesiæ Moguntinæ decimas vini in tractu inferioris Olmenæ.

XXVII. Johannes I. de Columna ex primaria Romana nobilitate, vir alioquin magnarum virtutum, creatus cardinalis an. 1322. a Johanne XXII. & basilicæ Lateranensis archipresbyter, occurrit præpositus Moguntinus an. 1345. VI. nonas Martii. Obiit 1348. die 3. Julii, testante Alberto Argentinensi ad hunc annum his verbis: *Mortuo Johanne de Columna cardinali, præposito ecclesiæ Mogunt. prædictus Cuno de Walckenstein & Reinhardus de Spanheim canonici ecclef. Mog. in discordia sunt electi.*

Baluz. in not. ad vitas Pap. Aven. col. 768.

XXVIII. Cuno dominus de Falckenstein & in Muntzenberg, canonicus Moguntinus, & ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi Francofurtensis præpositus, omisso Reinhardo, Johanni de Columna successisse dicitur anno saltem 1351. quo tenuit etiam Moguntinensis ecclesiæ administrationem ab anno 1348. post obitum Conradi de Kirckel. Abdicavit postmodum præposituram, sed non ante an. 1354. Tum vero Trevirensis antistes creatus est an. 1362. itemque Coloniensis adjutor 1368. ad biennium; tandemque an. 1388. die 21. Maii in arce Welmich defunctus est.

XXIX. Guilhelmus Pintschon, Francigena, vir apud Pontifices Romanos, propter ingenii dotes, maximæ auctoritatis ac venerationis, quanquam post obitum Johannis de Columna præposituram a Clemente VI. pontifice contra Cunonem de Falckenstein obtinuerat, & eo nomine an. 1351. die XI. mensis Nov. jus patronatus septem ecclesiarum parochialium, ædis primariæ canonicis concesserat, attamen, cum Cuno, quominus in quietam muneris hujus veniret possessionem, obsisteret, pro bono pacis eidem cessit, annua sibi pensione promissa: supersunt enim litteræ Gerlaci archiepiscopi an. 1354. penultima mensis Jan. scriptæ, in quibus duo florenorum millia boni & puri auri de reditibus præposituræ quotannis Pintschonio Parisiis in abbatia S. Genovefæ numeranda diserte assignata leguntur. At Cunonis demum cessione Guillelmus præposituram consecutus est; qua quidem fungens dignitate, ecclesiæ Moguntinæ multa præstitit beneficia, ejusque *præsentias*, ut vocant, plurimum auxit. Anno 1358. qua præpositus, sententiam super lite monasterii Erbacensis cum incolis villæ superioris Heimbach ferendam commisit Gerlaco archiepiscopo. Denique cessit e vita anno 1360. nonis Octobris, ante aram sancti Petri in ecclesia Moguntina sepultus.

XXX. Andreas dominus de Brauneck occurrit annis 1376. 77. & 79. quo anno necdum a Pontifice in hac dignitate confirmatus fuerat; Adolfus enim archiepisc. litteris Altævillæ hoc anno datis feria V. post festum Omnium SS. ei promittit, se ex eo die usque ad festum Pentecostes anni futuri confirmationem ejus a Clemente papa impetraturum; quod si vero interea Clemens abeat e vivis, aut papatum jure haud retineat, Urbanusque remaneat Pontifex; se eam obtenturum ab eodem Urbano. Anno 1387. præbendas, atque *præsentias*, ut vocant, non mediocriter auxit. Interiit anno 1391. die B 20. Aprilis, in ecclesia majori sepultus ante aram Trium Regum.

XXXI. Philippus de Alenconio S. R. E. cardinalis, filius Caroli de Valois comitis d'Alençon an. 1346. in prælio Cressiaco occisi, & Mariæ de Lacerda Hispanæ, comitissæ Biscaiæ, eligitur præpositus Sabbato post diem S. Urbani papæ, hoc est, die 28. Maii an. 1391. Fuit episcopus Bellovacensis, deinde Auxitanus archiep. postea Rothomagensis; Sabinensis quoque & Ostiensis episcopus, necnon præpositus S. Bartholomæi Francofurtensis. Obiit 1397. VIII. cal. Sept. sepultus ad S. Mariam trans Tiberim, insigni C marmore cum ejus effigie & clypeis, tumulo super aram ab ipso exstructam parieti affixo, cum sequenti epitaphio:

Francorum genitus regia de stirpe Philippus
Alenconiades, *Ostiæ titulatus ab urbe*,
Ecclesiæ cardo, tanta virtute reluxit,
Ut sub supplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum C. quater, adde sed I ter*
Occubuit, qua luce Dei pia virgoque mater.

* legendum *abde* autumat Georgius Christianus Johannis.

XXXII. Guntherus comes de Schwartzburg an. 1402. die 4. mensis Aprilis, Othonem de Falckenberg canonicum, majoris, ut vocant, præ- D posituræ cellerarium constituit; quo etiam anno præposituræ procurationem dedisse Johanni episc. Slesvicensi, ejusque fratri Hermanno Schindeleb patet ex illorum litteris hoc anno datis in octava Epiphaniæ Domini. Ex præposito electus est archiepiscopus Magdeburgensis anno seq.

XXXIII. Johannes II. de Schoneburg ex scholastico factus præpositus an. 1403. abdicasse videtur 1405. aut insequenti. Obiit 1414. die 9. Julii, in sacello S. Nicolai ecclesiæ Mog. sepultus.

XXXIV. Godefridus, *sive* Josfridus comes Leiningensis, Coloniæ ædis metropolitanæ cus- E tos, fuit præpositus Moguntinus 1407. Sabb. ante diem S. Francisci, 1408. & 1410.

XXXV. Wilhelmus comes de Nassaw, ex cantore successit Godefrido præposito an. 1410. Decessit 1430. die 18. Apr. ante aram Trium Regum sepultus, cum patre, matre & sorore.

XXXVI. Henricus III. comes de Nassaw, Wilhelmi frater, Monasteriensis & Bonnensis ecclesiarum præpositus, Moguntinensis etiam reperitur an. 1431. in pervigilio S. Thomæ apostoli, & 1439 die S. Hippolyti, qua compositionem fecit cum collegio metropolitano, cujus

hæc summa est, ut retentis præpositur æ ædibus, jurisdictione ecclesiastica, atque sigillo præposituræ, ad dies vitæ quotannis 800. aureis Rhenensibus, & duobus plaustris vini, uno Francico, & altero Hunico contentus esse velit; collegium vero reditus præposituræ colligat, præbendas, vicarias & beneficia a præpositura dependentia conferat, debita contracta dissolvat, & si qua sunt alia. Occurrit adhuc præpositus annis 1453. & 1475. Sepultus est Bonnæ in sacello S. Barbaræ.

XXXVII. Theodorus Palæologus ex familia Palæologo-Orientalium imperatorum originem trahens, Johannis Jacobi Montis-Ferrati & Johannæ a Sabaudia filius, ex decano collegiatæ S. Mariæ Sallutiarum, protonotarius apostolicus, deinde titul. S. Theodori diaconus cardinalis, præposituram nactus post Henricum, vixit an. 1478. canonicus item sancti Stephani Mogunt. Obiit an. 1481. *al.* 1484. XII. cal. Febr. Astæ in Lombardia sepultus.

XXXVIII. Johannes-Jacobus Sclafenatus, patria Mediolanensis, tit. S. Stephani in Cæliomonte S. R. E. presbyter cardinalis, & episc. Parmensis, Theodoro in præpositura successor datus, eamdem resignavit Philippo Palatino an. 1490. Romæ diem ultimum obiit 1497. IV. idus Decemb. in ecclesia sancti Augustini reconditus.

XXXIX. Philippus I. comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, ex cessione Johannis Jacobi cardinalis, præpositus evasit Moguntinensis ecclesiæ; fuit etiam præpositus S. Albani; sed cum postea creatus esset Frisingensis episcopus, an. 1499. præposituram fratri suo transcripsit.

XL. Georgius I. comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, Moguntinæ, Coloniensis, Trevirensis ac Spirensis ecclesiarum canonicus, ex resignatione fratris præpositus factus an. 1499. ac postmodum Spirensis episcopus 1513. obiit tandem an. 1529. die 27. 28. aut 29. Septemb. Spiræ in majori ecclesia tumulatus.

XLI. Johannes Albertus marchio Brandeburgensis, Moguntinæ & Coloniensis ecclesiarum canonicus, post Georgium defunctum præposituram adeptus est an. 1529. Alberti cardinalis & archiepiscopi nominatione. Verum Marquardo a Stein de eadem proviso, ultro resignavit anno seq. ipse postmodum custos ejusdem ecclesiæ factus.

XLII. Marquardus a Stein, antiquitus *Klingenstein* ex Suevia, post liberam cessionem Johannis Alberti præpositus factus anno 1530. præpositus item Bambergensis & Augustensis, necnon B. M. Virg. ad Gradus, ac S. Victoris Moguntiæ, ac insuper canonicus majoris, & sacræ Cæsareæ majestatis consiliarius, obiit Augustæ an. 1559. die 14. Januarii, ibidem in ecclesia cathedrali sepultus.

XLIII. Richardus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, princeps Simmeranus, Moguntinæ, Coloniensis & Argentinensis ecclesiarum canonicus, Marquardo successit an. 1559. Postmodum etiam præpositus Argentinensis electus, & collegiatæ ad S. Victorem Mogunt. ecclesiæ, tandem an. 1562. resignavit, cleroque valedicens uxorem duxit.

XLIV. Alexander Fugger baro de Kirchberg & Weissenhorn, præpositus Frisingensis & S. Victoris extra mœnia Moguntina, cessione Richardi præposituram adeptus fuit an. 1562. licet de gremio ecclesiæ Moguntinæ non esset, quam deinde an. 1564. die 3. Oct. ad manus collegii metropolitani dimisit.

XLV. Johannes-Andreas Mosbach de Lindenfels, ex decano præpositus eligitur a capitulo an. 1564. die 3. Novemb. Cantor item S. Albani, ac S. Victoris canonicus, necnon judicii secularis camerarius, obiit in Reinheim die 5. Maii an. 1571. Moguntiæ in sacello S. Michaëlis ecclesiæ majoris sepultus.

XLVI. Wolfgangus camerarius de Wormatia, dictus *a Dalberg*, ex scholastico præpositus an. 1571. die 1. Junii, præpositus item Spirensis, ac S. Albani Moguntiæ custos, necnon B. Mariæ Virg. ad Gradus ibidem canonicus, factus tandem archiep. Mogunt. an. 1582. die 20. Aprilis præposituram resignavit.

XLVII. Georgius II. a Schonnenburg, ex decano Moguntinensi & episcopo Wormatiensi præpositus Moguntinus eligitur an. 1582. die 29. Octobris. Præpositus item cathedralis Spirensis & B. Virg. ad Gradus, necnon S. Albani, & S. Victoris, atque etiam Trevirensis canonicus, obiit Spiræ in conventu imperiali Rudolfi II. Cæsaris vices gerens an. 1595. die XI. Augusti, unde Wormatiam advectus, in sacello S. Georgii ecclesiæ cathedralis tumulatus fuit.

XLVIII. Philippus II. Cratz a Scharpffenstein, ex decano item præpositus ordinatur post obitum Georgii an. 1595. die 25. Septemb. Præpositus item Wormatiensis, ac S. Bartholomæi Francofurtensis, necnon Moguntiæ ad S. Victoris & S. Albani canonicus, in episcopum Vangionum eligitur an. 1604. die 4. Maii.

XLIX. Georgius Fridericus Greiffenclaw a Volrats, ex scholastico præpositus designatur an. 1604. die 5. Aug. Præpositus item Wormatiensis, & S. Albani Moguntiæ custos, necnon cathedralis Spirensis cantor primum, dein præpositus, itemque S. Victoris & B. Virg. ad Gradus Mogunt. ecclesiarum canonicus, in episcopum Wormatiensem eligitur die 15. Sept. an. 1616. & an. 1626. die 21. Octob. sedi Moguntinæ imponitur, quam cum iniisset, præpositura se abdicavit.

L. Antonius Waltbot de Bassenheim, metropolitanæ Moguntinensis cantor, chorepiscopus & canonicus Trevirensis, S. Albani & collegiatæ Moxstadensis præpositus, tum vero judicii secularis Moguntiæ camerarius, in præpositum electus fuit an. 1627. die 7. Junii; obiit autem 1629. die 22. Septemb. in sacello ædis majoris, quod S. Magno sacrum est, humatus.

LI. Johannes Reinhardus de Metternich, Trevirensis, Magdeburgensis, &c. canonicus, Francofurti ad S. Bartholomæum, &c. præpositus, sacræ Cæsareæ majestatis ac eminentissimi Electoris Mogunt. consiliarius, &c. ex cantore

fit præpositus Mog. an. 1629. die 29. Octob. A An. 1635. legati titulo magni momenti negotia expediit apud Cæsarem, & an. 1638. die 1. Jan. mortem oppetiit, in ædis metropolitanæ sacello S. Lamberti tumulatus.

LII. Georgius-Antonius de Rodenstein, episc. Wormat. decanus Mogunt. præpos. Spirensis & S. Albani, necnon B. M. Virg. ad Gradus canonicus, an. 1638. die 10. Febr. præpositi Moguntinensis honores capessivit. Vitam cum morte commutavit an. 1652. die 29. Octob. funeratus die 13. Novemb. in sacello ædis majoris, S. Bonifacii memoriæ sacro.

LIII. Adolfus Hund de Saulheim cathedralis B Spirensis canonicus, & ibidem ad S. Germanum præpositus, Equestris ad S. Albanum, collegiatarum S. Victoris & B. M. Virg. ad Gradus, necnon Herbipoli ad S. Burchardum canonicus, ex decano majori præpositus factus an. 1652. die 10. Decemb. interiit an. 1668. die 29. April. in sacello novo B. M. Virg. terræ mandatus.

LIV. Johannes ab Heppenheim, dictus *a Saal*, præpositus Wormat. & canonicus Herbipolensis, &c. ex decano præpositi muniis admotus fuit post obitum Adolfi. Vivendi finem fecit an. 1672. die 3. Febr. tumulo conditus in sacello S. Barbaræ, quod in æde est metropolitana. C

LV. Lotharius Fridericus de Metternich in Burscheid, episcopus Spirensis, supremus chorepiscopus Trevirensis titulo S. Petri & coadjutor Moguntinus, præpositi majoris munus consecutus est die 21. Martii an. 1672. quod, cum anno seq. in solium archiepiscopale ascendisset, dimisit.

LVI. Theodorus Caspar de Furstemberg, metropolitanæ Moguntinensis, cathedralis Spirensis, ac S. Albani Moguntiæ canonicus, præpositi majoris dignitate auctus fuit an. 1673. die 5. April. quam anno 1675. die 21. Sept. cum vita deposuit. Corpus in sacello basilicæ D majoris, sancti Johannis-Bapt. sacro conditum est, exta vero, lapide judice, in sacello præposituræ.

LVII. Marquardus Schenck de Castel episcopus Eichstadensis, ex canonico majoris præpositus major effectus an. 1675. die 6. Nov. Ratisbonæ vita defunctus est an. 1685. die 18. Jan. Eichstadii in æde cathedrali juxta aram principem sepultus.

LVIII. Johannes Wilhelmus L. B. Wolf, dictus *Metternich in Gracht*, Paderbornensis & Monasteriensis ecclesiarum canonicus, ex decano in locum Marquardi præpositi subiit anno 1685. E die 20. Febr. Fatis concessit an. 1694. die 15. Dec. tumulatus in æde majori ad gradus chori ferrei ante aram B. Virg. ad cælos assumtæ, quam ipse ab integro sumtuose statuerat.

LIX. Christophorus Rudolfus L. B. de Stadion, metropolitanæ Mogunt. decanus, S. Bartholomæi Francofurti & S. Albani Moguntiæ præpositus, &c. designatus fuit præpos. Moguntinensis major an. 1695. die 10. Januarii, qui præter alia opera laude perenni digna, ædes præpositi, veteri domicilio dejecto, a fundamentis quam splendidissime excitavit. Obiit an. 1700. die 17. Januar. in choro ferreo sepultus.

LX. Henricus Ferdinandus L. B. von-der-Leyen in Nickenich, Moguntinæ & Trevirensis metropolitanarum, necnon cathedralis Eichstadensis canonicus, amplissimam præpositi majoris dignitatem adeptus est an. 1700. die 16. Febr. Præsulatum Eichstadensem an. 1704. unanimi suffragio sibi delatum suscipere recusavit. Defunctus est an. 1714. die 8. Martii, in æde principe ante Epitaphium, quod opere sumtuoso vivus sibi erexerat, funeratus.

LXI. Johannes-Philippus-Franciscus S. R. J. comes de Schomborn Bucheim, dominus in Reichelsberg, præpositus cathedralis Herbipolensis, & Francofurti collegiatæ ad S. Bartholomæum, &c. Henrici Ferdinandi successor e canonico factus an. 1714. die 4. Apr. ad Wirzburgensis episcopatus fastigium provehitur an. 1719. die 18. Sept. An. 1722. simul episcopus ac præpos. Mog. concordiam iniit cum abbate Fuldensi.

SEQUUNTUR ALIQUOT PRÆPOSITI; quorum ætas ignoratur.

RUBERTUS præpositus & Benno conversus memorantur XVIII. cal. Febr. in necrolog. ecclesiæ Mogunt. apud Schannatium, libro, cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*.

Waltherus præpos. VIII. cal. Martii, *ibid.*

Egilolfus præpos. & diaconus, V. cal. Martii, *ibid.*

Wacelinus præpos. VIII. idus Martii, *ibid.*

Humbertus diaconus & præpos. V. idus Martii, *ibid.*

Turimbertus magister & præpos. XVI. calend. Aprilis, *ibid.*

Berwardus diaconus & præpos. duas *carradas* vini in monte Zedal, quod est juxta Bingam, idibus Aprilis, *ibid.*

Gunzelinus presbyter & præpos. XI. cal. Maii, *ibid.*

Regizo presbyter & præpos. IX. cal. Maii, *ibid.*

Burchardus, præpos. & diaconus, in necrol. ecclesiæ Mogunt. apud Schannatium, VII. idus Maii.

Ruodbertus præpos. III. idus Julii, *ibid.*

Hacechinus diaconus & præpos. XVII. calend. Septemb. *Panis, caro & mensura vini, tantumdem singulis calendis intrantibus, Scornesheim.*

Ebo præpositus & diaconus, XII. cal. Sept. *ibid.*

Rudelo præpositus, IV. cal. Septemb. *ibid.*

Drubertus presbyter & præpos. VI. idus Sept. *4. uncias de curte sua.*

Thiemo præpositus, XIV. cal. Octob. *ibid.*

Heriman & Huogozo presbyteri & præpositi, V. nonas Octob. *ibid.*

Ruthardus præpositus bonæ memoriæ, *de Binga 5. solidos*, VII. idus Octob. *ibid.*

Hugizo præpos. XV. cal. Novemb. *ibid.*

Hezelinus præpositus, 2. idus Nov. *ibid.*

Wicel præpos. XV. cal. Decemb. *ibid.*

Chunradus diaconus & præpositus VII. cal. Decemb. *ibid.*

Bezelo præpositus & diaconus, *XI. libras* A *Gisenhreim*, IV. idus Decemb. *ibid.*

Lanzo presbyter & præpos. XII. calend. Jan. *ibid.*

Jacobus de Nortmannis citatur in *libro animarum* ecclesiæ Mogunt. VIII. cal. Decemb. itemque in catalogo canonicorum MS. *ita Helwichius* in elencho Præpositorum, apud Georgium Christianum Johannis.

Gerbodo, in *libro animarum* ecclesiæ Mog. ad diem 12. Novemb. *ibid.* Hunc autem asserit Georgius Christianus Johannis eumdem esse cum Gerbodone superiori ad an. 1222.

Sifridus comes de Runckel præpositus nominatur in *libro animarum* eccles. Mogunt. qui in octava S. Catharinæ virg. legavit 12. libras Hal. Hic autem idem esse videtur Georgio Christiano Johannis ac Sifridus de Westerburg ad annum 1262.

Gysselbertus a Rheinberg præpositus Mog. citatur in *libro animarum* eccl. Mog. cujus in anniversario 30. siliginis maldra cedunt deservienda, *ibid.* Hunc tamen præpositum, non Moguntinum, sed Limpurgensem existimat Georgius Christianus Johannis.

Scaffridus comes de Leyningen, *al.* Gotfridus, cujus memoria habetur in *libro animarum* ecclesiæ S. Andreæ Wormatiensis, *ibid.*

DECANORUM ECCLESIÆ MOGUNTINÆ SERIES.

I. S. JUSTINUS innotescit ex breviori charta B pergamena, quæ an. 1614. cum reliquiis hujus sancti reperta est in ecclesia S. Mauricii Mog. collegiata, his verbis: *Reliquiæ S. Justini olim decani Moguntini.*

II. Razo decanus an. 1064. in litteris Wezzilonis canonici S. Victoris, deinde major præpositus.

III. Rupertus, *sive* Ruobertus in duabus Sifridi II. archiepiscopi litteris an. 1069. pro monasterio S. Petri in Erfordia vocatur *decanus & præpositus.*

IV. Volckoldus occurrit in litteris Ruthardi C archiepiscopi Mog. Cambergense monasterium in dioecesi Augustana situm anno 1090. confirmantis. Testis etiam laudatur in tabulis monasterii S. Jacobi Mog. datis ab eodem archipræsule an. 1092. super donatione decem librarum & quinque solidorum in Lorch, in quibus alio nomine *Volcolt* appellatur. Is est proinde Wolcholdus decanus & præpositus IV. idus Novemb. memoratus in necrol. eccl. Mog. apud Schannatium.

V. Thromarus laudatur in tabulis Ruthardi D archiep. an. 1099. quibus ordinavit ut textores Moguntini porticum ædis S. Stephano dedicatæ occidentalem renovarent, & quotiescumque necesse foret repararent.

VI. Ceizolfus, *al.* Ceiholfus, *vel* Zeizolfus testis est in charta coenobii S. Jacobi Mogunt. an. 1112. super donatione allodii cujusdam in *Weilbach.* Item citatur in tabulis Adelberti I. archiep. pro canonicis S. Mariæ an. 1119. & adhuc in privilegio ejusdem Adelberti civibus dato circiter an. 112.. quod valvis æneis in Gradibus B. Virg. Mog. incisum legitur. E

VII. Cuno I. *decanus de Domo* appellatur in charta Adelberti I. archiepisc. pro abbatia Sponheimensi, nostra inter instrumenta ad an. 1124. (Ch. VI. col. 445.) Custos etiam & decanus legitur anno 1130. in charta ejusdem Adelberti præposituram S. Johannis Bapt. in Ringavia in abbatiam erigentis, ac denique 1133. in tabulis ejusdem pro fratribus S. Victoris.

VIII. Hartmannus decanus citatur in secunda confirmatione privilegii Adelberti I. archiepisc. data civibus an. 1135. ac valvis æneis B. M. Virg. in Gradibus Moguntiæ incisa. Idem anno 1139. testis est in litteris Adelberti II. pro fratribus S. Victoris; & adhuc legitur decanus majoris ecclesiæ, ac S. Stephani præpositus anno 1143. in litteris Henrici I. archiep. quo denique anno ex decano præpositus evasit.

IX. Gerlaus, *sive* Gerlacus majoris ecclesiæ decanus reperitur an. 1144. in litteris Henrici I. archiepisc. quibus coenobio Erbacensi quosdam contulit mansos; & in aliis ejusdem, anno seq. Santalbanensium in gratiam editis, in hæc verba: *Gerlaus decanus majoris ecclesiæ & præpositus S. Victoris;* & adhuc 1147. eodem modo in tabulis ejusdem pro ecclesia collegiata S. Petri. Quod autem postea decanatu se abdicarit, ex eo patet, quod in litteris ejusdem Henrici, quibus an. 1151. monasterium Arnsburgense stabilivit, & in aliis Arnoldi itidem archiepiscopi datis an. 1158. solum dicatur *præpositus S. Victoris.*

X. Henricus I. *decanus de Domo* legitur an. 1152. in litteris Henrici I. archiep. pro Erbacensibus.

XI. Hartwinus ex cantore decanus occurrit in tabulis Arnoldi archiepisc. quibus an. 1155. donationem collegio in Northen factam ab archiepiscopo Luitpoldo confirmavit.

XII. Sigelo & Sigelous occurrit an. 1158. in tabulis Arnoldi archiepisc. Moguntini pro parthenone S. Ruperti. *Decanus de Domo B. Martini* appellatur in litteris ejusdem Arnoldi, quibus an. 1159. canonicis S. Stephani parochialem ecclesiam Munsterliederbacensem vindicavit; & in aliis anni 1160. *Sigelo decanus & camerarius* dicitur.

XIII. Heidenricus ex canonico decanus major effectus, testis est in litteris Christiani I. archiepiscopi, quibus an. 1170. curiam monasterii Erbacensis, vocatam *Bircken*, liberam esse & ab omni *albergariæ* onere immunem pronuntiat. Porro is esse videtur Henricus, qui ex cantore *decanus de Domo* nominatur in tabulis ejusdem

Christani, quibus anno 1171. piam Ludovici Thuringiæ Landgravii erga S. Stephani canonicos voluntatem complexus est. In aliis autem pluribus instrumentis modo *major decanus*, modo *decanus majoris ecclesiæ* appellatur. Idem Henricus testis est in traditione molendini cujusdam facta cœnobio S. Ruperti juxta Pinguiam, *seu* Bingam per abbatem S. Albani Mog. an. 1181. Laudatur etiam in tabulis ecclesiæ sancti Mauricii Moguntini anno 1184. Adfuit insuper 1188. cum Wodalrico Constantiensi præposito, quando Conradus episc. Sabinensis & archiepisc. Mog. in monasterio S. Galli mutuam cum Sangellensi conventu societatem renovavit. Denique annis 1195. & 96. in litteris ejusdem Conradi dicitur *majoris ecclesiæ decanus & præpositus in Pinguia*.

XIV. Fridericus, post Henricum decani majoris honores capessivit, quo nomine occurrit an. 1200. in litteris judicum civiumque Moguntinorum; item 1210. & rursum 1211. & 1212. pridie nonas Sept. in tabulis Sifridi II. archiep. Hoc autem anno decessit.

XV. Godefridus antea custos & cantor, vocatur decanus in litteris Sifridi archiepisc. quibus an. 1214. collegii S. Victoris constitutionem de præbendis proxime vacaturis, ad instaurationem ædis Victorianæ applicandis ratam habuit. Post hunc Godefridum, *seu* potius Poppelinum, qui sequitur, dandus esset locus Friderico II. si vera esset nota chronica MCCXX. a Georgio Christiano Johannis allata in additionibus ad chronicon collegiatæ S. Petri Mogunt. pag. 912. sed pro MCCXX. legendum nobis videtur MCCXII. ut in ipso chronico sancti Petri, pag. 471. utrobique enim agitur de controversia inter Gerbodonem sancti Petri præpositum, & Fridericum ecclesiæ majoris decanum super sedium suarum prærogativa.

XVI. Poppelinus, *seu* Poppo decanus memoratur an. 1216. in tabulis Sifridi II. archiep. & an. 1219. quo interfuit donationi factæ monasterio S. Catharinæ juxta Crucenacum, atque etiam confirmationi parthenonis in Schmerlenbach factæ a Sifrido Moguntinensi archiep.

XVII. Ruthardus Greiffenklaw de Volrats decanus major appellatur an. 1220. & 1221. nempe in litteris Sifridi II. archiep. quibus indulget, ut collegium S. Petri in urbem immigret, & S. Emerani possideat ædem, &c.

XVIII. Gerbodo decanus majoris ecclesiæ testis est in litteris autographis de censu quodam S. Stephani canonicis remisso de bonis in tractu villæ Budesheim an. 1222. mense Aprili. Ad præpositi postea honores concessit.

XIX. Christianus ex cantore decanus fuit electus anno saltem 1223. quo testis est in instrumento judicum sedis Mogunt. VI. idus Martii confecto. Reperitur etiam anno seq. in litteris Sifridi II. archiepisc. de lite collegii B. M. Virg. ad Gradus cum Arnoldo præposito composita. Item occurrit decanus ac præpositus S. Victoris an. 1227. X. cal. Octob. ac circiter annum seq. altare S. Bartholomæi in ecclesia majori Mogunt. instituit, fundavitque. Hic postmodum fuit præpositus & archiepiscopus.

XX. Cuno II. de Turckheim, *al.* Conradus, ex scholastico decanus factus anno saltem 1236. interfuit an. 1240. donationi cuidam factæ per Albertum de Kugelberg cantorem Moguntinum cœnobio monialium in Schmerlenbach. Anno 1242. beneficio Sifridi III. archiep. evasit quoque præpositus B. M. Virg. in Campis. Eidem an. 1244. Innocentius papa usum infulæ concessit, antecessoribus ejus hactenus negatum. Tandem an. 1247. electus fuit episc. Wormatiensis, ubi vide.

XXI. Johannes I. 1251. 54. & 59. quo anno abbas S. Disibobi ecclesiæ Moguntinæ singulis annis centum siliginis maldra in gratiam accepti cujusdam beneficii promittit, ex chronico Hirsaugiensi. Reperitur adhuc 1260. VI. idus Martii in tabulis summi capituli super precariis Wernhero archiepiscopo electo datis. Obiit ipso hoc anno III. idus Octobris.

XXII. Ludovicus, decanus jam anno 1261. memoratur in litteris monasterii S. Jacobi Mog. 1263. & in aliis 1265. 66. & 67. quo anno varia bona collegio S. Victoris donavit. Deinde ordinem Fratrum Minorum ingressus est, ut patet ex litteris Werneri archiepiscopi, quibus anno seq. 1268. donationem prædictam confirmavit, ubi diserte a Wernero dicitur *Frater Ludwicus ordinis Fratrum Minorum, quondam decanus Moguntinus*.

XXIII. Simon de Schoeneck occurrit annis 1267. & 1270. in litteris monasterii S. Jacobi, necnon 1272. quo testamenti Henrici scholastici ecclesiæ S. Johannis fuit exsecutor. An. 1283. cum ceteris capitularibus ratam habuit donationem quamdam cœnobio monialium in Schmerlenbach a Wernhero Mogunt. archiepisc. factam; quo ipso anno electus fuit in episcopum Wormatiensem, ubi vide. Dum autem adhuc solum esset decanus, exstructa fuerunt an. 1279. sacella lateralia in ecclesia majori Mogunt. Fabricæ magistris existentibus Emerchone de Schoeneck & Ottone de Rudesheim canonicis.

XXIV. Gebehardus decanus jam an. 1283. reperitur anno seq. in confirmatione cujusdam donationis factæ a Wernero archiep. Mogunt. parthenoni in Schmerlenbach. An. 1290. VII. idus Maii legavit collegio metropolitano universa bona sua, agros & vineas in tractu villæ Flersheim, his conditionibus, ut fructibus inde provenientibus in octo partes divisis; pars una cederet altari SS. Petri & Pauli construendo, reliquæ vero in die septimo Wernheri quondam archiepiscopi Mogunt. ad V. idus Aprilis; item in Theodorici Numburgensis olim episcopi ad XV. cal. Octobris; item in Bernardi cathedralis ecclesiæ Numburgensis quondam custodis ad V. idus Augusti; in suorum itidem parentum ad IV. idus Julii; ac tandem etiam in suo, dum occurrerit, diebus anniversariis in æde metropolitana perpetuo peragendis, præsentibus in choro distribuantur. Obiit anno 1293. VII. calend. Julii; cum prius Arnoldo famulo suo constituisset 20. maldra siliginis annuatim; qui vicissim in testamento suo XVI. cal. Junii an. 1294. condito;

inter cetera ordinavit octo solidos Colonienses A dedistribuendos canonicis S. Victoris, cujus ecclesiæ præpositus fuerat Gebehardus, *in septimo domini Gebehardi decani Mogunt.* v. cal. Junii peragendo. In sacello SS. Petri & Pauli ab eo excitato lapis in solo jacet cum figura prælati, mitra in capite ornati; quin is sit sepulcralis Gebehardi, vix dubium est.

XXV. Johannes II. de Siegersberg ex canonico decanus, interfuit confirmationi donationis villæ Bessenbach factæ parthenoni in Schmerlenbach anno 1295. quam Gerhardus archiepisc. Moguntinus consensu capituli majoris ratam habuit. Ipsius etiam occurrit mentio in quibusdam B litteris cœnobii monialium in Rethers ord. Præm. dioec. Mogunt. an. 1297. ac insuper reperitur anno seq. quo tandem fatis concessit XIII. cal. Julii.

XXVI. Otto I. de Rudesheim collegiatæ S. Mauricii Mog. & S. Martini Heiligenstadii præpositus, necnon majoris, ac B. M. in Gradibus, itemque S. Martini Wormatiensis canonicus, Johanni in decanatu successit anno saltem 1299. IV. nonas Jan. Obiit an. 1320. in vigilia S. Jacobi apostoli, sepultus Moguntiæ ante aram S. Petri sub tabula ænea. Post hunc vacavit decanatus ad annum saltem 1324. VII. calend. C Aug.

XXVII. Johannes III. de Constantia, cognomento *Unterschopf*, S. Bartholomæi Francofurtensis & Moguntinæ S. Victoris ecclesiæ præpositus, in locum Ottonis successit anno saltem 1326. v. idus Jan. Hunc anno 1328. testatur Franciscus Guillimannus in episcopis Argentinensibus auctorem fuisse, ut Matthia de Bucheck Moguntino archiep. e vivis sublato, Balduinum Trevirorum archiepiscopum canonici postularent contra Pontificis voluntatem, eidemque loca munita & oppida offerrent. Hic ipse Bertholdo fratri Matthiæ archiepiscopi in episcopatu Argentinensi D obstaculo fuit, quod prædictus Guillimannus fusius explicat. Idem quoque an. 1338. Ludovico imperatori a Pontifice excommunicato adhæsit, unde & omnibus suis reditibus præ ceteris libere frui potuit. Tandem hic Johannes defecit anno 1345. calendis Maii, ex *libro animarum* majoris ecclesiæ.

XXVIII. Gerlacus II. comes de Nassaw, Adolfi imperatoris nepos, ex decano post mortem Johannis eligitur archiepiscopus 1346. per Henrici depositionem.

XXIX. Rudolfus, dictus *Loff* de Isenaco Gerlacum electum archiepiscopum in decanatu E secutus anno 1346. obiit 1364. pridie nonas Januarii, sepultusque est in sacello S. Michaëlis ecclesiæ majoris Mogunt.

XXX. Otto II. de Wettin, Wormatiensis ecclesiæ cantor, necnon Moguntinensis canonicus, mortuo Rudolfo in decanum electus fuit anno 1364. deinde in episcopum Mindensem 1367. sed anno seq. die 16. Aug. *al.* circa festum B. Alexii ultimum emisit spiritum, Mindæ in choro Fratrum Dominicanorum ante principem aram, uti vivens petierat, tumulatus.

XXXI. Henricus II. Beyer de Boppardia decanatum gessit ab an. 1368. quo Gerlacus archiepisc. litteris die 10. Oct. Altævillæ scriptis, ei cum Hartwico de Saulheim canonico jurisdictionem suam ordinariam commisit. Hoc, inquam munus gessit ad an. 1377. quo mortuus calendis Octobris, ante aram Trium Regum in choro majori sepultus est.

XXXII. Wilhelmus Flach de Schwartzenburg solo canonici Moguntini titulo reperitur annis 1378. 79. & 80. feria 3. post Dominicam *Misericordias Domini*, & feria 6. post diem S. Maximini; verum hoc ipso anno feria 4. post S. Margaretæ solemnia decanus occurrit. Obiit an. 1383. die 29. Nov. ac in sacello S. Nicolai ecclesiæ metropolitanæ conditus est.

XXXIII. Eberhardus de Ippelbrun, majoris cantor, ac B. M. Virg. ad Gradus canonicus, necnon satrapa Olmensis, decanatum consecutus an. 1383. moritur 1418. die 13. Sept. ac in ambitu ecclesiæ majoris sepelitur.

XXXIV. Johannes IV. Weiss de Feverbach, decanus ex scholastico factus anno 1418. diem suum obiit 20. Martii anno 1428. ante aram S. Kiliani in æde majori Moguntina reconditus.

XXXV. Petrus I. Echter de Mespelbrunn scholasticus majoris, necnon S. Mauricii præpositus, ac B. Virg. ad Gradus canonicus, eligitur decanus an. 1428. cui Conradus III. archiepisc. anno seq. Posonium in Hungariam ad comitia Imperii tum ibidem habenda concessurus, jurisdictionem suam ordinariam commisit. Calculi cruciatibus defecit an. 1442. die 16. Januarii, sepultus in sacello S. Andreæ apost. ecclesiæ majoris.

XXXVI. Petrus II. de Udenheim, scholasticus item majoris, ac sancti Albani extra muros Moguntinos præpositus, successit Petro I. in decanatu an. 1442. Obiit vero 1448. v. nonas Octobris, ante aram S. Christophori juxta chorum ferreum ecclesiæ majoris tumulatus, in qua perpetuam *præmissariam* instituit ac fundavit.

XXXVII. Richardus I. de Cleen, ecclesiarum S. Albani ac S. Crucis præpositus, necnon metropolitanæ Moguntinensis canonicus primum, deinde cantor, Petrum de Udenheim excepit in decanatu anno 1448. fato suo functus 1450. die 13. Martii, ac in ambitu majoris ecclesiæ sepultus.

XXXVIII. Henricus III. Greiffenklaw de Volrats, antea decanus Trevirensis, necnon majoris ac S. Albani ecclesiarum Moguntiacarum canonicus, decanatum obtinuit an. 1450. die 24. Martii, quem an. 1455. una cum ceteris præbendis suis resignans, in cœnobio S. Pantaleonis Coloniæ monasticen amplexus est.

XXXIX. Johannes V. Nix de Hoheneck; dictus *Entzbergh*, præpositus Wormatiensis, necnon Moguntinensis ac Spirensis ecclesiarum canonicus, per cessionem Henrici in decanum electus fuit an. 1455. & a Theodorico archiep. confirmatus die 30. Aug. ejusdem anni. Deinde mortuo Sifrido III. Spirensis ecclesiæ episcopo, an. 1459. eidem in episcopatu successit, die 7. Septembris electus.

XL. Richardus II. de Lapide, *vulgo* de Oberstein, præpositus Aschaffenburgensis & Moguntinus canonicus, electus fuit in decanum anno 1459. qui postmodum resignans an. 1474. obiit canonicus jubilarius anno 1487. die 13. Maii, in sacello S. Nicolai majoris ecclesiæ tumulatus.

XLI. Bertholdus comes de Hennenberg Coloniensis thesaurarius, Moguntinensis, & Argentinensis ecclesiarum canonicus, necnon sedis apost. protonotarius, per resignationem Richardi, ad decanatum unanimi canonicorum electione promotus fuit an. 1474. inde in archiepiscopum cooptatus 1484. die 20. Maii.

XLII. Bernhardus de Breidenbach juris doctor, majoris, S. Victoris, S. Albani, & B. M. Virg. ad Gradus ecclesiarum canonicus, apostolicæ sedis protonotarius, necnon judicii secularis Mogunt. camerarius, cum an. 1484. Romam missus esset ut Bertholdo pallium impetraret, decanatum obtinuit, non electione, sed impetratione. Adfuit an. 1486. Bertholdo, cum Maximilianus in Regem Romanorum Aquisgrani coronaretur. Obiit an. 1497. die 5. Maii, sepultus in sacello B. Virginis ecclesiæ majoris.

XLIII. Jacobus de Liebenstein in decretis licentiatus, ex canonico in decanum electus anno 1497. die 13. Maii, evasit archiepiscopus anno 1504.

XLIV. Uriel de Gemmingen juris doctor, majoris, B. M. Virg. ad Gradus, ac S. Albani ecclesiarum canonicus, necnon cathedralis Wormatiensis custos, Jacobo successit in decanatu an. 1505. cujus quoque postmodum successor in archiepiscopatu factus est an. 1508.

XLV. Adolfus Raw de Holtzhausen, scholasticus majoris, necnon S. Victoris, B. Virg. ad Gradus, ac sancti Crucis ecclesiarum canonicus, Urieli in decanatu successor datus fuit an. 1508. qua dignitate perfunctus annis 4. obiit 1512. die 26. Dec. atque in sacello S. Nicolai ecclesiæ majoris sepulturam accepit.

XLVI. Laurentius Truchses de Bommersfelden, scholasticus metropolitanus, custos Wormatiensis, Herbipolensis, & B. Mariæ Virg. ad Gradus Moguntiæ canonicus, reperitur decanus an. 1513. mense Febr. Cessit an. 1528. tandemque jubilarius decessit Herbipoli an. 1543. die 20. Decemb. ibidem in ecclesia cathedrali sepultus.

XLVII. Adamus Kuchenmeister a Gamberg, scholasticus majoris, ac sancti Albani canonicus itemque prius Bingensis præfectus, ac postmodum judicii secularis Moguntini camerarius, successit Johanni in decanatu an. 1544. Vivere desiit 1553. die 26. Julii anno ætatis 73. atque in ambitu summæ ædis sepulturam nactus est.

XLVIII. Johannes Andreas Mosbach a Lindensels, electus fuit an. 1553. die 21. Aug. ac paulo post judicii secularis camerarius constitutus, tandemque an. 1564. canonicorum suffragiis electus præpositus.

XLIX. Georgius a Schonenburg, præp. Wormatiensis, necnon Moguntinensis, Trevirensis, A Spirensis, ac S. Albani Mogunt. ecclesiarum canonicus, itemque B. Virg. ad Gradus præpos. & archiepiscopi Mogunt. vicarius in spiritualibus *, eligitur decanus an. 1564. die 27. Nov. ac deinde episc. Wormat. an. 1580. tandemque præposituram Moguntinensem adeptus est 1582. die 29. Octob.

* an. 1578.

L. Johannes Theobaldus a Stadion, majoris Moguntinæ, B. Mariæ Virg. ad Gradus, ac S. Victoris ecclesiarum canonicus, Georgio in decanatu successit an. 1582. die 5. Dec. electus canonice, cui dignitati cum præfuisset annis 2. & mensibus 7. ex hac vita die 12. Junii B decessit an. 1585. in choro ferreo ante summum altare sepultus.

LI. Johannes Conradus Kotwitz ab Aulenbach, Moguntinensis ac Herbipolensis ecclesiarum canonicus, eodem anno 1585. quo decanatum adeptus est, resignavit. Postmodum vero an. 1594. custos electus, ac paulo post decanus Herbipolensis, obiit an. 1610. die 29. Decemb. Herbipoli sepultus.

LII. Philippus Cratz de Scharpffenstein, scholasticus Wormatiensis, necnon majoris, S. Victoris & S. Albani ecclesiarum Mogunt. canonicus, per resignationem Johannis Conradi C decanus electus fuit an. 1585. die 23. Septemb. Idem quoque præpositus Wormatiensis constitutus an. 1594. mortuo postmodum Georgio a Schonenburg episc. Wormatiensi & Mogunt. præposito, eidem in præpositura successit anno 1595 die 25. Septemb.

LIII. Johannes Swicardus a Cronberg, scholasticus majoris, ac S. Albani & B. M. Virg. ad Gradus præpositus, post cessionem Philippi in decanum electus fuit an. 1595. die 17. Octob. itemque secularis judicii camerarius constitutus an. 1599. ac tandem archiep. Mogunt. ubi vide.

LIV. Eberhardus Wolfgangus ab Heusenstam, D decanus S. Albani, necnon majoris ac S. Victoris ecclesiarum canonicus, decanatum adeptus fuit an. 1604. die 4. Aug. Immatura vero sublatus est morte an. seq. die 28. Apr. ac in sacello S. Nicolai majoris ecclesiæ, summo omnium piorum luctu, pauperum in primis, die 1. Maii sepultus.

LV. Jacobus ab Eltz, prius cantor anno 1601. die 31. Octob. dein scholasticus anno 1604. die 4. Decemb. constitutus, tandem in decanum electus fuit an. 1605. die 30. Junii. Trevirensis quoque ac Spirensis, necnon sancti Albani ac S. Victoris ecclesiarum Mog. canonicus, obiit an. 1621. die 23. Dec. Moguntiæ E in majoris ecclesiæ ambitu reconditus.

LVI. Fridericus a Sickingen, Johannis Schwicardi archiepiscopi Mogunt. in spiritualibus vicarius, atque metropolitanæ, S. Albani, ac B. Mariæ Virg. ad Gradus ecclesiarum canonicus, decanatum assecutus est die 15. Februarii an. 1622. Idem provisione Johannis Suicardi an. 1626. die 18. Apr. præposituræ ad S. Georgium Pfedershemensi, quamplurimis jam annis, Palatino remorante, vacanti, & anno 1630. illi, quæ ad S. Albanum est, impositus fuit. Tandem Suecis Moguntiam opprimentibus in exsilium

secessit, ac Clingenaviæ an. 1634. die 3. Martii A calamitatum & vitæ finem invenit.

LVII. Georgius-Antonius de Rodenstejn episcopus Wormatiensis & scholasticus majoris, an. 1634. in decani subiit dignitatem, electione Coloniæ Agrippinæ, ob arma Suecica, quæ Moguntiam affligebant, die 14. Junii peracta, quam dein an. 1638. præpositus factus dimisit.

LVIII. Adolfus Hund de Saulheim, pari cum decessore fortuna ex scholastico majori an. 1638. die 22. Junii decanus constitutus est, & anno 1652. ex decano factus præpositus.

LIX. Johannes de Heppenheim, dictus *a Saal* ecclesiæ metropolitanæ canonicus, an. 1653. B die 6. Febr. collegii suffragiis, decani obtinuit locum, & an. 1668. præpositi, ad quem cum evectus esset, decani dignitate se abdicavit.

LX. Marsilius Godefridus ab Ingelheim metropolitanæ Mogunt. & cathedralis Herbipolensis canonicus, necnon B. M. Virg. ad Gradus Moguntiæ præpositus, in decanum electus an. 1668. die 21. Aug. obiit an. 1679. die 8. Septemb. Crauthemii, unde Moguntiam revectus, in sacello Omnium SS. summo totius civitatis luctu terræ mandatus est.

LXI. Johannes Wilhelmus L. B. Wolf, dictus *Metternich in Gracht*, decanus eligitur C 1679. die 4. Nov. & 1685. præpositus.

LXII. Christophorus Rudolfus L. B. de Stadion, ex canonico decanus constitutus fuit an. 1685. die 8. Martii, deinde præpositus, ubi vide.

LXIII. Johannes Philippus L. B. Greiffenclaw de Volrats, ecclesiæ metropolitanæ cantor, cathedralis Herbipolensis, necnon Moguntiæ equestrium ad S. Albani & Ferrutii canonicus, decanatum assecutus die 7. Febr. anno 1695. gessit ad an. 1699. quo, die 9. Febr. cathedram Herbipolensem promeruit.

LXIV. Franciscus Emericus Wilhelmus de Bubenheim cantor & archipresbyter Moguntinus, & antea Herbipolensis canonicus, decanus evasit an. 1699. die 26. Martii. Fuit etiam præpositus Moxstadiensis, decanus equestris S. Ferrutii & ad S. Albani scholasticus, necnon eminentissimi principis Electoris consiliarius intimus ac locum tenens Moguntiæ. In fata concessit an. 1709. die 18. Nov. sepultus in gradibus chori ferrei, ante aram S. Christophori, quam veteri deposita, novo ac sumtuoso opere statuerat.

LXV. Hugo Wolfgangus L. B. de Kesselstatt, ex cantore ad decanatus honores gradum fecit an. 1709. die 18. Dec. simul etiam cathedralis Halberstadiensis, necnon equestrium ad S. Albani & S. Ferrutii ecclesiarum canonicus.

SEQUUNTUR ALIQUOT DECANI, quorum ætas ignoratur.

RUTHARDUS I. presbyter & decanus appellatur in necrol. eccles. majoris, XIX. calend. Febr. apud Schannatium in libro, cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*.

Hazecho presbyter & decanus, *ibid.* XVIII. cal. Febr.

Bezelinus decanus, 5. solidos in Ciluvesheim, v. idus Martii, *ibid.*

Odas presbyter & decanus, 5. solidos in Lorecho, IX. cal. Aprilis, *ibid.*

Droemarus, decanus, *ibid.* XI. cal. Julii.

Ebbo presbyter & decanus, IX. cal. Octob. *ibid.*

Robertus diaconus & decanus, VIII. idus Decemb. *ibid.*

Ruthardus II. decanus Moguntinus laudatur in *libro animarum* cœnobii S. Ruperti juxta Bingiam, ad diem 2. idus Junii. Ita Helwichius apud Georgium Christianum Johannis, de rebus Moguntinis.

ELENCHUS
SUFFRAGANEORUM MOGUNTINENSIUM,
SIVE
REVERENDISSIMORUM PONTIFICII MUNERIS
IN PARTIBUS RHENI
DIOECESIS MOGUNTINENSIS VICARIORUM.

ANtiquioribus temporibus, uti alii archiepiscopi & antistites, ita etiam Moguntinenses ipsimet, plerumque adjutoribus, seu vicariis ordinariis haud adhibitis, pontificia, quæ eis incumbebant, munia exercuerunt, ut passim legere est. Si vero negotiorum impediti multitudine munia hæc aliaque ipsi obire haud poterant, ad ea exsequenda chorepiscopos adhibuere, vel suffraganeorum suorum unum, alterumve. At sub medium seculi XIII. suffraganeos titulares, eosque ordinarios paulatim assumserunt: uti sane Lateranense concilium, gravibus de causis, nuper indulserat, ut ubi publica negotia, valetudo, incursiones hostiles, litterarum ac doctrinæ inopia obstarent, hic episcopis adjutorem in partem curarum adsciscere fas esset. Interdum tamen ad certum tantummodo tempus id genus vicarios ad pontificii muneris procurationem cooptarunt; interdum, sicuti tempus ratioque postulabant, modo hoc usi fuerunt, modo illo, ut in sequentibus apparebit.

I. Humbertus

I. Humbertus archiepiscopi Haistulfi chorepiscopus occurrit in vita Eigilis abbatis Fuldensis, seculi IV. Bened. part. 1. pag. 238. §. XIX, ad quod tamen Mabillonius, *ibid. Malim* coepiscopus ; *nam hoc loco intelligendus videtur* Humbertus *Wirziburgensis episc. Moguntini archiepiscopi suffraganeus, qui, rogante Hrabano, reliquias martyrum collocavit in monasterio Holzkiricha, teste Hrabano in Epigrammate LXIII.*

II. Reginbaldus archiepiscopi Otgarii suffraganeus circa medium seculum IX. sic enim Rudolfus scholasticus in vita B. Rabani seculi 4. Bened. part. 2. pag. 7. n. 16. (Hrabanus) *cum auctoritate Otgarii archiepiscopi Moguntiacensis ecclesiæ per Reginbaldum coepiscopum ejus, ossa SS. martyrum Alexandri & Fabiani, cum magno honore intulit in ecclesiam B. Dei genitricis Mariæ, &c.* Ad quæ verba Mabillonius in notis : *Paucis refert notare apud alios legi hoc loco*, per Reginbaldum chorepiscopum ; *nam* coepiscopus & chorepiscopus *eo ævo promiscue fere usurpabantur ; tametsi* coepiscopus *non raro etiam* suffraganeum episcopi *signabat*. Idem Rudolfus n. XXVII. *Erat etiam cum eis* & Reginbaldus chorepiscopus, &c. Anno 1337. VI. cal. Octob. dedicavit ædem S. Petri in monte. Forte Otgario sæpius extra diœcesim & regnum agente, pontificia ille cura in ecclesia Moguntinensi perfunctus est.

III. Abellinus, suffraganeus archiepiscopi Bardonis, sub medium seculum XI. de quo sic habet auctor vitæ Bardonis seculi VI. Bened. part. 2. pag. 31. n. 25. *Misit ergo* (Bardo letaliter decumbens) *sub omni celeritate* ad suffraganeum suum Abellinum, *qui eo tempore Fuldæ morabatur, utpote vocatus illuc a venerabili patre Egberto abbate ad solemnitatem dulcissimi & sanctissimi patroni Bonifacii.*

IV. Sivardus episcopus Deblasensis, proepiscopus, ut ita dicam, Moguntinus, Adelberto I. fatis functo an. 1137. multas in diœcesi Moguntina ædes, cultui divino destinatas, arasque, collegii principis permissu, solemni apparatu dedicavit. Narrat id nobis Dodechinus ad annum 1138. his verbis : *Anno MCXXXVIII. dedicatum est altare confessorum in sanctuario Novi monasterii, ad aquilonarem plagam situm a* domino Sivardo, Deblasensi episcopo *reverendissimo, qui venerabilis præsul ab ecclesia sua injuste expulsus, venit in episcopatum Moguntinensem, cumque eo tempore præsule caruit, multas inibi ecclesias & altaria, de licentia Moguntinensis ecclesiæ, consecravit.*

V. Henricus I. vicarius archiepiscopi Arnoldi, an. 1160. parochialem ecclesiam in pede montis circa monasterium Sponheimense recens constructam consecravit, testante Trithemio in chronico Sponheim. pag. 254.

VI. Helmbertus episcopus Havelbergensis in diœcesi Moguntinensi vicem gessit episcopalem sub an. 1197. & seqq. Conrado I. archiepisc. Jerosolymas profecto, ex chronico Magdeburg. MS. pag. 215. Idem an. 1199. Landgravium a censuris, quibus adstrictus erat, absolutum, in piorum restituit communionem.

VII. Theodoricus episc. Vironensis an. 1255. omnibus in ecclesia parthenonis S. Ruperti juxta Bingam divino cultui religiose vacantibus quadraginta dierum indulgentiam contulit. Item an. 1260. XVII. calendas Januarii omnibus ædem fratrum Eremitarum Moguntiæ recens excitatam, noxis pœnitentia rite deletis, diebus statutis frequentantibus, liberalem pœnarum relaxationem indulsit. Dedicavit an. 1262. die sancti Bernhardi capellam, quæ Boppardiæ est, in curia monasterii Erbacensis. Anno denique 1270. Francofurti ad Mœnum primum sacellum fratrum B. Mariæ Virg. de Monte Carmeli consecravit.

VIII. Christianus I. episcopus Licoviensis an. 1262. XVII. cal. Maii capellam B. Catharinæ apud *Franckenfort* diœc. Mogunt. de consensu Wernheri archiepiscopi consecravit.

IX. Johannes I. episc. Hettoviensis ordinis Teutonicorum, Wernheri archiepisc. Moguntini in pontificalibus vicarius generalis, an. 1275. feria 2. post Pascha consecravit in monasterio Seligenstadt altare B. M. Virg. a sinistris templi, ubi locus est abbatum sepulturæ destinatus.

X. Christianus II. episcopus Sambiensis, non autem Oximbriensis, gente Silesius, an. 1277. bona quædam in Thuringia sibi comparavit. Anno 1281. in crastino S. Udalrici duo altaria in æde, quæ Erbaci, Rhingaviæ vico, divino cultui sacrata est, indultis populo certa sub conditione peccatorum condonationibus, dedicavit. Item anno 1288. omnibus templum Fratrum Prædicatorum Moguntiæ, diebus constiutis pio animi studio frequentantibus, quadraginta dierum piacula relaxavit.

XI. Widekinus Missensis episc. anno 1284. feria IV. post festum Pentecostes aram S. Victoris in æde majori consecravit, quo etiam anno VII. cal. Octob. *vicem gerens archiepiscopi in civitate & diœcesi Moguntina*, precibus decani & capituli, ecclesiæ majoris dedicationem in decollatione B. Johannis Bapt. celebrari solitam, in proximam diem Dominicam ante festum decollationis prædictæ transtulit.

XII. Petrus Sudensis episc. de quo Trithemius in chronico Sponheim. ad an. 1290. pag. 294. *Post multa præhabita consilia, &c. unanimiter in abbatem elegerunt Johannem monachum, hujus monasterii cellerarium, quem non diu postea Gerhardus archiepisc. Mogunt. præsentatum sibi confirmavit, & per* Petrum episc. Sudensem, *suum in pontificalibus vicarium generalem anno 1290. Dominica post festum Urbani papæ apud Moguntiam fecit ordinari.* Et paulo post ad annum 1291. ibid. *Johannes abbas anno regiminis sui primo, ecclesiam nostram intrinsecam cum quatuor altaribus renovavit, & eam de novo consecrari fecit per* Petrum Sudensem, *Gerhardi archiepiscopi vicarium in pontificalibus generalem.*

XIII. Incolerius episcopus Buduensis, ordinis S. Augustini, Gerhardi archiepiscopi Mogunt. in pontificalibus vicarius, anno 1297. ecclesiæ Moguntinæ parochiali S. Ignatii indulgentiarum litteras dedit in octava S. Johannis Bapt. quo

etiam anno monasterium & cœmeterium Seligenstadense reconciliavit, seu ritu consueto expiavit.

XIV. Jacobus I. episcopus Panadiensis, ord. S. Augustini an. 1320. commodo virginum S. Ruperti prope *Bingam*, gratuitas criminum condonationes, singulis ac omnibus supremi numinis pacem illic loci petentibus, litteris largitus est publicis.

XV. Johannes II. episc. Lavacensis, ordinis Eremitarum S. Augustini, an. 1312. omnibus, qui stipem ad ædem S. Stephani instaurandam liberaliter contulerint, modo cordis & oris veram de peccatis confessionem edidissent, quadragenariam piaculorum indulsit relaxationem. Idem quoque an. 1313. in octava Epiphaniæ concessit sacram ædem B. M. Virg. Arnsburgi, quod ordinis Cisterc. asceterium est, pio animi cultu invisentibus in festo dedicationis; ac 1317. VIII. idus Febr. omnibus, qui noxis expiati ad altare sanctæ Crucis in æde metropolitana preces effunderent.

XVI. Dithmarus episc. Gubalensis, ordinis Cisterc. an. 1319. Eberbacensi & Arnsburgensi abbatibus facultatem dedit, iis, qui die, quo utraque olim ecclesia dedicata est, recurrente, sacris ibidem religioso vacaverint cultu, quadraginta dierum piacula condonandi. An. 1321. die cathedræ S. Petri, Emichoni de Leiningen episcopo Spirensi, Cunonem de Schoneck Vangionum antistitem inauguranti adstitit; quo etiam anno omnibus, qui cœmeterium S. Quintini, pie pro defunctis supplicando, circumierint; & iis similiter, qui pompam, qua sacra ad ægrotum deportatur hostia, sequerentur, quadraginta dies pœnitentiæ relaxavit. Idem biennio post XIII. calend. Febr. sacellum S. Antonii monasterio Walckenriedensi adstructum, collatis, ut tum moris erat, indulgentiis, consecravit; ac denique an. 1328. Portense monasterium pie invisentibus, pœnarum contulit relaxationes.

XVII. Albertus Ibunensis episcopus, Henrici Wirnenburgii vicarius, anno 1337. Henrico abbati Sponheimensi, Moguntiæ in æde Fratrum Prædicatorum, prima Dominica post octavas festi Paschalis, ut Trithemius in chronico Sponheim. ad hunc an. pag. 314. loquitur, benedictionis munus impertivit; sequenti 1338. festum, quo memoria ædis in monasterio illo sacræ ad id usque temporis peragi solebat, in alium transtulit diem. Biennio post Wilichonem abbatem Sponheimensem, Henrico fatis functo, successorem datum consueto ritu benedictionis initiavit; quo etiam an. 1340. pridie nonas Julii altaria quædam in monasterio Erbacensi consecravit; ac festum, quo dedicatio monasterii Disibodenbergensis ad eum usque diem recolebatur, alio celebrandum instituit. Datum anno 1340. die sancti Severi episcopi.

XVIII. Rudolfus episc. Saloniensis, Henrici archiepiscopi, itemque Gerlaci in pontificalibus vicarius, an. 1341. Wilhelmum abbatem Sponheimensem electum, Moguntiæ consueto cæremoniarum apparatu sacravit. Dein an. 1350.

A Sponhemii sacellum recens in peristylio monasterii excitatum dedicavit; quo etiam anno Philippum, Wilhelmo, qui se sponte abbatis officio abdicarat, suffectum benedictionis affecit munere in eodem monasterio prima Dominica Septemb.

XIX. Albertus de Bichlingen, stirpe comitum Bichlingiorum lineæ Rotenburgensis ortus, episc. Ippusensis, ordinis S. Francisci, archiepiscopi Gerlaci vicarius, anno 1345. Francofurti ad Mœnum parthenonis S. Catharinæ primum lapidem in fundamento posuit. Idem an. 1350. feria tertia infra octavam Paschæ, ædem Carthu-
B siensium sacram Moguntiæ laudato cæremoniarum ordine inauguravit; nec multo post, eodem scilicet anno, Dominica, qua cantatur *misericordias Domini*, consecravit sacellum S. Alexii juxta rivum Ciam, ubi cognominatur de Buchelheim, & habere dicitur auctoritatem in pontificalibus domini Gerlaci sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopi.

XX. Johannes III. episcopus Scopiensis, ord. Cisterc. archiepiscopi Gerlaci suffraganeus, an. 1360. idibus Aug. in æde monasterii Erbacensis, quod est in Rhingavia, altare in hono-
C rem S. Michaëlis archangeli, &c. consecravit. Sepulturæ locum nactus est Aldenbergæ in medio chori monachorum, hoc posterorum memoriæ commendatus epitaphio:

Septembris mensis in fine meat Scopiensis
Præsul ab hoc mundo Johan. cœlos adeundo;
Annus cum Christi C. *ter* MLX. *tria cernis*
Juncta sibi sisti fecit jungendo supernis.

XXI. Conradus I. episcopus Bundizensis an. 1369. die SS. Simonis & Judæ, duo altaria in parochiali S. Bartholomæi ecclesia vice Gerlaci archiepiscopi dedicavit.

XXII. Jacobus II. Lavacensis, ab Adolfo I. archiepiscopo an. 1383. in die S. Agnetis virg.
D ad pontificii muneris procurationem adscitus est.

XXIII. Johannes IV. Helvetius gente, ejusdem Adolfi in pontificalibus vicarius, innotescit ex litteris ejusdem Adolfi an. 1385. die SS. Sergii & Bacchi.

XXIV. Hermannus, Scopiensis episcopus litteris datis an. 1389. testatur se sacellum sancti Thomæ in monasterio sancti Jacobi in Montespecioso consecrasse. Insequenti dedicavit altare S. Annæ in sacello S. Nicolai juxta pathenonem sancti Ruperti prope *Bingam;* sacellum item & altare B. M. Virg. Moxstadii in campis, idque Dominica *Exaudi Domine*, ubi dicitur vicarius
E in pontificalibus capituli & ecclesiæ, *sede vacante*. Eodem anno 1390. testamentum fecit, quod peculiari diplomate, Erfordiæ in pervigilio Epiphaniæ Domini ratum habuit, confirmavitque archiepisc. Adolfus. Adhuc autem erat superstes an. 1392. quo jussus fuit ab Conrado II. archiepisc. in partibus Saxoniæ, Thuringiæ, Westphaliæ & Hassiæ, usque ad fines oppidorum Orba, Geilnhausen, & Butsbach munia exsequi pontificalia.

XXV. Fridericus, ordinis Eremitarum sancti Augustini, episcopus Tullensis creatus ab Urbano

papa VI. an. 1391. die 23. Jan. Mulhusanus A fuit patria, & a Conrado II. ad vicariam sacrorum functionem vocatus an. 1392. a quo etiam anno seq. hæreticæ inquisitor pravitatis constitutus fuit. Dehinc an. 1399. feria sexta ante Dominicam Palmarum, Moguntiæ in templo parochiali sancti Quintini consecravit imaginem Christi crucifixi ligneam majorem, inditis quamplurimis sanctorum reliquiis. Obiit an. 1401. die 30. Junii, tumulatus in æde sui ordinis in choro ante aram majorem, cum hac olim inscriptione sepulcrali: *Anno Domini MCCCCI. ultima die mensis Junii obiit venerabilis pater Fridericus ord. S. Augustini, episc. Tullensis, vicarius B in pontificalibus domini Maguntini, hic sepultus. Requiescat in pace, amen.*

XXVI. Johannnes V. episc. Slesuicensis, de Schondelef, *al.* Hes, cognominatus, e sede sua, præ calamitatibus illic toleratis, Moguntiam delatus, Johanni II. archiepiscopo, fide, consilio & re tam liberaliter sua probavit officia, ut ab eo in remunerationem illorum an. 1401. ipsis calendis Jan. ad dies vitæ obtineret castrum Fravenstein una cum bonis ipsi attributis; nec multo post die apostolorum ab se discedentium memoriæ sacro litteris Aschaffenburgi datis, quoad ipse archiepiscopus in vivis ageret, duraturis, consti- C tueretur, qui per partes Rheni Moguntina diœcesi comprehensas munia exerceret pontificia. Ad sedem reversus obiit an. 1421. postquam 49. annos episcopatui præfuisset, sepultus ad latus chori australe, cum epitaphio in pariete, quod ita habet: *Anno Domini 1421. octava die S. Laurentii obiit Johannes Schondeleff episcopus Slesuicensis, doctor Theologiæ, qui sedit 49. annis, hic sepultus.*

XXVII. Conradus II. episc. Christinopolitanus, ordinis Prædicatorum, an. 1403. litteris Altævillæ feria 2. post diem B. Egidio sacrum, vicarius per terras Rheni ab archiepisc. Johanne D II. designatus, an. 1406. Moguntiæ consecravit sacellum & altare in parochiali ecclesia S. Christophori. Sepulturæ locum nactus est in æde Fratrum Prædicatorum, in quorum necrologio ad diem B. Vitalis sic legitur: *Anniversarium Conradi episcopi Christinopolitani, vicarii domini archiepiscopi Johannis Moguntini, ordinis Prædicatorum, sepultus in choro ante altare.* Hæc porro, quæ sequuntur, secum fuisse communicata monet Georgius Christianus Johannis: sed unde allata nescire se profitetur: *In hoc Disenbergensi cœnobio inter alios doctrina illustres floruit reverendus dominus Johannes de Roberiis monachus hujus loci, qui* E *an. Dom. 1404. V. idus Jan. a Bonifacio IX. creatus est episc. Samaritanensis & suffraganeus Johannis comitis de Nassau archiepisc. & Electoris Moguntini.*

XXVIII. Gerhardus episc. Christinopolitanus, ord. Prædicatorum, vicarius item Johannis II. archiepiscopi, an. 1415. die sancto Pentecostes, sacellum, quod in ædibus custodis majoris est, consecravit. Item anno 1417. die 19. Decemb. in templo Dominicanæ familiæ aram beatæ Virgini, pluribusque aliis sanctis solemni dedicavit cæremonia, ante quam aram postmodum sepultus est.

XXIX. Nicolaus episc. Gestopolitanus, ad pontificii muneris vicariam procurationem vocatus ab Conrado III. archiepiscopo, litteris datis in pervigilio Pentecostes an. 1420. insequenti anno, Sabbato, quo cantatur *Intret*, in æde metropolitana sacros ordines contulit.

XXX. Johannes VI. de Reifferscheid episc. Cyrenensis, Nicolai in locum suffectus anno 1422. ab eodem Conrado III. tabulis Norimbergæ feria quinta proxima post festum Virginis assumtæ datis, ac deinde similiter a Theoderico in suffraganeum assumtus an. 1435. litteris Eltvillæ datis die 27. Martii, an. 1438. Moguntiæ consecravit altare in curia comitum Hanoviensium. Diem clausit ultimum anno 1447. v. cal. Novemb. tumulatus in parochiali ecclesia S. Emmerani, cujus ille curio quondam, sive plebanus fuerat, in choro, a latere principis aræ, cum inscriptione sequenti: *Anno Domini MCCCCXLVII. in festo SS. Simonis & Judæ apostolorum obiit reverendus in Christo pater & dominus Johannes episcopus Zerinensis, reverendorum in Christo patrum dominorum Conradi & Theoderici episcoporum vicarius.* Incisa est lapidi, in quo exsculpta effigies episcopi, cum mitra & baculo, additis insignibus.

XXXI. Sifridus I. de Moguntia episc. Cyrenensis, ordin. Prædicatorum, cognomen a patria more temporum illorum tulit; vocabatur enim nomine gentilitio *Piscatoris*. Ad vicariam sacrorum functionem adscitus a Theoderico archiep. an. 1446. in æde Carthusiensium duas dedicavit aras 1449. feria VI. post festum Omnium SS. Anno seq. 1450. arbitrum egit inter archiepiscopum Theodericum & cives Moguntinos.

XXXII. Henricus II. Hoefgarten Rossensis episc. ordinis Eremitarum S. Augustini, a Theoderico archiepiscopo in partem curarum pontificalium assumtus 1456. litteris Aschaffenburgi datis in vigilia Paschæ, insequenti 1457. Reinhardum de Mosbach, provisione Theoderici in locum Cunonis abbatis Seligenstadensis defuncti suffectum sacravit, & 1458. Petrum de Dornickheim, Johannis de Steten abbatis in Munster-Treisa ord. Præmonstr. demortui successorem, recens electum; quo etiam anno in sacello sancti Victoris aram dedicavit, & Francofurti in æde S. Bartholomæi aram similiter an. 1459. cumque hoc, ipso anno a Diethero, Theoderici successore ad eadem adscitus esset munia, mensibus quatuor interjectis, extremum vitæ finem implevit, sepultus in æde fratrum Eremitarum, cum hac olim epigraphe: *Anno Dom. 1460. die 24. Martii obiit reverendiss. in Christo pater & dominus Heinricus episc. Rossensis, ord. S. Augustini. C. A. R. J. P.*

XXXIII. Sifridus qui supra, episc. Cyrenensis, iterum an. 1460. die 27. Martii pontificii muneris vicarius a Diethero archiepiscopo constitutus, anno seq. in monasterio S. Jacobi in Monte-specioso consecravit altare SS. martyrum & confessorum memoriæ dicatum ante chorum,

& altare sanctarum virginum in sacrario. Ibidem A rursum an. 1467. dedicavit altaria S. Crucis, Omnium SS. S. Michaëlis & omnium Angelorum supra lectionarium in medio ecclesiæ; & an. seq. feria 2. post Dominicam *Oculi*, Francofurti ad Mœnum in æde S. Spiritus chorum & altare. Idem an. 1473. die 25. Sept. omnibus, qui Moguntiæ ad ædem Fratrum Prædicatorum confluxerint, & coram signo S. Crucis illic in ambone collocato, noxis expiati, orationem Dominicam cum symbolo apostolorum ter recitaverint, quadraginta dierum piacula condonavit. Obiit tandem eodem hoc anno, ipso die B. Galli inter manus Fratrum (Dominicanorum) in quorum æde ante B principem aram sepulturæ locum accepit, cum lapide sepulcrali.

XXXIV. Dionysius episc. Cyrenensis, ord. S. Dominici, a Sifridi obitu an. 1473. ab Adolfo II. eidem admotus muneri, extremum vitæ diem morte confecit Francofurti ad Mœnum anno 1475. III. nonas Novemb. sepulturæ traditus Moguntiæ in choro ædis ordinis sui retro altare, quo loco etiamnum lapis in solo jacet, in quo ipse pontificis exsculptus est amictu, cum sequenti elogio: *Anno Dom. MCCCCLXXV. III. nonas Novemb. obiit reverendus pater & dominus Dionysius episc. Cyrenensis, vicarius in pontificalibus* C *archiepiscopi Moguntini, magister in theologia, de ordine Prædicatorum assumtus. C. A. R. J. P. Amen.* In necrologio Prædicatorum Mogunt. ad festum IV. Coronatorum mense Nov. his memoratur verbis: *Anniversarium D. Dionysii episcopi Cyrennensis successoris domini Sifridi, qui obiit anno Dom. MCCCCLXXV. Pauca legavit conventui, quia pauper Christi unde legaret non habuit. Hic fuit episcopus pene 2. annis, & mortuus in Franckenfordia in conventu Fratrum, ductus est ad nos sepeliendus.*

XXXV. Matthias Emich episc. Cyrenensis, ordinis Carmelitarum, a Diethero archiepiscopo D vocatus, vicarii in pontificalibus subiit munus, & an. 1477. Johannem Klenck electum abbatem monasterii Rubricensis ord. Præmonstr. & insequenti Johannem Appel in locum defuncti abbatis Selbotensis Conradi subrogatum sacravit. In fata concessit an. 1480. die 24. Maii, sepultus in Carmelo Boppardiensi, in quo olim Deo se in familia B. M. Virg. obstrinxerat. In necrologio Fratrum Moguntinensium memoratur his verbis: *Anniversarium, quin potius memoria domini Matthiæ de Emsche ordinis nostri, S. Theologiæ professoris eximii, filii Boppardiensis, quondam D. G. episcopi Cyrenensis, necnon suffraganei reveren-* E *dissimi Dietheri de Isenborch archiepiscopi sedis Moguntiae, MCCCCLXXX.*

XXXVI. Bertholdus ordinis Prædicatorum episc. Panadensis creatus a Paulo II. Pontifice an. 1468. die 13. Maii, suffraganeus hactenus Erfurtensis, Dionysio mortuo, in partibus Rhenanis ad tempus Diethero suffragatus est. Anno namque 1475. Francofurti ad Mœnum in templo Fratrum Prædicatorum consecravit altare in honorem S. Crucis, &c. An. 1480. Matthiæ suffectus, Sabbato Quatuor Temporum, quo cantatur *Venite adoremus*, ordines Moguntiæ contulit in æde S. Johannis. Sequenti 1481. dedicavit altare in monasterio Seligenstad. & die 19. Nov. Moguntiæ, in æde S. Petri extra mœnia aliud in ambone, ac insuper 1482. die 10. Julii in cœnobio S. Jacobi in monte altare S. Pantaleonis, &c. An. seq. Johannem Trithemium abbatem Sponheimensem nuper renuntiatum, Moguntiæ solemni ritu benedictionis munere affecit. Dehinc an. 1484. Sabbato, quo cantatur *Sitientes*, sacros ordines contulit in templo ordinis sui Moguntiæ; ac mense Decembri sequente Wernero Lochmann in locum defuncti abbatis Selbotensis Johannis electo, jussu Bertholdi archiepisc. benedictionis munus impertivit; itemque abbati Bursfeldensi Johanni de Westphalen, qui Theodericum Fulsigk secutus est, an. 1485. Denique an. 1486. pro electione Manimiliani I. in Regem Romanorum Francofurti die 14. Febr. apparatissima pompa missæ de Spiritu sancto peregit solemnia; ac deinde a Bertholdo archiepisc. litteris Aschaffenburgi die 21. Octob. datis vicarius generalis per Hassiam, Thuringiam, Eichsfeldiam & Saxoniam constitutus fuit.

XXXVII. Henricus III. episc. Vicecompon. an. 1486. in partibus Rheni Bertholdo suffectus fuit, die 8. Oct. litteris a Bertholdo archiep. datis. Anno seq. die 3. Maii in monasterio S. Jacobi juxta mœnia Moguntina, in cella abbatis altare Evangelistarum consecravit; quo etiam anno Gerhardum de Montebur abbatem S. Johannis in Rhingavia solemnibus adhibitis cæremoniis inauguravit. Biennio post in abbatia S. Jacobi aram S. Antonii die 4. Decemb. dedicavit; tandemque an. 1493. corporis carcere solutus est.

XXXVIII. Erhardus de Reduiz, ord. Cisterc. Bertholdo archiepiscopo visus est dignus, quem, Henrico rebus humanis erepto, Pontifici anno 1493. præsentaret, & titulo episcopi Vicecomponensis exornatum anno seq. ad vicariam pontificii muneris procurationem assumeret litteris Aschaffenburgi datis die 14. Apr. Hic autem an. 1495. XV. cal. Julii Sponhemii in domo abbatiali, altare, quod abbas recens statuerat, in honorem S. Annæ, &c. dedicavit, ac insequenti 1496. Johannem de Siegen Gerhardi de Montebur abbatis S. Johannis in Rhingavia successorem, Bertholdi archiep. mandato, benedictionis affecit munere. An. 1497. Moguntiæ, Sabbato Quatuor Temporum, quo cantatur *Intret*, sacros clericorum ordines, majores juxta minores que in æde Fratrum B. M. V. de Monte Carmeli contulit. Idem an. 1500. IV. cal. Jan. Bingæ consecravit altare in curia monasterii S. Jacobi in Montespecioso juxta mœnia Moguntina, in honorem SS. Jacobi & Benedicti, & anno seq. in villa comitatus Dasselensis, *Salz* dicta, templum novum ac cœmeterium. Ex hac mortali vita evocatus est an. 1502. die 30. Septemb. sepultus Moguntiæ in choro ædis Dominicanorum, retro principem aram, a dextris, una cum lapide sepulcrali, cui ejus insculpta effigies habitu pontificali, cum hac inscriptione: *Anno Dom. 1502. die S. Hieronymi obiit reverendus in Christo pater*

& dominus Erhardus, reverendissimi domini Bertholdi archiepiscopi Moguntini suffraganeus, ac studii Moguntini rector. C. A. R. J. P. Pulcherrimam quoque ipsius effigiem videre est in fenestra quadam picta in peristylio monasterii Erbacensis in Rhingavia, cum hac epigraphe : *Erhardus de Redwitz, de conventu Lanckheim, ord. Cisterc. Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Vicecomponensis, reverendissimi in Christo patris & domini Bertholdi sanctæ Mog. sedis episcopi in pontificalibus vicarius & commissar. generalis 1501.*

XXXIX. Thomas Ruscher episc. Vicecomponensis, patria Gamundianus, primus in novella academia Moguntinensi doctoris theologi titulo & honoribus exornatus est an. 1493. die 17. Junii. Dehinc Erhardo destinatus successor, an. 1503. Dominica *Oculi* dicta, XIX. Martii, in ecclesia collegiata S. Petri, quæ quondam extra mœnia Moguntina fuit, dignitatis episcopalis sacra suscepit, & mox die 27. Martii a Bertholdo archipræsule, honestissimo diplomate in demandati muneris procurationem immissus est. Anno 1505. Johanni Antel de Crozenberg abbati Selboltensi in Werneri Lochmann locum electo, munus consecrationis impertivit ; & haud ita multo post, ipsi Jacobo archiepiscopo Moguntinensi, rei divinæ subservientibus Philippo antistite Spirensi, illiusque suffraganeo Johanne. Eodem anno, die 20. Decemb. aram in Eremo Carthusiensium dedicavit. Insequenti Nicolaum de Luzenburg Sponhemii abbatem Johanni Trithemio cedenti subrogatum solito benedictionis ritu initiavit. Postero 1507. chorum parochialis villæ Planich, impensis cœnobii S. Jacobi in Monte-specioso constructum Dominica post festum SS. Simonis & Judæ dedicavit ; & annis proxime secutis duos rursum abbates consueto cæremoniarum inauguravit ordine ; & anno quidem 1508. Fridericum, qui Johanni de Siegen abbati S. Johannis in Rhingavia succedebat, anno vero 1509. Thomam, qui Seligenstadii abbatem sibi cognominem, fato suo nuper functum, sequebatur. Morti debitum solvit an. 1510. die 8. Aug. sepultus in æde majori ad ingressum e sacello Gothardino, sub saxo, cui incisa illius effigies habitu pontificio, una cum epitaphio.

XL. Johannes VII. Monasterii, Artium magister, decretorum licentiatus, vicarius majoris, & collegio metropolitano a secretis, inde anno 1498. canonicus ecclesiæ S. Johannis, ac 1505. parochus villæ Dromersheim, an. 1510. die 4. Novemb. Julio II. Pontifici præsentatur ut esset episcopus Vicecomponensis ; cui probatus, & ab Uriele archiepiscopo ad vicariam in pontificalibus operam assumtus, anno seq. 1511. duobus statim abbatibus benedictionis contulit munus, nempe Johani Bicker Monasteriensi, ord. Præmonstr. & Petro Mankebel Selbodensi. Item an. 1513. Moguntiæ consecravit Hartmannum, Burggravium de Kirberg abbatem Fuldensem, præsentibus Volperto Riedesel de Bellersheim Hersfeldensi, & Christiano Solitariensi, abbatibus ; an. 1522. Ludovicum abbatem Seligenstadensem, sequenti, IV. nonas Julii Johannem de Simmern

A Sponheimensem, & an. 1527. Paulum Rubricensem ord. Præm. Dein 1530. canonicus ecclesiæ S. Stephani factus est, non dedignatus solitum implere munus, quamvis ob dignitatem medio tempore qua tenebatur lege fuerit solutus. Anno seq. Hugoni abbati Seligenstadensi, Hochstæ in locum demortui Ludovici electo, 1532. Johanni Holspach Sponheimensi, Johannis de Simmern successori, & an. 1536. Philippo Wackerwalt Selboltensi benedictionis gratiam impertivit ; quo etiam anno, feria III. post festum sancti Martini ædem majorem homicidio profanatam expiavit. Subsequenti 1537. Ignatium Fockel Seligenstadii B in locum defuncti abbatis Nicolai Scheidweck per viam compromissi suffectum, solito cæremoniarum apparatu inauguravit. Verum cum ætate jam longius processisset, quam ut arduum hoc munus officii amplius exsequi posset, hoc ipso anno sponte se abdicavit, superstes ad an. 1544. quo ultimum vitæ spiritum emisit die 25. Junii, sepultus in peristylio, prope sacellum S. Nicolai, sub saxo, in quo olim ænea tabella hoc epitaphium complectebatur. *Reverendus dominus Johannes Monasterii, episc. Vicecomponensis, & suffraganeus Moguntinus, cum honorem, quem singulari doctrina & virtute meruerat, triginta duo-* C *bus annis & septem mensibus magna laude gessisset, honestæ vitæ finem felicem, Deo propitio, adjecit VII. cal. Julii an. Dom. MDXLIV.*

XLI. Michaël Helding, patria Suevus, an. 1537. die 18. Octobris ab Alberto cardinali & archiepiscopo ad vicariam muniorum pontificalium procurationem destinatus, anno sequenti Aschaffenburgi, jus sacrorum, sub titulo Sidoniensis episcopi, ex veteri majorum institutione capessivit, ac demandati muneris procuratione omni se cura functurum ore juxta scriptoque promisit die 5. mensis Aug. nec multo post Hermanno abbati S. Johannis in Rhingavia designato; D Conrado item anno seq. in locum Philippi Wackerwalt abbatis Selboltensis anno superiori substituto, ac insuper Johanni de Boppardia, Carolo de Moguntia abbati Eberbacensi, suffecto, secundum morem & ecclesiæ ritum bene precatus est. An. 1541. in canonicum S. Mauricii cooptatus, & 1544. canonicis ad S. Stephanum adscriptus, sequenti anno 1545. ad concilium missus Tridentinum, die 18. Maii heri absentiam in consessu legatorum publice excusavit. Idem an. 1547. Johannem electum monasterii Sponheim. abbatem solito benedictionis ritu initiavit, tum vero Petrum Sutoris abbatem Roden- E kirchensem an. 1548. ac insequenti Casparem Geysel electum abbatem Arnspurgensem ; quo anno 1549. episcopatum Merseburgensem consecutus est.

XLII. Georgius Neumann, *al.* Neander, episc. Sidoniensis, patria Herbipolensis, sacræ theologiæ doctor, S. Petri & S. Stephani ecclesiarum canonicus, tandemque a Sebastiano archiepiscopo in locum Michaëlis subrogatus, an. 1550. die 31. Aug. in æde S. Petri sacram inaugurationem accepit a Georgio episcopo Davalensi, suffraganeo Spirensi, fato præreptus die 3. Februarii

anni seq. ac sepultus in æde majori ante aram S. Petri. A

XLIII. Balthasar Waneman episc. Mysiensis, ord. Prædicatorum, Tremoniensis patria, cum tunc esset suffraganeus Hildeshemensis, an. 1551. die 24. Martii, Georgio successor datus est a Sebastiano archipræsule. Biennio post Pallantem de Spira abbatem Erbacensem; anno seq. 1554. Danielem de Pinguia, qui Pallantem fato præmaturo exstinctum excipiebat; an. 1555. Johannem abbatem Sponheimensem; secuto 56. Philippum de Ostheim abbatem S. Johannis in Rhingavia, eoque postea abdicatione voluntaria de hac provincia decedente, Valentinum Horn, B & an. 1558. Hermannum in locum defuncti abbatis Hainensis Johannis Falckenberg electum, abbatiali benedictione donavit. Triennio post, cum Coloniam delatus esset, morbo correptus vivere desiit die 8. Octobris, sepultus ibidem in æde sacra ordinis sui, cum hac inscriptione sepulcrali: *Reverendus in Christo pater & dominus Balthasar episc. Mysiensis, suffraganeus Mogunt. sacræ theol. doctor, ex ordine Prædicatorum professor, hic est positus, gloriosum Christi adventum expectans. Obiit an.* MDLXI. VIII. *Octob.*

XLIV. Leonhardus Zittardus episc. Mysiensis, ord Prædicatorum, Balthasarem excepit, C suffraganeus constitutus an. 1562. & anno seq. die 17. Martii oleo sacro delibutus. An. 1564. Johannem Textoris Conrado Unckel abbati Arnspurgensi suffectum, & postero Johannem de Boppardia abbatem Erbacensem recens electum benedictionis affecit munere. Naturæ concessit an. 1569. die 18. Junii, sepulturæ traditus in æde majori.

XLV. Stephanus Weberus, episc. Mysiensis an. 1569.* die 28. Febr. designatus, ac die 3. Augusti mensis ab archiepiscopo Daniele ad pontificii muneris procurationem assumtus, variis postea beneficiis cumulatus fuit: Danielis enim D provisione anno postero die 21. Junii canonicus ad S. Victorem factus est; ac post biennium a collegio designatus decanus. An. 1580. ab academia præsentatus, B. M. V. ad Gradus sacerdotium est consecutus; novaque principis & archiepiscopi provisione aliud Aschaffenburgi in ecclesia SS. Petri & Alexandri. Cum autem annos 52. menses 3. & dies XI. sub quatuor archiepiscopis Moguntinensibus, Daniele, Wolfgango, Adamo & Johanne Suicardo, pontificia cura cum integritatis & magna sapientiæ fama perfunctus esset, an. 1622. die 7. Aug. placidissima morte lucis usuram perdidit; conditum cor- E pus in æde patrum Societatis Jesu ante aram principem, quam suo statuerat ære.

*sive 1570. secundum novum computandi modum.

XLVI. Ambrosius Saibæus episc. Mysiensis, patria Cizensis, variis honorum gradibus vicariam pontificii muneris procurationem consecutus, an. 1623. die 23. Julii Aschaffenburgi dignitatis episcopalis sacra capessivit, uti Conradus Mahs ejus in parochia chori ferrei successor in libro inferiali his adnotavit verbis: *DoCtor AMbrosIVs SaIbaeVs sVffraganeVs flebat.* Inde cum & auctoritate valeret, & singulare eruditorum esset ornamentum, academiæ constitutus fuit cancellarius. Tum an. 1631. Suecis Moguntiam urbem ac viciniam opprimentibus armis, Lucenburgum se contulit, cumque interim anno seq. Georgius episc. Azotensis & suffraganeus Trevirensis fato suo functus esset, a Philippo Christophoro archiepiscopo Treverim accersitus est, ubi quatuor commoratus annis, vicariam eidem in pontificalibus operam præstitit. Treveri vero ab Hispanis occupata 1636. Moguntiam repetiit, ac inter varias belli calamitates pontificia cura, ut solitus semper fuit, cum magna integritatis ac sapientiæ fama functus est. Tandem animam creatori suo reddidit an. 1644. die 20. Novemb. ætatis anno 74. ac in templo patrum Societatis Jesu ad latus decessoris Stephani honorificentissime sepultus est.

XLVII. Woltherus Henricus de Strevesdorf episc. Ascalonensis, ord. Eremitarum S. Augustini, Novesii natus in archiepiscopatu Coloniensi, cum jam esset Anselmi Casimiri archiepiscopi Mogunt. apud Erfurtum in pontificia sacrorum procuratione vicarius, Saibæo successit an. 1644. ac sequenti, VI. idus Sept. Johannem Philippum de Schomborn electum antistitem Herbipolensem episcopali charactere insignivit. An. 1656. cum academia Moguntinensis suum renuntiavit cancellarium, & aliquot post annis rectorem. Biennio dein exacto Francofurti Leopoldi Cæsaris inaugurationi episcoporum ipse senior ac primus adstitit. Idem quoque Lothario Friderico episcopo Spirensi non modo consecrationis munus impertiit, verum etiam post obitum Johannis Philippi ad fastigium rerum Moguntinensium provecto pallium archiepiscopale consuetis ritibus imposuit. Obiit plenus dierum die 7. Maii an. 1674. ætatis 86. funeratus in æde ordinis sui ante aram principem, quamvis pia animi submissione sine pompa in peristylio se tumulari petiisset. Epitaphium, quod sibimet fecit, ita habet:

Ad lectorem
Quid agam, requiris! tabesco.
Scire quis sim cupis! fui Woltherus,
Vapor & fumus.
Vitæ quæ fuerint condimenta, flagitas! rogas!
Labor, dolor, luctus, servire aliis, sustinere invidias.
Æmulationes, despectus, degradationes,
Persecutiones non curavi.
Quos habui caros, plerosque sepelivi.
Raro, subinde tamen, amicum sincerum vel candidum videre,
Experirique dignus fui.
Fictos, dolosos, mel ex ore spumantes, in corde venenum habentes
Nactus pluries fui.
Siste viator
Nil stabile sub sole esse cogita,
Hic opta, cineres placida cum pace quiescant,
Atque mihi siquidem sit requies animæ,
Ora, quæso, Deum opt. max.

XLVIII. Petrus de Walenburg episc. Mysiensis, an. 1658. Moguntiæ, Johanni Philippo in

vicaria sacrorum functione, Wolthero vel impedito valetudine vel aliis de causis, suffragari cœpit. Anno seq. cum Johanne Christophoro Webero ad sancti Victoris cantore, archiepiscopi mandato intervisit monasterium Ilbenstadense; cujus abbati recens designato in æde parochiali, quæ vulgo *Odenmunster* appellatur, benedictionis munus impertiit an. 1663. Dominica proxima intra Octavam festi Ascensionis Domini. Anno 1669. fratre Adriano episc. Adrianopolitano & suffraganeo Coloniensi rebus humanis erepto, Coloniam vocatus est, illi ut succederet. Unde tum vicarii quæ Moguntiæ gessit munia, tum beneficia, quæ ibi consecutus erat, ecclesiastica, an. seq. 1670. dimisit, factus archiepiscopi Colon. suffraganeus, & ecclesiæ metropolitanæ Colon. presbyter canonicus; a quo tempore Strevesdorfius in partibus Rheni, quoad vixit, pontificia iterum functus est cura.

XLIX. Adolfus Godefridus Volusius episc. Diocletianopolitanus, Hanoviæ natus, sacræ theologiæ doctor, an. 1645. tum chori ferrei parochus, tum summi templi ecclesiastes constitutus est. Biennio post scholasticus B. Mariæ Virg. ad Gradus, annis vero sequentibus protonotarius apostolicus, consiliarius Electoris & sigillifer major, ad B. M. Virginem & S. Mauricium decanus, necnon cleri secundarii syndicus, anno 1676. in locum Woltheri subiit, a Damiano Hartardo archipræsule consecratus episcopus; qua tamen dignitate haud obstante, ecclesiastæ munus in majori ad mortem usque obiit. Anno 1678. vicariatu in pontificalibus apud Erfurtenses vacante, Wetteraviam, Hassiam & Eichsfeldiam perlustravit. Vita concessit anno seq. 1679. die 17. Martii, tumulatus in choro templi B. Mariæ Virg. ad Gradus, cum epitaphio.

L. Matthias Starck episcopus Coronensis, ex instituto clericorum secularium in commune viventium, post vicaria munia ecclesiastica variis in locis diligenter obita, summosque tandem in ordine theologorum honores obtentos an. 1669. protonotarius apostolicus evasit & canonicus ad S. Bartholomæi Francofurti capitularis an. 1671. insequenti vero decanus, & an. 1673. ad sancti Leonhardi canonicus capitularis. Tum vero in Adolfi Godefridi locum expetitus, Pontifici probatus, tituloque episcopi Coronensis adauctus, an. 1681. jus sacrorum die 27. Julii, Anselmo Francisco inaugurante capessivit. Exinde pontificium munus pro duobus obiit archiepiscopis, & præter septem abbates, quibus benedictionem impertiit, consecravit Lotharium Franciscum archiepisc. Moguntinum, & Johannem-Carolum Vangionum antistitem. Ex senio tandem cæcus, & muneribus officii exsequendis impar effectus, iis an. 1703. se abdicavit, ac denique suos dies absolvit an. 1708. die 8. Febr. ætatis anno 80. Francofurti in æde S. Bartholomæi traditus sepulturæ.

LI. Edmundus de Jungenfeld episc. Mallensis, sacræ theologiæ doctor, protonotarius apostolicus, insignium ecclesiarum collegiatarum B. M. Virg. ad Gradus & S. Crucis decanus, S. Petri scholasticus, ac principis Electoris consiliarius, virtutis merito Matthiæ in locum suffectus est an. 1703. & die 8. Julii Dominica sexta post Pentecosten, in æde majori, dignitatis episcopalis sacra suscepit, inaugurante Lothario Francisco archipræsule Moguntino. Tum an. 1712. die 18. Sept. Dominica XVIII. post Pentecosten, in æde majori Moguntina aram principem ab extrema chori parte ad anteriorem translatam sacravit in honorem S. Martini pontificis, &c. Deinde an. 1714. Dominica post Pentecosten XVIII. quæ dies 9. Septembris erat, Henricum Hartardum de Rollingen episcopum Spirensem, S. R. I. principem, præpositum Weissenburgensem & Odenheimensem pontificali charactere insignivit, assistentibus Johanne Bernhardo episcopo Chrysopolitano, suffraganeo Herbipolensi, & Petro Cornelio episc. Medonensi suffraganeo Spirensi; & an. 1721. die 24. Febr. Bruchsaliæ Damianum Hugonem cardinalem, episcopum Spirensem, præpositum Weissenburgensem & Odenheimensem, magni ordinis Teutonici equitem, & balliviarum Hassiacæ & Veterojuncetanæ commendatorem, comitum Schonberniorum familia natum, Johanne Joachimo episc. Metellopolitano, suffragancо Erfurtensi, & Johanne Bapt. episc. Trapezopolitano, suffraganeo Wormatiensi, rei sacræ administris.

DE ABBATIIS, *seu* MONAST. DIŒCESIS MOGUNTINENSIS.

HAud quidem satis perspicuum est, utrum hæc omnia, quæ hic recensemus monasteria titulum obtinuerint abbatialem. Nec monere piget, nos in ea recensione in gratiam maxime Germanicarum ecclesiarum omnibus indiscriminatim cis & trans Rhenum monasteriis locum dedisse, quantum ea licuit ad hanc pertinere diœcesim deprehendere. Porro duas illorum classes pro more nostro instituimus, aliorum scilicet, quæ a suo primævo statu defecerunt, aliorum quæ hunc ipsum servaverunt illibatum. At nemo miretur si qua fortasse minus apposite ad hanc vel illam classem relata sunt; nulli certe labori pepercimus, ut assequeremur veritatem, sed ipsa plenius unde hauriremus, monumenta defuerunt.

DE VETERIBUS MONASTERIIS

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

I. FRITZLAR.

FRISLARIENSE, *seu* FRITISLARIENSE monasterium conditum est a S. Bonifacio circiter an. 732. ad fluvium Adranam l'*Eder* in Hassia trans Rhenum, in honorem S. Petri, cui deinde patronus alter accessit S. Wigbertus. Primitus quidem sub instituto Benedictino militavit, sed jam anno circiter 900. ab eo defecisse

Trithemius docet. Quod autem ad ipsius dioecesim attinet, Moguntinam olim asserit Mabillonius, Birburgensem Cointius, sed ambo consentiunt nunc ad Paderbornensem pertinere. Ceterum inter illa monasteria recensetur, quae dona tantum dare debent sine militia, ex decreto synodi Aquisgranensis habitae anno 817. Verum anno tandem 1079. Fritislaris oppidum cum monasterio combustum fuit in expeditione, quam Rodulfus rex in Hassiam movit; ex quo infortunio solum surrexit oppidum, quod hodie quoque cernitur prope locum monasterii. Duo tantum abbates ad nostram pervenere notitiam:

S. Wigbertus I. ducebat genus suum ab occidentalibus Saxonibus, apud quos monasticam vitam profitebatur, quando S. Bonifacius jam archiepiscopus inde hunc accivit; ergo, inquit Mabillonius, post annum 732. & tamen ante annum 738. Migravit ad Dominum Wigbertus an. 746.* sive, ut alibi legimus, septem annis ante Lulli archiepiscopi ordinationem; cujus postea reliquiae, metu Saxonum, Buriburgo in monasterium Hersfeldense translatae fuerunt circa annum 773. De ejus vita librum scripsit Lupus Ferrariensis an. 836. post annos 90. quam is e vivis excesserat. Vide seculum III. Benedict. p. I. pag. 671.

*al. 747.

Wigbertus II. primi discipulus, cujus inter Bonifacianas exstat epistola 83. ad Lullum episcopum.

II. HIRSFELDIA, *seu* HERSFELDIA & aliquando Herocampia, Imperiale monasterium, (cujus generis in Germania sunt quatuor) Romano Pontifici proxime subjectum, aedificari coeptum est in Hassiae* finibus, ad Fuldam amnem, sex fere milliaribus a Fuldensi monasterio, an. 736. teste Lamberto Scafnaburgensi, ejusdem coenobii egregio historiographo. Porro ejus initia sanctis Bonifacio archiepiscopo & Sturmio, incrementa Lullo Bonifacii successori, restituta disciplina S. Gothardo, sive Godehardo episcopo & abbati, decus & ornamentum sancto Bardoni archiepiscopo Moguntino accepta referri debent. Auxit monasterii famam translatio reliquiarum S. Wigberti abbatis Fritislariensis, quae anno circiter 780. facta est. Joachimus Maderus Helmestadii superiori seculo libellum edidit a monacho anonymo ante annos plusquam quingentos compositum, de institutione Herveldensis ecclesiae, in qua B. Lullus monachos 150. constituisse dicitur. *Anno 830.* vel potius 831. uti Lambertus monachus auctor est, *Brunn & Raban abbates fundamentum ecclesiae S. Wigberti foderunt VI. idus Julii feria 2.* Rabanus post mortem Bruni eam absolvit, dedicavitque anno 850. V. cal. Nov. *Anno 1040.* teste Lamberto Scafnaburgensi, *dedicata est crypta Herveldensis, atque in eam translatae sunt reliquiae SS. Confessorum Wigberti & Lulli.* Verum seculo superiore, inquit Gabriel Bucelinus, pinguis hujus monasterii possessio Landgraviatui Hassiae adjecta est. Ceterum distinguendus hic locus ab Hersevelda in Saxonia, ubi Udo Stadensis comes, alio nomine Liudgerus, &c. monachos restituit loco clericorum, quos inde expulit.

*al. in Thuringia.

ABBATUM NOMENCLATURA.

STURMIUS nobilis Noricus a S. Bonifacio ex Bajoaria secum adductus, hunc locum primus incoluit per novem annos, ab anno scilicet 736. ex Lamberto Scafnaburgensi, aut 737. ex annalibus Gregoriani in Alsatia monasterii, usque ad an. 744. quo aptiori reperto loco, ubi sacrum Fuldense monasterium erectum est, ejusdem primus abbas evasit. Ex Hirsfeldia igitur abscessit, quae nonnisi post aliquot annos in justi monasterii formam coaluit, Lullo archiepiscopo rem promovente, qui & ibidem conditus est. Obiit Sturmius an. 779. XII. calend. Maii.

Balthardus *Balthart* abbas Herveldensis, e vivis excessit circa an. 798. ex Lamberto Scafnaburgensi.

Hemmo, *seu* Haimo Bunum, qui sequitur, praecessit in regimine; ait enim Mabillonius ad an. 845. tunc praefuisse Bunum Haimonis successorem, qui tamen vir doctus & accuratus sibi non constat, cum alibi tradit regimen auspicatum esse Haimonem an. 839. & adhuc tenuisse 840. virum doctrina & pietate insignem, brevi futurum episcopum Halberstadensem. Vocatur sanctus, & obiisse dicitur anno 853. die 23. Martii.

Buno, *seu* Bunus & Brunus cum Rabano Fuldensi abbate ecclesiae novae fundamenta jecit anno 831. VI. idus Julii feria secunda, quam deinde praedictus Rabanus archiepiscopus absolvit, dedicavitque an. 850. V. cal. Nov. Eidem Buno, & cunctis fratribus ejus an. 836. Lupus Ferrariensis librum de vita S. Wigberti abbatis quondam Fritislariensis a se scriptum nuncupavit. Porro is est haud dubie Bruno abbas & princeps monasterii Hersfeldensis, frater germanus Luitberti I. abbatis Hirsaugiensis. Obiit autem Brun abbas Herveldensis, cui *Brunwart* successit, ex Lamberto Scafnaburgensi ad annum 846.

Brumwardus, *seu* Brumwartus, factus est abbas anno 846. ex eodem Mabillonio, qui quidem seculo III. Benedict. part. I. pag. 672. Brumwardum Bruni successorem vocat; obiit vero 875. ex Lamberto Scafnaburgensi. Sane hic anno 868 subscripsit epistolae synodicae concilii Wormatiensis, eique scripsit Hincmarus Remorum antistes pro rebus S. Remigii & colonis ecclesiae Remensis in Thoringia constitutis. Vocatur autem Bernardus in concilio Moguntino, quod habuit Rabanus archiepisc. an. 848.

Drugo successit, locumque rexit ad annum 892. & post hunc

Harderardus, qui synodo Triburiensi an. 895. interfuit. Obiit post annos regiminis novem an. 901.

Dietbardus, *seu* Diothardus I. & Thiotardus, Harderardi successor regimen subiit seculo X. ineunte, abdicavitque anno praefecturae 27. & post triennium decessit. Nullus proinde locus suppetit Radulfo Landgravio Thuringiae, quem auctor status praesentis ecclesiarum Germaniae editi 1724.

1724. ex abbate Hersfeldensi mortuum tradit episcopum Herbipolensem an. 908. Erat fortasse abbas Herseveldensis in Saxonia.

Diothardus II. *seu* Thiothardus junior, *al.* Diethmarus, ex monacho Hirsaug. fit abbas Herveldiæ an. 927. cum senioris Diothardi consensu, & anno proximo creatur episcopus Hildensheimensis.

Burcardus I. in Diothardi junioris locum subrogatus, præfuit annis ferme quatuor, postea Wirziburgensis, *seu* Herbipolensis episcopus, ad quam sedem evectus est an. 932. mortuus 941. VIII. cal. Aprilis.

Megingozus in Herveldiæ administrationem successit ad annos 23. ut ex Lamberto ejus loci monacho discimus. Unde Trithemium corrigas, qui Burcardo decem annos tantummodo regiminis abbatialis tribuit. Decessit Megingozus an. 956.

Hagano Megingozum excepit ad tres annos, quibus exactis, ob infirmitatem corporis abdicavit se præfectura.

Guntherus I. Haganoni successor datus an. 962. subscripsit diplomati Ottonis Magni imperatoris pro Johanne XI. summo pontifice. Triennio præfuit.

Egilolfus sedit proxime post Guntherum, idem ac Gillulfus, quem Otto imperator ex Italia in Germaniam misit curaturum, ut Fuldenses Werinharium, *seu* Wernerum abbatem eligerent loco Hattonis, quem a Moguntino clero & populo Willelmi archiepiscopi successorem eligi postulavit. Obiit 970.

Gozbertus regimini admotus an. 970. habuit controversiam acrem & pertinacem cum Werinhario Fuldensi abbate, de navigatione atque usu Hursillæ amnis, qui cum Nesa apud Isenacum in Thuringia confluens Worra recipitur. Idem 980. ecclesiam construxit in Ordoff, ex Lamberto Scafnaburgensi; verum postea cum fidem Ottoni III. præstare noluisset, monasterio cedere coactus est an. 985.

Bernharius antea ejusdem loci præpositus, pro Gozberto exauctorato regimen abbatiale suscepit; qui id unum laude dignum fecisse dicitur, quod calicem magnum *cum duabus ansulis* ex auro puro, electro & margaritis constantem comparavit. Erat quidem nobilis genere, sed humanitatis popularis famam aucupatus, fratres suos fovebat indulgentius; *ita ut more canonicorum proprietates sibi tam in privatis ædificiis, quam & in equis, & cultioribus quoque plurimis vestimentis, ac ceteris mundanæ gloriæ pompis vindicarent, & licentiam quoque dandi & accipiendi, cum illicitis & superfluis conviviis, ceterisque talibus usurparent.* His accessit biennio ante obitum, Bernharii abbatis morbus, ejusdemque a monasterio absentia, qui ultra Fuldam amnem in monte, ubi monasterium in honorem S. Petri exstruxerat, curandæ valetudinis causa, *cum militibus, ac ceteris sibi familiaribus mollius vivebat*, dum interim fratribus vix necessaria suppeditarentur. Hinc factum est, ut Hersfeldenses rei indignitate commoti, Henricum regem sæpius interpellaverint, ut sibi alium pastorem provideret. Dum autem res differtur, moritur Bernharius an. 1005.* cujus in locum a Rege suffectus est, episcoporum consilio

* al. 1002.

S. Godehardus, *seu* Gothardus an. 1005. cum jam esset abbas sive rector Altahensis monasterii; qui per Willigisum Moguntinum archiepiscopum illic institutus, mox ejusdem rogatu regulæ severiores leges illuc revocare voluit; quapropter optionem dedit laxioribus monachis alio discedendi, paucos secum voluntarios retinens, quos brevi ad regularis vitæ formam adeo inflexit, ut eorum religiosa conversatione permoti vagi alii monachi ad proprium tandem ovile ultro reversi sint. Sic intra septem annos, quibus Godehardus præfuit, locus ille pristinum vitæ monasticæ splendorem recuperavit. Deinde anno 1012. Godehardus, relicta Hersfeldensi abbatia, ad suum prius Altahense monasterium se recepit, unde postmodum assumtus est circa 1022. in episcopum Hildensheimensem. Fuit etiam abbas Tegernseensis, de quo vide Stengelium in annalibus Cremifanensibus, pag. 142.

Arnoldus, *sive* Arnulfus, antea præpositus, per cessionem S. Gothardi regimen consecutus est; cui circa an. 1016. Miminleviæ cœnobium subjicitur. Testis est cum Richardo abbate Fuldensi in præcepto Henrici II. pro ecclesia Romana. (*Hist. Palat. prob. pag. 25.*) Porro is haud dubie Arnulfus est, a Trithemio perperam dictus *abbas Aichfeldensis*, qui an. 1022. adfuit synodo provinciali apud Seligenstat, & Francofurti an. 1027. (*Chronic. Hirsaug. ad an. 1036.*) Denique an. 1031. ut in chronico Hildensheimensi legitur, *Arnolfus pater monasterii Herveldensis, præcipuus in divinis & humanis rebus, a quibusdam ejusdem loci fratribus criminis accusatus, miserabiliter proprio honore est privatus.* Obiisse vero dicitur V. cal. Jan. an. 1032.

S. Bardo, Fuldensis monachus primum, tum primus S. Andreæ vicini monasterii præpositus, ac deinde *procurator*, id est abbas cœnobii Wirdunensis, *seu* Werthinensis ad Ruram, suggestione Gislæ imperatricis, cujus consanguineus fuisse dicitur ab anonymo ejus vitæ scriptore, in locum Arnoldi dejecti subrogatus est. Non consentit cum prædicto chronico ille anonymus, apud quem Bardoni tradita dicitur Herveldia pastoris sui morte viduata. At præferenda videtur chronici auctoritas, cui Lambertus Hersfeldensis monachus suffragatur his verbis: *Arnoldus amissa abbatia Herveldensi, obiit in Gellingin.* Vix autem Bardo Herveldiæ præfecturam inierat, cum ad sedem Moguntinam promotus fuit an. 1031.

Rodulfus, qui & Ruodo, Rotho, &c. præpositus cœnobii Stabulensis, discipulusque Popponis ejus loci abbatis, Bardoni sufficitur, ex Daniele Papebrochio, tom. 2. rerum Moguntiacarum apud Georgium Christianum Johannis, pag. 70. Deinde an. 1036. seu potius 1035. factus est episc. Paderbornensis.

B. Meginherus, *seu* Meginhardus ex decano in locum Rodulfi an. 1035. *vel* 1036. substitutus, an. 1057. idibus Martii, *seu* 1058. veste

monastica induit Lambertum, a patria dictum A Scafnaburgensem, & obiit 1059. die 26. Sept. *Vir magnarum in Christo virtutum, & unicum sua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monastice vivendi exemplar;* cujus temporibus monasterium Hersfeldense viros cum sanctitate tum doctrina celebres fovebat. Incensum est autem an. 1037. Exstat ipsius vita seculi VI. Bened. part. 2. p. 136.

Ruthardus ex Corbeiensi in Saxonia monacho, & scholarum magistro, ac etiam abbate, cum propter impacta sibi crimina hanc abbatiam dimisisset, Hersfeldensem obtinuit VI. idus Nov. vir hisce temporibus morum integritate & eruditione clarissimus; qui ecclesiam suam strenue B defendit in synodo Erfordiæ habita 1072. per Sigefridum archiepisc. Moguntinum. Hoc autem anno, mense Jan. ægrotare cœpit, sicque per totum annum continua ægritudine decoctus, cum evasurum se desperaret, abbatia & pastorali dignitate III. idus Decemb. ultro se abdicavit anno tertio-decimo exacto, quam Meginhero abbati successerat, duobus annis cum dimidio * superstes. E vivis excessit V. idus Junii anno 1074. ex Lamberto.

* *al.* anno integro cum sex mensibus.

Hartwicus I. ejusdem cœnobii monachus, a Ruthardo cedente successor designatus, haud multo post, dum Spatenbergum a Thuringis C obsideretur, eo missus est ad eripiendam inde prægnantem reginam, quæ Hersfeldiæ filium peperit, tertio post die baptisatum ab Ezzone Altenburgensi episcopo, qui tunc forte apud abbatem hospitabatur, ipsumque puerulum abbas & fratres Hersfeldenses e sacro fonte susceperunt. Idem vero postea factus archiepisc. Magdeburgensis, ex ea sede pulsus est circa annum 1085.

Fridericus dicitur abbas trium locorum; obiit an. 1100.

Guntherus II. circa an. 1101. Marcwardum abbatem Corbeiæ novæ Romani Pontificis partibus adversus Henricum faventem expulit, quem D idcirco altero mox anno ultio divina e medio sustulit.

Hartwicus II. memoratur abbas an. MCXI. in chartario Reinhartsborn. apud Schannat. lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ.*

Reginhardus obiit 1118.

Adelmannus mortem oppetiit 1130.

Henricus I. a Biengarten abbas Hersfeldensis, cujus rogatu Henricus archiepisc. Mogunt. ædem sacram Hersfeld. in frequenti episcoporum consessu & ipso Conrado imperatore præsente dedicavit. Inde fuit abbas Fuldensis, qui haud multo post in concilio provinciali Erfordiæ habito re- E prehensus, quod Fuldensem suscipiens abbatiam se se a diœcesani sui, Moguntini scilicet archiepiscopi, obedientia subtraxisset, huic anno 1150. dignitati valedixit, sive, ut alibi legimus, ab hac dejectus est dignitate.

Williboldus I. rebus humanis exemtus est 1162.

Hermannus vivere desiit 1165. *al.* 1167.

Hildebaldus adfuit conventui Principum apud Herbipolim an. 1168. ex Trithemio.

Burchardus II. vocatur electus Hersfeldensis anno 1168. in chartario Reinhartsborn. apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ,* pag. 116. Obiit hoc anno vel 1172. alius a Fuldensi abbate.

Williboldus II. defecit an. 1176.

Adolfus animam exhalavit 1180. quo quidem anno testis est in aurea bulla Friderici I. imper. pro archiep. Colon. ad calcem tomi 3. novæ Gall. Christ. col. 135.

Sifridus antea Bergensis prope Magdeburgum abbas, reperitur Hersfeldensis an. 1189. in libro citato *Vindemiæ litterariæ*, pag. 118 Diem clausit extremum an. 1200.

Johannes I. fatis concessit an. 1215.

Henricus II. an. 1216. indict. IV. quinto idus Maii testis est in charta Friderici II. imperatoris pro Alberto archiepisc. Magdeburgensi, ex hist. Palatinæ prob. pag. 67. Obiit 1225.

Ludovicus I. fato functus est 1242.

Wernherus habuit controversiam cum suo conventu, quæ sedata est circa an. 1252. ex lib. 4. Fuld. antiq. auctore Brouvero, pag. 308. sed illa simultas recruduit circa 1258. ex eodem auctore. Decessit an. 1266. cum jam pridem amotus fuisset.

Henricus III. ab Hertal, *al.* a Boyneburgh; jam abbas Fuldensis, post dejectionem Wernheri, Hersfeldensibus etiam abbas destinatur ab Imperatore. Memoratur eo nomine anno 1258. in prob. Hierarchiæ Fuld. auctore Schannatio, pag. 283. & 1259. in addendis ad historiam Moguntinam Georgii Christiani Johannis, pag. 1021. Cujus etiam memoria reperitur, lib. 4. Fuldensium antiq. Brouveri, pag. 309. Ceterum mirari subit obitum ejus consignari a Fuldensibus an. 1261. ab Hersfeldensibus vero 1278.

Henricus IV. a Schweinrodt obiit an. 1300.

Simon I. iniisse dicitur compositionem an. 1305. cum Henrico Fuldensi abbate.

Berthaldus ab Elben vivendi finem fecit an. 1308.

Simon II. ab Hutten obiit 1315.

Henricus V. a Mosleben vitam hanc mortalem cum æterna mutavit an. 1318.

Andreas de Hen diem suum obiit 1320.

Henricus VI. a Romrodt mortuus est anno 1325.

Ludovicus II. a Mansbach occubuit 1342.

Johannes II. ab Elben migravit a seculo 1366.

Bertholdus a Volckershausen interiit 1388.

Reinhardus a Boineburg pastorali munere simul & vita decessit an. 1398.

Conradus I. reperitur an. 1401. die S. Scholasticæ virg. hoc est 1400. pro veteri annum inchoandi ratione, in charta authentica probationum clientelæ Fuldensis beneficiariæ, pag. 327.

Hermannus II. ab Altenburg an. 1400. die Veneris post Dom. *Quasi-modo,* qua die Johannes II. archiep. Mogunt. suum Hersfeldensibus patrocinium promisit. Fortasse tamen hic præmittendus est Conrado, & iterum repetendus 1413. quo anno, die 1. Aug. cum eodem Johanne archiep. pactionem fecit. Occurrit etiam

Hermannus abbas an. 1414. Dominica post Decollationem S. Johan. Bapt. quando hujus loci cœnobitæ quamdam de regula S. Benedicti curatius in posterum suo in coetu observanda fecisse ordinationem dicuntur.

Albertus de Buchenav præsens in capitulo provinciali Constantiæ celebrato, adstante Sigismundo rege, & in altero anni 1422. in cœnobio Seligenstadensi habito; quo circiter anno Conradus archiepisc. eum in suam tutelam cum ipso monasterio suscepit. Vitam reliquit, vel solum regimen abdicavit 1438.

Conradus II. ab Hertzenroda exstinctus est 1452.

Ludovicus III. Virtzthumb obiit 1483.

Damianus Knoblanch diem suum ultimum clausit eodem an. 1483.

Wilhelmus a Volckershausen obiit 1493. postquam, inquiunt, annos 93. in ordine Benedictino exegisset.

Volpertus Riedeselius a Bellersheim præfuit capitulo provinciali habito apud S. Udalricum in Augusta civitate an. 1506. Idem an. 1513. adfuit benedictioni Hartmanni in abbatem Fuldensem; quo etiam anno, *al.* 1514. inopia pressus, simul & indignatione oppidanorum Hersfeldiæ motus, abbatiam in manus Romani pont. Leonis X. de fratrum suorum, ut ferunt, consensu, resignavit. Statim vero Hartmannus ex Burggraviis de Kirckberg abbas Fuldensis, ab eodem Papa, rogatu Cæsaris Maximiliani, litteras obtinuit, quibus titulum abbatialem dicti monasterii Hersfeldensis extingui consentit, & ipsum locum cœnobio Fuldensi conjungit & annectit. Tum igitur abbas Fuldensis die 9. Sept. ejusdem anni decanum suum, præpositum quoque Montis S. Johannis & cancellarium suum, certis cum aliis monachis & equitibus misit ad monasterium Hersfeldense, cujus absque mora in unum convocatis monachis, decanus antiquus deponitur, novusque ex conventu Fuldensi constituitur, qui vice domini sui abbatis & monasterium in possessionem, & monachos ad obedientiam suscepit. Verum hanc unionem vix bene coalitam Anna Meckelburgica, artificio viduæ Willelmi Langdgravii, discussit, & ex monasterio Helmuerdeshausio ad Dymollam Ludovicum ab Hanstein ibi tum abbatem accersitum, præpositum eligendum obtrusit an. 1514. Obiit Volpertus, ac sepultus est in præpositura S. Andreæ, cujus, cum abbatia cessit, constitutus erat præpositus, anno 1540. die S. Tiburtii.

Ludovicus IV. ab Hanstein, de quo supra, decessit an. 1516.

Crato I. miles ab Hungen moritur an. 1556.

Michael Landgravius de Rusdorff, fundator novæ scholæ Hersfeldensis & hospitalis domus in aula inferiore, mortuus est die 4. Maii anno 1571. nulli antecessorum secundus.

Ludovicus V. Landaw de Heiinfeld viam universæ carnis ingressus est an. 1578. die 6. Sept.

Crato II. *al.* Craffto, a Weissenbach de inferiori aula, dicitur tempore æstivali eam perlustrasse, & neutiquam in ea repertus, multoque

A minus Hersfeldiam rediisse. Hunc autem alicubi legimus hæreticum abbatiam invasisse usque ad an. 1592. quo naturæ debitum solvit; cumque jam dudum res familiaris monasterii abiisset, ne locus etiam nomen catholicum amitteret

Joachimus Rollius, *al.* Selig de Rasdorff ex parocho in monachum a Ludovico abbate conversus, canonice hanc abbatiam impetravit an. 1593. Balthasaro Fuldensi abbate præcipuas in ea causa partes agente, illamque rexit usque ad annum 1606. quo defunctus est die 6. Martii, *al.* 7. Aprilis, summo prodicti Balthasaris mœrore.

Otto post obitum Joachimi a patre suo Guil-
B lelmo Mauricio Hassiæ Landgravio, in theatro publico super forum Hersfeldiæ exstructo princeps Hersfeldensis constituitur, seque talem gessit usque ad an. 1619.* quo semetipsum deducto globo transverberavit.

* *al.* 1617. die 7. Aug.

Nicolaus Selig tunc temporis Montis S. Petri præpositus, in abbatem unanimi suffragio trium ignobilium capitularium adhuc existentium suffectus, præesse quidem cœpit; at prædictus Mauricius Hassiæ Landgravius, post sepulturam Ottonis sui filii in Tigenhain, cum suo exercitu rurali denuo Hersfeldiam ingressus, simili modo alterum suum filium

C Guillelmum, Hersfeldensem principem nominavit, qui supra dictum Nicolaum Selig ex aula Hersfeldensi in dictam Montis S. Petri præposituram relegavit.

Leopoldus Guillelmus archidux Austriæ, filius Imperatoris Ferdinandi II. ex Anna-Maria de Baviere, episcopus Argentinensis, &c. an. 1628. Hersfeldensis ecclesiæ a suo patre, prævia tamen apostolica provisione, constitutus est administrator, cujus nomine & loco, dicti Imperatoris jussu, Georgius Fridericus Moguntinus archiep. abbatiæ possessionem capessivit.

Porro hic vice sui administrationem Johanni
D Bernhardo Schenck de Schweinsberg ecclesiæ Fuldensis abbati commisit; cujus quidem opera disciplina monastica jam an. 1629. in dicto cœnobio restaurata fuit, totaque ditio ad veterem catholicam reducta est fidem. Verum an. 1631. Wilhelmus Hassiæ Landgravius ditionem Hersfeldensem denuo apprehendit, ex eaque omnes & singulos tum monachos, tum clericos fugavit, & ex spolio terram Hersfeldensem retinuit usque ad 1648. quo per pacta Westphalicæ pacis domui Hassiacæ in perpetuum cessit sub titulo principatus secularis. Obiit autem Leopoldus Guillelmus an. 1662. die 20. Novemb. sepultus
E Viennæ in mausoleo imperatorio, quod in æde sacra Capucinorum intra mœnia urbis est.

S. ALBANUS.

Locus, in quo ab initio positum est hoc monasterium, modo collegium canonicorum, extra muros Moguntinenses, meridiem versus, aliquando dictus est *Mons-Martis*, eo quod ibi Martis idolum honoraretur, sed postmodum a Christianis, propter effusum in eo multorum martyrum pro Christi nomine sanguinem, *Mons* 114

martyrum appellatus est. Hos inter martyres eni- A tuit maxime S. Albanus ab Arianis seculo post natum Christum quinto trucidatus, cui aliquanto post ejus martyrium tempore pia fidelium mens ipso in loco, ubi B. martyris corpus reconditum fuit, sacellum quoddam ædificavit. Deinde hoc sacellum Riculfus archiepiscopus, sumtus præbente Carolo-magno, renovavit, imo sacelli hujus loco nobilissimam & amplissimam ecclesiam, qualis postmodum stetit, illic erexit, & in honorem Salvatoris N. J. C. consecravit calendis Decembris, anno incarnationis ejusdem 805.* indict. XIII. & huic adjunxit ordinis S. Benedicti monasterium, regalibus annumeratum a Trithe- B mio parte 1. Hirsaugiensis chronici, pag. 359. Tanta porro statim ab incunabulis huic loco accessit celebritas, ut Moguntinæ ecclesiæ præsules sua sæpius concilia ibidem celebrarent. Sane Ricolfus Mogunt. antistes an. 813. hoc in loco V. idus Junii synodum habuit, & Rabanus archiepiscopus pariter ibi concilium celebravit episcoporum provinciæ an. 847. Adde, Moguntinenses præsules, imo & plerosque proceres ibidem sepeliri voluisse, in quibus Fastrada regina in aquilonari ecclesiæ vestibulo tumulata est. Neque omittendum videtur Herioldum Danorum regem suo regno pulsum, cum uxore, multoque suo- C rum comitatu hoc in loco sacri baptismatis unda perfusum esse circa an. 826. Fama quoque religionis inclaruisse haud dubie probat inde monachorum colonia primum deducta Spanhemium, Trithemio testante, qui & ait cœnobium sancti Albani monachorum fuisse usque an. 1419. quo Martini papæ concessu in collegium canonicorum demigravit.

* al. 804.

ABBATES.

FOLCKERUS primum inter abbates locum obtinet, tom. 2. rerum Moguntiacarum edito 1722. pag. 735. ubi ejus epitaphium legere D est.

Eckbertus ibidem secundo loco reponitur, ea sola ratione quod in quibusdam litteris anni 1130. ipsius veluti jam pridem defuncti mentio habeatur. *Anno 858. in calendis Januarii*, inquiunt annales Fuldenses, *terræ motus magnus factus est per civitates & regiones diversas, maximus tamen apud Mogontiacum, ubi maceriæ antiquæ scissæ sunt, & ecclesia S. Albani martyris ita concussa est, ut murus de fastigio cadens oratorium S. Michaëlis ad occidentem basilicæ lucameratum cum tecto & laquearibus ruina sua confringens terræ æquaret.*

Willhardus adfuit concilio Triburiensi anno 895.

Willelmus I. Othonis I. filius ex femina quadam Sclavica, nobili tamen, seu potius ex prima Othonis conjuge Edgitha Angliæ regis filia, archiepisc. Moguntinus, fuit etiam abbas S. Albani, ut patet ex tabulis ejusdem datis an. 958. indict. 1. pridie nonas Aprilis, quas vide tomo 2. rerum Mogunt. pag. 735. Postmodum vero abbatiam dimisit.

Sigerus an. 962. *al.* 963. adfuit concilio Romano adversus Papam, ex Trithemio tom. 1. Hirsaug. chronici, pag. 104. Omittitur a nupero rerum Moguntiacarum scriptore.

Adelhardus præerat circa 965. ad quem annum Trithemius habet in chronico Hirsaugiensi. *His etiam temporibus mortuo Adelhardo abbate monasterii S. Albani prope Moguntiam, Wernherus Hirsaugiensis monachus, mandante Willelmo archiepiscopo, in abbatia successit.*

Wernherus I. præfuit ad annum circiter 974. *Vir magnarum virtutum & prudentiæ singularis.*

Gerbertus occurrit in tabulis anni 1016. Interfuit an. 1022. concilio Seligenstadensi, quod Aribo Moguntinus archiepiscopus celebravit; necnon conventui, quem Francofurti coëgit Conradus Salicus imperator anno seq. (1027. ex Mabillonio) ob exortam inter prædictum Aribonem & Gothardum Hildesiensem episcopum, de jure super Gandersheimense monasterium, controversiam.

Willelmus II. circa an. 1055. rogatus a canonicis S. Albani Namurcensis, capitis ejusdem S. Albani particulam concessit. Vide infra ad an. 1200.

Bardo nepos ex fratre Bardonis archiepiscopi Moguntini, primum fuit monachus Fuldensis, deinde abbas S. Albani circa 1072.

Arnoldus an. 1083. indictione 6. a quodam Ruzelino & Willa ipsius conjuge nonnulla prædia dono accepit. Ex quo patet errare chronicon Wirzburgense & Marianum Scotum, cum hunc obiisse 1072. *vel* 1074. memorat his verbis: *Arnoldus S. Albani abbas obiit, pro quo Godescalcus constituitur.*

Godescalcus deponitur anno 1085. inquiunt Dodechinus & chronicon Wirzburgense, in conciliabulo schismaticorum Moguntiæ apud S. Albanum habito, propterea quod scilicet Wiberto pseudopontifici Romano adhærere nollet.

Adelmannus in Godescalci locum sufficitur eodem anno, uti ex Dodechino discimus. Hic an. 1090. testis laudatur in litteris fundationis monasterii Chomburgensis, quas edidit Ruthardus archiepisc. Mogunt. Quo etiam anno idem Ruthardus ad petitionem Adelmanni abbatis ecclesiam S. Justini in oppido Hochst cum adjunctis prædiis, decimis ac omni jure, huic monasterio concessit. Memoratur & in alia donatione facta eidem cœnobio an. 1093. ind. 1. Obiit 1095. testante Dodechino, 1096. ex chronico Wirzburgensi. Ceterum vocat hunc Trithemius Adelbertum ad an. 1085. parte 1. Hirsaugiensis E chronici, pag. 176. ubi tradit hunc ipsum ex Hirsaugia missum fuisse cum octo monachis, suaque prudentia & industria locum ad pristinum decorem restituisse, & monachos ibidem repertos ad regularis observantiæ tramitem reduxisse.

Theodericus & aliquando Diodericus Adelmanno subrogatus an. 1096. testis est anno seq. in charta Ruthardi archiepiscopi quædam monasterio tradentis. Rexit cum laude annis viginti, defunctus 1116.

Bertolfus obiit anno 1119.

Volpertus, *seu* Walthertus & Folbertus abbatialem consecutus dignitatem impigre tenuit annos decem; interimque adsuit fundationi ac dotationi monasterii Spanheimensis per Meginhardum, &c. ipso die Natali Domini an. 1124. in ecclesia Moguntina ante altare S. Martini factæ coram Adelberto I. archiepiscopo, & multis aliis. Tum vero eidem cœnobio primum abbatem præfecit Bernhelmum suum monachum, cujus interfuit benedictioni ab Adelberto I. archiepiscopo in æde S. Albani peractæ VIII. cal. Julii, die festo S. Joh. Bapt. Subscribit etiam eodem anno 1124. litteris ejusdem Adelberti pro S. Remigio Remensi. Naturæ concessit an. 1130.

Wernherus II. præfuit annis ferme quindecim, quorum primo, 1130. præpositura S. Johannis in Ringavia ord. S. Benedicti per Adelbertum I. archiep. ipso abbate & conventu sancti Albani, ad quos jure pertinebat, consentientibus, in abbatiam sublimata fuit, primo abbate constituto Egilberto S. Albani monacho. Idem an. 1143. testis in litteris Henrici archiepiscopi pro cœnobio S. Petri in Erfordia, an. 1145. paulo ante obitum, testamentum suum, seu dispositionem omnium bonorum suorum fecit, in qua plura sanctorum festa annue solemniter celebranda instituit, ac in singulis certos quosdam reditus fratribus ad refectionem præscripsit, itemque plurima usibus pauperum & hospitibus suscipiendis destinavit.

Henricus I. sedere cœpit eodem anno 1145. & novem post annis suum condidit testamentum, quo bona quædam hinc inde sita monasterio legavit pro anima sua. Certe an. 1150. testis est in charta fundationis prioratus de Offenbach.

Baldemarus doctrina non minus, quam generis nobilitate conspicuus, testis laudatur in litteris Arnoldi archiepiscopi, quibus an. 1158. ind. VI. XI. Junii permutationem quorumdam bonorum moniales inter montis S. Ruperti juxta Bingam & fratres monasterii S. Disibodi factam, confirmat, liberam quoque abbatissæ electionem sanctimonialibus concedit, ac denique dictum sancti Ruperti parthenonem sub patrocinium S. Martini suscipit. Obiisse videtur hoc eodem anno; nam

Hartpertus legitur abbas in aliis ejusdem anni litteris post mensem septembrem, & iterum anno seq. in charta Arnoldi archiepiscopi ecclesiam Munsterliederbacensem, de qua contentio erat, ecclesiæ collegiatæ S. Stephani attribuentis.

Henricus II. an. 1168. villam ecclesiæ suæ, *Haseboch* nominatam, colonis, ob advocatorum intemperiem, destitutam, monasterii Erbacensis fratribus, certa pactione cum iisdem inita, transcripsit; initium hujus chartæ sic habet: *Henricus dictus abbas & qualiscumque provisor ecclesiæ B. Albani martyris in Moguntia, &c.* An. 1184. bullam protectionis obtinuit a Lucio II. pontifice Romano, in qua monasterii possessiones recensentur & confirmantur. Idem Henricus permutationem fecit an. 1190. cum Arnoldo Eberbacensi abbate super curia quadam in Bingen pro vinea in Budesheim. Iis quoque testibus accensetur, quos Henricus VI. imperator adhibuit,

A quando Godefrido abbati Epternacensi antiquum jus ac tutelam novis litteris an. 1192. confirmavit. Ipse vero an. 1194. obtinuit a rege Philippo privilegiorum omnium huic olim monasterio a Regibus & Imperatoribus concessorum renovationem; ac denique testis memoratur 1196. in litteris compositionis inter præpositum & fratres ecclesiæ collegiatæ S. Petri; & rursum eodem anno in charta Conradi archiepiscopi Mog. pro abbatia Haynensi ord. Cisterc.

B. abbas S. Albani circa an. 1200. datis reliquiis ejusdem sancti capitulo S. Albani Namurc. societatem init cum eodem capitulo, *Mir. pag.*
B *1206.*

Wolferadus anno 1213. vineam quamdam juxta oppidum Bingen viginti marcis vendidit monialibus S. Ruperti. Quo quidem anno monasterium erat oppressum, ut patet ex litteris Sifridi archiepiscopi eidem sex ecclesias, quando eas vacare contigerit, ad sustentationem fratrum concedentis.

Gebeno simul abbas S. Albani & Seligenstadensis innotescit ex litteris societatis inter utrumque monasterium ab eo datis an. 1219.

Gunzechinus abbas memoratur in litteris Sifridi II. archiepiscopi an. 1220. eumdemque Si-
C fridum munificum expertus est an. 1227. Iniit compositionem cum Helferico de Rotenberg an. 1233. super bonis quibusdam in Drechtingshausen; ac denique obtinuit a Gregorio IX. Romano pontifice an. 1234. ut prima post canonicos majoris ecclesiæ, fratres S. Albani sessione gauderent.

Conradus I. reperitur in quibusdam litteris an. 1240. die S. Laurentii super locatione ipsius S. Albani curiæ in Moguntia inter Cerdones sitæ.

Rudolfus I. ecclesiæ metropolitanæ in augmentum præbendarum an. 1254. parochialem ecclesiam in Strasheim possidendam in perpe-
D tuum donavit attribuitque; pro qua liberalitate capitulum metropolitanum fratres S. Albani in perpetuum societatis consortium assumsit, & præter alia, collationem novæ vicariæ in ecclesia metropolitana fundatæ, Rudolfo, ejusque in abbatia successoribus in perpetuum contulit. Anno 1266. XII. calend. Aug. assensum præbuit, ut Wernherus archiepiscopus ecclesiam in Sarmsheim prope Bingam, cujus ad abbatem & conventum S. Albani jus patronatus pertinebat, collegio S. Stephani annecteret; sibique vicissim & successoribus unius præbendæ in dicta S. Stephani ecclesia collationem acquisivit. Demum
E Rudolfus an. 1269. postquam laudabiliter rexisset, vivendi finem fecit; cujus anniversarium in Moguntina majori ecclesia annuatim mense Junio peragitur.

Conradus II. præerat an. 1270. qui cum esset Deo devotus, & B. Mariæ Virg. cultor insignis, sacellum ejusdem Deiparæ situm in Oberndorf in finibus villæ Bodenheim, jam dudum provisorum incuria pene desolatum, ac in suis proventibus diminutum restauravit, reditibusque ad officium divinum in eo rite obeundum instruxit an. 1271. E vivis sublatus est 1273.

Rudolfus II. eodem anno 1273. v. cal. Junii a Wernhero archiepiscopo confirmatus abbas, eo munere pie non minus quam utiliter perfunctus est annos tres & aliquot menses. Interim anno 1274. decano & capitulo S. Victoris quatuor maldra siliginis, tertiam partem duarum *amarum* vini Hunici, ac tertiam partem duorum plaustrorum straminis vendidit. Item an. 1276. plebano in villa Bodenheim certam portionem annuatim percipiendam constituit, quadraginta scilicet maldrorum siliginis & unius *carratæ* vini, necnon aliorum quorumdam censuum ac decimarum. Denique an. 1277. quam Philippus de Hohenfels junior in feodo ab ecclesia S. Albani habebat in villa Bodenheim, advocatiam redemit.

Conradus III. statim atque anno 1277. a Wernhero archiepiscopo confirmatus est, resarciendæ rei familiari totus incubuit. Quod ut facilius exsequeretur, consilio cum fratribus inito, certum ac determinatum numerum fratrum deinceps admittendorum, quadraginta scilicet, statuit ac ordinavit an. 1278. idque postea Wernherus archiepiscopus suo diplomate ratum habuit. Idem an. 1286. cum suo conventu perpetuam missam instituit ac fundavit in memoriam fratrum defunctorum, in sacello Deiparæ virg. in peristylio quotidie peragendam. Pervenit Conradus ad annum saltem 1305.

Siboldus ob præclaras animi dotes, eruditionem, morumque probitatem, Conrado subrogatus an. 1308. tametsi omnium fere de gremio capituli infimus esset, occurrit annis 1313. 1325. & adhuc 1333. XVII. cal. Febr. cum Tilmanno Seligenstadensi abbate; sub quo proinde monasterium Santalbanense a civibus Moguntinis dirutum est an. 1328. ad quem annum vide infra in historia cœnobii S. Jacobi Mog.

Giselbertus de Eczil *vel* de Echzel memoratur abbas jam an. 1331. die 7. Septemb. per cessionem, ut videtur, præcedentis, minime tamen omnibus acceptam, uti probant hæc verba chronici Santalbanensis de dissidio inter Henricum & Baldevinum pro archiepiscopatu Moguntino: *Et quia Giselbertus de Eczil monachus dicti monasterii S. Albani, pro abbate dicti monasterii se gerens, &c.* Et certe hoc anno 1331. excommunicatus fuisse dicitur a Johanne XXII. Romano pontifice, & ab Henrico Moguntinensi archipræsule. Idem nihilominus reperitur abbas an. 1334. v. cal. Junias, 1335. XIV. cal. Febr. 1336. II. idus Decemb. 1341. die S. Agnetis & 1347. quo anno nonnullas vineas, agros & prata in tractu villæ Bodenheim sita pretio mille sexcentarum librarum Halensium emit, & monasterio attribuit, ea tamen adjecta conditione, ut quoad viveret, hæc ipse bona perciperet, seque mortuo ipsum cœnobium, ad sui nominis memoriam quater quotannis peragendam. Attigit annum 1351.

Hermannus I. obtinuit an. 1354 a Carolo IV. privilegiorum monasterii confirmationem; quo circiter anno partem corporis S. Albani, & partem brachii S. Aurei, necnon capitis S. Justinæ, consensu archiepiscopi Gerlaci, eidem Imperatori A concessit. Idem an. 1359. interfuit, quando Philippus Cavallicensis episcopus sedis apostolicæ legatus ac nuncius in civitate Moguntina, donationes Spanheimensi monasterio factas confirmavit die 20. mensis Decembris. Occurrit adhuc in instrumento *unionis cleri Moguntini* adversus decimas ab Urbano Pontifice indictas an. 1367.

Bruno nobilis de Scharpfenstein legitur abbas an. 1372. in litteris unionis cleri contra decimas papales.

Henricus III. eodem anno reperitur in litteris unionis cleri Moguntini, feria v. post diem sancti B Matthæi apostoli & Evangelistæ. Anno seq. bona quædam concessit monasterio Carthusianorum in Monte S. Michaëlis non procul Moguntia, qua simul occasione inita est societas Santalbanenses inter & Carthusianos.

Otto nobili genere de Scharpfenstein ortus, erat Hochstæ præpositus, quando in abbatem ab una parte capituli sublectus fuit, altera Wernherum Ring designante. Adolfi vero archiepiscopi studio res ita composita est, ut Otto abbatis, Wernherus autem præpositi Hochstensis, dignitatem adiret, modo scilicet Otto vel Papæ judicio probaretur, vel ejusdem provisione monasterio C præficeretur; sin minus, idem Otto præpositi Hochstensis partes denuo capesseret. Actum an. 1389. Deinde Otto memoratur abbas annis 1392. & 1399. quo circiter tempore Bonifacius papa IX. Johanni secundo e comitibus Nassoviis archiepiscopo Moguntino facultatem dedit abbatiam S. Albani ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum annectendi, suique juris ac potestatis cum omnibus bonis reditibusque faciendi; cui tamen concessioni Johannes, tabulis an. 1400. publice editis, pro se suisque successoribus renuntiavit, Sabbato post diem Annuntiationis B. M. Virginis.

D Wernherus III. Ring nobili familia de Saulnheim procreatus, idem qui cum Ottone antea contenderat, eidem subrogatur circa 1404. cum tunc esset, præpositus Hochstensis; quo quidem anno cum Johannes archiepiscopus monasterio pro majori subsidio ducentas marcas imperasset, ipse litteris & apochis demonstravit ab omni ævo centum duntaxat a cœnobio exactas fuisse. Inde vero Johannes acquievit, suisque litteris constituit, nec futuris temporibus plures quam centum a monasterio solvendas. An. 1410. bona quædam comparavit in villa Bodenheim ab Hermanno de Furstemberg patricio Moguntino pro MCCXXXI. E florenis monetæ Moguntinæ. Idem anno seq. die proxima post Dominicam *Quasi-modo* quinque maldra siliginis & duos florenos perpetuis temporibus legavit ad sacellum B. M. Virg. in finibus parochiæ villæ Bodenheim. Obiit anno 1412. die 4. mensis Martii.

Hermannus II. *seu* Hartmannus, quondam hospitalarius hujus monasterii, ejusdem ultimus abbas evasit sub annum 1414. quo circiter interfuit concilio Constantiensi viginti hominum famulitio stipatus. Cum autem hujus tempore concilii in capitulo ord. S. Benedicti Constantiæ

an. 1417. celebrato monasteriorum reformatio proposita fuisset, & indictum capitulum anno seq. Moguntiæ in cœnobio S. Albani habendum, Santalbanenses de sui monasterii in statum secularem conversione jam tum laborantes, ad reformationem declinandam exponi curarunt, monasterium incendio ita esse deformatum vastatumque, ut nemo esset, qui vellet in eo profiteri; quo factum est ut capitulum sequentis anni apud Augustinianos haberetur. Præfuit Hermannus usque ad annum 1419. quo demum die 16. Aug. Martini V. pontificis concessu, per Johannem Nassovium archiep. Mogunt. & Johannem de Fleckenstein antistitem Vormat. commissarios atque exsecutores in hac parte constitutos, hoc S. Albani cœnobium, quod Benedictinæ semper professionis fuerat, in secularem & collegiatam ecclesiam fuit mutatum, canonicatibus ac beneficiis, viginti tunc monachis per hos ipsos commissarios collatis. Die vero 7. ejusdem mensis Hermannus abbas sibi pactus est ad vitæ cultum CCCC. florenos valoris Moguntini, singulis annis percipiendos, uno quoque trimestri centum; item annuatim centum modios frumenti puri siccique; centum itidem avenæ; ac insuper octo plaustra vini, & 24. vehes vini; denique domicilium, hortum & stagnum abbatis, claustro Carthusiensium contigua, & alia plura, cum hac stipulatione, ut omnia onera, subsidia, vectigalia ratione horum bonorum & abbatiæ sibi forte incumbentia decanus & capitulum exsolverent, ac si in præbenda sibi portione supradicta ad terminum præstitutum deficerent, pœnæ loco duplum penderent; ceterum, cum esset mortuus, hæc omnia, una cum bonis ac opibus a se relictis ad dictum decanum & capitulum pertinerent; sicque a gremio recessit; cujus loco primas obtinuit decanatus, & paulo post præpositura per Conradum archiep. gente Rhingavium erecta, atque de bonis monasterii satis abunde ditata. Hic subsistimus, neque enim cetera ad nos spectant.

IV. ORDORPENSE, *seu* ORDORFFENSE monasterium ord. S. Bened. in Thuringia ad Oraham, *sive* Oram fluvium, haud longe ab Erfurt oppido dedicatum legitur a S. Bonifacio in honorem S. Michaëlis, *al.* a B. Lullo in honorem S. Petri, ex Lamberto Scanaburgensi ad an. 777.

BLIDENSTAT, *seu* LÆTANTIUM locus.

V. CElebre quondam ord. S. Bened. in honorem S. Ferrucii monasterium, *abbatia regalis* cognominatum, nunc vero collegium canonicorum secularium, duobus a Moguntia civitate milliaribus, sive una leuca, fundatorem suum agnoscit secundum aliquos Carolum Magnum, secundum alios, S. Bonifacium vel S. Sturmionem. Certum est tamen, inquit Bucelinus, S. Lullum archiep. Mog. illud primo condidisse (an. 777.) eoque S. Ferrucii martyris corpus a Castello, *Cassel*, in altera Rheni ripa e regione Moguntiæ sito transtulisse; quod quidem monasterium an. 812. Rudolfus, *lege* Ricolfus archiepiscopus dedicavit. Versum est in collegium seculare canonicorum, an. 1498. ex Trithemio, qui medios inter hæreticos fidem catholicam retinent.

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATES.

ADALGERUS abbas, ad quem Meginhardus monachus homiliam seu sermonem de S. Ferrucio scripsit: vivebat iste seculo IX.

Bertolfus & Bertoldus vel etiam Bernolfus adfuit synodo Triburiensi an. 895.

Adalbero monachus Hirsaugiæ, deinde an. 910. scholæ magister in cœnobio S. Albani, jussione demum Herigeri archiepiscopi abbas S. Ferrucii creatus est an. 921. Idem porro præfuisse videtur ad an. 950. quo, seu potius 948. cum Diethmaro Hirsaug. & Ademaro Fuldensi abbatibus Adalbero interfuisse legitur synodo Ingelenheimensi.

Rudolfus an. 1022. adfuit synodo provinciali apud Seligenstat in monasterio SS. Marcellini & Petri celebratæ.

Henricus Hirsaugiæ monachus, cum duodecim sociis illuc reformationis gratia mittitur abbas. Ita Trithemius in chronico Hirsaug. ad an. 1085. ubi a tempore hujus abbatis, inquit, tanta in illo cœnobio regularis observantiæ districtio per multos viguit annos, ut Blidenstat carcer monachorum passim a cunctis diceretur.

Baldemarus testis est anno 1139. in litteris Adelberti II. archiepiscopi nonnulla donantis ecclesiæ S. Petri Mogunt. pro anima Adelberti I. decessoris. Invasit aliquando Laurishamensem abbatiam, ubi vide.

Jofredus, *seu* Gofridus memoratur abbas an. 1184. in charta Conradi archiepiscopi Mogunt. pro ecclesia collegiata S. Mauricii, & 1190. in charta ejusdem pro ecclesia collegiata S. Stephani Mogunt.

Hartmannus & Hermannus an. 1255. canonicis ecclesiæ Moguntinæ dedit ecclesiam in villa Kembudæ prope oppidum Bingionum, cum suis decimationibus.

Johannes de Walderdof an. 1485. Dominica *Lætare* adfuit consecrationi Berchtoldi in archiepiscopum Mogunt. Num idem Johannes, qui controversiam habuit cum Johanne & Philippo de Scharpfenstein circa 1466. compositam ab Adolfo archipræsule Moguntino?

Eckardus Kluppel de Eickerhausen Johanni defuncto subrogatus, benedictionem percepit an. 1492. ab Henrico episcopo Vicecomponensi Bertholdi archiepiscopi vices agente. Fuit hic ultimus abbas, sub quo nimirum, falsis narrationibus fidem habente Alexandro papa VI. monasterium in collegium seculare mutatum est an. 1495. *al.* 1498.

HASUNGENSIS in Hassia olim ditissimi & inclyti monasterii ord. S. Bened. in monte cognomine, origo debetur Ariboni Moguntinensi archiepisc. sub annum 1021. absolvitur autem circa 1070. a Sigefrido sedis ejusdem antistite, consecraturque in honorem SS. Petri & Pauli apostolorum, ac S. Haimardi confessoris, cujus VI. HASUNGEN.

ibidem sacrum corpus repositum, grandi miraculorum gloria, magnum cœnobio splendorem contulit. Ipsius vitæ synopsim habes tom. IV. annalium Mabillonii, pag. 266. Ceterum unioni Bursfeldensi hoc monasterium accessit an. 1505. *al.* 1510. Duos tantum reperimus abbates.

Giselbertus Hirsaugiæ monachus duodecim sociis exinde pariter assumtis abbas præficitur circa an. 1070. Deinde sub annum 1085. propterea quod Henrico IV. regi contrarius esset, summique Pontificis partes sequeretur, cum toto grege suo ad 50. *al.* 70. monachos excrescente, sua domo expulsus est. Deinde vero factus est abbas in monasterio Fontis-Reinhardi in Thuringia, quod vulgari vocabulo Rheinardisbronna nuncupatur; quandiu vero posthac ipsum Hasungense monasterium abbate & monachis vacuum permanserit, penitus ignoratur.

Wernerus abbas SS. apostolorum Petri & Pauli in Hasungen diœc. Mogunt. increpatur a Roberto Cluniacensi abbate propter bonorum alienationes ab eo factas, quas quidem litteris datis Constantiæ die 26. Martii an. 1417. vacante Romana sede, nullas declarat, proindeque jubet revocari.

VII. S. Jacobi Scotorum in Erfordia oppido Thuringiæ monasterium ord. S. Benedicti, apud Lambertum ædificatum traditur an. 1036. pro monachis Scotis, per Walterium de Glisberg, qui ibidem sepultus est. Trithemius meminit hujus cœnobii tempore concilii Constantiensis, tom. I. Hirsaugiensis chronici, pag. 347.

SALFELDIA & SALVELDIA.

VIII. SAVELDEN ou SALEVELT. Salefeldense, *seu* Saleveldense S. Petri monasterium ord. S. Benedicti ad fluvium Salam in confinio Thuringorum & Sclavorum, diœcesis Mogunt. conditorem habuit sub an. 1066. S. Anonem Coloniensem archiepiscopum jam jam Sigebergensis & Grafschatensis cœnobiorum auctorem, de quibus egimus tomo tertio. Et hoc quidem Salefeldense informatum est ad normam Sigebergensium, ex quibus monachos sanctus fundator ad id operis adduxit. Christianus Schlegelius in schediasmate de nummis Salefeldensibus (hoc enim cœnobium jus habuit aliquando cudendæ monetæ) tabulas refert Richezæ nobilis matronæ, Ezonis, *seu* Erenfridi, comitis Palatini filiæ, ac Polonorum reginæ, sed a marito rejectæ, quæ Salefeldam Annoni archiepiscopo cessit. In his autem litteris Anno *secundus*, ut se vocat, Coloniensis archiepiscopus testatur se in proprietate cujusdam nobilis feminæ Richetzæ, in oppido *Salefelt* sita, quam justa & legitima interveniente conditione obtinuerat, monasterium SS. apostolis Petro & Paulo, omnibusque sanctis constituisse, eo ardentius, *ut populum rudem & Christianæ religionis inscium, paganismo & vano errore vanitatis eliminato, ad gloriosum Dei nomen benedicendum induceret, &c.* Actum anno Dom. Incarn. 1074. indict. XII. Quæ omnia cum suis augmentis Honorius II. Waltero abbati confirmavit an. 1126.

Sequuntur aliquot abbates.

Ezzo, ex Trithemii sententia, primus fuit abbas, cum antea monachus esset S. Felicitatis in Schwarzach, discipulusque sanctissimi abbatis Egberti.

Walterus, cui Honorius II. papa omnes monasterii possessiones confirmavit an. 1126. ab aliquibus primus abbas dicitur.

Theodoricus præerat 1237.

Guntherus sedit ab anno 1279. ad 1299.

Ottho successit, obiitque 1329.

Henricus I. claruit an. 1350. quo circiter jus cudendæ monetæ monasterii proprium senatui Salefeldensi venditionis titulo transcripsit.

Ludovicus 1381. & 1388.

Witicho 1397. & 1410.

Henricus II. 1416.

Lutholdus 1424. & 1460.

Georgius I. 1463. Ad eum scripsit Wilhelmus dux Saxoniæ, ut Margaretam de Kochberg, sororem Catharinæ de Brandenstein suæ pellicis, cæremoniis funebribus prosequeretur.

Rudingerus 1470.

Gregorius I. 1475.

Balthasar I. 1495.

Gregorius II. 1497. & adhuc 1526.

Balthasar II. Merckelius hanc abbatiam consecutus a Cæsare die 7. Maii an. 1527. in ea dignitate confirmatur ab Alberto archiepisc. litteris datis die Martis post Dominicam *Exaudi* anno seq. Deinde an. 1530. consecratur episcopus Hildesheimensis & Constantiensis, Cæsare & Imperii ordinibus magna cæremoniam pompa cohonestantibus.

Georgius II. ex prænobili Thunaviorum stirpe, fuit ultimus abbas, quo scilicet regente, pulsis e cœnobio monachis, ipsius bona in manus Alberti comitis Mansfeldensis Lutherani devenerunt.

Oldensleven, *seu* Oldensleben & Oildisleuden ex additionibus IX.
ad Lambertum Scafnaburg. monasterium ord. S. Bened. prope Saxiburgum circa 1070. *vel* 1090. in honorem S. Viti martyris conditum est a Ludovico Thuringiæ comite & Adelheide ipsius conjuge. Accessit autem reliquis observantiæ Bursfeldensis anno 1483. sub qua permanebat anno saltem 1523. Unicum offendimus abbatem Oltenslevæ, *Hillinum* nomine, ex monacho Corbeiæ novæ creatum an. 1110.

MONS S. JOH. BAPT. IN RINGAVIA, *vel* Rinckaugia.

Primum fuit præpositura solum circa 1090. X.
a Ruthardo archiepisc. Moguntino in honorem S. Johan. Bapt. fundata in Ringavia non procul a Vinicella *Winckel* & Gisenheim viculis, tribus a Moguntia milliaribus, in monte vinifero, qui *Bischoffsberg* dictus est, unde & aliquando ipsum monasterium eo nomine *Beschovesberc* donatum fuit. Et hanc quidem præposituram fundatori placuit omnino esse subjectam jurisdictioni abbatis

abbatis S. Albani prope Moguntiam; sed non diu post in abbatiam est commutata per Adelbertum archiep. Ruthardi successorem, an. 1130. de consensu Wernheri abbatis S. Albani; ut liquet ex charta ipsius Adelberti nostra in appendice relata: vide chronicon Spanheim. pag. 246. Hoc deinde monasterium unioni Bursfeldensi nomen suum dedit an. 1437. at vero non ita pridem Constantinus abbas Fuldensis ecclesiæ suæ illud acquisivit.

Cf. x. col. 449.

Abbates.

Eigelwardus & Engelwardus volente Adelberto archiepisc. Mog. primus abbas constituitur anno Christi 1130. ut patet ex litteris fundationis abbatiæ nostra inter instrumenta.

Anshelmus nominatur abbas in litteris cœnobii monialium S. Ruperti juxta Bingiam, datis sub annum 1158.

Theodoricus testis est in litteris ejusdem parthenonis sub an. 1220.

Embricho vixit sub an. 1241. cui & successoribus ejus Sigifridus III. archiep. Mog. usum mitræ concessit an. 1240. VI. idus Aprilis.

Robertus, *seu* Rupertus ex monasterio sancti Albani, ubi magistri hospitum officio fungebatur, in abbatem electus fuit & confirmatus circa an. 1313. ut discimus ex charta authentica hujus anni apud Schannatium, lib. cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*, pag. 156.

Hermannus I. immediate præcessit Hilgerum, qui sequitur, in abbatiali dignitate, uti ex vetustioribus litteris constat. Sepultum fuisse ante altare S. Crucis docuit ejusdem sepulcri inventio atque inspectio, quæ contigit anno 1522. die S. Johannis ante Portam-Latinam coram Friderico de Rudesheim abbate, pluribusque aliis fratribus de conventu. Porro in sarcophago, quod erat lapideum, sigillum ejus æreum, cygnum instar aquilæ præ se ferebat, cum hac inscriptione: *Hermannus abbas S. Johannis Bapt. Ringanus;* & in lapide sarcophago superimposito videbantur duo baculi pastorales, & in medio signum crucis, nulla inscriptione supperaddita.

Hilgerus de Waltherdum proximus Hermanni successor, sedebat jam anno 1403. Obiit vero 1418. III. nonas Decembris, in eo loco sepultus, ubi nunc est S. Catharinæ virginis altare, quamvis ejus tumulus jam ante aram SS. Petri & Pauli cernatur, cum hac inscriptione: *Anno Domini MCCCCXVIII. tertio nonas Decembris obiit quondam venerabilis in Christo pater & dominus Hilgerus Waltherdum abbas Montis S. Johannis C. A. R. J. P.*

Helfricus, *seu* Helfridus de Cleen, *al.* de Cleeheim nobili prosapia natus, eligitur anno 1419. postulatus ex monasterio S. Albani prope Moguntiam. An. 1424. præfuit capitulo provinciali, quod Herbipoli in monasterio S. Stephani celebratum fuit Dominica *Jubilate* XIV. Maii, una cum Baldewino Luneburgensi, Theodorico Nordheimensi & Appellone in Synsheim abbatibus. Obiit an. 1427. die 27. Maii.

Johannes I. a Waldeck, *al.* Waldecker de

A Geyssenheim ejusdem cœnobii alumnus, post tranquillam administrationem quievit in pace an. 1439. *al.* 1438.

Emericus dictus *Nauta de Winckel*, seu de Vinicella, electus & confirmatus an. 1439. XVI. Jan. picturam quamdam ante aram S. Martini fieri studuit an. 1443. VIII. cal. Apr. ut docet inscriptio ibidem apposita. Abbatiæ regimen postmodum abdicavit, ac Ulricum sibi successorem dari passus est, quo aliquando absente, in causa urgenti, procuratorem constituit an. 1457.* ut patet ex litteris desuper confectis, quæ sic habent: *Emericus Dei clementia senior quondam*

B *abbas, pronunc ab administratione relevatus, venerabili patre ac domino Ulrico moderno abbate absente, Johannes pro tempore præsidens & locum tenens Prioris, Helfricus cellerarius, Johannes de Homburg custos, ceterique singillatim fratres conventuales monasterii S. Johannis in Rhingavia ord. S. Benedicti, &c. propter ingruentium causarum & negotiorum pericula, &c.*

* f. 1447. nam mortuus dicitur 1451. apud Bucelinum.

Udalricus postulatus ex monasterio S. Jacobi prope Moguntiam, interfuit electioni abbatis S. Jacobi Moguntin. Eberhardi de Venlo anno 1456. Sub hoc abbate reformatum fuit hoc monasterium an. 1452. per Lubertum abbatem

C Montis S. Jacobi juxta Moguntiam, qui ibidem Eberhardum de Venlo in priorem ordinavit, annuente quidem archiepiscopo Mogunt. qui hoc ipsum monasterium cum suis, abbati Luberto subjecit, sed rem maxime promoventibus Nicolao de Cusa presbytero cardinali S. Petri ad vincula, legato per Germaniam, & Rudolfo de Rudesheim episcopo Vratislaviensi. Et quia hoc idem monasterium, per diuturnam in utroque statu deformationem, in magnam devenerat paupertatem, archiepiscopus ordinaria & cardinalis apostolica auctoritatibus monasterium Clusam huic cœnobio in pede montis contiguum, jam pene

D monialibus vacuum, cum suis omnibus redditibus eidem unierunt in perpetuum. Cessit Udalricus an. 1457.

Johannes II. de Itzstein præerat an. 1461. deinde an. 1463. idibus Octob. Eberhardo de Venlo abbate S. Jacobi Mog. ad regimen abbatiæ Montis-monachorum prope Bambergam postulato atque assumto, in ejusdem locum in dicto S. Jacobi monasterio postulatus fuit, ubi præfuit annis 3. mense uno ac diebus 16. quibus exactis ad priorem sponsam reversus est.

Johannes III. Lauterbach, *vel* Luterbach monachus S. Jacobi, Johanne ad S. Jacobum Mog.

E translato, eidem in abbatia successit an. 1463. Verum triennio post, abdicato regimine, antecessori suo iterum locum dedit. Obiisse legitur 1465. Bucelin.

Johannes IV. de Itzstein secundo præfuit ab an. 1466. die 4. Dec. ad 1468. quo lucis usuram amisit die XI. Septemb.

Conradus de Rotemberg* Hassius, monachus S. Martini Colon. addunt, & S. Matthiæ Trevir. electus in abbatem an. 1468. hoc ipso benedicitur

* Vocatur Crodenberg a Trithemio in catalogo Illustrium Virorum, pag. 164. ubi vide, & de scriptor. ecclesiast. p. 375.

A a Sifrido episcopo Cyrenensi Moguntinensis archiepiscopi suffraganeo. Anno seq. commissarius ad reformationem cœnobii Spanheimensis constitutus fuit ab archiep. Moguntinensi. Idem an. 1474. interfuit visitationi monasterii S. Jacobi prope Moguntiam, 1483. die 29. Julii electioni Johannis Trithemii in abbatem Spanheimensem, & 1485. Dominica *Lætare* consecrationi Berchtoldi comitis de Henneberg in archiep. Mog. Obiit anno seq. 25. Dec. post secundam per semetipsum decantatam missam, & in abside australi ante aram S. Benedicti sepultus est, hac tumuli epigraphe: *Anno Dom. MCCCCLXXXVI.** *in die Nativitatis Christi obiit venerabilis pater & dominus Conradus de Rotenbergk abbas hujus monasterii.* Vide ipsius epitaphium a Trithemio scriptum, tom. 2. chronici Hirsaug. pag. 525. & in chronico Spanheimensi. B

* *1487. in chron. Spanheim. pag. 399.*

Gerardus de Montabaur, *al.* de Montabur, *vel* Montebur, cellerarius S. Jacobi, abbatiali benedictione insignitur anno 1487. a Bertholdo episcopo Panadensi archiepiscopi Mog. cognominis vicario. Præfuit annis 8. mensibus 9. mortuusque an. 1496. die 31. Aug. *al.* calendis Septemb. sepelitur ante altare SS. Petri & Pauli, cum hoc epitaphio: *Anno Dom. 1496. die mensis Aug. 31. obiit venerabilis pater dominus Gerhardus de Montenbaur abbas hujus monasterii C. A. R. J. P.* C

Johannes V. de Segen, *vel* Siegen, hujus cœnobii alumnus, eodem an. 1496. munus benedictionis percepit ab Erhardo de Redwiz Viccecomponensi episcopo, Moguntinensis archiepiscopi vicario. Hic a fundamentis novum claustrum opere lapideo construxit cum fenestris & testudine. An. 1506. interfuit electioni novi abbatis Spanheimensis Nicolai, v. idus Decembris, post cessionem Johannis Trithemii. Obiit anno 1515. die 18. Julii, ante aram S. Benedicti tumulatus, cum epigraphe nil novi edocente. D

Fridericus de Rudesheim successor Johannis anno, inquiunt, 1515. jam an. 1508. benedictionem percepisse dicitur a Thoma Rhuscher Vicecomponensi episcopo Moguntinensis archiep. suffraganeo. Ita Georgius Christianus Johannis, tom. 2. rerum Moguntiacarum in elencho suffraganeorum Mogunt. pag. 441. Forte Johannes de Segen ante obitum cesserat. An. 1526. adfuit electioni Johannis de Siemern in abb. Spanheim. Fato fungitur Fridericus an. 1538. x. cal. Septemb. ante altare SS. Petri & Pauli apostolorum conditus.

Hermannus II. de Novesio, *de Neus*, abbas designatus benedicitur anno 1538. a Michaele Helding episcopo Sidoniensi Mogunt. archiepiscopi suffraganeo. Occurrit an. 1545. obiitque 1551. E

Johannes de Rudesheim cognomento *Knauff*, sacrarum litterarum peritissimus, obiit 1556.

Philippus de Ostheim benedictione donatur an. 1556. a Balthasare Waneman episcopo Mysiensi Moguntinensis archiepisc. suffraganeo; cui postea ultro cedenti suffectus est

Valentinus Horn de Rudesheim, *al.* Alreanus hujus loci ultimus abbas, qui anno 1557. benedictionem percepit ab eodem Balthasare Waneman. Porro sub ejus regimine, propter dissolutos fortasse fratrum mores, & æs alienum, quo monasterium obstrictum fuerat, archiep. Moguntinus Daniel cœnobium occupavit, fratribus hinc inde relegatis; abbas vero Valentinus, qui in capitulo Moguntiæ habito an. 1560. a patribus ordinis frustra admonitus fuerat, tandem ex decreto Werthinensis capituli celebrati an. 1563. ab officio removetur, nec illi posthac datus est successor. Itaque ad suum antiquum S. Jacobi Moguntinense monasterium, cujus aliquando prior exstiterat, reversus, ibidem e vivis excessit an. 1567. die 25. Julii, & in ambitu cœnobii sepultus est.

REINHAUSEN abbatia Benedictina in honorem B. Mariæ & S. Christophori fundatur an. 1096. in Saxonia, vel ut habet Miræus, in ducatu Brunswicensi, non longe ab oppido Gottingen, *seu* Cottingen, ipsaque unioni Bursfeldensi sociatur anno 1437. ex Auberto Miræo in Originibus ord. S. Benedicti, sub qua perseverabat adhuc an. 1554. Verum paulopost, sub annum scilicet 1573. *vel* 74. a secularibus occupatur. Unicus abbas nobis occurrit XI.

Reinhardus, vir multum eruditus, scriptis etiam editis clarus, necnon sanctissimus, qui post mortem signis & miraculis coruscavit. Ei porro viventi Adelbertus I. archiepisc. Mogunt. litteris datis III. nonas Decemb. an. MCXI. census omnes, quibus Hermannus Winzenburgius monasterium ditaverat, confirmavit.

BREIDNAWE.

BRAIDNAUGIENSE, *seu* BREIDENAWENSE B. Mariæ ord. S. Bened. monasterium situm est in eo Hassiæ loco diœc. Mog. ubi confluunt duo fluvii, quorum alter *Fulda*, alter *Werra* dicitur, id est in finibus Hassiorum, cujus fundator Wernherus comes Groningensis mortuus anno 1121. ibidem sepelitur. Unioni vero Bursfeldensi accessit an. 1492. ex Bucelino, 1497. ex Miræo in Orig. ord. S. Bened. pag. 160. Tandem abbas & monachi pulsi sunt ab Hæreticis sub annum 1549. Tres duntaxat reperimus abbates. XII.

Drutwinus istuc ex Hirsaugiæ cantore cum duodecim monachis a Brunone suo abbate ipsius regiminis anno decimo-tertio transmissus, accessit anno Domini 1119. die 17. mensis Nov. eidemque monasterio præfuit annis 13. *al.* 14. ubi mortuus ac sepultus est an. 1132. cum plurimos, ait Trithemius, verbo & exemplo ad Christi amorem convertisset.

S. Henricus ex eodem cœnobio Hirsaug. postulatus Drutwino successit, a prædicto Adelberto benedictus, vir tam in divinis scripturis, quam in humanis litteris probe versatus, qui etiam plurima scripsit. An. 1142. quatuor corpora e collegio sociarum. S. Ursulæ ab Arnoldo Colon. archiepiscopo impetravit, eademque VI. nonas Julii ad monasterium suum cum reverentia introduxit; ac insuper caput S. Felicis papæ &

martyris diu ibi absconditum, apparente & monstrante, inquit Bucelinus, ipso martyre, reperit ac elevavit. Idem an. 1144. testis est in charta Henrici archiepiscopi Mog. fundationem Haynensis cœnobii ord. Cisterc. confirmantis. A

Eiso abbas de Bredenowe an. 1215. III. nonas Junii testis habetur in charta Sifridi archiepiscopi pro Hainensi cœnobio. Giso vocatur an. 1231. in chartario Reinhartsbornensi.

XIII. CELLA-PAULINA, ordinis Benedictini in Saxonia monasterium ex Bucelino, in finibus Thuringorum ex Trithemio, diœcesis Moguntinensis, sic dictum est a sua fundatrice beata B Paulina inibi sepulta die 14. Maii an. 1107. ad quod ex Hirsaugia primus abbas missus est cum aliis decem monachis, quos inter Wernherus fundatricis filius.

Gerungus patria Suevus, ex familia Buchaugensium progenitus, ex priore veteris Hirsaugiæ monasterii ad Cellam-Paulinam missus, ibidem abbas an. 1107. a Ruthardo Moguntinensi præsule ordinatus est; quod munus strenue adimplevit.

XIV. VALLIS S. GEORGII, *vulgo* GEORGENTHAL, cœnobium Benedictinum in Thuringia con- C ditur a Sizzone comite de Keverenburg, *al.* de Keffernberg, & confirmatur ab Henrico I. archiepiscopo, qui quidem an. 1143. illud præsidio S. Martini cathedralis ecclesiæ patroni tutum esse voluit. Unicus abbas nobis occurrit Henricus nomine, an. 1306. quo parthenoni in Aldendorff ord. Cisterciensis debere se certam pecuniæ summam profitetur; ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi.

XV. STAINA & STEINA B. MARIÆ monasterium ord. S. Benedicti situm in ducatu Lunæburgii & principatu Calenburgensi, inter Nor- D theimium & Gottingam, & quidem in diœcesi Moguntina, idem est, ut putamus, ac cœnobium B. Mariæ in Secina ejusdem diœcesis, verum aliud est a S. Georgio in Steina diœcesis Constantiensis. Ceterum hoc nostrum cœnobium accessit ad congregationem Bursfeldensem an. 1492. eique parebat adhuc an. 1608. ex Bucelino. De ipso legimus, quod cum abbatum negligentia ad eas rei familiaris decidisset angustias, ut nominibus exsolvendis haud amplius par videretur, Theodericus archiepiscopus in collegiatam ecclesiam illud convertendi provinciam dederit an. 1447. uniendo scilicet ipsum collegiatæ sancti E Petri ecclesiæ in Northen, a qua deinde anno 1491. die 22. Jan. Steina cum ædificiis, bonis, ceterisque omnibus, quæ collegiata dicta vigore incorporationis sive conjunctionis consecuta fuerat, separatur ac disjungitur Bertholdi archiepiscopi mandato, qui concessit ea omnia abbatibus ord. Bened. jure proprietatis in perpetuum habenda, ita tamen ut sine mora congregationem fratrum ibidem instituerent, idoneumque rectorem eligerent, quem sibi ad confirmandum præsentare tenerentur. Duo nobis occurrerunt abbates.

Johannes de Plesse vir nobilis præerat anno 1248.

Henricus Eckelius abbas, quo præbente occasionem an. 1619. Fridericus Ulricus dux Brunsvicensis hoc monasterium per præfecturæ Gottingensis administratores suæ fecerat potestatis, statu illius mutato; quod cum Johannes Suicardus archiepisc. ægre ferret, tandem an. 1625. die 22. Febr. res ad pactionem venit, adeo ut Steina cum possessionibus restitueretur in eum statum, quo erat an. 1619. ante diem 13. mensis Maii.

GERODA, *seu* B. MARIA IN GERODE, *vel* GERONE, virorum ordinis S. Benedicti monasterium in Eichsfeldia diœcesis Moguntinensis, uno milliari ab oppido Duderstat, sancto Michaëli archangelo sacrum, conditum est a Riggarde Rudolfi marchionis vidua & Udone filio, ac fratre Rudolfo, quod quidem Adelbertus Moguntinus archiepisc. in suam accepit tutelam circa annum 1124. Accessit autem ad congregationem Bursfeldensem an. 1467. ex Miræo in Originibus ord. S. Bened. monasteriorum, pag. 163. Duos tantum reperimus abbates. XVI.

Hermannus abbas de Gerenroth (num idem cœnobium ac de Geroda?) an. 1139. testis est in litteris Adelberti II. archiepiscopi Moguntini, nonnulla tribuentis ecclesiæ collegiatæ S. Petri Mog. pro anima Adelberti I. decessoris, ex tom. 2. rerum Mog. auctore Georgio Christiano Johannis, pag. 465.

Wernherus abbas in Gerone præfuit cum aliis abbatibus capitulo provinciali Erfordiæ, in cœnobio S. Petri an. 1259. celebrato.

BREITTINGEN, BRETTINGEN & BREYTUNGEN, Benedictinum congregationis Bursfeldensis monasterium ab an. 1514. situm est in diœcesi Moguntina & comitatu Konigsbergensi*, atque ex Trithemio, Hirsfeldensi cœnobio subest. Exstabat adhuc an. 1550. cui monasterio præfuerunt XVII.

* *f.* Konigsbergensi.

Hertnidus abbas Breyttingensis anno 1343. quoddam se prædium a Fuldensi monasterio tenere recognoscit, ex Schannatio in probationibus clientelæ Fuld. beneficiariæ, pag. 347.

Johannes an. 1484. mortuus in rotulo Admontensi commendatur.

CONRAZBURG ordinis quondam Benedictini monasterium in Hassia & diœcesi Moguntinensi, idem fortasse ac Conradesburg quod Conradus I. archiep. an. 1191. stabilivit quodque ad unionem Bursfeldensem accessit an. 1469. *vel* 70. ex Bucelino, quanquam Trithemius asserit jam anno circiter 1410. ab ordine monastico defecisse, at legendum suspicamur an. 1510. XVIII.

HOBURG, *seu* HOMBURG, monasterium est Benedictinum diœcesis Mog. non longe a Fritislaria, sub patrocinio sanctorum Christophori & Mauricii, quod an. 1435. unioni Bursfeldensi sociatum est. Idem an. 1507. Jacobus XIX.

archiep. ad veteris religionis cultum revocavit, si tamen idem est, quippe quod prope Salzam dicitur situm.

XX. MONS S. REMIGII dioec. Mogunt. apud Bucelinum in catalogo monasteriorum unionis Bursfeld. n. 48. ad an. 1470. pag. 19.

XXI. VLADENSTADENSE ord. Benedict. in dioec. Mog. coenobium ait Bucelinus, nec plura.

VIRGINUM ORD. S. BENED.

I. VETUS monasterium in Moguntia puellare ord. S. Bened. sub titulo B. Virginis, ad muros urbis conditum est a Bilehilde pia matrona, cujus ea de re litteras retulit Nicolaus Serarius, a Mabillonio consignatas anno circiter 734. mendosissimas eidem, & omnis prorsus expertes fidei. Hoc autem coenobium putat Mabillonius ipsum esse Alto-monasterium virginum, cui pars reliquiarum sanctae Innocentiae concessa est. Sane Serarius ideo appellatum *Monasterium gloriosae virginis Mariae* scribit, quia bonis, reliquiis, immunitatibus & privilegiis quamplurimis ornatum, & in sublimi veluti collocatum fuit. Porro nullus etiam dubitandi locus est, quin Vetus monasterium in Moguntia sit idem, ac S. Mariae coenobium monialium Moguntiae, quod ab ordine translatum, id est defecisse an. 1340. Trithemius notat; postquam, ait Serarius, an. 1242. Moguntinum B. Virg. Altum, *seu* Antiquum monasterium S. Bernardi ordinem ac instituta suscepisset. At vero dubitamus an idem sit ac *Vetus-Cella*, cujus abbatissa *Greda Bard* & conventus collegio S. Stephani Mog. vineam quamdam se vendidisse recognoscunt an. 1387. in pervigilio SS. Simonis & Judae apost. Ceterum duae nobis occurrunt veteris in Moguntia monasterii abbatissae. S. Bilehildis, *vel* Bilhilta fundatrix, cujus memoria celebratur v. cal. Dec. ubi vidua, sanctimonialis & abbatissa praedicatur. Plura de illa in breviario Moguntino & apud Serarium, de quibus similiter ambigit Mabillonius, nisi quod Sigebertum Moguntiae archiepiscopum avunculum habuisse dicitur. In pervetusto libro sacramentali bibliothecae olim Fuldensis, nunc S. Benigni Divionensis fit commemoratio *sanctae Bilhildae* v. cal. Decemb.

Sophia circa an. 1014. filia Ezelini comitis Palatini Rheni ex Mathilde Ottonis III. sorore, ex Trithemio.

II. BISCHOFSHEIMIUM, hoc est Episcopi-domus, parthenon sub instituto Benedictino, & unica proximaque Fuldensis monasterii directione & tutela, conditur an. circiter 748. a S. Bonifacio in gratiam Liobae insignis sanctimonialis, quam ex Winbrunno Britanniae majoris monasterio in Germaniam evocarat. Istius porro sola nunc supersunt vestigia in oppido Bischofsheimio dioecesis Moguntinae ad ripam Tubarae fluminis, teste Brouvero in libro 2. antiquit. Fuld. cap. 10. Duae solum nobis occurrerunt abbatissae.

A S. Lioba, *sive*, Rudolfo ipsius vitae auctori, Truthgeba cognomento Lieba, *vel* Lioba, sive Lioba, hoc est dilecta, quae & Leobgytham se ipsa vocat in epistola ad S. Bonifacium, inter Bonifacianas ordine 36. cum pie ac religiose in Winbrunno Angliae monasterio, sub magisterio Tettae abbatissae educata fuisset, inde a S. Bonifacio, cui ex materno sanguine jungebatur, accersita fuit, & praefecta coenobio, quod in ejus gratiam aedificavit Et haec quidem S. Bonifacio in tanto fuit pretio, ut an. 754. ultimo suo itineri, in quo gloriosum martyrii triumphum promeruit, jam accinctus, eam *senioribus monachorum* Fuldensis monasterii B commendatam voluerit, *monens eos*, ut non solum *cum honore & reverentia curam ejus agerent*, sed ut post ejus obitum corpus illius ad ossa sua Fuldae in eodem sepulcro poneretur. Obiit autem S. Lioba circa an. 772. ex Mabillonio editore ipsius vitae secul. III. Bened. part. 2. pag. 257. Schannatius vero mortem ejus illigat an. 780. in Hierarchia Fuldensi, pag. 156.

Albhilt, Liobae in officio successisse videtur, utpote memorata in charta cujusdam Bleonsuvindae, qua bona sua in tractu Tubarae sita S. Bonifacio tradidit, & vitam religiosam *coram Deo & venerando abbate Baugulfo* professa est in monasC terio *sanctimonialium, ubi venerabilis abbatissa, Albhilt* nomine, *cum virginum turba Deo servit*.

HAbetur in Erfordia imperialis & secularis abbatia feminarum, ad Calvini dogmata seculo XVI. desinente conversa, cujus abbatissa Elisabetha comitissa Palatina ad Rhenum obiit 1680. die 8. Febr. cui successit Elisabetha Albertina princeps Anhaltina de Hesse-Cassel jam in coadjutricem electa 17. Jan. 1680. deinde Carlotta-Sophia ducissa Livoniae & Semigalae, ac Imperii princeps, filia ducis Curlandiae & Semigalae, electa 20. Junii 1688. & mortua Werdae 1. die D Dec. 1728. aetatis anno 78. cum tunc haberet coadjutricem Margraviam Brandeburgensem *Schewedt* e nobili prosapia principum d'*Anhalt-Dessau*. Fortasse vero idem est ac monasterium quod sequitur. III.

Mercure mois de Decembre 1728.

ERFORDIENSE S. CYRIACI puellare ordinis S. Benedicti monasterium, hic esse videtur parthenon Erfordiae jam an. 884. excitatus; illius vero sanctimoniales ab Adelberto Moguntinensi archiepisc. ex monte S. Severi Erfordiensis, ubi arcem aedificavit, in urbem accitae dicuntur, ibique permansisse, donec seculo E XVI. monasterium dissipatum est. IV.

MOGUNTINUM S. MARIAE in campis extra muros urbis coenobium, quod nunc *sanctae Crucis templum* appellatur, conditum fuisse dicitur ab Erkembaldo ex abbate Fuldensi archiepiscopo Moguntino, circa annum 1011. Dubitatur autem an illud sit Monasterium-novum S. Mariae, quod Marianus Scottus scribit anno 1069. IX. calend. Decemb. consecratum fuisse, an sanctae Mariae ad Gradus, nunc collegium canonicorum. V.

VI. SCHWABENHEIM nominis duo sunt in Moguntina diœcesi monasteria, alterum, quod ad rem nostram pertinet, puellare ordinis sancti Benedicti, fundatum ab Hedwige comitissa Nellenburgia, Epponis comitis uxore, ac filia sororis Henrici Claudi Imperatoris, quæ & in eo monasticen professa, ibidem feliciter requievit. Alterum est canonicorum Regularium ord. S. Aug. quod sub annum Christi 1130. fundavit Adalbertus eo nomine primus, archiepiscopus Moguntinus, comes Saræpontanus ex familia principum Lotharingiæ, & ad discrimen alterius, vulgo dicitur *Pfaffenschwabenheim*, estque tantummodo prioratus.

VII. NITHARTSHUSEN, monasterium S. Mariæ & S. Johannis Bapt. in cella ord. S. Benedicti feminarum, fundatur a S. Othone Bambergensi episcopo sub annum 1120. reformaturque an. 1508. per Johannem de Henneberg abbatem Fuldensem, nova colonia e cœnobio *Aldendorf* istuc deducta. Sed ut fatear quod res est, ad quam diœcesim pertineat prorsus me latet.

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATISSÆ.

IRMINTRUDIS an. 1186.
Lugkardis 1284.
Agnes de Buteler 1335.
Hedewigis 1339.
Adheleydis I. de Kethen 1368.
Adheleydis II. de Buteler 1402.
Gret von Brendt, seu Margareta de Brendt 1412. die S. Gregorii papæ.
Elisabetha I. de Bienbach 1429.
Felicitas Schrimpff 1483. & 1484.
Elisabetha II. Neythard 1508. accita e cœnobio Aldendorff, abdicavit 1515.
Elisabetha III. Loerin celleraria monasterii Aldendorff, abbatissa ultima, sub qua locus in solitudinem versus est.

VIII. RETHERS *sive* Retheris, *latine* Consilium-Dei, virginum Benedictinarum, ait Bucelinus, in Wederavia, ad quod monasterium secedens Burcardus abbas Fuldensis, ibidem defunctus est. Alibi tamen legimus primum fuisse monachorum, dein sanctimonialium ord. S. Augustini, ac tandem puellarum ord. Præmonstratensis, abbatiale dictum in comitatu Konigstein, quod an. 1565. Ludovicus comes in Stolberg sacris vestalibus ejectis ordini eripuit. Incertum vero cujus fuerit diœcesis.

Ordinis S. August. Feminarum

WETTER monasterium regale canonicarum Regularium, cujus abbatissa Kunegundis de Solmese an. 1344. Dubium est de diœcesi.

I. Ord. Cist. DISENBERG, *ou* DISIBODENBERG.

MONS S. DISIBODI a suo fundatore nomen accepit, quem locum olim appellatum fuisse *Vallem-Dei* auctor est Gaspar Jongelinus in sua notitia ord. Cisterciensis abbatiarum. Quod quidem vocabulum naturæ loci minus A convenire videtur, nisi forte respective ad oratorium illiud quod in declivi montis ad Orientem exstruxerat, ubi solitarius agebat, dum fratres variis ex locis accersiti in supercilio montis ad Occidentem habitabant. Huc igitur S. Disibodus ex Hibernia solo natali pravis suorum moribus exagitatus & pulsus post decem peregrinationis suæ annos appulit circiter an. 674. ibique monasterium erexit, ubi Naha & Glanus confluunt in diœcesi Moguntina, in comitatu Spanheimensi, duobus a Cruciniaco *Creutznac* & uno a monasterio Spanheim. milliaribus; Naha vero fluvius, vulgo *la Nahe*, augetur Glano a dex- B tra, deinde influit in sinistram Rheni ripam apud Bingium. Suis porro discipulis S. Disibodum regulam S. Benedicti præscripsisse legitur; sed a secularibus hominibus monachi postea fuerunt expulsi, Hattone II. Moguntino archiepiscopo duce, qui cœnobium illud quondam ditissimum, ait Trithemius in chronico Hirsaug. part. 1. pag. 345. ab Imperatore sui temporis obtinuit, & misere dissipavit; prædia namque & possessiones suis militibus contulit in beneficium, & omnia, quæ reperit, in usum convertit alienum, donec paulatim cœnobium in toto pene fuit desolatum. Monachis tandem deficientibus C præ inopia, clericos seculares paucos imposuit, sub quorum occupatione locus per multos annos miserabiliter collapsus mansit. Deinde tamen revocati sunt monachi circa annum 976. a Willigiso archipræsule Hattonis successore, qui denuo ejecti, rursum agente Ruthardo archiepiscopo, locum illum repetierunt an. 1108. eumdemque anno 1153. cum altari præcipuo dedicari curaverunt ab Henrico archiepiscopo Moguntinensi, sed postmodum mutatus est in castrum a Sigfrido archiepiscopo an. 1244. Tandem vero Cisterciensibus tradita fuit hæc abbatia an. 1259. primo abbate & conventu ex Ottenbur- D go vocatis; sub quibus an. 1340. festum dedicationis monasterii, quod hactenus fuerat celebratum die Dominica infra octavam Ascensionis, translatum fuit in festum S. Damasi papæ per Albertum Ibunensem episcopum Henrici Moguntinensis archiepiscopi suffraganeum. Illic autem pie & laudabiliter perseverarunt Cistercienses usque ad annum 1576. quo dux Bipontinus in hæresim lapsus, omnes monasterii possessiones occupavit, divinumque officium sustulit, quod tandem ibi restitutum fuit an. 1624. cum armis Hispaniæ Regis expugnato Palatinatu *, omnia hujus patriæ monasteria ab hære- * 1622. E ticis detenta, ex decreto Ferdinandi II. Cæsaris ordini Cisterciensi reddita fuere; unde per prælatos & ordinis commissarios dictorum monasteriorum possessio capta est, usque ad bellum Suecicum, quo monachi denuo domicilio exturbati sunt. Ceterum nunc monasterium S. Disibodi secularibus canonicis subjectum est. *Secul. III. Bened. part. 2. pag. 498.*

ABBATES NONNULLI ORD. S. BENED.

I. S. DISIBODUS hujus loci fundator, quanquam diximus solitarium permansisse in domicilio & oratorio illo, quod in montis

descensu ad Orientem exstructum erat, fratres A nihilominus in monte ipso degentes, quamdiu vixit, gubernavit; sic enim habet S. Hildegardis in ipsius vita : *Sui, vivente illo, alium magistrum non requirebant, maxime cum ejus jussu & voluntate tales inter se haberent, qui ipsos sine offensione & murmure per iter rectum dirigerent.* Ubi & additur illam congregationem annis duodecim ad quinquagenarium usque perfectorum fratrum numerum excrevisse. Vixit annos 81. ejusque obitus notatur his verbis in martyrologio Rabani, *VI. idus Septembris natale S. Disibothi confessoris;* cujus postea corpus ab illo in pede montis oratorio ad alterum in cacumine, præsente S. Bonifacio Moguntino præsule, translatum est. B

Ibid. pag. 497.

II. Burchardus primum Hirsaugiæ monachus, tum abbas S. Jacobi prope Moguntiam, hoc etiam S. Disibodi monasterium, volente Ruthardo archiepiscopo, instaurandum suscepit, statimque novum in monte, ad cujus pedem vetus positum erat, construere cœpit, anno 1109.* pridie cal. Julii primo fundamenti lapide posito, conventumque ibidem ex S. Jacobi monachis instituit. Jam tum videlicet fortasse illud in monte fundationi coævum desierat oratorium, & solum incolebatur, quod erat in pede montis, jam pene collapsum. Cumque aliunde corpus C S. Disibodi in illud primum jam pridem translatum esset, idem renovare satius judicavit Ruthardus. De Burchardi morte vide infra in sancto Jacobo.

** al. 1108.*

Trithem. in chron. Hirsaug. ad an. 1108. p. I. pag. 345.

III. Adalunus S. Jacobi prope Moguntiam monachus, reperitur abbas S. Disibodi an. 1118. pridie cal. Maii in diplomate Adalberti I. archiepiscopi pro suo monasterio. Hunc opere strenuum & morum probitate conspicuum Dodechinus diem clausisse tradit idibus Julii an. 1128. postquam, inquit, annos quindecim rexisset.

IV. Fulcardus & Folcradus testis occurrit cum Werinboldo abbate S. Jacobi in litteris Adelberti D archiepiscopi pro ecclesia collegiata S. Victoris Mogunt. an. 1130. pridie idus Decemb. Annis octo regimen tenuisse dicitur a Dodechino, nempe mortuus est 1136.

V. Corno, Cano, Cono & Cuno an. 1136. VI. cal. Januarii ordinatus est abbas ab Adelberto Moguntino archiepiscopo seniore. Is autem adfuisse legitur cum Gerardo S. Maximini & Bernhelmo Spanheimensi abbatibus, quando die Parasceves Paschæ, calendis Aprilis an. 1138. post celebratas matutinas laudes a fratribus apertum est sepulcrum sanctissimi patris Disibodi. Idem Cuno memoratur in litteris Henrici archiepiscopi E pro cœnobio S. Petri in Erfodia, & iterum in diplomate ejusdem Henrici pro fundatione prioratus de Offenbach a S. Vincentii Metensis monasterio pendentis an. 1150. Obiit 1155. VI. nonas Julii, ex appendice Dodechini.

VI. Helingerus successit XVI. cal. Aug. eratque superstes an. 1170. quo scilicet sanctæ Hildegardi persuasit, ut vitam sanctissimi viri Disibodi litteris mandaret.

VII. Theodoricus claruit his diebus, ex Trithemio in chronico Hirsaug. p. I. pag. 501.

VIII. Philippus abbas de Monte S. Thisiboldi testis est an. 1196. ind. XIV. in charta Conradi archiepisc. Mog. pro Hainensi cœnobio.

IX. Dodechinus rexit ad annum saltem 1200. in quo desinit continuatum ab ipso Mariani Scoti chronicon.

X. Hermannus memoratur an. 1203. in tabulario S. Vincentii Metensis.

XI. Hertuinus an. 1219. adfuit confirmationi parthenonis in Indagine [a], postmodum Schmerlenbach appellati; & anno seq. bona, quæ habebat in villa Genzingen, Agneti ducissæ de Nanzei vendidit.

XII. Otto an. 1253. IX. cal. Aprilis nonnulla commutavit cum ecclesia collegiata B. Mariæ Mog. ad Gradus, approbante Gerhardo archiepiscopo. Idem circa an. 1254. dedit capitulo majoris ecclesiæ Mogunt. in augmentum præbendarum ecclesiam in Osternach cum decimationibus. Tandem eo mortuo Cistercienses monachi locum hunc obtinuere an. 1259. ab archiepiscopo Mogunt. & ejus capitulo, tanquam ipsius fundatoribus, qui tamen non erant.

[a] Num idem est parthenon, ac S. Catharina ord. Cisterc. cujus fundationi eodem anno subscripsit?

ABBATES ORD. CISTERC.

I. JOHANNES ex monasterio Otterburgensi cum 12. monachis & conversis illuc missus est abbas an. 1259. eique loco annis tredecim præfuit.

II. Matthias an. 1504. monasterio a Palatinensibus spoliato captivus tenetur, sed jussu Palatini comitis liber dimittitur. His autem circiter diebus Leo X. papa usum mitræ ac alia pontificalia huic cœnobio in perpetuum contulit ornamenta, precibus Alberti archiepisc. Moguntini.

III. Gaspar Jongelinus, Antuerpiensis, auctor Notitiæ abbatiarum ord. Cisterc. per universum orbem, an. 1640. ut ipse ait, huic cœnobio ordini restituto datus est abbas, qui deinde in gratiam sequentis hac sua dignitate abdicata, factus est abbas Eusserthaltensis, sive Uterinæ-vallis in diœcesi Spirensi an. 1647.

IV. Johannes Caramuel a Lobkowitz titulum abbatialem & nonnullos proventus tenuit usque ad annum 1648.

WALKENREDA nomen est abbatiæ ord. II.
Cist. sitæ juxta Harthoven in Thuringiæ ducatu & diœcesi Moguntina. Fundatur 1124. 1127. *vel* 1128. in honorem S. Mariæ & S. Martini confess. ab Adeleyde uxore Volckmari comitis Lauterbergensis & Clettenbergensis ex comitibus de Honstein, consanguineis marchionum Thuringiæ; & hoc quidem cœnobium Adelbertus I. archiepisc. Mog. VI. nonas Maii an. 1136. consecravit. Fuit autem ab initio filia Veteris-campi, deinde Cæsariensis, utpote quod ordini restitutum an. 1629. abbas Cæsariensis suis monachis instruxit; sed hi paulo post, anno scilicet 1648. abscedere compelluntur, quando rursus monasterium in Saxoniæ Ducis

potestatem devenit. Porro inter Imperii abbates censebatur Walkenredensis, inquit Jongelinus; at fortasse id pertinet ad aliud *Walkenriedt* canonicorum Regularium celebre collegium, ex præpositura in abbatiam conversum, cujus, inquit Bucelinus, inter abbatias Imperii meminit in catalogo ordinum Imperii Fridericus III. imperator.

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATES.

HENRICUS I. abbas in Walkenrieden testis est an. 1144. in charta Henrici archiepiscopi Mog. fundationem Haynensis monasterii ejusdem ordinis confirmantis.

Henricus II. dictus abbas ordine quintus, sub initium XIII. seculi hospitem Imperatorem cum regia familia luculente tractavit; hicque vicissim omnia, quibus gaudebat monasterium privilegia confirmavit, atque a vectigalibus immune esse sancivit.

Fridericus abbas de Walkenrede cum duobus aliis abbatibus de mandato Honorii III. pontificis, dissensionem inter præpositum & monachos Lauterbergensis monasterii an. 1220. cal. Maii diremit, ex chronico Riddagshusensis cœnobii.

Hermannus Wessake episc. Tarbatensis, electus est abbas Walkenredæ an. 1554. die 25. Junii.

Christophorus Kelch, *al.* Kochlin & Kolichon, nobilis Bohemus, assumtus ex monasterio Cæsariensi, ubi tum, ex Miræo, prioris officio fungebatur, istuc abbas missus est, & quidem ultimus an. 1629. ibique mortuus creditur an. 1639. Deinde statutum est decreto pacis Monasteriensis anno 1648. hanc in posterum abbatiam vicibus alternis per Catholicum & *Protestantem*, qui foret junior princeps ex familia ducis Georgii de Bronswich, esse possidendam.

Vide Leuckfeldium antiquit. Walkenried. & Henricum Eckstormium chron. Walkenried.

III. SICHEMIUM filia Walkenredæ ord. Cisterc. situm in diœcesi Moguntina & Landgraviatu Thuringiæ, initium sumsit anno Domini 1141. sub primo abbate viro venerabili Vulkino, cujus sermones aliquot exstant. De eo menologium Cisterciense die 18. Septembris.

IV. MONS S. GEORGII, *seu* JORISBERGENSE monasterium fundatores habuit in Thuringia & diœcesi Moguntina an. 1141. Zizzonem comitem de Keserberg & uxorem ejus Gisellam, de consensu Henrici & Guntheri filiorum, matrem vero in spiritualibus Morimundum, ac denique patronos S. Georgium martyrem & S. Benedictum confessorem, sub abbate primo, fundatorum consanguineo, D. Everardo de Altena comite, qui ante septennium Aldenbergense quoque cœnobium prope Coloniam excitaverat. De hoc Everardo, *sive* Eberardo menologium Cisterc. 20. Martii.

V. OTTERBURGUM & OTTENBURGUM ordinis quondam Cisterciensis monasterium, in Palatinatu, filia Eberbaci diœc. Mogunt. e linea Claraevallis, cujus fundator an. 1145. VIII. cal. Apr. exstitit D. Sylacus, sive Sifridus, Bebonis comitis Kesselbergici & N. comitissæ Hillemontanæ filius, qui castrum suum dictum *Otterburg*, situm in diœcesi Moguntina, ut habet Jongelinus, Vormatiensi vero, inquit Angelus Marinque in suis annalibus, non longe a Keyserlautem, *seu* Keyserslluytern Palatinatus oppido versus Franckendaliam, cum omnibus ad ipsum pertinentibus contulit Ruthardo primo abbati Eberbaci, ut illud in sui ordinis monasterium converteret; quam donationem mox ipse Moguntinus archiepiscopus confirmavit, publico ad hoc confecto instrumento, cujus authenticum apographum adhuc Jongelini temporibus in Eberbaco asservabatur. Hoc autem cœnobium in honorem B. M. Virg. consecratum asserit Bucelinus in sua Germania sacra eodem anno 1145. calendis Aprilis. Occupatur autem a Palatinis principibus secta Calviniana imbutis ab anno circiter 1576. usque ad stragem Pragensem an. 1622. tunc enim Regi Catholico cum ea Palatinatus parte cessit, usque dum an. 1634. ope abbatis Lucellensis recuperatum fuit; sed rursum an. 1648. illud invasit Palatinus princeps, ac funditus evertit, templo excepto, quod deinceps parochiale fuit, constructo intra monasterii muros oppidulo. Ceterum quod spectat hujus loci abbates, quatuor duntaxat nobis occurrerunt.

Philippus an. 1219. S. Albani cœnobium ab Honorio III. visitare jussus est. Quo etiam anno testis est in charta fundationis S. Catharinæ parthenonis ord. Cisterc. Memoratur & an. 1220. de quo videndus Trithemius in catalogo Illustrium Virorum, pag. 141. & Chrysostomus Henriquez in menologio Cisterciensi ad diem 15. Decemb.

Conradus de Binnighen fuit abbas hujus loci; ex Bucelino, postulatus, inquit, ex Mulbrunnensi monasterio, ac singulari religione commendatus; sed quo præfuerit tempore, haud innuit.

Petrus Willelmus an. 1634. titulum abbatialem adeptus est, deinde per provisionem abbatis Lucellensis

Gaspar Jongelinus Eusserthalensis abbas hanc abbatiam rexit, usque dum an. 1648. princeps Palatinus eam denuo occupavit.

VOLCOLDERA & VOLKOLDERODA, monasterium ord. Cisterciensis, in Thuringia & diœcesi Moguntina, sic partim a loci colono, partim a labore deducto nomine vocatum, inquiunt Miræus & Jongelinus, filia Veteriscampi e linea Morimundi, fundatricem habuit anno Domini 1131. VIII. cal. Octobris Helinburgim comitissam de Glichen. Exstant inter epistolas Honorii III. duæ ad abbatem Volkolderodensem, non vulgaribus causis illi commissis, tanquam cui possent vel majora etiam mandari. Duos tantum deprehendimus abbates. VI.

Engelbertus abbas in Volcolderode testis habetur an. 1144. in charta Henrici archiepiscopi Mog. fundationem Haynensis cœnobii ejusdem ordinis confirmantis.

Albertus aliquid se tenere a Fuldensi monasterio

recognoscit, ex autographo apud Schannatium A
nota chronica destituto. Fortasse vero idem est A.
qui an. 1255. VIII. cal. Aug. eidem monasterio Fuldensi nescio quam dedit recognitionem.

VII. RIFENSTEINIUM, *al.* RIVESTENSE monasterium ord. Cisterc. filia Volcolderodæ, conditur an. 1162. in Thuringia, sive, ut alibi legimus, in confinio Saxoniæ inferioris. Duo pariter duntaxat nobis occurrerunt abbates.

Rudolfus an. 1256. bona sua quædam recognoscit ab ecclesia Fuldensi pendere.

Johannes idem recognoscit an. 1270. apud
Schannatium in probationibus clientelæ Fulden- B
sis beneficiariæ, pagg. 221. & 222.

VIII. ARNESBURGUM, *Latine* Castrum-Aquilæ, Cisterciensis ordinis monasterium, filia Eberbaci e linea Claravallis, fundatur an. 1197. in provincia Wederaviæ, quinto circiter lapide ab urbe Francofurto, a comitibus de Solms, in finibus diœcesis Moguntinensis, haud procul a civitate Germanice dicta *Eicht*. Fundatores vero Solmenses comites plerique hic sepulti jacent.

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATES.

GERLACUS, tanquam alter exsecutorum testa- C
menti Angeli de Sassex in gratiam cœnobii puellaris de Blankenaw litteras scripsit an. 1323. die festo S. Augustini episcopi.

Gaspar Geysel benedictionem percepit anno 1549. a Michaële Helding episcopo Sidoniensi, Moguntini archiepiscopi vices agente.

Conradus Unckel, cujus in locum subrogatus dicitur.

Johannes Textoris, benedictus abbas an. 1564. a Leonardo Zittardo episcopo Mysiensi, Moguntini archiepiscopi vicario.

Johannes Adamus Guillius in Claravallensi
monasterio benedictionem accepit anno 1632. D
superstes die 6. Julii an. 1643. sub quo monasterium plurima perpessum est a Suecis, aliisque.

IX. HEYN. HEGENA & HAGENA, *sive* HEYNA & HAYNA, atque olim *Aulesburg*, vel *Owelsburg*, ordinis quondam Cisterciensis monasterium & filia Veteris-montis, quinque circiter leucis ab episcopali urbe Marpurgo Hassiæ metropoli, in diœcesi tamen Moguntina, fundari cœptum est circa annum 1140. a Boppone*, ejusque uxore Bertha comitibus, de Richenbach, assumtis primis cum abbate monachis ex monas-
terio Veteris-campi, qui cum illud ob varias E
incommoditates desererent, Veteris-montis monachis tradiderunt. Hanc certe fundationem ratam habuit Henricus Mogunt. archiepiscopus an. 1144. indict. VI. suæ ordinationis anno primo. Suis vero litteris datis an. 1244. pridie nonas Junii Bruno Bergensis & Widekindus Breidelarensis abbates docent, quo pacto Heynense monasterium a Campensibus transierit ad Aldenbergenses. Oblato, inquiunt, monte, qui dicitur *Aulesburg* cum suis appenditiis, ecclesiæ Campensi a comite Bossone de Richenbach, eadem ecclesia tres conventus singillatim sibique succedentes ad dictum locum transmisit; quorum primus aliquandiu moratus in *Lonelbach* transivit *Risensteine*. Post ejus discessum, etiam alterius religionis monachi & moniales ibidem sunt demorati. Secundus post habitationem in *Aulesburg*, venit ad Lapidem S. Michaëlis (Michelstein.) Tertius *de Hegene* rediit in Campum. Ad ultimum vero cum ecclesia Campensis ab eodem loco recessisset, comes Henricus de Zigenhagen, fundatorum nepos, qui postea factus est monachus in *Aulesburg*, pietatis factum promovere gestiens, cum quibusdam nobilioribus suæ provinciæ militibus, Cistercium sub habitu pœnitentiali adiit, coramque sacro abbatum collegio, tempore generalis capituli ibidem congregato, præfatum locum Deo & gloriosæ Virgini Mariæ, mera devotus obtulit fide, ab omni liberum exactione. Hunc ergo locum in suam suscepit curam quidam abbas de Aldenberg, Gozwinus nomine, in generali capitulo constitutus, & fratres illuc de proprio transmisit cœnobio. Hoc autem nobis constat (pergunt abbates prædicti, ex privilegio D. Sifridi archiepiscopi, quod datum fuit ad renovandum hoc factum, anno 1215. Ceterum hoc monasterium fuit olim Landgraviorum Hassiæ, utpote ejusdem benefactorum ordinarium sepulcretum, nunc eorumdem hæresi infectorum panarium, monasterio in pauperum hospitale converso.

* *al.* Boffone

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATES.

GODESCALCUS abbas de Owelsburg an. 1196. quo precibus ejus Conradus Moguntinensis antistes ministerialibus ecclesiæ Moguntinæ potestatem indulget sua bona huic cœnobio conferendi.

Willelmus præerat an. 1215. quo pro illatis injuriis comes Henricus de Zigenhagen fundatorum nepos omni proprietati & *advocatiæ* monasterii renuntians, promisit de cetero se suosque successores nunquam in aliquo præfatæ nocituros ecclesiæ, scripto id attestante Sifrido archiepiscopo, III. nonas* Junii anni præfati.

* *al.* IV. idus

Wernherus abbas in Hayna bona plurima ab Ekkehardo de Eisenbach S. Andreæ Fuldensis præposito in perpetuam emphiteusim accipit sub annuo censu sex talentorum an. 1263. ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 85. Jam autem anno 1257. loca quædam commutavit cum Gerhardo I. archiepisc. Mogunt.

Henricus abbas in Hayna paciscitur an. 1276. cum Bertholdo S. Andreæ Fuldensis præposito, super solutione prædicti sex talentorum annui census.

Johannes I. abbas monasterii de Heyna tempore Bertholdi archiepiscopi, qui quidem ipsius rogatu litteras Sifridi archiepisc. Mogunt. super quibusdam donationibus terrarum per quondam Bopponem comitem de Richembach, &c. factis, ratas habuit die 3. Nov. an. 1493.

Johannes II. Falkenberg antea dictus canonice electus, an. 1529. die 14. Junii instituitur & confirmatur ab Andrea Veteris-montis abbate, patre

patre ordinario & visitatore monasterii de Heyna. A Quo etiam anno, die Dom. post festum S. Johan. Bapt. 23. mensis Junii, (*lege* 27.) usum mitræ abbatialis obtinuit pro se & successoribus ab Alberto cardinali S. Petri ad Vincula Moguntino archiepiscopo; idemque Johannes videtur esse qui an. 1550. exsul agebat apud Moguntinos.

Hermannus in locum defuncti Johannis subrogatus, benedictionem percepit an. 1558. a Balthasare Waneman episcopo Mysiensi, Moguntini archiepiscopi vices agente.

I. ord. Cisterc. Feminarum S. CATHARINA puellare ord. Cisterc. monasterium juxta Mandal (Marendal alii dicunt) ab insigni miraculo incœpit, per Trithe- B mium vulgato in chronico Spanheimensi ad annum 1211. attamen non nisi an. 1219. construitur & dotatur per munificentiam Udonis pastoris in Mandal archipresbyteri sociorumque ejus, qui visione defuncti cujusdam ad vitam revocati præmonitus, omnia quæ habere potuit, ad eumdem locum dedit. Chartam fundationis exhibet Trithemius in chronico citato ad hunc annum; ex quo illam quoque transcripsit annalista Cisterciensis. Una reperitur abbatissa, *Mathildis* nomine in charta ejusdem fundationis. Videtur autem hic parthenon idem esse ac S. Catharina in C Schmerlenbach, dictus olim in Indagine (ut supra videre est in Monte S. Disibodi) cujus abbatissa fuit eadem Mathildis. Altera fuit

Margareta Fockin de Walstatt circa 1570. porro is etiam est fortasse parthenon S. Catharinæ apud Fritislariam, quem ad seculi usus conversum Lotharius Franciscus archiepisc. Mogunt. circa an. 1711. præclare restituit, ac sanctimonialibus a S. Ursula nuncupatis, quas ex urbe Metensi evocavit, incolendum tradidit.

II. WIGBERSHUSEN B. MARIÆ VIRGINIS ord. Cisterc. ac diœcesis Moguntinæ, cujus D abbatissa Elisabetha an. 1482. in festo Decollat. S. Johan. Bapt. grati animi causa, Johanni abbati Fuldensi & successoribus, omnium sui monasterii spiritualium bonorum concedit participationem, ex prob. clientelæ Fuldensis beneficiariæ, pag. 276.

III. DALHEIMB puellare ordinis Cisterciensis monasterium in ipsa urbe Moguntina, *al.* sanctæ Mariæ in sacra valle appellatum, de quo Nicolaus Serarius In Moguntiacis.

IV. MOnasterium S. Mariæ in Blanckenaw ord. E Cisterc. feminarum, fundatur a Berthoo Fuldensi abbate circa 1265. cujus hæc nobis suppetunt abbatissæ.

Bertrada, *seu* Bertradis, memoratur abbatissa ann. 1265. 80. 82. 84. 87. 88. quo anno una cum præposito sui conventus hospitalem domum instituit. Præfuit ad annum saltem 1289.

Hildewigis, *seu* Hedewigis I. 1293. 1295. & 1302.

Elisabeth I. 1312. 14. 19. 22. 25. 50. & 1353.

Agnes 1361.

Elisabeth II. 1364.

Hedewigis II. 1366.

Elisabeth III. ab Hoenberg 1372. & 1378.

Catharina I. ab Engelhusen 1381. 87. 90. die 6. Julii, 1393. & 1417.

Catharina II. de Romrodt 1425. 1433. die Lunæ post *Reminiscere*, & 1448.

Ermiken, *sive* Irmelen & Irmila de Romrodt 1448. 1465. & 1473.

Margareta I. a Daringen 1484. & 1493.

Catharina III. decessit an. 1495.

Anna I. de Romrodt 1496. & 1499.

Anna II. de Luder 1501. & 1503. in die S. Elisabeth.

Cunigundis ab Aldenburg Reinhardi militis filia, 1504. in die S. Georgii, 1508. & 1511.

Margareta II. ab Urbe, *sive* Orbe 1517.

Ursula 1565. & 1567. post quam nulla deinceps occurrit abbatissa.

MOnasterium S. Agnetis ord. Cist. dictum aliquando *Novum-monasterium*, exstabat in foro gentili urbis Moguntiæ jam anno saltem 1293. quo Gertrudis abbatissa litteras quasdam conscripsit in die festo S. Michaëlis: *Nos soror Gertrudis, dicta abbatissa, totusque conventus Novi-monasterii in foro gentili in Moguntia, ordinis Cisterc.* In aliis vero litteris anni 1367. calendis Junii sic habetur: *Nos Agnes abbatissa & conventus sanctimonialium S. Agnetis, &c.* Hoc autem monasterium cœpit sub an. 1290. auctore Conrado Zum Korb nuncupato e patritia Landekerorum gente apud Moguntinas. Fuitque in possessione Cisterciensium usque ad tempora archiepisc. Wolfgangi, qui quidem rebus illarum haud parum attritis medelam allaturus, litteris datis an. 1572. die 28. Aug. abbatissæ & congregationi facultatem concessit, censum altarium B. M. Virg. & S. Michaëlis tum temporis vacantium ad sex annos proxime sequentes, sua ad alimenta convertendi. At vero cum ne sic quidem ex angustiis, quibus premebatur, emergeret, his tandem Cisterciensibus, ejusdem Wolfgangi archiepiscopi auspiciis, subrogatæ sunt moniales ex S. Augustini norma viventes, abrogata monasterio abbatiali dignitate. V.

RODENKIRCHENSE ord. Præmonstr. monasterium, ex appendice ad gesta Trevirensium archiepisc. tom. 4. Veterum script. Martennii, pag. 468. & seqq. non autem ord. S. Bened. uti legitur apud Bucelinum; cujus quidem abbas, eodem referente, sanctæ Hildegardi familiaris eamdem per litteras consuluit. Duo reperiuntur abbates. I.

Matthias an. 1418. a Johanne archiepiscopo monasterii advocatum sibi dari postulat Ludovicum comitem Palatinum Rheni. Sub quod tempus eidem monasterio, temporum injuria, in magna tum egestate versanti Theodericus archiepiscopus parochialem ecclesiam Waldleybershemensem cum omni jure ac vectigali attribuit in perpetuum, die 30. Aug. an. 1438.

Petrus Sutoris circa an. 1548. benedictionem percipit a Michaële Helding episcopo Sidoniensi, Moguntini archiepiscopi suffraganeo. A

II. SELBOTENSE ord. Præm. monasterium, idem est fortasse ac Cerbodenense ejusdem ord. ac diœcesis Mog. filia Præmonstrati.

SEQUUNTUR ALIQUOT ABBATES.

CONRADUS I. abbas Selbotensis una cum Sifrido Cyrenensi episcopo Moguntinensis archiepiscopi in pontificalibus vicario, delegatur ab Adolfo metropolita ad reformandum Ilbenstadense ejusdem ord. monasterium an. 1464. B

Johannes I. Appel Conrado subrogatus, an. 1478. benedicitur a Matthia Emich episcopo Cyrenensi, Dietheri Mogunt. archiepisc. vicario.

Wernherus Lochman Johanni successor datus, an. 1484. mense Decembri, jussu Bertholdi archiepiscopi, benedictus est a Bertholdo episcopo Panadensi, ejusdem archipræsulis vicario.

Johannes II. Antel de Crozenberg in locum Wernheri suffectus, an. 1505. benedictionem percepit a Thoma Ruscher episcopo Vicecomponensi, Moguntinensis archiepiscopi vicario.

Petrus Mankelbel anno 1511. benedictione donatur a Johanne Monasterii episcopo Vicecomponensi, Moguntinensis archiep. vicario. C

Philippus Wackerwalt per obitum abbatis electus, benedictionis munus accepit ab eodem episcopo an. 1536.

Conradus II. in locum Philippi subrogatus an. 1538. benedicitur anno seq. a Michaële Helding episcopo Sidoniensi, Moguntini archiepiscopi vicario.

III. MOnasterium, *seu* Munster-Treisa ord. Præm. in circaria Wadegotiæ, filia Arnestensis; cujus hi leguntur abbates.

Johannes I. de Steten, in cujus defuncti locum subrogatus D

Petrus de Dornickeim, an. 1458. benedicitur ab Henrico Rossensi episcopo, Henrici archiepiscopi Mog. vicario.

Johannes II. Bicker Monasteriensis abbas ord. Præm. an. 1511. benedictionis munus percepit a Johanne Monasterii episcopo Vicecomponensi, Moguntini archiepiscopi vicario.

IV. RUBRICENSE ord. Præm. monasterium, fortasse idem est ac Rubrenense diœcesis Mog. filia Præmonstrati. Duo sequuntur abbates.

Johannes Klenck electus in abbatem, anno 1477. inauguratur a Matthia Emich episcopo Cyrenensi, Dietheri Mog. archiepiscopi vicario. E

Paulus an. 1527. benedicitur a Johanne Monasterii episcopo Vicecomponensi, Moguntini archiepisc. vicario.

V. ELVESTAT ILBENSTADENSE B. MARIÆ in Wetteravia monasterium, *seu* Elestatense & Ilmstadiense, filia Præmonstrati, situm est in diœcesi Moguntina, fundatumque fuit a B. Godefrido Cappenbergensi comite in circaria Wadegotiæ, & an. 1123. ab Adelberto I. archipræsule Moguntino confirmatum; cujus deinde ecclesiam consecravit Arnoldus sedis ejusdem antistes an. 1159. IX. cal. Septemb. in honorem S. Mariæ, & SS. apostolorum Petri & Pauli, rogatu Hartmanni præpositi; enim vero fuit ab initio præpositura solum; cujus cum præpositus & fratres a regulæ tramite pene omnino deflexissent, hos ut ad meliorem frugem revocaret Adolfus archiepisc. Mogunt. Sifridum Cyrenensem episcopum, suum in pontificalibus vicarium, & Conradum abbatem Selboltensem ord. ejusdem Præm. delegavit, litteris datis die 3. Aug. Quinctiam adhuc solum erat præpositura an. 1539. die 27. Septemb. quo Matthias Wolnstatt titulo præpositi huic monasterio præfectus est, eidemque hoc ipso anno bene precatus est secundum ecclesiæ morem ac ritum Michael Helding episcopus Sidoniensis, Moguntini archiep. vicarius. At vero tandem abbatiali titulo gaudebat an. 1663. quo Ilbenstadensis abbas anonymus, Dominica proxima intra octavam feriæ, quæ Christo in cœlos ascendenti sacra est, benedictionem percepit in æde parochiali, quæ vulgo *Odenmunster* vocari solet, a Petro de Walenburg episcopo Mysiensi, Moguntini archiepiscopi vicario.

CLARISSÆ MOGUNTINÆ.

HIc parthenon fundatores habuit an. 1272. Humbertum de Ariete & Elisabetham ipsius conjugem. Unica pervenit ad nostram notitiam abbatissa.

Johanna Catharina de Munechausen abbatissa hisce proximis annis domicilium monialium ad commodiorem formam redegit.

CLARENTHAL.

EJusdem ordinis S. Claræ monasterium prope Wisbadam excitatur ab Adolfo Cæsare sub finem seculi XIII. cujus prima fuit abbatissa Richardis ejusdem Cæsaris soror, ex moniali apud Clarissas Moguntinas.

DE ABBATIIS

quæ hactenus perseverant.

ORD. S. BENEDICTI.

FULDA.
S. Petrus in Erfordia, *seu* Mons S. Petri, *vulgo* Petersberg.
Seligenstadium.
Spanheimium.
S. Jacobus prope Moguntiacum.
Fons Reinhardi, *seu* Reinharzborn.
Bursfelda.

FEMINARUM.

S. Rupertus Bingensis, *seu* Mons S. Ruperti.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Apribacum, *seu* Eberbacum.

FEMINARUM.

Monasterium ad Albas-dominas.

A

FULDA.

Cœnobium Germaniæ longe potentissimum; exemtum & Imperiale, fundatur an. 744. a S. Bonifacio dein archiepiscopo Moguntino, impensis Pipini regis, qui ratam habuit fundationem an. 755. Loci patronus primarius audit S. Salvator, in cujus honorem ab initio conditum est. Accessit deinde S. Petrus & aliquando S. Paulus, ac denique S. Bonifacius jam ab anno 757. biennio circiter postquam ad vicum Dokingam una cum sociis quinquaginta duobus impie trucidatus fuerat nonis Junii, & in eodem monasterio sepultus. Quod autem ad ipsius monasterii situm attinet, positum est ultra Rhenum in sylva Buchonia, id est sylva fagorum, quarum ingens copia præ ceteris arboribus illic sponte enascebatur, Hassiam inter, Franciam orientalem & Wederaviam in pago Grapfeldt ad ripam fluminis Fuldæ, unde cœnobium *Fulda*, uti ab auctore suo *monasterium S. Bonifacii*, vulgo nuncupatur; quanquam ejus basilicam Lullo successori S. Bonifacius perficiendam morti proximus commendavit.

De ipsius dignitate quid loquar? Ab origine sua, petente suo fundatore, illi concessum est a Zacharia Romano pontifice, ut nulli episcopo, sed soli Romanæ sedi subjectum esset, in cujus beneficii memoriam abbates recens electi quadringentos florenos eidem tenentur numerare; ipsumque jam pridem oppido ac ditione propria auctum est. Ac in urbe quidem duæ sunt parochiales ecclesiæ, altera in honorem S. Johannis Bapt. ipsi monasterio annexa & coæva, altera S. Blasio sacra est. Insuper abbas ejusdem loci primatu gaudet inter omnes aliorum Germaniæ monasteriorum abbates. Jus habet utendi dalmatica & sandaliis, infula & annulo, cum rem divinam solemni ritu procurat; necnon supremam, ecclesiasticam pariter & politicam jurisdictionem exercet. Imperii quoque princeps habetur, & unus est ex quatuor Imperialis cathedræ abbatibus, sic dictis a Carolo IV. quod in publicis Imperii ordinum conventibus sedere ad pedes Cæsaris deberent. Ad hæc Fuldensis abbas Imperatricis Augustæ archicancellarii titulum gerit; quod officium dictus Imperator Henrico abbati sibi a secretis & consiliis diplomate singulari an. 1358. cum omnibus privilegiis & commodis, quibus Imperatricum & Reginarum archicancellarii insigniri & frui solent, confirmavit; hoc etiam novum adjiciens, quoties Imperii Romani Augustam vel Reginam diademate cingi, aut indui purpura solemni ritu contingeret, abbatem Fuldensem tunc id habiturum muneris, ut diadema pro more deponeret, manuque teneret, & rursum idem vertici redderet. Tanta denique fuit olim abbatis Fuldensis existimatio & potentia, ut proximum a Moguntino archiepiscopo teneret locum in ecclesiasticis consessibus. Plura nunc ad hujus laudem monasterii supersedeo dicere, quæ singulorum abbatum historiam percurrendo opportunius dicentur.

INDEX ABBATUM.

I. S. STURMIUS, *vel* STURMIO, prius eremita Hersfeldiæ per novem annos, huc accessit cum septem monachis IV. idus Martias an. 744. ac post duos menses, jussu Bonifacii, una cum basilica condere monasterium cœpit. De ipsius certe finibus ac terminis datæ sunt a Bonifacio litteræ an. 747. die 22. Martii, quibus hic abbas suum apposuit chirographum. Inde Sturmius scholas erexit in gratiam juventutis, ex quibus tot clarissima lumina prodierunt. At vero passus eclipsim visus est, quando circa an. 759. B in exsilium a Pipino rege amandatus fuit, agente in primis Lullo antistite Moguntino, qui cum simultas intercesserat, cujus alii alias afferunt causas. Sane Lullus interim obtinuit a Rege, ut Fulda suo subjiceretur imperio, & abbatem revera constituit, qui sibi in omnibus obtemperaret, unum e familiaribus suis, nomine *Marcum*. Verum cum aversos a novo abbate animos haberent Fuldenses, atque ad Pipini palatium, Sturmii reditum postulaturi, pergere decrevissent, Lullus intervenit, blandisque persuasionibus eos retinuit, data quem vellent alium eligendi abbatem facultate. Inde statim electus ab C illis *Prezoldus*, egregiis ornatus moribus, Sturmii a pueritia discipulus carissimus, quem super se abbatem ordinari curarunt, eo tamen pacto, ut ille cum ipsis patris communis reditum quantocius procuraret. Id porro modis omnibus facere institit, tandemque post biennium ab ipsius exsilio impetrarunt, adeo ut monasterium Fuldæ, a Lulli episcopi dominio absolutum cum honore ac privilegio a Zacharia pontifice concesso illi restitutum sit. Sturmius itaque redintegratus optimi pastoris implere partes, uti antea, curavit; & eo quidem legato sub annum fere 770. usus est Carolus rex ad Thassilionem Boïorum ducem pro D renovando fœdere invitandum. Ceterum sub hoc abbate in tantum crevit monasterium, tum censu, tum numero monachorum, ut ante ipsius obitum ad quadringentos, vel circiter, *exceptis pulsantibus & minoribus personis*, illic collectos fuisse legamus. Denique migravit ad Dominum XVI. cal. Januarii an. 779. ex ipsius vita seculo III. Bened. parte 2. pag. 267. non vero XII. cal. Maii, ut habet Bruschius. Sanctorum catalogo adscriptus est ab Innoc. II. an. 1139. in concilio Lateranensi.

Antiq. Fuld. lib. 1 cap. 4.

II. Baugolfus & Bangolfus ejusdem loci monachus, in Sturmii locum subrogatus est, ut E legitur in annalibus Fuldensibus, quibus succinit Marianus Scotus. Id etiam constat ex pluribus chartis apud Pistorium in sua collectione antiquitatum Germanicarum, in quibus memoratur anno 13. regnante Carolo, die 4. Martii, sub quo abbate, S. Bonifacii basilica fundatur an. 790. Reperitur ibidem & annis 27. 28. & 33. regni ejusdem Caroli, XIV. cal. April. XII. cal. Maii, pridie cal. Junii, V. cal. Julii, & XV. cal. Jan. ac denique III. nonas Maii anno 35. regnante eodem Carolo, hoc est 802. quo, *relicta, quam habuit potestate*, inquiunt annales

Francorum Fuld. *Ratgarium successorem accepit.* Abdicata vero præfectura secessit Baugulfus in sui nominis monasterium *Baugolfes-munster* olim appellatum, situm in tractu Hamelburgico, nunc abolitum, ubi post tredecim, quibus superfuit, annos, devixit, non sine sanctitatis opinione, sive an. 815. ex Lamberto Scafnaburgensi, ibidemque sepultus est.

III. Ratgarius, Raitgerus & Ratger, Sturmii quondam discipulus, memoratur abbas an. 802. die 4. Julii, annisque 35. 36. 38. 39. 44. & 45. regnante Carolo imperatore piissimo; ac rursum ann. 1. 2. & 4. imperii Ludovici, sed perperam anno 21. regni Caroli, ubi legendum 41. apud eumdem Pistorium. Vir fuit tam ferox, quam nobilis, ob quam demum ferociam, post regiminis annos sexdecim, jubente Ludovico Augusto, depositus fuit an. 817. cum ante biennium, ipsius rogatu, ecclesia parthenonis *in Cellis* appellati, Fulda distantis 18. fere milliaribus passuum, ab Heistulfo Moguntino archiepisc. dedicata fuisset.

IV. S. Eigil Ratgario suffectus est jam anno 4. Ludovici imperatoris, hoc est 817. Occurrit vero 818. & 819. ind. XII. regni Ludovici anno sexto, mense Nov. & IV. cal. Junii; quo quidem anno, calendis Nov. basilica S. Bonifacii ab Haistulfo archiep. dedicata fuit. Scripsit is vitam S. Sturmii I. abbatis, sub cujus discipulatu plusquam viginti annos se conversatum esse tradit in prologo ejusdem vitæ. Obiit an. 822. cum regiminis annos quinque vix explevisset, & claustri tamen ædificium jam multum promovisset. Exstat in lib. 2. Traditionum Fuld. donatio quædam Eigili facta *VI. nonas Aug. anno nono regnante Ludovico imperatore;* ibidemque alia invenitur facta HRabano abbati, ejus successori, *anno Dominicæ Incarnationis 822. ind. XV. regni Ludovici anno nono, mense Octobri, die V. cal. Nov.* Ex quo intelligitur Eigilis supremum diem incidisse in illud tempus intermedium, quod a sexto nonas Augusti ad V. cal. Novemb. effluxit. Ejus corpus humatum est in cœmeterio, quod ipse condiderat, cum his versibus, quos etiam ipse sibi dictaverat.

Abbas hic Eigil tumulatus sorte quiesco,
Qui dudum multis notus in orbe fui.
Hicque mea parvo clauduntur membra sepulcro,
Quod vivens ipse construere studui.
Hic Dominum expecto, qui solvet vincula leti,
Cum veniet, credo, surgere me faciet.

V. B. Rabanus-Maurus, quem etiam Magnentium Trithemius vocat, Francus fuit genere, hoc est e Francia Orientali oriundus, ut ipse canit in libris de Cruce:

Ipse quidem Francus genere est, atque incola silvæ Buchoniæ: qua in silva, ut diximus, Fuldense monasterium situm est, ubi primum monachus, postea fuit abbas per annos 20. ordine quintus. *Rhabanus* autem, seu *HRabanus*, proprium ei fuit nomen; at juxta morem sui temporis, aliud sibi, *Mauri* videlicet, cognomen aut sumsit, aut accepit. Sic Alcuinus, per agnomen dictus A *Albinus Flaccus;* Winfridus *Bonifacius;* Willibrordus *Clemens, &c.* ut videre est in elogio B. Rabani, auctore Mabillonio secul. IV. Bened. part. 2. pag. 20. Hic sub Alcuino Turonis multum in sacris profecit litteris, postea diaconatu insignitus Fuldensem rexit scholam, & anno circiter 815. presbyter ordinatur ab Haistulfo Moguntino archiepiscopo; quod quidem testatur in epistola prævia ad librum de institutione clericorum ad eumdem præsulem. Mota deinde in cœnobio procella propter Ratgarii abbatis tyrannidem, eam declinans vir sapiens, longam instituit ad Loca sancta peregrinationem, de qua ipse B loquitur in commentariis libri Josuæ. Ratgario abbati Eigil subrogatus est, cui post annos quinque mortuo successit Rabanus an. 822. quo jam diximus eum recenseri V. cal. Nov. & iterum VIII. cal. Jan. anno nono regni Ludovici, rursumque anno X. die 4. Aug. ac die 7. Februarii, annis XI. XXII. XXV. & XXVI. regnante eodem Ludovico, & anno 2. Lotharii piissimi imperatoris. Quantum vero sub ejus regimine profecerint monachi Fuldenses, pluribus docet Trithemius. Tanta fuit hujus abbatis prudentia in agendis, ut in tumultibus bellorum inter Ludovicum Augustum ejusque filios motorum, patris & liberorum amici- C tiam gratiamque conservarit. At exorta, Deo permittente, dissensio monachorum, sacris eum studiis impense addictum temporalia negligere conquerentium, eumdem coëgit e monasterio discedere, & cathedram relinquere an. 842. Brevi tamen compositis rebus, fratres facti pœnitentes, illum sibi restitui petierunt; sed Ludovicus Germaniæ rex eum in aula retinuit, donec post biennium Autgario Moguntino archipræsule mortuo, ipsi subrogatus est Rabanus, inquit Lambertus Scafnaburgensis. Hunc tamen auctorem duplicis lapsus arguit Mabillonius noster. Nempe Rabanum probat non in regia, sed in cella remota D mansisse per integrum quinquennium, quod tempus biennio Lambertus concludit. Itaque cessit abbatia Rabanus an. 842. inchoante, secundum hodiernum morem, aut 841. desinente, pro veteri; & exinde quinque annis in sacro perseverans otio edidit plurima; tandemque mortuo Otgario Moguntino archiepiscopo an. 847. ut habent annales Fuldenses, & quidem XI. calend. Maii, in ejus locum Rabanus, etsi septuagenarius, ordinatus est. Cetera vide supra in archiepiscopis.

VI. Hatto I. alio nomine Bonosus[a], quem & Waldonem Trithemius post Lambertum Scafnaburgensem vocat, Rabano, unanimi fratrum E consensione successit. Annum factæ mutationis hujus diserte exprimit ejus seculi quadragesimum secundum chronicon Hildenesheimense, probantque donationum chartæ apud Pistorium, quarum una Rabano abbati facta dicitur anno secundo Hlutarii regis Orientalium Francorum, id est an. 842. IV. nonas Aprilis, & alia Hattoni seu Bonoso abbati, VII. idus Aprilis, anno tertio Ludovici regis Orientalium Francorum, quod

[a] Illud agnomen Hattoni II. archiepiscopo Mogunt. affingimus, post Bruschium, Wionem, & codicem MS. minorem, de quo in archiep. Georgius Christianus Johannis.

anno insequenti respondet. Interfuit an. 848. concilio Moguntino, quod habuit Rabanus archiepisc. ex Trithemio in chronico Hirsaugiensi. Occurrit etiam anno x. regni prædicti Ludovici, hoc est 850. ind. XIII. anno XII. die 6. Aprilis, & anno XVI. regni ejusdem, die 16. mensis Junii, & VI. cal. Martii. Decessit an. 856. pridie idus Aprilis, quem proinde frustra depositum tradit loco citato Trithemius an. 862. jubente Ludovico imperatore, vel 861. ut habet Lambertus Scafnaburgensis; neque minus errat Marianus Scotus, dum illius mortem illigat an. 862.

VII. Thioto, *seu* Diedo apud Trithemium, in locum Hattonis *per electionem fratrum & auctoritatem regiam* ex monachis ordinatus est, uti tradunt annales Fuldenses. Et hic quidem sui decessoris caritatem in pauperes æmulatus dicitur; quam Deo in hac etiam vita remunerante, variæ sub eo donationes Fuldensibus factæ leguntur in Traditionum Fuldensium libro secundo, quarum in una *vir nobilis, laudabilis & largus*, in alia *vir pius, pastor & monachus appellatur.* Occurrit autem jam an. 857. regni Ludovici in Francia Orientali XVII. quarto idus Aprilis, item an. 862. mense Maio, 863. sive anno XXIII. regni ejusdem Ludovici, VI. cal. Junii, & annis 866. & 867. die 15. Maii. Subscripsit etiam an. 868. epistolæ synodicæ concilii Vormatiensis, memoratus & anno seq. mense Junio, in quadam donatione; sed hoc ipso anno 869. depositus est Ludovici regis jussu, quod Caroli partibus favere visus esset, eodemque anno humana reliquit, teste Brouvero in antiq. Fuld.

VIII. Sigehardus I. *seu* Sigehartus, quem Lambertus Scafnaburgensis *virum religiosum*, veteres chartæ *pium pastorem* vocant, laudabiliter ac *Rabanice*, id est Rabani more, abbatiam gubernasse, ac vitam suam, suorumque monachorum, secundum regulam vivendo, nobilissime composuisse prædicatur; ac insuper thecam Evangeliorum auream lapillis ornasse, & anniversariam vita functorum memoriam celebrem instituisse. Præerat autem anno XXXI. regnante Ludovico in Francia Orientali, hoc est 871. Idem anno seq. auctoritate & gratia Johannis VIII. papæ pristinos monasterio suo restituit honores, instauratis ea conditione antiquis privilegiis, ut statis temporibus Pontificem de cœnobitarum religione, disciplina & concordia faceret certiorem. Præsto fuit etiam secularis potestas; Ludovicus enim Germaniæ rex, avi Caroli & Ludovici patris exemplo incitatus, monasterii libertatem, in eo præsens, asseruit, forensia onera dimovit, fisci vectigalia attribuit, certasque possessiones uni cœnobitarum alimoniæ servire decrevit an. 874. in hebdomade Paschali. Decem post annos, *al.* an. 885. V. cal. Septemb. ejusdem Sigehardi rogatu dedicatum est templum in Slierela, *al.* Slieresa, a Liutberto Moguntino præsule, in honorem Christi Domini, S. Mariæ Virg. & S. Viti. Idem quoque ab Arnulfo rege liberæ electionis privilegium renovari curavit, impetrato diplomate anno regni ejus primo, III. idus Dec. ind. VI. a Sept. inchoata. Sedebat adhuc Sigehardus

A an. 889. mense Maio, ex Pistorio, & 890. ex codice MS. inquit Schannatius in Traditionibus Fuld. pag. 216. Abdicavit autem 891. ex eodem Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 76. Mabillonius addit constare, sua eum sponte in proximum Montis S. Johannis secessisse monasterium, ibique reliquum vitæ transegisse ad annum, si Trithemio fides, 894. unde magnifico funere in majoris Fuldensis ecclesiæ conditorium relatus, ibidem sepulcrale monumentum accepit.

IX. Huoggi & Huoggerus, Huki & Hugo; quem & Herigerum Trithemius vocat, Sigeharto regimen ultro abdicanti datus est successor anno B 891. inquit Schannatius in Hierarchia Fuldensi, pag. 76. apud quem etiam memoratur an. 892. Imo vero jam an. 887. laudatur abbas apud eumdem Schannatium in Traditionibus Fuldensibus, pag. 397. sed fortasse legendum est, 897. Ceterum hic abbas percarus fuit Arnulfo regi, qui ei librum Evangelii scriptum ipsa S. Bonifacii manu concessit, ejusque monasterio tutelam regio diplomate asseruit; quod etiam præstitit Ludovicus, ejus filius ac successor. Arnulfi autem anno VIII. quidam Boso Fuldensi monasterio, *ubi vir venerabilis Huoggi abbas multitudini regulariter degentium præerat monachorum*, largitur, quidquid C sibi Arnulfus rex in pago Hasegowe donaverat. Ad hæc commutatio quarumdam rerum facta est inter Stephanum comitem & abbatem Huogge an. 900. ind. III. Ludovici regis anno 1. & rursum inter Adalbertum strenuissimum comitem & Huoggerum abbatem, *cum scientia & licentia gloriosi Francorum regis Ludovici junioris, anno regni ejus VII.* Is est Ludovicus, Arnulfi filius, cui Francia Orientalis parebat. Hinc eos emendes, qui hunc abbatem diem clausisse putant anno Christi 900. qui Ludovici primus erat. Certe an. 895. adfuit synodo Triburiensi, ex Trithemio; *vir diuturna religionis exercitatione commendabi-* D *lis*, ex Serario. Memoratur etiam anno tertio Conradi regis ind. XII. mense Julio, hoc est an. 909. Quinimo a Brouvero pervenisse dicitur ad annum 912. ex diplomate ejusdem Conradi regis, qui super decimis, electione, & ceteris monasterii exceptionibus insigne privilegium ei concessit, datum hoc anno, indict. XV. VIII. idus Aprilis. Et hoc quidem anno Hattoni archiepiscopo suffectum aliqui volunt, sed contrarium evincit Schannatius ex chartario domestico, ubi an. 914. indict. 2. quo monasterium ab Hungaris subversum est, abbas solummodo nuncupatur. Idque confirmatur ex Trithemio, qui nulla E mentione facta dignitatis archiepiscopalis, Fuldensi monasterio præfuisse tradit annos 26. & obiisse 920. initio ejus regiminis ab an. 894. perperam ducto.

X. Helinfridus, *seu* Helmfridus, antea præpositus S. Sixti in Holzkirken, Fuldæ præficitur an. 915. ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 101. Is ob morum integritatem, structos in ambitu monasterii firmiores muros, & ædem sacram cruce aurea gemmis præfulgida ornatam commendatus, sedisse a Trithemio dicitur annos 16. & obiisse an. 936. sed potior habenda est

ratio cujusdam diplomatis Johannis X. papæ, ex quo liquet Haiconem jam an. 917. Helmfrido successisse. Itaque

XI. Haico, quem Trithemius Hethonem vocat, jam an. 917. Helmfridi locum acceperat; ex prædicto Johannis X. papæ diplomate, quo Haiconem virum eruditum & eloquentem, verbum Dei prædicare, auctoritate S. Petri annuit & præcipit. Datum est XIV. cal. Junii anno ejus pontificatus quarto, imperante Berengario anno 2. indict. v. Idem in autographo apud Schannatium legitur abbas an. 922. & in chronico Saxonico retinuisse dicitur præfecturam ad annos circiter octo, non vero quatuordecim, uti legitur apud Trithemium. Defunctus est an. 923.

XII. Hildebertus & Hiltibertus, Francus genere, professione monachus, nutritus & eruditus *in Vuldo monasterio*, hoc est in Fulda, sedit ab anno 923. indict. XI. mense Octobri ad insequentem annum, quo provectus est ad sedis Moguntiacæ fastigium, ex chronicis tum Saxonico, tum Lamberti Scafnaburgensis.

XIII. Hadamarus & Haitmarus, antea præpositus in Rasdorf, vir illustris, expertæque virtutis & prudentiæ, idem privilegium, quod Haico nuper a Johanne X. papa obtinuerat, impetravit a Leone VI. tertio idus Maii, anno 1. ejus pontificatus, hoc est 928. Eidem etiam Otto imperator amplissimum contulit privilegium, datum II. idus Octob. Dominicæ Incarn. 936. Deinde vero, cum Fuldensis basilica an. 937. igne conflagrasset, multis eam impensis Hadamarus instauravit, & post annos decem, *al.* 948. calendis Novemb. a Marino sedis apost. legato, præsente Ottone rege, dedicari curavit. An. 950. interfuit concilio Ingelenheimensi, & anno seq. Fridericum archiepiscopum ab Ottone rege in monasterium Fuldense relegatum excepit, quem honorifice primum & humaniter tractavit, sed cum litteras ab eo clanculum scriptas intercepisset, eum posthac severius habuit. Denique vita functus est an. 956. ex chronico Hildensheimensi, & quidem ex pestilentia, tradit Reginonis continuator, an. 957. ex Trithemio.

XIV. Hatto II. ab aliquibus *Bonosus* dictus, Hadamari ex sorore nepos, ab Ottone rege anno 961. Romam præmissus ad construenda eidem habitacula, ex chronico Magdeburgensi, ibidem anno seq. interfuit solemni ejusdem regis inaugurationi, ac 963. VII. idus Oct. ind. VI. priscarum immunitatum a Johanne XII. papa confirmationem accepit. Trithemius addit eum adsuisse concilio Romano adversus Papam an. 962. & Moguntino 963. deinde factum fuisse archiepiscopum Moguntinum an. 968. (*al.* 967. ex tom. V. veterum Script. Martennii nostri, pag. 541.) ac demum postero exstinctum anno, parum secunda fama ex commentis Recentiorum, qui ejus clarissimo nomini perperam illuserunt.

XV. Werinharius & Wernerus, Hattonis in abbatiali munere successor, filius erat materteræ S. Udalrici Augustensis episcopi, multoque tempore Fuldæ scholarum magister fuerat, testante Trithemio, ab Hadamaro quondam abbate institutus. Idem abbas conditor fuisse dicitur collegii, an monasterii in Borslaha Thuringiæ oppido, ubi magnifico apparatu ecclesiam construxit. Fuldæ quoque egregium peristylium ad Orientale ædis primariæ latus, tetragoni specie, ex quadris lapidibus molitus est, addito insigni oratorio, quod B. Udalricus S. Johannis Bapt. memoriæ consecravit. Visitur in Fuldensi sacrario egregie elaborata crux, cui Werinharii abbatis nomen inscriptum. Exstant vero Johannis XIII. papæ luculentæ tabulæ, Werinhario abbati inscriptæ, super antiquis Fuldensis monasterii privilegiis, datæ per manum Leonis secundicerii, mense Decembri indict. XV. uti Baronius legendum putat, id est anno 972. Habetur etiam Ottonis II. præceptum datum anno seq. de commutatione quorumdam prædiorum inter Adalbertum Magdeburgensem archiepiscopum & hunc abbatem. Porro cum Heinricus Augustensis episcopus in Calabriæ expeditione, *sive captus, sive occisus*, inquit vitæ sancti Udalrici scriptor, qui expeditionem illam anno 983. refert, desideratus fuisset, vacantem episcopatum obtulit Imperator Werinhario Fuldensi abbati, qui jam electus fuerat post Udalrici obitum; sed factione duorum clericorum ab ineunda sede prohibitus, uti vir sanctus vaticinatus erat; oblatam vero dignitatem recusavit; nec multo post morbo correptus, apud Luggam, *seu* Luccam Etruriæ civitatem, vitam finivit. Corpus ejus ad sanctum Domninum Parmensis agri oppidum delatum est, ibique honorifice tumulatum. Ita Gerardus vitæ S. Udalrici scriptor æqualis, ex quo alii emendandi, qui Werinharium adversus Sarracenos pugnantem occisum fuisse perhibent; Trithemius quidem an. 981. in prælio, inquit, inter Græcos & Ottonem imperatorem, Stengelius autem in annalibus Cremisanensibus & Lambertus Scafnaburgensis an. 982. quo quidem anno, die XV. cal. Junii Otto II. imperator, ejus precibus, censum in villa Medenheim ecclesiæ Fuldensi concessit. Verumtamen & hic Gerardus videtur emendandus, tanquam qui mortem Werinharii prævenerit; adhuc enim memoratur abbas an. 990. calendis Maii, regnante Ottone Rufo imperatore, apud Pistorium, lib. 3. antiq. Fuld. pag. 586. Si tamen genuina est hæc charta, neque enim a Schannatio refertur.

Secul. V. Bened. pag. 460.

Ibid. pag. 452.

XVI. Erkanbaldus & Archambaldus, Bernwardi episc. Hildensheimensis propinquus, Wernhario successit ex Brouvero; at ex dictis dubium est maxime, num jam an. 983. ut hic auctor asserit. Sane vero præerat an. 990. & an. 1011. Moguntinum solium conscendit, ex Schannatio in Traditionibus Fuld. pag. 327. Valeant ergo tum Brando, tum Hatto ejus nominis tertius, quos obiisse Trithemius scribit, illum circa 986. hunc an. 990. Quibus adde Popponem ab eodem Trithemio perperam dictum abbatem evasisse an. 998.

XVII. Brantho, *seu* Brando, Branthohus; Branhago, Brandagus & Brongag, erat præpositus, quando Erchenbaldus simul abbas & episcopus

exstitit, ex charta apud Pistorium, pag. 526. A sed anno saltem 1012. eidem in abbatiali regimine successerat, ut liquet ex diplomate Henrici II. regis, quo ejusdem precibus donationem Fuldensi ecclesiæ a Thacolfo comite factam confirmavit, XVII. cal. Jan. indict. XI. anno regni sui undecimo, ex chartario, inquit Schannatius in Traditionibus Fuld. pag. 243. Exstat etiam ibidem dicti Regis præceptum, quo ejusdem abbatis rogatu, *forestum* Zanderhart ecclesiæ Fuldensi attribuit. Datum est IV. calend. Januarii indictione X. *lege* XI. anno Dominicæ Incarnat. 1013. anno vero domni secundi Henrici regnantis undecimo, ex autographo apud eumdem Schannatium. B De hoc autem abbate sic habet Lambertus Scafnaburgensis: *Fuldensem abbatiam post Erkembaldum obtinuit Brantho ad breve tempus, post biennium exauctoratus ab Heinrico imperatore ob laxiorem disciplinam*, an. 1013. ex chronico Saxonico. Deinde tamen factus est episcopus Halberstadensis an. 1023. postquam, ut quidam volunt, Poppone, qui sequitur, mortuo, vacantem abbatiam recepisset, & ad hunc annum 1023. rexisset.

XVIII. Poppo, Laureshamensis abbas, in Branthonis locum suffectus, undecim monachos e Laurissa Fuldam secum adduxisse tradi- C tur, *piissimus pastor Bobbo* nuncupatus in quadam formula libri secundi Traditionum Fuldensium. Hic an. 1015. ind. XII. quædam commutavit cum Henrico II. imperatore, v. idus Maii, anno Henrici II. decimo-sexto, imperii quarto, ex autographo apud Schannatium in suis Traditionibus Fuld. pag. 246 Non prius cessit e vita quam an. 1017. utpote quo memoratur in charta Henrici II. imper. pro Wernhario episc. Argentinensi.

XIX. Wolckmarus abbas Fuldensis & Larsemensis, *lege* Laurishamensis, obiit an. 1018. ex chronico Ditmari episcopi, lib. 7. apud Mei- D bomium.

XX. Ricardus Scholæ Fuldensis rector, Wolckmarum excepit, eodem testante chronico. Attamen Lambertus Scafnaburgensis, eum Branthoni, qui supra, ex abbate episcopo facto Halberstadensi an. 1023. successisse tradit. Sane hoc an. 1023. adfuit concilio provinciali habito in Seligenstadensi monasterio, & 1027. Francofurtensi, ex Trithemio; quem etiam volunt suum monasterium per Scottos ad regulæ amussim reformasse. Subscripsit idem cum pluribus aliis prælatis ac proceribus præcepto Henrici II. imperatoris ecclesiæ Romanæ concesso; hoc habes apud Baro- E nium, sed perperam ad annum 1014. relatum. An. 1024. die 6. Julii, indict. VII. comitatum *Stoddenstat* accepit ab Henrico II. imperatore; ac insequenti, IV. cal. Apr. ind. VIII. a Conrado II. rege comitatum *Nederne*, ex autographo apud Schannatium. Idem quoque an. 1030. quamdam bonorum commutationem fecit cum Sigefrido Monasteriensi episcopo, & circa hunc annum, ex Schannatio, cum Theophania quadam abbatissa. Insuper anno 1035. indict. III. tertio nonas April. Conradus II. imperator ei prædium *Birkehe* donavit, ex veteri apographo, inquit idem Schannatius. Denique mortuus est Richardus an. 1039. XIII. cal. Aug. sepultus in vicino S. Andreæ monasterio a se constructo, quod sub initium seculi XII. passim *Novus-mons*, vulgo *New-berge* appellari cœpit.

XXI. Sigehardus II. Juvenis, *seu* Sigewardus, quem & Sigebertum Trithemius vocat, a Ricardo regulariter & sapienter nutritus, eidem successit. At brevis ejus, nullaque re insignis fuit præfectura, præterquam quod ab Henrico III. rege comitatum *Maelstat* accepit, præcepto ejusdem Regis dato VII. idus Jan. anno Dom. Incarnat. 1043. ind. XI. anno vero domni Heinrici III. ordinationis ejus XV. regni IV. Et hoc quidem anno, V. cal. Aprilis obiisse legitur in brevi chronico ex MS. codice Prumiensi, tom. 5. Veterum Script. Martennii, pag. 517. ubi vocatur Eiginardus.

XXII. Rohingus, *seu* Trithemio, Rosingus, præficitur abbas eodem an. 1043. cujus tamen ordinatio dilata fuit usque ad finem anni 1046. quo Romæ in Natali Domini consecratus est a Suitgero papa, ut loquitur Lambertus, id est a Clemente II. qui quidem ei Romanum S. Andreæ monasterium juxta ecclesiam sanctæ Mariæ ad Præsepe contulit in perpetuum, bulla data IV. cal. Jan. an. 1046. Clementis II. papæ anno I. indict. XV. ex authentico apud Schannatium. Ibidem devixit eodem anno, inquit Mabillonius; melius tamen fortasse an. 1047. ex Lamberto Scafnaburgensi. Sane memoratur his verbis in necrologio ecclesiæ Moguntinæ: *III. cal. Dec. Rogingus abbas Fuldensis 5. solidos Bomeresheim.* Fuldæ vero ad nominis sui gloriam reliquit tabulam altaris ab se inchoatam, margaritis ac gemmis insignem, & codicem libros Moralium Gregorii Magni continentem, uti testantur versus eidem codici præscripti, quos Brouverus refert. Post hunc abbatem a Trithemio inducitur Bardo; alius, inquit, ab archiepiscopo, & post Egbertum, qui sequitur, Bardo alter, sed neutri locus suppetit.

XXIII. Egbertus, *seu* Eggebertus & Egibertus, qui & Eppo, Rohingi successor factus est statim post Natale Domini, ait Lambertus, non Romæ, ut Brouverus putat, sed in Germania, quo Imperator jam tunc se reperat. Reperitur abbas annis 1048. 1049. & 1051. sub quo abbate, anno insequenti, *al.* 1053. abbatia Fuldensis antiquitus juris pontificii, rursum a regio ad pontificium transiit. Occurrit adhuc 1057. & 1058. quo Lambertus & Marianus Scotus ejus obitum referunt, XV. cal. Decembris; Hermannus vero Contractus anno sequenti, a quo vocatus Eberhardus hoc ipso an. 1059. in concilio Moguntino jus suum diœcesanum adversus Herbipolensem episcopum egregie tuitus esse dicitur.

XXIV. Siffridus, *seu* Sigefridus de Eppenstein Fuldensis monachus, quem frustra legimus jam an. 1055. habuisse contentionem pro sedilium positione, sive proëdria cum archiepiscopi ministris, in celebratione sacrificii die Pentecostes, coram

Henrico imperatore, vere laudatur abbas anno A 1059. in præcepto Henrici IV. illi benefacientis calendis Dec. nec multo post, eodem scilicet anno desinente, Liupoldo archiepiscopo subrogatus est, in Epiphania factus antistes, 1060. ex Mariano Scoto.

XXV. Wideradus & Widecardus, loci alumnus, ejusdem pater efficitur post Sigefridum assumtum ad infulas Moguntinenses, cujus familiæ cognomen gerebat, ex Bruschio. Sane memoratur abbas an. 1061. & 1062. ex autographo apud Schannatium, ubi dicitur abbas XXVI. sed apud Pistorium XXV. Hic autem Goslariæ in ipsa æde sacra, pro prima post archiepiscopum B Moguntinum sede gravem habuit controversiam adversus Echilonem, *seu* Hezelonem Hildesheimensem episcopum, teste Lamberto Scafnaburgensi ad an. 1063. Itemque an. 1072. ecclesiæ suæ jura strenue defendit adversus Henricum IV. imperatorem in synodo Erfordiæ habita per Moguntinum archiepiscopum. Verum cum expeditioni Saxonicæ, quam Henricus rex an. 1075. magno apparatu suscepit, adesse compulsus esset, tametsi jam per biennium ita paralysi affectus erat, ut nisi baculo, aut ministrorum humeris innixus, nusquam progredi valeret, jamque ad locum, ubi coadunandus erat exercitus, ferven- C tissima æstate, vehiculo sedens pervenisset, strepitu circumfusæ multitudinis fatigatus, & nube concitati pulveris suffocatus, pene spiritum exhalaverat. Relatus itaque in monasterium (*Breitingen*, ex Lamberto Scafnaburgensi) a stupore quidem mentis paululum respiravit, sed nullum ulterius verbum proferre potuit; sicque per sex hebdomadas gravissima corporis molestia decoctus, XVII. calend. Aug. rebus humanis exemtus est.

XXVI. Ruthardus, qui Lamberto Ruzelinus, monachus Hersfeldensis, præ multis tam abbatibus, quam monachis Fuldensem abbatiam si- D moniace ambientibus, abbas renuntiatur die 1. Decemb. ab Henrico rege in civitate Babenbergensi, cunctis, qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus; vir sane modestissimus, qui nunc imperitiam suam, nunc malam valetudinem, nunc abbatis sui absentiam obtendens, vix tandem, ut consentiret, adduci potuit. Primum autem nobis occurrit abbas anno 1077. & 1079. in Traditionibus Fuld. apud Schannatium. Neque vero inanis fuit abbatis umbra, quippe qui monasteria B. Mariæ & sancti Michaëlis instaurasse dicitur, & sui monasterii reformator habetur; cujus insuper pietatis non leve E argumentum est, quod oblatum Halberstadensem episcopatum recusavit. Desiit esse in vivis an. 1096. postquam annis 21. præfuerat. Inter hæc nihilominus habetur apud Dodechinum epistola Stephani sive Herrandi Halberstatensis episcopi, in qua Heinricus abbatiam Fuldensem inter alia pro adulterio, proh pudor! dedisse perhibetur. Quod quidem a Mabillonio refertur ad an. 1085. quando fortasse oblatus est Ruthardo episcopatus Halberstatensis; sed id locum habuisse non videtur.

XXVII. Godefridus & Gottifridus Ruthardum excepit an. 1096. quem in conventu Francofurtensi an. 1109. depositum tradunt Brouverus & Bruschius, cum breviario Fuldensi. Coloniæ vero vivendi finem fecit, testante eodem Brouvero, non Fuldæ ex pestilentia an. 1114. ut quidam volunt.

XXVIII. Wolfelmus, *al.* Wilhelmus, ejusdem cœnobii monachus, in Godefridi locum substitutus anno saltem MCXI. quo præceptum tuitionis ab Henrico V. rege accepit, eamdem cum decessore expertus est sortem. Cum enim negligenter res monasterii ageret, ut in breviario Fuldensi legitur, Coloniam relegatus post annos quinque regiminis, ibidem naturæ concessit an. 1114. III. cal. Decembris.

XXIX. Erlolfus abbas Murbacensis, vel potius solum monachus, ex Bruschio, vir pius & doctus, Fuldensem abbatiam obtinuit, non sine obmurmuratione fratrum, qui contra monasterii sui jura id factum querebantur. Sub eo variæ monasterio factæ sunt donationes, annis videlicet 1114. 1116. 1117. 1118. & 1120. Tantæ porro erat existimationis, ut Germania diuturni pertæsa dissidii, ad regnum cum summo sacerdotio pacis vinculo jungendum, hunc Erlolfum dignissimum ex multis judicarit, quem, Imperatore probante & procerum consilio, Romam cum Brunone Spirensi præsule, ad Callistum papam, amplissima cum potestate mitteret. Unde an. 1122. cum eximia trium cardinalium legatione in Germaniam reversus, illius cantatæ pacis, quæ juxta Vangiones regnum inter & sacerdotium sancita, pars ipse quidem non ingloria fuit. Sed cum interim Orientalis basilicæ Fuldensis vetus moles an. 1120. ingenti ruina procidisset, & ex injuria temporum hujus miserabilis dissidii, monasterii Fuldensis veteres fortunæ ita essent prolapsæ, ut victus cœnobitas quotidianus deficeret, id quod ad annum 1116. abbas Urspergensis in suo chronico tragice deplorat, Erlolfus, desperata suorum concordia, abiens e medio Wormatiam secessit, ibique supremum emisit spiritum an. 1122. Ceterum hic emendandus videtur Robertus de Monte, quando huic abbati & Arnulfi nomen affingit, & illius cum Brunone Spirensi episcopo Romanam legationem illigat anno 1123.

XXX. Udalricus an. 1122. favente Henrico imperatore, cunctisque principibus, secundum concessionem privilegiorum monasterii, regulariter in abbatem Fuldensem electus est. Hunc vero, quia circa fratres vir optimæ conversationis, justus, propitius, atque benignus audiebat, communi consilio & auxilio cleri & populi, Romam benedictionis gratia transmissum, Callistus papa benigne suscipiens, in die festo Palmarum, benedictione apostolica confirmavit. Verum tametsi virtutis fama conspicuus, præclarisque operibus in ecclesia primaria erectis, ac templo utcumque instaurato commendabilis, quia tamen factioni principum, qui contra Lotharium pro Conrado Franconiæ duce faciebant, se applicasse visus est, eodem anno 1127. (legendum videtur 1126.

1126. ex dicendis) quo dux Conradus in Lotharium consurrexit, Udalricus excidisse fertur honore, amotus per Honorii pontificis legatum, qui cum Lothario rege *Fuldam superveniens, & quasi gladium de vagina educens, abbatiæ gubernacula, seipsum intrudendo, ex præcepto D. Honorii suscepit, laïcosque a sacramentorum obligatione, monachos & canonicos de obedientia præfato abbati promissa, qui tunc adhuc absens, absolvit, & ita, omnibus subditis dolentibus, depositus, Wirciburgum abiit, & ibi vitam clausit an. 1134.* Sic quidem habet chronici cujusdam fragmentum apud Brouverum; verumtamen apud Trithemium in chronico Hirsaugiensi, Udalricus adfuisse legitur Moguntinæ synodo, quam anno 1131. Lotharius rex convocari fecit.

XXXI. Henricus I. Keminata, *al.* Kemmenata, *seu* de Kemmenata, antea decanus principis monasterii, & præpositus Brustlohensis in Thuringia, ipso Lothario præsente, suorum omnium consensu eligitur abbas, quo quidem munere jam an. 1126. fungebatur, ex charta apud Pistorium, pag. 584. Idem memoratur in chartis donationum ann. 1127. & 1128. qui demum inopia monasterii fatigatus, anno regiminis septimo, Christi 1133. ultro abdicavit. Sunt autem qui postea factum scribunt episcopum Frisingensem, quos inter Otho Frisingensis chronographus laudatur a Bruschio.

XXXII. Berthous I. Schlitzius, *vel* Schliko, *al.* de Sliteze, major præpositus, integritatis, facundiæ, & ingenii laude præstantissimus in abbatem cooptatur an. 1133. ex autographo; statimque Lotharium in Italiam usque prosequitur, ubi ab Innocentio pontifice, hoc eodem anno, quo Lotharius Romæ imperatorio diademate ornatus, ipse non abbatis modo consecratione, sed *privilegiis etiam iis affectus, ut pontificis ritu, jus mitra, baculo, annulisque utendi referret.* Inde Berthous cum Magdeburgensi archiep. de primatu sedendi in comitiis contendit, & vicit, ex Bruschio chron. monast. pag. 199. Lapis ejus sepulcralis apud Fuldam diem præfert VII. cal. Aprilis.

XXXIII. Conradus I. majoris item ecclesiæ præpositus, ob virtutem & religionem a S. Bernardo dilaudatus, comes fuit omnium expeditionum, quas Lotharius cis transque Alpes confecit. Annus autem 1137. adscriptus chartæ Lotharii III. imperatoris privilegia Stabulensis abbatiæ confirmantis, anno tertio Conradi abbatis illigatur. Idem Conradus an. 1139. litteras accepit ab Innocentio II. de Sturmio primo Fuldensi abbate inter sanctos annumerato. Obiit, ac sepultus est anno seq. in monasterio S. Petri, quod ab an. 1138. præcipua munificentia excoluerat.

XXXIV. Aleolfus aspera usus in monachos gubernatione, Eugenii pontificis jussu exauctoratus est an. 1148. Exstat ejus memoria IV. cal. Febr. in necrologio Laurishamensi.

XXXV. Ruggerus I. animi moderatione & integritate morum, antecessoris desiderium minuit, sui vero plurimum accendit, cum ad Remense concilium profectus, ab Eugenio pontifice

A muneris vacationem impetravit, & secedens in montem B. Virginis, rerum divinarum studio, Henricum Hersfeldensem abbatem sibi passus est subrogari. Ceterum lapis ejus sepulcralis diem 9. Junii exhibet.

XXXVI. Henricus II. Hersfeldensis abbas Fuldensi monasterio cœpit præesse anno 1148. cui post duos annos cum nulla spes afflictas hujus monasterii resarciendi res affulgeret, de communi Pontificis & Conradi regis consilio, placuit aliunde virum animi magnitudine & industria spectatum accersere.

XXXVII. Marcwardus e Bambergensi B S. Michaëlis monasterio assumtus est an. 1150. Is anno seq. quorumdam bonorum fecit commutationem cum Adam Everacensi abbate, ex autographo apud Schannatium in Traditionibus Fuld. pag. 271. & an. 1155. indict. III. Matuarclus appellatus subscribit diplomati Friderici I. imperat. bona Leod. ecclesiæ confirmantis. Fuit Conrado & Friderico imperatoribus carus, cumque nihilominus in odium malevolorum incurrisset, dignitati suæ, unde venerat monasterium prætulit; sed hinc rursus Fuldam publice a Friderico imperatore evocatus, an. 1165. silvam *Machflur* cum agris quinquaginta ad erectionem C novi hospitalis contulit; nec multo post iterum abdicavit, præpositura S. Andreæ contentus; tandemque Bischofshemii diem clausit extremum an. 1168. X. cal. Aug. ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 84. Fuldæ tumulatus in majorum sepulcro.

XXXVIII. Herimannus & Hermannus, monachus Hersfeldensis, Friderici Ænobarbi studiis adversus Alexandrum Pontificem sic irretitus fuit, ut cum Germaniam Imperator an. 1165. in publico Wirceburgi conventu, Paschalem pseudopapam amplecti coëgisset, Hermannus ipse hac communi patriæ tempestate abreptus, non dubi- D tarit anno seq. Fridericum in Italiam armatus sequi. Cumque an. 1167. Romam, Alexandro fugato, Fridericus occupasset, & diadema denuo a Paschali in Vaticano sumsisset, Hermannus eadem opera probatus est a Paschali, & privilegiis ornatus; sed postero mox anno lenta confectus tabe, vitam cum abbatia posuit VI. *vel* VII. cal. Maii.

XXXIX. Burcardus e vicino quoque Hersfeldensi monasterio accitus, an. 1168. electionis suæ primo, interfuit conventui Principum in Herbipoli, ex Trithemio. Idem memoratur circa an. 1170. apud Schannatium in Traditionibus E Fuld. pag. 272. sub quo Fuldensis ecclesia ultimo prope casu labefactata est; expilatis enim facultatibus, dominiisque abalienatis, sejunctus ipse ab ecclesiæ communione, apud Wederaviam in Rheteris monasterio puellari expiravit an. 1176.

XL. Ruggerus II. ex diacono solum in abbatem omnium consensu delectus die S. Gregorii, ab Italia revertens, præclaris factis conspicuus, die S. Bonifacii e vita migravit post annum præfecturæ.

XLI. Conradus II. & ipse diaconus, ex præposito sancti Solæ, omnium suffragiis postulatur

abbas Fuldensis IV. nonas Julii an. 1177. Biennio post ad concilium Lateranense, Alexandro invitante, & propria causa, Romam adiit, ubi Sabbato *Sitientes* ab Ostiensi episcopo creatus est sacerdos; & mox Dominica *Judica* ab ipso Alexandro papa perfectus abbas. An. 1184. contendit cum Philippo Coloniensi archiepisc. de principe loco in conventu Moguntinensi habendo, & obtinuit. Memoratur etiam 1187. apud Schannatium, & 1189. in chartario Reinhartsbornensi; cumque annis 15. monasterium administrasset, vita functus est an. 1192. ex Bruschio, & majorum sepulcro illatus, cui dies XVII. cal. Novembris inscribitur.

XLII. Henricus III. a Bruschio cognominatus *de Cronnberg*, cum esset Montis S. Johannis Bapt. præpositus, Henrici regis favore Fuldam occupavit an. 1192. non sine damno ipsius ecclesiæ, cujus prædia plurima distraxit. Sedit annos 24. fato functus ipso die S. Gregorii an. 1216.

XLIII. Hartmannus I. antea præpositus Montis S. Petri, se vocat *electum Fuldensem* an. 1216. in charta Friderici II. imperatoris data V. idus Maii, ex probationibus historiæ Palatinæ, pag. 67. Priusquam vero ei sua dignitas confirmaretur, fato abreptus est.

XLIV. Cuno Elwangensis monasterii præpositus, quin potius abbas per annos triginta, Friderici II. jussu, ad Fuldam regendam vocatur anno 1217. qui post tres annos & dimidium, schismatis labe fœdatus, inquit Brouverus, trans Alpes in itinere ad Imperatorem occubuit an. 1221. quem econtra Bruschius quarto regiminis anno ad abbatiam Elwangensem rediisse litteris consignavit.

XLV. Conradus III. a Malkos, *al.* a Mukos eodem anno 1221. aut 1220. ex Bruschio, regimen auspicatus, memoratur annis 1225. 1239. 1241. & 1244. cui hæc inter cum Hermanno Herbipolensi episcopo haud leve bellum intercessit, limitum & novorum operum causa. Hamelsburgum scilicet ad Salam oppidum Conradus fundabat, quod Hermannus episcopus disturbare conatus est an. 1242. sed frustra; itemque anno seq. Fuldæ obsidionem tentavit Hermannus, sed neque felicior fuit hac vice, quem etiam dura necessitas ad pacem postulandam compulit, cujus inter leges hæc in perpetuum sancita, ut abbati archidiaconatus Fuldensis & jus cogendæ synodi cederet. Denique Conradus senio morbisque fractus vacationem muneris ab Innocentio IV. petiit an. 1246. vel potius 1245. non vero 1248. ut habet Bruschius. Tum vero Papa per legatum suum, Fuldensi congregationi Sigefridum Moguntinensem archiepiscopum, ejus nominis tertium obtulit, quem illa respuens, Pontificem ipsum appellavit: sed fracta demum minis & anathemate proposito, nisi reciperet, acquievit. Mortuus est Conradus ex Bruschio an. 1249.

XLVI. Sigefridus II. archiepiscopus Moguntinus jam an. 1245. pridie idus Junii se diserte scribit ministrum ecclesiæ Fuldensis; idemque annis 1247. & 1248. titulo gaudet administratoris ecclesiæ Fuldensis, ex indulgentia Innocentii papæ.

XLVII. Henricus IV. ab Ehrtall, *seu* Hertal, claro apud Buchonios genere, ex decano creatus abbas 1249. confirmatur ac rite instituitur, Innocentii pontificis nutu, a Theodorico Newburgensi episcopo, faventibus Wernhero Hersfeldensi, & Wigando Solotorensi, *seu* Schluchterensi & Solitariensi abbatibus, in magna procerum & nobilium corona. An. 1255. ecclesiam parochialem *in Berstatt* dedit canonicis majoris ecclesiæ Moguntinensis in augmentum præbendarum, a quibus vicissim duarum *capellaniarum* in eadem metropolitana ecclesia collationem in perpetuum accepit. Ad meliorem vitam translatus est an. 1261.

XLVIII. Berthous II. *vel* Britous, cognomento *a Leipoltz*, ex præposito S. Petri, anno 1263. die S. Simplicio sacra, Fuldæ a Christiano Lincolniensi episc. benedictionis solemne munus accepit. Vir meliori quidem fato, quam quod expertus est, dignus, qui plurimis egregiis facinoribus inclytus, a sicariis vassallis interfectus est Fuldæ an. 1271. XV. cal. Aprilis inter ipsa *Missarum* Quadragesimæ solemnia; de cujus miseranda nece ingemuit anno seq. Gregorius X. papa, quem & *venerabilem fratrem* appellare dignatus est. Conditus est in oratorio S. Jacobi, quod erat in veteri palatio abbatiali, a se constructo.

XLIX. Berthous III. ex Mackecellensi gente non ignobili prognatus, cum nuper esset S. Andreæ præpositus, in locum decessoris sublectus est, cujus cædis, seu potius parricidii non multo post, ipso scilicet die Natali Domini 1272. pœnas exegit. Sed cum aliunde rebus agendis minus alacris esset, neque sibi Romæ, uti mos erat, dignitatem confirmari curaret, urgente ipsa congregatione, quin & Romam de hoc utroque suas querelas perferente, Berthous exasperatus in Wernheri archiepiscopi Moguntini tutelam, ecclesiam, oppida, arces, seque permisit an. 1272. at mox infelici rerum successu perterritus, anno postero mature abdicavit. Videtur autem hic esse Bertohus sacerdos & abbas Fuldensis memoratus in necrol. Laurisham. XI. cal. Aug.

L. Berthous IV. de Bimbach, *seu* de Bienbach, ex monasterii primi decano (erat quippe quasi triplex monasterium, majus, Mons S. Petri, & Mons S. Mariæ) votiva suorum concordia eligitur abbas septimo idus sextiles, sive Augusti. Interest anno seq. 1274. concilio Lugdunensi, ubi a Gregorio X. sui muneris confirmationem accepit. Memoratur & an. 1278. in authentico apud Schannatium, pag. 275. Traditionum Fuld. Verum an. 1282. sub festum diem Omnium SS. regiis nuntiis Moguntiacum evocatus, certusque attenuatis & viribus & opibus stare diutius regimen haud posse, multorum episcoporum, ac ipsius Regis, omniumque Buchoniæ ordinum consilio, ecclesiæ suæ res temporales Rudolfo regi moderandas commisit in sexennium, accepta interim in subsidium suæ sustentationis præpositura S. Petri; tandemque an. 1286. bona

Pontificis Regisque gratia sua se sponte abdicavit.

LI. Marquardus II. de Bickenbach ex genere baronum hujusce nominis, decani munere fungebatur, quando in locum Berthoi subrogatus est jam an. 1282. si quibusdam apud Schannatium litteris, pag. 427. Traditionum Fuldensium fides. Certe non nisi an. 1286. *al.* 1287. die Vinculorum S. Petri, a Romano pontifice confirmatus est, deindeque ab episcopo Bambergensi benedictus. Postridie vero quam prædictam acceperat confirmationem, funesta clade basilica Fuldensis conflagravit, & funestiori Marquardus periit an. 1288.

LII. Henricus V. comes de Villnaw ex prænobili stirpe, præfuit cum laude ab an. 1288. ad 1313. quo Amelburgi mortuus est XII. cal. Martii. Sane reperitur abbas an. 1291. quo pincernatus officium Albertus Thuringiæ Lantgravius, & Saxonum comes Palatinus, quod, inquit, *a venerabili domino nostro Heinrico Fuldensis ecclesiæ abbate, & ab ipsa ecclesia in feodo habemus*, Ludovico Schenkewalt titulo justi feodi confert, XV. cal. Junii, ex chartario apud Schannatium in probationibus clientelæ Fuldensis beneficiariæ, pag. 370. Occurrit etiam 1293. in authentico apud eumdem Schannatium, pag. 276. Traditionum Fuld. eoque circiter anno suborta quæstione congregationem inter & abbatem, de victu & cultu fratribus suppeditando, Romæ pronuntiatum est, *ut mensa conventus perpetuum sit separata a mensa abbatis, seorsimque cibus, potus, alimenta, ceteraque vitæ necessaria congregationi prompta condita sint.* Simul autem Henricus habuit præposituram S. Andreæ Fuldensis, qui 1294. in Adolfi Nassovii Regis, quem sanguine attingebat, tutelam se contulit, ejusque fidei curam & œconomiam Fuldensem in sexennium credidit. Anno 1310. VIII. idus Sept. Henricus VII. rex eidem abbati & successoribus ejus Judæos in ditione Fuldensi commorantes tradit & subjicit; habetur hoc præceptum autographum apud Schannatium loco citato pag. 278. in quo Henricus abbas Princeps & secretarius suus carissimus a Rege vocatur. Denique an. 1312. III. calend. Aprilis eumdem regem munificum expertus est, ut ibidem videre est, pag. 332.

LIII. Eberardus a Rotenstein vir providus & circumspectus, obiisse quidem a Brouvero dicitur eodem anno 1313. sed frustra, ipsius enim exstant litteræ pro cœnobio sanctimonialium in Blankenaw datæ an. 1314. apud Schannatium, pag. 381. Traditionum Fuldensium; itemque memoratur eodem anno III. nonas Januarii in autographo apud eumdem Schannatium, pag. 299. probationum clientelæ Fuldensis beneficiariæ, ubi & ipsiusmet habentur litteræ authenticæ an. 1315. VIII. idus Febr.

LIV. Henricus VI. de Hohenberg, *al.* de Hochberg, ex Fuldensi decano reperitur abbas 1315. IV. idus Martii, & adhuc 1323. in præcepto autographo Ludovici IV. regis, quo montem *Rotenberg* dictum ecclesiæ Fuldensi concedit, ex libro Traditionum Fuld. auctore Schannatio, pag. 279. rursumque annis 1325. 34. 35. & 1341. in probationibus clientelæ beneficiariæ. Rexisse vero dicitur annis undequadraginta, quibus laudabiliter exactis obierit VII. idus Septemb. an. 1353. in monasterio S. Mariæ, *seu* Montis-Mariani, cujus præposituram obtinebat Pontificis gratia, ibique in oratorio ab se condito tumulari voluit.

LV. Henricus VII. de Kralucke sedebat an. 1353. die S. Remigii, 1354. 57. 71. & 1372. quo, rebus optime gestis, diem clausit extremum, XV. cal. Junii, humatus in B. virginis monte.

LVI. Conradus IV. ex comitibus de Hanaw, *vel* de Haynowe occurrit abbas annis 1374. 75. 76. 78. & 1383. in elencho vassallorum Fuldensium apud Schannatium, pag. 123. & in probationibus clientelæ Fuldensis beneficiariæ, pag. 312. cujus proinde necem, factione ab inimicis conflata, Brouverus & Bruschius perperam illigant an. 1382. Spangenbergæ trucidatus legitur.

LVII. Fridericus de Romrodt reperitur abbas jam an. 1383. feria tertia ante Dominicam *Reminiscere*, qua die ipsius assensu, Adolfo Moguntinensi archiepiscopo tutoris monasterii partes delatæ sunt. Occurrit etiam 1385. feria VI. ante diem S. Galli, 1386. & 1394. Obiit vero 1395. ecclesiæ bellis attritæ egregius assertor nuncupatus.

LVIII. Johannes I. Merlavius *de Merlaw* prænobili stirpe genitus, successit eodem anno 1395. sub quo disciplina hactenus observata de negato feminis in basilicam Fuldensem ingressu emollita ex indulgentia Bonifacii papæ IX. ipsa basilica die 7. Junii an. 1398. fulmine de cœlo tacta conflagravit; quod in pœnam violatæ disciplinæ posteri crediderunt. Ceterum hic abbas impetitus ab episcopo Herbipolensi, se se ex integro, cum universis subditis suis tam ecclesiasticis, quam laïcis in tutelam archepiscopi Moguntini Johannis Nassovii feliciter commisit an. 1403. Interfuit an. 1414. concilio Constantiensi, cujus auctoritate permotus creditur, ut instaurandæ suorum disciplinæ mentem adverteret. Certe Brouverus testatur ipsum anno regiminis undecimo, *lege* undevicesimo, revocasse ad regularem observantiam Novi-montis, *seu* B. Andreæ monasterium, vigesimo eamdem disciplinam in Montis B. Virginis cœnobium intulisse, ac denique congregationem provincialem ordinis S. Benedicti Fuldæ coactam fuisse anno 1420. His porro & aliis egregie factis nomen suum Johannes commendabat, quando, suadente morbo, circa an. 1423. cum hortatu quoque suorum, consortem curarum adscivit Hermannum a Buchenaw cœnobitam; sed facti mox pœnituit, nec sine causa; Hermannus enim consanguineorum pellacia opibusque fretus, nomen quidem imperii penes Johannem passus est, at vim apud se consistere voluit. Hincque bellum exarsit circa annum 1427. Thuringiæ Lantgravio favente Johanni, ab Hermanni vero partibus stante Conrado archiepiscopo cum gente Buchenavia; quo bello tandem exstincto,

cardinalis apostolici legati judicio ad optatam concordiam Fuldensis ecclesia rediit. Posthac vero memoratur Johannes annis 1436. & 1439. cumque jam annis 45. prudenter administrasset, ipse quievit in pace, tertia die Epiphaniæ (puta Octavæ) an. 1440. Ex quibus colligas auctorem hist. eccles. German. editæ an. 1724. gratis asserere Gerardum de Schwartzenbourg episcopum Herbipolensem fuisse simul abbatem commendatarium Fuldæ; itemque Johannem de Brun similiter episcopum Herbipolensem, utrumque circa an. 1400. Verumtamen his lucem affert Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium observationibus, pag. 736. cum ait, abbate Johanne & Hermanno adjutore gravissime inter se contendentibus, Conradum archiep. & Johannem Herbipolensem antistitem egisse provisores monasterii.

LIX. Hermannus II. a Buchenaw præpositus Montis S. Johannis, & jam pridem Fuldensis coadjutor, aderat abbas, quando Theodericus archiepisc. die S. Dionysii an. 1440. Erfurtum solemni pompa ingressus est. Reperiur etiam annis 1441. 44. 47. & 48. Hic sane culpa haud caret, quod in Johannem decessorem, uti supra diximus, insurrexit, sed magnam meretur laudem a restituta in cœnobio Montis S. Johannis disciplina. Hinc & in eodem monasterio die sancto Paschæ vita defunctus [a] an. 1449. ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 113. ibidem saxeo monumento tectus est. Ergo mendosa est nota chronica anni 1452. Hermanno abbati adscripta in elencho vassallorum Fuld. apud eumdem Schannatium, pag. 109.

LX. Reinhardus de Wilinawe ex comitum hujus nominis progenie editus, die S. Georgii martyris eligitur, & anno seq. die festo Exaltatæ S. Crucis, solemni inauguratione perficitur abbas. Hic sæpius apud Schannatium memoratus, maxime in probationibus clientelæ Fuldensis beneficiariæ, annis scilicet 1450. 51. 53. 54. 55. 59. 60. 61. 62. 64. 65. & 1470. plurima egregie præstitit, sed longe præcellit studium illud, quo Montis S. Petri monasterium avitis & optimis S. Benedicti legibus, quæ inertia majorum diffluxerant, rursum adstrinxit. Jam vero ætate ingravescente, an. 1472. Johannem Hennebergium, probante capitulo, sibi coadjutorem adlegit, seu potius ei suam dignitatem transcripsit, superstes ad an. 1476. quo spiritum reddidit XVI. cal. Apr. ac in æde majori sepultus est.

LXI. Johannes II. de Henneberg ex comitum Hennebergiæ prosapia, Guillelmi IV. comitis & Catharinæ Hanoviæ filius, inculpati principis, ac pastoris vigilantissimi laudem promeritus est. Hic primum superioris coadjutor, ex Brouvero, tum successor, cathedram, inquit, ascendit an. 1477. Imo vero dicitur abbas jam an. 1472. 1473. & 1474. in probationibus clientelæ Fuldensis beneficiariæ apud Schannatium, pagg. 260. 280. 312. & 316. ac insuper annis 1480. 83. 90. 95. & 1501. *ibidem*. Deinde an. 1507.

[a] In Monte B. Mariæ Virg. sepultus tamen in Monte S. Johannis, ex Bruschio.

A Hartmannum ex Burggraviis de Kirchberg, nobilem Thuringum, coadjutorem assumsit; ac tandem post annos 45. probi regiminis, humanis concessit an. 1513. die 20. Maii, cum simul esset præpositus Tulbensis.

LXII. Hartmannus II. de Kirchberg, Moguntinensis canonicus, doctor in utroque jure, adscitus in coadjutorem 1507. Cæsarem adiit anno seq. Regalia, quæ vocant, impetraturus; ac deinde Pontificem an. 1509. suæ electionis confirmandæ gratia. Tum vero 1510. vota solemnia ritu monastico nuncupavit, illico præpo-
B situs monasterii S. Michaëlis salutatus; tandemque an. 1513. abbatiali benedictione donatur a suffraganeo Moguntino, adstantibus Volberto Hersfeldensi & Christiano solitariensi, *seu* Schluchteriensi abbatibus; quo etiam anno, die 18. Junii litteras provisionis pro S. Michaëlis in *Rore* præpositura Christophoro a Marschal dedit. Idem an. 1515. novam morum reformationem in parthenone S. Mariæ in Aldendorff ordin. Cisterc. introduxit. Sed vix anni tres effluxerant in regimine, cum ipse congregationi suis moribus & profusione thesauri a decessore tam im-
C pense parti factus est gravis; nec modo non resipuit monitus, quin & spretis monitoribus, profugus ipse cum gaza præcipua Hamelburgum se recepit, ac deinde Moguntiacum, unde Wormatiam ad Imperii comitia, quæ Carolus Cæsar ibidem anno circiter 1521. indixerat, se contulit. Hic porro tandem delectus est, Cæsaris jussu, supremus controversiæ judex & arbiter Wilhelmus Hoensteinius Argentinensis episcopus, qui partes ita composuit, ut Hartmannus vim principatus amitteret, titulum abbatis, salvo Regalium jure, consiliisque bonis, retineret, aureos in victum annuos sexcentos, & mille nongentos semel acciperet æri alieno dissolvendo & liberando pignori; ac denique Johannes Henneber-
D gius Wilhelmi principis filius ei coadjutor subveniret. De Hartmanno ita Cochlæus in actis Lutheri ad hunc annum 1521. diemque 23. Aprilis: *Missam*, ait, *cum ministris maxime solemniter celebrabat abbas Fuldensis, velut capellanus ordinarius Imperatoris & princeps Imperii, dominus Hartmannus comes a Kirchberg, vir quidem disertissimus, sed eo tempore a subditis suis ejectus & exsul, quem postea Cæsar suis reconciliavit, per annuam pensionem, ut privatus viveret Moguntiæ in suo canonicatu, permissa rerum administratione uni ex comitibus de Henneberg.* Denique Hartmannus in gratiam sequentis abdicasse dicitur an. 1521.
E tam abbatialem dignitatem, quam & præposituram S. Sixti in Holzkirchen, ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 105. Verumtamen in charta anni 1527. inter probationes clientelæ Fuldensis beneficiariæ, pag. 246. leguntur Hartmannus abbas & Johannes coadjutor Fuldensis. Ceterum Moguntiaci naturæ concessit die 1. Aprilis an. 1529. ibidemque nobiles inter canonicos sepulturam accepit.

LXIII. Johannes III. de Henneberg ex comitibus Hernebergensibus, Guillelmi & Anastasiæ Brandeburgensis marchionissæ filius; canonicus

variarum illustrium ecclesiarum, jam pridem, anno scilicet 1516. in successionis spem a congregatione assumtus, ab Hartmanno quidem invitatus est, sed mutato post consilio derelictus. Verum ubi partes fœderibus coaluere, communi earum consensu receptus est. Itaque anno 1522. Parisiis evocatus, ubi bonis artibus ingenium excolebat, a Wilhelmo parente ejus nominis VII. Fuldam magnifico comitatu perducitur, & ineunte Autumno pro coadjutore primum, sacramentis in capituli leges adactus, inde ab incolis & ordinibus Buchoniæ obsequii fideique vicissim sacramenta, adstante patre, accepit. Laudatur Johannes ob ditionem ab agrestium procella feliciter tranquilleque gubernatam; qui demum anno ætatis 38. mortalitatem explevit 10. Maii 1541. conditus in ædis primariæ porticu ad S. Bonifacii cryptam.

LXIV. Philippus Schenck a Schweinsbergh, nuper decanus, inde præpositus Montis S. Johannis, abbatiam adeptus est 12. Maii an. 1541. invitatus anno seq. a Paulo III. Pontifice ad concilium Tridentinum. Adfuit an. 1544. Spiræ comitiis, multorum procerum, episcoporum, Regis & Imperatoris præsentia claris. Cessit e vita die 15. Januarii anno 1550. cujus tumulo Georgius Wicelius hoc epitaphium inscripsit.

Condita Primatis latitant hic ossa Philippi,
Servandæ patriæ deditus ille fuit.

LXV. Wolfgangus Theodoricus ab Eusigkeim, a prima ætate monasticæ vitæ disciplina imbutus, die 28. Jan. an. 1550. Philippo sublectus est; quo quidem anno memoratur die 13. Aprilis, & adhuc 1551. 4. Aug. eodem anno ad concilium Tridentinum invitatus. Francofurti vero de religione catholica optime meritus diem supremum obiit 29. Apr. an. 1558.

LXVI. Wolfgangus Schutzpar a Milchling, quem ex militia Teutonica nobilem commendatorem seu præceptorem sibi decessor in coadjutorem adlegerat, abbas creatus est eodem anno 1558. ac post novem regiminis ad alteram vitam migravit pridie cal. Decemb. 1567.

LXVII. Georgius Schenck a Schweinsbergh, antea major decanus Fuldensis & præpositus S. Andreæ, exinde fuit abbas ab an. 1567. Decessit anno seq. die 25. Febr.

LXVIII. Wilhelmus Claurius, *al.* Claver de Wahra, vitæ modestia & morum gravitate spectatus, ex hac luce discessit an. 1570.

al. LXX. LXIX. Balthasar a Dermbach, cognomento *Gravel*, in Hassia Petro Dermbachio & Clara Clauria nobilibus parentibus ortus, ex decano majoris ecclesiæ, summam rerum adiit die Conversionis S. Pauli apost. qua scilicet electus canonice, quanquam ætate junior, deinde a Maximiliano Regalia, & a Pio V. confirmationem accepit; tandemque solemni benedictione affectus est a Stephano suffraganeo Moguntino in æde Societatis Jesu, cujus alumni an. 1572. quo jam præerat Balthasar, admissi fuerant Fuldæ. Verum an. 1576. die 22. Junii Hamelburgi, coïtione partium abdicare coactus, primum in arce Hausena Moguntinæ ditionis perfugium habuit; A inde Francofurtum abiit, & hinc Ratisbonam ad comitia profectus est. Jam autem processerat annus 1577. cum Rodolfus II. Maximiliani successor, multis super Fuldensi causa consiliis agitatis, dum controversia magis liqueret, ditionis hujus administrationem commisit Henrico a Bubenhausen Ordinis Teutonici supremo magistro, qui 23. Aprilis cum Achille Ilsungo Cæsaris legato Fuldam accedens, ditionis gubernacula suscepit. Anno seq. mense Aug. Balthasar abbas Viennam ad Cæsarem profectus, & inde post quatuor menses reversus, Selingenstadii sedem fixit, donec ei Cæsaris decreto attributa est B Bibersteinia præfectura, ac certa pecuniæ pensio, tum dignitati sustinendæ, tum prosequendæ liti. Secessit igitur an. 1579. in arcem Bibersteiniam, ubi doctrinæ, pietatisque studiis ita se totum tradidit, ut in summa ac diuturna vacatione otii parum, negotii plurimum ei superesset. Tandem vero annus 1602. diuturnæ controversiæ finem imposuit; quippe Rudolfus Cæsar die 7. Aug. sententia secundum Balthasarem pronuntiata, principem & abbatem ecclesiæ edixit, ditionique suæ restituit, & actores gravi mulcta damnavit. Vi porro hujus sententiæ Balthasar die 16. Decemb. egregio apparatu ecclesiam primum & mox civi- C tatem suam ingressus est, cum paulo ante ipse Pontifex Clemens VIII. ei de sua restitutione gratulatus fuisset die XII. Oct. anno pontificatus XI. Ceterum hic abbas zelo catholicæ religionis conservandæ accensus, Hamelburgo oppido, quod ab an. 1524. hæresim imbiberat, honorifica istuc legatione missa, ad initium Septemb. an. 1603. vetera sacra restitui curavit; itemque anno seq. civitatem Fuldensem ad catholicæ religionis consensionem reduxit. Denique subita mors illum abstulit rem inter divinam an. 1606. die 15. Martii, sepultusque est in exedra principis ecclesiæ.

D LXX. Johannes Fridericus a Schwalbach ex decano creatus antistes die 22. Martii feria IV. majoris hebdomadæ, confirmatur a Paulo V. summo pontifice XIX. calend. Septemb. ejusdem anni 1606. ac insequentis Autumno ineunte, Regalia & principatus auctoritatem recepit a Rodolfo Cæsare. An. 1613. die 12. Martii serenissimo duci Bavariæ Wilhelmo petenti per nuntium reliquias ex Fuldensi sacrario perquam humaniter hic abbas annuit; & an. 1617. synodum diœcesanam Fuldæ celebravit. Die vero 8. Decemb. an. 1622. humana reliquit.

LXXI. Johannes Bernhardus Schenck de E Schweinsperg tres Fuldæ synodos habuit, annis scilicet 1623. 29. & 30. quorum etiam altero 1629. Hersfeldensem abbatiam per Helveticos ordinis S. Benedicti monachos reformavit. Postea vero tempestate bellica e sede sua pulsus, & exercitum Cæsarianum secutus, dum prælium cum Suevis apud Luzenam die 6. Nov. an. 1632. commissum eminus spectaret, fortuito errantis globi percussus ictu, morte sua curiositatem luit.

LXXII. Johannes Adolfus ab Hoheneck, ex capitulari Fuldensi & præposito Montis S. Petri fit abbas Fuldensis ex compromisso ad

metropolitanum & episcopos Wormatiensem atque Herbipolensem delato, a quibus electus est die 30. Martii 1633. Coloniæ in cœnobio S. Pantaleonis, quem Pontifex Urbanus anno seq. confirmavit, & ejusdem mandato episcopus Tricariensis solito cœremoniarum sacravit apparatu an. 1635. At vero die 15. Febr. *al.* 25. ejusdem anni viam universæ carnis ingressus est.

LXXIII. Hermannus Georgius a Neuhof, ut in authentico anni 1640. legitur, non Georgius Hermannus, antea præpositus S. Sixti in Holzkirchen, *al.* Blanckenaviensis, evasit abbas an. 1635. difficillimis sane temporibus. Obiit autem pastor optimus die 25. Jan. an. 1644.

LXXIV. Joachimus e comitibus de Graveneeck, præpositus Holtzkirchensis, an. 1644. die 2. Junii concordiam iniit cum Salentino de Sintsig cathedralis ecclesiæ Magdeburgensis decano, & coadjutore Fuldensis ecclesiæ postulato die 17. Jan. an. 1641. sequestro Philippo Herbipolensi præsule, ex probationibus diœcesis & Hierarchiæ Fuldensis auctore Schannatio, pag. 395. Hic autem Salentinus ea concordia fuit præpositus S. Sixti in Holzkirchen, &c. annis 1649. 53. & 63. Joachimus vero tres habuit synodos annis 1652. 57. & 66. & universam diœcesim lustravit an. 1655. tandemque defecit an. 1671. postquam, ut videtur, mortuus esset Salentinus.

LXXV. Johannes Bernardus Gustavus, quem illustrissimum marchionem Badensem Mabillonius noster in suis annalibus tradit non ita pridem honores cum Lutheri erroribus deposuisse, vestemque monasticam assumsisse, alios honores brevi accepturum, jamque, ait, Fuldensis & Campidonensis abbatiarum coadjutorem, reperitur abbas Fuldensis jam an. 1672. in elencho vassallorum ecclesiæ Fuldensis apud Schannatium, pag. 8. An. 1674. visitationem diœcesis suæ Fuldensis instituit, ex eodem Schannatio, qui & ipsius meminit anno seq. die 30. Decemb. Mortem oppetiit 26. Decemb. an. 1677. cum jam esset S. R. E. cardinalis.

LXXVI. Placidus nobili apud Westphalos gente prognatus, patre Philippo a Droste, matre vero Agnete ab Heygen, eligitur die 4. Jan. an. 1678. occurritque deinceps annis 1680. 85. & 91. quo anno indictæ synodo præfuit, adhuc superstes & abbas 1697.

LXXVII. Adelbertus baro de Schleiffras, antea major decanus, abbas erat jam anno saltem 1700. isque an. 1702. synodum habuit, in qua multa salubriter ad exactam cleri sui disciplinam statuit. Idem an. 1712. die 14. Aug. majorem S. Salvatoris basilicam opere sumtuoso a se funditus instauratam propriis manibus sacravit. Animam exhalavit die 4. Octob. an. 1714.

LXXVIII. Constantinus baro de Butlar electus est in abbatem die 19. Octobris an. 1714. cui Johannes Fridericus Schannat. librum inscriptum *Vindemiæ litterariæ* an. 1723. & alterum, cui titulus *Corpus Traditionum Fuld.* anno 1724. nuncupavit. Mortuus est 13. Martii 1726.

LXXIX. Adolfus camerarius de Vormatia L. B. de Dalberg electus abbas Fuldensis, Romæ proponitur 1726. die 3. Junii in consistorio secreto. Ei prædictus auctor Johannes Fridericus Schannat librum de clientela Fuldensis ecclesiæ beneficiaria an. 1726. & alterum de diœcesis Hierarchia Fuldensi an. 1727. dicavit. Ex his vero postmodum libris hanc nostram brevem historiam accuravimus.

S. PETRUS IN ERFORDIA, *seu* Mons S. Petri, *vulgo* Petersberg.

HOc monasterium Benedictinum in Thuringia situm prope Fuldam, a S. Bonifacio in honorem Deiparæ virginis an. 752. constructum est ex appendice ad Lambertum; imo jam anno 706. huic initium dedisse traditur Tagebertus, *seu* Dagobertus rex Francorum, si Lamberto Scafnaburgensi fides. At profecto Trithemius errat, quando illud ante Willelmum Hirsaugiensem abbatem exstitisse negat; quod revera ab hoc Willelmo instauratum est, cum jam ipsum ad canonicos prolapsum Sigefridus archiepisc. Moguntinus sub an. 1059. monachis restituisset. Perstat etiam nunc istud cœnobium sub ordine Benedictino, quod quidem an. 1439. ad congregationem Bursfeldensem accessit, ex Bucelino, 1437. ex Miræo in originibus ord. S. Bened. monasteriorum, pag. 162. anno vero 1446. auctore Theoderico archiepiscopo, ex Georgio Christiano Johannis.

Series Abbatum.

I. BRUCHINDUS, monachus Weissenburgensis.

II. Rugastus obiit v. cal. Jan.

III. Rabbato moritur pridie idus Febr. Hi tres abbates Bucelino debentur.

IV. Herbardus, historicus celebris, ex Priore Corbeiæ novæ abbas S. Petri Erford. postulatur an. 879. ex eodem Bucelino.

V. Ruthardus, *male* Richardus, abbas erat hujus monasterii, quando ad archiepiscopalem ecclesiæ Moguntinæ thronum sublimatus est an. 1088. sub quo fortasse incensum est monasterium an. 1068. *vel* 1078.

VI. Giselbertus abbas Fontis-Reinhardi, simul etiam ad tempus hoc S. Petri in Erfordia monasterium suscepit regendum, volente Guillelmo Hirsaugiensi abbate, donec eidem proprius abbas præficeretur.

VII. Burchardus, Hirsaugiensis monachus istuc cum duodecim monachis ex Hirsaugia missus est anno Gebhardi abbatis Hirsaugiensis undecimo indict. x. mensis Febr. die 8. Incarn. Dom. an. 1102. *sive* 1101. secundum veterem calculum, quo anno dicitur consecratus a Ruthardo Moguntin. archiep. Statim vero Burchardus fundare ibidem cœpit novam ecclesiam in Monte S. Petri, quæ præter turres hodie necdum completas, ait Trithemius, Hirsaugiensi ecclesiæ non parum est similis; itemque cetera ædificia partim flammis consumta, partim vetustate collapsa instauravit. Rexit ad annum saltem 1110. ex chartario

Reinhartsbornensi. De hoc sic habet continuator Lamberti ad an. 1116. pag. 254. *Burchardus Erphesfordensis abbas privatus est abbatia ab Adelberto Moguntinensi archiepisc. cui Rupertus subrogatur.* Vide tom. 1. rerum Mog. pag. 539. Cum autem Romam tenderet querelas suas Pontifici delaturus, fato interceptus fuit an. 1121. ex Bucelino.

VIII. Rupertus, vir devotus & in rebus monasticis exercitatissimus, obiit an. 1128. *vel* 1127. ex Bucelino.

IX. Wernherus successit eodem anno 1128. assumtus ex Hirsaugia, vir multæ prudentiæ, qui per suam industriam, nec paucis impensis aquæductum in monasterium, cunctis mirantibus, introduxit. Eo sedente, Henricus archiep. Mog. hanc ecclesiam anno 1143. in suam protectionem suscepit, solemni diplomate, quod habetur tom. 2. *Vindemiarum litterariarum* Schannatii, pag. 181. Memoratur adhuc Wernherus abbas Erphesfurtensis in charta ejusdem archiepiscopi pro isto cœnobio anno 1147. sub quo abbate monasterium incendio periit VII. idus Maii anno 1142.

X. Gelphradus abbas de Monte S. Petri in Erphesfurt an. 1149. pro se & successoribus suis privilegium obtinuit, pueros baptisandi, infirmos, si forte petierint, visitandi, sepeliendi mortuos, & sicut hucusque fecerunt, in posterum faciendi, & cum cruce & reliquiis ecclesiam suam Dominicis diebus solito more circumeundi. Obiit ex Bucelino an. 1172.

XI. Pilgrinus, *seu* Peregrinus, in utroque statu, spirituali ac temporali, utiliter præfuit annis 20. mortuus 1192.

XII. Diethmarus cessit an. 1196.

XIII. Hugo, & ipse resignavit an. 1201.

XIV. Wizelo post viginti annos regiminis, naturæ concessit 1221.

XV. Henricus occurrit an. 1231. in chartario Reinhartsbornensi; quem jam valetudinarium Christianus archiepiscopus an. 1250. desinente absolvit, subrogato eidem Volmaro. Obiit autem Henricus 1252. cum triginta fere annis præfuisset.

XVI. Volmarus I. ejusdem ecclesiæ quondam monachus, erat tunc abbas Bursfeldensis, quando, volente Christiano archiepisc. in locum Henrici subrogatus est. Is autem est fortasse Wolckarus, qui cessit an. 1254. fatoque suo functus est 1262.

XVII. Andreas I. ex cellerario abbas, præfuit annis 46. sub quo, 1257. auctoritate apostolica celebratum fuit capitulum ab omnibus abbatibus totius ordinis pro ejusdem reformatione, ubi multa valde salutaria instituta sunt. Morti debitum solvit an. 1301.

XVIII. Johannes I. de Brunheim an. 1314. mutuam suffragiorum iniit societatem cum Conrado præposito & Petrissa abbatissa S. Michaelis in Rore, ex Schannatio in Hierarchia Fuldensi, pag. 186. ubi vide hujus monasterii abbatissas. Moritur 1321. post annos 20. regiminis.

XIX. Bartholdus cessit an. 1323. Cisterciensem reformationem amplexus, in qua diem ultimum obiit an. 1332.

XX. Volmarus II. defecit an. 1337.

XXI. Hermannus ab Eichelborn resignavit cæcus effectus an. 1353. eodemque ex hac vita discessit.

XXII. Theodoricus I. de Brunheim mortem oppetiit an. 1358.

XXIII. Theodoricus II. de Zimeren hanc mortalem vitam cum æterna commutavit anno 1376.

XXIV. Ludovicus de Salfeldt exstinctus est 1383.

XXV. Petrus de Vargila rebus humanis exemtus est 1391.

XXVI. Hartungus I. de Drefordt e vivis excessit 1424.

XXVII. Ortwinus eodem anno successor datus, præfuit cum aliis abbatibus capitulo provinciali Bambergæ in Monte-monachorum celebrato an. 1429. alteri quoque apud S. Udalricum in Augusta civitate 1432. ac denique tertio Basileæ apud Fratres Prædicatores 1435. ex mandato concilii generalis Basileensis. Mortalitatem exuit 1437.

XXVIII. Hartungus II. Herling cum aliis abbatibus præfuit duobus capitulis provincialibus, Nurembergæ apud S. Egidium celebratis ann. 1439. & 1441. Eidem quoque & successoribus concessit Theodericus archiepisc. an. 1440. ut sibi subjectis fratribus primos conferre ordines, perpetuisque temporibus ornamenta ad monasterium S. Petri pertinentia consecrare possent. Cum autem postea reformationem amplecti detrectaret, seque in monasterium Reinhartsbornense subduceret, exauctoratus est.

XXIX. Christianus, titulo Prioris solummodo rexit utrumque statum monasterii usque ad obitum Hartungi, qui contigit 1451. ac tandem hoc anno salutatus est abbas. Præfuit anno 1454. capitulo provinciali in Seligenstat; qui reformationem amplexus, principalis Thuringiæ monasteriorum visitator a Nicolao de Chusa cardinali designatus est. Cessit e vita 1458.

XXX. Guntherus præfuit cum aliis abbatibus an. 1470. capitulo provinciali habito in suo monasterio, & iterum alteri 1473. Nurembergæ apud S. Egidium. Senio confectus abdicavit an. 1500. & est mortuus 1503.

XXXI. Johannes II. de Segen abbas ex Priore, an. 1507. epistolam accepit a Johanne Trithemio abbate S. Jacobi Herbipolensis, quam vide lib. 2. epistolarum hujus viri celeberrimi n. XXXI. Præfuit Johannes abbas capitulo provinciali Bambergæ in Monte-monachorum anno 1512. celebrato. Vivere desiit an. 1526.

XXXII. Liborius, postulatus abbas ex Homborg obiit 1531.

XXXIII. Benedictus Hoffman, insigne perfectionis exemplar, summis, infimisque carus, moritur 1540.

XXXIV. Johannes III. Specht, electus 1540. humana reliquit 1558.

XXXV. Kilianus abbas Brettingensis, Hasso

monasterium suum occupante, dum hic exsulat, in monasterio scilicet S. Petri Erford. ipsius abbas eligitur. Occubuit vero 1562.

XXXVI. Johannes IV. Reutter migravit a seculo 1565.

XXXVII. Gerardus Zingraff mortem subiit 1571.

XXXVIII. Johannes V. Zennerus carnis ergastulo solutus est 1584.

XXXIX. Andreas II. Luderitz vitam reliquit 1598.

XL. Valentinus Moor, *Æthiops* Bucelino, prudentia & eruditione præclarus, fuit etiam episcopus Ascalonensis & suffraganeus Moguntinæ sedis in Erfordia, creatus a Suicardo Electore archiepiscopo 1606. Decessit an. 1608.

XLI. Andreas III. Gallus, abbas ex Priore, mortuus est 1627.

XLII. Johannes VI. Henningius, vir egregius, præerat adhuc 1655. senio venerandus, habebatque coadjutorem

XLIII. Adamum Dalen ascetam S. Ludgeri in Werthina, virum insignem tum eruditione, tum religione.

SELIGENSTADIUM.

ORdinis S. Benedicti monasterium in ejusdem nominis oppido, ad Mœnum, *seu* Moganum fluvium, tribus circiter a Francofurto, in ascensu ejusdem fluminis, milliaribus, fundatur anno circiter 830. ab Einhardo Ludovici imperatoris cubiculario * & amico familiari, occasione sumta ex translatione reliquiarum SS. martyrum Marcellini & Petri ex urbe Roma in Germaniam (Gandavum habet Stengelius) an. 827. ab eodem Einhardo facta jussu Imperatoris; unde & hi sancti, quorum sin minus integra corpora, eorum certe maxima pars illic collocata est, patroni ejusdem monasterii habentur. Hoc autem cœnobium, aliud habens cognomine ejusdemque ordinis in diœcesi Hildesheimensi, anno 1481. ad congregationem Bursfeldensem accessit.

* cancellario.

SERIES ABBATUM.

I. EINHARDUS, EGINHARTUS, & AINARDUS, fundator & primus abbas exstitit Seligenstadiensis, cum jam esset Bavonianus & Blandiniensis, ubi vide tom. 3. novæ Gall. Christ. Subscripsit eo nomine an. 837. judicio Aquisgrani lato in solemni conventu, pro Aldrico Cenomanensi episcopo, de subjectione Anisolensis monasterii erga ecclesiam Cenomanensem. De ipsius obitu, præter ea, quæ diximus in monasterio S. Bavonis, adde secundum Trithemium, pervenisse ad annum saltem 848. quo interfuisse dicitur Moguntino concilio. Post hunc vero inducuntur ab eodem Trithemio Hartungus & Hartmannus, sed absque ullo satis legitimo fundamento.

II. Ratlegius & Ratleicus, notarius quondam Eginhardi, juvenis quidem ætate, sed moribus senex, cooptatur a fratribus ut sibi præsit; & ipse Eginhardus hunc sibi substitui peroptare videtur epistola 32. Laudat eum Lupus Ferrariensis abbas in epistola sexagesima, ejusque epitaphium cecinit Rabanus, in quo sophiæ studiosus amator, divinæ legis studiosus indagator & præceptor fuisse dicitur, atque ex urbe Colonia ortus, Ludovico regi adhæsisse. Mortuus est Ratleicus sub annum 851. cum ei paulo ante obitum Rabanus martyrologium suum nuncupasset, præmissa epistola, quam in tomo 4. Analectorum Mabillonii editam reperies, professus se ejus hortatu hoc opus suscepisse.

III. Syboldus præfuit, ex Bucelino, tempore Caroli Crassi imperatoris, circa an. 880.

IV. Murhardus, *seu* Burchardus ex Bucelino, adfuit synodo Triburiensi an. 895. ex Trithemio, *vel* 896. indict. XIV.

V. Johannes I. præfuit sub annum Christi 930. ex Bucelino.

VI. Otho I. sub an. 970.

VII. Beringerus obiit 1019. nonis Maii.

VIII. Otho II. rexit usque ad annum 1045.

IX. Sigefridus archiepiscopus Mog. hanc abbatiam obtinuit circa an. 1062.

X. Godefridus I. sedebat 1200. primus; qui mitram sibi & successoribus impetravit.

XI. Gebeno simul abbas S. Albani Mogunt. 1219.

XII. Starckardus I. 1221.

XIII. Godefridus II. 1230.

XIV. Arnoldus superstes ad an. 1247.

XV. Starckardus II. an. 1255. VI. cal. Maii ecclesiam in Nuheim majoris ecclesiæ Moguntinæ canonicis in augmentum præbendarum contulit. Adhuc memoratur 1258. & 1264.

XVI. Hermannus 1266. & 1268.

XVII. Conradus regimen suum produxit ad an. 1278.

XVIII. Godefridus III. legitur abbas eodem anno 1278.

XIX. Henricus 1285.

XX. Theodoricus I. claruisse scribitur anno 1300.

XXI. Godefridus IV. 1308.

XXII. Walpertus I. 1310.

XXIII. Theodoricus II. 1312.

XXIV. Walpertus II. sub annum 1318.

XXV. Tilmannus I. 1324.

XXVI. Petrus I. 1326.

XXVII. Tilmannus II. 1336.

XXVIII. Petrus II. 1343.

XXIX. Guntramus I. moritur 1352.

XXX. Chuno I. eligitur eodem an. 1352.

XXXI. Petrus III. 1354.

XXXII. Guntramus II. 1355.

XXXIII. Folmarus 1383.

XXXIV. Wintherus 1397. cui successit

XXXV. Lumpo, *seu* Lumpso, antea hospitalarius ejusdem loci, mandato Johannis archiep. Mogunt. in abbatiæ possessionem inductus per Conradum episcopum Christinopolitanum, ante annum 1403.

XXXVI. Cuno II. nobilis de Beldersheim sedebat annis 1420. & 1424. qui cum aliquando suos

suos excivisset, ut monasterii villas deprædantes A invaderent, iique duos illorum gladiis jugulassent; duos suspendissent, pluresque vulnerassent, & & hoc ipso præsente, quaquam non adjuvante, anxius ille erat animi & incertus, annon irregularitatis, ut vocant, contraxisset notam, atque adeo Patrum concilii Basileensis gratiam implorabat; qui litteris idibus Decemb. an. 1437. Theoderico archiepiscopo id negotii dederunt, ut hoc diligenter factum inquireret, & comperto ita esse, ut Cuno retulerat, auctoritate archiepiscopali curaret, ut hic suo monasterio præesse, & in susceptis ordinibus libere & licite ministrare posset. An. 1443. feria 1. post Dominicam B *Quasi-modo-geniti*, Theoderico archiepiscopo sedenti pro tribunali, pro quadam controversia adsedisse legitur. Adfuit etiam, quando idem archiepiscopus Reinhardum de Sickingen in episcopum Vormatiensem confirmavit die 27. Julii 1445. Adhuc memoratur 1449. in cujus tandem defuncti locum subrogatus est Theoderici archiepiscopi provisione

XXXVII. Reinhardus de Mosbach, qui benedictionem percepit an. 1457. ab Henrico Rossensi episcopo, Theoderici vicario, sive suffraganeo. Rexit ad annum saltem 1477. quo, fama de prolapso cœnobii statu in dies magis C percrebrescente, Dietherus, archiepiscopus, assumtis secum ordinis S. Benedicti præsidibus, illud intervisit, & cum reapse comperisset non cœnobitas solum excussisse disciplinæ jugum, verum etiam ipsum abbatem instituti religiosi minus esse observantem, & Geilnhusæ vitam agere vagam, litteris die 27. Julii datis, Aschaffenburgi comparere illum jussit, ad videndum & audiendum ob causas prædictas se ab officio removendum. Cumque iterum hoc invisisset monasterium, nec ibi reperisset nisi abbatem & unicum e fratrum numero, Reinhardum ad dies vitæ abbatis officio, titulo tamen retento, abstinere jussit; quo tem- D pore, ut videtur, Stephanus abbas S. Pauli in Trajecto Reinhardo usque ad obitum ejus adjunctus est administrator. Deinde vero idem archiepiscopus monasterii regimen Jacobo Stege, *sive* a Stegh dicti ordinis monacho plenarie commisit, litteris datis die 27. Junii an. 1478. Tandem e vivis excessit Reinhardus an. 1483. die 2. Junii.

XXXVIII. Johannes II. de Colnhausen prius abbas Spanheimensis, postulatione fratrum & Alberti Moguntinensis ecclesiæ administratoris auctoritate Seligenstadium suscepit regendum an. 1483. die 17. Julii. Adfuit an. 1485. Domi- E nica *Lætare* consecrationi Berchtoldi in archiepiscopum Moguntinensem; indeque evoluto biennio præfuit cum tribus aliis abbatibus provinciali ordinis capitulo, in monasterio S. Jacobi apud Moguntiam habito, Dominica tertia post Pascha die 6. Maii an. 1487. Denique regimen dimisit an. 1492. triginta mensibus superstes; obiit autem 1495. III. nonas Januarii.

XXXIX. Thomas I. Johannis in locum subrogatus 1492. eodem anno benedictionem accepit ab Henrico Viccomponensi episc. Idem an. 1499. cum tribus aliis abbatibus præfuit ordinis capitulo provinciali habito Dominica III. post Pascha, die 21. Apr. in monasterio sancti Stephani Herbipolensis; & an. 1502. fuit unus e quatuor abbatibus Bursfeldensis observantiæ delegatis, pro trium observantiarum, Mellicensis videlicet, Castellensis, & Bursfeldensis unione. An. 1496. celebratum fuit in hoc monasterio capitulum ordinis provinciale. Obiit Thomas IV. idus Januarii an. 1509.

XL. Thomas II. eodem an. 1509. abbatiali donatus est benedictione a Thoma Ruscher episcopo Viccomponensi, Moguntini archiepiscopi vices agente.

XLI. Marcellinus an. 1509. Dominica tertia post Pascha, die 29. mensis Apr. ordinis capitulo provinciali, trigesimo tertio a tempore concilii Constantiensis, Erfordiæ habito in monasterio S. Petri, cum tribus aliis abbatibus præfuit. Exstinctus est VI. idus Aug. an. 1518.

XLII. Georgius sedit annos 7. mortuus 2. Octob. 1525.

XLIII. Ludovicus inauguratur abbas anno 1525. a Johanne Monasterii episcopo Viccomponensi, Moguntinensis archiepiscopi suffraganeo. Defunctus est 1531. die 24. Jan.

XLIV. Hugo post obitum Ludovici electus Hochstæ, benedicitur an. 1531. ab eodem episcopo, qui supra. Defecit anno seq. VI. calend. Martii.

XLV. Nicolaus Scheidweck obiit 1537. 19. Jan. in cujus defuncti locum per viam compromissi subrogatur

XLVI. Ignatius Fockel, inauguratus an. 1537. a Johanne Monasterii episcopo Viccomponensi. Mortem oppetiit 27. Maii 1548. postquam rexisset annis undecim & quatuor mensibus.

XLVII. Paulus Ohl rexit novem annis, defunctus 12. Febr. 1557.

XLVIII. Philippus Merckel ex majori Ostheim oriundus, obiit die 27. Dec. an. 1590.* cum sedisset annis 33.

XLIX. Johannes III. Orth mortem oppetiit idibus Febr.* an. 1599.

L. Martinus Krays post regimen annorum 26. vivere desiit an. 1625. die XI. Novemb. sub quo Johannes-Jacobus Waltz fit coadjutor 1621. ante Martinum defunctus, 25. Octob. 1625.

LI. Leonardus I. Colchen postulatus ex monasterio S. Trudonis, prior hujus loci, dein abbas electus 21. Nov. 1625. & postea confirmatus, anno seq. XI. Jan. munus abbatialis benedictionis percepit ab Ambrosio Misiensi episcopo Moguntinensis suffraganeo in æde Patrum Soc. Jesu Moguntiæ; qui tandem præsul generalis Bursfeldensium factus 1642. Aschaffenburgi vitam reliquit an. 1653. die 30. Nov.

LII. Leonardus II. Waltz electus an. 1653. die 3. Decemb. adhuc præerat 1655. Obiit vero 1666. die 16. Maii.

LIII. Nicolaus II. Peterman natus in Burgel, post octo annos resignat, & parochus in Geisselbach moritur an. 1676.

* al. 1591.

* al. Jan.

LIV. Franciscus I. Hoffmann patria Coloniensis, in abbatem electus fuit 1674. 9. Apr. benedictus in urbe Beata eodem anno 16. Sept. ab episcopo Davaliensi, suffraganeo Vormatiensis, Spirensis, &c. Moritur, cum laudabiliter præfuisset annis 21. die XI. Dec. an. 1695.

LV. Franciscus II. Blochinger Miltenburgensis patria, sacræ theologiæ doctor, protonotarius apost. ex parocho Steinheimensi an. 1696. 16. Jan. abbas electus, confirmatus Bambergæ, benedictus eodem anno die festo S. Benedicti, fuit postmodum sacræ Cæsareæ majestatis, uti & eminentissimi Electoris Moguntini in spiritualibus consiliarius & comes Palatinus Cæsareus; adhuc præerat 1714.

LVI. Petrus III. Schulteis regimen obtinebat an. 1722.

SPANHEIMIUM.

SUam debet originem hoc monasterium Benedictinum uno milliari a S. Disibodo, Everardo comiti de Spanheim, qui ecclesiam in loco, qui *Mons-campi* dicebatur antiquitus, fundavit an. 1044. Bardone Moguntino archiepiscopo, qui dictam ecclesiam in honorem B. M. Virginis VIII. calend. Julii an. 1047. consecravit. Porro clerici seculares hunc locum primitus inhabitarunt, quos instituendi jus sibi Everardus & heredibus suis reservavit. In eo statu per annos ferme septuaginta stetit ecclesia Spanheimensis, antequam in monasterium erigeretur; quod quidem primum incœptum est per Stephanum comitem de Spanheim & filium ejus Meginhardum anno 1101. cui Stephanus moriens V. cal. Martii an. 1118. opus inchoatum commendavit; isque tam strenue incubuit operi, ut an. 1123. Dominica die *Quasimodo* Boggo Vormatiensis episcopus vice Adelberti archiepiscopi Moguntini, ecclesiam & monasterium in honorem B. Mariæ Virg. & S. Martini dedicarit. Primi vero monachi numero XII. qui hunc ipsum locum inhabitare cœperunt, ex monasteriis S. Albani & S. Jacobi prope Moguntiam ex imperio Adelberti archiepiscopi ad preces comitis Meginhardi venerunt an. 1124. feria IV. post Dominicam Passionis. Qui monachi abbatem sibi unanimiter elegerunt Bernhelmum cœnobii S. Albani monachum, & hoc ipso anno Adelbertus hanc fundationem confirmavit; quæ quidem omnia constant ex instrumentis a Trithemio relatis in chronico suo Spanheimensi, pag. 239. 240. &c. & exinde in appendice nostra. Denique ultima hujus monasterii reformatio, vocata Bursfeldensis, facta est an. 1469. *vel* 1470. ex Bucelino, qui & aliud Spanheimense monasterium puellare commemorat.

Ch. VI. VII. VIII. & IX. col. 445. 446. 447. & 448.

ABBATUM CATALOGUS.

I. BERNHELMUS, S. Albani monachus & ibidem scholæ magister, an. 1124. ind. 2. octava die mensis Junii, primus abbas institutus est tam electione fratrum, quam jussione Adelberti archiepiscopi Mog. qui & ipsum ordinavit A VIII. cal. Julii. Nonnulla scripsit Bernhelmus, præsens memoratus an. 1138. in nocte sancta Parasceves translationi corporis S. Disibodi per Cononem abbatem, de veteri monasterio, ubi quondam per Willegisum archiepisc. fuerat repositum, ad novum cœnobium a Ruthardo & Adelberto seniore in monte constructum; cumque præfuisset annis 26. mensibus 9. ac diebus 17. obiit VI. cal. Aprilis an. 1151. ætatis 74. sepultus in medio chori.

II. Crasso I. filius Meginhardi fundatoris, ante suam conversionem, uxorem duxerat Clementiam, filiam Adolfi comitis Altimontensis *de* B *Hochenberg*, quæ similiter facta est sanctimonialis in Horreo, civitatis Trevirensis cœnobio; itemque sororem habuit Hiltrudem apud S. Rupertum in oppido Bingensi sanctimonialem. Ipse vero factus est monachus sub Bernhelmo I. abbate an. 1149. ac proinde novellus erat in congregatione, sed conversatione maturus, quando in locum Bernhelmi, ipso die obitus ejus, reluctans subrogatus est, nonisque Junii, quæ fuit dies S. Bonifacii martyris, ab Henrico Moguntino archiepiscopo consecratus fuit in majori ecclesia Moguntinensi. Obiit V. calend. Junii an. 1175, ætatis suæ 58. anno post defunctum patrem vigesimo, sepultus C in eodem cum decessore tumulo.

III. Adelgerus, patria Moguntinus, custos ecclesiæ Spanheimensis, ac deinde scholæ publicæ apud Moguntiam præfectus, postridie mortis Crastonis eligitur abbas, ordinatus Moguntiæ in æde S. Albani. Præfuit annis sex, mense uno & diebus 3. obiitque VI. nonas Julii an. 1181. sepultus in choro fratrum ante gradus presbyterii.

IV. Baldemarus ex oppido vicino Stauronesio* natus, eligitur abbas III. nonas Julii 1181. cumque huic cœnobio utiliter ac religiose præfuisset, rebus humanis exemtus est X. cal. Junii an. 1199. ætatis suæ 54. in claustro ante januam ecclesiæ D sepultus.

* Creutznach.

V. Rupertus ex priore, biduo post mortem Baldemari, in abbatem electus, aliquandiu restitit, sed tandem precibus fratrum devictus, ordinatur anno seq. III. idus Novemb. a Guidone cardinali Prænestino sedis apostolicæ legato apud S. Pantaleonem Coloniæ. Hunc Adelbertus comes de Spanheim ad Terram sanctam proficiscens, rectorem sui comitatus instituit, & reversus xeniis eum pluribus donavit. Mortuus est an. 1213. XVII. cal. Sept. in choro sepultus ante gradus presbyterii.

VI. Ivanus filius Gotfridi militis de Spanheim, E prioris officio fungebatur, quando post biduum a morte Ruperti, in ejus locum subrogatus est, & a Sifrido, die festo S. Michaëlis ejusdem anni 1213. in cœnobio S. Jacobi Mog. consecratus: Hic an. 1217. ad Terram sanctam proficiscitur cum Johanne comite de Spanheim, & inde revertitur anno seq. VIII. cal. Apr. Moritur autem IV. cal. Decemb. an. 1252. sepultus in claustro monasterii: sub cujus regiminis ultimis annis disciplinæ regularis observantia deficere cœpit.

VII. Johannes I. ex cantore ad abbatialem dignitatem sublimatur III. cal. Decemb. id est

postridie mortis antecessoris. Obiit vero 1264. A xi. cal. Maii, sepultus in medio chori ante gradus presbyterii.

VIII. Petrus antea cellerarius, æmulum passus est Guillemum cantorem ab aliquot fratribus electum, sed hic ab archiepiscopo Wernhero rejectus est, & alter confirmatus. An. 1265. vii. idus Julii Petrus abbas ecclesiam parochialem in Gentzingen in pago Nachgav dedit ecclesiæ majoris Mogunt. capitulo in augmentum præbendarum, & vicissim Wernherus archiepisc. de consensu capituli sui ecclesiam parochialem in Spanheim cum omnibus proventibus suis annexuit monasterio. An. 1270. ipso abbate consensum B præbente, conventus summam proventuum suorum in præbendas distinxit, his quoddam commune distribuendum adjiciens, quod *præsentias* appellant, more canonicorum secularium, abbati similiter certis bonis pro mensa & ipsius sustentatione addictis. Deinde tamen illam redituum divisionem an. 1274. tanquam omnis deformitatis futuræ principium publice revocavit, renitentibus monachis præter Ortwinum priorem, sed mortuo Sigero monacho qui totius erat perturbationis princeps an. 1276. ea inter abbatem & conventum inita est concordia, ut divisio redituum facta deinceps permaneret, verumtamen C monachi singulis annis de perceptis & expositis abbati computationem facere tenerentur, & ita similiter abbas erga conventum. Obiit Petrus vi. nonas Maii an. 1290. pene octogenarius, sepultusque est in claustro monasterii ante introitum in ecclesiam.

IX. Johannes II. ex oppido Sobernheim oriundus, ab officio cellerarii evehitur ad abbatialem dignitatem electione sodalium an. 1290. iv. nonas Maii, deinde confirmatur a Gerardo archiepisc. Mogunt. ac demum a Petro Sudensi episcopo, vicario in pontificalibus Gerardi ordinatur Moguntiæ eodem anno, Dominica post D festum S. Urbani papæ. Nec mora anno seq. ecclesiam intrinsecam cum quatuor altaribus renovavit, eamque de novo consecrari fecit vi. idus Aprilis per prædictum Petrum Sudensem antistitem. Naturæ tandem concessit an. 1298. v. cal. April. ætatis anno 64. conditus ante gradus presbyterii.

X. Dietlibus patria Mosellanus, *seu* Trevirensis, & aliquanto tempore Johannis comitis de Spanheim cancellarius, postridie obitus Johannis decessoris, in ejus locum subrogatur, & confirmatur a Gerardo archiepiscopo; vir nunquam satis commendandus, quod vitium proprietatis E a suo radicitus monasterio amputaverit. Testis est an. 1303. in dono Theodorici de Petra, eorum quæ possidebat in Offenbach, ex tabulario S. Vincentii Metensis. Defecit an. 1309. die S. Michaëlis archangeli, ante gradus presbyterii tumulatus.

XI. Willicho I. qui & Willichinus ac Willelmus, ejusdem cœnobii monachus ab an. 1300. filius comitis de Vesterburg, & frater comitissæ de Spanheim, eligitur abbas v. nonas Oct. an. 1309. Hic an. 1316. circa festum Pentecostes a Johanne XXII. papa, *al.* 1317. a Petro archiepiscopo Mog. commissarius una cum aliis ecclesiæ Moguntinæ prælatis constitutus fuit super inquisitione vitæ & miraculorum S. Hildegardis primæ fundatricis & abbatissæ S. Ruperti Bingensis. Obiit Willicho xvi. calend. Apr. an. 1337. in choro sepultus ante gradus presbyterii.

XII. Henricus ex Stauroneso, id est *Creuzenach* oppido natus, an. 1337. prima Dominica post octavas festi Paschalis, Moguntiæ benedictionem percepit ab Alberto episcopo Ibinensi, *seu* Ibunensi Moguntini archiepiscopi in pontificalibus vicario, in ecclesia Fratrum Prædicatorum. Porro ejus tempore disciplina regularis nimium deficere cœpit, quando scilicet monachi denuo sibi jus proprii usurparunt, facta inter ipsum abbatem & conventum redituum divisione, in grave dispendium hujus monasterii; & hoc quidem duravit usque ad reformationem novissimam, quæ facta fuit ex monasterio S. Jacobi prope Moguntiam an. 1469. Exspiravit tandem an. 1340. vi. cal. Maii, sepultus in ecclesia ante altare S. Crucis.

XIII. Willicho II. filius Johannis militis de Spanheim, cognomento *Bruder*, ex cellerario fit abbas die 2. Maii an. 1340. indictione vii. mortuus anno seq. viii. idus Aug.

XIV. Willelmus ex villa Beckelheim*, familia militari natus, sive, uti alias legimus, ex prosapia illa, e qua S. Hildegardis olim fundatrix & magistra Bigensis procreata fuit, in abbatem electus est an. 1341. ind. ix. sexto idus Augusti, quem ab Henrico archiepiscopo Mog. confirmatum Rudolfus episcopus Saloniensis, ejusdem archipræsulis in pontificalibus vicarius, solemni benedictione donavit. Cessit an. 1350. feria secunda ante festum S. Laurentii, eodemque decessit v. cal. Octob. in medio ecclesiæ, *seu* capellæ, quam in honorem B. M. in ambitu claustri fundaverat, tumulatus, ex Trithemio in chron. Spanheim; qui tamen eum quatuor annis superstitem scribit in chronico Hirsaugiensi.

* *al.* Bischelnheim.

XV. Philippus I. Meyswin oriundus ex Spanheim militari genere, cum tunc priorem ageret, feria quinta cessionem Willelmi immediate sequenti, uti recte habetur apud Trithemium, non autem feria quinta proxima ante festum sancti Laurentii, uti legitur in electionis charta, unanimi fratrum consensu in abbatem cooptatus est, quem haud multo post Gerlacus archiepisc. confirmavit, ac Rodolfus episcopus Saloniensis ejusdem in pontificalibus vicarius prima Dominica Septembris benedixit. An. 1359. Philippus episc. Cavallicensis & sedis apost. legatus Philippum abbatem, Petrum priorem & conventus seniores ad se Moguntiam evocavit, iisque certum in sancta deinceps conversatione vivendi modum præscripsit. Obiit Philippus xiii. cal. Octobris an. 1374. sepultus in medio chori ante* gradus presbyterii, cujus tumulo lapis cum inscriptione superpositus fuit, quem Johannes Colnhausen, abbas in reformatione primus, pro refectorio construendo amovit.

* *al.* ante analogium.

XVI. Craffto II. oriundus ex Beckelnheim

patre Wolfelmo milite de Spanheim, matre vero Margareta de Sobernheim, electus abbas in vigilia S. Matthæi apostoli, confirmatur ab Adolfo Moguntinensi archiepiscopo, & ab ejusdem in pontificalibus vicario benedicitur. Præfuit annos 15. menses XI. diesque decem, ac demum fatis concessit die S. Ægidii an. 1390. ætatis 59. in choro monasterii ad caput Bernhelmi primi abbatis sub lapide sepultus.

XVII. Philippus II. originem trahebat ex Bechtolsheim, filius Henrici militis. Hic factus monachus anno ætatis duodecimo, demum annos triginta duos natus, altera die post obitum Crafftonis, hoc est IV. nonas Sept. in abbatem eligitur, qui mox eodem mense per Conradum archiepisc. Mog. confirmatur, & per ejus in pontificalibus vicarium ordinatur. Obiit autem magno cœnobii commodo, quod ex toto dissipasset, si longius vixisset, XV. cal. Octob. an. 1391. in choro sepultus ante gradus presbyterii.

XVIII. Bernhardus ex oppido Spanheim militari genere satus, ætatis anno 31. electione fratrum abbatialem dignitatem consecutus est; statimque omni quo potuit studio adlaboravit, ut res & possessiones ab antecessoribus distractas ad proprietatem monasterii reduceret, ipsosque monachos in uno refectorio edere, & in uno dormitorio cubare simul coëgit. Nominatur inter abbates, qui citati a concilio generali Constantiensi pro celebratione provincialis capituli instituenda, & ordinis Benedictini reformatione in omnibus monasteriis inchoanda, Constantiam convenerunt, atque in monasterio dictæ civitatis, Petri-domus nuncupato, primum celebravere capitulum provinciale an. 1417. quo in capitulo abbates omnes jurare coacti sunt, se infra unius anni spatium reformationem propositam amplexaturos. Hic quidem juramentum implere studuit, sed monachi restiterunt. Adfuit etiam secundo capitulo apud Augustinianos Moguntinenses convocato, an. 1418. ac denique senio & maxime calculi morbo prægravatus mortem oppetiit v. cal. Junii an. 1432. ætatis suæ 78. regiminis 41. tribus mensibus & novem diebus adjectis.

XIX. Gobelinus ex oppido de Creutzenach humili sed honesta parentela genitus, monachus S. Disibodi ord. Cisterc. primusque tunc Johanni ultimo comiti de Spanheim a secretis, ejusdem favore, seu potius auctoritate in abbatem eligitur an. 1432. indict. x. penultima die mensis Julii, deinde confirmatur a Conrado archipræsule Moguntino, ac per ejusdem in pontificalibus vicarium in die S. Laurentii martyris ordinatur ad annos septem, mensem unum & dies 14. *al.* 24. Anno 1434. omnia privilegia, litteras & monumenta libertatis hujus monasterii, citra conventus voluntatem clam abstulit, secumque in Tranerbach juxta Mosellam ad curiam comitis Spanheimensis, ubi residere solebat, deportavit, ex quibus plurima ingenti hujus cœnobii damno perierunt. Senio tandem & infirmitati succubuit die 14. Septemb. an. 1439.

XX. Fridericus de Nackheim hujus cœnobii monachus, militari prosapia ortus, eligitur in abbatem XVI. cal. Octob. ejusdem anni 1439. confirmatur a Theodorico archiepiscopo Mog. & ab ejus in pontificalibus vicario solemni ritu benedicitur. Tunc vero monasterium in utroque statu, spirituali scilicet ac temporali, nimium erat collapsum; quapropter postquam præfuisset annis 5. mens. 7. ac diebus 4. *al.* 6. regimen abdicavit XIII. cal. Martii an. 1445. annua pensione pro vitæ congrua sustentatione sibi a conventu statuta. Obiit VI. cal. Febr. anni 1464.

XXI. Conradus Humbrecht de Ganiodoro; *al.* de Gau-Odernheim patrio solo, alio nomine vulgariter *Schiltweck* vocatus, militari genere clarus, ipso die quo Fridericus cessit 17. Febr. salutatus est abbas, quem Theodoricus archiep. Mog. confirmavit, ejusque in pontificalibus vicarius solemni benedictione insignivit. Initio quidem suis oblectationibus nimium indulsit, quo tempore monasterium ob æs alienum interdicto sæpius fuit suppositum, sed postea metu reformationis Bursfeldensis, ad saniorem mentem reversus, monasterii profectui satis studiose intendit; nec tamen mores tam suos quam subditorum ad puritatem regulæ emendare curavit. Moritur tandem an. 1461. VII. idus Martii, *al.* 1462. pro varia scilicet annum inchoandi ratione, & ante gradus presbyterii sepultus fuit.

XXII. Udalricus de Zeiskheim non procul a Gemersheim oriundus, unanimi concordia fratrum eligitur abbas VI. idus Martii, hoc est postridie obitus decessoris; qui confirmatus ab Adolfo archiepiscopo Mog. & per ejus in pontificalibus vicarium ordinatus, præfuit huic monasterio annis 5. & diebus 28.* Multa vero interim debita contraxit nimia sua superfluitate; cumque jam monasterium ad extremam inopiam deduxisset, nec haberet amplius unde viveret, necessitate compulsus, III. nonas Aprilis an. 1466. abbatiam in manus conventus resignavit, relinquens debita plusquam duorum millium & quingentorum florenorum, præter occulta damna, quæ monasterio intulerat, alienando census & prædia.

* *al.* 23.

XXIII. Otto Hawysen, patria Coloniensis, & aliquando monachus S. Pantaleonis apud Coloniam, tunc autem prior Spanheimensis, a fratribus numero quinque duntaxat in abbatem cooptatur ipso die cessionis Udalrici, deinde confirmatur ab Adolfo Moguntinensi archiepisc. ac per ejus in pontificalibus vicarium ordinatur die S. Johannis Bapt. in ecclesia S. Barbaræ collegiata in oppido Bingensi. Hic ingenio mitis & pacificus libenter monasterium in utroque statu reformasset, sed minime potuit, præ nimia improbitate & malitia monachorum, maxime juvenum. Verumtamen an. 1469. agente potissimum Friderico comite Palatino Rheni, duce Bavariæ & comite in Spanheim, in hoc monasterium inducitur reformatio per commissarios Hermannum S. Jacobi prope Moguntiam & Conradum de Rodenberg S. Johannis in Rhingavia abbates, scripta auctoritate Adolfi Moguntinensis archiepiscopi munitos, qui quidem die

20. Augusti inquisitione peracta, cum comperissent abbatem hujus loci tum propter corporis sui debilitatem, tum etiam propter minorem in observantia regulari experientiam, ad curam pastoralem sub reformatione introducendam non esse idoneum vel utilem, post pias admonitiones, ei tandem ut sua se dignitate abdicaret persuaserunt, ne sanctum reformationis negotium aliquomodo vellet impedire. Cessit igitur Otto die prædicto, coram notario & testibus, qui recepta pensione annua pro sustentatione corporis, non diu postea in Monte sancti Ruperti juxta Bingen præpositus monialium factus est, & ibi tandem in Domino quievit an. 1478. conditus ibidem in sacello B. M. Virginis.

XXIV. Johannes III. de Kolenhausen, *al.* de Butzbach, quod est oppidum Wederaviæ, unde oriundus erat, genere militari, ex monacho & cellerario S. Jacobi prope Moguntiam successit hoc pacto: cum scilicet rursus die 22. Augusti omnes monachos hîc repertos commissarii prædicti paterne monuissent, ut abjecta deformitate pristinæ conversationis, sanctæ reformationi colla submitterent, iique nullatenus vellent acquiescere, ac idcirco e monasterio eliminati essent, omni jure ad præsens cœnobium in electione & aliàs omnino per sententiam commissariorum privati, statim hoc ipso die per eosdem commissarios auctoritate commissa usos, de consilio & consensu fratrum pro reformatione introducenda præsentium, noster hic Johannes & ipse præsens in abbatem hujus monasterii nominatus est; qui sic per eos institutus, anno & die præfatis onus regiminis ex mandato sui abbatis suscepit, confirmatusque die 3. mensis Oct. per Sifridum episcopum Cyrenensem, Adolfi Moguntinensis archiepiscopi in pontificalibus vicarium, ex ejus commissione speciali, ac demum ab eodem ordinatus, ut moris est, præfuit huic monasterio a die institutionis suæ prædicta annis 13. mens.
* melius, 5. xi.* tribusque diebus in magna paupertate & patientia; cujus regiminis anno secundo ad congregationem Bursfeldensem hoc cœnobium accessit. Tum vero ipse Johannes an. 1481. adjutor & cooperator exstitit in reformatione monasterii sanctæ Crucis in Monte Limpurg prope Bureckheim. Deinde transiit ad abbatiam Seligenstadiensem, electus an. 1483. die Julii 17. decemque post diebus Dominica post festum sancti Jacobi proxima Spanheimensem dimisit; tandemque & illam abdicavit an. 1492. mensibus 30. superstes, quibus fideliter exactis in pace quievit die 3. Januarii an. 1495.

XXV. Johannes IV. Trithemius patria Mosellanus ex quadam villa Trittenheim, quæ a civitate Trevirensi, in descensu Mosellæ fluminis ad lævam distat ferme quatuor milliaribus, oriundus, patre Johanne de Monte-gentili, matre vero Elisabetha de Longo-vico, quibus vini cultura vitæ necessaria ministrabat; iste, inquam Johannes, uti narrat ipse in suo chronico Spanheimensi, octo mensibus tantum ac diebus septem ab emissa professione, junior omnibus professis, sive anno 1. mensibus tribus & diebus septem
A a tempore assumti habitus novitiorum, ut ibidem loquitur, renuntiatus est abbas IV. cal. Aug. an. 1483. Hoc autem in calculo error est manifestus; ad annum enim 1482. seipse dicit habitum secularem exuisse in die Purificationis B. Mariæ Virginis, factum esse novitium in die sanctissimi patris nostri Benedicti, & eodem anno in festo purissimæ conceptionis Mariæ, cum aliis tribus professum secundum regulam fuisse; ex quibus postremis verbis sequitur, pro mensibus octo ac diebus septem supra notatis legendum esse, mensibus septem diebusque viginti; ac deinde pro mensibus tribus legendum quatuor. Ceterum ad-
B erant ipsius electioni Hermannus S. Jacobi prope Moguntiam & Conradus S. Johannis in Rhingavia abbates & ordinis visitatores, necnon Johannes de Colnhausen abbas Seligenstadiensis. Dehinc eodem anno die Assumtionis B. Mariæ Virginis Johannes Trithemius in castro Steinheim confirmatur per Albertum ecclesiæ Moguntinensis administratorem, præsentibus ibidem Hermanno S. Jacobi, Johanne Seligenstadii & Melchiore Schonaugiæ abbatibus, tandemque hoc ipso anno, V. idus Nov. die Dominica ante festum S. Martini munus benedictionis accepit a Bertholdo episcopo Panadensi prædicti administratoris in pontifica-
C libus vicario, in ecclesia S. Jacobi prope Moguntiam, adstantibus sibi ex more pontificalibus indutis Hermanno ejusdem loci, & Anselmo Limburgensi abbatibus ab eo requisitis. Vir fuit in omni scientiarum genere versatissimus, Græce & Latine doctus, cujus & insignis bibliothecæ, quam studuit comparare brevi adeo inclaruit fama, ut multi principes, episcopi, doctores, magistri, nobiles, viri denique clarissimi, non solum e vicino, sed etiam e regionibus longinquis, nomine & fama Johannis Trithemii & voluminum ejus excitati, hunc locum visitare voluerint, inviserintque, quibus antehac nec nomen quidem cœ-
D nobii constabat. Hinc etiam an. 1485. non minus religione clarus, quam & doctrina, cum tribus aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali habito in monasterio S. Udalrici apud Augustam; quo etiam anno, Dominica *Lætare* memoratur præsens consecrationi Berchtoldi in archiepiscopum Mog. Item an. 1493. Dominica 3. post Pascha cum aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali Hirsaugiæ celebrato, & insuper collationem habuit Coloniæ idibus Septembris de republica ecclesiæ & monachorum ord. S. Benedicti, quæ manu-scripta servatur in Bibliotheca Marchianensi. Dehinc an. 1499. præfuit cum aliis abbatibus ca-
E pitulo provinciali habito apud S. Stephanum Herbipolensem, & an. 1501. apud Fuldam; quo itidem anno missus est cum Blasio Hirsaugiæ, Macario Limpurgensi, Johanne Schutterensi, & Gerardo Alberspacensi abbatibus ad reformationem cœnobii Gengenbacensis. Tum an. 1502. in capitulo annuali apud S. Petrum in Erfodia celebrato insignem de laudibus monasticæ religionis ad cœtum patrum fecit orationem, quæ quidem eos impulisse videtur, ut ipsum inter quatuor abbates ab eodem capitulo deputatos pro trium observantiarum unione deligerent. Similem

quoque habuit orationem anno seq. apud S. Jacobum de Moguntia, & hoc ipso anno 1503. sibi & successoribus obtinuit a Raimundo cardinali, sedis apost. legato privilegium utendi altari portatili. Adhuc præerat die 22. Septemb. an. 1506. ut patet ex ejus epistola LXXVIII. sed tandem cum huic monasterio præfuisset annis 23. mensibus 2. & 14.* diebus, quorumdam perfidia exacerbatus, an. 1506. ultro dimisit abbatiam, e qua jam exierat 1. die Aprilis anni præcedentis, nunquam illuc postea reversus, & vocatus per antistitem Herbipolensis ecclesiæ Laurentium de Bibera, Orientalis Franciæ ducem, Wirzburgum anno prædicto sub finem mensis Septembris accessit, ac die 12. Octobris ejusdem anni feria 2. post festum S. Dionysii, cedente Ciliano S. Jacobi Herbipolensis abbate, in ejus locum subrogatus est per dictum Laurentium episcopum, Conradum S. Stephani Herbipol. & Georgium S. Felicitatis in Schwarzach monasteriorum abbates, in quos per fratres dicti loci coram notario & testibus fuerat compromissum. Tum vero die 14. ab eodem episcopo confirmatus, insequenti in realem possessionem inducitur anno ætatis suæ 45. nondum completo. Vario & multiplici scriptorum genere commendatur.

* al. 18.

XXVI. Nicolaus de Remich cognominatus a vico natali hujus nominis in ducatu Lutzenburgensi, patrem habuit Andream, matrem vero Catharinam, qui ambo cibum manu & arte quærebant. Hic an. 1481. cum esset annorum ferme 18. ad conversionem in hoc monasterio ineundam venit, quem postea Johannes Trithemius abbas sacerdotio primum initiari fecit, tum sibi capellanum & familiarem ministrum adscivit, inde cellerarium, ac denique priorem per annos quindecim, inter hæc sub tanto magistro litteris non solum Latinis, verum & Græcis atque Hebraicis apprime eruditum. Cedenti vero Johanni Trithemio successit electione facta v. idus Dec. an. 1506. præsentibus Thoma Seligenstadii & Johanne S. Johannis de Ringavia abbatibus, tanquam visitatoribus pro more annualis capituli deputatis. Deinde confirmatur per Jacobum archiepisc. Mog. tandemque benedicitur a Thoma Ruscher episcopo Vicecomponensi dicti archiepiscopi suffraganeo. Vitam exuit calendis Julii an. 1526. relicto sui maximo desiderio, & in medio chori sepultus est.

XXVII. Johannes V. de Siemern, *seu* de Simmern eligitur abbas IV. nonas Julii 1526. cum tunc prioris officio fungeretur. Deinde confirmatur Dominica proxima post festum sancti Jacobi apostoli per Albertum archiepisc. eodemque die benedicitur a Johanne Monasterii episc. Vicecomponensi prædicti archiepiscopi vicario, in ecclesia Montis S. Jacobi, Johanne S. Jacobi Mog. & Friderico S. Johannis in Ringavia abbatibus ritu pontificali adstantibus.

XXVIII. Johannes VI. Holspach an. 1532. benedictionem percepit ab eodem Johanne Monasterii.

XXIX. Johannes VII. an. 1547. solito benedictionis ritu initiatus est a Michaële Helding episcopo Sidoniensi Moguntini archiepiscopi suffraganeo.

XXX. Johannes VIII. an. 1555. benedictionem percepit a Balthasare Wanem an episcopo Mysiensi Moguntini archiepiscopi in pontificalibus suffraganeo.

S. JACOBUS MAJOR prope Moguntiacum.

[illegible]

S. BARDONI archiepiscopo Moguntino tribuenda sunt celebris monasterii S. Jacobi in Monte-specioso initia, cujus fundamenta jecit an. 1050. in monte juxta urbem, qui olim mons Drusi, aut, ut aliis placet, ab antiquo Martis fano *Mons-martius* dicebatur. Vix cœpta erant monasterii ædificia, cum instante sibi morte,* pius antistes Bardoni suo ex fratre nepoti, qui tunc S. Albani monasterio præerat, mandavit suum ut moneret in archiepiscopatu successorem, ne opus a se inceptum prætermitteret. Paruit beati viri monitis Luitpoldus, ipsius in Moguntina sede successor, qui monasterium multis opimisque proventibus dotatum an. 1055. solemni ritu in honorem S. Jacobi majoris consecravit, cui advocatis ex S. Albani, sive, ut autumant nonnulli, ex Hersfeldensi monasterio, Benedictinis monachis Walterum abbatem præfecit. Obiit Luitpoldus 1060. die 7. Decemb. atque in monasterio S. Jacobi sepultus est. Porro istud monasterium hactenus sub regula Benedictina perseverat, quod an. 1437. ex Miræo *Orig. ord. Bened. pag. 167.* 1442. ex Bucelino accessit ad congregationem Bursfeldensem. Abbatum catalogum exhibet Gabriel Bucelinus, tomo 1. Germaniæ sacræ, quem in multis emendamus.

* Obiit 1051. v. idus Junii.

SERIES ABBATUM.

I. WALTHERUS in abbatem primum, uti modo diximus, assumtus, eidem monasterio præfuit annis 15. cum duobus mensibus; interim an. 1064. munificum expertus Henricum IV. regem, ut patet ex ipsius charta tom. 2. rerum Moguntiacarum. E vivis excessit an. 1070. die 9. Octob.

II. Ruthardus primum abbas Hirsfeldensis, an. 1070. pridie idus Oct. monasterio S. Jacobi præficitur, quo gubernato summa cum laude annis 20. mensibus 2. ac diebus 6. defecit tandem an. 1090. XII. cal. Jan.

III. Mangoldus Ruthardo substitutus an. 1090. IV. cal. Jan. sedit annis decem, mensibus duobus & dimidio, vita defunctus an. 1101. IV. idus Martias. Hunc tamen obiisse 1097. Dieffenbachius tradit.

IV. Hartungus in locum Mangoldi subrogatus XVI. cal. Apr. an. 1102. abbatem egit annis 7. mensibus 3. ac diebus 6. Mortuus est XI. cal. Julii an. 1108. at fortasse ante obitum cesserat ex dicendis.

V. Erckenbaldus & Erchenbertus Hirsaugiæ monachus, a solo, quod sciam, Trithemio inducitur ante Burchardum, part. 1. chron. Hirsaug. pag. 276. 345. & rursum 354. his verbis:

Anno prænotato (1113.) *quinta die mensis Martii* A *obiit Burckardus, abbas monasterii sancti Jacobi prope Moguntiam, vir prudens & religiosissimus, successor Erckenbaldi abbatis, quondam monachi hujus cœnobii Hirsaug.*

VI. Burchardus legitur abbas jam an. 1107. indict. XV. in litteris Theoderici abbatis S. Albani & Ruthardi archiepiscopi Mog. & iterum an. 1108. indictione I. quinto idus Maii testis est cum eodem Theoderico abbate. Rexisse dicitur annis XI. mensibus 2. ac diebus 8. abbas simul S. Disibodi, & obiisse an. 1119. nonis Septembris, sed perperam, nisi forte ante obitum cesserit, ex dicendis. Errant quoque Trithemius B & Dodechinus, cum tradunt, eum esse defuntum anno 1113. die 5. Martii, anno siquidem 1114. expresse nominatur in litteris Ricardi cardinalis de institutione festi translationis S. Jacobi.

VII. Werimboldus occurrit abbas jam an. 1118. pridie cal. Maii in diplomate Adelberti I. archiepiscopi pro Disibodenbergensibus monachis; *hujus rei testes sunt ejusdem ecclesiæ abbas Adalunus, abbas de S. Jacobo Wernboldus, &c.* Subscripsit quoque an. 1124. litteris Adelberti Mog. archiepisc. pro S. Remigio Remensi, & 1139. litteris Adelberti II. archiepisc. nonnulla C donantis ecclesiæ collegiatæ S. Petri pro anima decessoris sui Adelberti I. Ergo falluntur, qui dicunt eum fuisse Burchardo subrogatum anno 1119. V. idus Septemb. Nec minus errant, qui mortem ipsius consignant an. 1151. VI. calend. Martii; nam

VIII. Henricus I. post obitum Werinboldi abbas electus, testis occurrit an. 1143. indict. VI. decimo-tertio cal. Apr. in diplomate Henrici I. archiepiscopi dato Moguntiæ, quo monasterium Vallis-Georgii, vulgo *Georgenthal*, Sizzonis comitis de Keverenburg opus, confirmavit. Vocatur *electus* eodem anno in charta ejusdem præsulis D pro cœnobio S. Petri in Erfordia; in alia vero ejusdem anni ejusdemque antistitis pro Disibodenbergensibus abbas nuncupatur; ut etiam in aliis tabulis anni 1147. indict. X. in gratiam eorumdem monachorum; ac denique anno 1150. testis occurrit in diplomate pro fundatione prioratus de Offenbach sub S. Vincentio Metensi.

IX. Godefridus I. an. 1151. præsens memoratur in litteris Henrici I. archiepiscopi, quamdam donationem sanctimonialibus in Winkel & monachis Eberbacensibus factam a Marcolfo

Vide Trithemium in chron. Hirsaug. p. 1. pag. 439. & 449. archiepiscopo, confirmantis. Is porro, cum an. E 1160. Arnoldus archiepiscopus Moguntinus a civibus in monte S. Jacobi occisus fuisset, patria pulsus est tanquam istius cædis conscius, cetérique fratres, monasterio funditus everso*, hinc

* 1163. *ex Trithemio.* inde dispersi sunt, & ipsa divina diu ibidem intermissa, donec an. 1177. *vel* 1178. permissione Friderici I. imperatoris & auxilio Christiani ar-

* *Vide in Christiano archiepisc.* chiepiscopi reædificari cœpit, *ad quod monachi* * *antea metu Cæsaris dispersi revocati sunt, quibus memoratus archiepiscopus novum constituit abbatem, quia Godefrido quondam abbati proscripto non licebat redire in patriam.* Ita Trithemius in chronico Hirsaug. ad an. 1177. Quæ si vera sunt, fictitium esse abbatem Stephanum quemdam a chronographo inductum ab octavo cal. Martii anni 1164. ad VII. idus Aprilis 1186. inferre par est. Et certe quantum ad hunc annum attinet, eum non attigit ex dicendis.

X. Volpertus, *seu* Folbertus abbas testis est an. 1178. in autographo Sifridi episcopi Brandenburgensis, locum tenentis Christiani I. archiepisc. Moguntini; itemque in litteris Conradi I. archipræsulis an. 1184. pro collegiis S. Mauricii & ad Gradus, 1185. pro collegio S. Victoris & 1189. pro collegio S. Johannis Mog. Obiisse fertur 1192. sed male, nisi ante obitum cessisse dicatur.

XI. Hezechinus, *seu* Hedechinus laudatur abbas jam an. 1189. in duabus tabulis Conradi I. archiepiscopi, altera in gratiam ecclesiæ collegiatæ S. Petri, altera pro ecclesia collegiata S. Johannis. Item anno seq. VI. idus Aprilis in charta ejusdem pontificis pro S. Stephano, 1191. pro S. Victoris collegio, 1194. pro ecclesia collegiata S. Johannis, ac denique 1196. pro abbatia Haynensi ord. Cisterc. Obiisse dicitur a chronographo an. 1206. XV. cal. Martii.

XII. Conradus defuncto Hezechino suffectus V. cal. Martii an. 1206. memoratur tanquam testis in charta Sifridi archiepiscopi pro Haynensi monast. ord. Cisterc. an. 1215. Vivere desiit 1247. nonis Febr.

XIII. Gerhardus hoc ipso an. 1247. XIV. cal. Apr. jus integrum, quod habebat in oppido Asfeld, cum jure patronatus ac appenditiis & juribus ipsius universis, intus & extra, cessit archiepiscopo Sifrido & ecclesiæ Moguntinæ, ita tamen ut ipse archiepiscopus & ecclesia Moguntina conventui S. Jacobi compensationem dicti oppidi rependeret congruentem.

XIV. Godeschalcus an. 1254. die S. Barnabæ apost. ecclesiam parochialem in villa Schornsheim collegio ædis majoris Mogunt. attribuit, collegium vero litteris suis in crastino ejusdem S. Barnabæ datis, Godeschalco totique S. Jacobi conventui promisit, se eis contra quoscumque, ipsos & monasterium illicite gravantes omni ope adfuturos. Tum vero eodem anno, XIII. calend. Julii abbati jus contulit vicariam ex proventibus istius ecclesiæ parochialis, quam primum fuerit erecta, conferendi, simulque societatem mutuam inter se & S. Jacobi alumnos renovavit. Defunctus est an. 1262. V. idus Novembris.

XV. Bertholdus successor datus Godeschalco 1262. XIV. cal. Dec. præfuit annos 19. & menses quatuor, obiitque 1282. X. cal. Aprilis, sub quo abbate ecclesia in Geinsheim an. 1265. VII. cal. Decembr. monasterio coaluit.

XVI. Henricus II. de Undenheim electus an. 1282. VI. cal. Aprilis, interfuit an. 1292. concilio Aschaffenburgensi. Sedit annis 13. mensibus 7. ac diebus 13. defunctus an. 1295. IV. idus Nov.

XVII. Hermannus I. eodem anno successit XI. cal. Dec. & anno seq. feria III. ante diem

natalem B. M. V. coram judice Moguntino permutationem bonorum & jurium in Bretzenheim & Zalbach cum monialibus in Dalem pro bonis earum in Rauheim & Esenheim a decessore suo factam confirmavit. Naturæ concessit 1303. idibus Febr.

XVIII. Petrus in abbatem cooptatus IX. cal. Martii an. 1303. obiit 1315. pridie nonas Aprilis, postquam præfuisset annis 12. uno mense ac diebus 10. cui defuncto anniversarium cultum Heynemannus dictus Nezzevil ædis majoris vicarius ultimæ voluntatis suæ tabulis an. 1322. editis renovandum procuravit.

XIX. Wernherus delatum sibi munus abbatiale 1315. III. idus Aprilis, gessit annis 15. mense uno, diebusque novemdecim, extinctus 1330. calendis Junii, sub quo monasterium a civibus destructum est an. 1328. ex Trithemio t. 2. chron. Hirsaug. pag. 169. Quod quidem attributum regimini successoris ita chronographus exponit. Sub eo, inquit, (Godefrido) cives Moguntini petiere licentiam hoc monasterium una cum turribus & capellis in area ejusdem sitis, si non penitus, ex parte tamen diruendi, evertendique, ne si ad manus hostium civitatis perveniret, dicta civitas omnino remaneret obsessa. Et ab illo tempore annis quasi 131. basilica nulla fuit in Monte-specioso, excepto sacello B. Virg. cultus vero divinus ibidem intermissus fuit ad annum usque 1404. cœpitque ex illo tempore abbas cum conventu habitare in civitate, eo quod monasterium funditus eversum esset, nec haberent fratres in monte ubi habitarent.

XX. Godefridus II. Ritz de Dyrne subrogatus VII. idus Junii ejusdem anni, præfuit annis 14. & mensibus novem, viam universæ carnis ingressus an. 1345. VI. cal. Martii.

XXI. Wiricus Shoenberg de Lorch electione canonica successit 1345. IV. nonas Martii, *al.* 4. Febr. confirmatusque est eodem anno, Dominica *Judica* ab Henrico archiepiscopo, datis ac solutis sex marcis & uno *fertone* argenti. Memoratur inter abbates, quos an. 1359. Philippus episc. Cavallicensis Pontificis legatus ad se Moguntiam evocavit. Obiit autem 1362. pridie calend. Junii, cum præfuisset annos 17. menses duos, ac dies 28.

XXII. Voltzo de Lorch, ex priore S. Jacobi in locum Wirici abbatis suffectus 1362. III. nonas Junii, sedit annis undecim, mense uno, novemque diebus. Cessit e vita 1373. pridie idus Julii.

XXIII. Willelmus I. de Waldeck electus 1373. cal. Aug. *al.* 15. Julii, præfuit annis 13. diebus 25. obiitque 1386. idibus Novembris.

XXIV. Johannes I. de Montzenheim ex cellerario factus abbas XVII. *vel* XVIII. calend. Decemb. 1386. rexit annis 23. ac mensibus circiter duobus. Vita functus est an. 1410. XIII. cal. Febr.

XXV. Anshelmus de Dirmstein antea rei sacræ custos, eligitur abbas an. 1410. VII. idus Febr. qui deinde præsens in concilio Constantiensi, ibidem privilegia quædam impetravit. De eo Trithemius ad an. 1418. hæc habet: *Præfuit eo tempore monasterio S. Jacobi prope Moguntiam Anselmus de Dirmstein abbas in ordine XXIII. qui & ipse cum monachis suis apostatasset, nisi eum prohibuisset inopia.* Jam autem an. 1434. die 14. Augusti e vivis excesserat, ex litteris authenticis judicum S. sedis Moguntinæ, in quibus sic habetur: *Pridem introducta coram nobis inter D. decanum & capitulum ecclesiæ Mogunt. actores ex una, & quondam Ancelmum, dum vixit, abbatem monasterii S. Jacobi reum, &c.*

XXVI. Jacobus I. Schmutzel de Dirmstein sacrarii custos, obiit abbas an. 1438. VI. cal. Apr. postquam, inquit chronographus, annis 3. mensibus 2. ac diebus 8. præfuisset.

XXVII. Johannes II. Specht de Bubenheim suffragiis quorumdam fratrum in abbatem electus est, aliis Hermannum de Albich, tunc priorem, eligentibus; sed vicit Johannes, rexitque annis 14. cum sex diebus. Fuit autem ultimus abbas ex nobilibus, sub quo monasterium S. Jacobi reformationem Bursfeldensem suscepit an. 1440. ex chronographo. Obiit Johannes an. 1452. pridie idus Apr. *al.* XIII. cal. Febr.

XXVIII. Lubertus, *seu* Lupertus Ruthard Saxo, monachus erat Bursfeldensis, quando in abbatem electus est 1452. die 16. Apr. Eodem anno, vel sequenti, monasterium S. Johannis in Rhingavia reformavit, ibique Eberhardum de Venlo priorem instituit; a quo tempore voluit archiepiscopus hoc monasterium subditum esse S. Jacobi abbatibus, dummodo ipsi in reformatione permanerent. Obiit Erfordiæ in capitulo provinciali, cujus erat quatuor præsidum alter, an. 1456. 28. Aprilis, sepultus ibidem in monasterio S. Petri in medio chori; cui proinde Trithemius perperam attribuit decem annos regiminis, tom. 2. chron. Hirsaug. pag. 404.

XXIX. Eberhardus de Venlo ex priore S. Johannis in Rhingavia, unanimi fratrum electione evasit abbas S. Jacobi an. 1456. VII. idus Maii. Anno seq. quosdam e suis fratribus Hirsaugiensi abbati indulsit, qui Bursfeldensem observantiam illuc inferrent. *An. 1458. ecclesia S. Jacobi, quæ modo cernitur, ædificari cœpta est, & anno seq. perfecta; ex eo namque tempore, quo monasterium ultimo fuit desolatum, post obitum Matthiæ archiepiscopi (1328.) non fuit ecclesia in monte præfato, præter capellam B. Mariæ Virginis.* Præfuit an. 1459. congregationi abbatum, sive ordinis capitulo provinciali. Deinde vero cum in dissidio Moguntino duos inter archiepiscopos Adolfum & Dietherum, Adolfo tanquam legitimo pastori adhæreret, quem reapse ut verum agnoscebat Romanus pontifex, Diethero damnato & excommunicato, cum his omnibus, qui cum eo sentiebant, monasterio cum fratribus deserto, procul abire jussus est, qui Christi vicario malens obedire, quam Diethero excommunicato, ab urbe discessit, fratresque suos de cœnobio exire præcepit. Prior itaque in crastino Epiphaniæ Domini anni 1462. *processionaliter* una cum conventu de cœnobio exiens per medium civitatis transivit, signum crucis nobili

Otton

Ottone de Salbach, cœnobii professo, præferente, tribus duntaxat senioribus in monasterio ad sarcinas, ut dici solet, remanentibus. Fratres autem illi hinc inde dispersi, quidam ad S. Matthiam apud Treviros, alii apud S. Martinum Coloniensem, alii aliis in locis, usque ad tempus restitutionis & reversionis suæ, mansiones suas acceperunt. Attamen eodem anno 1462. cum Adolfus jam pontificatu potiretur & urbe, inquit Trithemius, ad cœnobium S. Jacobi Eberhardus cum suis monachis regressus est. Sed paulo post jussu ac mandato Pii II. pontificis, an. scilicet 1463. ex hoc loco, cui præfuerat annis 7. & mensibus 5. ad Montem-monachorum prope Bambergam translatus est, ibidemque abbas institutus, ac tandem mortuus an. 1475. die 4. Julii.

XXX. Johannes III. de Itzstein, tunc abbas S. Johannis in Rhingavia, Eberhardo cedente, postulatus a fratribus S Jacobi, relicta sua abbatia, hanc suscepit an. 1463. idibus Octobris. Præfuit hic annis 3. mense uno ac diebus sex, tumque denuo abbatia S. Johannis per cessionem Johannis Luterbach vacante, fratres ejusdem cœnobii iterum elegerunt Johannem, quondam suum abbatem; qui mox abdicata Jacobæana feria III. post festum S. Andreæ an. 1466. ad suam priorem S. Johannis abbatiam remeavit. Denique obiit anno incerto, die XI. Septemb.

XXXI. Hermannus II. Preus, *al.* Pruss Moguntinus, ex cellerario electus est abbas an. 1466. die 9. Decemb. Hic reformavit monasterium sancti Martini in Spanheim, socio laboris adhibito Conrado Rodemburgio sancti Johannis in Rhingavia abbate, anno 1469. mense Aug. & ibidem Johannem de Colnhausen S. Jacobi cellerarium, primum abbatem instituit. Item eodem anno Weissenburgense ad disciplinæ Bursfeldensis normam redegit, socio operæ Eberhardo de Venlo abbate Montis-monachorum; ac insuper S. Crucis Limpurgense, una cum Bernardo Hirsaugiensi & Johanne de Colnhausen Spanheimensi abbatibus, an. 1481. primo abbate constituto Bonifacio de Venlo S. Jacobi monacho. Idem an. 1472. die 7. Junii alter fuit præsidentium in capitulo Erfordiæ, & an. 1476. præfuit capitulo provinciali Bambergæ in Monte-monachorum habito, alteri quoque 1479. Norimbergæ, ac denique 1496. alteri habito in monasterio Seligenstadensi. Adfuit etiam anno 1485. Dominica *Lætare* consecrationi Berchtholdi in archiepiscopum Moguntinum. Qui tandem summa cum laude annis 43. & mensibus undecim suo gubernato monasterio, vivere desiit an. 1510. 25. Octobris.

XXXII. Johannes IV. Manger de Gerauw ab officio cellerarii ad abbatiale munus evehitur anno 1510. die 30. Octob. ac deinde 24. Novembris in suo monasterio benedictionis munere perficitur, ab Uriele archiepiscopo Mog. infula & baculo pastorali, aliisque insignibus abbatialibus sibi traditis, assistentibus infula redimitis a latere ipsius Johannis Friderico S. Johannis in Rhingavia & Marcellino Seligenstadensi abbatibus. An. 1526. adfuit electioni Johannis de Siemern in abbatem Spanheimensem; tum an. 1529. jussu Alberti card. & archiepiscopi, una cum Friderico abbate S. Johannis in Rhingavia, Monasterium SS. Marcellini & Petri in oppido Seligenstatt, & an. 1531. SS. Simplicii & Faustini in oppido Amorbach ad veteris disciplinæ vigorem revocavit. Morte sublatus est an. 1551. die 5. Junii, *al.* 24. Maii ex epitaphio, in quo præfuisse dicitur annis 40. & septem mensibus.

XXXIII. Christianus de Hamburg Saxo, ex priore fit abbas an. 1551. die 12. Junii, scrutatoribus & compromissariis, ut vocari solent, constitutis, Petro monasterii Lacensis, Gerhardo Schonaugiensis, & Johanne Montis S. Johannis in Rhingavia abbatibus, confirmaturque ab archiepiscopo Sebastiano, die Veneris post festum Præsentationis B. Mariæ. Curam gessit pastoralem annis 3. mensibus novem & sex diebus, fato functus 25. Martii an. 1555.

XXXIV. Johannes V. Chrysostomus, Moguntinus, prioris officio fungebatur, quando ei delata fuit dignitas abbatialis an. 1555. 4. Aprilis, compromissariis & scrutatoribus Gerhardo Schonaugiensi & Johanne S. Johannis in Rhingavia abbatibus. Inde 26. Novembris Danieli archiepiscopo in arce Steinheim sacramentum more solito dixit, moxque a Balthasare episcopo Mysiensi, suffraganeo Moguntini archiepiscopi benedictionem accepit. Vitam amisit 1561. 24. Novemb.

XXXV. Tobias Schraudt Aschaffenburgensis, ex cellerario eligitur abbas 1561. die 4. Dec. per compromissarios & scrutatores Johannem Augustinum Lacensis, Johannem Limperger Schonaugiensis & Philippum Ostheimer Seligenstadensis monasteriorum abbates. Confirmatur autem a Daniele archiepiscopo 28. Martii anni seq. Obiit 1564. 18. Maii, pestilentiæ abreptus lue, ut in epitaphio legitur.

XXXVI. Leonhardus I. Weick Batavus, professus monasterii de Tholeia; cum esset prior S. Jacobi, electus est in abbatem die 6. Junii an. 1564. comitiis in hanc rem celebratis in monasterio Augustinianorum, ob pestem, qua laborabatur in Monte S. Jacobi, scrutatoribus & commissariis Roberto Wich Tollensis, Theobaldo Grimlich Amorbacensis & Philippo Ostheimer Seligenstadensis monasteriorum abbatibus. Deinde confirmatur a Daniele archiepiscopo, Steinhemii, die Junii 30. cujus in litteris hac de re tum editis vocatur Leonhardus Wich, *al.* Adalhartus. Se ipse vero utroque nomine donat in epitaphio, quod anno 1567. posuit Valentino Horn. Obiit 1573. 23. Martii.

XXXVII. Leonhardus II. Mey a Prum, electus an. 1573. 18. Aprilis, Nicolao abbate Tuitiensi, & Andrea Brunvillariensi compromissariis & scrutatoribus, necnon teste Johanne Lorichio abbate Schonaugiæ & aliis, confirmatur ab archiepiscopo Daniele 20. Junii. Mortem oppetiit 29. Januarii anni seq.

XXXVIII. Sebastianus Dalweiser ex cella Rodolfi assumtus, cum tunc solum esset diaconus,

in abbatem S. Jacobi cooptatus est 17. Martii A 1574. compromissariis Wolfgango de Dalberg præposito Moguntino & vicario generali in spiritualibus, Nicolao Tuitiensi, & Andrea Brunvillariensi abbatibus aliisque. Confirmatur autem ab archiepiscopo Daniele 14. Maii, tandemque munus benedictionis accepit a suffraganeo Mog. Webero, die 19. Sept. assistentibus Seligenstad. & Schonaugiensi abbatibus. Obiit an. 1577. die 27. Aug.

XXXIX. Wendelinus I. Frey ab Hofheim, antea prior, eligitur abbas die Veneris 5. Octob. an. 1577. in cœnobio Augustinianorum, ob pestilentiæ luem in Monte sancti Jacobi grassantem, compromissariis & scrutatoribus Nicolao Tuitiensi, Georgio Schonaviensi abbatibus & aliis; deinde confirmatur ab archiepisc. Daniele 18. Junii anni seq. Obiit an. 1589. 5. Aprilis. B

XL. Wendelinus II. Knauff Rudesheimensis, præmisso triduano jejunio, ut in Ephemeridibus MSS. legitur, ex subpriore salutatur abbas 1589. 13. Maii, commissariis, ut vocantur, Nicolao ab Ureden Tuitiensi abbate ordinis visitatore & aliis. Confirmatur eodem anno 6. Julii, solemnique perficitur benedictione die 4. anni seq. Tum vero jubetur una cum aliis a Wolfgango archiepiscopo litteris datis die 5. Aug. an. 1596. C invisere monasterium SS. Simplicii & faustini in Amorbach, prolapsumque illius tam in ecclesiasticis quam in temporalibus statum emendare. Cessit e vita die 7. Aug. an. 1597.

XLI. Jacobus II. Keim Moguntinus, ætatis suæ anno 26. Incarnationis Dominicæ 1597. calendis Septembris eligitur in abbatem, scrutatoribus Balthasare de Brée S. Martini majoris Coloniæ, Gerhardo Toller S. Heriberti Tuitiensis abbatibus, necnon Johanne Suicardo a Cronberg decano ecclesiæ Mog. confirmaturque a Wolfgango archipræsule die 30. Sept. Migravit a seculo 1628. die 28. Maii. D

XLII. Willelmus II. Pampesius Limpurgensis, olim prior in Seligenstadt, abbas S. Jacobi declaratur 17. Junii 1628. benedictione donatus die 29. Octob. Naturæ debitum solvit 24. Oct. 1632. post quem abbatia vacavit aliquot annis ob Suecos Moguntiam insidentes.

XLIII. Marcus Ludwig Guntzenheimensis, a priore & conventu una cum abbate S. Heriberti Paulo Vrechen, petita eligendi venia ab Anselmo Casimiro archiepiscopo, designatur abbas ab eodem antistite, partim ex jure sibi devoluto, partimque ex compromisso, Coloniæ Agrippinæ an. 1635. die 30. Julii, præsento Paulo Vrechen E ordinis visitatore. Inde vero 12. Aug. in dicto S. Heriberti apud Coloniam monasterio fidelis obsequii sacramentum præfato archiepiscopo dixit; qui postea tamen, cum Moguntiæ muneris sibi collati procurationem adire vellet, repulsam passus est ab aliquot monachis; sed iis tandem auctoritate archiepiscopi consentientibus, in possessionem solemni ritu immissus est die 7. Maii anni 1636. Defecit 2. Novemb. 1652.

XLIV. Jodocus Leber monasterii Schonaviensis prior, Gaspare Schwan ejusdem loci abbate postulato in abbatem S. Jacobi renuente; electus est die 7. Nov. compromissariis Leonardo Colchon Seligenstad. abbate, & dicto Gaspare Schwan præside & visitatore S. Jacobi, cum aliis ex parte archiepiscopi Johannis Philippi, qui electum confirmavit 18. Dec. E vivis excessit an. 1676. die 14. Junii, vir prudentia & religione plurimum commendatus, testante Bucelino Germaniæ sacræ, pag. 198.

XLV. Martinus Nickenich Confluentinus Jodoco subrogatur 17. ejusdem mensis, confirmatus die 12. Julii. Hic annis tribus continuis magistratu academiæ functus est, electus 17. Decemb. an. 1693. postulatus 22. Decemb. an. seq. & iterum confirmatus 15. Decemb. an. 1695. Corporis sarcinam deposuit an. 1698. die 24. Octobris.

FONS REINHARDI, *seu* Reinharzborn, & Reinhardenborn ac etiam Reginherisbrunnum.

UNum & idem nomen est ejusdem monasterii apud Turingos, quanquam sonis aurem pulsat aliquantulum diversis; cujus etymon ducitur a Reinardo figulo prope fontem inhabitante, inquit Mabillonius. Situm est in confinio Loibæ silvæ, quatuor ab Erfordia milliaribus, conditumque est an. 1085. in honorem B. M. V. & S. Johannis Evangelistæ a Ludovico II. Turingiæ comite, cognomento *Saltatore*, ex additionibus ad Lambertum Scafnaburg. & Adheleida conjuge, qui hunc locum sedi Romanæ absque medio subjecerunt, ut patet ex diplomate Henrici IV. imperatoris fundationem hanc confirmantis an. 1089. ad petitionem prædicti comitis & Giselberti abbatis, nostra inter instrumenta recuso. *Ch. v. col. 443.* Denique accessit hoc monasterium ad congregationem Bursfeldensem an. 1493.

ABBATUM SERIES.

I. GISELBERTUS monachus Hirsaugiensis, tum Hasungensis abbas, huic tandem *Secul. VI. Bened. p. 2. pag. 722.* monasterio præficitur a S. Willelmo Hirsaugiensi abbate, ac insuper ei cura novi cœnobii Montis S. Petri in oppido Erfordiensi ab eodem commendatur, donec perfecto cœnobio proprius abbas concederetur. Porro hic abbas suis Ludovici fundatoris precibus adjunctis monasterii fundationem ab Henrico imperatore obtinuit confirmari anno 1089. Memoratur & anno 1092. in chartulario domestico, quo anno Urbanus II. cœnobium in suam protectionem assumsit, ex libro citato *Vindemiarum*, &c. pag. 108.

II. Ernestus an. 1103. Henricum IV. regem & 1105. Ruthardum archiepiscopum Moguntinum munificos expertus est. Reperitur & annis 1108. 1109. 1110. 1111. 1113. 1114. 1120. 1121. & 1125. in chartulario domestico, quod habetur libro citato.

III. Hermannus ibidem occurrit 1168. 1174. & 1183. quo circiter anno Lucius III. papa ei & successoribus ejus utendi mitra privilegium concessit; & adhuc 1189.

IV. Wickardus 1219. *ibid.*

V. Eckehardus 1238. quo anno Henricus Lantgravius Turingiæ quamdam acquisitionem ab ipso factam roboravit.

VI. Ludovicus memoratur an. 1256. & 1259. quo præfuit una cum duobus aliis abbatibus, ordinis capitulo provinciali, habito in Erfordiensi sancti Petri monasterio. Anno 1267. Albertus Turingiæ Lantgravius ei laudavit acquisitionem factam. Annum saltem 1271. assecutus est; ex libro citato.

VII. Marquardus an. 1282. Albertum Turingiæ Lantgravium munificum experitur. Laudatur etiam 1283. 90. 91. & 92. quo quidem anno dicitur *quondam abbas, & nunc provisor seu præpositus ecclesiæ sive villæ in Elnde*, & tamen tanquam abbas prædicatur an. 1295. VIII. idus Septemb. in charta seu notitia Mechtildis abbatissæ S. Nicolai in Tullstett, de acquisitione quorumdam prædiorum spectantium ad monasterium Reinartsborn, propter incendium claustri sui debitorum onere prægravatum. At fortasse ista venditio facta fuit jam an. 1291. *vel* 92. etiamsi charta nonnisi an. 1295. exarata fuerit.

BURSFELDA & BURSFELDIA.

Locus *Miminde* appellatur in antiquis monasterii tabulis, regia olim villa, ubi nobile illud cœnobium conditum est, ad Visurgim fluvium intra Wernæ & Fuldæ confluentes, in ducatu Brunswicensi, ac in finibus Patherbrunnensis diœcesis, ubi archiepiscopi Moguntini jurisdictio desinit. Bursfeldia vero a villa tunc proxima, nunc autem funditus eversa nuncupatur. Ejus initia refert Mabillonius ad an. 1093. fundatoribus Henrico comite de Northeim in Saxonia, & Gertrude ipsius conjuge, Egberti I. marchionis Saxoniæ filia. Et certe hoc anno in frequenti comitum ac procerum conventu Helingestadii convocato Ruthardus archiepiscopus Moguntinus eam fundationem dotationemque publicis tabulis ratam habuit, quas repete, si lubet, ex annalibus Paderbornensibus, pag. 634.

Sacer est hic locus sanctis Thomæ & Nicolao, & inde quidem celeberrimus est, quod ab eo, suscepta circiter an. 1435. novissima ordinis Benedictini reformatio in Germania, vocabulum acceperit, sub nomine congregationis Bursfeldensis, quæ jam Trithemii temporibus centum monasteria complectebatur, quindecim supra centum sua ætate numerat Bucelinus. Istuc porro nova monachorum colonia deducta est ex Corbeia-nova, cui tunc Marcwardus abbas, olim episcopus præerat. Unde cum Mabillonio conjicimus, Waramundum, qui in annalibus Corbeiensibus ex monacho factus abbas dicitur an. 1092. vel Thiatmarum, qui 1093. loco minime designato, Bursfeldensis monasterii primum fuisse abbatem.

SERIES ABBATUM.

I. WARAMUNDUS, *vel* THIATMARUS ex modo dictis primus abbas fuisse videtur.

II. Volmarus, Erfordiensis S. Petri quondam monachus, ex abbate Bursfeldensi subrogatus dicitur Henrico S. Petri Erfordiensis abbati an. 1250. De hoc subinde monasterio nihil occurrit dicendum usque ad annum circiter 1430. quo tempore vacabat sedes, & maxima tunc inopia cœnobium laborabat, adeo ut in illo unus duntaxat monachus esset, cui, ut ferunt, vacca una victum ministrabat.

III. Johannes I. ab Uslar circa 1433. dissidium habuit cum cœnobitis, quod ita Conradus archiepiscopus sedavit, ut Johannes magistratu abiret, & cœnobitæ ad vitæ incorruptæ redirent officia. Is autem esse videtur, per cujus depositionem, pastore vacuam fuisse Bursfeldensem ecclesiam supra diximus.

IV. Johannes II. de Mindawe, *seu* Mindensis, sic dictus a natali loco Minda ad occidentalem Visurgis ripam, antea monachus erat de Rheinhausen, tunc vero abbas de Clusa prope Gandersheim, quod monasterium audientes Otto dux Brunswicensis, & Agnes ipsius conjux, princeps Hassiaca ab ipso reformatum fuisse, illum in Bursfeldiam pro simili reformatione transferri obtinuerunt anno 1433. Qua de re vide chronicon Citizense Pauli Lang. mon. t. 2. rerum Germanic. Pistorii, pag. 856. & Bergense t. 3. rerum Germanic. auctore Meimobio pag. 307. Præfuit autem ad annum saltem 1445. quo ei concilium Basileense provinciam dedit *ordinarium* divinorum officiorum corrigendi.

V. Johannes III. Hagensis, *vel* Hagius *de Hagen*, seu *de Indagine*, ut habet chronicon Citizense laudatum, tom. 2. rerum Germanic. pag. 871. fuit secundus in reformatione abbas Bursfeldensis, & præcipuus reformationis hujus promotor & propagator. Quamobrem cum Johannes Rodius S. Matthiæ apud Treviros abbas, qui primus reformationis hujus auctor exstiterat, mortuus esset, eidem successor datus est, agente Jacobo Trevirensi archiepiscopo; sed cum nollet is pauperculum Bursfeldense monasterium relinquere, alius in Rodii locum, uti generalis reformator, suffectus est; at exiguo admodum fructu. Quod attendens Nicolaus Cusanus cardinalis & sedis apost. legatus, Johannem Hagensem pietatis opinione celebrem ad se evocatum, generalem ordinis reformatorem pronuntiavit; & ut hæc illæsa conservaretur reformatio, idem Cusanus conventum, seu capitulum, ut vocant, annuum instituit, præsidis seu præfecti domicilium e S. Matthiæ Trevirensi cœnobio Bursfeldiam transtulit, omniaque reformationis decreta a Romano pontifice curavit approbanda. Initam vero plurimorum ord. S. Bened. cœnobiorum societatem secundum hanc Bursfeldensis asceterii disciplinam Theodericus archiep. Mogunt. an. 1449. confirmavit. Ceterum hic Johannes de Hagen cum aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali anni 1467.

in Monte-monachorum prope Bambergam celebrato, & post biennium cessit e vita die XI. Aug. *seu* 1469. III. idus Aug. ex chronico Citizensi supra memorato, pag. 871. *vel* 1470. uti legitur in chronico monasterii Bergensis, tom. 3. rerum Germanic. auctore Meibomio, pag. 311.

VI. Theodoricus Fulsigk, primum Bergensis prope Magdeburgum monachus, dein Prior Ammenslebiensis, assumtus est in abbatem Bursfeldensem, & approbatus in capitulo annuali celebrato Treviris apud S. Matthiam, Dominica post festum S. Egidii 1470. Præfuit annis sexdecim, ac interim annuali capitulo Erfordiæ in Monte S. Petri habito præfuit die 7. Junii 1472. & iterum 1473. alteri capitulo provinciali Nurembergæ apud S. Egidium celebrato. Obiit Bursfeldiæ IV. nonas Maii an. 1485. ex chronico monasterii Bergensis loco proxime citato, *al.* die 2. Januarii.

VII. Johannes IV. de Westphalen eodem an. 1485. benedictionem percepit a Bertholdo episcopo Panadensi, Moguntini archiepiscopi suffraganeo. Sedit annos 16. & menses quatuor, mortuus 1502. die 21. Maii.

VIII. Henricus Asch successit, cum tunc esset novitiorum institutor. Hic an. 1503. fuit principalis præses capituli annualis in cœnobio sancti Jacobi prope Moguntiam habiti. Scripsit ad eum Trithemius epistolam LXX. die 30. Aug. anno 1506. quo certiorem eum facit, de sua se cogitare abdicanda Spanheimensi abbatia. Præfuit adhuc 1509. cum aliis abbatibus capitulo provinciali Erfordiæ in monasterio S. Petri celebrato.

BINCHE.

S. RUPERTUS BINGENSIS, *seu* Mons* S. Ruperti *vel* Roberti juxta Bingam.

FUndatur hoc cœnobium puellare ord. S. Benedicti, an. 1147. a S. Hildegarde prima ejusdem abbatissa, prope oppidum *Bingen* ex altera parte fluminis Nahæ, ubi in Rhenum influit, quatuor a Moguntia milliaribus. Reformatur autem an. 1494. e Sconaugiensi monasterio accitis monialibus sex, inter quas Guda *Specht* nuncupata, de Bubenheim orta in magistram consensu omnium fuit ordinata; qua circiter ætate Ringavienses cives monasterium pene totum subverterunt.

* Est alius Mons S. Roberti ord. Cist. femin. in diœcesi, nec longe a civitate Leodiensi, de quo egimus, tomo 3.

ALIQUOT ABBATISSÆ.

I. S. HILDEGARDIS oriunda fuit ex villa Bickelsheim in comitatu Spanheimensi, patre Hildeberto milite, matre vero Mechtilde, an. 1098. Hæc cum esset annorum quinque, oblata est a parentibus Deo dicanda in monasterio S. Disibodi, ubi sub B. Justæ sororis Megenhardi comitis de Spanheim magisterio monasticæ conversationis habitum assumsit; & post ejusdem obitum, qui contigit an. 1136. die 22. Decemb. magistra sororum sub regimine

A Cunonis abbatis S. Disibodi constituta est S. Hildegardis; quæ quidem postea divinitus admonita cum tota sororum 18. congregatione & Cunonis permissione ad Montem S. Ruperti transmigravit. Illic autem ad Dominum evolavit anno 1180. *vel* 1179. indict. XIII. decimo-quinto calendas Octobris, ætatis suæ an. 82. sepulta in medio chori ante majus altare; de qua postmodum catalogo sanctorum adscribenda rogatus est Gregorius IX. pont. max. ab ejusdem monasterii abbatissa & monialibus an. 1237. Plurima scripsit, de quibus Johannes Trithemius in catalogo illustrium virorum, pag. 138. & de

B scriptoribus ecclesiasticis, pag. 281.

An. 1210. duæ fuerunt electæ abbatissæ in dissensione, quibus tandem, opera Ruperti abbatis Spanheim. & abbatis S. Disibodi, cedentibus, tertia in earum locum successit.

II. Guda *Specht* cognominata, de Bubenheim orta, reformandi hujus monasterii gratia, e Sconaugiensi cum quinque aliis sororibus huc accessit an. 1494. statimque in magistram consensu omnium instituta, ibidem præfuit annis ferme septem; quo tempore, vel circiter, uti jam diximus, Ringavienses cives totum pene monasterium devastarunt.

C III. Anna Lerchin de Dirmstein, qua sedente, an. 1632. ipsa Dominica *in Albis* monasterium a milite Sueco in cineres fuit redactum; unde sacer virginum cœtus dispersus est. Postea vero rursum congregatus, ac an. 1641. jussu Anselmi Casimiri archiepiscopi Eibingam translatus est, quo cum Anna Lerchin, pace restituta, redire nollet, sed in monasterio Kitzingensi, in quod secesserat, perseveranter moraretur, ipsa adhuc in vivis existente, cœnobio præfecta fuit

IV. Ursula de Sickingen, quam dein excepit

V. Anna Juliana Schutzin de Holzhausen, hanc

VI. Maria scholastica de Manteufel, qua fatis

D functa eligentium suffragiis regimen subiit

VII. Maria Anna Ulnerin de Diepurg, & post eam, quæ hodie adhuc eidem præest

VIII. Maria Antonia Mull de Ulmen. Utitur autem etiamnum titulo abbatissæ Montis Rupertini, litterisque publicis sive instrumentis hunc in modum subscribit: *abbatissa Montis S. Ruperti & Eibingæ.* Porro Eibingense hoc monasterium sancti Giselberti memoriæ sacrum, situm est in Rhingavia, proxime Rudesheimium, montana versus, ab ipsa B. Hildegarde excitatum, fuitque semper titulo prioratus parthenoni Rupertino subjectum adunatumque.

E

APRIBACUM ET EBERBACUM,* *vulgo* ERBACH.

HOc monasterium ordinis Cisterciensis, & quidem filia Claraevallis, sic dictum ab apro & rivo præterfluente, situm est in Ringavia, duobus fere a Moguntia milliaribus in Rheni descensu. Id prius inhabitaverant canonici Regulares, quibus postmodum amotis substituti fuerant

* Aliud est ab Ebraco ejusdem ordinis, in diœcesi Herbipolensi.

monachi Benedictini, ex Monte S. Johannis A assumti. Verum & hi dare locum Cisterciensibus, acceptis ab Adelberto seniore archiepiscopo Moguntino quinquaginta libris argenti, coacti sunt. Istud autem contigit an. 1135. quo S. Bernardus rogatu prædicti Adelberti conventum illuc transmisit monachorum, deputato eis abbate, domino Ruthardo, viro spectabili, ac in omni religione & ceteris virtutibus probato. Ceterum novus ille fundator paulopost, id est an. 1137. IX. cal. Aug. ex hac vita migravit, sepultusque est in eo ipso loco, quem novis sacris & religione ornaverat, ubi etiamnum solemni anniversario a monachis honoratur VIII. idus Junii. Inter alia vero B monasteria, quæ genuit Eberbacum, recensetur Sconaugia seu Insula Pulcra an. 1144.

SERIES ABBATUM.

I. RUTHARDUS Claravallensis monachus novello gregi huc transmisso præesse jussus est a S. Bernardo. Testis est an. 1139. in litteris Adelberti II. archiepiscopi Moguntini ecclesiæ collegiatæ S. Petri Mogunt. nonnulla tribuentis pro anima Adelberti I. decessoris. Hic porro templum novum, ea qua visitur hodie structura & mole ædificare cœpit, quod postmodum successor ejus Arnoldus complevit. Obiit C Ruthardus XIX. cal. Sept. an. 1163. *al.* 1173. sepultus in vestibulo templi, in ambitu ipsius monasterii, in sarcophago muro incluso, una cum duobus suis proximis in abbatia successoribus, quibus talis apposita est inscriptio:

Abbatum lapis iste trium tenet ossa priorum
Istius ecclesiæ, quæ flagrat amore Mariæ.
Ruthardus primus erat, Arnoldusque secundus,
Tertius Gerhardus, dolus in quo non fuit ullus.
Istorum vita virtutibus est redimita.

II. Arnoldus & ipse Claravallensis alumnus Ruthardo successit; sub quo abbate plurima sanD ctimonialium monasteria fundata sunt Eberbacensium visitationi commissa; nominatim vero an. 1180. contigit mirabilis illa fundatio monasterii B. M. in Comeda in inferiori Palatinatu, & diœcesi Mog. per B. Eberardum, octodecim annorum adolescentem, postea vero in ordine Cisterciensi subdiaconum. Ceterum is est A. Eberbacensis abbas, quem Petrus Claravallensis circa an. 1185. commendavit archiepiscopo Moguntino, ex tom. 3. biblioth. patrum ord. Cisterc. pag. 265. Arnoldus e vita cessisse dicitur an. 1187. ipso die festo Exaltationis S. Crucis; attamen in chronico Santalbanensi commutatioE nem fecisse legitur cum Henrico abbate S. Albani an. 1190. ubi vide, & in Ruthardo decessore sepulcralem inscriptionem.

Tom. 2. operum S. Bern. edit. Mabill. col. 1222. C.

III. Gerardus natione Burgundus, ex Claravalle quoque transmissus, ubi tunc prioris fungebatur officio, Arnoldum excepit, sub quo abbate fundata legitur abbatia Arnesburgensis, sive Castrum-Aquilæ in finibus diœcesis Mogunt. monachi vero primi una cum abbate ex Eberbaco vocati sunt, qua de causa Eberbacensis pro tempore abbas paternitatis ibidem jure continuo gaudet. Obiit Gerardus an. 1201. in vigilia Epiphaniæ, de quo vide prædictam inscriptionem.

IV. Theobaldus, vir miræ abstinentiæ ac disciplinæ, teste Cæsario, lib. 6. Dialog. cap. 4. an. 1211. testis est in litteris Friderici decani & Godesfridi cantoris ecclesiæ majoris Mog. pro ecclesia collegiata B. Mariæ Virg. Migravit ad Dominum pridie S. Catharinæ virg. & mart. an. Domini 1213. præfecturæ 13. professionis monasticæ 56. numero Sanctorum ord. Cisterc. adscriptus a Chrysostomo Henriquez in suo menologio, licet in eo fallatur, quod depositionis ipsius diem ponat 24. Januarii.

V. Conradus I. pie ac religiose præfuit annis 13. quibus peractis spiritum Deo reddit 1226. XIV. cal. Octobris.

VI. Raimundus vir litteratus & acer ingenio, cum pie ac laudabiliter annis 23. rexisset, vitam cum morte commutavit an. 1249. VI. cal. Nov. Scripsit jussu Gregorii papæ IX. una cum Sifrido Mogunt. archiepisc. &c. *examinationem vitæ & miraculorum sanctæ Elisabeth Landgraviæ, Andreæ regis Hungarorum filiæ.*

VII. Wernerus, *vel*, ut alibi, Walderus, annis quatuor cum dimidio abbatiali munere functus est, vita defunctus anno Domini 1254. XV. cal. Julii.

VIII. Ricolfus annis 28. creditum sibi monasterium laudabiliter rexit, mortuus VII. idus Januarii an. 1282.

IX. Johannes I. post regimen annorum 27. in pace quievit an. 1309. XVIII. cal. Octob.

X. Petrus moritur 1329. III. idus Septembris, postquam annis 20. præfuisset.

XI. Wilhelmus eodem anno creatus abbas, e vivis excessit an. 1346. III. nonas Junii, sepultus in claustro, ubi vespere collationes Patrum leguntur.

XII. Nicolaus I. fatis concessit an. 1354. IX. cal. Maii.

XIII. Henricus an. 1354. in abbatem electus, præfuit annis 15. sepultus post obitum in capitulo ante sedem Præsidis, cujus tumulo sequentes incisi sunt versus:

C. ter, milleno, minus uno septuageno (1369.)
Abbas Henricus moritur pietatis amicus,
Idibus Aprilis, lugent hunc puer atque virilis,
Cujus nunc statum jubeat Deus esse beatum.

XIV. Conradus II. obiit an. 1371. XVII. cal. Decemb. cujus abbatis tempore, eodem scilicet anno, die 12. Febr. cum Aschaffenburgi obiisset D. Gerlacus comes de Nassau archiepisc. Mog. & nepos Adolfi imperatoris, sepultus est in choro Eberbacensis ecclesiæ, ubi non longe a summo altari pulcherrimam & elevatam habet sepulturam, juxta quam continuo lampas ardet.

XV. Jacobus de Alta-villa, patria Rincaugiensis, sacræ theologiæ doctor in alma facultate Pariensi, a suis electus in abbatem, præfuit laudabiliter annis 22. obiitque an. 1393. IV. idus Novembris. Multa præclara scripsit opuscula, de quibus Johannes Trithemius in catalogo illustrium

Virorum, pag. 146. Porro hujus etiam abbatis A tempore, an. scilicet 1379. pridie nonas Apr. obiit Johannes a Lutzelburgo, S. Pauli comes & archiepiscopus Mog. qui sepultus quoque est in choro Eberbacensi, ex opposito sepulcri D. Gerlaci decessoris sui.

XVI. Nicolaus II. de Boppardia cum religiose præfuisset annis 14. mortuus est an. 1407. III. nonas Nov. in capitulo sepultus.

XVII. Arnoldus II. patria Heimbacensis, rebus mortalibus exemtus est pridie cal. April. an. 1436. cujus abbatis tempore floruit D. Gerardus Coci, ex monacho Eberbaci episcopus Chrysopolitanus, an. 1411. VIII. idus Nov. B creatus per Johannem XXII. pontificem.

XVIII. Nicolaus III. viam universæ carnis ingressus est VI. idus Martii 1442. cum sedisset annis sex.

XIX. Tilmannus regimen annorum 14. & mensium fere 5. cum vita deposuit an. 1456. nonis Julii.

XX. Richubinus, *al.* Richuinus, Horichius ergastulo carnis solutus est an. 1471. die 19. Novemb.

XXI. Johannes II. *de Gensheim* diem clausit extremum an. 1475. XIII. cal. Novemb. sub quo abbate Adolfus II. de Nassau archiepiscopus C Mogunt. e vivis sublatus, sepulturam obtinuit in choro Eberbacensi juxta tumbam Gerlaci de Nassau.

XXII. Johannes III. de Boppardia naturæ debitum solvit pridie idus Dec. an. 1485.

XXIII. Johannes IV. dictus *Edelknecht* de Rudesheim, vir tam in Theologia, quam in utriusque juris scientia optime versatus, obiit anno regiminis sui 14. Dominicæ Incarn. 1499. III. nonas Octob.

XXIV. Martinus de Boppardia cognomento *Riffling* vixdum regiminis sui anno septimo peracto, mortem subiit an. 1506. IV. nonas Oct. D

XXV. Nicolaus IV. fato succubuit calendis Junii 1527. anno præfecturæ 21.

XXVI. Laurentius Dornheimensis, mortuus an. 1535. 15. Januarii sepelitur in monasterio *Knechtsteden* ord. Præmonstr. diœc. Colon. In capitulo tamen Eberbacensi ejus habetur memoria in ipso lapide sepulcrali successoris sui, hoc modo: *An. 1535. 15. Jan. obiit reverendus in Christo pater ac dominus D. Laurentius abbas Eberbacensis vigesimus sextus, cujus anima, &c.*

XXVII. Wendalinus de Boppardia eodem anno, quo suus decessor & quidem ante suam confirmationem, mortuus est XIV. calend. No- E vembris.

XXVIII. Carolus Pfeffer Moguntinus, vir magnæ auctoritatis apud Albertum archiep. anno sui regiminis quarto, Incarnati Verbi 1539. vitam absolvit, cujus venerandi cineres jacent in capitulo ante altare ad ingressum; lapidi vero sepulcrali subsequens epitaphium lamina ænea fusum affixum est:

Quisquis Palladiæ non inficienda Minervæ
Sacra colis, titulum marmoris hujus ama:
Condidit hic abbas tardas sibi Carolus umbras,
Qui celebris fratrum fletibus esse potest.
Mille & quingentos properarant sæcula messes;
Trigenæque hyemis, frigus habebat aquas,
Et nono rursus Phœbus currebat ab anno,
Primam sub Jano cœperat ire dies,
Dum nigra lanificæ rupérunt stamina Parcæ;
Et petiit cæli spiritus astra poli.
Ad priscas apri fuit abbas Carolus ædes.* * Aprilis.
Doctrina insignis, relligione sacer.
Principis ad nutum vixit, meruitque favorem,
Semper & Alberti gratia tuta fuit.
Quasque amisit opes quondam domus inclyta Divûm,
Officio potuit restituisse suo.
Dant lachrymas fratres & lugent funera cives,
Ille sed, heu, patriæ gloria nempe jacet.

XXIX. Johannes V. de Boppardia Carolo suffectus, an. 1539. benedictionis munus accepit a Michaële Helding Sidoniensi episcopo, Moguntini archiepiscopi suffraganeo. Decessit an. 1541. XII. cal. Septembris.

XXX. Andreas Boppart de Confluentia, frater Henrici S. Mathiæ Trevir. abbatis, obiit anno 1553. XVIII. cal. Octob. hoc epitaphio supra ostium interius capituli in pariete exarato decoratus:

Hic jacet Andreas Boppart, abbas reverendus,
Plantator fidei, christicolûmque parens,
Qui fuit integritas vitæ & splendor pietatis;
Relligionis amor, virginitatis honor.
Cujus ab ingenio mores, prudentia, virtus;
Manabant, pariter dogmata sacra Patrum.
Quem mœsti deflent fratres, juvenesque senesque,
Et patriæ clamant occubuisse patrem.
Nam pietate sacra cunctos accepit eadem,
Omnibus ex animo fidus & æquus erat.
Terra tenet corpus fragile, exanimumque cadaver,
At sua mens vivens cælica regna tenet.

XXXI. Pallas & Pallans, Spirensis, an. 1553. benedictione donatus est a Michaële Helding Sidoniensi episcopo, mortuus anno seq. die 22. Septemb.

XXXII. Daniel Bingensis, *seu* de Pinguia; benedicitur eodem an. 1554. a Balthasare Waneman episcopo Mysiensi, Moguntini archiepiscopi suffraganeo. Cessit an. 1565. reliquo vitæ transacto in prædio *Geisenheim* usque ad annum scilicet 1571. quo defecit XV. cal. Martii.

XXXIII. Johannes VI. Monreal, *al.* Mondrial, Boppardiæ natus, solemni benedictione afficitur a Leonardo episcopo Mysiensi, Moguntini archipræsulis suffraganeo anno 1565. cumque annis fere sex abbatem egisset, mortem oppetiit VI. nonas Martii an. 1571.

XXXIV. Philippus Sommer, Hydracensis, vir pacificus & modestus, concreditum sibi gregem gubernavit annis 29. ac tandem an. 1600. die 29. Maii in curia *Drais* prope Altam-villam in pace quievit.

XXXV. Valentinus, dictus *Molitor*, patria Raventhalensis, regiminis clavum tenuit usque ad XIV. cal. Martii anni 1618. quo ex hoc seculo migravit.

XXXVI. Leonardus *Kluncken* de Rudesheim pago Ringaviæ an. 1632. in vigilia S. Andreæ, Coloniæ in exsilio diem clausit extremum, sepultus in Horto B. Virg. monasterio puellari ejusdem ordinis, & in eadem civitate.

XXXVII. Johannes Nicolaus Weinbach patria Lainstenius an. 1633. 18. Aprilis congregatis jam in unum monachis omnibus, qui per varia monasteria dispersi fuerant, unanimi omnium consensu in abbatem subrogatus est, superstes an. 1643. die 23. Martii.

MONASTERIUM AD ALBAS-DOMINAS.

SIc hodie dictum jam quadringentis abhinc annis, nuncupatum etiam est monasterium ad Pœnitentes, sive monialium S. Mariæ Magdalenæ ad pœnitentes in urbe Moguntia, seu in foro gentili, & rursus monasterium monialium ad pœnitentes Cisterc. ord. Ædificari cœpit circa medium seculum XIII. ut patet ex litteris Hugonis tit. S. Sabinæ presbyteri card. fideles adhortantis, ut in ædificationem hujusce parthenonis subsidia conferant. Datæ sunt V. idus Julii Innocentii IV. papæ anno nono, in quibus priorissa tantum non abbatissa nominatur. Obiit autem fundator Eberzo feria III. ante natalem Dom. an. MCCCX. seu potius MCCXC. Tres duntaxat nobis occurrerunt abbatissæ.

I. GERTRUDIS numero septima, filia fuit Catharinæ Zum Laderam, quæ benemerita de hoc cœnobio obiit 1403. IV. nonas Febr.

II. Ottilia Rosenbergerin spatio annorum triginta, quo monasterium gubernavit, illud mirifice auxit. Et hoc quidem an. 1472. occlusit, cum antea cuivis ferme pateret, & a mundanæ contagionis illecebris repurgatum ad veteris cultum religionis revocavit. Jam autem an. 1464. sacram ædem refici curavit, Adolfo archiepiscopo litteris suis adhortante fideles, ut stipem ad id operis pie conferrent.

III. Anna Elisabetha anno 1707. ædem sacram tam nitide instaurari curavit, ut fere nova nunc dici possit, deinde an. 1718. eximio pro advenis domicilio, forum gentile versus, cœnobium auxit. Regebat adhuc 1722.

VORMATIENSIS ECCLESIA.

Vormes au bas Palatinat sur le Rhin.

VORMATIA, vetustissima, imperialis & libera in Palatinatu ad Rhenum civitas, episcopali sede, Moguntinæ suffraganea præfulget, solo fertili, situ amœno & omnium rerum copia dives; quanquam diœcesis angusta est, opesque ipsius mediocres, adeo ut Rhenanos inter episcopatus hic *pauperrimi* jam dudum cognomen sortitus sit. Obtinet nihilominus præsul directorium circuli Rhenani superioris; sed in civitate Vormatiensi nulla pollet jurisdictione, libera enim illa est, ut diximus, & Imperio proxime subjecta; & quamvis fidelitatis sacramentum præsuli cives dicere soleant, nullam tamen id subjectionem involvit.

Sedes episcopalis nunc, uti ferunt, Durfteinii est, quod castrum duabus ab urbe leucis distat, antehac autem Laudenburgi fuit, cujus oppidi condominium Electores Palatini jam a longo tempore sibi vindicant.

Ea porro civitas *Bormetomagus* Ptolemæo, lib. 2. cap. 9. & corrupte *Bormitomagus* Æthico, sive Antonino in itinerario provinciarum, nunc inter Bonconiam & Noviomagum, nunc inter Moguntiacum & Noviomagum Nemetum, vocatur *Borgetomagus* in tabula Theodosiana vel Peutingeriana, & inter Bonconicam ac Noviomagum ponitur. Appellatur quoque Vangionum civitas a Sulpitio in lib. 1. de vita S. Martini, aliisque, nec non urbs Vangionum; & in annalibus Bertinianis, in rebus anni DCCCXLIII. *Vangium* corrupto & truncato nomine pro *Vangionum*.

Vangiones autem a Cæsare, a Plinio, a Tacito, atque Ptolemæo, una cum Nemetibus memorantur, populus Germaniæ, qui transito Rheno, sinistra fluminis ripa consedere, de quibus notissimus est Lucani versus in lib. 1.

Et qui te laxis imitantur Sarmata bracis
Vangiones :

Eorum duæ sunt urbes ad Rhenum, inquit Ptolemæus, altera *Borbetomagus*, vel *Borvetomagus*, quæ & primaria; altera Argentoratum, ambæ in superiori Germania, quæ & provincia Germanica prima nuncupatur. Denique in veteribus notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, nunc simpliciter & absolute *civitas Vangionum* inter provinciæ Germaniæ primæ civitates quarta & ultima dicitur, modo *civitas Vangionum Wormatia*, nunc *civitas Vangionum*, id est *Warmatia* vel *Guarmatia*, alias *Garmatia*.

Ceterum ea civitas a Moguntia sua metropoli distans in Austrum supra sex millia passuum Germanicorum, subdita fuit olim Trevirensibus, postea Romanis, quæ quidem primum a Vandalis, duce Godegesilo, subversa, deinde ab Attila Hunnorum rege, non ante Clodovei regis Francorum tempora restaurata fuit. Sane illius eversionis a Vandalis factæ meminit S. Hieron. in epist.* ad Agerochiam : *Vangiones longa obsidione deleti.*

* XI.

Urbem hanc, quæ per suos magistratus, sub tuitione Electoris Palatini, regitur, Ligurius ita describit, lib. 1. ubi agitur de Friderico I. imperatore:

Vormaciam petiit, medio quæ gurgite Rheni.
Gallica Germanis opponit rura colonis;
Utraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piscibus atque feris & cunctis rebus edendis.

Et Otho Frisingensis: *Imperator proximum natale Domini Vormaciæ celebravit; ea namque regio, quam Rhenus nobilissimus fluvius intersecat, ex una ripa Galliæ, ex altera Germaniæ limes, frumento & vino optima est, venationibus & piscationibus copiosa; habet enim ex parte Galliæ vicinum Vosagum, & Ardennam ex parte Germaniæ, silvas non mediocres.*

Mitto plures ea in civitate a Regibus Cæsaribusque habitos conventus, nuptias celebratas & coacta concilia; quam demum novissime, anno scilicet 1689. Galli pene exciderunt. Jam vero quod ad rem ecclesiasticam spectat, propugnat Cointius Vormatiensem episcopum pro temporum vicissitudine varios agnovisse metropolitas; ac primo quidem Moguntinum primæ Germaniæ metropolitam coluisse, deinde Coloniensem tunc metropolitam utriusque Germaniæ, postea Trevirensem, metropolitam cum Belgicæ primæ, tum utriusque Germaniæ; denique sub Clodovei principatu factum esse ipsummet utriusque Germaniæ metropolitam, sola Belgica prima ex antiquissimo jure penes Trevirensem relicta, eoque beneficio potitum esse Vormatiensem, donec tandem an. 746. ad ecclesiæ Moguntinensis obedientiam reversus est. Sed hæc non tam probantur, quam adducuntur, ut infra, saltem quoad hoc ultimum, in Gervilione episcopo n. VIII. videbitur.

Ceterum cathedralis ecclesia S. Petrum tutelarem colit; novemque tantummodo canonicis, ut vocant, capitularibus constat, totidemque domicellaribus, inter primos computatis præposito, decano, custode, cantore & seniore. Georgius Helwichius scripsit annalium Vormatiensium prodromum, hoc est Vormatiensis chronici futuri brevem narrationem, secundum seriem Episcoporum *in quarto Moguntiæ 1615.*

EPISCOPI VORMATIENSES.

ANNI CHRISTI

I. VICTOR.

HIC appellatus *Vangionum episcopus* interfuisse dicitur concilio Agrippinensi, anno 346. de qua tamen synodo inter eruditos disceptatur; at ex Athanasio in apologia adversus Arianos & ex ipsismet actis concilii Sardicensis
347. an. 347. constat ipsi adfuisse Victorem.

II. AMANDUS I.

Vixisse traditur Merovei & Childerici regum temporibus, qua ætate, ait Cointius, Vormatiensis ecclesia Trevirensi tanquam Belgicæ primæ & utriusque Germaniæ metropoli subjacebat. De eo feruntur hi versus:

Præsul amavit oves proprias & pavit Amandus,
Idcirco superis semper amandus erit.
Ille Deum docuit ardenter Amandus amandum,
In nobis igitur semper amandus erit.

III. CAROLUS.

IV. S. GROTALDUS, *seu* CROTOLDUS.

Vormatiensi præfuit ecclesiæ circiter annum
503. 503. ut affirmat Demochares de divino missæ sacrificio: *In urbe*, inquit, *Vormatia egregium templum condere cœpit Crotoldus pro 12. monachis & præposito gubernatore. In hoc*, addit, *templo adhuc hodie apparet ejus imago parietibus appicta, & diademate ornata, in quo & sepultus creditur.* Ipsum vero factum esse utriusque Germaniæ metropolitam testatur Cointius, penes quem sit fides: at certe de Crotoldo epigramma sequens legitur:

Pone jacet sanctus Crotoldus in urbe sepultus,
Cujus fama patet, laus quoque vera Deo;
Spargere qui studuit divina semina verbi,
In cœli regno semina læta metet.

V. S. AMANDUS II.

Habet templum parochiale in suburbio, corpus tamen adservatur in æde cathedrali, ejusque festum die 26. Octobris celebratur. Ita Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis, lib. 1. cap. 5. Nominatur autem in diplomate Dagoberti civitatem *Laudenburg* ad Neccarum fluvium cum suis omnibus adjacentiis Vormatiensi ecclesiæ tradentis anno regni sui sexto, pridie cal. Octob. Ch. t. col. 451.
hoc est an. 627. Qua de causa S. Amandum sancto Ruperto præponimus. 627.

VI. S. RUPERTUS, *sive* RUDBERTUS.

Antea monachus Benedictinus, ex Bucelino, legitur plurima passus ab incolis, qui adhuc idololatriæ dediti erant. Quibus cum prodesse non posse videret, invitante Theodone Bajoariæ duce anno circiter 697. ad Bajoarios transiit verbum Dei prædicaturus, & postea primus fuit Juvaviensis seu Salsburgensis episcopus, sepultus in ecclesia S. Petri. Vita ipsius habetur, tom. 6. antiq. Lection. Canisii & apud Surium die 27. Martii. Vide metropolim Salsburgensem tom. 1. Monachi editam anno 1620. Consule etiam Cointium

ANNI CHRISTI

Cointium annal. tom. 2. Henschenium in mense A Martio, ac denique Mabillonium secul. 3. Bened. p. 1. pag. 341. & annal. tom. 1. ad an. 696. n. 50. ubi quod dicitur, Rupertum a Theodone duce in Bajoariam fuisse accersitum anno 2. Childeberti regis, interpretatur de Childeberto III. non de Childeberto II. uti plerique Recentiores.

VII. Geroldus.

VIII. Gervilio & Gervilius, *seu* Gewiliebus.

Hi duo, pater & filius, fuere quidem episcopi Moguntini, sed non ita certum, utrum etiam B Vormatienses. At certe haud vero similis est illorum sententia, qui propugnantes hunc simul archiepiscopum Vormatiensem & episcopum Moguntinum, Vormatiam ideo dicunt privatam fuisse jure metropolitico, idque attributum Moguntiæ, quod interfectorum patris occidisset; cur enim altera sedes ejusdem nocentis afficiatur pœna, altera decoretur!

IX. Vernharius.

Ex abbate Albi-castri, *seu* Weissenburgi, Vormatiensis ecclesiæ regimini admotus est in annos 23. quibus exactis e vita migravit præsul opti- C
766. mus an. 766. sepultusque est ad S. Andream in suburbio.

X. Folcwicus & Folcuinus.

Idem etiam Woltwicus appellatus, & ipse prius abbas Weissenburgensis, sedebat in cathedra
772. Vormatiensi an. 772. ex chronico S. Arnulfi; sub quod tempus, an. 770. ex Bucelino, Carolus magnus synodum habuit in urbe Vormatia & inde perrexit in Saxoniam prima vice. Ibidem magnus habitus est conventus ab eodem Carolo an. 776. ad Saxones rebellantes domandos proficiscente; ac denique 787. ubi actum de Tassi- D lonis Bajoariorum ducis perfidia, retrusione in monasterium punienda. Quando Folcwicus obierit, quotve annis episcopatum tenuerit, nemo prodit. Jacet in virginum cœnobio Montis S. Andreæ juxta suum antecessorem.

X. Erenbrechtus & Erenbertus.

Dictus etiam Ebrimbechius & Ehrenbrandus, cum & ipse quoque clareret abbas Weissenburgensis, in episcopum Vormatiensem electus est. Sane Vangionibus præfuisse legitur anno Christi
798. 798. in diplomate Caroli Magni, quo Dagoberti donationem S. Amando factam, ratam habet & inconcussam; & hoc ipso anno exstinctus dicitur.

XII. Bernhardus & Bernharius, *seu* Perinharius.

Quartus hic est continuus ex abbatiali apud Weissenburgum dignitate ad episcopalem Vormatiensem sublimatus. Florebat autem an. 799.
799. quo Leonem papam redientem Romam, cum aliis novem tam archiepiscopis, quam episcopis comitatus est, ubi cum sociis suis per integram hebdomadam inquisivit de criminibus eidem summo pontifici a Paschali impactis, a quibus immunem eum judices a Carolo designati pronuntiarunt. Ipsius tempore jam mos invaluerat in monasteriis, ut in agrestes ecclesias eis subjectas mitterentur a monachis presbyteri, qui eas regerent; anno igitur 806. Hornbacenses Metensis diœcesis ascetæ, qui in episcopatu Moguntino quasdam possidebant ecclesias, ad unam earum presbyterum quemdam, nomine Macarium, misere, ut ibidem solito more officium peragerent, sed a Riculfo archiepiscopo, cui Bernharius Vormatiensis episc. contra presbyterum scripserat, prohibitus est. Causam ultionis sic narrant Hornbacenses in epistola eidem archiepiscopo supplici, in qua ejus rei, id est prohibitionis, causam ignorare se dicunt, nisi a Bernhario episcopo Vormatiensi quiddam pietati illius suggestum sit, forte quod presbyter unum *caballum* ab eodem episcopo ad se missum, ex suo stipendio pascere noluisset. Ceterum an. 809. 809.
cum Adelhardo Corbeiensi abbate Romam missus est ad Leonem papam pro definienda quæstione processionis Spiritus sancti, quæ ventilata fuerat in concilio Aquisgranensi. Idem an. 811. illo- 811.
rum unus fuit episcoporum, qui Fuldam convenere jussu Imperatoris ad Fuldenses monachos cum abbate suo Ratgario reconciliandos. Adfuit an. 813. die 9. Junii concilio Moguntino; ne- 813.
que dubitandi locus est, quin etiam illi magno tum episcoporum, tum procerum cœtui Vormatiæ coacto a Carolo Magno interfuerit, in quo genibus flexis eidem Imperatori a laïcis supplicatum est, ne in posterum episcopi & presbyteri cogerentur adesse in castris regiis, exceptis duntaxat paucis ad benedicendum & reconciliandum. Ibidem quoque celebratus est conventus an. 829. in quo præsertim judicium aquæ frigidæ, prius tanquam actus religiosus, usurpatum, prohibetur. Denique an. 833. Bern- 833.
harium Ludovicus imperator ad filios suos rebelles misit, ut eos ad pacem revocaret. Obiit vero circa an. 834. De quo Eginhardus sub an. 809. annales Laureshamenses emendati ex codice MS. Georgii quondam cardinalis de Arminiaco, Bertiniani quoque, Metenses, ac Fuldense, necnon chronicon Alberici.

XIII. Fulconius & Fulconinus, *seu* Fulcanus & Fuchro.

Subscripsit anno circiter 834. permissioni datæ in concilio Senonensi, præsidente Aldrico E Senonensi archiepiscopo, de abbatia S. Remigii Senonensis ad Varellias, *seu* Vallilias transferenda, ubi sic habetur: *Ego Fulconinus Warmatiensis episcopus indignus.* Mortuus traditur anno 838. de quo Rabanus epigrammate 48. *Spicil. t. 2. pag. 583.*

XIV. Samuel, *al.* Simeon.

Fuit aliquando Rabani studiorum socius in Turonensi sub Alcuino magistro academia, & in Fuldensi magisterii consors; quod munus etiam episcopus exercuit. Utrumque patet ex Rabani carmine:

ANNI CHRISTI

Quondam namque meum gaudebam te esse sodalem
Inter Lectores, frater amate mihi.
Nunc quoque te gratulor retinere jura magistri,
Crescere virtute, patris habere locum.

Paulo prius vero quam episcopus esset, electus
838. est an. 838. in abbatem Laureshamensem, cujus
a puero insignis alumnus erat, statimque hoc
ipso anno ad Vormatienses insulas vocatus est,
retenta monasterii cura. Subscripsit autem an.
840. 840. edicto Lotharii imperatoris pro restitutione
Ebbonis archiepiscopi in sedem pristinam
Remensem. *Actum in Engilenheim palatio publico,
in mense Junio, VIII. cal. Julii.* Idem sub
hoc tempus Neuhusanum juxta Vormatiam coenobium,
olim a Dagoberto Francorum rege in
honorem S. Dionysii fundatum restauravit, &
ex reliquiis S. Cyriaci martyris Roma jam pridem
per imperatorem Ludovicum Pium illuc
allatis sumta occasione, in ejusdem sancti, necnon
Salvatoris nostri, Deiparæque virginis honorem
847. de novo consecravit an. 847. indict. XI.
decima-quinta die mensis Octobris. Quo etiam
anno inter Rabani suffraganeos, qui Moguntino
interfuere concilio, recensetur. Denique Samuel
episcopus & abbas annis septemdecim in utriusque
ecclesiæ regimine completis, cum coelesti
vita terrenæ hujus commutationem fecit anno
855. post Christum natum 855. septimo idus Febr.
ex necrol. Laurisham. ubi dicitur episcopus &
abbas, aliis tamen, sed paucioribus, X. *vel* XI.
Febr. & quidem ex Bucelino, an. 856. pro varia
scilicet annum inchoandi ratione. Sepultus est
in monasterio Laureshamensi, unde postmodum
ejus ossa Eberhardus comes Hirsutus de Beyemburg
episc. Vormatiensis an. 1273. XVI. calend.
Junii, vel secundum alios XVII. cal. Julii, capsa
plumbea inclusa in Neuhusanum supradictum
S. Cyriaci collegium transtulit, eaque ante aram
S. Crucis collocavit.

XV. Gunzo & Gunezo, *seu* Guazo & Gunto.

857. Is vitæ sanctitate notissimus interfuit an. 857.
calendas circiter Octobris Moguntinæ synodo, &
868. an. 868. die 16. Maii Vormatiensi, ubi responsa
Ratramni ad objecta Græcorum approbata sunt; &
quidem digna sunt quæ laudentur. Addit alteram
Demochares Vormatiæ habitam an. 858. quarum,
inquit, duarum exstant decreta in Gratiano. Vita
869. functus est Gunzo an. 869. XIV. cal. Dec.

XVI. Adelmus.

874. Idem est haud dubie ac Adalelmus, qui 874.
cum Liuperdo Moguntino archiepiscopo & Gebehardo
Spirensi præsule adfuit conventui Ingelheimensi,
888. & an. 888. subscripsit concilio
Moguntiæ celebrato; ac proinde falluntur Bruschius,
Bucelinus, Demochares, & cum ipsis
Sammarthani, dum ipsius mortem consignant
an. 873. die 7. Januarii. Hoc autem anno ictus
fulminis Vormatiam combussit, ex Augiensi
chronico, tom. 1. Miscellan. Baluzii, pag. 498.
Sepultus est in cathedrali templo Vormatiensi.

A

XVII. Dierlachus, *vel* Theodelaus.

Adfuit concilio Triburiensi an. 895. ac for- 895.
tasse Vormatiensi, quod anno circiter 890. indictum
fuerat pro causa Hermanni Coloniensis
& Adalgarii Hamburgensis præsulum, qui de
ecclesia Bremensi disputabant. Sane is est Thidelacus
episcopus memoratus an. 912. X. cal. 912.
Septembr. in charta Conradi regis pro coenobio
Laureshamensi. Obiisse dicitur an. 914. die 1. 914.
Septemb. Imperatoribus carissimus, cum præfuisset
annis 41. ac Vormatiæ sepultus est.

B

XVIII. Richoo, Richavo, Richovo; Rihgonno & Richinus.

Hunc Demochares a majori parte canonicorum
an. 914. electum tradit, contra Liutherum
abbatem Laurissensem, confirmatumque a summo
pontifice & Conrado imperatore. Certe Riawdo
episcopus Vangionum cum Herigero archiepisc.
Mogunt. testis est an. 921. ex parte Henrici
Germaniæ regis in pacto Bonnensi inter Carolum
Simplicem Franciæ regem & hunc Henricum
inito; idemque nominatur in synodo Confluentina
an. 922. Prius quidem legebatur an. *912.* 922.
sed mendose; huic enim coetui adsuit Henricus
C rex Germaniæ, quem constat regnum non esse
adeptum ante an. 919. Præferendus ergo Burchardus
scriptor antiquior, qui annum hujus
concilii esse dicit 922. Ivoni, qui 912. assignavit.
Reperitur etiam in capitularibus an. 926. 926.
& in diplomate Othonis imperatoris 947. sedit 947.
autem anno seq. in concilio Engilenheimensi, ac
tandem e vivis excessit 10. Octob. an. 950. 950.
ex annal. Saxon. & chron. Reginonis, *vel* 949.
uti legitur in excerpto necrologii Fuld. apud
Leibnitium, tom. 3.

XIX. Anno.

D Hessus patria, ex abbate, *al.* monacho tantum
S. Maximini Trevirensis abbatiæ, ac deinde abbate
novæ Bergensis, *seu* Pergensis, quam Otho magnus
extra muros Magdeburgenses prope Albam fluvium
exstruxerat, ab eodem Othone an. 950.
accersitus est, ut episcopatui Vangionum præesset,
Sedit an. 952. in synodo Augustana, *vir eximie* 952.
sanctus a Bucelino dictus, in cujus gratiam idem
Otho magnus hunc episcopatum non mediocriter
ditavit. Numeratur etiam illos inter episcopos,
quibus consultis, an. 964. III. idus Nov. Leo VIII. 964.
Benedicti papæ æmulus dedicationem sacelli Deiparæ
matris apud Heremitas, ante annos sexdecim
E angelorum ministerio factam confirmavit, ex
Guillimanno in episc. Argentinensibus, pag. 159.
Verum illa charta suspecta esse debet, quando in
ea memoratur Gatto tanquam archiep. Mog. qui
hanc sedem non assecutus est ante an. 968. Anno
demum in pace quievit die 24. Dec. anni 974. ex
Demochare, Bucelino & Sammarthanis, ubi tamen
legendum videtur 964. nam Erpho, qui sequitur,
Vormatiensis episcopus octo inter illos episcopos
nominatur, qui an. 968. cum totidem abbatibus,
Othonis magni jussu, monasterii S. Galli visitationem
juridicam instituerunt. Ita Ekkehardus capp.
10. & 11.

ANNI CHRISTI

XX. Erpho I.

968. Sedebat ex modo dictis an. 968. si non fallit Ekkehardus.

XXI. Hildeboldus & Hildebaldus.

Annonis superioris frater eidem successor datus esse dicitur die 5. Januarii an. 975. vir eximia
976. pietate & eruditione clarus. Anno seq. nominatur arbiter una cum Theoderico Metensi episc.
Tom. 1. Anecdot. Martenii, pag. 101. motæ super navigatione & usu amnis Hursillæ controversiæ inter Werinherium Fuldensem & Gozbertum Hersfeldensem abbates. Idem anno
986. 986. privilegium ab Othone III. imperatore obtinuit pro S. Remigio. Memoratur & an. 988. indict. 1. quarto idus Octobris in diplomate ejusdem imperatoris pro cœnobio Morbacensi;
992. & an. 992. XVII. cal. Nov. ecclesiam Halberstadensem cum duodecim aliis præsulibus consecravit, ex chronico Saxonico. Is etiam est haud dubie Hildeboldus, *seu* Hildibaldus, episcopus & cancellarius, qui vice Willigisi archiepisc. tria ejusdem Othonis diplomata recognovit, primum 980. pro eccl. Leodiensi, alterum pro Gorziensi monasterio 982. tertium denique pro S. Remigio 993. ac post biennium cum eodem Willigiso Moguntiæ archiep. obtinuit confirmationem privilegiorum Corbeiæ-novæ III. cal. Aug. ex Mabil. ad an. 995. n. 13. Tria insuper alia ejusdem Othonis diplomata ann. 995. 96. & 98. recenset Georgius Helwichius pro Einsidlensi monasterio, ex quibus patet eum adhuc vixisse an. 998. contra quam opinati sunt Demochares, Bucelinus, Miræus & chronographus Saxo, quorum ille mortem ejus illigat an. 993. 4. Aug. Bucelinus 996. Miræus autem & chronographus Saxo 997. Ceterum Demochares eum in collegio Neuhausensi ante aram S. Petri docet tumulatum.

XXII. Franco.

Is natione Hessus, multum laudatus ab auctore vitæ S. Burchardi, de quo paulo infra, plurimum carus fuit Othoni III. imperatori, qui eum suis intimis consiliis adhibebat ob notam ejus prudentiam, atque etiam sanctitatem. Hinc eum Franco in secundo itinere Italico an. 998. comitatus est; amboque per quatuordecim dies in quadam crypta ecclesiæ S. Clementis orationi & pœnitentiæ operibus incubuerunt, quo tempore Deus Franconem de morte proxima certiorem fecit; quod ipse Imperatori noluit dissimulare. Otho vero cum lachrymis eum rogavit, ut suum designaret successorem. Tum igitur fratrem suum Burchardum indicavit, ac paulo post Romæ diem clausit extremum die 4. Sept. de quo vide Baronium ad an. 999. n. 10. hoc enim anno eum mortuum putat. Sane vero ad hunc saltem annum pervenit, ut pote qui nominatur in charta Silvestri papæ cum Willigiso archiepiscopo, qua privilegia Laureshamensis abbatiæ confirmat mense Octobri ind. XIII. quæ anno millesimo respondet, ex chronico Laureshamensi. Unum ei duntaxat regiminis annum attribuit chronicon Saxonicum ad an. 997.

XXIII. Erpho II.

Ut hunc admittamus episcopum, fides sit
A penes anonymum vitæ S. Burchardi auctorem, quem Demochares, Bucelinus & alii sequuntur. Erpho, inquit, datur episcopus ab Othone immemore promissi de Burchardo Franconi subrogando, qui pecunia intrusus, Romæ post triduum subitanea morte decessit, ac prope Franconem sepultus est. De eo & ipsius successore sic habet chronicon Saxonicum: *Voluit quoque Imperator Erponem de Halberstat & Razonem de Bremin episcopali gradu sublimare, quibus oppressis gravi infirmitate pastoralem baculum in lecto jacentibus dedit, sed uterque sine unctione sacerdotali decessit. Hi quamvis justi & pii, tamen inter episcopos*
B *debent nullatenus adscribi, quia in benedictione sacra his consortes fieri non valuerunt.*

XXIV. Razo & Raizo.

Vir nobilis, Imperatorem in Italiam secutus, Romæ ab eodem episcopus nominatur, qui dum Vormatiam contendit, in itinere moritur Churæ, post electionis suæ confirmationem diebus 14. Vide quæ supra diximus in decessore.

XXV. S. Burchardus.

Hic primum canonicus* Leodiensis, tum vero, ait Demochares, monasterii S. Victoris extra muros Moguntinos præpositus a Willigiso ar-
C chiepiscopo constitutus, quem deinde Franco ipsius frater ab Othone successorem postularat, duobus tandem, qui hanc sibi dignitatem præripuerant, e medio sublatis, post Cæsaris in Germaniam reditum, Vormatiensis antistes renuntiatur. Eum subinde Heiligenstadii consecratum fuisse ab eodem Willigiso archiepiscopo tradunt Demochares & Georgius Johannis in suis nuperis ad Serarium observationibus, sed male an. 997. die 8. Martii, cum nondum, ex dictis, obiisset Franco, sed melius fortasse 1002. quo Martii dies octava in Dominicam incidebat. Postea Burchardus in loco, qui dicitur *Bruch-*
D *fella*, S. Pauli canonicorum 20. collegium condidit, & alia plurima dotavit. Idem etiam vitam communem canonicorum suorum instituit, vitamque regularem in monasteriis S. Cyriaci & S. Andreæ pene destructam renovavit. An. 1005. in loco, qui dicitur *Trotmanni*, habita est magna synodus, ubi Rex, episcopis & omnibus præsentibus, inter quos Burchardus, plurima ecclesiæ damnosa, communi eorum consilio prohiberi statuit, ex chronico Saxonico apud Eckardum, pag. 402. ubi & anno 1006. ordinatus episcopus dicitur. Sane hoc anno 1006.* interfuit 1006.
concilio Francofurtensi, in quo, rogante Henrico
E imperatore, actum est de Bambergensis ecclesiæ in Episcopalem erectione; & an. 1022. *aut* 1023. Seligenstadensi habito super ecclesiastica disciplina. Fuit autem Conradi Salici cancellarius & institutor, eique in primis carus. Sui ipsius, meminit anno 1012. inquiunt Sammarthani, 1012.
lib. 2. cap. 227. quod habetur c. 1. dist. 73. eodemque anno testis est in charta Henrici II. imperatoris pro abbatia Florinensi. Denique Anonymus in libello de vita Burchardi episcopi tradit, eum secessisse ad quamdam silvam, duobus a Wormatia milliaribus distantem, ibique

* al. monachus Laubiensis.

* al. 1007.

ANNI CHRISTI

collectarium canonum elucubrasse, Walterio Spirensi episcopo adjuvante, & Brunichone præposito exhortante, idque operis aggressum fuisse, *quia canonum jura, pœnitentiumque judicia in episcopatu suo omnino neglecta fuerant.* Addunt vero chronographi Laubiensis & Gemblacensis, Olbertum Laubiensem monachum, & postea Gemblacensem abbatem, præcipuum hujus operis adjutorem fuisse, quo certe magistro usus est Burchardus, etiam episcopus factus. Passim habetur hæc canonum collectio, sive ut vocari solet, *decretum*, in libros 20. distributa, cui præmittitur ejusdem vita in editione Coloniensi. De Burchardo legendus Sigebertus de viris illustribus c. 142. Trithemius, Bellarminus, Possevinus & Baronius pluribus locis, necnon Mabillonius in observationibus præviis ad vitam Olberti Gemblacensis abbatis, secul. VI. Bened. p. 1. pag. 598. & seq. Eidem Burchardo Alpertus monachus S. Symphoriani Metensis libellum de Diversitate temporum dicavit, apud Eccardum, tom. 1. p. 91. Ad superos abiit vir
1025. sanctus an. 1025. die 20. Aug. ex Demochare & Bucelino, qua die memoria ejus in fastis Benedictinis recolitur, 1026. ex Baronio, & 1024. 19. Aug. testante monacho Kirschgartensi in hæc verba: *Obiit anno Domini 1024. XIV. cal. Septemb. prout habetur in antiquo libro in libraria Vormatiensi, sepultus (in æde primaria) sub* altare S. Laurentii, tandem exhumatus; cujus ossa in quadam cista antiqua depicta posita sunt, quæ habetur supra altare majus in posteriori parte, & singulis annis in ejus anniversario reliquiæ ejus monstrantur, uti eas*, inquit Helwichius in prodromo annal. Vormat. *anno Christi 1614. die 27. Octob. vidi, chartamque appositam legi, his verbis inscriptam: Heu, heu carissimi, magnum festum decens esset obtinere de Burchardo, tertia die ante festum Nativitatis Mariæ Virginis; propter passionem præsul Burchardus heu non est canonisatus, hujus fundator templique reædificator.* Ipsius epitaphium tale est:

* ante.

Robora Burchardus ex nomine denotat artis,
Et quod nomen habet, maxima facta probant.
Vangio nam per eum fossas, & mœnia, turres,
Ædificat rursus, depopulata prius.

XXVI. Hazeco.

* DE NASSAU.

Anaxovianus comes, *seu* Nassovius, Conrado imperatori & Giselæ carissimus, inauguratur episcopus ex Sammarthanis post Democharem,
1025. die 5. Dec. an. 1025. & post biennium adfuit celeberrimæ synodo Francofordiensi. Decessit vero
1044. 1044. die 7. Jan. ex Lamberto Scafnaburg.

XXVII. Adalgero, *sive* Adelgerus.

Imperii cancellarius, & supremus aulæ consiliarius, præfuit tantum quinque mensibus, quo tempore, an. 1044. ind. XII. pridie nonas Maii diploma Henrici III. pro S. Laurentio Leod. recognovit vice Bardonis archicancellarii. Sub eo, inquit Demochares, cessavit in clero Vormatiensi vita monastica, prorsus in secularem conversa; quanquam brevi tempore præfuit, ex Lamberto Scafnaburgensi, nimirum a mense Martio anni

A 1044. ad mensem Augustum ejusdem anni, quo mortuus est, Helwichio teste.

XXVIII. Arnoldus & Arnolfus.

Vir insignis modestiæ ac pietatis, cujus temporibus apud Vangionum urbem, præsente Henrico III. imperatore, celebratus fuit conventus episcoporum simul & procerum, in quo Bruno tunc episcopus Tullensis electus est Papa. An. 1057. ind. x. pridie nonas Aprilis, *lege* III. 1057.
nonas, feria quinta septimanæ Paschalis subscripsit cum aliis episcopis & principibus sententiæ latæ in Udalricum militem ob usurpatum prædium *Scerstein* juris ac dominii cœnobii S. Michaëlis
B Bambergensis, ex antiquitatibus hujus cœnobii apud Schannatium libro cui titulus *Vindemiæ litterariæ*, pag. 43. Obiit Arnolfus an. 1065. 1065.
die 1. Junii ex Lamberto Scafnaburgensi, 1064. ex Trithemio, cum laudabiliter præfuisset annis viginti & mensibus octo. Sanctitatem ejus haud obscure innuit visio S. Annonis archiepiscopi Colon. de qua apud Lambertum Scafnaburg. ad an. 1075.

XXIX. Adelhero, *vel* Adalbero, *sive* Adelbertus I.

Hic monachus ex monasterio S. Galli, frater
C Rudolfi ducis & postea Cæsaris, uno pede omnino debilis, vir omnino dignus spectaculo, teste Lamberto, ut pote vir fortitudinis ingentis, edacitatis nimiæ, adeoque crassitudinis tantæ, ut videntibus horrorem incuteret; qua crassitudine, ut fertur, præfocatus, post annos quinque interiit. Hæc fere Lambertus ad an. 1065. Aliam tamen de eo sententiam ingerit ipsius Adalberonis epitaphium apud Democharem, in quo fervens & sincero pectore fuisse dicitur, & Vangiones rectam fidem tenere docuisse, atque ita vixisse, ut astra mortuus adire meruerit. Electus porro dicitur a Demochare 23. Octob. 1065. &
D obiisse 6. Augusti an. 1070. Trithemius habet 1070.
1071. Conditus est in eccl. cathedrali Vormat.

XXX. Adalbertus, *seu* Adelbertus II. & Adelbrandus.

Electus est an. 1070. sive, ut loquitur Demochares, constitutus est ab imperatore Henrico IV. de quo Paulus Bernriedensis in vita Gregorii VII. papæ. Memoratur an. 1073. in chronico 1073.
Saxonico apud Eckardum, ubi fautores inter Saxonum & Thuringorum contra Regem annumeratur. Porro ejus temporibus, an. 1075. *al.* 1076. in septuagesima habita est pseudosynodus Vormatiæ indicta ab Henrico rege,
E quem exasperarant Gregorii VII. legati, excommunicationem ei nomine Pontificis comminantes. Itaque Rex de se actum intelligens, quamdiu Gregorius sanctam obtineret sedem, ejus depositionem hoc in conventu frequenti conclamari curavit, nullis pene episcoporum adstantium obsistentibus. Attamen aliquandiu restiterunt Adalbero Witzeburgensis & Herimannus Metensis, contra canones esse dicentes, absentem episcopum, quanto magis Romanum pontificem sine legitimis & idoneis accusatoribus & testibus condemnare, sed urgente Willelmo Trajectensi

episcopo, ceteris de Gregorii dejectione consenserunt, & nomine omnium episcoporum & abbatum scriptæ sunt litteræ, plenæ contumeliarum, quibus denuntiabatur Romano pontifici, ut pontificatu, quem contra ecclesiasticas leges usurpasset, se abdicaret. *Commode vero tantis rebus conficiendis intervenit quidam ex cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus*, inquit Lambertus, a quo hæc sumsimus, *quem ante paucos dies propter ineptiam ejus & mores inconditos Papa de statione sua amoverat, deferens secum de vita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilem tragædiam, &c.* quæ legere est tom. x. concil. col. 354. & 1831. At vicissim paulo post Gregorius in Romana synodo anathemate percussit hujus conventus schismatici antesignanos, ipsumque Regem, *interdicens ut nullus ei sicut Regi serviat:* quod nunquam prius ab ullo papa factum asserit Otho Frisingensis, lib. I. de gestis Friderici cap. I. Ceterum Adalbertus noster unus fuit ex præsulibus & proceribus, qui coitione facta Ulmæ, indixerunt conventum Triburiensem an. 1076. ubi de ejiciendo Henrico rege, alioque in ejus locum subrogando deliberatum est. Quapropter ab Henrico urbe sua pulsus est, sed paulo post ad eam redire permissus. Rursum tamen eum legimus an. 1078. in prælio captum ab eodem Henrico, non autem occisum ut habet chronicon Stederburgense, & in custodiam missum, in qua detinebatur adhuc an. 1080. prout legati Rudolfi regis asserunt coram concilio Romano, ex vita Gregorii VII. papæ secul. VI. Bened. p. 2. pag. 450. Tandem vero ereptus 1082. invito Henrico, inter præsules recensetur, qui per se, vel per legatos concilio Quintilemburgensi subscripserunt an. 1085. Et quidem non nisi per legatos subscripsit, ex D. Fleury in sua historia ecclesiastica.

Hic porro se se offert difficultas, nempe Dictmarus, *seu* Dietmarus Vormatiæ episcopus tam in chronicis Wirziburgensi, tom. I. Miscellan. Baluzii, pag. 516. & Saxonico apud Eckardum, pag. 567. quam apud Dodechinum, hoc anno 1085. legitur exstinctus, cum tamen Adalbertum consentiant omnes ad diem 6. Julii
1108. an. 1108. pervenisse. Et certe habetur Adalberti Vangionum antistitis diploma, testante monacho Kirschgarsensi, c. 26. pag. 76. & seq. relatum a Georgio Christiano Johannis in suis ad Serarium observationibus, t. I. pag. 534. quo manu propria firmissime reddit collegio S. Cyriaci *Nuhusen* Christo famulanti villam *Larlewersheim** cum omni utilitate, agris, vineis, pasturis, *quæ prædecessorum*, inquit, *meorum negligentia, & quorumdam detestabili plurimis diebus ablata est violentia, quorum utique hæc traditio facta est a me, suggerente mihi & supplicante Adelberto cancellario regio, supradicto loco Nuhusen præposito, anno Incarnationis Dom. MCVI. ind. XIV. gloriosissimi regis Henrici V. an. I. suæ vero ordinationis anno 37.*

* al. Sarlesheymium.

Fortasse igitur iste Dietmarus fuit quasi interpontifex datus ab Henrico rege, quamdiu Adalbertus in custodia detentus est, postquam &
A Wintherus in abbatiam Laurishamensem jam jam intrusus, episcopatum quoque Vormatiensem simoniaco ambitu invasisset ab an. 1078. in annos tres, quibus exactis huic ultro dignitati nuntium remisit, uti legitur in Antiquitatibus Laurishamensibus. Idem quoque dicendum de Cunone episcopo Vormatiensi, qui subscriptus reperitur an. 1101. indict. IX. Henrici imperatoris præcepto in gratiam sanctimonialium Andennensium, apud Miræum notit. eccl. Belgii, pag. 274. & iterum, pag. 275. ubi Cono dicitur; vel certe fallunt tum prædictum chronicon Wirziburgense, tum Dodechinus, quando
B Diethmari mortem consignant an. 1085. quam quidem non Sammarthani solum, sed etiam Demochares ac Bucelinus nonnisi anno 1109. illigant. Sepelitur autem Adelbertus in medio Novenhusiensis cœnobii choro, cum hoc epitaphio:

Præsul Adelbertus Christi memor, & bene certus
Messis quæsitæ post hujus sem...a vitæ,
Prædia cum pace dedit ista tibi, Cyriace,
Botccheymium, Sarlesheymium, Wornuhdesheymium.

XXXI. Dictmarus & Dietmarus.

Obiisse dicitur anno 1109. de quo vide quæ modo diximus.

C

XXXII. Ebbo *vel* Eppo.

Ex monacho Laureshamensi, ac deinde Goslariensi canonico Vormatiensis antistes evasit, sed nondum erat 1090. ut habet chronicon antiquum hujus cœnobii, quo anno, inquit, repertum S. Nazarii corpus ingenti populorum multitudini spectandum & venerandum nonis Junii exhibuit. Primum enim an. 1109. hic Ebbo in episcopum Vangionum fuit ordinatus ex monacho Laurishamensi, ut tradunt annales Vangionenses. Ita quidem Georgius Helwichius in antiq. Laurisham. ubi prædictam cæremoniam
D Adelberto episcopo vindicat, chartæ anni 1106. a nobis superius allatæ innixus. Obiit Eppo anno sui regiminis 5. Christi vero 1115. de quo consule annales Vormatienses.

XXXIII. Buggo & Bucco.

Nobilis ab Achorn, Bucelino, contra quem, ait, Henricus V. Arnoldum quemdam fovit; Arnoldus tamen exsuli Buggoni an. 1131. libere cessit; Demochari vero, Buggo nobilis ab Achoro Bambagæ, prius ab imperatore Henrico V. præpositus Aschaffenburgensis constitutus, electus a majori canonicorum parte, & confirmatus a
E summo pontifice, consecratur ab Adelberto Moguntino an. 1120. testante monacho Kirschgarsensi, apud Georgium Christianum Johannis, lib. V. rerum Moguntiacarum, pag. 539. Arnoldum habuit competitorem annis 16. de quo exstant hi versiculi apud eumdem Democharem:

Arnoldus baculum nondum pastoris adeptus,
Buggoni cessit dans sua jura pio.
Pacis amatores cælesti pace fruantur,
Ambobus clemens sit genitorque Deus.

Falsum igitur est Buggonem anno 1118. idibus

ANNI CHRISTI

Junii ecclesiam suam pulcro tabulato lapideo renovatam consecrasse, cum nondum ipse consecratus esset; veriusque ista cæremonia an. 1120. peracta est, quo idus Junii in Dominicam diem
1122. incidebant. Ceterum, eo sedente, an. 1122. Vormatiæ habitus est conventus pro concordia Sacerdotium inter ac Imperium stabilienda. Hunc vero e sede sua pulsum jam multis annis, atque ab Adelberto archiepiscopo Moguntino apud se retentum honorifice, narrat Trithemius an. 1123. Et certe hoc anno Dominica *Quasimodo* ecclesiam & monasterium in Sponheim, vice ejusdem Adelberti dedicavit in honorem B. Mariæ Virg. & S. Martini episcopi Turon. Testis etiam est anno seq. indict. 2. in charta ejusdem Adelberti Meginhardum comitem monachis Benedictinis prædictum Sponheimense monasterium tradidisse approbantis. Quo etiam anno testis adhibetur in litteris ejusdem archiepiscopi pro S. Remigio apud Remos; & 1131. in concilio Mog. Idem quoque Buggo monasterium *Franckentall* non longe a Vormatia fundavit an. 1135. in quo fratres canonicos Regulares, in communi sub regula
1135. S. Augustini viventes collocavit, eisque affatim corporis necessaria suppeditavit. Cœnobium quoque sanctimonialium ejusdem religionis juxta præfatum monasterium *Franckentall* constituit, in quo multitudinem virginum Christo in castitate famulantium, provisis necessariis, posuit. Anno
1138. 1138. die 22. Febr. adfuit Confluentino colloquio, in quo Conradus in Romanorum regem electus est, ex gestis Trevirensium archiepisc. tom. IV. Veterum script. Martennii, pag. 290. ubi pro *Buggo* legitur *Bacus*. Anno seq. nominatur subscriptus diplomati ejusdem Conradi, qui tunc magnum Argentinæ conventum agebat, & an. 1140. testis est in charta ejusdem Conradi pro Stabulensi monasterio. Idem etiam Buggo nominatur 1145. in probationibus hist. Palatinæ, pag. 44. & anno seq. Bocco in diplomate Conradi imperatoris de restitutione abbatiæ S. Maximini facta Trevirensi archiepiscopo Adalberoni, ibidem pag. 46. Subscriptus etiam Buggo legitur privilegio Conradi pro Guillelmo Ebredunensi archiepiscopo an. 1147. tandemque mortuus dicitur an. 1151.* die 5. Dec. cum præfuisset annis 36. *al.* 35. sepultusque per manus Guntheri episc. Spirensis in Schonaugiensi monasterio, quod ipse de novo construxerat & consecrarat. Verumtamen sub Laurentiani chori cathedralis ecclesiæ Vormatiensis ara summa, in crypta subteranea, est sarcophagus oblongus ex lapide albo, in cujus operculi superficie hæc antiquioribus litteris inscripta se legisse an. 1611. 29. Sept. Georgius Helwichius testatur: *Hic jacet Buggo quondam istius loci episcopus.*

Tom. 4. Vet. script. Martennii, pag. 562.

* 1149. ex annal. Bosovienfibus apud Eccardum.

XXXIV. Conradus I.

DE STEINACH

Votis concordibus totius capituli Vormatiensis electus an. 1151. reperitur 1153. III. idus Junii ind. I. in diplomate Friderici imperatoris pro monasterio Balmensi, Vormatiæ dato, ex bibliotheca Cluniac. col. 1415. & iterum in prob. hist. Palat. pag. 52. & in notitia eccles. Belgii auctore Miræo, pag. 394. Idem anno 1154. latam præsentibus Hillino Trevirensi archiepiscopo & Ottone Campenbergensi abbate sententiam de decima in *Petresheim* in gratiam Gorziensis monasterii confirmavit; testes sunt Conradus præpositus & Henricus decanus. Memoratur etiam 1155. in charta Friderici I. imperatoris omnia Leodiensis ecclesiæ bona recensentis & confirmantis, ex instrumento ad calcem tomi 3. novæ Gall. Christ. col. 154. itemque an. 1156. in probationibus hist. Palat. pag. 50. & adhuc an. 1162. in ejusdem Friderici diplomate pro ecclesia Genevensi, tempore Arducionis episcopi; rursumque in alio præcepto, quod idem Imperator Arnoldo Colon. archiepiscopo concessit pro recuperandis prædiis ad mensam archiepiscopalem spectantibus, perperam in feudum datis. Præfuit autem summa cum laude annis 12. tandemque mortuus 19. Martii an. 1163. sepulturam nactus est in ecclesia sua cathedrali. Exstat ejus ad sanctam Hildegardem epistola, in qua suarum calamitatum meminit, ac ejusdem sanctæ consilium, orationumque suffragia humiliter petit. 1155. 1162. 1163.

XXXV. Conradus II.

Successit 1163. consensu totius cleri, inquit Demochares, qui tamen adhuc 1173. ind. VI. vocatur *Electus Vormatiensis* in charta Friderici I. imperatoris pro ecclesia Moguntina; quinetiam 1177. quo anno fuit unus ex legatis hujus principis ad Alexandrum papam III. pro ipsius reconciliatione & schismatis exstinctione, quod eo usque perseveraverat; eoque nomine subscripsit concilio Veneto ejusdem anni, ubi pax inter Fridericum & Papam inita est, *Ego C. electus Vormatiensis*, ac ibidem post ejuratum schisma absolutus est ab Alexandro III. Memoratur autem *episcopus* an. 1180. indict. XIII. in aurea bulla, qua Fridericus imperator Philippo Coloniensi archiepiscopo ducatum Westphaliæ attribuit. Exstat hoc instrumentum ad calcem tomi 3. novæ Gall. Christ. col. 135. Eum porro defunctum tradunt Sammarthani fratres post Democharem & Bucelinum, an. 1187. 18. Jan. quorum tamen omnium nonnihil suspecta debet esse auctoritas, quando Godefridus monachus S. Pantaleonis in suis annalibus, tom. I. rerum Germanicarum, pag. 260. episcopum Vormatiensem obiisse refert an. 1192. eique successisse Henricum protonotarium Imperatoris. Ceterum in choro Laurentiano summæ basilicæ sepultus est. 1173. 1177. 1180.

Mir. nova edit. pag. 1156.

XXXVI. Henricus I.

Ultrajectinus patria, Cæsarisque protonotarius, ex modo dictis, subscripsit 1193. diplomati Henrici imperatoris pro Guiranno Aptensi episcopo, & iterum ejusdem litteris fundationem & privilegia Bebenhusani monasterii eodem anno confirmantis; ac insuper in ejusdem principis & anni præcepto pro cœnobio Sprinckerbacensi. Traditur autem Fratres Prædicatores in urbem Vormatiam introduxisse, ac tandem obiisse 23. Dec. an. 1196. Sepultus jacet in medio choro suæ cathedralis ecclesiæ. 1193. 1196.

XXXVII. Lupoldus, *al.* Diepoldus.

Vetusta prænobilique Scheinfeldiorum, sive

ANNI CHRISTI Schonfeldiorum prosapia natus, ex præposito S. Cyriaci in Nuhausen eligitur episcopus anno 1197. pro nova inchoandi annum ratione; tabulas enim, quibus Schonaugiensibus prædium *Locheim* partim contulit, partim firmavit anno 1196. VIII. idus Febr. datas, scriptas dicit anno pontificatus sui primo; cujus etiam laudantur
1198. litteræ in gratiam ejusdem cœnobii datæ 1198.
1202. Dedit etiam an. 1202. quasdam ecclesias Waltero abbati S. Martini Glanderiensis, quarum alteram *de Grindestath* nuncupatam uniri monasterio permisisse dicitur. Item an. 1203. dictus *Vormatiensis electus* & etiam *Moguntinus*, Petro abbati Gorziensi ecclesiam *de Peternsheim* concessit. De hac autem archiepiscopali dignitate, præter ea, quæ supra diximus in Conrado secundùm archiepiscopo n. XVII. col. 481. ac etiam n. XVIII. *ibid.* audiendus Cæsarius, lib. 2. Dialogorum cap. IX. *Iste Lupoldus ita diabolicus erat, ut tempore schismatis, quod erat inter duos Reges, Ottonem scilicet & Philippum, cum sibi usurpasset episcopatum Moguntinensem ejusdem Philippi auctoritate, & multis interesset bellis, non parceret ecclesiis, non cœmeteriis; & cum milites sui ei dicerent, domine, non licet nobis spoliare cœmeteria, respondit: si ossa mortuorum tollitis, tunc primum cœmeteria spoliatis. Qui cum esset privatus ab officio & beneficio ab Innocentio papa, propter invasionem jam dicti episcopatus, auxilio Philippi fretus, collecto exercitu profectus est in Italiam, ipsum debellare, quem etiam in diversis locis, quod dictu horribile est, ardentibus candelis excommunicavit*, an. 1204. ex Trithemio.

1208. At vero 1208. cum jam occisus esset Philippus rex, Lupoldus, qui Moguntinensem, ut diximus, episcopatum, ejusdem regis auctoritate, sibi ab anno 1201. usurpabat, ab Ottone imperatore Philippi regis adversario, Moguntia non solum ejectus fuit, verum etiam Vormatiensi episcopatu privatus, & in exsilium missus, quinimo propter ejus sceleratam vitam ab Innocentio pontifice excommunicatus, quatuor annis omnino odiosus, in exsilio pœnas dignas
1212. luit usque ad annum 1212. Sifrido Moguntinensi archiepiscopo, Vormatiensem interim episcopatum regente, quoad Pontificis permissu, Friderici regis deprecatione, Vormatiam ab exsilio Lupoldus rediit. Adducam & ipsiusmet Lupoldi ea de re testimonium: *Habito*, inquit, *super hac ordinatione domini Moguntini Sifridi archiepiscopi consilio & deliberatione, qui eo tempore, quia extra terminos nostræ diœcesis, imo extra totius Imperii relegatus fueram, ordinationem a summo pontifice in nostro episcopatu habebat.* Et mox: *& ordinationem domini Moguntini, & factum dilecti domini nostri H. præpositi, petitionis sæpe dictæ ecclesiæ, & divinæ remunerationis intuitu, ratam & inconvulsam habui, & ut decuit, perfecte approbavi. Acta sunt hæc anno Domini MCCXII. IV. nonas Decemb.* Ceterum Lupoldus reperitur episcopus Vormatiensis in charta ecclesiæ collegiatæ S. Stephani Moguntini
1214. an. 1214. calendis Aprilis, ex chronico ejusdem ecclesiæ, apud Georgium Christianum A Johannis, pag. 536. Obiit an. 1217. ex omnium auctorum consensu, si Serarium excipias, & quidem XVI. cal. Febr. ex monacho Kirschgartensi. De cujus morte sic habet Cæsarius loco citato: *Vir iste sæpe & valde, ut jam dictum est, cecidit, nescio utrum surrexit in fine per contritionem: hoc scio quod legatio, in qua hominem deposuit, multæ dissensionis seminarium fuit.* Verumtamen hoc ipsius epitaphium a Demochare & aliis relatum non obscure notat ejus conversionem. ANNI CHRISTI 1217.

Bellicus antistes pugnace cohorte Lupoldus,
B *Imbelli movit bella cruenta Papæ,*
Auxilio fretus Regis quandoque Philippi.
Qui lupus ante fuit, denique factus ovis.

XXXVIII. Henricus II. DE SARBRUCK

Filius comitis de Sarapонte, cum tunc esset præpositus S. Cyriaci *in Nuhusen*, in locum Lupoldi Vormatiensis episcopi successit. Testis est an. 1220. in diplomate Friderici II. imperatoris pro principibus ecclesiasticis, ex notis ad lib. 3. vitæ S. Engelberti auctore Gelenio, pag. 204. Eodem anno quamdam decimarum portionem monachis S. Naboris, *seu* S. Avoldi largitus est. 1220.
C Incensa fuit anno seq. die S. Margaretæ igne fortuito media fere pars civitatis; eoque circiter tempore Henricum inter & cives gravis ob libertatem ecclesiasticam orta est dissensio, ita ut civitatem interdicto supponeret, omnemque clerum urbe præciperet exire, districte interdicens, ne sacramenta infirmis conferrent, neque mortuos ad sancta loca sepeliri permitterent, nisi pontifici in omnibus obedire velle, si convaluissent, pollicerentur. Attamen post anni circulum Francofordiæ restituta est concordia inter episcopum & cives III. cal. Martii an. 1223. per Sifridum archiep. Mog. Conradum 1223.
D episcopum Spirensem & marchionem Badensem. Exinde an. 1225. IX. calend. Apr. indict. XIV. 1225.
Henricus noster Ludovico duci Bavariæ & comiti Palatino Rheni in feudum tradidit castrum Heidelbergense: *Quia vobis*, inquit, *commisit Dominus potestatem, & dominæ Agneti uxori filii vestri, per quam Vormatiensem ecclesiam juvare potestis, & ei assistere in suis necessitatibus, ut ad auxilium & consilium tam nostrum, quam ejusdem ecclesiæ, tam vos, quam successores vestri, & dominæ Agnetis, qui per masculinum sexum descendunt, sitis perpetuo obligati, & vobis & successoribus dictis in feudum concessimus & assigna-*
E *mus, de communi consensu capituli nostri castrum in Heidelberg, cum burgo ipsius castri, &c. Acta sunt hæc Vormatiæ*, die & anno quibus supra. Idem anno seq. cœnobium ord. Cisterc. monialium *in Kirsgarten* extra mœnia civitatis a fundamentis erexit, ac de necessariis providit. Memoratur & 1228. in prob. hist. Palat. pag. 72. 1128.
ac 1229. apud Miræum novæ editionis p. 744. Civitas autem Vormatiensis an. 1234. die 22. Junii fuit succensa, cujus pars magna, non sine multorum ingenti dispendio civium, miserabiliter consumta est. Obiit Henricus hoc anno, die

Prob. hist. Palat. p. 70. & Mir. novæ edit. pag. 742.

ANNI CHRISTI

12. Septemb. honorifice in medio choro sepultus, cum hoc epitaphio:

Vangionum Henricus generosa a stirpe subortus,
Hac comes a Sarbruck dormio præsul humo.
Ac tamen everti (quia conspiratio facta est)
Funditus ipse meis civibus ante domum.

DE HOHENECK.

XXXIX. Ludolfus & Landolfus.

Antea decanus, electus concorditer in episcopum 1234. confirmatur a Sigefrido archiepiscopo, cum quo deinde an. 1242. inimicitias habuit; quo anno, die 13. Aprilis fortuitum incendium majorem Vormatiæ partem consumsit. Hic præfuit annis 13. *sive* 12. & mensibus aliquot, eoque temporis intervallo moniales ordinis S. Benedicti e cœnobio *Nonnenmunster* in suburbio civitatis, propter inordinatam ipsarum vitam expulit, & alias ex ordine Cisterciensi illuc introduxit. Migravit a seculo 1247. 8. Junii, vel die S. Medardi, ac in prædicti cœnobii choro sepultus est.

1243.

1247.

DE TURCKHEIM, *vel* DURCKHEIM.

XL. Conradus III.

Idem est, quem Helwichius etiam Cunonem vocatum scribit, ex quo duplici vocabulo duos Trithemius episcopos facit. Hic porro, sive Conradus, sive Cuno ex decano majoris ecclesiæ Moguntinæ, in locum Landolfi Vormatiensis episcopi an. 1247. subrogatus est; qui tricesimo post electionem die Novesium per Rhenum descendens, ibidem a pontificio quodam legato confirmatus ac consecratus fuit. Sed cum inde reverteretur, apud Laureacum in gravissimum morbum incidens, ibidem die 6. Octobris, quæ erat tricesima post adeptam a legato consecrationem, ex hac vita decessit; unde Moguntiam revectus, ibidem in ecclesia majori ante aram S. Petri tumulatus fuit.

DE THAUN, *vel* DE DUNE.

XLI. Richardus.

Eum patria Trevirensem Trithemius innuit, quando vocat eum *de Treveri.* Eligitur autem ab una canonicorum parte, & confirmatur a legato summi pontificis 1247. ex Demochare; cujus legati nomen habemus, & plura discimus notatu digna, ex epistola Innocentii IV. ad præpositum ecclesiæ S. Mariæ Rotundæ Metensis, tom. VII. Miscellan. Baluzii, pag. 475. quæ sic habet: *Nolentes ut dilectus filius R. electus Vormatiensis, de quo dilectus filius noster P. S. Gregorii ad Velum aureum diaconus cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus Warmatiensi ecclesiæ pastore vacanti dicitur providisse, super beneficiis, quæ tempore provisionis hujusmodi obtinebat, donec controversia super eadem provisione suborta finem acceperit, ab aliquibus molestetur, quem, obtentu dilecti filii nobilis viri Wirrici de Dune regalis curiæ marescalci, fratris ejusdem, dignum favore sedis apostolicæ reputamus, mandamus, quatenus denuntians auctoritate nostra irritum & inane, si quid a quoquam de prædictis ipsius electi beneficiis attentatum est hactenus, vel fuerit in posterum occasione præmissa, donec eumdem electum* A *corporalem possessionem prædictæ Warmaciensis ecclesiæ de jure vel de gratia contigerit adipisci, facias proventus beneficiorum ipsorum eidem electo, ubicumque fuerit, integre interim ministrari, ac si in ecclesiis, in quibus ea obtinet, resideret personaliter, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, non obstante contraria consuetudine, vel statuto, juramento, aut alia quacumque firmitate vallato, seu qualibet sedis apostolicæ indulgentia, de qua oporteat in præsentibus expressam fieri mentionem, & per quam hujusmodi gratia posset impediri, vel differri. Contradictores, &c. Datum Lugduni XV. cal. Aprilis anno sexto.*

B Nos, inquam, hæc epistola docet Richardum habuisse fratrem Wirricum de Dune regalis curiæ marescalcum, necnon in sua turbatum fuisse electione. Et certe contra hunc, electum ab altera parte ac majori præpositum Novenhusianum Eberhardum Hirsutum, comitem de Bayenbourg, *al.* de Bayenberg & Badenberg, Hessum, quem Sigesridus archiepisc. Mogunt. confirmaverit, Demochares tradit. Idem etiam propemodum habet Trithemius in chronico Hirsaugiensi recognito ad an. 1257. quo mortuus est Richardus, *qui multas*, inquit, *injurias a comite de Leyningen Emichone, toto pontificatus sui tempore sustinuerat.* C *Cujus quidem persecutionis causa fuit alter quidam Eberhardus de Badenberg præpositus S. Cyriaci mart. in Nuhusen prope Vormatiam. In electione namque memorati præsulis Richardi, quidam ex canonicis præfatum Eberhardum de Badenberg in episcopum elegerunt, qui a majori capituli parte repulsus, atque contemtus, contra verum pontificem animos gessit inimicos, quem supra dictus comes de Leyningen manu tenuit, & contra Episcopum multipliciter armavit. Omnes denique reditus & proventus extra Vormatiam cedentes pro suo antipontifice violenter detinuit, & episcopum injuste nimium afflixit,* ita ut exire Vormatia non auderet. D Ceterum Richardus circa an. 1247. consecrationi basilicæ S. Maximini Trevirensis adfuisse memoratur. Quo anno fœdus & amicitiam iniit cum aliis plurimis tam principibus quam episcopis & abbatibus, pro defendendo Guillelmo Hollandiæ comite in regem electo contra Conradum Friderici II. filium. Exstinctus est an. 1257. die 7. Nov. ex Demochare, die 8. ex Trithemio, sepultusque ante aram S. Crucis in summa basilica Vormatiensi.

Browerus, lib. XVI. §. XV. pag. 140.

1257.

HIRSUTUS DE BADENBERG.

XLII. Eberhardus I.

Antea, ut diximus, mortuo Conrado, per E discordiam electus est, quem demum, ait Trithemius, volentes communi utilitati & paci consulere fratres canonici, post decessum Richardi, communi voto in suum pontificem elegerunt. Mendum proinde est in littera C. pro qua legendum E. tom. IV. Veterum script. Martennii, pag. 469. ubi agitur de provincia C. & H. Vormatiensi & Spirensi episcopis ab Urbano IV. data, ut in quamdam Henrici electi Trevirensis transgressionem inquirerent, an. 1262. Indeque hæc nostra correctio firmatur, quod cum hunc electum cum prædictis episcopis inquisitoribus collusisse

ANNI CHRISTI

collusisse probare vellent, id ex adventu comitis Hirsuti ad curiam cum Electo clarum & confectum putent, *ibid. pag. 472.* Addit Trithemius multa cum bona fecisse ecclesiæ in Nuhausen, cujus erat præpositus, antequam ad episcopatum promoveretur, & habuisse cum Vor-
1277. matiensibus continuas lites. Obiit 1277. die 22. Februar. apud Montem Pessulanum ex Demochare, in Italia, ex Trithemio, unde a familiaribus in Germaniam corpus relatum sepelitur in Ottenburgo Cisterciensis ordinis monasterio.

HIRSUTUS DE BADENBERG.

XLIII. FRIDERICUS.

Fratri suo successit communi suffragio electus an. 1277. Ejus temporibus fundatus est parthenon Hochenheymensis extra muros Vormatienses, cujus ecclesiam in honorem B. Virginis Mariæ consecravit. Præfuit annis quinque & mensibus quatuor, quibus exactis, vivere desiit
1283. an. 1283. die 20. Maii, 1284. ex Trithemio, sepultus in ecclesia cathedrali.

DE SCHONECK

XLIV. SIMON.

Iste passim *homo miræ probitatis* appellatus, ex decano ecclesiæ Moguntinensis electus est an. 1283. præsul Vormatiensis. Utiliter præfuisse annis octo, mensibus tribus & diebus 14. consentiunt quidem Demochares ac Trithemius, sed in eo dissentiunt, quod ille Simonis mortem consignet an. 1291. 21. Nov. hic 1293. die 16. Novemb. ac insuper ille sepultum dicat in monasterio Franckentall, hic in monasterio
1292. Schonaugiensi. Certe an. 1292. Aschaffenburgi adfuit concilio provinciali ex eodem Trithemio; Cujus ita recolitur memoria in necrologio Laurisham. *VII. idus Maii, Simonis episcopi Vormatiensis, qui dedit nobis maldrum papaveris in anniversario ejus super hortum Tulivescheim & 4. uncias.*

HIRSUTUS DE BADENBERG.

XLV. GERHARDUS.

Eberhardi ac Friderici superiorum frater, omittitur in veteri Gallia Christiana, fortasse quia breviori tempore sedit, ex Trithemii sententia, qui mortuum tradit an. 1294. priusquam a Romano pontifice confirmationem suam impetrare potuerit, vel quia secundum Democharem ab aliquibus capituli electus est, & ab aliis Eberhardus de Stralenberg, *ex quo*, ait Bucelinus, *metus belli gravis, sed re composita*, non multo post uterque mortuus est 1293. quo quidem anno Trithemius addit urbem Vormatiam igne fortuito magna ex parte conflagrasse.

DE STRALENBERG.

XLVI. EBERHARDUS II.

Is erat præpositus Novenhusianus ex Demochare, quando in Episcopum ab una capituli parte electus est, haud tamen 1291. sed potius 1293. vel etiam 1294. secundum Trithemium, qui nonnisi post obitum Gerhardi hunc electum fuisse, ac post decem menses vixdum completos,
1294. suos absolvisse dies an. 1294. testatur. Hanc porro sententiam libentius amplectimur, quam

A Democharis, qui præfuisse una & viginti septimanis, tribusque diebus, obiisse 1291. die S. Othmari, ac sepultum in Schonaugiensi cœnobio scribit.

HIRSUTUS DE BADENBERG.

XLVII. EMICHO.

Enucho a Demochare, & Eunucho a Sammarthanis appellatus, vir longe religiosissimus & pauperum pater a Bucelino, ex præposito majoris ecclesiæ Vormatiensis eligitur ejusdem episcopus in vigilia S. Thomæ apostoli an. 1293. & a Gerardo Moguntino archiepiscopo confirmatur in festo Trium Regum, ac denique consecratur
B in vigilia Resurrectionis Dominicæ, ita Demochares, qui sibi non constat quantum ad annos.
Trithemius autem scribit electum an. 1294. in 1294.
crastino S. Thomæ, consecratum anno seq. ac mortuum 1298. in vigilia S. Jacobi apostoli, hoc est die 24. mensis Julii, cum, inquit, præfuisset annis quatuor. Sed alii omnes defunctum
tradunt 1299. & in habitu monastico sepultum 1299.
in ecclesia cathedrali, postquam optime, ait Demochares, annis quatuor rexerat, adjunctis septimanis 13. tribusque diebus; melius tamen quatuordecim Hebdomadis, quæ quidem integræ ab ipsius consecratione ad obitum usque efflu-
C xerunt.

DE CRONENBERG.

XLVIII. EBERWINUS; *sive* EBERNWINUS.

Cum jam esset Moguntinus & Vormatiensis canonicus, Emichoni successit in pontificatu an.
1299. ac in eodem confirmatus est die S.Thomæ. 1299.
Dein a civibus rogatus, consensit sexdecim ex illis ad consilium senatus admitti; cujus etiam pontificis tempore fundatum est cœnobium monialium in Liebenaw ordinis Prædicatorum extra muros urbis Vormatiensis, non procul a Nuhausen versus meridiem, eamque fundationem ratam habuit Eberwinus. Tandem vero spiritum
D emisit an. 1303. die 20. Maii, ex Sammar- 1303.
thanis post Democharem & Bucelinum, *al.* 22. Aprilis, quæ dies melius convenit tribus annis & septemdecim hebdomadis ipsius regimini a Demochare attributis, siquidem hoc tempus ab ejus confirmatione sumatur; nam a Trithemio præfuisse dicitur annis tribus & mensibus novem, ab electione, uti videtur, computatis, & obiisse 29. Aprilis 1304. Jacet in summo Vormatiensi templo, ante pulpitum ad sinistram reconditus, cum hac inscriptione: *Anno Dom. MCCCIII. in vigilia Georgii, obiit Eberwinus episcopus Wormatiensis.* Tum vero Balduinus
E postea Trevirensis archiepiscopus, propter discordes canonicorum sententias Vormatiensem episcopatum per annos quinque administravit.

DE SCHONECK

XLIX. EMERICUS, *sive* EMBRICHO.

Solus ei Trithemius agnomen *de Cronenberg* affingit, quem alii Simonis superioris fratrem asserunt. Exceptum tradit Demochares die S.
Gregorii an. 1308. Bucelinus autem post va- 1308.
cationem sedis quinquennalem ob discordiam canonicorum, a Romano pontifice præfectum eodem anno. Ipsum quoque Georgius Christianus

ANNI CHRISTI

Johannis tom. 2. rerum Moguntiacarum, prius A scholasticum Moguntinum & præpositum S. Bartholomæi Francofurtensis, ac tandem episcopum Vormatiensem an. 1308. prædicat. Interfuit anno seq. circa festum S. Michaëlis archangeli, solemni Principum conventui, quem habuit rex Henricus in civitate Spira, de successione ad regnum Bohëmiæ; & an. 1314. monasterio Naboris ecclesiam *de Susenheim* confirmavit. Porro consentiunt omnes illum sedisse annis decem & obiisse 10. Febr. At solus Trithemius initium illorum ducit ab anno 1304. unde & mortuum tradit an. 1314. cum alii mortem ipsius illigent an. 1318. Jacet in anteriore choro summæ basilicæ ante aram maximam sub marmore, cum his versibus :

1314.

1318.

Præsul Emericus, vigil in prece, pacis amicus,
Subjectis gratus : studuit tamen esse beatus.
Mens sibi devota fuit & sacra lectio nota:
Dat vitæ mores senii venerabilis ætas.

DE THAUN, vel DE DUNE.

L. HENRICUS III.

Filius Hermanni comitis Silvestris de Duna, castello tribus a Spanheimensi cœnobio distante milliaribus, qui comites vulgo dicebantur *Wildgraffen*, ex præposito Vormatiensis ecclesiæ C eligitur pontifex ultima die Aprilis 1318. & confirmatur die S. Bonifacii ab archiepiscopo Moguntino. Præfuit per annum unum & dies tres, male per annos quinque, ex Trithemio errorem suum continuante, obiitque octava die Junii 1319. sepultus in choro S. Martini ecclesiæ cathedralis ante aram.

1318.

1319.

DE SCHONECK

LI. CUNO.

Simonis & Emerici episcoporum nepos ex fratre, decanatum ecclesiæ Vormatiensis obtinebat, quando ad ejusdem pontificatum assumtus est 1319. postridie S. Laurentii, consecratus D anno seq. Hic festum Corporis Christi, quod Urbanus papa IV. instituerat, an. 1325. per civitatem totamque suam diœcesim celebrari solemniter tam in foro quam in choro, mandavit. Idem quoque fratribus canonicis *in Franckental* permisit proprias domos & mansiones contra regularem institutionem, quam tamen permissionem ante obitum revocavit. Plurima vero passus est incommoda tam ex fere continuis cum civibus querelis, quam ex ea, quæ tunc erat de Imperio Ludovicum Bavarum inter & Fridericum Austriæ ducem controversia ; tandemque post decem annos regiminis e vivis excessit die E 25. Junii an. 1329. conditus in anteriore choro ante summum altare.

1319.

1325.

1329.

SCHENCK DE ERBACH, seu ERPACH.

LII. GERLACUS.

& ante eum

BALDUINUS* administrator

* de Luxembourg.

Post Cunonem, summo consensu Vormatiensis clerus Balduinum Trevirensem archiepiscopum, quem jam diximus post obitum Eberwini præsulis sedem hanc administrasse, suum secundo administratorem poposcit adversus Gerlacum ; qui præceps ambitione episcopatum eum attentabat ; sed Balduinus oblatum munus tantisper sustinuit, posteaque incommodi gravioris metu abjecit ; sicque

Gerlacus pincerna de Erbach non electus ; neque postulatus, sed violenter intrusus, episcopatum Vormatiensem quasi per triennium occupavit, *al.* duobus annis; & sicut dicebatur, sine confirmatione; ita Trithemius in chronico Sponheimensi ; sed in Hirsaugiensi recognito idem auctor veretur asserere intrusum fuisse Gerlacum. Ipsius consignant obitum Trithemius ac Bucelinus an. 1332. & ille quidem 18. Decemb. 1332.
sive XV. cal. Jan. Demochares autem & Sammarthani 18. Januarii 1331. Sepultus jacet in choro S. Martini ante aram, hac tumuli inscriptione: *Anno Dom. MCCCXXXII. XV. cal. Jan. obiit dominus Gerlacus de Erbach, electus episcopus & confirmatus Wormat.*

LIII. SALMANNUS & SALAMANNUS.

Appellatur a Demochare Salomannus *Wanlibono*, & a Bucelino *Waldboto*. Is patria Moguntinensis, episcopatum Vormatiensem a Johanne papa XXII. obtinuit, & ab ejus successore Benedicto consecratus fuit; quem cum Vormatienses suscipere in episcopum recusarent, civitas ipsa cum habitatoribus suis ad tempus interdicto subjacuit, & plures ex canonicis, maxime S. Cyriaci in *Neuhusen*, mandatis apostolicis inobedientes, excommunicati fuerunt, quos tandem, satisfactione præmissa, auctoritate apostolica idem episcopus absolvit. His porro nonnihil lucis affert Bucelinus, cum scribit gravia inde mala contigisse, donec anno Christi 1342. res componeretur, & Stephanus ille, quem elegerant canonici, cedere cogeretur. Animam exhalavit Salomannus 1349. ex Demochare, Bucelino & Sammarthanis, postquam 17. annis præfuisset, ait Demochares. Verum Trithemius ipsius obitum differt ad an. 1354. pontificatus ejusdem vigesimum-secundum. 1349.

LIV. THEODORICUS.

BEYER DE BOPPARDIA.

Bavarus cognominatus, ait Demochares, eligitur unanimiter a canonicis an. 1349. utiliterque præfuit annis 16. contra quem Vormatiam bis commovisse seditionem tradit Bucelinus, ac tandem ipsum resignasse 1366. quo anno* episcopus Metensis factus est post Johannem Flandriæ comitem ad Basileensem ecclesiam translatum. Sane vero testis est an. 1362. indict. XV. XVIII. calend. Febr. in diplomate Caroli IV. imp. regnorum an. 16. Imperii VII. tradentis Philippo Audaci Burgundiæ comitatum ; & 1365. cum Lampardo (Lamberto) Spirensi episcopo, VII. nonas Junii indict. III. in charta ejusdem Imperat. pro S. Victore Massiliensi, anno regnorum ejus 19. ex archivo S. Victoris. Ex quibus colligas male Trithemium ejus obitum illigare an. 1363. post novem annos regiminis.

1349.

* melius 1365.

1362.

1365.

ANNI CHRISTI

LV. Johannes I.

SCHADLAND, vel SCHALAND, SCADELANDT & SCHALDENLAND.

Inverso syllabarum ordine *Landschad* eum appellat Trithemius, qui & aliud ei supperaddit cognomen de *Steinach*, fortasse a patria, quam tamen Coloniam fuisse epitaphium ejus innuere videtur. Iste vir optimus e nobili familia in Mœnii tractu, ordinis Prædicatorum alumnus, sacræ theologiæ doctor, nuncius Papæ & hæreticæ pravitatis inquisitor, fuisse quoque aliquandiu dicitur sedium episcopalium, Hildesheimensis in Saxonia, Augustensis in Rhætia & Culmensis in Prussia administrator, addunt & Constantiensis in Suevia, sed omittitur a Bucelino in hujus ecclesiæ præsulum serie, uti etiam a Baluzio, qui ceteris ejus dignitatibus recensitis, silet de Constantiensi; quinimo Trithemius auctorem, qui talia scripsit, opinione deceptum credit, cum aliud quid esse potuerit, quam administrator. Sane vero episcopus Vormatiensis a summo pontifice constitutus est anno saltem 1367. quo, in diplomate Caroli IV. privilegia urbis Leucorum confirmantis dato hoc anno indictione v. decimo-tertio calendas Martii testis memoratur. Et certe, si Trithemio fides, jam
1366. an. 1366. Johannes episcopus propter institutionem ac destitutionem consulatus, aliaque ad jurisdictionem episcopalem pertinentia, multas habuit cum civibus difficultates, inter quos tandem, post diuturnam contentionem, Rupertus nobilis Palatinus Rheni comes & Bavariæ dux pacem & concordiam firmavit. Scripsit tractatum de statu cardinalium, qui manu exaratus habetur in codice 2089. Bibliothecæ Colbertinæ, testante Baluzio in notis ad vitas Paparum Avenionensium, col. 819. Vita defunctum an. 1373. consentiunt omnes, si Trithemium excipias, qui habet annum 1376. postquam an. 1372. Augustanum episcopatum, ac paulo post, Vormatiensem quoque resignasset. Sepelitur autem apud Confluentiam, quo liber ab omnibus secesserat, non vero Constantiam, in cœnobio Prædicatorum, ubi primum hunc ordinem amplexus erat, cum hoc titulo, ait Demochares: *Hic jacet dominus Johannes Schaland de Colonia, magister theologiæ, inquisitor hæreticorum, episcopus ecclesiarum Culmensis, Hildesheymensis, Vormatiensis & Augustensis, ordinis Prædicatorum, anno Domini*
1373. *mini 1373. calendis Aprilis.*

LVI. Eckardus.

DE DERSCH, vel DERS.

Hic aliquando dictus Eberhardus, ex Hassia ortus, cum tunc esset majorum ecclesiarum Moguntinæ & Vormatiensis canonicus, in episcopum a capitulo electus est, postquam, ait Bucelinus, vacua sedes annis quatuor remansisset, sive, ut habet Demochares, anno 1377.
1376. Verum sedisse jam an. 1376. constat ex litteris Wenceslai electi Romanorum regis, datis hoc anno IV. idus Junii, indict. XIV. quibus Eckardum cum multis principibus & optimatibus fecit suum procuratorem & legatum ad obtinendam a sancta sede electionis suæ confirmationem: exstant hæ litteræ in collectione Baluziana ad vitas Paparum Avenion. col. 800. Virum in omni varietate scripturarum non minus doctum, quam sine intermissione studiosum, & Christo vita & conversatione devotum prædicat Trithemius, pacis amantissimum Bucelinus, qui vix tamen habuit pacem cum Vormatiensibus, clero jugiter infensis, ob quam rebellionem non semel a communione fidelium abscissi sunt; maxime vero die 10. mensis Febr. an. 1405. quo clerus Vormatiensis propter dissensiones, quas pro ecclesiastica libertate cum civibus habuit, exivit ab urbe, & mensibus 23. foris in locis ab antiquo unicuique collegio deputatis remansit; civitas autem propter violata clericorum privilegia interdicto ecclesiastico fuit supposita. Porro ipsius habentur litteræ tom. I. Anecdot. Martennii, pag. 1713. datæ Laudenburgi an. 1404. indict. XII. die 24. Octobris, quibus interdicto, suspensioni & excommunicationi, ex mandato apostolico subjicit oppidum Aquisgranum, nisi pareat Ruperto Romanorum regi. Obiit Laudenburgi an. seq. die 14. Maii, uti legitur in epitaphio, non vero 13. prout scribit Trithemius, cujus corpus in medio chori majoris ecclesiæ Vormatiensis fuit sepultum.

Chronic. Hirsaug. ad an. 1376.
Ibid. ad ann. 1386.
Ibid. ad ann. 1405.
1404.
1405.

LVII. Matthæus.

DE CRACOVIA

Is a patria, urbe primaria Poloniæ regni cognomen habuit. Magister in theologia, academiæ Parisiensis (additur a Demochare, Brugensis) olim rector & cancellarius, atque orator imperatoris Ruperti, ejusdem precibus, an. 1405. 1405.
apostolica provisione Innocentii papæ VII. Vormatiensem obtinuit pontificatum; sub quo, ait Bucelinus, res cum civibus compositæ fuerunt, clero in civitatem reducto 1407. postquam 1407.
biennio & mensibus quinque exsulaverat. Anno seq. cardinalis tit. S. Cyriaci in Thermis a Gregorio XII. papa creatus est; & an. 1410. die 1410.
5. Martii, vitam cum morte commutavit, sepultus in choro majoris basilicæ a dextris, cum inscriptione, quæ silet omnino de cardinalitia ejus dignitate. Plurima scripsit, de quibus Ciaconius in vitis cardinalium; & ea scripta in Franckentalensi cœnobio asservantur.

LVIII. Johannes II.

DE FLECKENSTEIN.

Canonicus ecclesiarum Moguntinensis ac Vormatiensis, eligitur in episcopum 1410. Nominatur autem 1414. in concilio Constantiensi, 1414.
post cujus absolutionem profectus ad Terram Sanctam dicitur. Anno 1423. die 29. Maii 1423.
suum gentilem Johannem de Fleckenstein episcopum Basileensem comitatus est in ejus solemni suam in urbem ingressu, *ex Basilea sacra*, ubi pag. 298. perperam Fridericus * de Fleckenstein appellatur. Eodem anno rursum Vormatia seditionem movit, sed anno seq. composita fuit. Mortem oppetiit Laudenburgi 18. Maii 1426. sepultus in anteriore choro cathedralis ecclesiæ. 1426.

* Sic etiam appellatur in historia Alsatiæ novissima, pag. 331.

LIX. Fridericus II.

DE DOMNECK

Ex majoris ecclesiæ præposito electus con-

ANNI CHRISTI

corditer episcopus die S. Agathæ 1427. præfuit ad an. 1445. Interea vero circa 1437. cum Theodorico designato archiepiscopo Moguntino
1437. fœderis pactiones Rabanum inter archiepiscopum Trevirensem & Ulricum ejus æmulum sanxit. Item anno circiter 1443. renovavit cœnobium Kirschgartense in agro Vormatiensi, in quo cum omnes moniales peste essent absumtæ, uti Demochares ac Bucelinus loquuntur, sive ut annales Novesienses, tom. IV. Veterum Script. Martennii, pag. 571. cum inordinate viverent, Regulares S. Augustini canonicos de observantia Windeshemensi reposuit. Migravit a seculo calendis
1445. Maii an. 1445. sub quo, ait Bucelinus, anno 1440. ingens fuit seditio agri Vormatiensis. Conditus jacet in summi templi Vormatiensis anteriore choro ante aram principem in medio duorum aliorum episcoporum.

ASTENSIS DE AST.

LX. Ludovicus.

Patria Subalpinas, inquiunt Sammarthani, vir nobilis, juris utriusque doctor insignis, præpositus majoris ecclesiæ & ad S. Martinum Vormatiæ, ac præcipuus Ludovici Palatini consiliarius, post sex hebdomadas oblatam dignitatem summa cum gratiarum actione canonicis libere resignavit.

DE SICKINGEN.

LXI. Reinhardus I.

Ludovici cessione vacantem sedem Reinhardus jam canonicus Moguntinus & Vormatiensis obtinuit per electionem, quam die 27. Julii an.
1446. 1446. Moguntinus archiepiscopus confirmavit, huic solemnitati præsentibus Cunone abbate Seli-
Trithem. ad an. 1472. genstadensi & aliis. Eum an. 1472. Fridericus
1472. Palatinus cum aliis quibusdam a secretis Coloniam misit, qui pacem inter archiepiscopum & canonicos reformaret, sed frustra; quinetiam, dum qui missi fuerant, infecto negotio redirent, omnes capti sunt & abducti in odium Palatini, quod scilicet archiepiscopo adhæreret. Idem pastor optimus monasterium *in Lobenfels* virginum Benedictinarum in diœcesi Vormatiensi refor-
Idem ad an. 1482. masse dicitur, & ei plurima contulisse; ac insuper moriturus duodecim millia florenorum, quæ de portione sua hereditaria cuidam principi mutuo dederat, monasteriis, ecclesiis atque pauperibus distribui imperasse. Tandem in pace
1482. quievit Laudenburgi an. 1482. die 21. Julii, ex Trithemio, non 1483. ut scribunt Demochares & Bucelinus. Terræ vero mandatus est in sacello S. Egidii, quod ipse de novo construxerat in ipsa majori basilica.

DE DALBERG.

LXII. Johannes III.

Post Reinhardum Johannes, ex nobili camerariorum de Vormatia dictorum *a Dalberg*, vel *Dalburg* natus, patre Wolffgango, matre vero Gertrude Greiffenclawin a Volrats, cum esset majoris ecclesiæ præpositus, necnon canonicus Moguntinus ac Trevirensis, Vormatiensis factus
1482. est præsul an. 1482. ex Georgio Christiano Johannis in syllabo pleniori canonicorum Mog. tomo 2. rerum Moguntiacarum, pag. 350. & ex A Trithemio, cujus certe auctoritatis potior habenda est ratio, utpote qui nondum abbas Spanheimensis eidem pontifici opus suum de Scriptoribus Ecclesiasticis dedicavit, fit autem abbas 29. Julii an. 1483. Antea vero Johannes præceptorem habuit & amicum Rudolfum Agricolam, necnon Reuchlinum Hebræarum litterarum professorem, sub quibus trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritissimus evasit; adeo ut non Germani solum, verum etiam Itali & Galli sæpius verba facientem mirati fuerint, dum & Romæ sub Innocentio papa, nimirum in ejus promotione, ut ipse asserit, publice dixit in B consistorio, & Parisiis coram Ludovico rege. De scriptis ejusdem videndus Trithemius tum in catalogo suo Illustrium virorum, pag. 171. tum in chronico Hirsaug. recognito ad an. 1503. pag. 596. At vero juvat interim ob oculos ponere excerptum ejusdem Trithemii epistolæ, qua prædictum suum de Scriptoribus Ecclesiasticis librum eidem Dalburgio nuncupavit. *Cum*, inquit, *multa cogitatio mihi succrevisset, cui eamdem lucubratiunculam confiderem gratiorem, se multi obtulere vacillanti, de quorum doctrina & benevolentia spes non modica promissa vigebat; inter quos, tu mihi, pater reverendissime, potior, eminentior,* C *doctiorque occurristi, qui omnes doctrina vincis, & eruditione superas universos. In te nobilitas generis alti relucet, episcopalis authoritas eminet, honestas morum conspicitur, bonarum artium omnimoda scientia collaudatur. Num talem poterimus virum præter te usquam invenire, in quo hæc omnia simul concurrant! Inter Alemannos neminem tibi, pater reverendissime, novi æqualem, in quo genus, dignitas & eruditio tanta refulgeant. Non loquor ad aurem, testis assit Omnipotens, nec blandus capto laudator, quem Germania omnis te virum undecumque peritissimum non ignorat. Te colunt docti, te nobiles ac principes observant, tu nobis quod* D *Plato narratur fuisse Antimacho, tuo comprobatus eloquio, doctus merito judicatur. Publica fama quæ non mentitur, agnovimus, quam profunda scientia in sacris litteris tibi abundet, quam perspicax interpretatio juris, quanta denique suavitas, dulcedo, leporque dicendi, ac perorandi, ut doctissimis viris, quorum in catalogo mentionem fecimus, te conferendum non dubitemus. Testantur hoc lucidissimæ orationes quas habuisse diceris, testantur epistolæ, testantur epigrammata plura. Siquidem clarissima nominis tui fama non solum nostris Germanis, sed & Italis & Gallis cum laude innotuit. Hinc subiit animum, ut tanto tibi pontifici subjec-* E *tum opus de Scriptoribus Ecclesiasticis inscriberem, dicaremque tuo nomini, quatenus sub umbra pontificalis culminis quiescerem securus. Sed dum intueor corusci luminis in te splendorem, reverberor, retrahor, totusque formidine tantæ majestatis tuæ concutior, ne forte tibi patri sublimi atque doctissimo scientia, merito & dignitate prorsus inferior, inde displiceam, unde placere præsumebam. Scio enim occupationes tuas plurimas, & sacrata studia non ignoro, quibus molestus esse meis næniis non debueram. Sed animat me doctrina tua, quam benignitas & humanitas tua cunctis reddit ama-*

ANNI CHRISTI

bilem, quippe quæ litteras nullius abhorret, neminemque indignum suo censet alloquio. Porro hæc epistola in editione anni 1601. Francofurtensi annum quidem præfert 1492. VI. calend. Maii. Sed cum ipse Trithemius diserte dicat in chron. Hirsaug. recognito ad an. 1482. uti supra notavimus, se *abbatem postea Spanheimensem* hoc opus ei dedicasse, huic editioni aliam præivisse dicendum est. Et certe Guillelmus Cave in sua Scriptorum Ecclesiasticorum historia litteraria, ubi agit de Johanne Trithemio, sic habet: *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum septennali labore compositus, & anno demum 1484. tertio emendatus ac completus.*

Ceterum fuit etiam Johannes Dalburgius Ludovici Palatini consiliarius, ait Demochares, ac insuper, testante Trithemio, Philippi comitis Palatini archicancellarius, & supremus a secretis, cui Sadoletus librum de *Consolatione philosophica* scripsit an. 1502. Obiit autem Heidel-
1503. bergæ, *al.* Laudenburgi die 27. Julii, an. 1503. ætatis suæ 58. cujus corpus Vormatiam relatum in ecclesia cathedrali sepultum est, inquit Georgius Christianus Johannis, quanquam ab anno 1499. in decennium, tumultuante Vormatia in clerum & in templa, clerus ex urbe Laudenburgum secesserat; Georgius autem Helwichius ingenue fatetur, ubi sepultus quiescat, se necdum compertum habere.

DE RIEPUR, *vel* RIEPER.

LXIII. REINHARDUS II.

Solus cum Trithemius cognominat *de Sickingen*, virum bonum, inquit, & honestæ conversationis. Electum vero fuisse Laudenburgi a toto canonicorum senatu die 19. Augusti an. 1503.
1504. tradit Demochares. Certe anno 1504. memoratur in historia belli Bavarici Philippo Palatino illati, scriptore Johanne Trithemio, tom. 3. rerum Germanicarum ex bibliotheca & recensione Marquardi Freheri, pag. 98. Quinto post anno 1509. reconciliatur clerus reipublicæ Vormatiensi in comitiis a Maximiliano Cæsare illic habitis, studio ac diligentia Jacobi Trevirensis archiepiscopi & Friderici Saxoniæ ducis, ita ut
1512. eodem anno clerus in urbem rediret. An. 1512. misit oratorem ad conventum Principum, quem apud Treviros Maximilianus imperator convocaverat. Dein Reinhardus turbatis iterum rebus,
1520. iterumque pacatis, anno 1520. insigni pompa equestri Vormatiam de more ingressus est, septingentorum equitum ac decem principum, itemque comitum ac baronum splendidissimo comitatu. At vero non multo post novis ac vehementioribus propter mutatum doctrinæ genus in Germaniis a Luthero turbis exortis, cogitavit de gubernatione episcopatus resignanda, ac primo quidem coadjutorem petiit Philippum de Flersheim Vormatiensem ac Spirensem canonicum, qui statim a Romano pontifice approbatus & confirmatus est; incassum tamen: principibus enim Palatinis, ut suo fratri, Henrico hujus ecclesiæ gubernatio traderetur, Philippus promto animo cessit; sicque Henricus an. 1523. in coadjutorem assumtus, anno seq. totam episcopa-

A tus gubernationem nactus est, Reinhardo volente, qui sibi pensionem exiguam & monasterii Ramsensis episcopatui nuper annexi possessionem retinuit. Anno proximo 1524. secuta est insolita seditiosorum agricolarum conjuratio, quæ per Germaniam grassata est, ecclesias & cœnobia diripiens ac spolians. Mortuus est 19. Apr. 1533. in castro gentili *de Riepur*, unde Vormatiam revectus, ibidem in summæ basilicæ crypta subterranea superioris chori honorifice depositus est.

DE BAVIERE.

LXIV. HENRICUS IV.

B Philippi Palatini Rheni & Electoris filius ex Margareta Ludovici Bavariæ ducis filia, præpositus primum Argentinensis, Coloniensis canonicus, præpositus item Aquisgranensis & Elephancensis (*f.* Elwangensis) assumtus in adjutorem, ut diximus, a superiore an. 1523. vocatusque anno seq. 1524. ad Ultrajectini epis- 1524.
copatus gubernationem, confirmatur a Romano pontifice in utriusque ecclesiæ antistitem. Tandem vero Ultrajectinis tumultibus defatigatus, cum ecclesiæ labanti subvenire non posset, totum Ultrajecti regimen summo pontifici resignavit an. 1529. ac Vormatiam concessit. Habuit hic
C fratrem Philippum Palatinum, episcopum Frisingensem ac Mammillensem, *al.* Naumburgensem, cui mortuo 1540. successit an. 1542.* **al.* 1541.
& sic utriusque sedis, Vormatiensis & Frisingensis factus est antistes. Certe an. 1543. Vormatiensis administrator & Frisingensis, necnon præpositus Argentinensis nominatur in chartis Argentinensibus. Decessit anno 1552. die 3. Junii, ætatis 1552.
suæ an. 64. Corpus ejus Vormatiæ in subterranea camera majoris chori repositum est.

DE BETTENDORF, *vel* PETTENDORF.

LXV. THEODORICUS II.

Omittitur in veteri Gallia Christiana, cujus
D loco Philippum reponit ex episcopo Frisingensi Vormatiensem; verum ut hoc ita sit, oportuit Henricum decessorem se se ante obitum episcopatu Frisingensi abdicasse, quod non apparet. Et certe Bucelinus prætermisso Philippo Theodoricum inducit, mortuum an. 1580. cui concinit Georgius Christianus Johannis in syllabo pleniore decanorum Moguntinensium, tom. 2. rerum Moguntiacarum, pag. 306. Verum & his accedit Georgius Helwichius in suo annalium Vormatiensium prodromo, his verbis: Theodoricus a Bettendorff ex Sueviæ nobili familia, ortus an. 1518. matre nobili matrona a Gem-
E mingen, canonicus Vormat. eligitur in episcopum anno 1552. ætatis 34. moriturque 31. 1552.
Januarii an. 1580. repositus ad antecessores suos 1580.
in crypta subterranea Vormatiensis chori majoris, quo in choro ejus epitaphium tale legitur: *Anno donatæ salutis MDLXXX. Theodoricus a Bettendorff, reverendissimus Vangionum antistes, & illustris S. Imperii princeps, sub episcopatus annos XXVIII. ætatis suæ LXII. post ingentes curas suæque reipublicæ vigilias, senio & venerabili annorum serie emaceratus, XXXI. die Januarii animam ad cœlestes feliciter & religiose*

ANNI CHRISTI

transmisit manes; cujus spiritus in requie futuram A *præstolatur resurrectionem.*

LXVI. Georgius I.

De Schonenburg, *al.* de Schomberg.

Natus an. 1530. parentibus Johanne & Elisabetha *von Weyer Zu Nickenich*, fratrem habuit Johannem archiepiscopum Trevirensem. Primum fuit canonicus Moguntinus (an. 1553.) & archipresbyter, tum ejusdem ecclesiæ decanus die 27. Novemb. an. 1564. cum jam ab anno 1557. præpositum ageret Vormatiensem. Idem quoque Trevirensis, Spirensis, ac S. Albani Moguntinensis ecclesiarum canonicus, & S. Mariæ Virg. ad Gradus ibidem præpositus, & archi- B episcopi Moguntini in spiritualibus vicarius, an.
1580. demum 1580. die 22. Martii, post Theodorici obitum, testante Helwichio in annalibus Vormat. suffragiis concordibus in episcopum Vormatiensem eligitur, ac biennio post, 1582. Octobris die 29. præpositus etiam Moguntinensis consti-
1583. tuitur. Sequenti vero 1583. Moguntiæ in arcis templo S. Gangolfi memoriæ sacro die Martis post Pascha 12. Aprilis, a Stephano Webero suffraganeo Moguntino magna cum solemnitate consecratur. Præfuit ecclesiæ utiliter ac laudabiliter annis 15. mensibus 4. diebus 21. mortuus Spiræ, ubi Rodulfi II. imperatoris vices agebat C
1595. in comitiis, die XI. Augusti an. 1595. ætatis suæ 65. Spira Vormatiam revectus die 15. Aug. in cathedralis ecclesiæ sacello S. Georgii, ut vivus ordinarat, sepultus est. Ei vero Moguntiæ in metropolitana ecclesia, in qua præpositum egerat, monumentum e marmore sumtuosum erectum fuit, hac inscriptione: *Georgius D. G. episc. Vormat. ex nobili familia a Schonenburg ortus, hujus metropolitanæ ecclesiæ præpositus, ac prius annis XVIII. decanus, tandem vero Cæsaris Rodulfi II. vices in conventu deputatorum Imperii gerens, obiit Spiræ; sepultus autem Vormatiæ in ecclesia cathedrali, in pace quiescit, princeps de* D *Republ. christiana, ac præsertim ecclesia, cui prudentia singulari, studio ac labore indefesso, laudeque eximia præfuit ac profuit, optime meritus. Anno MDXCV. die XI. mensis Augusti.*

LXVII. Philippus I.

De Rodenstein

Engelhardi & Barbaræ de Oberstein filius; cantor, ac deinde custos Vormatiensis, necnon Spirensis canonicus, successit Georgio episcopo,
1595. unanimiter electus die 16. Septemb. an. 1595.
1604. Præfuit summa cum laude ad annum 1604. quo immatura morte sublatus est 21. Martii in urbe Spira, ubi Cæsareæ majestatis vices in comitiis E Imperii obibat. Corpus ejus Vormatiam delatum solemniter in cathedralis ecclesiæ crypta, quæ in summo choro est, juxta aliorum episcoporum ossa repositum est, hoc monumento ad sacristiæ introitum ibidem erecto: *Anno Dom. 1604. Dominica* Oculi, *obiit R.mus princeps, ac D. dominus Philippus in Rodenstein electus & confirmatus episcopus Vormatiensis. Cujus anima requiescat in pace.* Elogium aliud ibidem habet cum sua effigie, a capitulo Vormatiensi positum, quod vide-sis in prodromo Vormatiensium annalium.

LXVIII. Philippus II.

Cratz de Scharfenstein.

Philippo patre, matre vero Anna Schonbergiaca, Georgii episcopi prædicti sorore, natus, præpositus erat ecclesiæ Moguntinæ, Vormatiensis ac S. Bartholomæi Francofurtensis, &c. quando die 4. Maii an. 1604. Vormatiensis pontifex 1604.
renuntiatus est. Obiit Moguntiæ, necdum consecrationis munere accepto, hoc eodem anno 13. Julii, conditus in sacello Omnium SS. ædis majoris die 20. Julii, cum epitaphio nil novi edocente.

LXIX. Guillelmus.

ab Efferen; *sive* Effern.

Omissus in veteri Gallia Christiana, vocatur a Bucelino Diethelmus, sed perperam, ut videtur, nisi forte binominis extiterit; nam Guillelmus, quem an. 1604. 17. Augusti electum legimus, 1604.
& consecratum Spiræ an. 1612. die 15. Aug. a Stephano Moguntinensi suffraganeo, adhuc præerat 1615. quo anno, die 31. Martii fœdus 1615.
inierunt inter se Johannes Moguntinus archiep. Lotharius Trevirensis, noster Guillelmus Vormatiensis, Philippus Christophorus Spirensis, Leopoldus archidux Austriæ episc. Argentoratensis, &c. ad conscribendum exercitum pro defensione fidei catholicæ, & suppetiis hanc in rem ferendis. Huic authentico instrumento, quod in tabulario Lotharingiæ arcula *Treves Archevesché & Cité* 2. n. 38. asservatur, appensa sunt sigilla singulorum principum. Eodem insuper anno 1615. ei Georgius Helwichius suum annalium Wormatiensium prodromum nuncupavit. Mortem oppetiit die 7. Aug. an. 1616. quo ipso 1616.
Bucelinus tradit obiisse Diethelmum.

LXX. Georgius-Fridericus.

Greiffenclaw de Volrats.

Ex præposito Moguntinensis & Vormatiensis ecclesiarum, hujus pontificatum obtinuit die 15. Septembris anno 1616. ac etiam illius, 21.* *al. 10.
Octobris 1626. Naturæ vero debitum reddidit 1616.
die 6. Julii an. 1629. Moguntiæ in sacello ædis 1629.
majoris, sancti Michaëlis memoriæ sacro, terræ illatus.

LXXI. Georgius-Antonius.

de Rodenstein, *sive* Rottenstein.

Eligitur in episcopum Vormatiensem die 20. Augusti an. 1629. cui postmodum dignitati plurimas alias adjecit, nimirum scholastici in æde majori Moguntina an. 1630. decani 1634. ac deinde præpositi ejusdem ecclesiæ 1638. necnon præpositi Spirensis & S. Albani Mogunt. &c. Adfuit an. 1633. translationi reliquiarum sancti 1633.
Engelberti Colon. archiepiscopi. Vitam cum morte commutavit an. 1652. die 29. *al.* 30. 1652.
Octobris, funeratus die 13. Nov. Moguntiæ in sacello S. Bonifacii ædis majoris.

LXXII. Hugo-Eberhardus.

Cratz de Scharfenstein.

Antequam Vormatiensem adiret pontificatum, varias plurimas in variis ecclesiis obtinuit dignitates. Fuit enim canonicus Moguntinus, Trevirensis, ac Vormatiensis, necnon archidiaconus S. Lubentii in Dietkirchen, dein cantor in ecclesia

ANNI CHRISTI Moguntina 1629. tum custos ibidem 1638. &c. ut infra videre est in præpositis. Porro cum jam fere biennio vacaret Vormatiensis sedes, ad illam occupandam electus est 18. Junii anno
1654. 1654. Obiit autem 1663. die 13. Martii Ra-
1663. tisbonæ; cum in comitiis, legati Moguntini partes obiret, indeque Vormatiam devectus, in æde ibidem majori sepulturæ locum invenit.

DE SCHOMBORN. LXXIII. JOHANNES-PHILIPPUS.

Cum jam esset episcopus Herbipolitanus, *seu* Wirzburgensis & archiepiscopus Moguntinus, ubi vide col. 526. etiam postulatus est episcopus
1663. Vormatiensis an. 1665. *al.* 1663. mense Maio.
1673. Efflavit animam 12. Febr. 1673. sepultus Herbipoli in æde principe.

DE METTERNICH. LXXIV. LOTHARIUS-FRIDERICUS.

Ipse quoque jam Spirensis episcopus & archipræsul Moguntinus, postulatus fuit in episcopum Vormatiensem an. 1673. Ex hac vita migravit
1675. 1675. die 3. *al.* 13. Junii. Vide supra in archiepisc. Mogunt. col. 529.

VONDER LEYEN, *seu* DE PETRA. LXXV. DAMIANUS-HARTARDUS.

Idem etiam fuit archiepiscopus Moguntinus & Vormatiensis præsul, ad hanc sedem postulatus
1678. die 12. Julii an. 1675. Obiit die 6. Dec. 1678. de quo vide supra in archiep. Mog. col. 529.

DE METTERNICH. LXXVI. CAROLUS-HENRICUS.

Hic pariter Moguntinus antistes, ad Vormatiensem quoque cathedram assumtus est die 30.
1679. Januarii 1679. obiitque 26. Septemb. ejusdem anni, de quo vide supra in archiepisc. Mogunt. col. 530.

WALTBOTT, *seu* WALTPOT DE BASSENHEIM. LXXVII. FRANCISCUS-EMERICUS-GASPARDUS.

Ecclesiarum Vormatiensis & Omnium SS. Spiræ præpositus, cathedralis ibidem scholasticus, ac S. Victoris Moguntiæ canonicus, ex canonico ibidem majoris ædis custos renuntiatus est an.
1679. 1679. die 12. Maii, eodemque anno, die 12. Nov. Carolo-Henrico in pontificatu Vormatiensi successor datus, an. 1683. die IX. *vel* XI. Julii Spiræ animam exhalavit, Vormatiæ in æde cathedrali tumulatus. ANNI CHRISTI 1683.

DE FRANCKENSTEIN. LXXVIII. JOHANNES-CAROLUS.

Parentes habuit Damianum Waltpotium & Elisabetham Hundtin de Saulheim. Successit in regimen Vormatiensis ecclesiæ, electus ex præposito 17. Aug. 1683. & an. 1691. Franco- 1683.
furti, quo, post cladem suæ illatam diœcesi a 1691.
Gallis, secesserat, diem ultimum obiit 29. Septembris.

DE NEUBOURG. LXXIX. LUDOVICUS-ANTONIUS.

Comes Palatinus Rheni, e nobili familia Neoburgensi, fuit administrator supremi in Borussia Magisterii, Teutonici ordinis per Germaniam, ac Italiam summus magister, præpositus & princeps Elvacensis, abbas Fiscannensis, Moguntinæ, Spirensis, Argentinensis, Leodiensis & Monasteriensis ecclesiarum canonicus; inde Moguntinus coadjutor electus 19. Apr. 1691. ac 1691.
12. Novembris ejusdem anni postulatus episcopus Vormatiensis, & postea 1693. ab Anselmo 1693.
Francisco archipræsule consecratus, obiit 1694. 1694.
die 4. Maii, ætatis suæ anno 33. cum decem mensibus, ac diebus 26. sepultus Dusseldorpii apud Patres Societatis Jesu.

DE NEUBOURG. LXXX. FRANCISCUS-LUDOVICUS.

Superioris frater & successor in administratione supremi in Borussia Magisterii, itemque in summa ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam præfectura, necnon in præpositura Elvacensi, præsul etiam Vratislaviensis, canonicus Coloniensis & Olomucensis, ac sacræ Cæsareæ majestatis in superiori & inferiori Silesia supremus *capitaneus*, mortuo fratre, postulatur in episcopum Vormatiensem an. 1694. fit postea coadjutor Moguntinus an. 1710. Trevirensis Elector & archi- 1694. 1710.
episcopus 1716. ac tandem an. 1729. per obi- 1716. 1729.
tum Lotharii Francisci de Schomborn summam rerum Moguntinarum assecutus est.

PRÆPOSITI VORMATIENSES.

I. BRUNECHO fuit adjutor sancti Burchardi Vormatiensis episcopi in condendo suo decreto, sub initium seculi XI. ex auctore anonymo vitæ ejusdem S. Burchardi; dubitatur autem ex contextu, utrum Vormatiensis præpositus Spirensisve fuerit.

II. S. Heribertus comes de Rottenbourg, major præpositus Vormatiensis, ac postea Coloniensis archiepisc. defunctus an. 1021.

III. Everhardus patre natus Ezone, *seu* Ezelino comite Alamanniæ, erat præpositus Vormatiensis, quando factus est archiepisc. Trevirensis an. 1047. ex chronico Hermanni Contracti.

IV. Conradus præpositus an. 1154. vide in Conrado I. episcopo.

V. Sigefridus præpositus S. Petri Vormat. memoratur in charta locationis curiæ monasterii Laureshamensis sitæ in civitate Vormatiensi, an. 1160.

VI. Dietherus majoris ecclesiæ Vormat. præpositus occurrit 1180. in probationibus histor. Palat. pag. 56.

VII. H. præpositus 1212. vide in Lupoldo episcopo. Is est procul dubio Henricus præpositus 1225. IX. cal. April. in prob. hist. Palat. pag. 71.

VIII. Walramus canonicus Mog. & præpositus Vormatiensis, ut fert *minor animarum liber* ad pridie nonas Aprilis ait Georgius Christianus Johannis, vixit an. 1268. & 1269. quo anno

dicitur Walrabus præpositus majoris ecclesiæ A Vormatiensis, in prob. hist. Palat. pag. 80.

IX. Emicho de Bademberg ex præposito majoris ecclesiæ, ejusdem fit episcopus an. 1293. *vel* 1294. Vide chronicon Hirsaug. Trithemii, tom. 2. pag. 93.

X. Henricus de Dune, præpositus circa an. 1300. deinde episc. Vormat.

XI. Adolfus de la Marck præpositus Vormat. an. 1312. creatur episc. Leodiensis in locum Theobaldi occisi.

XII. Roricus de Sternberg majoris ecclesiæ Mog. ac B. M. Virg. ad Gradus ibidem, itemque Vormatiensis ecclesiæ canonicus, necnon civi- B tatis Moguntinæ camerarius, factus postea Vormatiæ præpositus, memoratur an. 1371. in litteris Adolfi Spirensis episcopi. Obiit 1380. xv. cal. Novembris.

XIII. Fridericus de Domneck præpositus, dein episc. Vormat. circa an. 1440.

XIV. Ludovicus ab Ast præpos. majoris ecclesiæ, & ad S. Martinum Vormatiæ, deinde electus Vormat. episcopus circa an. 1446. sed recusavit.

XV. Johannes I. de Entzberg, *seu* Entsemberg & de Hoheneck major præpos. Vormatiensis & Moguntiæ decanus, ubi vide, postea Spirensis C canonicus & episcopus 1459. moritur 1467.

XVI. Johannes II. de Dalberg ex præposito fit episcopus an. 1482.

XVII. Georgius de Schonenburg Vormatiensis præpos. 1557. deinde episcopus.

XVIII. Philippus Cratz de Scharpfenstein fit præpositus Vormat. an. 1564. de quo vide in decanis & præpositis Moguntinensibus, dein episc. Vormat.

XIX. Antonius a Wiltberg scholasticus Moguntinus, ac deinde custos 1581. fuit etiam præpos. Vormat. Erfordiensis ac Bingensis, necnon judicii secularis Moguntini camerarius, ac eques D Jerosolymitanus. Obiit an. 1594. die 16. Febr. Moguntiæ sepultus in ecclesiæ majoris ambitu.

XX. Willelmus Theodoricus a Daun, Vormatiæ majoris, ac S. Virginis ibidem, necnon * Moxtadiensis præpositus, itemque Moguntiæ majoris ac S. Albani canonicus, & cantor ecclesiæ S. Stephani ibidem, obiit Moguntiæ an. 1642. die 22. Aug. & in ambitu ecclesiæ majoris sepultus est.

* *al.* decanus

XXI. Hugo Eberhardus comes Cratz de Scharpfenstein e canonico custos ejusdem ecclesiæ Mogunt. an. 1638. fuit etiam Trevirensis metropolitanæ & collegiatæ S. Paulini ibidem, Vormatiensis quoque, Francofurti ad S. Bartholomæum, Moguntiæ ad S. Johannem, ac Tubingensis præpositus; judicii quoque secularis Moguntini camerarius, & vicarius in spiritualibus generalis, sacræ Cæsareæ majestatis & principis Electoris consiliarius intimus; an. 1654. die 18. Junii Vormatiæ sedis episcopalis culmen ascendit, ubi vide.

XXII. Franciscus Emericus Gaspardus baro de Waltpot in Bassenheim, ecclesiarum Vormatiensis, & Omnium SS. Spiræ præpositus, cathedralis ibidem scholasticus, ac S. Victoris Moguntiæ canonicus, custos etiam ecclesiæ majoris Moguntinæ ex canonico renuntiatus an. 1679. eodem anno, die 10. Novemb. ad cathedram Vormatiensem assumtus est, ubi vide.

XXIII. Johannes Carolus de Franckenstein, Moguntinensis custos & Spirensis scholasticus, fuit etiam præpos. Vormat. antequam ad ejusdem ecclesiæ pontificatum eveheretur.

XXIV. Philippus Franciscus Eberhardus camerarius de Vormatia liber baro de Dalberg an. 1687. erat præpos. ecclesiæ Vormat. & cameræ imperialis Spirensis præses.

XXV. Willelmus-Ulricus a Guttenberg præpositus erat 1691.

Conradus de Geilenhusen ecclesiæ Vormatiensis fuit præpositus, sed quo anno, incertum nobis est.

DECANI VORMATIENSES.

I. HENRICUS decanus 1154. Vide in Conrado episcopo, & adhuc 1160. in charta locationis curiæ monasterii Laureshamensis, sitæ in civitate Vormatiensi.

II. Ludolfus, *sive* Landolfus, postea episcopus n. XXXIX.

E

III. Burchardus erat decanus Vormatiensis an. 1271. quo Godefridus abbas Glanderiensis in diœcesi Metensi ei cessit *curiam*, quam habebat in urbe. Jam vero 1257. decanatum obtinebat, quo anno post obitum Richardi episcopi jus aliquod in episcopatum obtendit.

IV. Cuno de Schoneck, postea episcopus 1319.

V. Bernoldus de Wittstatt decanus ecclesiæ Vormat. memoratur præsens an. 1445. die 27. Julii, quando Theodoricus archiepisc. Mogunt. Reinhardum de Sickingen confirmavit in episcopum Vormatiensem.

VI. Rudolfus de Rudesheim decretorum doctor, & ecclesiæ cathedralis Vormat. decanus, circa 1460. delegatur a summo pontifice, qui cum Francisco decano Toletano res in Germania inspiceret, atque Dietheri Moguntini archiepiscopi aut emolliret animum, aut ipsius furori resisteret. Vide Georgium Christianum Johannis in suis ad Serarium nuperis observationibus, t. 2. pag. 141. 142. & 622.

VII. Adolfus Fridericus dominus in Elz, decanatum obtinebat an. 1687.

DE ABBATIIS

DE ABBATIIS, *seu* MONASTERIIS DIOECESIS VORMATIENSIS.

Plurima quondam claruerunt in hac diœcesi monasteria, sed hodie vix ullum in suo pristino statu perseverat.

Ordin. S. Bened. I. NIUHUSEN

NEUHAUSENSE S. CYRIACI apud Vormatiam monasterium a rege Dagoberto primitus conditum ferunt in honorem S. Dionysii, tum vero a Samuele episcopo a fundamentis exstructum, librisque ditatum, quos ex bibliotheca Laureshamensis monasterii, cujus abbas erat, sustulit. Novam deinde basilicam dedicavit an. 847. 15. Oct. in honorem S. Cyriaci, cujus reliquiæ Roma non ita pridem illuc ab Imperatore Ludovico Pio allatæ fuerant, testante Bruschio; tandemque hoc in monasterio vitam regularem pene destructam Burchardus episc. ineunte seculo XI. renovavit.

II. VORMATIENSE S. ANDREÆ monasterium extra muros, vitæ quoque regularis reparatorem habuit Burchardum episcopum Vormatiensem seculo XI. ineunte, & intra muros civitatis conditorem.

III. LAURISSA, *seu* LAURISHAMUM unum ex quatuor imperialibus monasteriis, ordinis quondam Benedictini, postea Præmonstratensis, ab an. 1237. ex Trithemio in chronico Hirsaugiensi, melius 1244. ut infra videbitur. Situm est in insula diœcesis Moguntinæ, *Aldenmunster* postmodum appellata, tribus ferme a Vormatia milliaribus, nec longe ab Heidelberga, cujus auctor exstitit Cancor, illustris Rhenensis pagi comes, cum religiosa matre sua Williswinda, olim conjuge Ruperti comitis. Horum consanguineus erat Chrodegangus sive Ruotgangus Metensis antistes, cui instituendum ac informandum commiserunt novum monasterium, quod nullius, ne quidem episcopi juri ac dominio subjectum esse voluerunt. Marquardus Freherus vulgavit primus ejus monasterii annales, tom. 1. rerum Germanicarum, pag. 56. a Chesnio deinde recusos, tom. 3. pag. 490. in quibus primarium conditi cœnobii instrumentum integrum refertur, datum anno Pipini regis duodecimo, IV. idus Junii, *al.* Julii, id est anno Christi 763. *vel* 764. Hoc etiam habes in historia Palatina Ludovici Tolneri part. 2. pag. 2. cujus summa hæc est: *Williswinda Deo sacrata & filius ejus Cancor comes, pro animæ suæ remedio, æternaque mercede, sacrosanctæ ecclesiæ S. Petri a se constructæ in loco nuncupato* Lauresham, *in pago Rhenensi, super fluvium Wizgoz,* (nunc Weschol) *ubi jam tum præerat venerabilis Ruodgangus archiepiscopus & abbas, donant villam suam pagi Vormatiensis cum appendicibus suis, sitam in loco, qui dicitur* Hagenheim, *super fluvium Salusiam, quæ Williswindæ de parte genitoris sui Adelhemi legibus obvenerat; ita ut ab hac die jam dictus domnus Ruodgangus, vel sui monachi, qui in eodem monasterio jam habitabant, eorumque successores hæc omnia teneant atque possideant, cum libera quidvis ex eis faciendi facultate.* His in litteris Ruodgangus Metensis antistes archiepiscopi titulo insignitur, ob acceptum ab apostolica sede pallium, quem titulum nonnullis ejusdem sedis episcopis ob eamdem causam tributum fuisse observatu dignum est. Abbas Laureshamensis appellatur per excellentiam, quod ei monasterium informandum principio commissum sit. Verum cum propter episcopales & Palatinas sollicitudines huic muneri sufficere non posset, sui loco præfecit Gundelandum germanum suum, qui primus abbas in annalibus ponitur, primosque ejus loci monachos e Gorzienti monasterio, quod idem Chrodegangus ante annos quindecim exstruxerat, istuc deduxit, atque ipsam basilicam in honorem S. Petri apostoli consecravit, quæ postea S. Nazarii dicta est, ob advectas illuc paulo post, anno scilicet 765. V. idus Julii, ejusdem martyris reliquias. At vero paucis post annis altera templi dedicatio facta est per Lullum Moguntinum archiepisc. & Weomadum Trevirensem, &c. calendis Septemb. an. 774. eodemque die in novam basilicam corpus S. Nazarii summa pompa translatum est, præsente rege (Carolo) quem ex Italia redeuntem Gundelandus abbas apud Spiram civitatem ea de causa convenerat, cum Hildegarde regina, filiisque Carolo, Pipino, Ludovico, ac plurimis regni principibus. Ceterum non confundendum hoc monasterium, inter illa recensitum, quæ dona & militiam facere debere in conventu Aquisgranensi an. 817. decretum est, cum Lorsacensi in Suevia cœnobio.

SERIES ABBATUM.

I. RUODGANGUS, *sive* CHRODEGANGUS, de quo supra. Hujus ita meminit necrologium domesticum: *III. nonas Martii, hic locum nostrum primus fundans, fratri suo Gundelando commisit, & B. Nazarium nobis patronum adduxit.*

II. Gundelandus, volente, ut diximus, Rutgango episcopo Metensi, suo germano, cui a fundatoribus cura monasterii commissa fuerat, ejusdem præfecturam subiit anno saltem 766. quo prædictus Rutgangus, *sive* Chrodegangus ad cœlestem vitam migravit. Anno 770. calendis Junii nova huic monasterio Cancoris & Angilæ conjugis fundatorum accessit donatio,

partis videlicet silvæ Birstatensis, sicut ipsa incisio arborum, *quæ vulgo Lachus appellatur*, ipsa die facta fuit; hincque fortassis, cum aliunde sinus basilicæ confluenti in illum locum promiscui vulgi multitudini non sufficeret, ipseque loci situs celebri monasterio non satis convenire videretur, initum est consilium, ut in editiorem locum tam monasterii, quam basilicæ fabrica amplificanda transferretur. Nec mora, rem feliciter promovit Gundelandus abbas, cumque jam perfecta esset templi fabrica, & ut domum Dei decebat, splendide exornata, hujus dedicationem magnifico apparatu & summa veneratione fieri curavit calendis Septemb. an. 774. ut supra. Inter hæc autem, an. 772. regium integræ immunitatis præceptum obtinuit a rege Carolo, datum apud Theodonis-villam mense Maio, regni ejus quarto. Deinde cum Heimericus Cancoris fundatoris filius monasterium sibi vindicare tentaret, quasi pater suus ipsum de hoc monasterio *investivisset*; ea de re conquesturus Gundelandus accessit ad Regem, qui audito aviam Heimerici Williswindam, ejusque genitorem Cancorem Ruodgango, *seu* Chrodegango archiepiscopo hoc monasterium tradidisse & confirmasse, & comperto, *quod ipsa congregatio sub recto ordine vivere, & in regula S. Benedicti conversari desiderare*t, illud Gundelando liberum adjudicavit, omnimoda exemtione a judiciali potestate & a quovis tributo, ipsaque libera eligendi abbatis facultate concessa. Tum vero Gundelandus corpus S. Nazarii, quod jam diximus ipsa die dedicationis novæ basilicæ, in eam translatum fuisse, an. 777. decentiori loco reposuit, ut in chronico Laureshamensi legitur. Denique sub finem anni sequentis, instante obitu suo, cum assensu Regis, aliqua ex monasterii rebus pro animæ suæ remedio in egentes erogavit. Notatur ejus obitus dies in pervetusto calendario XV. cal. Januarii his verbis: *Hic bona posteris suis quærens, in manus gloriosi regis Caroli tradidit hunc locum, sibi a fratre commendatum, & rursum ab eo recepit privilegiis sublimatum, istudque templum, quod a fundamentis erexit, consecrari fecit.*

III. Helmericus, dictus Olimricus in chronico Musciacensi, vir religiosus & sapiens, in Gundelandi locum subrogatus est an. 779. Hic laquearia ecclesiæ fecit, pavimentum stravit, tumbam S. Nazarii auro, argentoque decoravit, necnon altare, quod postea ad ecclesiam S. Petri, quæ dicitur *Altenmunster*, translatum est. Idem quoque amissis, seu casu, seu imprudentia, quibusdam donationum instrumentis, privilegium a Carolo rege ad confirmandam rerum donatarum possessionem obtinuit. Rexit annis quinque, de quo sic habet necrologium idibus Februarii: *Hic pavimentum stravit, & ciborium a domino Gundelando inceptum perficiens, cum principali altari, auro & argento decoravit*

IV. Richbodo, *seu* Richboldus successit anno 785. vir plane Deo dilectus & hominibus, simplex & sapiens, humanis, divinisque litteris apprime eruditus, teste chronographo Laureshamensi. Statim vero a præfecturæ suæ exordio, destructis ligneis domibus, in quibus fratres commanebant in Aquilonari monasterii parte, claustrum ad meridianam transtulit, murisque circumdedit. Dormitorium quoque cum triplici construxit ecclesia, & cancellis circum tumulum S. Nazarii auro argentoque decoratis, pavimentum etiam altaris vario marmore stratum sublimius fecit; qui postquam Laureshamensi monasterio annis 20. cum mensibus octo præfuerat, Treviris defunctus est an. 805. sed corpus ejus Laurissam relatum, ibidem sepulturæ mandatur. Ita Mabillonius tacita ejus archiepiscopali dignitate, qua tamen exornatum fuisse testatur necrologium calendis Octobris; sed hic fortasse Richbodo fuit archiepiscopus Trevirensis & abbas Mediolacensis, non autem Laureshamensis.

V. Adalungus, vir potens opere ac sermone, ex divina sententia electus, post Richbodonem monasterii regimen suscepit. Is ab inito regimine locum interius atque exterius decoravit, templum ornavit, *altare Dominicum* seu præcipuum, ex quatuor partibus, tabulis argenteis inclusit, aliasque aras similiter perornavit, atque auream crucem fabricari curavit. Ejus tempore, pridie idus Septemb. anno sexto Ludovici imper. hoc est 819. Eginhardus abbas Blandiniensis, &c. cellam *Michlenstat* sitam in pago *Plumgowe*, in silva Odonewaldi, super fluvium Mimilungum, quam Ludovici Augusti dono habebat in proprietatem, assentiente Imma conjuge, facto testamento tradit monasterio S. Nazarii, ea conditione, ut quamdiu ambo vixerint, hanc cellam habeant in sua potestate, & post eorum obitum unus e filiis, si quis fuerit superstes. Annis tredecim rexisse monasterium dicitur in chronico; melius triginta tribus ex antiquitatibus ejusdem cœnobii, auctore Georgio Helwichio, ubi etiam ex hac vita demigrasse legitur an. 838. IX. cal. Septemb. qua die notatur in necrologio.

VI. Samuel a puero ibidem educatus, ex abbate Laureshamensi facto 838. eodem anno evasit episcopus Vormatiensis, retento sui monasterii regimine, quod per annos 17. administrasse perhibetur. Notatur in necrologio domestico *Samuel episcopus & abbas, VII. idus Febr.* Ejus corpus, post obitum, qui contigit anno 855. Laurissam revectum est, ibidemque sepultum.

VII. Hucbertus abbas, tacito monasterii nomine, qui Lotharium regem seu Imperatorem anno I. ejus imperii rogat, ut cuidam comiti Ansfrido aliquantum ex rebus juris prædicti regis, quas ipse comes jure beneficiario detinet, ad proprium concedat, videtur fuisse abbas Laureshamensis, ut pote quas res idem Ansfridus postea concedit Theotroho abbati Laureshamensi an. 862. regni Ludovici 26. III. nonas Octobris, ex hist. Palatina Ludovici Tolneri; quanquam non mediocrem dubitandi locum præbeat omissio ejus in chronico domestico, & in antiquitatibus ejusdem cœnobii.

VIII. Eigelbertus, parentum nobilitate & morum honestate præclarus, in prædicto chronico Samueli successisse dicitur, ex ipsius monasterii congregatione assumtus anno 855. novemque annos monasterium feliciter rexisse; at si genuina est charta prædicta Ansfridi pro Theotroho abbate an. 862. unus alterve detrahendus est annus ab Eigelberti regimine. Ceterum ejus rogatu Ludovicus rex Orientalis Franciæ, unius navis discursum per Rhenum cum integra immunitate concessit, edixitque ut nullus episcopus, vel abbas, comesve, aut quilibet alii quidquam molestiæ eidem loco inferrent. Vocatur Engilbertus in necrologio, x. cal. Septemb.

IX. Thiodrocus, & Tiotrohus, *vel* Dietrochus officium-pastorale duodecim* annos recte administrasse traditur; in his monasterium in monte Abrahæ, vulgo *Abrinsberg*. a fundamentis erexisse. Sane an. 871. III. nonas Octob. Ansfrido comiti Palatino ejusque filio omnia ab ipso tradita monasterio in beneficium concessit. Defunctus est 875. appellatus Thiatroh in necrol. xv. cal. Novembris.

* al. decem.

X. Babo successit in annos sex; cujus tempore Ludovicus III. Germaniæ rex quoddam prædium per Werinherum comitem huic monasterio tradidit, ubi patrem suum Ludovicum II. humari curavit an. 876. & ipse post obitum an. 882. sepultus est. In necrologio bis repetitur Bobbo abbas, nempe IV. cal. Junii & VII. idus April. qui *calicem magnum aureum cum patena, & stolam auro textam fecit*.

XI. Waltarius, Babonis successor jam ab anno, inquiunt, 881. a Ludovico III. Germaniæ rege donationem loci *Aberinesburg* nuncupati accepit an. 882. idemque rursus intra biennium, quo præfuit, Carolum Crassum imperatorem Ludovici III. Germaniæ regis fratrem munificum expertus est. Omittitur in necrologio.

XII. Gerhardus vir nobilis ac strenuus anno 883. abbatiam in annos decem obtinuit; quo regente, Carolus imperator an. 884. III. idus Junii pro remedio animarum piæ recordationis genitoris sui Ludovici, necnon & carissimi fratris sui Ludovici gloriosissimorum regum, ad monasterium, quod vocatur *Lauresham*, ubi S. Nazarius corpore requiescit, & prædicti reges humati sunt, *ubi Gerardus abbas & rector ejusdem monasterii esse videtur*, res quasdam sui juris confert, sitas in comitatu Vormatiensi, in villa, quæ dicitur *Alahesheim*, ut perpetuo ad usus fratrum, & ad luminaria ecclesiæ deputentur. Actum Vormatiæ, &c. Idem porro Gerardus in monte prædicto *Aberinesburg* basilicam in honorem S. Michaelis archangeli construxit. Bis autem memoratur an. 891. Arnolfi regis quarto, XV. cal. Jan. & VI. idus Januarii. Mortuus est an. 893.* inscriptus necrologio XVIII. cal. Julii apud Schannatium; verum apud Helwichium in antiquitatibus Lauresham, idibus Junii locum habere dicitur in libro animarum.

* al. 892.

XIII. Cunzigo, Hirsaugiensis monachus circa annum 894. sub Arnulfo imperatore fuit abbas monasterii regalis S. Nazarii uno tantum anno, qui morte sublatus, in eodem monasterio sepultus jacet. Ita Trithemius in chronico Hirsaug. sed omittitur in chronico Lauresham. Ceterum eo tempore fratribus monasterii de quibusdam insolentiis apud Arnolfum imperatorem accusatis, & ob hoc ab electione abbatis interim suspensis

XIV. Adelbero episcopus Augustensis, beneficio Arnolfi imperatoris, abbatiam consecutus est, cujus deinde ab se reformatæ curam post annos quinque ultro resignavit an. 899.* fratribusque pristinam eligendi abbatis libertatem restitui curavit, sed incassum pro hac vice. Fortasse vero is est Adalbertus episc. & abbas memoratus in necrologio Lauresham. IV. calend. Maii, qui *Gernheim ex integro dedit*.

* al. 898.

XV. Hatto Moguntinus antistes *ordine dispensatorio* per annos 13. eamdem abbatiam tenuit, donec ipsis fratribus sub Conrado rege plenaria electionis libertas restituta est. Memoratur in necrologio his verbis: *XV. calend. Febr. Hattonis archiepiscopi ex abbate nostræ congregationis. Hic sancto Nazario Wirnheim, Riamuis, Wiblinga acquisivit*. Sigolfus autem sub hoc tempus erat præpositus Laureshamensis.

XVI. Liutherus, in chronico domestico jam an. 895. dictus in abbatem electus, sed frustra, nolente, ut videtur, Imperatore, anno demum 912. ab eodem chronographo, vi concessæ libertatis, electus feliciter & *investitus* a Conrado rege pronuntiatur; cujus tempore Chunegunda Conradi regis conjux locum proprietatis suæ, cui *Ginga* vocabulum, S. Nazario contulit. Dicitur autem episcopus, scilicet Mindensis, & abbas in necrol. III. nonas Septemb.

XVII. Ebergisum[a] istic a puero educatum, & *post Liutherum nepotem suum Mindonensi ecclesiæ subrogatum, & compatrem suum, ejusdem etiam abbatiæ honore XVII. annis sublimavit Henricus rex an. 921. ipsique loco privilegia libertatis quater innovavit*. Ita chronicon Laureshamense, ex quo etiam habemus anno circiter 940. quodam comite suis suorumque usibus ab Otone rege concedi hanc abbatiam postulante, pia omnino responsione petitionem iniquam Regem retudisse. Ceterum fuit Ebergisus simul abbas Laureshamensis & episc. Mindonensis, vixitque temporibus Richovonis episcopi Vormat. ex quadam notitia donationis, apud Helwichium in antiq. Lauresham. pag. 76.

XVIII. Bruno, qui deinde fuit archiepiscopus Coloniensis, a suo fratre Otone rege hanc abbatiam obtinuit. Et certe vocatur abbas in chronico Frodoardi, ubi de synodo Virdunensi agitur, quæ eo præsente an. 947. habita est; & in necrol. legitur *Brun. archiepisc. & abbas, V. idus Octobris*. Verum an. 956. huic abbatiæ electionem restitutam fuisse docet Reginonis continuator, haud dubie, inquit Mabillonius, beneficio Brunonis. Unde colligas longe ultra quatuor annos, quibus chronicon regimen ejus circumscribit, producendum.

[a] Helwichius eum modo patruum, modo nepotem Liutheri vocat, non sibi constans.

XIX. Gerbodo, Kebo vocatus apud Ekkehardum, ab Otone imperatore *regularem de abbate electionem* obtinuit, aut, potius jam indultæ confirmationem an. 963. cui etiam idem Imperator permisit an. 965. ut mercatus apud Wezenloch institueretur *ad servitium S. Michaelis in Aberinesburg*. Porro hic abbas auxit refectorium, dormitorium renovavit, & alia plurima egregie præstitit. Ad hæc Gerbodo fuit alter visitatorum S. Galli anno 968.* tandemque obiit 970. notatus in necrologio calendis Augusti; cujus quidem regiminis exordium perperam ducitur ab an. 948. in chronico Laureshamensi, vel etiam 947. in antiq. ejusdem cœnobii; cum tamen 21. tantum anni regiminis ei tribuantur.

* al. 970.

XX. Salemannus Gerbodonem excepit, vir divina humanaque sapientia conspicuus, qui inter alia magnifica pietatis opera, tabulam ex auro & gemmis ad altare majus adornari, crucem magnam simili opera fabricari, frontem ciborii super mausoleum S. Nazarii martyris auro purissimo decorari curavit. De libris etiam sollicitus, Gregorii moralia tribus voluminibus describi jussit. Demum hic Salemannus annis 27. in præfectura exactis, jam senio confectus, Otonis III. offensam, quam, ob causam nescio quam, incurrerat, non sustinens, monasterii curam resignavit anno 997. & vitæ theoricæ addictus, non multo post e vita migravit. Memoratur in necrologio, IV. cal. Martii, his verbis: *Hic nobis privilegium libertatis a tribus Romanis pontificibus, Benedicto, Johanne & Gregorio expetiit, & strata pavimenti perfecit, &c.* Legimus autem in antiq. Luresham. Ottonem III. imper. precibus Franconis episcopi Vormatiensis hanc abbatiam circa hæc ipsa tempora, episcopatui Vormatiensi dedisse.

XXI. Werinherus I. cognomento *Pius*, ex ipsa congregatione ad biennium duntaxat suffectus est, cujus habetur memoria in necrologio, IV. cal. Novemb.

XXII. Werinherus II. moribus a primo valde dissimilis, infra dimidium annum præfecturæ dejectus est.

XXIII. Geroldus I. pietate insignis, familiam sibi creditam recte ac prudenter tribus annis & sex mensibus administravit. Ejus tempore Silvester papa monasterii libertatem novo diplomate asseruit, dato ind. XIII. hoc est anno Christi millesimo, qui primus Geroldi annus erat. Porro cum duplicis Geroldi fiat mentio in necrologio, & revera duo hujus nominis abbates fuerint, incertum prorsus est, quæ dies unicuique assignanda sit. Altera quidem est IX. cal. Jan. altera vero communis Geraldo & Folcnando abbatibus VIII. idus Maii.

XXIV. Bobbo, *seu* Poppo, genere illustris, abbas erat Laureshamensis an. 1012. quo donationis præceptum de banno silvæ in Otenewalt ab Henrico II. impetravit, IV. idus Maii. Simul autem abbas Fuldensis effectus est anno seq. superstes ad an. saltem 1017. ut in Fuldensi abbatia diximus. Annis vero 13. Laureshamo præfuisse dicitur. Vide supra in Babone ad an. 882. In antiq. Lauresham. vitam hanc caducam amisisse legitur an. 1017. VII. idus April.

XXV. Volckmarus, de quo vide in abbatia Fuldensi, memoratur in necrol. Lauresham apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ* V. cal. Febr.

XXVI. Reginaldus, *vir secundum cor Domini*, ut ejus loci annales tradunt, an. 1022.* adfuit synodo provinciali apud Selingenstatt in cœnobio SS. Petri & Marcellini, & 1027. Francofurtensi. Hic templi faciem coronis decoravit, altare ad Crucem auro argentoque cinxit, ac thesaurum ecclesiæ in multis amplificavit. Ad hæc monasterium Abrinsbergi in honorem S. Michaëlis, cujus possessiones ab Henrico II. imperatore obtinuit an. 1023. confirmari, inchoatum perfecit, fratribusque ibidem Deo militaturis necessaria affatim suppeditavit; quo anno varias jam a multo tempore contentiones inter Vormatiensem episcopum & abbatem Laurishamensem Henricus II. imperator edicto promulgato compescere studuit; Reginbaldum vero ob insignia merita Conradus eo nomine II. ad Spirensem cathedram promovit circa 1031.* In necrologio quidem Lauresham. notatur Reginbaldus episcopus & abbas III. idus Octob. &c. Obiit vero 1039. ex hist. eccles. German. edita 1724. ubi primum dicitur abbas S. Udalrici Augustani, deinde abbas d'Eberšperg & Laurishami.

* al. 1023.

* al. 1032.

XXVII. Humbertus loci præpositus in abbatem, aulicorum studiis, intruditur an. 1032. quorum suffragia jam dudum pecunia sibi conciliaverat. Hic nobilem ecclesiam expilavit & profligavit, res monasterii partim in suos prodigendo usus, partim cognatis suis, aliisque asseclis in beneficium tribuendo. Quinetiam ecclesiæ ornamenta consumsit; in his purpuram pretiosissimam, auro contextam, igni eliquari fecit, ut aurum ex ea emungeret; quod dum fieret, vitalium totiusque corporis dolore æstuque discruciatus, misere demum interiit 1037. de quo necrologium sic habet, IV. idus Martii *Hulabertus domno Reginbaldo substitutus, cognatos suos plus æquo dilexit, & prædia monasterii, scilicet Hugenheim, Crustilla, Gronowa, &c.*

XXVIII. Bruningus ex Fuldensi monasterio assumtus subrogatur, indigno successor dignissimus, de quo sic habetur in necrologio, VII. idus Maii: *Hic ornatum ecclesiæ in cappis adauxit, & Bettenkircha acquisivit.* Obiit hac die anni 1043. ex brevi chronico Prumiensi, tom. 5. veterum Script. Martennii, pag. 517. septimo regiminis anno, ex chronico domestico.

XXIX. Hugo I. successit, in quo divina pietas, quidquid vel natura, vel gratia homini confert, cumulasse dicitur. An. 1046. indict. XIV. munificum se præbuit erga monasterium sancti Michaëlis in Abrinsberg. In necrologio legitur Ogo abbas, VIII. idus Maii, qui *nobis privilegia libertatis a Romano pontifice Leone impetravit, & omnimodis fratrum utilitatibus prospiciens, verus pater monachorum & dici & esse meruit.* Obiit an. 1051.

XXX. Arnoldus de Flackenberge a puero

Laureshami enutritus, ita se gessit, ut primo ibidem præpositus, dein Wessemburgensis monasterii regimini prælatus, postea Lintburgensis monasterii, ac subinde Corbeiæ-novæ præfecturam obtinere meruerit. Inde vero ad regendum Laureshamense monasterium a suis revocatus, demum Spirensis ecclesiæ episcopus factus dicitur in chronico Laureshamensi. At quo tempore has præfecturas sortitus sit, non facile est definire. Ex Lamberto tamen Scafnaburgensi, Arnoldus Siviconi, *seu* Sibiconi episcopo in sede Spirensi successit an. 1054. & obiit 1056. retentis, ut videtur, Laureshamensi & Corbeiensi præfecturis. Certe an. 1053.* tanquam abbas Laureshami, ecclesiam, quæ vocatur *Varia*, per Leonem papam consecrari VIII. cal. Novemb. obtinuit. Notatur in necrologio, VI. nonas Oct. Arnoldus episcopus & abbas, & huic quidem monasterio præfuisse annis quatuor dicitur. Attamen ejus obitus diem Helwichius in antiq. Laursham. XVII. cal. Apr. notat.

*al. 1054. v. calend. Novemb.

XXXI. Udalricus, Arnoldi successor renuntiatus est ipso anno, quo Henricus III. obiit, id est an. 1056. de quo sic habet necrologium: *Udalricus abbas, &c. VIII. cal. Decemb. Hic nobis privilegium libertatis ab Alexandro papa obtinuit;* ac proinde annum saltem 1061. attigit, quo hic papa sedere cœpit. Verum an. 1062. Adelbertus Hammaburgensis, *seu* Bremensis archiep. hanc abbatiam cum Corbeiensi in Saxonia obtinuisse ab Henrico imperatore visus est, vivente Udalrico; sed hic anno seq. IV. nonas Febr. in suum gradum restitutus est, ac insuper privilegio libertatis & immunitatis a Rege, *seu* Imperatore donatus. Imo Romam profectus, omnia Bremensis archiepisc. acta abrogari sategit ab Alexandro pontifice, in editis male Adriano, qui privilegium priscæ libertatis denuo confirmavit. Unde etiam colligas Udalricum perperam dici in chronico domestico per annos novem continuos in summa pace abbatiam gubernasse. Ceterum Udalricus idem an. 1069. indict. VII. Fridericum abbatem Hirsaug. injuste depositum blande consolatus, secum abduxit in monasterium S. Michaëlis archangeli, quod *Ebernsperg* dicitur, & cum aliis inibi morantibus monachis collocavit; cui de omnibus hujus vitæ necessariis honestissime providit. An. 1071. monasterium in insula *Aldenmunster* restauravit anno regiminis sui XVI. & a consecratione ejusdem ecclesiæ, olim primariæ monasterii Laureshamensis, per Rudgangum archiepiscopum anno 304. E vivis tandem excessit Udalricus Laureshamensis abbas præfecturæ anno vicesimo, Christi 1075. idemque Murbacensis abbas, dignus laude, dignus memoria, inquit chronographus Laureshamensis, quippequi lupo veniente non fugit, non oves dimisit, sed murum se pro domo Israel opposuit. Memoratur in necrologio, VI. nonas Maii, ut infra videre est in Diemone abbate. Cum vero post obitum Udalrici omnes præpositum ejusdem loci substituendum censerent, quem Regi ob officia & merita gratum fore putabant, Rex tamen alium quemdam ejusdem cœnobii

A monachum, Adalbertum nomine, prætulit, eumque repente injecta manu (nam cum aliis ad curiam venerat) in medium protraxit, & rei novitate præ aliis attonito baculum pastoralem tradidit.

XXXII. Adalbertus modo prædicto abbas institutus, seu potius intrusus, post biennii regimen, incertum quas ob causas, deponitur: de quo fortasse necrologium sic habet: *Adalbertus abbas, III. cal. Aug. Hic fratribus ad supplementum servitii ipsorum in Julio, constituit annuatim dari caritatem* * *vini in Heppenheim pro quo dominus abbas Anshelmus dedit vineam unam in* B *Heppenheim.*

* al. caratam.

XXXIII. Wintherus, quem alii Diethmarum vocant, Sigehardi comitis frater, & Adelberti Moguntini archiepiscopi patruus, haud meliori auspicio supponitur. Is nobilitatis fastu inflatus, monasterii possessiones fratri suo, aliisque in beneficium tradidit; ac demum Vormatiensem episcopatum simoniaco ambitu, & maximo Laureshamensium detrimento invasit. Exactis porro in episcopatu tribus annis, episcopatu & abbatia cessit, de cetero privatus vivere pollicitus in Hirsaugiensi monasterio, quod specie conversionis expetiit. Verum inde non multo post ab C amicis revocatus, nihilo melior factus, Laurishami prædia denuo in beneficium exposuit; sed tandem abdicata rursum utraque dignitate, Hirsaugiam reversus, ibidem rebus excessit humanis, *miserabili sane exitu*, inquit chronographus, quippequi *tanta rapuit, nec exsolvit.* Tenuit episcopatum annis tribus, abbatiam annis undecim.

XXXIV. Anselmus, postquam Wintherus Hirsaugiam secundo reversus est, concordi fratrum electione subrogatur, vir consilio & prudentia conspicuus, qui ablata monasterio recuperavit. Ejus tempore (an. 1090.) XII. calend. Apr. combustum monasterium instaurari strenue D curavit, cellamque novam in excelsiori montis Abrinsbergensis cacumine, S. Stephano protomartyri sacram, fundavit & dotavit, necnon sufficientes reditus ad sustentationem fratrum, qui divina ibi officia persolverent, assignavit anno 1094. Sepultus est in hac S. Stephani ecclesia post annos tredecim præfecturæ, anno Christi 1103. ex antiq. Laursham. de quo necrologium, VII. calend. Julii, his verbis: *Anshelmi abbatis. Hic pater in monte Habrahæ, pro desiderio regni cœlestis, & in augmentum hujus loci, novam cellam construxit, & decem fratribus necessaria sufficienter inibi acquisivit, & S. Nazario* E *optimam cappam auro textam condonavit, & fratribus ad Karitatem caratam vini in festivitate S. Nazarii constituit, & dimidium talentum in festo Pentecostes & maldrum caseorum, & centum ova, & talentum in anniversario ejus contradidit.*

XXXV. Geroldus II. incertum, an ex ipsa congregatione, an aliunde assumtus, Anselmum excepit; cujus certe rogatu Henricus imperator diploma dedit an. 1103. in gratiam novæ cellæ constructæ in excelsiori montis Abrinsbergensis cacumine. Vivere desiit circiter annum regiminis tertium.

XXXVI. Hugo II. Gengembacensis primo, A deinde Laureshamensis an. 1106. non electione fratrum, sed imperiali auctoritate instituitur abbas, statimque hoc ipso anno destituitur.

XXXVII. Gebehardus eadem quoque auctoritate in eamdem abbatiam se insinuavit, vir tum natalium splendore, tum etiam consilii sagacitate in palatio regis Henrici non parum acceptus; a quo jam dudum an. 1104.* ex abbate Hirsaugiensi, de consilio Ruthardi Moguntinensis & aliorum præsulum episcopus Spirensis designatus fuerat. Tenuit abbatiam duobus annis ab an. scilicet 1108. ad 1110. quo mortuus est, notatus in necrologio episcopus & abbas, calendis Martii; B qui dum regeret, huc advocavit monachos Hirsaug. sub religionis specie, quorum factione pene omnes Laureshamenses domo sua propulsi sunt & aliquandiu dispersi; qua de re ad Paschalem II. papam exstat Laureshamensium epistola.

* *al.* 1105.

XXXVIII. S. Ermenoldus & Ermonaldus, patria Suevus, professione vero Hirsaugiensis monachus, abbatiam Laurissensem, tum electione fratrum communi, tum Henrici regis V. consensu regendam invitus suscepit; quam paulo post lubens dimisit, factus deinde primus abbas S. Georgii in Prueningen, *al.* Brunseningen. Ita Trithem. in chron. Hisaug. recognito, pag. 357. C & 359. Quod autem dicitur illum abbatiam Laurisham. consecutum fuisse electione fratrum communi, intellige Hirsaugiensium, qui tunc monasterium possidebant; nam aliunde liquet ex epistola prænominata Laurishamensium ad Paschalem papam, iis non ita fuisse acceptum, *prius*, inquiunt, *incipientem gerere magistratum, quam sciret*, qui *non prius furorem suum mitigavit, quousque sine præcepto abbatis, omnes nos exheredes nostri claustralis consortii effecit, &c.*

XXXIX. Benno ex Weissenburgensi monasterio, mediante, ut fertur, simonia, imperiali favore, eidem loco subintroductus est, qui post D aliquot annos pro morum levitate ex abbatia deturbatus est, postmodum tamen restitutus favore Godefridi Palatini comitis Rheni; ac post novem* annos in abbatia pessime exactos, in cella Michlenstat sepultus est.

* *al.* 13.

XL. Heidolfus ex monacho S. Pantaleonis apud Coloniam intruditur ab Imperatore anno 1119. & statim extruditur.

XLI. Arnoldus aliquandiu rexit Laurishamum ex Imperatoris beneficio, ac deinde factus est episcopus Spirensis ubi vide.

XLII. Hermannus, postquam sex annis ab expulsione Heidolfi ecclesia Laureshamensis in dis- E positione imperiali fuisset, ex præposito S. Petri *in Aldenmunster*, favore Adelberti senioris, Moguntini archiepiscopi & Godefridi Palatini comitis abbas constitutus, anno necdum exacto Laurissæ moritur & sepelitur. Locum habet in necrologio, VII. cal. Maii.

XLIII. Diemo, antea camerarius Laureshamensis, vir mansueti & simplicis ingenii, præerat an. 1130. quo facta fuit bonorum commutatio inter fratres Laureshamenses & fratres S. Stephani. Laureshamensis autem S. Nazarii, major ecclesia dicebatur, quam hoc ipso anno ind. VIII. consecrari fecit per quinque episcopos, Adelbertum Moguntinum, Buggonem Vormatiensem, Brunonem Argentinensem, Udalricum Constantiensem & Conradum Curiensem; fratribusque in anniversaria ipsius dedicationis die talentum de reditibus *hubarum* in ipsa villa constituit; minor S. Stephani vacabatur ecclesia, ipse vero mons Abrinsbergensis, *seu* Heiligenbergensis, vulgo *mons Sanctus*, aut *Sanctorum* appellatus est. Adfuit 1139. generali concilio Romano sive Lateran. sub Innocentio papa, a quo digrediens, Veronæ languore correptus, apud Brixiam decessit anno regiminis sui 14. ibidemque sepultus est in latere matricis ecclesiæ ad limen meridiani introitus. In necrologio memorantur Diemo, Udalricus & Bertolfus abbates, VI. nonas Maii, *qui monasterium consecrare fecerunt.*

XLIV. Baldemarus, Bleidenstadensis abbas, interjecto post obitum Diemonis integro & semis anno, obtentu simoniaco per Conradum imperatorem, Laureshamensem invasit ecclesiam circa 1140. qui paulo post in præsentia Theotwini cardinalis, sedis apost. legati criminaliter accusatus, necdum anno vertente, canonico judicio depositus est.

XLV. Folcnandus post annum circiter a vacante abbatiali sede, ex præposito S. Petri *in Adenmunster*, fratrum votiva concordia abbas efficitur, quem Baldemarus decessor apud sedem apostolicam adeo insectatus est, ut utriusque partis allegatio & totius causæ retractatio Moguntino archipræsuli Henrico apostolica auctoritate delegata fuerit; verum Folcnandus ad ipsam Papæ præsentiam, ex consilio regis Conradi, Baldemarum citavit; tandemque Baldemarus a Laureshamensi abbatia decisus est, & a Bleidenstadensi suspensus ad tempus, Folcnando canonice confirmato a Cœlestino papa Lucii decessore. Adhuc autem præerat 1147. ac insequenti Remense ad concilium ab Eugenio papa evocatus, privilegium ab eodem obtinuit. Obiit anno septimo regiminis, sepultus in ecclesia principali, in ipso occidentali introitu, in latere exeuntium dextro. Memoratur in necrol. domestico, VIII. idus Maii.

XLVI. Hildebertus ex Fuldensi monacho, tum S. Mariæ virg. *in Michlenstat* præposito, eligitur abbas, & ab Henrico rege *investitur*; sed necdum consecratus, sexto mense moritur, & ad introitum ecclesiæ in latere meridiano tumulatur. Locum habet in necrologio X. calend. Novemb.

XLVII. Marquardus, præpositus S. Petri *in Aldenmunster*, e vestigio substitutus, & ab eodem rege *investitus*, undecimo post electionem mense mortuus est, & inter duos antecessores suos medium sepulturæ locum sortitus. Reperitur in necrol. IV. idus Septemb.

XLVIII. Henricus, cum jam tribus annis abbatia vacaret, ex monasterio Sunnensheim concordi studio eligitur, vir omni genere virtutum instructus, cui Victor antipapa, precibus Friderici imperatoris & Reginaldi Coloniensis electi, mitræ

usum concessit litteris Papiæ datis III. cal. Martii. A
Decessit IV. cal. Oct. 1167. sepultus in Aquilonari introitu ad limen ecclesiæ, cum hoc epitaphio:

Hoc jacet in tumulo dolor & decus omne suorum
Abbas Heinricus, jugi prece dignus eorum.
Dic, rogo, qui transis, memor ejus & hic positorum.
Anima ejus & animæ omnium, &c.

XLIX. Sigehardus prævüs fratrum calculis an. 1167. istuc abbas missus est cum 20. *al.* 12. monachis de congregatione fratrum Hirsaugiensium, qui statim ruinosa ædificia restituit, & magnam brevi multitudinem monachorum congregavit, ex Trithemio. Hic an. 1173. ind. VI. B
reperitur in charta Friderici imper. pro ecclesia Moguntina. An. 1179. pontificatus Alexandri III. vigesimo privilegium ab eodem obtinuit VII. idus Apr. usumque mitræ sibi & successoribus XVII. cal. Maii, & annuli pridie idus Julii. Porro circa 1195. consensit præposituram S. Bartholomæi in Noviburgo, vulgariter *Nuwenburg* juxta Neccari fluenta, prope *Heidelberg*, suæ abbatiæ subjectam in cœnobium sanctimonialium commutari a Conrado comite Palatino Rheni, qui primam ibidem abbatissam instituit filiam suam Cunegundem. Ita memoratur in necrol. domestico: *II. idus Julii, Sigehardi abbatis. Hic* C
constituit fratribus in anniversario suo, octo uncias de decimatione in Hantschwesheim.

L. Lupoldus episc. Vormatiensis, qui se Moguntinum archiepiscopum dicebat, seipse quoque abbatem Laurishamensem dicit an. 1206. XIV. calend. Martii in diplomate pro Schonaugiensibus.

LI. Conradus gravissimam cum suo conventu dissensionem habuit, ex qua mala malis superaddita sunt, quæ monasterium ab ordine tandem violenter transtulerunt. Vide Trithem. in chronico Hirsaug. recognito, pagg. 547. & 549. Ipse vero sententia commissariorum, abbatis scilicet de Winwiler, *al.* Werne-vicorte ordinis D
Cisterc. & aliorum a Romana sede delegatorum deponitur an. 1232. Occurrit Conradus in necrol. domestico, IV. cal. Aug. Ex hac autem depositione secuta est duas in partes divisio conventus, ex qua occasionem nactus

LII. Sifridus Moguntinus archiep. hujus monasterii principatum, castra, oppida, Vassallos & imperialia jura obtinuit a Friderico II. imperatore an. 1232. Deinde vero traditur monasterium Cistercienfibus monachis, posteaque Præmonstratensibus. Sed antequam hæc discutiamus, operæ pretium visum est nonnullos incerti ævi abbates E
ex necrologio hic recensere, solo dierum ordine servato, quo modo servavit ipsum necrologium. Dubitandi tamen locus est utrum omnes sint abbates Laureshamenses.

Reginoldus, sacerdos & abbas, IV. idus Febr.

Drutmarus abbas, XV. cal. Martii. Hic isthinc prælatus novæ Corbeiæ congregationi, composuit sermonem & cantum in honorem S. Nazarii. Obiit an. 1046. ex Buccelino.

Burchardus abbas, III. nonas Martii.

Fridericus, presbyter & abbas, VI. idus Martii.

Einhardus, abbas (Blandiniensis) pridie idus Martii. Hic sancto Nazario cellam Michilinstat cum centum mancipiis & omni integritate dedit.

Henricus abbas, VII. cal. April.

Otto abbas, V. calend. April.

Berngerus, sacerdos & abbas, XI. cal. Maii.

Bertolfus abbas, VI. nonas Maii, ut supra in Diemone XLIII. abbate.

Ricardus, presbyter & abbas, XIII. cal. Junii.

Lutfridus abbas, IV. cal. Junii.

Heinricus abbas, calendis Julii.

Meginhardus abbas, VI. nonas Julii.

Fridericus, presbyter & abbas, VIII. idus Julii.

Deginhardus abbas, *f.* Reginhardus, XII. cal. Octob.

Heinricus abbas, IV. cal. Octob.

Hic dedit calicem deauratum, thuribulum aureum, buccinam argenteam, ampullas argenteas, ad ornatum altaris, & vineam in Hemmesbach in anniversario suo usui fratrum constituit. Præterea XIV. cappas, III. casulas dalmaticam, stolas II. auro textas, & III. simplices ad decus ecclesiæ contulit, muros dirutos restauravit, pontem exstrui, pluraque ædificia intus & foris renovari fecit, ac cellæ in Niwemburg tam in ædibus, quam in possessionibus prospexit plurimum.

Bertoldus, sacerdos & abbas, IV. idus Nov.

Megingaudus abbas, V. cal. Decemb.

Beringerus abbas, XIII. cal. Jan.

Redeo ad Sifridum archiepiscopum, qui vix principatum hujus monasterii obtinuerat, cum ut sibi & successoribus suis eumdem perpetua firmitate stabiliret, monachos ipsius cœnobii callida persuasione induxit, magna promittens, ut litteras summo pontifici Gregorio IX. dirigerent, & monasterium suum uniri cum ecclesia Moguntina postularent. Petitioni assensit Gregorius, statimque Sifridus expulsis monachis nigris Cistercienses induxit; sed his semel & iterum fugatis ab antiquis Laurissæ monachis, post annos tandem duodecim transactos, plus minusve, sub Innocentio IV. Præmonstratensibus monasterium cessit, cum Sifridus quoscumque substituere ab eodem Pontifice obtinuisset litteris datis Lugduni III. nonas Maii pontificatus Innocentii IV. anno secundo; eamque Præmonstratensis ordinis in monasterio Laurissensi institutionem idem Pontifex an. 1248. VI. idus Jan. confirmavit.

Hic porro floruit disciplina Præmonstratensis sub regimine præpositorum, usque ad an. 1555. quo defunctus est ultimus ejus præpositus. Tunc enim relegatis ac fugatis monachis, Fredericus comes Palatinus Rheni, e Lutherano factus Calvinista, monasterium ejusque possessiones occupavit, altaribus, rebusque sacris profanatis ac destructis. Postremo cum residua hujus florentissimi quondam cœnobii ædificia an. 1621. ab Hispano milite occuparentur, omnia ignibus consumta fuerunt.

I. Feminarum

BEATÆ MARIÆ VIRG. monasterium Wormatiense, quod vulgo *Nonnarum-monasterium* appellari solet, *Nonnen-munster & Marien-munster*, situm est in suburbio Wormat. primum

Vide Stangel. in annal. circuli Westphalici, fol. 81.

tamen in Wallinburgo Vangionum urbi vicino A monte inchoatum. Pro virginibus autem Benedictinis fundatum tradunt an. 840. sub episcopo Wormatiensi Samuele, ab imperatore Ludovico Pio, in cujus rei argumentum hoc distichon templi foribus incisum adducunt.

Claustri fundator Ludovicus induperator
Princeps egregius, cui det Deus arce poli jus.

Ut ut est, de hoc monasterio sic habet Trithemius in chronico Hirsaugiensi: *Eodem quoque anno* (1234.) *pridie idus Septembris obiit Henricus de Saraponte, Wormatiensis episcopus, in medio chori majoris ecclesiæ suæ cum honore sepultus, cui Landolfus successit, & præfuit annis* B *XIII. qui moniales ordinis nostri* (Benedictini) *de cœnobio Noune-monsther vulgariter dicto, in suburbio civitatis, propter inordinatam vitam ipsarum expulit, & alias de ordine Cisterciensi illuc introduxit, quæ & ipsum locum inhabitant usque in præsentem diem, ut videmus.* Ita etiam ipsis fere verbis chronicon Cisterciense Miræi ex Bruschio. Quidni vero antequam ab ordine Benedictino ad Cisterciensem transiret, defecisse dicamus ad ordinem canonicarum Regularium! Hoc certe innuunt litteræ Gregorii IX. in hæc verba:

Epist. 231. *Electo Wormaciensi.**

C *Vigilis pastoris, sicut credimus, gerens sollicitudinem circa gregem Dominicum, & ardenter cupiens, ut in locis divino cultui deputatis debita Domino honorificentia impendatur: super eo quod in ecclesia S. Mariæ suburbii Wormatiensis sunt, ut asseris, canonicæ Regulares, quarum conversatio, cum vivant nimis dissolute, honestati penitus contradicit, apostolicum remedium implorasti: præsertim, cum in prædicta ecclesia, per enormitates ipsarum, potius blasphemari, quam laudari nomen Domini videatur. Nos autem, qui reformationem locorum religiosorum cupimus, & commoda libenter* D *quærimus animarum, diligentiam tuam in Domino commandantes, & gerentes de discretione tua fiduciam pleniorem, devotionis tuæ precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut cum reformationi ejusdem, ac illarum saluti expedire proponas, quod ordo Cisterciensis inducatur ibidem, ut in vinea Domini sit, de ceteroque fructum ei temporibus suis reddat, ipsam in prædicto ordine auctoritate nostra studeas reformare, eisdem mulieribus, si quæ noluerint ordinem ipsum assumere, & transire in dexteram de sinistra, in locis sibi competentibus collocatis. Contradictores, &c. Datum Rheati XII. cal. Octob. anno X.* id est 1236. Ceterum an. E 1644. parthenon Gum mersheim prope oppidum Odernheim situs huic Wormatiensi tunc maxime prolapso unitur, precibus abbatissæ Anselmo Casimiro archiep. Mogunt. annuente.

ex Bruschio. SERIES ABBATISSARUM.

I. MATHILDIS soror S. Burchardi Wormatiensis præsulis, quem auctor nuperrimus* historiæ ecclesiasticæ Germaniæ, tanquam cœnobii hujus conditorem laudat, sedit ante & post annum Christi 1025.

* 1724.

II. Agnes, prima Cisterciensis ordin. in hoc monasterio abbatissa constituitur an. 1240. ab ipso reformatore Landolfo episcopo Wormatiensi, qui postmodum in choro ejusdem cœnobii decenter humatus est. Præfuit quatuordecim annis, fato functa calendis Apr. 1254.

III. Jutta I. e vivis excessit festo die S. Johannis Bapt. an. 1296. in medio virginum choro sepulta, postquam summa cum laude rexisset annis 43.

IV. Jutta II. exactis in abbatiali regimine annis 38. migravit ad Dominum an. 1334. in ambitu, seu claustro sepulta.

V. Anna per annos 12. regimen adepta, vivere desiit VII. idus Octob. an. 1346. condita in claustro.

VI. Christina de Wechenhein, Henrici militis & Adelheydis filia, præfuit ab an. 1346. ad 1365. quo anno, XII. cal. Maii cessit e vita, & est sepulta in medio ecclesiæ.

VII. Margareta I. Kettenheym post 39. regiminis annos, moritur die S. Martini an. 1404. in claustro sepulta.

VIII. Barbara obiit 1416. cum sedisset annis 12.

IX. Liba Guldenringin, ab aureo annulo cognominata, civis cujusdam præpotentis Vormatiensis filia, accepit clavum virginei cœtus an. 1416. tenuitque summa cum laude ad annum 1454. clauso interim cœnobio, & ab omni virorum congressu sejuncto ac munito. Obiit hoc anno sepulta in choro inferioris ecclesiæ ante aram principem.

X. Elisabeth I. de Lindenfels cum utiliter præfuisset annos 28. animam exhalavit anno 1482. III. calend. Martii, condita in choro ecclesiæ.

XI. Catharina Moguntina præfuit annis 18. defuncta 1500. X. cal. Julii.

XII. Margareta II. Creutzbergerin, e Francofurto Mœni nata, post sex annos regiminis mortem oppetiit 1506.

XIII. Apollina Lupoldina, ex Umbstado oppido, Aschenburgensi civitati vicino nata, successit Margaretæ in annos 25. quibus exactis diem supremum obiit an. 1531. in superioribus Rhetiæ thermis Amasiacis, ad quas ægrota recuperandæ sanitatis gratia concesserat. Inde vero ad Erbachianum cœnobium in Ringovia revecta, ibidem honorifice condita est.

XIV. Margareta III. Halbquertina, Wormatiensis, cum præfuisset annis 12. obiit 1543.

XV. Elisabeth II. Heerdina, ex Francofurto Mœni honestis parentibus nata, adhuc præerat 1551.

LOBENFELS, *seu* LOBENFELDT virginum Benedictinarum cœnobium in diœcesi Vormat. pago, qui dicitur *Kreichgow*, duobus fere ab Heydelberga milliaribus situm; quod sub an. 1135. Buggo ex familia equitum ab Achorn Vormatiensium episcopus condidit & liberaliter dotavit, ita Bucelinus. Hoc autem postmodum Reinhardus de Sickingen diœcesanus episcopus reformasse 14

reformasse dicitur, & ei plurima contulisse sub an. 1450.

III. NUENBURGUM, *sive* Novum-castrum, ac S. Bartholomæus in Noviburgo, fuit olim præpositura circiter an. 1134. ab Anselmo pio viro ac divite in honorem S. Bartholomæi apost. juxta Neccari fluenta, prope Heidelbergam fundata, quam deinde Conradus comes Palatinus Rheni, frater quondam imperatoris Friderici I. sua conjuge Irmingarde cooperante, & consentiente Sigehardo abbate Laurissensi an. 1195. in cœnobium sanctimonialium ejusdem ordinis, ut est hodie, ait Johannes Trithemius, commutavit, eique filiam suam Cunegundem primam abbatissam præfecit. Hanc vero putamus esse Cunegundem abbatissam in necrologio Laurishamensi VII. idus Febr. commemoratam.

ord.S.Aug. I. KIRSCHGARTEM, *seu* HORTUS B. MARIÆ, cœnobium est virginum olim Cisterciensium, extra muros civitatis Wormatiæ, nunc vero canonicorum Regularium S. Augustini, de quo sic habet Johannes Trithemius in chronico Spanheimensi ad annum 1226. *His temporibus Henricus episcopus Wormatiensis, filius comitis de Saræponte, fundavit cœnobium monialium in Kirschgartem, extra muros civitatis Wormatiensis, posuitque inibi moniales Cisterciensis ordinis, quæ ipsum locum per annos fere ducentos sub eadem religione inhabitarunt, usque ad tempora Friderici episcopi, qui anno MCCCCXLIII. monialibus expulsis,* (propter inordinatam earum vitam) *canonicos Regulares de bona observantia Windesheim reformatos introduxit.* Obiit autem Fridericus episcopus an. 1445.

II. FRANCKENTAL ord. S. Augustini canonicorum Regular. monasterium conditur anno 1135. a Buggone Vormat. episcopo non longe ab urbe Vormatia, & juxta illud puellare ejusdem ord. monasterium, sed utrum abbatiali titulo donata sint, incompertum est.

Feminarum III. FISCHBACH puellare ordinis S. Augustini monasterium in diœcesi Wormatiensi, e quo cœnobio accitæ sunt virgines in Kleinenluzel a Gasparo de Rheno episcopo Basileensi an. 1486.

SCONAUGIA, *latine* PULCHRA INSULA.

ord.Cisterc. I. QUatuor olim in Germania ejusdem nominis (Sconaugiæ) fuerunt monasteria, & quidem satis sibi invicem vicina. Primum in diœcesi Trevirensi ordinis S. Benedicti virorum, alterum ejusdem ordinis feminarum in eadem diœcesi, de quibus ambobus suo loco dicemus; tertium puellare ord. Cisterciensis in Franconia, de quo nihil ad nos; quartum denique monachorum Cisterciensium, de quo nunc agimus, ubi in habitu virili vixit B. Hildegundis virum mentita, & ad mortem usque *Joseph* vocata, de qua vide menologium Cisterciense 20. Aprilis.

Hoc autem monasterium, filia Eberbaci e linea Claraevallis, duobus circiter milliaribus ab Heydelberga distans, initia sua refert ad annum 1135. ut quibusdam placet, aliis vero 1140. *vel* 1144. fundante & dotante Buccone, *sive* Buggone Wormatiensi episcopo, qui an. 1151. die 5. Decembris fato functus, ibidem cum inscriptione quam vide apud Jongelinum tumulatur. Illic etiam jacet Eberardus a Strasenberg ejusdem sedis antistes, qui decessit an. 1293. In fundationis diplomate inter alios testes citantur Poppo comes Lauffensis, & Bleicardus de Steinach. Porro hic locus ita brevi tempore spiritualibus bonis, ac temporalibus auctus est, ut an. 1189. Bebenhusanum diœcesis Constantiensis monasterium genuerit. Sequuntur abbates, quos expiscari potuimus.

ALIQUOT ABBATES.

I. GAUFRIDUS, *seu* GODEFRIDUS aliunde assumtus, an. 1168. insolentiæ conversorum fratrum obviare curavit; de quo sic habet necrologium ord. Cist. nonis Septembris: *In Germania Maguntiensi, B. Godefridi abbatis Schonaugiæ, qui in spiritu & virtute Eliæ zelatus est pro disciplina monastica.* Vide fasciculum SS. ord. Cisterc. p. 2. pag. 286.

II. Daniel, de quo sic habetur in prædicto necrologio die 27. Junii: *Schonaugiæ in Germania, B. Danielis abbatis, qui inter sacra missæ solemnia sæpe gustavit & expertus est, quam dulcis est Dominus.* Vide fasciculum SS. ordin. Cisterc. loco citato, pag. 285.

III. Theobaldus præerat an. 1186. quo beatam Hildegundem virum hactenus ementitam sub nomine Josephi, habitu monachali induit. Deinde factus est abbas Eberbacensis.

IV. Walterus an. 1208. testis est in litteris Henrici Saxoniæ ducis pro Bebenhusano monasterio.

V. Andreas scriptis celebris floruit an. 1512. sub Maximiliano imperatore.

VI. Marquardus ex Mulbrunensi monacho fit abbas Sconaugiensis ad petitionem comitum Palatinorum Rheni, sed quo tempore ignoratur.

VALLIS S. MARIÆ; *vulgo* FRAVVENZIMMEREN.

DUæ memorantur ejusdem nominis, sexus & ordinis abbatiæ, altera in diœcesi Augustana, altera in Wormatiensi; utraque videlicet feminei sexus & ordinis Cisterciensis. Porro de ista ad nos unica spectante sic legimus in epitome fastorum Lucellensium auctore Bernardino abbate Lucellensi & Mulbrunensi edita 1666. *Abbatia Vallis S. Mariæ,* vulgo *Fravvenzimmeren in Zabergoja, non procul ab oppido Gyglingen sita, diœcesis Wormatiensis, fundatur circa annum 1236. ab Hermanno episcopo Herbipolensi, & abbati Mulbrunensi subjicitur. Circa an. 1442. fit prioratus & transfertur in Kirchbach. Anno denique 1485. monasterio Coronæ S. Mariæ* Feminarum

sive Rechenshofen (sexus ejusdem ac ordinis in Wirtenbergia) nititur. Verum an. 1563. idem auctor asserit, ubi agit de Corona S. Mariæ, eam fuisse occupatam cum Valle S. Mariæ diœcesis Wormatiensis a duce Wirtenbergico.

HOCHENHEYMENSIS parthenon, sed cujus ordin. incertum, fundatus est extra muros Vormatienses anno circiter 1280. cujus ecclesiam in honorem B. M. Virg. Fridericus episc. consecravit.

SPIRENSIS ECCLESIA,

& olim NEMETENSIS.

CIVITAS augusta Nemetum in Palatinatu ad provinciam Germanicam primam pertinere dicitur in Notitia provinciarum & civitatum Galliæ, auctore Hadriano Valesio. Nemetes vero a Cæsare, Plinio, Tacito, atque Ptolemæo, cum Vangionibus, & Tribocis, Trebocisve junctim memorantur: ex quibus Plinius & Tacitus hosce tres populos *Germaniæ gentes* appellant, & Rheni ripam accolere in provincia Belgica scribunt; Ptolemæus in superiore Germania, quæ pars est veteris Belgicæ, eos ponit; Cæsar in lib. 1. *Germanos* vocat. Porro urbs Nemetum Ptolemæo *Noviomagus Nemetum*, ceteris *Noviomagus*, in tabula Theodosiana ponitur media inter *Borbetomagum*, Gallice *Vormes*, & Tabernas, *Saverne*, a priore duodecim millibus, a Tabernis Rheni undecim distans, & a sua metropoli Moguntia itinere 22. horarum; ac in itinerario Æthici *Noviomagus* inter Concordiam *Kochers-perg* & Bingium, itemque Tabernas inter & Bormitomagum, necnon inter Bormitomagum & Argentoratum, haud longe a ripa sinistra Rheni.

Accidit autem Noviomago, quod plurimis Galliæ urbibus videmus contigisse, ut veteri ac proprio nomine deposito, gentis, cujus caput erat, appellationem reciperet, atque a Nemetibus *Nemetæ* vel *Nemetes* diceretur; cui etiam nomini tertium ac recentius plerumque adjicitur his verbis: *Civitas Nemetum Spira;* alias *Civitas Nemetum*, id est *Spira*. Et certe Zacharias urbis Romæ pontifex nunc *David Spironensem episcopum*, nunc *civitates Vormatiam, Spiraciamque* commemorat in epistolis ad Bonifacium Moguntiacensem episcopum. *Spiram* vocat & Nithardus in lib. 3. Ex quibus intelligitur Spiram, *aut* Spiraciam, atque etiam, (nisi menda subest) Spironam ante annos nongentos appellari occœpisse Nemetum civitatem, contra quam aliqui scribunt Rudigerum episcopum anno primum 1084. Spiræ nomen indidisse huic civitati. Vulgarius hodie eo nomine censetur, ac Latinis scriptoribus *Spiracia* nonnunquam, plerumque *Spira* vocitatur, Germanis *Speir*, alias *Spiers*, Gallis *Spire;* quod nomen habet a fluviolo *Spira*, qui Germanice *Speyr* vel *Spier* dicitur, & quinque millia-emensus, urbem Nemetas perluit, ac Rheno ibi confunditur.

Donata est civitas Spirensis, quæ vulgo *devota* cognominatur, uti Moguntia ipsius metropolis *honorata*, libertatibus & privilegiis a Conrado II. Henrico III. IV. & V. itemque celebris est ab Imperii comitiis illic non raro convocatis, & quidem a Ludovico Bavaro an. 1333. Illuc insuper anno 1526. convenere Imperii proceres & renovarunt Vormatiense edictum; sed intercedentibus Saxoniæ duce & Lantgravio Hassiæ, cum aliquot Germaniæ civitatibus, dilata est exsecutio in publicum nationale vel œcumenicum Concilium. Anno 1529. rursum fuit in hac urbe conventus Imperii, quo cum, abrogato priore edicto Spirensi, Vormatiense illud esset repetitum, contra protestati sunt Evangelici proceres, & ob factum illud vocati sunt *Protestantes.* Sed imprimis ingens urbi decus accessit, cum tribunal forense, quod antea Imperatorem sequi consueverat, quodque postea Maximiliani I. instituto Francofurti erectum, atque inde Vormatiam translatum fuerat, Spiræ tandem figi cœpit anno 1530. ubi adhuc ingenti reipublicæ Germanicæ bono servatur. De hac urbe sic David Sigemundus canit:

Qua Nemetum Rheno miscetur Lutarus urbe,
Imperii surgit nobile Spira forum;
Quæ sex Cæsaribus tribuit commune sepulcrum,*
Francorum summi quos genuere duces.
Totius hæc regni communia jura tuetur,
Hic sua Romanus fœdera Cæsar habet.
&c.

* *Octo Bertius habet, de quibus in discursu.*

Primi vero Sigebertus rex & Pipinus dicuntur episcopatum latifundiis & proventibus auxisse; ac post eos Conradus II. qui etiam oppidum *Bruchselam* cum tota regione Brureinensi *, episcopatui donavit. Ejus territorium includitur Palatinatu Rheni, in quo firmissimum propugnaculum Philippiburgi constructum est circiter an. 1634. cum jam sub initium superioris seculi arce in eodem loco, dicto tunc Udenheimio, condita, illuc episcopalis sedes translata fuisset. Nunc vero sedem episcopo Bruchsella præbet, (quanquam & Spiræ elegans ipsi est palatium) ubi arcem Ulricus II.

* In Bertius, Imhofius vero tractum *Prurhenicum* habet.

præsul, cum ejus advocatiam a comitibus de Calw emisset, traditur condidisse. Ceterum in Spirensem civitatem nulla episcopo jurisdictio competit, quanquam fidelitatis sacramentum cives episcopo præstare solent ad exemplum Vormatiensium, quippequæ in classe liberarum ac imperialium est. Attamen habet ille facultatem nonnulla in urbe officia constituendi, camerarii scilicet, sculteti, & quæ rem monetariam ac telonia concernunt, uti Sprengerus testatur. Templum etiam illud augustum cathedrale Spiræ Conradus II. imperator exstruere cœpit, quod filius ejus Henricus III. ad finem opere consummato perduxit, multis deinceps Imperatorum & Augustarum Germaniæ nobilitandum sepulcris; quod quidem ab eo tempore patronos habet Deiparam Virginem & S. Stephanum papam & martyrem, qui solus antea patronus erat. Novem duntaxat in eo sunt canonici capitulares, ex quibus sunt quinque dignitates, præpositus, decanus, scholasticus, custos & cantor. Duodecim vero canonici domicellarii numerantur. De laudibus & cæremoniis ecclesiæ Nemetum carmen scripsit Jacobus Wimphelingus ad Ludovicum de Helmstadt episcopum Spirensem, & chronicon hujus ecclesiæ Guillelmus Eisengreinius, lib. 16.

EPISCOPI SPIRENSES.

ANNI CHRISTI

I. JESSES, JESSIUS, *vel* JASINUS.

Hic primus occurrit episcopus Spirensis, *seu* Nemetensis, qui certe ex primis est;
346. jam enim an. 346. interfuisse legitur concilio Agrippinensi adversus Euphratem Arianum episc. Colon. de qua tamen synodo inter eruditos disputatur. In chronico Alberici vocatur Gessius & a Demochare Tessis.

II. ATHANASIUS.

Post longum interpontificium, nisi forte plurimorum præsulum nomina exciderint, Nemetensi cathedræ impositus est Athanasius an.
610. 610. ait Demochares; sub quo Dagobertus Francorum rex magnificum S. Germani cœnobium extra urbis Nemetum muros construxit, ubi fuerat prius idolum Mercurii. Cointius ad
614. annum 614. cum adfuisse tradit synodo Constantiensi habitæ, ut Gaudentio episc. nuper mortuo successor subrogaretur. Obiit vir sanctus an.
650. 650. post sedem annorum quadraginta, quos quidem inchoat Cointius ab an. 602.

III. PRINCIPIUS.

Ex abbate primo Weissemburgensis cœnobii, quod etiam a Dagoberto rege an. 623. conditum asserit Bucelinus, evasit episcopus Spirensis; in cujus gratiam Sigebertus rex episcopatum regia munificentia dotavit, & inter alia *decimas omnium victualium in agro Spirensi provenientium, quæ antea Regi dari consueverant*, concessit.
673. Exstinctus est an. 673. pontificatus sui 19. ex Vindemiis litterariis a Schannatio nuper editis. Alii tamen ipsius consignant obitum an. 676. *vel* 78. postquam sedisset annis 25. quos numerat Cointius ab an. 642. ad 667.

IV. TRAGEBODO, *seu* DRAGEBODO.

Is etiam ex abbate Weissemburgensi præsul Spirensis effectus est an. 667. ex Cointii computo, vel saltem anno 673. quandoquidem a Childerico rege confirmationem supradictæ donationis decimarum impetravit, qui princeps hunc annum non excessit. Suum vero diem Tragebodus obiisse traditur an. 685. *vel* 686. cum inquiunt,

A annis octo præfuisset, quos numerant ab anno 678. sed qui ex dictis ab anno saltem 673. numerari debent. Ceterum post Tragebodonem Basinus habetur episcopus in omnibus catalogis tempore Caroli-Martelli ad annos septem & octo menses, sive, ut habet Cointius, ab anno circiter 722. ad annum circiter 730. At vero nobis haud alius esse videtur quam Basinus, *sive* Basilius
B tempore Caroli-magni, de quo infra.

V. LIUDO, *seu* LUIDO & LATO.

Hos inter præsules annumeratur, ad quos litteras scripsit Gregorius III. Romanus pontifex, ut Bonifacium coepiscopum, suas agentem vices condigno exciperent honore; & ad ripam Danubii, aut ad Augustam Vindelicorum, aut quemcumque in locum Bonifacius legatus concilium episcoporum indixisset, convenire non recusarent. Datæ sunt hæ litteræ an. 738. Liu- 738.
donem rexisse annis undecim Bruschius testatur, fere tredecim Demochares, cumque inter sanctos
C adscribit Eisengeinius.

VI. DAVID.

Iste prius abbas Weissemburgensis, a Bruschio *pius, sapiens, ac honestissimus vir* prædicatus, legitur episcopus Spironensis in epistola Zachariæ papæ ad præsules Galliæ & Germaniæ an. 744.
seu potius 748. ex Cointio. Exstat t. 1. rerum 748.
Moguntiacarum auctore Georgio Christiano Johannis, pag. 247. Præfuisse annis octo dicitur.

VII. BASINUS & BASILIUS.

Apud Wandelbertum in libro de miraculis
D S. Goaris Basilius a S. Bonifacio ordinatus fuisse dicitur episcopus Nemetensis, *seu* Spirensis, ac proinde anno saltem 755. quo hic sanctus martyrii palmam consecutus est. Subscripsit autem litteris fundationis monasterii Prumiensis & privilegiis eidem concessis a Pipino rege & Bertrada ipsius conjuge, quas quidem litteras Mabillonius
noster anno 763. consignat. Idem quoque sub 763.
annum 768. cum Lullo Moguntiæ archiepiscopo, & Megingodo Wirziburgi præsule missus est a Carolo rege, ut per eos ecclesia Prumiensis consecraretur, & sacrum sancti Goaris corpus in

ANNI CHRISTI

paratum ipſi locum transferretur. Ipſius mortem A
illigat Cointius an. 775.[a]

775. [a] Mabillonius noſter ut cuidam Juſtulfo det locum inter hujus eccleſiæ præſules nonnihil propendet, ex eo quod laudatur epiſcopus in necrologio Weiſſemburgenſi, quanquam, ait vir doctus, ſedis alterius potuerit obtinere pontificatum. Is autem fortaſſe Juſtolfus eſt, quem epiſcopum circa an. 781. cum aliis præſulibus regnique optimatibus Carolo regi aſſidentem legimus, dum Rex Spoleti ad cauſas omnium audiendas reſideret. Verumtamen ut alium eſſe putemus ſuadet Schannatius in libro cui titulus eſt *Vindemiæ litterariæ*, dum Juſtulfi abbatis obitum conſignat an. 725.

VIII. Sigenninus & Sigewinus.

In locum Baſilii ſuffectus eſt anno 775. uti
Demochares, Eiſengreinius, aliique ſcribunt,
802. vixitque ad annum uſque 802. uti Bruſchius, B
auctoreſque proxime citati teſtantur.

IX. Atho, *ſive* Otho.

810. Præfuit ab anno 802. ad 810. quo rebus
humanis exemtus eſt, nemine ſcriptorum repugnante.

X. Freydo & Fraydo.

Sedere cœpit an. 810. ex monacho, ait Bucelinus, Weiſſemburgenſi, cui Carolus inſignia
privilegia conceſſit. Fato interceptus eſt anno
814. 814.

XI. Benedictus.

Freydoni ſucceſſor datus an. 814. Spirenſem
eccleſiam ſumma cum integritate morum ac vitæ
ſanctimonia gubernavit, ideoque ſanctus ab
Eiſengreinio nuncupatur. In cœlum migravit
822. anno 822.

XII. Hertinus, *ſeu* Bertinus.

841. Eum ſediſſe ab anno 822. ad 841. communis eſt ſcriptorum ſententia. Ejus elogium texuit Bruſchius in catalogo Spirenſium epiſcoporum, ubi tamen emendandus, cum addit apud Nemetes an. 838. habita fuiſſe a Ludovico imperatore comitia, in quibus adfuit Bertinus; Nemetum enim loco Vangiones reponendos eſſe admonet Cointius.

XIII. Gebehardus & Gebhardus I.

Circa hunc epiſcopum omnino diſcrepant
auctores; alii ſiquidem mortuum aſſerunt an.
848. quem econtrario Demochares hoc ipſo
anno in quindecim menſes, cum ſedes epiſcopalis
ſeptem annis vacaſſet, conſtitutum fuiſſe epiſco-
857. pum tradit. Certe anno 857, interfuit ſynodo
Moguntinenſi, in qua inter alia, quæ ventilata
ſunt de jure eccleſiaſtico, *præſentata eſt epiſtola
Guntheri*, ſive Guntharii epiſcopi, *Colonienſis
ad Altfridum epiſcopum, de his, quæ Coloniæ
contigerant, ubi eccleſia cathedralis fulmine icta
fuerat, tribus occiſis uno ictu in diverſis locis hominibus.* Ipſius etiam meminit Nicolaus papa in
epiſtola ſua ad epiſcopos Germaniæ; itemque
874. an. 874. cum Liuperdo Moguntinenſi & Adalhelmo Vormatienſi præſulibus adfuit conventui
Ingelheimenſi. Denique obitus ejus a Trithemio
880. notatur an. 880. dies autem a Demochare quarta
Decembris.

XIV. Godelhancus, *ſeu* Gottancus.

Ex monacho, teſtante Bucelino, in epiſcopum electus eſt an. 881. inquit Demochares,
ſed male, poſtquam ſedes annis 32. vacua remanſiſſet; qui rurſus cum aliis errat, dum ejus
mortem reponit an. 884. Subſcripſit enim an.
888. Moguntinenſi concilio, in quo ſederunt 888.
archiepiſcopi ſex & quatuordecim epiſcopi, ex
Mabillonio, tom. 3. annal. Benedict. pag. 690.

XV. Ainhardus & Einhardus I.

A Demochare & aliis diem clauſiſſe dicitur
an. 890. a Trithemio 891. at certe quæ modo 890.
diximus de Godelhanco, non ſinunt Ainhardo
ſex annos regiminis attribuere.

XVI. Amalricus I.

Antea monachus Weiſſemburgenſis, vir doctus, an. 891. ſucceſſit in annos tantum duos & 891.
quatuor menſes; nempe mortuus eſt an. 893. 893.
relictis nonnullis ingenii ſui monimentis.

XVII. Bernhardus.

Hic & ipſe monachus Weiſſemburgenſis, an.
895. *vel* 896. indict. XIV. teſtante Trithemio, 895.
C adfuit concilio Triburienſi, pro quo tamen Lotechaneum in veteri Gallia Chriſtiana poſitum
eſſe mirari ſubit, maxime cum auctores omnes
Amalrico Bernhardum ſucceſſiſſe tradant. Porro
idem Trithemius aſſerit defunctum anno 912. 912.
alii 913. fato cruento, quem duplici aſſiciunt
vocabulo, vel etiam triplici, Bernhardum ſcilicet, *ſeu* Berinhardum, Everhardum & Gebhardum appellantes; adeo in tenebris ambulamus,
quas a luce vix poſſumus diſcernere. Ceterum
Bucelinus hunc epiſcopum cum Gebhardo XIII.
epiſcopo confundi, quem pariter occiſum dicunt,
arbitratur, Sammarthani vero, quos ſequimur,
D ex hoc uno XVII. duplicem faciunt. Itaque

XVIII. Everhardus.

Spirenſis præſul ex monacho Weiſſemburgenſi
excæcatus eſt an. 913. ab Erenhardo & Conrado 913.
comitibus, ex chronico Reginonis & Saxonico,
in quo vocatur Einhardus.

XIX. Amalricus II.

Is Conrado Salico, Henrico & Ottoni magno
cariſſimus, uti Bucelinus prodit, an. 940. ab 940.
hoc Imperatore locum *Mercke* cum ſuis omnibus
appenditiis in beneficium accepit. Moritur ex
E Trithemio 943. 943.

XX. Reginobaldus, *ſeu* Reinbaldus, *vel* Raynaldus.

Monachus erat Hirſaugienſis, & quidem tum
genere, tum eruditione, juxta & ſanctitate clariſſimus, quando in epiſcopum Spirenſem aſſumtus eſt. De eo narratur apud Trithemium, quod
ad ipſius preces dux Lotharingiæ Conradus omne
jus ſuum, quod habuit in civitate Spirenſi, cum
mancipiis, teloneis, moneta, & univerſis proventibus an. 946. eccleſiæ contulerit memoratæ 946.

ANNI CHRISTI

in perpetuam possessionem. Inde vero adsuit synodo Ingelenheimensi an. 948. de qua apud Flodoardum; tandemque post sedem annorum
948. quindecim vivere desiit an. 958. die 13. Oct.
958. Ita quidem omnes catalogi, sed perperam ex mox dicendis.

XXI. GODEFRIDUS.

Ex monacho Weissemburgensi memoratur
952. episcopus jam anno 952. quo scilicet Augustæ Vindelicorum cum aliis Germaniæ & Italiæ præsulibus adsuit synodo, quam ibidem Otto magnus haberi curavit. Alii porro defunctum tradunt an. 959. *alii* 960. *vel* 961. ex chronico Reginonis & Saxonico.

XXII. ODEGARIUS, *sive* OTGARIUS & OTGERUS.

Antequam ad ecclesiæ Spirensis thronum sublimaretur, monachus erat cœnobii S. Pirminii præsulis in Hornbach, ut Erchenbaldus scribit, vir, aiunt, in omni scriptura doctissimus, vitæ quoque merito sanctissimus, & Ottoni magno imperatori veneratione singulari carissimus. Anno
962. 962. ex Trithemio, *melius* 963. ex chronico Reginonis, fuit unus ex episcopis, qui concilio Romano adversus Johannem papam interfuere; sed pœnas tulit; Johannes enim Otgerum comprehensum & flagellatum, aliquandiu, licet incommode, secum detinuit, quem tamen paulo post dimisit, spe veniæ ab Imperatore obtinendæ. Adfuit autem hoc eodem anno 963. Mogun-
963. tino concilio, quod Otto magnus imperator ad reformationem ordinis ecclesiastici convocavit. Idem an. 965. mortuo Leone antipapa, Romam ab Imperatore, cum Linzone Cremonensi episcopo dirigitur pro novi pontificis creatione, ex chronico Saxonico, ubi Johannem Narniensem antistitem, dictum postea Benedictum V. eligendum curavit. Denique cum in ejus gratiam Otto magnus singularem illam episcopis Nemetum concessisset immunitatem, ne cuiquam, præter solum episcopum, aut ejus vicarium, liceret in urbe placitum publicum tenere, rebus
965. humanis exemtus est an. 965. ex Trithemio, aliis 970. in cujus locum Werimbaldus ex Hirsaugiensi monacho episcopus designatus, ea recusata dignitate, a Trithemio diem clausisse dicitur an. 975. die decima Novembris.

XXIII. PALZO.

Hic episcopus, testante Hepidanno, illorum octo fuit unus episcoporum, quos cum totidem abbatibus Otto magnus ad S. Gallum
968. visitationis gratia an. 968. delegavit, ex Mabillonio, tom. 3. annal. Bened. pag. 592. Hæc tamen visitatio differtur in annum 970. ab Helwichio in antiquitatibus Laurishamensibus, ubi quidem Palzo legitur epifc. Spirensis, sed in margine habetur, *al. Baldericus.* Certe omittitur Palzo in omnibus editis catalogis.

XXIV. BALDERICUS.

Eum quotquot de Spirensibus episc. scripsere, tanquam proximum Odegarii successorem exhibent ad an. 970. excepto Trithemio, qui hoc ad annum Christi 965. ut supra diximus refert.
Hic certe an. 982. ab Ottone II. imperatore 982.
bona quædam *in Steynfeld, Meinfeldt & Freckenfeldt*, ecclesiæ Spirensi per quemdam Cunonem comitem olim tradita, adjectis & omnibus aliis eidem ab aliis imperatoribus concessis, obtinuit confirmari. Tum vero circiter annum 983. jussu ejusdem Balderici, Waltherus scholasticus, Spirensis ecclesiæ subdiaconus, librum de passione S. Christophori martyris scripsit, cujus prologus inscribitur *domno Balderico sanctæ Nemetensis ecclesiæ patri & episcopo.* Item an. 985. ipso Balderico petente, Adelbertus monachus Hirsaugiensis assumtus dicitur ad regimen Clingensis monasterii. Demum ipsius mortem auctores omnes unanimi consensu illigant an. 987. 987.
præterquam Trithemius, qui 996.

XXV. RUPERTUS.

Ex monacho Weissemburgensi, cum esset vir nobilis & doctus, Balderico in pontificatu Nemetensi, promotione Ottonis III. imperatoris, successit; idemque princeps, ait Bucelinus, ipsum & successores pago Lindesheim (*al.* Heidelsheim an. 995.) cum jurisdictione & aliis donavit, immunitatesque ac privilegia Spirensis ecclesiæ renovavit an. 989. quod & an. 1003. 989.
iterum præstitit Henricus II. Exstinctus est Rupertus an. 1010. die 4. Nov. ex Trithemio, cui Mabilionius concinit, postquam annis 14. præfuisset; verumtamen plures ejus obitum reponunt an. 1005. & aliqui 1000.

XXVI. WALTHERUS.

In locum Ruperti subrogatus, adfuit anno
1022. pridie idus Augusti concilio apud Seligenstat in monasterio SS. Marcellini & Petri 1022.
celebrato. Sub ejus pontificatu Gisela imperatrix attestante Bucelino, Conradus vero Giselæ maritus, Eccardo tom. 2. de Spirensibus episcopis, an. 1030. vetusta S. Stephani papæ & martyris destructa basilica, novam a fundamentis ædificare cœpit in honorem B. Mariæ Virg. ac prædicti S. Stephani, quæ miræ magnitudinis & pulchritudinis est, in eaque deinceps sepeliendos voluit Romanorum Reges & Imperatores. Tradit autem anonymus in libello de vita Burchardi episcopi Vormatiensis hunc a Waltero Spirensi præsule adjutum fuisse condendo suo canonum collectario. Cessit e vita 1031. uti consen- 1031.
tiunt omnes, multis ecclesiæ suæ prædiis ac privilegiis ab Imperatoribus S. Henrico & Conrado II. impetratis.

XXVII. SIGEFRIDUS.

A Demochare, Bucelino, & Sammarthanis successor datur Walthero, & quidem a Demochare in undecim menses, mortuus 1031. & a Bucelino 1032. ante suam confirmationem; quare fortassis a Trithemio prætermittitur.

ANNI CHRISTI

XXVIII. REGINGERUS.

Præfuit duobus tantum mensibus, ac mortuus est, ex Trithemio & Demochare. Reginhardum vocat Georgius Helwichius in antiquitatibus Laurishamensibus, pag. 97. ubi defunctus dicitur 1032.

XXIX. B. REGINBALDUS.

Is etiam dictus Reginpoldus, *vel* Reginoldus & Reimboldus, ex Dilinganis & Kyburgensibus comitibus originem traxit, patre Richwino S. Udalrici Augustensis episcopi ex fratre Dietpoldo nepote, matre vero Hildegarde progenitus. Hic a B puero in cœnobio Laurissensi educatus, primum ob egregias animi dotes, an. circiter 1012. Augustano S. Udalrici monasterio præficitur abbas; hinc elapso triennio Ebersbergensi ad S. Sebastianum in Bavaria, & an. 1017. Laureshamensi;
1032. tandemque circa 1032. ad Spirensem cathedram promotus est a Conrado imperatore, clero & populo consentiente. Rexit per annos septem insigni cum laude, talemque pontificem egit, qualem decebat illum, qui ex longa & religiosa disciplina ad infulam invitus esset protractus. Inter alia vero, quibus ecclesiam suam exornavit, minime tacenda illa insignis corona cande- C lifera, cuprea auro obducta, usque hodie in choro Spirensi a summis lacunaribus dependens, quam fieri curavit, ut patet ex viginti quatuor versibus, quos a se compositos, & aureis litteris eidem orbiculariter inscriptos legere est apud Helwichium in antiq. Laurisham. pag. 97. Dum autem hic præsul adhuc in vivis ageret, mortuus
1039. est Conradus II. imperator die 4. Junii an. 1039. & in ecclesia Spirensi, quam a fundamentis novam erexerat, sepultus est. Obiit paulo post Reginbaldus, nempe hoc ipso anno, die 13.* mensis Octobris, ex Trithemio & Hermanni Contracti chronico, ac in eadem ecclesia sepul- D turam accepit.

* XII. cal. Septemb. ex Helwichio.

XXX. SIGEBOTHO & SIGEBOLDUS, *seu* SIVICHO & SIBICHO.

Sigebaudus appellatur in concilio Sutriensi
1046. anni 1046. in quo Gregorius VI. papali se abdicavit dignitate; Sibicho vero, & *al.* Sigebotho in concilio Moguntino anni 1049. *vel* 1050.
1051. ex Lamberto Scafnaburg. *aut* 1051. ex chronico Saxonico, in quo, præsente Leone papa carnalis flagitii insimulatus, judicio se communionis Corporis & Sanguinis D. N. J. C. purgare voluit, sed maxilla ejus paralysi contorta remansit. E Porro sub ejus regimine an. 1041. Henricus III. prædium *Rotensels* cum suis appendicibus ecclesiæ Spirensi tradidit, & an. 1046. *Badenn* cum utili-
1048. tatibus inde provenientibus; ac denique 1048. abbatiam de Schwarzach eidem ecclesiæ annexuit, *al.* 1032. quo fortasse inceptum negotium, & an. 1048. perfectum. Mortem ejus illigant Trithemius ac Demochares an. 1051.
1054. post sedem annorum undecim, alii 1054. ex Lamberto Scafnaburgensi, & excerpto necrologii Fuldensis apud Leibnitium.

A

XXXI. ARNOLDUS, *sive* ARNULFUS.

ANNI CHRISTI

Laureshami a primis infantiæ cunabulis institutus, primum fuit ejusdem cœnobii præpositus, tum abbas Weissemburgensis, postea Limburgensis, ac subinde Novæ-Corbeiæ, nec multo post in ipso Laureshamensi monasterio abbatem gessit, & ad extremum in Spirensi ecclesia pontificale culmen ascendit, an. 1054. ex Lamberto 1054.
Scafnaburgensi. Utrum vero tres primas abbatiales dignitates simul cum episcopatu retinuerit, non constat; at certum est abbatiam Laurissensem una cum episcopatu, usque in finem vitæ, qui contigit an. 1056. XVII. calend. Aprilis, 1056.
ipsum reservasse. Ita Helwichius in antiq. Laurisham. ubi tribus annis & mensibus aliquot Spirensi ecclesiæ, simulque abbatiæ Laurishamensi præfuisse dicitur. Eckardus vero in chronico Saxonico consignat ejus obitum an. 1055. quod quidem non est contrarium Helwichio, si diversa ratio inchoandi annum spectetur; sed quod ad diem spectat Schannatius habet VI. nonas mensis Octobris; ubi notandum neque hunc diem neque illum XVII. cal. Apr. ab Helwichio assignatum coincidere cum sexta feria in epitaphio sequenti posita. Ceterum Arnoldus Spiræ apud S. Guidonem [a] sepultus est ad latus summi altaris dextrum sub tali epitaphio:

Plenus virtutum jacet hic & plenus honorum
Arnulfus præsul, qui fuit abba simul.
Spiram, Corbeiam, Weissemburg atque Lorissam,
Et Limpurg una rexerat ille loca.
Moribus & verbis tam digne præfuit illis,
Ut vis ingenii par foret huic oneri.
Sexta luce liber quod erat prius exuit esse.
Eus, cui non metæ, sit sibi, quisque pete.

His adde, thesauri, qualem Arnulfus episcopus in ecclesia Spirensi reperit, indicem describi apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ*, pag. 9.

[a] Hæc ecclesia primitus dicta S. Johannis Evang. ex allatis in eam ab Henrico III. imperatore reliquiis S. Guidonis, ejusdem sancti sortita est nomen.

XXXII. CONRADUS I.

Hujus præsulis pro Arnoldo ab Imperatore substituti an. 1056. ex Hermanno Contracto, 1056.
gesta sunt incomperta, sed nec minus incerta mors, quam alii quidem numero plures consignant an. 1057. alii vero, ut idem Herman- 1057.
nus Contractus, Lambertus Scafnaburgensis & Augustensis chronographus an. 1060. Sub quo 1060.
proinde an. 1056. Henricus III. imperator oppidum *Bruchsal* cum nemore *Lushart* & omnibus eorum appenditiis ecclesiæ Spirensi contulit, in qua eodem anno sepultus est, cum obiisset Goslariæ III. nonas Octobris.

XXXIII. EINHARDUS II.

CATZENELENBOGEN.

Antea præpositus Augustensis, ut auctor est ejusdem ecclesiæ chronographus ad an. 1060. & abbas Limpurgensis, uti omnes tradunt, hoc an. 1060. concordantibus supra citatis auctoribus,

ANNI CHRISTI

Spirensis episcopus evasit, sub quo, insequenti anno ecclesia Spirensis dedicata fuit, testante Hermanno Contracto. Tum vero, quia consilio & prudentia plurimum juverat Henricum imperatorem, ab ipso villa Creuzenacensi cum omni jure & proprietate donatus est. Romam denique
1067. pergens obiit an. 1067. ex Augustensi chronico, & Lamberto Scafnaburgensi, non 1073. ut habet Trithemius, & quidem VII. cal. Maii, inquiunt Sammarthani, qui & referunt post Bucelinum insigne volumen de cæremoniis ecclesiæ Einhardum scripsisse.

XXXIV. Henricus.

Goslariensis ecclesiæ canonicus, successit Einhardo, *tantæ dignitati vixdum per ætatem maturus*, ait Lambertus Scafnaburgensis, *& non tam electione principum ad hanc provectus, quam indulgentia Regis, cui in puerili ætate fuerat fa-*
1071. *miliarissime assentatus*. An. 1071. pridie nonas Septembris ecclesiam Hirsaugiensem de novo instauratam dedicavit, quo etiam anno, die 18. ejusdem mensis adfuit concilio Moguntino adversus Carolum Constantiensem episcopum de Simonia accusatum. Eidem porro Gregorius papa VII. scripsit epistolam 18. lib. 5. qua facultatem illi episcopale officium exercendi concedit, (nimirum an. 1074. *vel* 1075. illum Gregorius ab officio suspensum declaraverat,) dum opportuno tempore de objectis criminibus satisfaciat, atque omnem venalitatem ab ecclesia ejiciat. At surdus ille monitis, *cum jam thesauros ecclesiæ Spirensis pene omnes puerili levitate dilapidasset*, ait idem Lambertus ad an. 1075. *& prædia militibus suis in beneficium erogasset* (tempore Henrici IV. imperatoris) *& tantum, ut vix in dimidium annum sumtus ei ex reditibus ecclesiæ ministrari possent, inopinata morte subtractus est; de cujus obitu dignam memoria visionem clericus quidam, qui ei defuncto protinus in episcopatum successit, nomine Huzmannus, &c.* Hoc etiam
1075. an. 1075. Marianus Scotus, Trithemius vero 1076. mortuum tradunt.

XXXV. Ruckerus, *sive* Rudegerus, *& vulgo* Huzmannus.

Virum fuisse magnificum, prudentem, & multa in agendis ecclesiæ negotiis industria præditum, gesta ipsius comprobant; quippequi redditus & proventus ecclesiæ Nemetensis, cui præerat, auxit, octo præbendas de novo instituit, ampliavit urbem, & a fluviolo proximo, in-
1084. quiunt, Spiram appellari voluit an. 1084. Vide quæ supra diximus de hac appellatione in præfatione nostra ad episcopos Spirenses. Huzman-
1085. nus idem an. 1085. quod Guiberto antipapæ adhæreret, excommunicatus fuit ab episcopis concilii Quintilemburgensis, ac eodem anno interfuit Moguntinæ pseudosynodo in gratiam dicti
* antipapæ. Sane vero ad ejus preces Henricus IV.* rex multa bona præfatæ contulit ecclesiæ, *Winterbach* scilicet, ac *Weyblingen*; illud canonicorum, & hoc episcopi usibus an. 1086. ac insuper episcopo dedit jurisdictionem super Judæos in urbe an. 1090. quo quidem anno Rudigerus mortalitatem exuit, ex chronico Wirziburgensi & Saxonico, necnon ex omnibus pene catalogis, ubi passim *Huzmannus* appellatur. Sepultus est in ecclesia S. Guidonis. 1090.

* Huzmannum favisse Regi, & ideo percussum anathemate a Gregorio papa innuit R. P. Laguille in sua Alsatiæ historia pag. 173. ad an. 1076.

XXXVI. Johannes I.

Creichgoviæ comes, patre Wolframo comite in Creydigawe ex Trithemio, matre vero Azela Henrici IV. regis sorore in lucem editus, an. 1090. regimen auspicatus est; enim vero testis est hoc anno in charta Hermanni Coloniensis archiepiscopi controversiam inter canonicos B. Mariæ ad Gradus & monachos Brunvillarenses componentis. Anno insequente, die 20. Aprilis, quæ fuit octava Paschalis solemnitatis, sive Dominica *Quasimodo*, ecclesiam novam Hirsaugiensis monasterii solemniter consecravit, Idem 1102. 1102.
idibus Januarii Adalberoni episcopo Metensi Brunonem in archiepiscopum Trevir. inauguranti collaboravit; quo etiam anno testis est in præcepto Henrici imperatoris contra Prumiensis monasterii advocatos, in quo singula eorum jura & privilegia referuntur. Memoratur insuper anno
1103. in diplomate ejusdem Henrici pro cella S. Stephani juxta monasterium S. Michaëlis in monte Abrinsberg, ex probationibus historiæ Palatinæ. Denique cum amplissimum patrimonium suum ecclesiæ reliquisset, decessit an. 1103.
seq. 1104. v. calend. Novembris, ex necrol. ecclesiæ Moguntinæ apud Schannatium, post diuturnum in corpore cruciatum, quem patientissime sustinuit, & in Sunsheim ord. S. Benedicti monasterio a proavis instituto, juxta prædictos parentes, & fratrem Zeilsolfum sepulturam accepit. 1104.

XXXVII. Gebhardus II.

Ex illustri comitum ab Aurach progenie satus, primum fuit canonicus Argentinensis, deinde monachus, Prior & abbas Hirsaugiensis* cœnobii, & quidem celeberrimus; tum vero electus est Spirensis episcopus anno 1105. & a Ruthardo Moguntinensi archiepiscopo, præsentibus Ebbone Vormatiensi & Gebhardo Constantiensi, aliisque multis præsulibus, necnon adstante rege Henrico IV. cum plurimis Germaniæ proceribus, episcopali charactere insignitus fuit die festo Omnium SS. ejusdem anni, in ipsa principe Spirensi basilica. Is autem, inquit Guilielmus Eysengrein in annalibus Spirensibus, dum undique in clerum sævitum esset, civitatem Spirensem, cunctaque mancipia, quæ ibi habebat, Regis impulsu, libertate donavit; sicque urbs civesque liberi usque hodie Romano imperio subsunt. E vita migravit Gebharbus simul abbas Laurishamensis an. 1110.* die 1. Martii, cum sedisset annis quatuor & mensibus decem, sepultusque est in choro templi Hirsaugiensis ante aram maximam. De ejus obitu vide Trithemium in prolixiori chronico Hirsaugiensi ad hunc

1105.

* Hirsowecensis in annal. Saxon. apud Eccardum.

* 1109. indict. 1. ex Helwichio, 1107. ex chronico Saxonico.

ANNI CHRISTI

annum 1110. pag. 347. De cetero sub ejus A
pontificatu Henricus IV. imperator obiit VII. idus Aug. an. 1106. ac Spiræ conditus est.

XXXVIII. Bruno.

Chronic. Hirsaug. pag. 351.

Ex monacho Limpurgensi, auctoritate regia, inquit Trithemius, ad Spirensem pontificatum promotus est, statimque vir bonus consensum dedit, ut cives Spirenses per imperiale privilegium a quibusdam legibus & statutis eximerentur, in quibus episcopo antea de consuetudine juris obligati fuerant. Datum est hoc privilegium Spiræ XIX. cal. Sept. anno Dominicæ
1111. Incarnationis MCXI. Hic porro vices cancellarii B
agerens, præceptum Henrici imperatoris pro S. Maximini cœnobio adversus Adelbertum invasorem, datum Spiræ IV. nonas Januarii ind. XI.
1118. an. 1118. recognovit. Quo etiam circiter anno Romam missus est ad Callistum papam, cum Erlolfo Fuldensi abbate ad schisma componendum. Paulopost vero e sede sua pulsus est ab
1124. Henrico rege. Idem quoque an. 1124. testes inter primus est in charta Adelberti archiepiscopi Moguntini pro ecclesia collegiata S. Petri Mog. ubi dicitur *dominus Bruno frater noster Spirensis episcopus;* adeo falluntur, qui mortuum tradunt 19. Octobris an. 1113. vel etiam 1123. uti C
Dodechinus, ac Trithemius. Corpus ejus ab urbe Spira in monasterium Limpurgense devectum, ante gradus presbyterii sepelitur, quod e terra effossum ætate sua Trithemius asserit pene integrum se vidisse, annulo aureo cavato, & pontificalibus ornamentis circum amictum.

XXXIX. Arnoldus, *sive* Arnulfus II.

Primum fuit monachus Benedictinus, deinde abbas Corbeiensis in Saxonia, ac postea Laurissensis, Imperatoris beneficio, qua obtenta dignitate, priorem dimisit; cumque hoc aliquandiu monasterium rexisset, Imperatoris promotione D
obtinuit & alias duas abbatias, Weissemburgensem & Limpurgensem; tandemque mortuo Brunone factus est episcopus Spirensis, non sine detrimento monasteriorum, inquit Trithemius, Limpurgensis certe, cujus monimenta quondam se vidisse testatur, quibus accusabatur aureas cruces & argenteas, calices quoque onychinos & aureos una cum diversis clenodiis & ornamentis ecclesiasticis de monasterio secum detulisse ad Spirensem ecclesiam. Ad hæc idem Trithemius scribit Rupertum Arnoldi nostri in abbatia Limpurgensi successorem, quod asperiorem vivendi modum in monasterium inducere vellet, ab eodem Ar- E
noldo episcopo Spirensi e suo monasterio pulsum fuisse, & in Hassiam apud Breitenaw relegatum. Subscripsit autem Arnoldus, aiunt Sammarthani post Guillimannum, chartæ Henrici V.
1125. imperatoris pro monasterio S. Blasii, an. 1125. V. *vel* VI. calend. Jan. quo quidem anno idem Henricus mortuus est ac Spiræ sepultus. Arnoldus
1127. vero decessit anno seq. ex Dodechino, 1127. ex Bucelino, qui Stephanum ab aliis nuncupatum, & iterum, ab aliis Arnoldum tradit; unde fortassis duos episcopos, alterum nomine Stephanum ex abbate Corbeiensi in Saxonia, & Arnoldum alterum Sammarthani confinxerunt. Sepultus est Arnoldus apud S. Guidonem.

XL. Sigefridus.

DE LEININGEN.

Arnoldo successit, sub quo rex Lotharius Spiram urbem obsedit an. 1128. in qua Conra- 1128.
dus eodem anno, qui nomen sibi regium per Alsatiam usurpabat, post ejusdem urbis obsidionem ab idibus Augusti ad calendas Novembris, fugato Sigefrido præsule, quod Lotharii partes foveret, præsidia sua locaverat, sed paucis in obsidione consumtis diebus, cura & studio principum, concordia inter Regem & Spirenses facta est, acceptisque obsidibus Lotharius recessit. Iterum vero an. 1129. ab idibus Julii ad calendas Januarii obsessa est Spira, quæ deditione tandem 1129.
an. 1130. subacta fuit Lothario. Interfuit Si- 1130.
gefridus anno seq. Moguntinæ synodo, in qua Innocentius II. solus verus ac legitimus agnitus est papa. Insuper eo sedente basilica Spirensis an.
1137. combusta est, quam & subsidiis piorum 1137.
hominum instauravit. Subscripsit etiam 1140. 1140.
Conradi imperatoris præcepto pro monasterio Stabulensi; ipsumque tandem an. 1141. fato suo 1141.
functum asserunt omnes, præter Dochinum, qui mortem ejus illigat 1147. sed anno saltem 1146. mortuus est ex dicendis. Dies obitus notatur a Sammarthanis 23. Octobris, a Demochare vero 13. Septembris.

XLI. Guntherus.

DE LEININGEN.

In locum patrui subrogatus est anno saltem 1146. quo, pridie nonas Januarii chartæ Con- 1146.
radi imperatoris pro Trevirensi S. Maximini cœnobio suum apposuit chirographum. Eodem etiam circiter anno, in civitate Spirensi, præsente eodem Conrado simul & Gunthero cernente, S. Bernardus oblatum sibi puerum claudum perfecte sanum reddidit. An. 1152. sub eodem 1152.
episcopo Conradus imperator pro salute & remedio animarum, tam suæ, quam parentum suorum castrum *Bernwarstein*, seu *Bernwenstein* ecclesiæ Spirensi libera donatione contradidit, ut ad usus Guntheri & successorum ejus cum omnibus proventibus deserviret. Guntherus quoque an. 1153. testis est in charta Friderici imperatoris pro monasterio Balmensi, & rursum pro Arnoldo Colon. archiepisc. quo solemne præceptum ei largitur eodem an. 1153. ad recu- 1153.
peranda prædia mensæ archiepiscopalis propria, quæ perperam in feudum tradita fuerant. Reperitur adhuc 1157. apud Trithemium, ubi hoc 1157.
anno legitur Dominica post quatuor tempora Septembris, die 22. ejusdem mensis Manegoldum Hirsaugiensem abbatem Spiræ in majori ecclesia solemniter benedixisse. Unde illos corrigas velim, qui Guntheri mortem consignant an. 1156. die 17. Sept. quæ quidem, si vera 1156.
dies obitus est, haud prius contingere potuit quam an. 1158. ex dictis. At vero testis est adhuc an. 1158.
1161. in confirmatione monasterii *Wigolsbehr* 1161.
facta per Fridericum I. imperatorem ind. IX. apud Guillimannum, pag. 243. Jacet in cœnobio Mulbrunensi,

ANNI CHRISTI

Mulbrunensi, quod fundaverat, ante aram maximam summi chori.

DE DURNUNTZ.

XLII. UDALRICUS I.

De hoc episcopo nihil fere nobis dicendum suppetit præter id quod habetur in veteri Gallia Christiana; primum scilicet, quod Gunthero
1156. successit, non tamen an. 1156. uti legitur apud Democharem, & ex aliis auctoribus colligitur,
1158. sed vix ante annum 1158. ex supra dictis; se-
1168. cundo quod animam exhalavit anno 1168. & quidem in Italia peste correptus in castris Friderici Barbarossæ, si non fallit Demochares; falluntur autem Sammarthani fratres, quando eum ad sinistram Guntheri episcopi in ecclesia cathedrali sepulturæ traditum volunt, cum, ut supra diximus, Guntherus ipse non in ecclesia cathedrali, sed in cœnobio Mulbrunensi sepulcro illatus sit. Verumtamen de hoc episcopo juvat audire Trithemium ita loquentem in chronico
1171. Hirsaug. ad an. 1171. *His temporibus, post Guntherum ex comitibus de Liningen Neometensis ecclesiæ pontificem, Udalricus ejusdem ecclesiæ ordinatur episcopus; cujus scientia & consensu, ut dicit Fridericus I. imperator, cives Spirenses a capituli jure, quod episcopo existenti pro tempore solvere tenebantur, in perpetuum deinceps exemit.* Item ad an. 1176. sic habet: *Noluit Conradus abbas Hirsaugiensis electus ordinari ab Udalrico episcopo Neometensi, vel alio quocumque apostolicæ sedis communionem & gratiam non habente.* Ex quibus colligere licet visum esse hunc episcopum non habere, & forte non habuisse sedis apostolicæ communimem, & insuper non prius mortuum
1176. esse quam hoc anno 1176. vide infra in Udalrico II. Ceterum post Udalricum I. sequuntur hi tres in veteri Gallia Christiana, apud Democharem & Bucelinum episcopi; de quibus altum apud alios auctores silentium nos eo magis ancipites reddit, quod qui sequitur Udalricus a Trithemio mortuus dicatur an. 1188. pontificatus sui octavo, & tamen eodem, quo Rabodonis decessoris obitus consignatur.

GODEFRIDUS.

Exstinctus an. 1178. quem alibi lego peste interemptum statim post captam urbem Anconam, circa 1166.

CONRADUS.

Defunctus 1184.

RAPOTO, *seu* RABODO & RADBODUS.

Mortuus 1188.

DE RECHBERG.

XLIII. UDALRICUS II.

Dicitur a Trithemio primus & quadragesimus episcopus, quem scilicet cum altero confundere videtur, quanquam eum vocat Udalricum II. Et quidem fortasse unus & idem fuit episcopus, quo per Alexandrum papam excommunicato, tres prædicti, Godefridus, Conradus & Rapoto habiti fuerint episcopi. De cetero Sammarthani fratrem Sigefridi Augustensis episcopi dicunt,

A eumdemque arcis Bruchsellæ auctorem faciunt Bucelinus & Jacobus Willelmus Imhof. Ejus mortem illigat Trithemius non sibi constans, anno, ut diximus, 1188. pontificatus octavo; *alii* 1192.

DE HEINEBERG.

XLIV. OTTO.

Ex prosapia comitum hujusce nominis ortus; Trithemio vir quietæ conversationis, Udalricum excepit in pontificatu Spirensi. Anno 1192. 1192.
Henricum abbatem Hirsaugiensem cum suo conventu reconciliavit. Testis est quoque an. 1196. 1196.
IV. cal. Septemb. & quidem ordine primus, in
B charta Sifridi præpositi S. Petri Moguntinensis; pro ecclesia collegiata ejusdem S. Petri. Abdicavit* an. 1199. ac mortuus est 1202.

* *al.* decessit.

DE SCHARFENECK.

XLV. CONRADUS I. *vel* II.

Philippi regis cancellarius Ottoni successit jam an. 1199. sive, uti Demochares scribit, ei coadjutor datus est, ac post mortem successor; vir, inquit Trithemius, in multis expertus, & magnæ prudentiæ, qui ecclesiæ Spirensi satis utiliter præfuit, cujus & redditus ac censum auxit, & structuras ædificiorum reparavit. Anno 1205. testis 1205.
est in privilegio Philippi Romanorum regis pro
C civitate Argentinensi; exstat in prob. hist. Alsatiæ R. Patris Laguille, pag. 31. Is etiam an. 1207. 1207.
ecclesiam S. Sepulcri Spiræ, in qua erant moniales, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, cuidam decano tradidit, qui semotis monialibus conventum virorum instituit. Quo etiam anno testis memoratur in charta Philippi Cæsaris data Basileæ V. cal. Junii, indict. V. An. 1208. quo 1208.
Philippus rex, ipso Conrado præsente, interfectus, apud Spiram sepultus est, circa festum S. Martini, conventu Principum apud Francofurtum durante, Conradus in castrum munitissimum *Trifels** se contulerat, metuens nimirum a facie regis Ottonis,
D & nec venire ad ejus conspectum voluit, nec regalia præsentare insignia, quæ secum habuit, nisi cancellarium suum se facturum illum Otto promitteret; quod cum Rex Otto libenter admisisset, regalia eidem insignia restituit, & vicissim cancellariatus officium accepit, cujus obiisse munia legitur anno seq. XIV. cal. Junii & 1216. V. idus Maii, in 1216.
recognitione diplomatum ejusdem Ottonis pro Alberto Magdeburgensi archiepisc. Idem etiam præstitit annis 1218. & 1219. in diplomatis Friderici imperatoris, ubi, sicut etiam in prædicto 1218.
anni 1216. dicitur Metensis & Spirensis episco- 1219.
E pus, ac imperialis aulæ cancellarius. Jam tum enim aliquot abhinc annis simul erat episcopus Metensis, quo quidem nomine jam an. 1212. reperitur in charta ejusdem Friderici imperatoris. Idem porro, qua episcopus Spirensis, audiens an. 1222. moniales Husensis cœnobii ordin. sancti 1222.
Benedicti juxta Burckheim, nec procul a Limpurgensi monasterio, nimium a tramite regularis disciplinæ deviasse, statuit de consensu Sifridi archiepisc. Mogunt. ut nulla deinceps in eodem loco susciperetur monialis, sed omnes per mortem exstingui permitterentur; quibus vita defunctis, cœnobium illud memoratæ abbatiæ Limpurgensi

* Trifels.

Prob. hist. Palat. Toneri, pag. 62 & 67.

Ibid. pag. 64. 68. & 69.

ANNI CHRISTI

perpetuo unitum esset & annexum, cum univer-
sis proventibus suis, ita tamen ut abbas divina
curaret per monachos ibidem celebrari. Denique
1224. vitam cum morte commutavit an. 1224. sepul-
tus in choro Regum.

DE EUTRINGEN, *sive* EURINGEN.

XLVI. Berengarius & Berengerus.

Hic patria Suevus, ex decano per sodales ca-
nonicos in episcopum electus est die 27. Martii
an. 1224. cum jam ante, ait Demochares, a
Conrado ingravescente senio in adjutorem as-
sumtus fuisset. Præfuit annis octo & mensibus
1231. quinque, cujus temporibus an. 1231. fundatum
est in honorem B. M. Virg. cœnobium virginum
instituti S. Bernardi, *Pons-salutis* appellatum, a
Salomone Herbipolensis ecclesiæ canonico. Obiit
1233. Berengarius anno seq. die S. Andreæ, 1233. ex
Trithemio, sepultusque est in basilica cathedrali.

DE THAN, *vel* THAIN.

XLVII. Conradus III.

Natus ex gente dapiferorum de Valdburg,
vir religiosus & œconomus fidelis, ecclesiam pa-
rochialem in oppido suo *Didesheim* cum jure
patronatus & decimis capitulo suo in augmen-
tum præbendarum contulit. Cujus etiam preci-
1235. bus, anno 1235. idem præstitit Cuno Weissem-
burgensis abbas de ecclesia in villa Bulliken prope
Landaugiam oppidum. Adfuit autem hoc anno
1235. Imperii comitiis a Friderico II. apud
Moguntiam habitis, ex Meibomio, tom. 3. rerum
Germanicarum, pag. 203. Defecit an. quarto
1237. sui pontificatus 1237. in vigilia Natalis Domini,
& in sua majori ecclesia conditus est.

DE EBERSTEIN.

XLVIII. Conradus IV.

Trithemio frater Eberhardi comitis de Eber-
stein, vir bonus & strenuus, cognomento *Paci-
ficus* Bucelino, eligitur in episcopum die festo
1238. S. Agnetis virg. & mart. an. 1238. qui tertio
post anno 1241. de consensu capituli, omnia
bona sua, quæ habebat in villa Crutzenach prope
Spanheim in Nagavio sita, cum omnibus proventi-
bus, justitia & jurisdictione temporali vendidit
comiti Seynensi, pro centum & mille marcis ar-
1245. genti puri. Cessit e vita 1245. VI. cal. Junii, ex
ruderibus abbatiarum Albæ-dominorum & Albæ-
dominarum apud Schannat. pag. 151. libri, cui
titulus *Vindemiæ litterariæ;* & in ecclesia cathe-
drali sepultus est.

DE LEYNINGEN.

XLIX. Henricus II.

Post mortem Conradi, in ecclesiæ Spirensis
pontificem, Friderici II. precibus, subrogatus,
sed nondum confirmatus, castellum quoddam in
Strata-montensi *Sarchenberg* nuncupatum, quod
in principatu monasterii *Lorsch* Moguntina pos-
sidebat ecclesia, obsidione cingens obtinuit,
ejectisque illis, quos archiepiscopus ibi locaverat,
castrum suis militibus commendavit. Qua de
causa inter ipsum & Sifridum archiep. Mogunt.
magna dissensio fuit suborta, quæ tandem per
commissarios Innocentii papæ IV. ad concor-
1249. diam revocata est. An. 1249. fuit cancellarius
Imperii sub Willelmo Hollando, cui se addixit
A imperium aggredienti, ut scribit Lehemannus in
chronico Spirensi; ac revera iste Willelmus in
ejusdem præsulis gratiam anno 1252. castrum 1252.
Kisslaw ecclesiæ Spirensi contulit. Idem quoque
antistes cum episcopo Constantiæ ad Rhenum,
legatus in Hispaniam ivit, Alfonso regi Castellæ
in Imperatorem ab aliquibus electo novæ digni-
tatis nuntium laturus, a quo benigne receptus,
amplissimisque donatus muneribus rediit. Tum
an. 1265. Johannem Hirsaugiæ abbatem elec- 1265.
tum confirmavit ex more, ac benedixit; ejus-
demque auxilio Dominicani in urbe Spira fun-
dati sunt anno 1267. Pactum iniit anno seq. 1267.
B cum Henrico Argentin. episcopo & aliis co-
mitibus de obtinenda urbe Selsensi. E medio
tandem sublatus est 1272. die 18. Dec. condi- 1272.
tusque in sua cathedrali ecclesia ante aram B.
Annæ sub marmore albo, ait Trithemius, rubrum
habet Demochares.

DE BOLANDIA, *seu* DE BOLANDEN.

L. Fridericus.

Superioris nepos ex sorore, an. 1273. testis 1273.
est in diplomate Rudolfi imperatoris, quo Spi-
rensibus libertates, privilegia, honores, ac omnia
prorsus jura, quæ civitati a Friderico imperatore
indulta fuerant, confirmat. An. 1276. Volandum *Prob. hist. Palat. pag. 79.*
C Johannis successorem in abbatiali regimine Hir-
saugiensis monasterii confirmavit. Idem anno 1276.
1281. die 19. Septemb. cum post accuratam 1281.
inquisitionem factam, quis aut quando majorem
basilicam Spirensem consecrasset, non potuisset *Vide in archiep. Mog. ad annum 1286.*
deprehendere, eam de novo consecravit. Sub
quo Rodulfus de Habsburg Romanorum rex
mortuus anno regni sui 18. Christi 1291. die 1291.
30. Septemb. & Adolfus de Nassau 1298.
regni sui anno 7. die vero VI. nonas Julii occi-
sus, Spiræ in choro Regum sepulti sunt. Anno
1292. Fridericus interfuit synodo in oppido 1292.
Aschaffenburgensi a Gerardo archiepisc. Mog.
D celebratæ; qua soluta, dum ad sua regreditur, in
itinere juxta Mogonum apud villam Kesterpach
captus est a Gerardo Eberhardi comitis de Ka-
zenelenbogen filio, & ad castellum quoddam
munitissimum deductus, custodiæ mancipatur;
at non diu postea, compositione inter eos facta,
episcopus abire permittitur. Anno seq. Gode-
fridum Hirsaugiæ abbatem electum confirmavit,
consecravitque; ac post ipsius mortem, iisdem
functus est muniis an. 1300. erga Henricum 1300.
ejus successorem. Animam exhalavit an. 1302. 1302.
die 28. Jan. sepultus in monasterio Usserthal, seu
Vallis-uterinæ ord. Cisterc. ad cujus sepulcrum
E tale sculptum in marmore epitaphium legitur:

Continet hæc fossa Friderici præsulis ossa
Quondam Spirensis, Deus illum pascere mensis
Cœli digneris, epulis quoque jungere veris.
Anno milleno trecentenoque secundo,
Atque calendarum quinto Februi datur is pius
antro.

DE LIECHTEMBERG.

LI. Sibotho, *seu* Sigebodo.

Ex Alsatia oriundus, Cæsaris Henrici VII. inti-
mus consiliarius, ut refert Bruschius in catalogo

ANNI CHRISTI

Spirensium episcoporum, mortuo Friderico, electione canonicorum successor datus est, vir bonus, & jurium ecclesiæ suæ defensor acerrimus, qui caput S. Stephani papæ & martyris, Spirensis ecclesiæ primarii post Dei genitricem
1309. patroni, argento vestiri præcepit. An. 1309. circa festum S. Michaëlis archangeli Henricus rex magnum habuit in urbe Spira conventum, in quo Sigebodo præsul inter alios episcopos & principes sedit. Mortuus est pridie idus Januarii an.
1314. 1314. sepultus in choro Regum ad latus sinistrum majoris ecclesiæ Spirensis.

LII. EMICHO.

DE LEYNINGEN, seu LINANGE.

In omnibus catalogis Sigebodoni proxime succedit, non inficiamur, sed observandum tamen est, cum his temporibus Ludovicus Bavariæ & Fridericus Austriæ duces de Imperio contenderent, a Ludovico Georgium filium comitis de Veldentia Mosellanum, Arnoldum vero de Ochsenstein a Friderico fuisse institutos episcopos, illi mansionis loco oppido *Germershein* assignato, isti Landaugia oppido, quo tempore Spirensis ager ab Austriis vastatus est; tum vero paucis post electionem diebus Georgium e vita migrasse, nec longe superstitem Arnoldum fuisse. Porro Georgii loco Emicho statim per Ludovicum, favente Petro archiepiscopo Moguntino,
1314. substitutus est eodem an. 1314. Rexit autem annis 14. quo temporis intervallo Cunonem
1321. de Schoneck Vangionum antistitem an. 1321.*
*al. 1320. die festo cathedræ S. Petri consecravit. Spiritum
1328. Deo reddidit anno 1328. feria IV. ante diem S. Georgii, & ante aram S. Annæ in majori basilica sub insigni marmore tumulatus est. Fortasse vero is est Emericus decimo-quarto seculo vixisse dictus ab Jacobo Willelmo Imhof in notitia S. Romani Germanici imperii, & aliquot pagos a cive nobili Henrico von... emisse, inter quos Udenheimium erat.

LIII. BERTHOLDUS.

DE BUCHECK.

Natus ex familia comitum hujus gentis, frater Mathiæ archiepiscopi Mog. ubi vide, seu potius in successore, cum esset eques* militiæ Teutonicæ, promotione Johannis papæ XXII. Spirensem pontificatum consecutus est, & post aliquot menses ab eodem translatus est ad Argentinensem, vacante Spira, inquit Trithemius, in annum sequentem, ac *interim*, addit, *Balduinus Trevirorum archiepiscopus, duarum jam antea ecclesiarum episcopalium, Moguntinæ, ac Vormatiensis administrator, etiam hujus ecclesiæ Spirensis administrationem, fratrum postulatione, & mandato papæ suscepit.* Legimus tamen apud Albertum Argentinensem, p. 169. *Berchtoldum diu Spirensem & Argentinensem episcopatus tenuisse, Spirensem gubernatorem se scribentem, quousque Johannes papa Walramo decano ecclesiæ Argentinensis & præposito Spirensis, de episcopatu Spirensi providit. Contra quem ipse Berchtoldus, ratione gravium expensarum, diu munitiones Spirensis tenuit cum magno scandalo, Kiselowe scilicet & Luterburg, quousque sibi a Johanne papa, quod hæc dimitteret est præceptum. De quo ipse papa pænitens, audito quod ipse Walramus Ludovico principi a se damnato, obedientiam fecerat, ipsi Berchtoldo, ut munitiones retineret, quas jam resignavit, rescripsit.*

*al. præceptor.

LIV. WALDRAMUS.

DE FELDENZ, seu VELDENZ.

Filius comitis Mosellani de Veldenz, anno 1329. *vel* 1330. favore Balduini Trevirensis archiepiscopi, ac Johannis papæ XXII. provisione, factus est episcopus Spirensis, ex præposito ejusdem ecclesiæ & Argentinensis decano. Verum *an.* 1332. *ad instantes preces ejusdem Walrami fratris comitis Veldenciæ ibidem episcopi & capituli, qui tot debitis erat gravatus & guerris, quod ulterius regere non poterat*, Balduinus prædictus, *hunc episcopatum cepit regendum in temporalibus.* Obiit Walramus an. 1336. die 5. cal. Sept. *seu* die festo S. Augustini, ex Trithemio, & in choro Fratrum Prædicatorum sepultus est. Hoc autem anno Balduinus *episcopatum Spirensem a debitorum gravaminibus relevatum, & multum melioratum, pace reformata, dictoque Walramo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxit resignandum, &c.*

1330. 1332. Tom. 1. Miscell. Baluz. pag. 147. 1336. Ibid. pag. 149.

LV. GERARDUS.

DE EREMBERGK.

Gerlacus ab auctore vitæ Balduini Trevirorum archiepiscopi vocatur, ejusdemque studio dicitur in episcopum electus. Is autem ab aliis omnibus Gerardus nuncupatus, duobus post obitum Walrami episcopi mensibus & 27. diebus evolutis, in festo S. Catharinæ virg. & mart. electus fuit, Trithemio testante, vir prudens in agendis, & in utroque jure non mediocriter doctus; qui cœnobium Augustinianorum instauravit, & Udenheimium castrum muro fossâque circumdedit. An. 1341. Wichardum Hirsaugiensem abbatem confirmavit, ac die festo S. Andreæ apostoli, Spiræ in ecclesia sua cathedrali, solemni donavit benedictione; idemque munus erga successorem cognominem an. 1354. obivit. Testis est an. 1362. in charta Caroli IV. imperatoris, regnorum ejus anno XVI. Imperii VII. indictione XV. decimo-octavo cal. Febr. Burgundiæ comitatum Philippo Audaci cedentis. E medio tandem sublatus est die 28. Dec. an. 1363. sepultusque in ecclesia Spirensi ante aram S. Annæ.

Ibid. 1341. 1354. 1363.

LVI. LAMBERTUS.

DE BUREN, vel DE BURNE.

Nobilis Alsata, patre Willelmo equite aurato in lucem editus, ex monacho New-wilerano fit abbas Gengembacensis, tum episcopus Brixiensis, an. 1350. postea Spirensis 1363. quo tempore fuit cancellarius Caroli imperatoris, dein Argentinensis præsul 1371. & Bambergensis 1375. Porro de Lamberti ad cathedram Spirensem promotione longe dissentiunt inter se Trithemius & Demochares. Hunc enim iste quasi ab Imperatore Carolo IV. intrusum, contra Eberhardum communi canonicorum suffragio electum, exhibet, ille vero electione canonica Gerhardo subrogatum tradit. At certe Trithemius fallitur, dum ei tribuit decem & octo regiminis annos, cui nonnisi novem a Demochare tribuuntur.

ANNI CHRISTI

Ceterum ad ejus preces Carolus IV. imperator A
omnia Germaniæ Regum & Imperatorum pri-
vilegia ecclesiæ Spirensi concessa, renovavit, am-
pliavit, ac simul in unum conscripta corpus aureo
sigillo roboravit, dictoque pontifici coram mul-
titudine principum tradidit; bullam vocant ejus
nomine qui dedit, *Carolinam*. Subscripsit autem
Lambertus episc. Spirensis bullæ aureæ ejusdem
Caroli imperatoris datæ in gratiam Johannis de
Groleya domini castri Neyrii an. 1366. indict.
IV. octavo idus Januarii. Quem denique Lam-
bertum memorant Bambergensi episcopatu re-
licto ad suum Gengenbacense monasterium se
recepisse, & ibi reliquo vitæ transacto sepultum B
esse.

DE NASSAU.

LVII. Adolfus.

De hoc episcopo plura jam diximus in archi-
episcopis Moguntinensibus, ad quam sedem a
Spirensi, ipsa nihilominus retenta, evectus est.
Vir ingenii perspicacis, ait Trithemius, non-
nullas pro libertate ecclesiastica cum Spirensibus
1377. contentiones habuit, quæ tandem an. 1377.
Prob. hist. Palat. pag. 117. curante Ruperto Seniore comite Palatino Rheni
Electore, pace inter eos composita, finem ha-
1389. buere. Anno 1389. Wichardum ejus nominis
tertium, abbatem Hirsaugiensem electum confir- C
mavit, ac benedixit; ac proinde non est mortuus
1388. uti Demochares, Trithemius, & Buce-
1390. linus tradunt, sed 1390. ut supra diximus in
archiepisc. Mogunt.

DE NASSAU.

LVIII. Nicolaus.

Humili genere natum Bucelinus asserit, ex
comitibus de Nassau Trithemius; utri fides ha-
benda, quis definiat? Eum prius auditorem
Rothæ Sammarthani post Democharem exhi-
bent, missumque volunt ab Urbano II. & com-
mendatum an. 1388. quo fortassis Adolfus in
coadjutorem eum assumsit, vel abdicavit. Utiliter D
vero præfuisse, & merito suspiciendum, veluti
alterum episcopatus restauratorem testantur om-
nes. Obiit Bruchsellæ, ait Demochares, die 7.
1396. Junii an. 1396. unde Spiram devectus, in ca-
thedrali basilica, media area ante S. Annæ altare
sub ceruleo marmore honorifice conditus est.
De cujus tamen obitu sic habet Trithemius in
chronico Hirsaugiensi ad hunc annum: *Moritur
Nicolaus ex comitibus de Nassau, qui eo tempore
morabatur in Wisbaden, haud procul a Moguntia.*

DE HELMSTADT.

LIX. Rabanus.

Wenceslai imperatoris cancellarius, eligitur in E
episcopum Spirensem die 20. Junii an. 1396.
1400. Confirmavit an. 1400. & inauguravit Frideri-
cum abbatem Hirsaug. & 1428. Wolfframnum
1408. ejusdem in abbatia successorem. Anno 1408.
Prob. hist. Palat. pag. 95. quamdam Johannis episcopi chartam anni 1104.
pro cœnobio Schwarzacensi ratam habuit. Testis
1414. est an. 1414. in aurea bulla Sigismundi impe-
ratoris, ipso die coronationis suæ 8. Novembris.
1423. Idem an. 1423. die 29. Maii suum gentilem
Johannem a Fleckenstein episcopum Basileen-
sem in ejus solemni suam in civitatem ingressu
comitatus est, *ex Basilea sacra*. Deinde an. 1427. 1427.
pro libertate privilegiorum atque bonorum tam
cleri, quam ecclesiæ suæ gravem ac diuturnam
cum civibus suis dissensionem habuit, non sine
magno utriusque partis incommodo; cumque
hujus causa discordiæ in clerum suum Rabanus
præsul inconsuetum hactenus exactionis pondus
imposuisset, non minus clerum quam antea cives
in odium sui provocavit. Ita Trithemius, qua
de re id unum habet Bucelinus, Rabanum scili-
cet duobus mensibus Spiram obsedisse, donec
res componerentur. Tandem an. 1430. Trevi- 1430.
rensis archiepiscopus evasit, rexitque has duas
simul ecclesias usque ad an. 1438. quo, die 1438.
mensis Jan. octava, de consensu capituli, Spiren-
sem ecclesiam in gratiam sequentis resignavit,
cujus episcopus fuerat annis 35. commendata-
rius vero, sive administrator, quandiu fuit ar-
chiepiscopus Trevirorum, annis septem. Cessit
autem & archiepiscopatu annuente suo capitulo
anno seq. servata sibi pensione annua, statimque
ad ecclesiam Spirensem se recepit, in cujus medio,
cum esset defunctus eodem anno, die 14. mensis
Nov. sepultus est.

DE HELMSTADT.

LX. Reinhardus.

Ex majori præposito Spirensis ecclesiæ, ad
ejusdem pontificale culmen patrui * cessione &
Eugenii IV. confirmatione conscendit an. 1438.
cujus episcopalis facta dicitur consecratio in cœ-
nobio Mulbrunensi; cumque vir quietus & 1438.
tranquillus præfuisset annis 17. interiit an. 1456. 1456.
19. Martii in castro Udenheim, sepultusque est
in ecclesia cathedrali, quam die 5. *vel* 6. Maii
an. 1450. igne devoratam restituerat.

** ex Trithemio & Bucelino; cognati, ex Demochare.*

DE VININGEN, *seu* DE FENNINGEN.

LXI. Sigefridus & Sifridus.

Electus est in pontificem die 29. Martii an.
1456. cumque Calixtus papa III. confirmavit.
Quanquam vero brevi tempore præfuit, ma-
ximis tamen sibi suam ecclesiam obstrinxit be-
neficiis; primo namque sui pontificatus anno
castrum Wesawe cum suis proventibus jam pri-
dem alienatum, ex pecunia sua pro octo milli-
bus florenorum redemit. Deinde sub Pio papa
II. Romam profectus est, ubi ab eodem ponti-
fice, privilegia, gratias & indulgentias plures
impetravit. Naturæ demum concessit Heidel-
bergæ an. 1459. die 2. Sept. unde Spiram re- 1459.
vectus, in ecclesia majori sepelitur.

NIX DE HOHENECK.

LXII. Johannes II.

Is etiam *de Entzenberg*, al. *Enzberger* cogno-
minatus, vir egregie doctus & nobilis, eligitur
a capitulo die 17.* Septembris an. 1459. de
quo jam plura superius diximus, nempe in deca-
nis Moguntinensibus & Wormatiensibus præ-
positis. Hic porro jussus ab Imperatore & a
summo pontifice, Adolfo de Nassau archiepis-
copo Moguntino contra Isemburgium suppetias
ferre, a Friderico Palatino Isemburgii fautore
gravissima damna pertulit; cum quo tandem inire
pacem compulsus est an. 1462. sub his onerosis 1462.
conditionibus, castellum scilicet cum oppido

** 7. ex Helwichio in decanis Mog. apud Johannem Christianum Johannis.*

ANNI CHRISTI

Rottenburg & Wesawe perpetuo deinceps fore juris Palatini, necnon ipsi venationem omnem in nemore Spirensis ecclesiæ dicto *Lusshart* omni tempore cessuram. Abdicavit in gratiam sequentis
1464. an. 1464. ex Trithemio in chronico Hirsaug. & Helwichio in decanis Moguntin. servata sibi quoad viveret Obergrunbacensis arcis possessione, non 1461. uti Demochares & Sammarthani volunt, aut 1462. ut Bucelinus, die vero 4. Julii, ex Helwichio, 8. Augusti, ex Trithemio, Demochare & Sammarthanis, postquam, inquiunt Helwichius & Sammarthani, licet in anno cessionis discrepantes, annis 4. mensibus 2. & diebus 21. præfuisset; legendum in Helwichii sententia annis 4. minus duobus mensibus, tribusque diebus. Obiit autem in arce prædicta, *al.* in oppido *Pfortzheim*, ex Trithemio, & Sammarth. an. 1467.* die 8. Sept. sepultus Pfortzhemii in choro templi Franciscanorum, ante summum altare.

* *male* 1464. *ex Demochare.*

LXIII. Matthias.

DE RAMUNG, *al.* DE RAMMINGEN, *vel* RANINGHEN.

Patria nobilis Bavarus, & antea majoris ecclesiæ canonicus (necdum tamen capitularis, ex Trithemio) ac Friderici Palatini comitis cancellarius, per superioris cessionem, cui visus est magis idoneus, & canonicorum consensum, provisione Pii papæ II. ordinatus est episcopus an.
1464. 1464. Ecclesiam cathedralem quatuor egregiis sacellis auxit & illustravit, in quorum priore Beatæ Virgini sacro sepulturam sibi constituit.
1468. An. 1468. die 3. mensis Januarii canonicorum S. Germani collegium in civitatem transtulit, & in S. Mauricii basilica cum suis omnibus ornamentis, rebus & privilegiis collocavit. Idem quoque *Mariætraut* arcem insignem, testante
1478. Bucelino, construxit; ac tandem 1478. calendis Augusti a seculo migravit, & in prædicto majoris ecclesiæ sacello tumulatus est.

LXIV. Ludovicus.

DE HELMSTADT.

Cum tunc esset Moguntinæ & Spirensis ecclesiarum canonicus, necnon Dietheri archiepiscopi Moguntini vicarius in spiritualibus, canonice per capitulum electus est in episcopum Spirensem
1478. die 5. Augusti an. 1478. confirmatusque per Sixtum IV. Romanum pontificem. Fuit vir honestissimæ conversationis, modestia & integritate morum nulli Germaniæ pontificum secundus, in subditos suos clementissimus, in pauperes misericors, amator pacis & tranquillitatis, in eoque solo vituperandus, si tamen ei vitio verti potest, quod natura potius, quam voluntate aliquantulum plus justo pusillanimis erat & timidus in resistendo his, qui aut moribus erant reprobi, aut jus ecclesiasticæ libertatis temere violabant; quanquam, ait Bucelinus, conspirationem contra se & magistratum plexuit; sed eo tamen pontificatum gerente, monachi ejus diœcesis in *Klingenmunster*, in *Odenheim* & in *Sunsheim* ab or-
1486. dine monastico recesserunt. An. 1486. Philippo comiti Palatino Electori adfuit expugnanti castrum *Geroldseck*. Obiit Ludovicus Udenhemii
1504. an. 1504. die 24. Augusti, testante post Tri-
A themium Georgio Christiano Johannis in pleniore syllabo canonicorum Moguntinensium, anno pontificatus sui 27. non completo; Sammarthani vero post Democharem mortuum volunt 18. Aug. an. 1505. Jacet in medio Spirensis ecclesiæ. 1505.

LXV. Philippus I.

DE ROSENBERG.

Superioris ex sorore nepos, eidem successit, ex cantore majoris ecclesiæ. Hic oppidum & castrum *Rottenburg* cum suis pertinentiis, olim pro viginti mille impignoratum florenis, a Philippo comite Palatino Rheni pro duodecim mille
B redemit. Idem etiam novum canonicorum *de Odenheim* collegium, cum rebus omnibus, privilegiis & proventibus suis in oppidum *Bruchsal* transtulit; quo etiam sedente Landaugiæ cives & consules ab episcopali jurisdictione declinantes, ad Cæsaream majestatem se contulerunt fidei sacramentum præstituri. An. 1512. misit ora- 1512.
torem suum quemdam canonicum ad conventum Principum, quem apud Treviros convocaverat Maximilianus imperator; ac tandem anno seq. die 3. Febr. Udenhemii mortuus est claudus ac debilis præsul, sepultusque ad sinistrum Ludovici de Helmstadt avunculi latus.

C

LXVI. Georgius.

DE BAVIERE.

Parente natus est Philippo Palatino ad Rhenum Electore anno 1486. fratresque habuit Henricum Vormatiæ & Johannem Ratisponæ præsules, necnon Philippum, cui successit in præpositura Moguntinensi, cum jam esset ejusdem ecclesiæ, Coloniensis, Trevirensis, & Spirensis canonicus, ac insuper S. Donatiani Brugensis præpositus. Tandem ætatis suæ anno 27. in episcopum Spirensem canonicorum postulatione assumtus die 13. Febr. an. 1513. 1513.
consecratur eodem* anno 22. Julii per Albertum a
D cardinalem Moguntinum. Virum nobilem, mansuetum, prudentem, amatorem cleri & pauperum defensorem illum exhibet Trithemius, de quo, ait, spem bonam concipiunt omnes, quod utilis sit pastor futurus. Et quidem hic emit ab Ulrico duce Wirtembergico castrum Madenburg, *seu* Madenberg, cum territorio adjacente, arcemque condidit Udenhemii, & ibi sedem episcopalem constituit; qui demum Anglico sudore per Germaniam grassante correptus, ait Bucelinus, interiit in arce de Kislaw, sedis anno 16. Christi 1529. die vero mensis Sept. 27. 28. 1529.
aut 29.[b] Jacet in sua cathedrali basilica ante b
E aram S. Annæ.

a Ex Sammarth. *legendum* an. 1515. nondum enim an. 1513. Albertus erat archiepisc.

b *melius*, hac die, ex litteris authenticis Spira Moguntiam tunc missis.

LXVII. Philippus II.

DE FLERSHEYM.

Primum fuit canonicus Augustæ Vindelicorum, deinde major ecclesiæ Spirensis præpositus, qui tandem in episcopum electus die 22. Octobris an. 1529. Aschaffenburgi consecra- 1529.
tionem accepit ab Alberto cardinali & archiepisc.

ANNI CHRISTI

Mog. 25. Martii an. 1530. Urbem vero suam festiva pompa ingressus est die 9. Dec. Hic porro Fridericum II. comitem Palatinum & Dorotheam Mariæ reginæ Daniæ filiam matrimonio rite
1537. conjunxit anno circiter 1537. & an. 1546.
1546. præposituram Weissemburgensem uniri suo episcopatui, consentientibus Paulo III. Romano pontifice & Carolo V. imperatore, curavit. Defunc-
1552. tus est Tabernis an. 1552. die 14. Aug. ex Schannatio quantum ad diem, non 1555. *vel* 1557. uti legitur apud eumdem Schannatium, lib. cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*, pag. 14. Spiræ vero conditus est in summo templo, cujus epitaphium sequens in choro Weissemburgensis ecclesiæ legitur:

Memento mori.

*Reverendissimo domino, domino Philippo e nobili familia de Flersheym, cujus prima ætas moribus honestis & optimis disciplinis exculta, subsequens doctorali mitra, dignitatibus ecclesiasticis cathedralium, Spirensis, Vormatiensis, Augustensis, Eystettensis, Brugensis ecclesiarum ornata; posterior, primo coadjutoria præsulis Vormatiensis, deinde episcopatu Spirensis ecclesiæ, demum insignis hujus ecclesiæ præpositura, decorata: Maximiliano & Carolo V. divis imperatoribus, Regibus, omniumque ordinum hominibus, ob summam prudentiam, & in conciliandis hominum animis, negotiisque arduis tractandis felicitatem, necnon erga omnes suos subditos heroïcam humanitatem, desideratissimus.**

* *desideratissimo.*

DE FRANCKENSTEIN.

LXVIII. Rudolfus.

E scholastico majoris ecclesiæ Moguntinensis eligitur in episcopum Spirensem, ex Sammar-
1552. thanis, die 3. Octob. an. 1552. die vero Februarii 20. 1553. ex Georgio Christiano Johannis in syllabo pleniore scholasticorum ecclesiæ Mogunt. pag. 322. fortasse vero iste non electionem proprie dictam, sed ipsam intellexit consecrationem, quæ quidem hoc anno secundum veterem calculum die 20. Febr. in Dominicam incidebat. Obiit in castro Lauterburg die Vene-
1560. ris 21. Junii an. 1560. ætatis suæ 37. sepultusque est Spiræ in æde majori, die Mercurii 3. Julii.

DE HATSTEIN, *sive* HATTENSTEIN.

LXIX. Marquardus.

Antea scholasticus Spirensis, & canonicus ecclesiæ Moguntinensis, fuit etiam Cantor ejusdem ecclesiæ metropolitanæ an. 1558. desinente
1560. ad annum 1560. quo factus episcopus Spirensis, isto Cantoris officio se abdicavit; postea tamen Custodis partes in eadem ecclesia suscepit anno
1568. 1568. ac deinde anno seq. Imperialis cameræ, sive tribunalis summi Spirensis meruit constitui judex. Tandem vero die Jovis 7. Decemb.
1581. anno 1581. Udenhemii vitam clausit, ac in majori templo Spirensi conditus est die 17. Decembris.

DE DIENHEIM.

LXX. Eberhardus.

Electus est in episcopum 20. Dec. vigilia A S.Thomæ apostoli an. 1581. simulque fuit Imperialis cameræ judex. Fato functus in Udenheim 10. Oct. an. 1610. sepelitur in summo templo Spirensi 18. Octobris. 1581. 1610.

DE SOETERN, *al.* DE SOTERN.

LXXI. Philippus-Christophorus.

Antequam ad culmen episcopale in Nemetibus sublimaretur, fuit præpositus Trevirensis, & Bruchsalensis, custos Vormatiensis, cantor Spirensis, canonicus ecclesiæ majoris Mog. necnon S. Albani & S. Victoris ibidem, ac demum e scholastico prædictæ Moguntinensis ecclesiæ, die Sabb. 30. Maii, Spiræ in coadjutorem & fu- B turum episcopum electus est an. 1609. deinde post obitum Eberhardi ad possessionem episcopalem inductus 20. Octob. an. 1610. postmodum die Lunæ 20. Nov. *legendum* Sabbato, ejusdem anni, præposituræ Weissemburgensis possessionem accepit; cumque anno seq. dignitatem scholastici Moguntini resignasset, episcopali charactere insignitus est an. 1612. XVIII. 1612.
cal. Septemb. a Stephano Moguntinensi suffraganeo. Hic porro novas Udenheimio solidasque munitiones adstruxit, ipsumque suo nomine *Philipsburgum* appellavit. Inde traductus est ad ecclesiam Trevirensem, retenta nihilominus Spi- C rensi, anno 1623. die 25. Sept. ubi decessit an. 1623.
1652. die 7. Febr. senex annorum 87. ibi- 1652.
demque sepultus est in æde principe ante aram S. Luciæ.

DE METTERNICH.

LXXII. Lotharius-Fridericus.

Capituli suffragiis in præsulem cooptatur an. 1652. die XI. Aprilis, qui deinde fuit archi- 1652.
episcopus Moguntinus & Vormatiensis antistes, ubi vide.

D'ORSBECK.

LXXIII. Johannes-Hugo.

Parentes habuit Guillelmum d'Orsbeeck dynas- D tam de Vernich & Mariam Catharinam *vonden Leyen*, seu de Petra, Caroli Gaspardi Trevirensis & Damiani Hartardi Moguntin. Electorum sororem, Ex coadjutore duarum sedium episcopalium, Trevirensis ab anno 1672. 2. Januarii, 1672.
& Spirensis, hujus tandem administrationem consecutus est an. 1675. quo sedente, tota Spira 1675.
incensa est a Gallis an. 1689. Inde fuit archiepisc. Trevirensis an. 1676. ubi de illo plura. 1676.
Exstinctus est XI. Januarii an. 1711. 1711.

DE ROLLINGEN.

LXXIV. Henricus-Hartardus.

Canonicus primum & archidiaconus Tre- E virensis, major etiam decanus ac præpositus Spirensis, necnon etiam præpositus Wirtzburgensis & ecclesiæ collegiatæ de Odenheim, ad Spirensem præsulatum evectus est die 6. Februarii anni 1711. Occubuit vero 1719. die 30. Novemb. 1711.

DE SCHOMBORN.

LXXV. Damianus-Hugo.

Ex archicommendatore, sive summo præfecto præceptoriæ Marpurgensis in Hassia, & Veterisjunci in tractu Leodiensi ordinis Teutonici; creatus fuit cardinalis an. 1715. & anno seq. coadjutor Spirensis.

PRÆPOSITI SPIRENSES.

I. BRUNICHO fuit præpositus Spirensis aut Vormatiensis sub initium XI. seculi; quo scilicet exhortante, & Walterio Spirensi episcopo adjuvante, necnon Olberto, postea Gemblacensi abbate, Burchardus episc. Vormatiensis collectarium canonum elucubravit. Tum verò Burchardi exemplo animatus, vitam monasticam aggressus est.

II. Herrandus, *al.* Hetzelon Spiræ præpositus, fit episcopus Argentinensis anno circiter 1047. testante Hermanno Contracto, pag. 139. tom. 2. rerum Germanic.

III. Gotebaldus Nemetensis præpositus, an. 1049. post Eberhardum his diebus defunctum ad Aquileiæ patriarchatum promovetur ab Imperatore, ex chronico ejusdem Hermanni Contracti.

IV. Bruno de Britheim major præpositus ecclesiarum Trevirensis, Spirensis & S. Florentii in Confluentia *de Coblentz*, dein electus Trevirensis archiep. moritur an. 1123. *vel* 1124.

V. Hartwigus ex decano præpositus, deinde monachus Hirsaug. sub abbate Wolmaro, cui postea successit, ex Trithemio in chronico Hirsaug. recognito, pag. 430. ad an. 1157.

VI. Henricus major præpositus Spirensis an. 1182. ex probationibus hist. Palatinæ, pag. 57.

VII. Wernherus 1273. in probationibus hist. Palat. pag. 79. memoratur in necrologio Lucidævallis apud Schannatium, lib. cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*, pag. 172. ubi leguntur hæc verba: *In Annunciatione S. Mariæ Virginis celebrari permittimus anniversarium domini Wernheri præpositi Spirensis & dominæ Margaretæ, ex petitione & desiderio domini Suikeri de Brusella, qui dedit nobis XXX. libras pro redditibus trium librarum Halensium perpetuum celebrandum.*

VIII. Walramus de Veldenz præpositus Spirensis, ac decanus Argent. an. 1329. *vel* 1330. fit episc. Spirensis.

IX. Conradus de Kirckel præpositus Spirensis, custos Argentinensis, ac Moguntinensis ecclesiæ canonicus, vixit sub annos 1329. & 1347. De Conrado vide chronicon Alberti Argentinensis, apud Urstisium, pag. 140. 142. 145. ac ibidem in gestis Bertholdi episc. Argentin. pag. 168. & 173.

X. Reihardus de Helmstadt major Spiræ præpositus, Rabani nepos & in episcopatu successor, obiit 1456.

XI. Georgius I. de Swalbach canonicus Moguntinus & Spirensis, evasit postea hujus ecclesiæ præpositus & S. Guidonis, qua dignitate fungens episcopi Spirensis legatum egit an. 1524. in comitiis Norimbergensibus; obiit 1529. antea, ut videtur, abdicato munere.

XII. Philippus de Flersheim major præpositus, deinde Spirensis episcopus an. 1529.

XIII. Georgius II. Goeler a Ravenspurg præpositus Spirensis, & Moguntinæ majoris ecclesiæ ac S. Victoris ibidem canonicus, deinde Cantor in prædicta majori Moguntina 1548. Obiit 1558. die S. Martini XI. Nov. & in ambitu ecclesiæ Moguntinæ sepultus est.

XIV. Wolfgangus camerarius de Vormatia, dictus *a Dalberg*, præpositus Spirensis, Moguntinæ majoris ecclesiæ canonicus & scholasticus, ac vicarius generalis in spiritualibus, deinde an. 1571. præpositus Moguntinus, ac denique archiepiscopus & Elector, ubi vide.

XV. Wildericus de Walderdorff Spiræ major præpositus, &c. dein episcopus Viennensis, obiit 1680. die 4. Septemb. Viennæ sepultus in ecclesia cathedrali, de quo vide tom. 2. rerum Moguntiacarum, auctore Georgio Christiano Johannis, pag. 407.

XVI. Damianus-Emericus d'Orsbeck, cui defuncto successit

XVII. Johannes-Philippus de Walderdorff circa 1687.

XVIII. Lotharius-Adolfus-Edmundus a Kesselstatt præpositus erat 1691.

XIX. Henricus-Hartardus baro de Rollingen, ex decano præpositus, ac deinde præsul ejusdem ecclesiæ an. 1711. obiit 1719.

DECANI ALIQUOT SPIRENSES.

I. HARTWIGUS ex decano præpositus, ut supra in præpositis ad an. 1157.

II. Arnoldus 1173. indict. VI. in charta Friderici imperatoris pro ecclesia Moguntina.

III. Conradus de Roysenberg ex decano Spirensi & canonico Moguntino factus est episcopus Heldesheimensis an. 1221.

IV. Berengarius baro d'Ebringen, *sive* d'Euringen, obiit episcopus 1232.

V. Johannes de Stettenberg canonicus Moguntinus & Spirensis decanus, obiit 1454.

VI. Georgius-Antonius a Rodenstein, decanus Spirensis, necnon S. Germani ibidem, custos Vormatiensis, Moguntinus canonicus & episcopus Vormatiensis, defecit an. 1652.

VII. Ignatius Wolf, dictus *Metternich in Gracht* decanus Spirensis, & ad S. Germani ibidem præpositus circa 1687.

VIII. Henricus-Hartardus baro de Rollingen, major decanus, ac præpos. fit episc. 1711.

IX. Franciscus-Georgius comes de Schomboed electus est decanus an. 1722. mense Junio.

DE MONASTERIIS DIŒCESIS SPIRENSIS.

VIx unum ætate nostra subsistit monasterium in suo primævo statu, quanquam ibi plurima quondam divitiis & honoribus præfulserint. Quidquid tamen ex iisdem superest, ne penitus eorum memoria obliteretur, colligere pro more nostro satagemus.

Ord. S. Bened. I. PRimum & antiquius est Weissenburgum, *seu* Wirtzenburgum, quasi sapientiæ castrum, & alio nomine Album-castrum & Albiburgium, quod SS. Apostolis Petro & Paulo, atque B. Stephano protomartyri nuncupatum est. In brevibus annalibus Gregoriani in Alsatia monasterii, ad cyclos Paschales digestis, reponitur an. 630. *initium Leucopolis cœnobii, quod Latine*, imo Teutonice, *Wissenburch dicitur.* Auctor ipsius audit Dagobertus Senior, cujus diploma fundationis a Trithemio refertur, sed nullius esse momenti Mabillonius censet. Verumtamen ejus fundatorem exstitisse Dagobertum I. non obscure probat inscriptio lapidis muro veteris ejusdem monasterii ædificii inserta, his verbis: *Anno Dom.* DCXXIII. *dom. Dagobertus rex Francorum I. fundavit monast. Wizeburgense, &c.* Erat autem hoc monasterium ordin. S. Benedicti, exemtum & Imperiale dictum, & quidem ex quatuor illis sacri Romani Imperii abbatiis, ducali dignitate conspicuis, in hoc videlicet præcipuo jure consors & socium Fuldensis, Campidonensis ac Murbacensis abbatiarum, quarum abbates Carolus IV. imperator principes inter voluit annumerari, & habere jus sententiæ in comitiis Imperii. Trithemius tamen has quatuor imperiales recenset, Fuldensem, Hersfeldensem, Wissenburgensem & Laurissensem, *seu* Laurishamensem, quibus etiam accensentur Campidonensis, Corbeiensis in Saxonia, Murbacensis & aliæ. Ex hac porro cœnobii fama & celebritate prodiit oppidum elegans cognomine, amœnissimo loco ad montes Vosagi positum, in inferiori Alsatia, ad amnem Lutharum, qui mediam urbem præterfluit. Tum vero monasterium an. 1482. Bursfeldensi congregationi nomen suum dedit; sed heu! mutatum est in collegium secularium sacerdotum an. 1526.[a] & abbatiale munus in præposituram, quam anno demum 1546. Philippus de Flersheim episc. Spirensis suæ uniri mensæ procuravit.

[a] Data est bulla, quam vide in appendice nostra, VII. cal. Maii an. 1524. pontificatus Clem. VII. anno 1. & ejusdem publicatio an. 1530. indict. III. Sabb. 21. Maii.

SEQUUNTUR ABBATES.

PRincipius monasterii primus abbas, seu potius instaurator, inquit Mabillonius, deinde mortuo Athanasio antistite ad Spirensem cathedram provectus est.

Cherdonius, *vel* Cheodonius Principium excepit.

Dragebodo, &c. dehinc episc. Spirensis.

Ratfridus, *seu* Radefridus & Rodfridus successit, cui Dagobertus II. Austrasiæ rex Thermas Badenses trans Rhenum in pago Auciacensi positas, ad quas monasterium situm est, cum marca adjacente donavit, anno regni sui secundo die XI. Augusti, hoc est 675.* Exstat charta in prob. hist. Alsatiæ R. P. Ludovici Laguille e Societate Jesu, pag. 2. cui annum 662. assignat.

* Ex Mabillonio.

Erwaldus & Ehrwaldus.

Justulsus aliquot annorum abbas, deinde episcopus incertæ sedis, fortasse tamen Spirensis, ait Mabillonius, de quo in Augiensi necrologio sic habetur: *Ex monasterio Weissenburgensi Justulsus episcopus.* Obiit an. 725. ex tom. 1. *Vindemiarum litterariarum* Schannatii, pag. 5.

Astramus & Astrammus, *ibid.*

Gerbertus, *ibid.*

David, exinde. Spirensis antistes.

Wernharius obiit episc. Vormatiensis, an. 766.

Folcwicus, postea quoque Vormat. episcopus.

Erimbertus, *vel* Erembrechtus, demum etiam episc. Vormat.

Charialdus, *al.* Charwaldus, *ibid.*

Bernhardus & Bernwarius, *sive* Bernarius & Perincharius, postea episc. Vormatiensis, in Augiensi necrologio & Sangallensi memoratus *episcopus & abbas*, quasi abbatiam una cum episcopatu retinuerit.

Haistulfus, dein archiepisc. Mogunt. Bernario in abbatia successisse dicitur, quanquam nulla ipsius sit mentio, sive in libro fratrum conscriptorum S. Galli apud Goldastum, tom. 2. part. 2. pag. 145. sive Augiensi, quibus in libris Weissenburgenses abbates recensentur; sed neque apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ*.

Wielandus, apud Schannatium, *ibid.*

Odegerus, *sive* Odegarius & Otgarius, ex abbate Weissenburgensi evasit Moguntinus antistes an. 826.

Grimaldus in abbatiæ regimine Otgario successit. Eum an. 834. Ludovicus Bajoariæ rex legatum misit cum Gebehardo duce ad Ludovicum Augustum patrem, solio privatum Aquis commorantem; a quo deinde thermas Badenses iterum obtinuisse dicitur anno regni Ludovici 23. (856. ex Mabillonio) XV. calend. Julii. Præfuit Grimoldus ad annum circiter 865. quo tempore ejusdem loci monachus Otfridus, non minus pius quam doctus volumen Evangeliorum rythmis theotiscis composuit. In codice fratrum conscriptorum monasterii S. Galli, inter nomina fratrum de monasterio *Wizenburg* notantur post Atonem episcopum *Otger episcopus & Grimaldus abba.* De quo rursus in antiquo libro sic habetur: *Idibus Junii obiit Grimaldus abbas, qui ecclesiasticæ utilitati studiosius intendens, monasterium S. Petri, post incendium majore ædificio restauravit.*

Volcoldus abbas & episcopus incertæ sedis.

Gerhocus,

Gerhocus, *seu* Gerrichus I. idem qui Gerhoh abbas ex monasterio Weissenburgensi memoratus in Augiensi necrologio. Fortasse vero idem est Gerrichus infra positus.

Mimoldus, *seu* Mainholdus.

Geylo, huic monasterio ab Ottone rege, *studio sanctæ religionis*, jure abbatis eligendi restituto, eidem abbas præficitur, ut in chronico Saxonico legitur, an. 957. Moritur autem tribus post annis, XII. cal. Octob. 960.

Gerrichus II. Geiloni suffectus ad quatuor annos, obiit idibus Maii, peste sublatus an. 964. in comitatu Ottonis imperatoris.

Erkembertus & Erkambertus, *al.* Erkambius, Gerrici frater, illum excepit an. 964. Epitaphium habet in ambone ecclesiæ chorum versus spectante, in hæc verba:

Hic Ercambertus situs est abbas venerandus,
Moribus eximiis. . . . .
Nobilitans clare commissum pastor ovile.
Famine quæ docuit . . . . . . *haud minuit.*
Idibus hic quinis Februi decesserat imis,
Dans animam Christo; membraque mausoleo, &c.

Adalbertus, monachus Trevirensis apud S. Maximinum, ex Russiæ missione reversus, uti ex chronico Saxonico & Reginonis appendice discimus, monasterio Weissenburgensi ab Ottone Magno imp. præficitur an. 966. cui cum per annos 2. fideliter præfuisset, ab eodem Ottone ad archiepiscopatum Magdeburgensem, quem ipse fundaverat, sublimatur an. 968.

B. Sanderadus & Sandradus, antea primus abbas Gladbacensis, cum hic a Warino Coloniensi archiepiscopo nimium vexaretur, ad imperatricem Adelheidam, cui a confessionibus erat, confugit, atque ab ea benigne acceptus, ad Weissenburgensem abbatiam promotus est. Sed, postquam huic loco per aliquod tempus laudabiliter præfuisset, ejusdem imperatricis favore atque auctoritate, ab Agrippinensi metropolita revocatus, in locum & gradum pristinum restitutus est.

Gisellarius in abbatiam intrusus, eamdem nihilominus fideliter rexit, quam & flammis absumtam velut alter fundator insigniter restauravit. Obiit XVI. cal. Novemb. an. 989. cum testante Bruschio, annis 14. præfuisset.

Gerrichus III. in abbatem electus eodem anno 989. post duodecim annos regiminis, abdicavit ultro, ac mortuus est pridie nonas Julii.

Sigibodo unico tantum anno præfuit, defunctus 1002.

Liuthardus construxit collegiatam ecclesiam S. Stephani in ejusdem nominis monte, civitati Weissenburgensi vicino, quæ in seditione rusticorum an. 1525. a furente plebe Landoviana pene solo tenus vastata est; sub eoque rursus an. 1004. monasterium in favillas redactum est. Obiit vero calendis Nov. an. 1032.

Folmarus & Wolmarus sedit annos 12. fato functus 1043. pridie idus Maii.

Arnoldus & Arnolfus, a puero Laureshami monachus, ita se gessit, ut primo ibidem præpositus, dein Weissenburgensis monasterii regimini prælatus 1043. in annos 12. inquiunt Bruschius & alii, postea Lintburgensis monasterii, ac subinde Corbeiæ novæ præfecturam obtinere meruerit. Inde ad regendum Laureshamense monasterium a suis revocatus, demum Spirensis episc. dicitur factus in chronico Laureshamensi, anno 1054. ex Lamberto Scafnaburgensi, & anno 1056. obiisse, VI. nonas Octob. sepultus Spiræ in ecclesia S. Guidonis in latere dextro chori ante summum altare, ubi sarcophagum donatur epitaphio, quod vide tom. I. *Vindem. litterar.* pag. 10.

Samuel de genere ducum Saxoniæ, abbas electus post episcopum Arnoldum, rexit annis 42. Coronam magnam ex argento deauratam perfecit, quæ etiamnum, inquit anonymus, in ecclesia dependet. Obiit VI. idus Maii 1097. ex Bruschio.

Stephanus an. 1104. testis est in charta Johannis episc. Spirensis pro monasterio Schwarsacensi. Mortem oppetiit XV. kal. Aprilis, ex Schannatio, in libro cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*, X. cal. ex Bruschio.

Ludovicus, filius comitis Adelberti de Engesheim, monachus primum factus in Weissenburgo, deinde in Hirsaugia tempore S. Willelmi abbatis, si Trithemio credere fas est, ex Hirsaugia cum quibusdam fratribus huc abbas missus est. In omnibus editis catalogis omittitur.

Menigandus obiit V. cal. Decemb.

Udalricus memoratur abbas an. 1118. ind. X. defunctus calendis Maii ex Bruschio, X. cal. ex Schannatio in libro supra dicto.

Werinherus, X. cal. Maii.

Ernestus, pridie nonas Julii.

Benedictus sedit annos X. mortuus XII. cal. Septemb.

Engisalvus, *al.* Engiscalcus obiit V. idus Sept. cum præfuisset annis 23.

Gundelacus, *al.* Gundericus præfuit annis 20. quo tempore reperiuntur litteræ cum ejus sigillo datæ an. 1182. Vivere desiit idibus Martii, ex Schannatio, IV. idus ex Bruschio.

Godefridus præfuit annis octo.

Waldramus & Wolframus clavum tenuit annos 27. sub Conrado a Scharpheneck episc. Spirensi. Florebat 1207. & obiit 1224. V. idus Julii.

Cuno secutus Walramum, an. 1235. ad petitionem Conradi episcopi Spirensis, de consensu fratrum suorum, jus patronatus & ecclesiam cum decimationibus in villa Bulliken prope Landaugiam oppidum, canonicis majoris ecclesiæ Spirensis in augmentum præbendarum eorum contulit. Hic cum præfuisset annos 26. animam exhalavit pridie cal. Sept. an. 1248. sepultus in ambitu ecclesiæ, cum epitaphio valde glorioso.

Conradus post tres annos regiminis e vivis excessit calendis Sept. 1251. ex Schannatio, IX. cal. ex Bruschio.

Fridericus post Conradum monasterio præfuit annis XI. Hic cœpit oppidum Weissenburgense

muris communire. Obiit autem calend. Septemb. ex Schannatio, XVI. cal. ex Bruschio, an. 1262.

Edelinus & Wendelinus electus in abbatem post obitum Friderici, monasterio per annos 30. summa cum laude præfuit. Nam oppidum Weissenburgense muro cinxit quadrato lapide, turribus, propugnaculis, fossis valloque communivit, & in ipso monasterio multa construxit. Ante portam inferiorem monasterii maximam domum ædificavit, ubi nunc, ait Schannatius, granarium exstat, cum inscriptione lapidi quadrato incisa, his verbis: *Anno Dom.* MCCLXXXVIII. *Edelinus* XLV. *abbas Wizenburgensis hanc domum construxit, &c.* Item haud procul a superiori porta, refectorium cum dormitorio & conventus hypocausto lapidibus quadratis erexit, & ibi legitur: *Hoc refectorium fecit Edelinus.* Porro hic anno 1273. idibus Decembris testis est in charta Rudolfi I. imperatoris pro Spirensibus, ex hist. Palatin. prob. pag. 79. & an. 1282. in vigilia B. Andreæ apostoli Ludovicus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ ab hoc abbate feoda sua, quæ a Weissenburgensi cœnobio habebat, recepit, *ibid.* pag. 78. Obiit Edelinus IV. idus Oct. ex Schannatio, idibus, ex Bruschio, an. 1293. sepultus in ambitu ecclesiæ cum epitaphio. In ejus autem baculo pastorali scriptum reperitur: *Attrahe, punge, ferri, qui quæris pastor haberi.*

Wilhelmus I. post regimen annorum 8. decessit calend. Febr. an. 1301. sepultus in ecclesia ante sepulcrum Domini.

Egidius, memoratus an. 1305. præfuisse legitur decem annis & septem mensibus; qui dum esset in comitatu Henrici Romanorum regis Urbem intrantis, ibidem exstinctus est in prælio cum Romanis an. 1312. die 25. Maii, *al.* 26. postquam anno præcenti ab eodem Rege confirmationem jurium in quosdam pagos obtinuisset. *Prob. hist. Als. p. 60.*

Bartholomæus in locum Egidii subrogatus, obiit XIII. calend. Aug. an. 1316. cum sedisset annis tribus & mensibus aliquot.

Wilhelmus II. sex annis præfuit, mortuus V. idus Martii an. 1322.

Johannes I. de Franckenstein cum annis 15. pedum pastorale gessisset, morte sublatus est an. 1337. III. nonas Novemb. sepultus in ambitu, quem epitaphium a pudicitia maxime commendat.

Eberhardus comes de Saræ-ponte, *al.* de Sarbruggen, annis 44. quibus abbatem egit, plurima cœnobio suo comparavit. Anno videlicet 1339. emit a comite Nicolao de Leuvenstein & ipsius conjuge Wildeburge de Wertheim pagum Hochdorf Spirensis diœcesis, anno 1347. castrum Bertenstein cum omnibus pertinentiis a militibus Ottone & Ulrico de Weingarten fratribus, pretio 800. librarum Hallensium, & pagum Bobenthal cum adjacente silva, dicta Albrechtsbuhel pro 210. florenis a Johanne milite de Than. Anno vero 1356. testis est in litteris Caroli imperatoris pro cœnobio Aureævallis. An. 1361. feria III. ante Pentecosten duci Ruperto vendit advocatiam seu præposituram d'Hagenbach, ex prob. hist. Alsatiæ, pag. 61. Denique obiit mense Januario anni 1381. sepultus in ambitu.

Hugo de Navelden & Naselden, cum sedisset annis 20. ipsa die S. Benedicti an. 1402. interiit, sepultus ad latus dicti Eberhardi.

Johannes II. comes de Veldenz præfuit annis 32. *vel* 33. quo tempore cum Constantiensi concilio interfuisse volunt. Naturæ concessit an. 1434. pridie festi S. Barnabæ apostoli, sepultus prope suum antecessorem.

Philippus I. Schenck, comes de Erpach, rexit ab an. 1434. ad 1467. quo migravit ad alteram vitam in ipso solstitio hyemali, sepulus ad latus sui decessoris.

Jacobus de Burg, *al.* baro de Bruckh, *vel* de Prugk sedisse dicitur annos quatuor & octo menses, ac obiisse 1472. die S. Laurentii, *al.* in vigilia, sepultus prope antecessorem suum in ambitu; verum jam an. 1469. cum propter inordinatum ejus regimen monasterium ad ultimam devenisset paupertatem, essetque gravatum ære alieno plusquam viginti florenorum millibus, ac denique in eo sine lege viverent monachi, Fridericus comes Palatinus reformationem Bursfeldensem in illud introduxit,[a] consilio Eberhardi de Venlo Montis-monachorum prope Bambergam, & Hermanni Montis S. Jacobi prope Moguntiam abbatum, ex quo ultimo monasterio monachi reformati in locum deformatorum substituti sunt; tuncque Henricus qui sequitur, in abbatem datus est. Exstat epitaphium Jacobi apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ*, pag. 14.

Henricus de Homberg, *vel* Homburg, Hastius, primum Bursfeldensis monachus, deinde abbas Mersburgensis, quam abbatiam dimisit ob Tilmannum Mersburgensem episcopum sibi offensum, demum factus est abbas Weissenburgensis anno 1469. non autem 1475. ut ait Bruschius, quem mox anno seq. cum ejus monachis cives oppidi Weissenburg. e monasterio expulerunt, sed an. 1471. comes Palatinus armis coëgit recipi. Dehinc an. 1485. præfuit cum aliis capitulo provinciali apud S. Udalricum in Augusta civitate celebrato, & alteri an. 1487. in monasterio S. Jacobi apud Moguntiam. Privilegium accepit anno 1486. a Friderico III. imper. Ceterum & in hac secunda præfectura infinitas passus dicitur immeritus difficultates a Johanne de Drott Tilmanni prædicti Mersburhensis episcopi fratre; cujus coërcendi causa, simul & Philippi comitis Palatini, cum Romam perrexisset ad Alexandrum VI. & jam inde, obtenta in persecutores excommunicatione, digressurus esset, in ægritudinem incidit, qua tandem occubuit Florentiæ an. 1496. die 25. Maii; ibidemque sepultus est. Tum vero procurator Philippi comitis Romæ degens, adiit Papam, & Principis sui nomine monasterium de Weissenburg

[a] Hoc tamen opus non ante annum 1482. absolutum fuisse videtur.

in secularem commutari ecclesiam petiit & impetravit, sub ea tamen conditione, si Maximiliano regi commutatio ipsa placeret. Verum cum non placuisset, monachi Priorem sui conventus elegerunt in abbatem. Itaque

Wilhelmus III. de Eyp, Gelrensis, a fratribus in abbatem electus, & mox litteris Maximiliani regis promotus, Romam pro confirmatione simul & litis prosecutione profectus est: unde intelligens Papa, quod Maximilianus rex non solum non vellet prædictæ commutationi præbere consensum, sed electum insuper litteris suis commendaret, fecit utrumque quod rogabatur, abbatem scilicet confirmavit, & revocavit illicite B præsumtam monasterii transmutationem. Cum autem annos quatuor, seu potius 17. sedisset, obiit an. 1500. ex Bruschio, *melius* 1513. sepultus in ambitu ecclesiæ, sub hoc epitaphio, quod ejus obitum anno consignat 1513. XV. cal. Febr. ex Schannatio in libro sæpius laudato.

Hoc sepelit Saxum, lector, gelida ossa Guillelmi.
Ille domus sacræ duxque paterque fuit.
Tertius[a] *& denus Christi cum volvitur annus*
Quinque ter emensus sæcula Phœbus erat,
Quinque ter impleat Februus cum luna calendas,
Exsolvit vitæ debita fata suæ. C

[a] Apud Bruschium sic habetur hic versus:
Clericus & dominus Christique insolevit amicus.

Rudigerus cognomento *Piscator*, an. 1521. quosdam pagos dat in feudum principi Palatino, ex prob. hist. Alsatiæ, pag. 113. fuit ultimus abbas & primus præpositus; abbatiam videlicet in sæcularem mutari præposituram passus est, imo procuravit an. 1526. Obiit an. 1545. sepultus in summi templi abside sinistra; postquam anno præcedenti abbatiam S. Walburgis ord. S. Benedicti in sacra silva prope Hagenoam uniri præposituræ Weissenburgensi curavisset. D

Philippus II. a Flersheim episcopus Spirensis, adeptus præposituram Weissenburgensem, post Rudigeri mortem, hanc in perpetuum suo uniri episcopatui obtinuit anno 1546. a Paulo III. summo pontifice & a Carolo V. imperatore.

II. S. GERMANI cœnobium non longe ab urbe Spira Eisengreinius, Philippus Simonis & alii conditum referunt a Dagoberto II. Austrasiorum rege.

III. CLINGENSE, *seu* PLIDINFELDENSE monasterium, vulgo *Clingenmunster*, ordinis E quondam Benedictini, parum distans ab oppido Landaugia, nec plusquam duobus a Weissenburgo milliaribus, in agro frumenti & vini feracissimo, quadratis lapidibus constructum, suam originem refert ad Dagobertum, primum an secundum, perspicuum non est. Certe Clingensis monasterii antiquitatem probat Ludovici Augusti constitutum de monasteriis Imperii, in quibus *monasterium Clinga* censetur inter illa, quæ solas preces regi debebant. Idem monasterium *Plidinfeld* cognominatum fuisse docet codex societatum Augien- A sium, ubi *ex monasterio, quod Clingo vocatur, sive Plidindeld, Fleido episcopus & abba* memoratur. Istuc autem Carolus-Magnus ex urbe Roma reliquias transtulit S. Theoduli presbyteri & martyris, Alexandri papæ socii. Effulsit quoque Rabani archiepiscopi eximia pietas in Clingense monasterium, cujus alteram saltem basilicam incendio consumtam in integrum restituit. Duæ siquidem erant eo in loco ecclesiæ; una Salvatoris cum quinque altaribus, ex quibus quintum sanctis Martino, Briccio, Germano, Remigio episcopis, Gregorio papæ & sancto Benedicto abbati nuncupatum erat. Hæc discimus ex Rabani versibus, *in ecclesia monasterii, quod dicitur Clinga*, inscriptis. In alia ecclesia tria erant altaria cum sepulcro Theoduli martyris, de quo hi Rabani versus, qui ejusdem ecclesiæ restitutionem ab eo factam testantur.

Huc Caroli ascitus studio, atque adductus ab urbe
Romana, hic multis pausat ad auxilium.
Sed vario eventu consumsit flamma nefanda
Domata hæc cuncta, tegmen & ecclesiæ.
Per pluresque annos combustus mansit inepte
Hic locus, & nullus jam reparavit eum:
Indignus donec Christi compunctus amore
Rhabanus præsul, hunc renovandum adiit:
Qui ecclesiæ hanc ædem sollers renovavit, & aram
Construxit, sancti corpus & huc retulit.

Sane hanc ecclesiam ad priorem illam Clingensis monasterii attinuisse intelligitur ex versibus ad primum prioris ejusdem ecclesiæ altare appositis; in quibus Theoduli martyris & presbyteri corpus ibidem exstitisse dicitur. Ceterum an. 1452. hoc reformare monasterium voluit Theodericus archiep. Mog. sed frustra; ipsumque tandem ab ordine monastico defecit an. 1491. Pauci omnino suppetunt abbates.

Adelbertus Hirsaugiensis monachus, huc, petitione Balderici Spirensis episcopi, missus est abbas an. 985. qui multis annis hoc monasterium recte administravit, ut pote superstes ad annum saltem 1022. quo provinciali concilio apud Seligenstat interfuit.

Sigefridus ex Hirsaugiensi etiam monacho factus est abbas 1109. ad reformationem monasterii.

Bernhardus Schilling de Surburg, per cujus voluntariam cessionem

Erpho Brack de Clingen, cœnobii alumnus in ejus locum subrogatus, Aschaffenburgi, die 4. Martii an. 1457. a Theoderico Moguntinensi archiepiscopo solitis cœremoniis confirmatur, eique ad partem curarum sustinendam altero post die Bernhardus antecessor, titulo coadjutoris adjungitur. Regum enim ac Imperatorum instituto monasterium a primis suis incunabulis ita comparatum erat, ut archiepiscopus Moguntinus claustri haberet rationem, quamvis id situm sit in Spirensi diœcesi. Obiit Erpho an. 1483.

Eucharius de Weingarten successit; sub quo, ut videtur, cum suis monachis avitam religionem deserente, monasterium in secularem ecclesiam clericorum conversum est.

IV. **L**IMPURGENSIS, LINTBURGENSIS, & LIMBORGENSIS monasterii sub instituto quondam Benedictino originem Bucelinus revocat ad an. 1031. Georgius Christianus Johannis in suis ad Serarium notis, 1030. & Hermannus Contractus in editione Pistoriana ad an. 1034. quo Conradus II. imperator *ex Castro suo Limburgo inter Nemetas*, seu Spiram, *&* *Wangiones*, sive Vormatiam, *sito monasterium fecisse* dicitur, *quod in honorem S. Crucis & divi Johannis Evangelistæ dedicari jussit*. Positum igitur erat hoc cœnobium in diœcesi Spirensi, medio Spiram inter & Vormatiam intervallo, in monte *Limpurg* nuncupato, prope Bureckheim; quanquam Everhelmus in *Vosago situm* dicit in libro de vita S. Popponis abbatis, cui Conradus locum, hereditaria sorte sibi provenientem, concessit ad struendum in honorem S. Johannis Evangelistæ cœnobium, addunt & B. M. virginis, ubi antea non jam arx, sed *ferarum cubile* fuisse dicitur; cujus etiam Henricus III. Conradi filius insignis benefactor, quin & consummator fuisse perhibetur. Deinde cum disciplina regularis in eo cœnobio languesceret, opera monachorum S. Jacobi Moguntinensis reformationem suscepit an. 1481. tandemque anno 1485. ex Bucelino congregationi Bursfeldensi adscriptum est. Verum haud multo post, anno scilicet 1504. die 30. Aug. non modo spoliatum fuit monasterium, sed etiam subversum a quibusdam latrunculis stantibus a parte comitis de Leyningen, quamobrem, ait Trithemius, sedem monachi in Wachenheim fixerunt. Paulatim tamen hoc monasterium e cineribus resurrexit, primumque sacræ missæ officium an. 1554. die XXI. Martii, S. Benedicti memoriæ sacra, in novo choro solemniter celebratum est. At non longe post, gravissimam rursus fortunarum subiit commutationem; quippe an. 1556. die 23. Jan. Otho Henricus Palatinus, abrogato veteris religionis cultu, e statu, ad quem vix e superiorum temporum caligine emerserat, id quasi convulsit; Fridericusque III. Elector Palatinus an. 1561. die 23. Junii rebus illius bonisque omnibus manus attulit sacrilegas. Sequuntur aliquot abbates.

Trithem. tom. 1. Chr. Hirsaug. pag. 170. & tom. 2. pag. 623.

JOHANNES, Popponis multorum monachorum patris nepos, ab eodem, tam huic loco Limpurgensi, cum jam essent absoluta ædificia, quam & Trevirensi S. Maximini monasterio præfectus est. Notatur ejus obitus in necrol. S. Arnulfi, v. idus Julii.

Gumbertus monachus, cum inconsulto viro Dei Poppone, locum hunc temere occupasset, non multo post, visceribus effusis, interiit.

Hagono, cum idem tentasset, similem exitum sortitus est.

Godestenus reclusus, qui ob vitæ solitariæ studium pro sancto habebatur, consimili succedendi cupiditate raptus, quasi pro sanctitatis suæ merito id debebatur, e montis vertice prolapsus, citum exitum habuit.

Arnoldus a puero Laureshami monachus, A primum ibidem fuit præpositus; dein abbas Weissenburgensis, postea Lintburgensis, ac subinde Corbeiæ novæ, indeque ad regendum Laureshamense monasterium a suis revocatus, demum Spirensis episcopus factus dicitur in chronico Laureshamensi, an. 1054. ex Lamberto Scafnaburgensi, mortuus an. 1056.

Rupertus, cum tunc officio Prioris fungeretur, Arnoldo facto episcopo in abbatiali regimine successit, de quo vide Trithemium in chronico Hirsaug. tom. 1. pag. 380. & in catalogo Illustrium virorum, pag. 136.

Einardus comes de Catzenelenbogen, antea B præpositus Augustanus, & Limpurgensis, obiit episcopus Spirensis an. 1067. ex hist. ecclesiastica Germaniæ edita 1724.

Erchembertus Hirsaugiæ monachus, evasit abbas Limpurgensis tempore Gebhardi abbatis Hirsaug. circa 1085.

Udalricus an. 1231. mense Octobri de consensu fratrum dedit ecclesiæ Moguntinensis capitulo parochialem ecclesiam in Heldenberg cum decimationibus & proventibus suis in augmentum præbendarum prædictæ Moguntinensis ecclesiæ.

Henricus Ulner ex Diepurg tunc abbas erat; C quando istuc reformatio inducta est, cui cum subdere se noluisset, abdicavit.

Bonifacius patria Geldrensis, ex oppido de Venlo natus, unde hoc sortitus agnomen, monachus S. Jacobi Mogunt. an. circiter 1481. fit abbas Limpurgensis & primus ibidem reformator, de quo vide Trithemium part. 2. chronic. Hirsaug. pag. 511. Præfuit annis ferme duobus, post cujus obitum

Anselmus Ulner ex Diepurg, eorum alter qui reformationem susceperunt, regimen obtinuit annos XI. quo tempore, an. 1485. adfuit consecrationi Bertholdi in archiepiscopum Moguntinum. D Postea cessit, quod non sufficienter aptus esset regimini.

Macharius Weiss de Buchseck, cui patria fuisse dicitur Wederavia, locus vero natalis Castellum, quod vocatur *Jaurbach*, al. *Furbach*, duodennis monasterio Limpurgensi traditur, in quo, cum ad observantiam regularem Bursfeldianæ congregationis reformatum fuit, cunctis monachis recedentibus, solus ipse cum Anselmo Ulner priore ultro remansit, & collum observantiæ submisit. Tandem vero in abbatem eligitur, præsentibus Johanne Trithemio, & aliis duobus abbatibus, Hermanno Moguntino & Melchiore Sconaugiensi E ad hoc vocatis. Dehinc an. 1501. alter fuit abbatum, quibus Gengenbacensis monasterii reformatio commissa fuit; & anno 1502. cum tribus aliis abbatibus designatus fuit, qui responsum daret archiepiscopo Moguntino de unione trium observantiarum, Mellicensis, Castellensis & Bursfeldensis. Præfuit autem annos circiter decem, vastato interim cœnobio an. 1504. die 30. Augusti a satellitibus comitis de Liningen; unde Macarius abbas anno seq. in conventu Regis & principum habito in urbe Colonia, Emichonem comitem de Liningen de hoc incendio

accusavit; indeque commissa res est Moguntino archiepiscopo absenti, totoque triennio agitata fuit, donec Machario morte sublato, successor causæ prosecutionem intermisit. Obiit vero Macharius an. 1509. die 16. Septemb. & in parochiali ecclesia villæ Wachenheim, quam sibi pro construendo monasterio comparaverat, sepultus est, vir bonus & honestissimæ conversationis, qui vitam in multis tribulationibus exegit.

Wernherus Breder de Huffelberg, præpositus Novi-castri & antea monachus Spanheimensis, successit ad annum saltem 1513. ab antecessore suo longe diversus, qui tamen, ait Trithemius, monasterium in monte *Limpurg* antiquitus dicto restaurare intendit.

Apollo de Vilbel, præpositus primum Montis S. Petri prope & extra muros civitatis Fuldensis, demum fuit abbas Limpurg. Obiit Fuldæ, sepultus in ecclesia Montis S. Petri, sub hac epigraphe: *Anno Domini 1536. 18. Aug. obiit R. D. Apollo de Vilbel abbas Limpurg. & hujus monasterii præpos. cujus anima, &c.*

V. SUNSHEIM, *seu* S. Michael in Syncheim prope Sunsheim fuit ab initio ecclesia collegiata secularium canonicorum fundata per majores, seu progenitores Johannis episcopi Spirensis, qui defunctus an. 1104. ibidem sepultus est juxta Wolframum patrem & Zeilsolfum fratrem comitis de Creydigaw, Azelamque matrem, Henrici IV. regis sororem. Evasit autem postea sedes abbatiæ S. Grmani extra muros civitatis Spirensis, conditæ a Dagoberto rege, nunc intra civitatem, ex permutatione sedium monachos inter & canonicos a prædicto antistite facta. Sed jam an. 1497. Sunsheimensis ecclesia versa est in collegium canonicorum. Duo tantum abbates ad nostram devenere notitiam:

Godebaldus istuc ex Hirsaugia missus tempore Volmari abbatis.

Appello abbas Sunsheimensis an. 1424. cum aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali in monasterio S. Stephani apud Herbipolim celebrato.

VI. GOTTISAUGIA & GOTZAUGIA, *latine* Augia Dei, Teutonice vero *Gottisaw*, vel *Gozauve*, illustre quondam fuit ordinis S. Benedicti monasterium, situm in Francia Orientali, comitatu *Vorcheim*, & pago, dicitur, *Albogauwe*, ad ripam fluvii Albæ, quatuor ferme ab Hirsaugia milliaribus. Fundatur an. 1110. in honorem B. Mariæ a Bertholdo Hennebergensi comite, assentiente ipsius conjuge Luca, ipsumque magnifice dotatur, ac privilegiis tum pontificiis, tum imperialibus munitur. Successu vero temporis Bursfeldensi congregationi unitum est an. 1458. ex Bucelino, ac tandem seculi XVI. turbis eversum est totum circa 1520. Quatuor duntaxat reperimus abbates.

Volpoto novi hujus asceterii primus rector & abbas institutus est per Brunonem Hirsaugiæ abbatem anno ejus regiminis quinto, illuc ex Hirsaugiensi congregatione, ad preces memorati comitis Bertholdi fundatoris deducta colonia duodecim monachorum.

Rupertus, fuit primum Hirsaugiæ monachus; tum abbas Gotzaugiensis, dein abdicato regimine ad Hirsaugiam rediit, factus paulo post prior in Schonreim diœcesis Herbipolensis ad annos ferme decem, tandemque Hirsaugiensis abbas anno 1165.

Bonifacius ex monacho S. Jacobi evasit abbas in Gozauv circa an. 1474.

Jacobus anno 1509. die 14. mensis Nov. præsentibus Johanne Trithemio abbate S. Jacobi Herbipolensis, & Conrado S. Stephani Herbipolensis, capituli provincialis in hac parte commissariis, Roma primum evocatus per dictos commissarios, abbatiam suam in dicto S. Stephani monasterio, ex certis causis eum moventibus, in manus fratrum voluntarie abdicavit; annua pensione triginta florenorum, unde viveret, retenta. Vide Trithemium, tom. 2. chronici Hirsaug. pag. 650.

VII. ODENHEIM; ODENSHEIM & OTTEINHAIM fuit olim monasterium Benedictinum, fundatum & consummatum an. 1123. a Brunone archiepiscopo Trevirensi, & Poppone ipsius fratre, comite in Bretheim; idque an. 1491. ad congregationem Bursfeldensem accessit; sed paulo post ab ea separatum, in præposituram secularem, seu collegium canonicorum secularium conversum est, 1495. ex Trithemio, non 1595. uti legitur apud Bucelinum, errore, ut videtur, typographico. Cum autem an. 1525. rusticorum furore destructum fuisset, Bruchsellam, *Bruschal*, in Prurrhenico tractu sitam translatum est. Denique Oedenheimensis præpositura ad circulum Rhenanum superiorem pertinet, & ab episcopo Spirensi, quem protectorem agnoscit, cum onere extrahitur. Tres abbates offendimus & unum præpositum, sive administratorem.

Primus abbas fuit Eberhardus ex Hirsaugia missus.

Burchardus Bube abbas obiit XIII. cal. Jan. ex necrologio Lucidæ-vallis, apud Schannatium in libro, cui titulus, *Vindemiæ litterariæ.*

Christophorus de Angeloch an. 1495. datam fidem de servanda reformatione negavit. Hic nempe ante aliquot annos, 1491. ex Bucelino, reformationem assumserat, duobus ex Hirsaugia, ex Gozaugia duobus & ex Spanheim duobus monachis in suum cœnobium introductis, antiquis renitentibus expulsis, verum post quatuor ferme annos illos expulit, hosque recepit, & mox cum iisdem canonicus secularis effectus est.

Henricus Hartardus a Rollingen, Spirensis capitularis, paucis ante 1699. annis & fortasse hoc anno administrator erat hujus præposituræ.

I. Ord. Cisterc. MULBRUNNUM *Maulbrun*, sic dictum a proximo fonte, inclytum olim Cisterciensis ordinis monasterium in ducatu Wirtenbergico, & circulo Suevico, medio fere itinere inter Pforzheimium marchionum Badensium & Brettam Palatinorum Rheni civitates, initium

habuit an. 1138. ex Bruschio, & quidem IX. cal. April. ex epitome fastorum Lucellensium, auctore Walthero de Lomersheim, sive Lammersheim, qui primo contulit prædium in Ekkenwiler, ut ibi conderetur hoc cœnobium, & ab Udalrico Novi-castri abbate Dietherum abbatem cum 12. monachis, paucisque conversis impetravit. Sed cum paulo post hic locus claustrali dispositioni minus aptus visus esset, Walthero placuit ac Diethero, consulendi & auxilium quærendi gratia adire Guntherum Spirensem antistitem, qui mox conventum in fundum ecclesiæ suæ, Mulenbrunum scilicet transtulit, septem mansis illic jacentibus donatum. Hæc autem altera quasi fundatio, cujus instrumentum nostra in appendice jacet, facta est an. 1148. die vero XVIII. cal. Aprilis ex Jongelino; & hoc ipso fundationis anno Eugenius III. cœnobium in protectionem sedis apostolicæ suscepit, idque paulo post Fridericus I. imperator confirmavit, nullum præter Cæsarem habiturum advocatum decernens. Sic porro brevi tempore adolevit, ut abbatiis duabus, Brombacho in Franconia circa an. 1153. & Speciosæ valli in Odonia sylva, an. 1157. originem dederit. Postmodum vero sibi Parisiensem abbatiam in Alsatia in prioratum redactam copulavit anno 1453. in eoque Mulbrunnum florentissimo statu permansit, usque ad medium circiter seculum XVI. quo dux Wirtenbergensis avita religione profligata monasterium occupavit. Deinde tamen ex ejus manibus ereptum, Lucellensi monasterio Ferdinandus II. imperator debitis Imperii nomine contractis exonerando attribuendum voluit an. 1629. Et revera ejus possessio apprehensa est anno seq. sed brevis illa fuit, nam an. 1648. per fœdera pacis Monasteriensis duci Wirtenbergico iterum cessit. Ceterum primus ejus fundator Walterus de Lomersheim relicto seculo monasticum induit habitum, reliquum vitæ ibidem traduxit, atque in choro conversorum humatus est. Guntherus vero Spirensis episcopus alter fundator, post mortem, quæ contigit an. 1156. in medio hujus basilicæ choro tumulatur, cujus anniversarium quotannis XVII. cal. Sept. ibidem celebrari solet. Sequuntur abbates.

Ch. I. col. 453.

DIETHERUS ex Novi-castri cœnobio prope Hagenoam assumtus est, qui ceteris inde etiam accitis fratribus præesset. Hic anno 1148. statim ab initio sui regiminis bullam protectionis ab Eugenio III. impetravit, suique cœnobii basilicam ab Arnoldo Trevirensi archiepiscopo dedicari curavit an. 1178. indict. XI. quæ dedicatio celebratur pridie nonas Maii. Hoc autem anno legimus B. abbatem Mulbrunæ, sed legendum D. sepulturam & societatem precum Gelphrado nobili de Horheim concessisse.

E. abbas Mulbrunæ paciscitur cum B. abbate Uterinæ-vallis, sequestris Eremberto Novi-castri, Bertoldo Stulzelbrunnensi, & Baldewino de Monte S. Mariæ abbatibus, an. 1192. ind. IX. coram Udelrico episcopo Spirensi.

Conradus I. memoratur 1203. & 1206. quo anno Rodulfus comes Palatinus ei prædium restituit, deprecatione Conradi Spirensis episcopi & auctoritate Regis, quam interpellaverat. Hanc autem chartam Petrus abbas Novi-castri eodem anno confirmavit. Adhuc præerat Conradus an. 1216.

Sifridus I. præerat 1243. quo anno Conradus Spirensis antistes donationem prædii cujusdam pro anniversario marchionis Hermanni de Baden monasterio factam a filiis ejus confirmavit, in hac charta testes nominantur fratres episcopi, Aquilegensis & Spirensis major præpositus Eberardus & Otto de Eberstein, & filius Eberardi de novo miles factus.

Bertholdus I. 1250. ex Jongelino in Notitia abbatiarum ord. Cisterc.

G. circa an. 1254. *ibid.* Is est haud dubie Gosvinus qui 1232. *legendum* 1252. privilegium obtinuisse dicitur ab Henrico VII. rege.

Egenhardus ex abbatia Mulbrunensi transfertur ad Novi-castrensem ante annum 1268. quo scilicet Henricus episcopus Spirensis intuitu virtutis Alberti abbatis, qui sequitur, & Egenhardi translati ad Novum-castrum, monasterium Mulbrunnense ab omni exactione & teloneo exemit, die festo Purific. B. Mariæ. Obiit XI. Aprilis 1273. vel idibus Aprilis, ex Jongelino, qui hunc nominatum Eggelardum Alberto sequenti perperam postponit, ac insuper Novi-castri supponit abbatem antequam esset Mulbrunnensis.

Albertus I. 1268. *ut supra.*

Hildebrandus, circa 1276. ex Jongelino, cui successit

Sifridus II. *seu* Sigefridus, deinde

Ruodulfus, ac tandem

Waltherus, memoratus an. 1280. in charta Friderici episcopi Spirensis; quo scilicet anno quæ passus fuerat a Rodolfo rege & a prædicto episcopo damna, resarciri curavit.

Ulhardus 1288. ex Jongelino.

Conradus II. an. 1296. in crastino Ascensionis Domini pensionem 24. librarum Hallensium assignavit Manegoldo famulo suo, pro summa 240. librarum Hallensium, quam decessores sui abbates, Albertus, Hildebrandus, Sifridus & Ruodulfus ab eodem famulo acceperant.

Henricus I. præerat an. 1304. ex Jongelino, cui si fides habenda, hic Henricus in duos secandus est, nam

Albertus II. apud eumdem notatur 1306.

Henricus II. idem fortasse, qui supra, Valtheri rectoris in Salensheim fundationem excepisse dicitur, quam Conradus abbas Novi-castri an. 1312. confirmavit.

Gerungus de Milberg obiit 20. Nov. sepultus ante capitulum.

Conradus III. de Talheim circa 1330. ex Jongelino, qui defunctum tradit an. 1365. in festo SS. Simonis & Judæ.

Ulricus I. de Nordlingen an. 1368. ex Jongelino, qui testatur etiam mortuum 1374. Verum Ulrici loco legimus Bertholdum, de quo sic habet necrologium: *XI. Aprilis obiit D. Bertholdus de Nordingen abbas in Mulbruno &*

Brumbach, *sepultus in cimiterio anno* 1374. quo sedente anno 1359. Guta Pfennerin nobilis matrona in Pforzheim dedit 400. libras Hallenses pro quotidiana *missa* ad altare S. Benedicti.

Johannes I. de Rotweil, *seu* de Rotwila decessit die 3. Maii an. 1377. sepultus in cœmeterio; quem Jongelinus tradit monasterium muro cinxisse contra hostium incursiones.

Albertus III. de Riexingen, forte Rieningen, ut infra, vel Ryrengen, electus 1377. moritur 1386. 18. Decemb. *seu* XV. cal. Januarii, dictus abbas *resignatus*.

Henricus III. de Rieningen, *al.* de Reindengen, ex ducatu Wirtenbergensi, prudens œconomus, præter alia ædificavit sacellum portæ, domum abbatialem, ac domum bursarii. Idem an. 1394. tabellam pro altari majori consecrari fecit a Ludovico Abelonensi episcopo, Nicolai Spirensis suffraganeo. Fato functus est an. 1402. 26. Julii.

Albertus IV. de Ottesheim, villa monasterii & monasterio proxima natus, magister gymnasii Pragensis, vir boni testimonii, ac optime de hoc cœnobio meritus, ecclesiam ampliavit & decoravit, ut inscriptio in ejus laudem, ait Jongelinus, testatur. Sane sub ejus præfectura Ludovicus ordinis Fratrum Minorum, episcopus Abalonensis & Rabani Spirensis episcopi suffraganeus consecravit altare in honorem SS. Marci Evangelistæ, Stephani papæ & mart. Silvestri papæ, Eligii episcopi Noviomensis, Ludovici episc. Tolosani & Fredelini episcopi, an: 1408. pridie idus Augusti.

Boyngi abbas Mulbrunæ interfuit concilio Basileensi, a quo Spiram reversus, ibidem obiit die 30. Maii, Mulbrunæ sepultus ante capitulum.

Johannes II. de Geylenhausen, *al.* Gelnhausen, ex Carthusiano factus prior in Stams ordin. Cisterc. deinde hujus loci abbas, anno 1434. privilegium immunitatis & protectionis obtinuit a Sigismundo imperatore, & a Friderico Romanorum rege 1444. Interfuit concilio Basileensi, a quo legatus ad Bohemos missus est, necnon una cum tribus* aliis an. 1435. sequester pacis clerum inter & senatum Moguntinum destinatus. Cessit tandem regimine, postquam domum infirmorum construxisset.

* al. duobus.

Bertholdus II. *vel* III. de Roswag, *al.* Roswagen, centum monachorum pater, disciplinæ monasticæ vindex & custos, atque insignis œconomus, ob scrupulum fratrum pro fractione pavimenti oratorii, hoc reconciliari per Petrum de Franckfordia suffraganeum Reynardi Spirensis episcopi die S. Michaëlis anno 1446. curavit. Idem an. 1453. collapsi Parisiensis monasterii misertus, postquam aliquot annos pastore & abbate ob inopiam caruerat, unionis titulo restaurandum suscepit, & revera insigniter restituit; ita ut hodie etiam licet toties combustum, adhuc (hoc est 1550.) inquit Bruschius, personas habeat regulares. Sepultus jacet ante capitulum an. 1462. de quo necrologium Mulbrunæ die 6.

A Maii sic habet: *Obiit D. Bertholdus de Roswag abbas in Mulbruna, vir religiosissimus, sub quo abbatia Paris. Mulbrunæ incorporatur.*

Johannes III. de Winsheim sacræ theologiæ licentiatus, & verbi Dei eximius præco, Mulbrunensis & Parisiensis abbas dicitur an. 1462. Obiit 15. Julii 1467. sepultus in capitulo Mulbrun.

Nicolaus de Brettheim Mulbrunensis & Parisiensis abbas erat 1467. E vivis excessit 1475. XII. calend. Junii sepultus in claustro Mulbrun. postquam utramque abbatiam abdicasset.

Albertus V. Mulbrunensis & Parisiensis abbas B 1473. & 1475. quo anno interiit VII. calend. Junii, sepultus in capitulo Mulbrun. Fit autem ejus memoria in necrologio Mulbrunæ die 20. Junii.

Johannes IV. Ruescher de Laudenburg 1476. & 1488. quo anno in pontificalibus celebrandi & quatuor minores ordines conferendi facultatem obtinuit ab Eugenio papa. Utramque præfecturam dimisit, ad utramque iterum eligendus, sed frustra.

Stephanus Ottinger sponte vel coacte abdicato regimine, vivere desiit an. 1492. XVI. cal. Oct. sepultus in claustro Mulbrunensi.

C Johannes V. cognomento Burrhus ex Brettenheim, Palatinatus oppido oriundus, bonus œconomus & præcipuus religionis cultor, centum etiam habuit sub se monachos, quibus cum æquo rigidior videretur, de abdicatione abbatialis muneris tractatum est, ac revera VII. cal. Febr. an. 1503. abdicavit se magistratu, eidem postea restituendus.

Johannes VI. Umbstatt Mulbruna extorris factus, propter bellum, quod inter Ulricum ducem de Wirtemberg & principem Palatinum ratione Mulbrunensis advocatiæ intercesserat, Spiræ diem extremum obiit an. 1504.

D Johannes Ruescher, de quo supra, iterum in abbatem Mulbrunensem & Parisiensem eligitur an. 1504. sed ab Ulrico duce rejicitur, admisso sequenti.

Michael Scholl, Vaingensis, ex abbate Albæ-dominorum Mulbrunensis factus, agente Ulrico duce de Wirtemberg an. 1504. templum Mulbrunense renovavit. Utramque vero Mulbrunensem & Parisiensem abbatiam resignavit an. 1512. ad Albam-dominorum reversus.

Johannes VII. Entesves de Under-ovisheim præfuisse dicitur ab an. 1512. ad 1517. quo de controversia propter Widen cum Colmari-E censibus transegit. Postea cessit, ac tandem obiit pridie nonas Febr. an. 1525. sepultus in claustro Mulbrunensi.

Johannes Burrhus, de quo supra, iterum electus abbas, non citius quam anno 1517. quinque adhuc annis præfuisse dicitur, quibus bibliothecam insigniter construxit. Deinde iterum resignavit.

Johannes VIII. de Lenzingen, *seu* Lintzingen, a villa monasterii & monasterio proxima, quæ ortum ei dedit, sic dictus, sacræ theologiæ baccalaureus in Heydelbergensi gymnasio, ex Priore

Lucellensi & Parisiensi, designatur abbas Mulbrunensis VII. cal. Maii an. 1521. in hoc, inquit Bruschius, ceteris abbatibus superior, quod ob monasterii emunitatem conservandam, res Deo dicatas profano principi tradere nolens, persecutionem passus sit, nec in imperiali civitate tutus, ad Helvetios abire coactus fuerit, ubi civis aliquandiu factus, & apud fratres Eremitas cœnobii Einsidlensis commoratus, obiit tandem XIII. cal. Aug. an. 1547. sepultus in majore basilica, prope sacellum Virginis matris, pro cujus honoris augmento antiphonam *Salve Regina* quotidie post vesperas decantandam ordinavit. Jam autem an. 1536. die 3. Febr. *seu* 1537. B more Gallicano, Guillelmus Cistercii abbas potestatem ei fecerat, ob imminentem Mulbrunæ ruinam ex Lutherana peste, ad Parisiense in Alsatia monasterium divertendi; quo revera se se recipiendi consilium iniere fratres Mulbrunenses an. 1537. die 28. Septemb. ut patet ex chartis super hoc confectis, quas vide nostra inter instrumenta.

Ch. II. & III. col. 454. & 455.

Henricus IV. Reutter, *al.* Reytter, de Nordlingen, Conradi Cæsariensis abbatis frater, cum tunc viginti abhinc annis prioratus officio fungeretur in monasterio Parisiensi, an. 1547. in hoc ipso cœnobio electus est abbas Mulbrunensis & Parisiensis; sub quo a duce Wirtenbergensi avitæ religionis suppressa observantia, fratres ejus aliquot, relicto habitu monastico ad seculum redierunt, ceteri vero in monasterio permanentes secundum regulæ suæ præscriptum vivere prohibiti sunt. Mulbrunam nihilominus rediit anno saltem 1550. quo Bruschius eum tradit collapsa erigere, devia reducere, & clavam quasi de Herculis manu eripere. Interfuit autem anno seq. comitiis a Carolo quinto in Augustana urbe habitis. Verum postquam mortuus est an. 1557. non obstante fœdere Passaviensi, & religionis pacificatione, dux Christophorus de Wirtenberg Mulbrunam denuo invasit, & catholicam fidem, sacramque Cisterciensem religionem inde omnino proscripsit.

Johannes IX. de Waiblinga, dictus *Senger* obiit Stutgandiæ sexto regiminis mense anno 1557. cui deinde abbates acatholici successerunt ad annum 1630. nempe

Johannes X. Explinus, deinde abbas Regii-Fontis.

Valentinus Vannius, Beilstainius.

Johannes XI. Magericus, Barckmangensis.

Jacobus Schroppius, ex monacho hujus loci, cum abbatiali dignitate adhuc residebat anno 1595. factus deinde abbas Kynisbrunensis, id est, Fontis-Regii. Non sibi constat Bucelinus, enimvero in Fonte-Regio diœcesis Constantiensis, prius illum hujus cœnobii, quam Mulbrunensis abbatem exhibet.

Christophorus Schaller, ex Senheim, Alsata, monachus professus & quondam prior Lucellensis, eodem tunc prioratus officio fungebatur in cœnobio Euserthalensi, sive Uterinæ-vallis, cum an. 1630. post restitutionem monasteriorum factam ab imperatore Ferdinando II. ad hoc Mulbrunense A missus est abbas, cum aliquot ex Lucella monachis. Is vero tametsi una etiam jus & titulum Parisiensis monasterii obtinuisset, & pro ipsius recuperatione multum laborasset, nunquam tamen ad ejus possessionem pervenit. Imo jam an. 1632. die 7. Januarii ob Suecorum incursionem Mulbruna pulsus est, ad quam tamen rediit post victoriam Cæsaris in pugna Nordlingensi anno 1634. Demum anno 1642. mense Julio abbatiam resignavit, & hoc ipso anno calendis Octobris animam exhalavit, sepultus in capitulo Mulbrunensi. Nonnulla scripsit opuscula.

Bernardinus Buchinger, de Kensheim, Alsata, filius Christiani consulis in Kensheim, Lucellensis professus ac *bursarius*, seu cellerarius & secretarius, an. 1642. ætatis suæ 36. 22. Julii, Mulbrunensis abbas & Parisiensis invitus renuntiatur. Dehinc 30. Septembris Mulbrunæ possessionem apprehendit, & 5. Octobris in monasterio Schontal, dum ibi capitulum provinciale ordinis celebraretur, a Georgio Cæsariensi abbate, assistentibus Christophoro Schontalensi, & Bernardo Tennebacensi abbatibus, solemni benedictione abbatiali, mitra & baculo insignitus est. Tum vero ad Parisiense Alsatiæ monasterium, C quod Urbani VIII. *commenda*, ut vocant, titulo in posterum exstincto, & Ludovici XIII. Francorum regis favore ordini recuperavit, se se contulit, ubi novellam rursus ordinis propaginem plantare cœpit, fremente ac furente possessore acatholico Wezelio, qui dono Suecorum Regis id occupaverat. Hic porro commissarius ordinis an. 1646. tertio post, huic Parisiensi monasterio adhæsit, quando scilicet 1649. die 30. Novembris per compositionem pacis Monasteriensis Mulbrunam deserere coactus est, ut iterum in potestatem ducis de Wirtenberg deveniret. Inter hæc autem Bernardinus, cui D. Caramuel D suum Bernardum triumphantem dedicavit, ab Electore Moguntino ad Eberbacensem abbatiam expetitus, neque hanc, neque duas alias, ad quas eligendus fuerat, acceptare voluit. Demum tamen majorum auctoritate compulsus est ad Lucellensem suscipiendam an. 1654. cujus historiam sub titulo, *epitome fastorum Lucellensium*, conscripsit, editam anno 1666.

II.

ALBA, *sive* ALBA-DOMINORUM, *vulgo* HERREN-ALB, nobile quondam cœnobium ord. Cisterc. in ducatu Wirtenbergico, & comitatu Ebersteinensi, situm ad Albæ E fluminis scaturiginem, unde nomen accepit *Alba*, fundatur, sive dotatur an. 1148. a Bertholdo comite de Eberstein & Utha conjuge. Hunc certe annum exhibet charta fundationis apud Jongelinum & Annalistam ordinis. Porro ex ea discimus, ab initio filiam extitisse Novi-castri, ex quo scilicet monasterio primus abbas cum duodecim fratribus eductus est; deinde vero subjectum fuisse Salemitano, quoniam an. 1630. exinde ad Albam ordini restitutam abbas & aliquot monachi transmissi sunt, docet nos epitome fastorum Lucellensium, edita 1666. auctore Bernardino

Bernardino abbate Lucellensi & Mulbrunensi. A Verum hæc ipsa restitutio minime fuit diuturna; anno siquidem 1648. hoc monasterium per conditiones pacis Monasteriensis hæretico duci Wirtenbergico iterum cessit; quanquam nihilominus aliquot abhinc annis abbas Lucellensis Mulbrunensem quoque se diceret. Aliquot abbates subjicimus.

BERTHOLDUS ex Novo-castro assumtus; primus abbas innotescit ex prædicta epitome fastorum Lucellensium; qui tamen omittitur a Jongelino, fortasse ob brevius regimen. B

Dietherìcus, & ipse Novi-castrensis monachus floruisse dicitur an. 1150.

Ulricus, alio nomine Eberhardus an. 1177. tuitionis privilegium obtinuit ab Alexandro III.

Conradus, alio itidem nomine Waltherus, accitus etiam ex Novo-castro, præerat 1225. & 1240.

Matthæus, *al.* Conradus 1252.

Marquardus I. de Flehingen 1346. & 1380.

Henricus I.

Henricus II.

Rupertus.

Mauricius a Jongelino prætermissus, dignoscitur abbas 1394. ex ruderibus domesticis apud Schannatium, in libro, cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*. C

Marquardus II. obiit an. 1403. die S. Cyriaci martyris, ex eodem Schannatio, an. 1400. ex Jongelino.

Henricus III. sub uno & eodem lapide cum præcedentibus Diètherico, Marquardo & Ruperto sepultus est.

Henricus IV. de Magstat hoc habet epitaphium: *Anno Domini 1459. XVIII. calend. Decemb. obiit venerabilis in Christo pater & dom. Henricus de Magstat XI. abbas hujus loci.*

Johannes I. de Derdingen tali epitaphio donatus est: *Anno Domini 1466. ipso die Epiphaniæ, obiit D. Johannes de Derdingen, XII. abbas hujus loci, cujus anima, &c.* D

Johannes II. de Horba, cui tale appositum est epitaphium: *Anno Domini 1469. V. cal. Apr. obiit D. Johannes de Horba XIII. abbas hujus loci. Requiescat in pace, amen.*

Johannes III. de Udenheim, præfuit annis novem, cum hac inscriptione tumulatus: *Anno Dom. 1478. XI. cal. Junii obiit venerabilis in Christo pater & dom. Johannes XIV. abbas hujus loci.*

Nicolaus I. Wagenleiter de Obernrode, *vel* Oberezrode, XV. abbas hujus loci, obiit IV. cal. Aug. 1485. E

Bartholomæus de Richtenberg, vir nobilis, XVI. abbas hujus loci, obiit 1505. IX. cal. Sept.

Michael Schol de Wihingen, deinde abbas Mulbrunensis, decessit an. 1523. abdicato jam dudum regimine.

Marcus de Gerspach, nuncupatus XVII. abbas in Alba-dominorum, fortasse quia decessor non est mortuus abbas, diem clausit extremum anno 1535. die 2. mensis Martii, ex ruderibus abbatiarum Albæ-dominorum & dominarum, inquit Schannatius; Jongelinus vero tacitis die & anno mortis ejus, tradit hunc die Martis ante festum S. Johannis an. 1527. ex incendio factum omnibus membris inutilem, depositum fuisse, cum præfuisset annis novem.

Lucas Gætzius, *al.* Gotz, Merstedensis, seu de Merstetten prope Minsingam, an. 1536. cum toto conventu, relicto habitu monastico, assumsit secularem, quod quidem publico instrumento die Mercurii calendis Martii ejusdem anni, in præsentia notarii publici, plurimorumque testium, se facere testatus est, ex necessariis, imo urgentibus causis, ob metum scilicet Lutheranorum, ad tempus solum, nec in despectum sacri ordinis Cisterciensis, aut animo ordinem deserendi, monasterium aut habitum, sed solum propterea, ut his tam periculosis temporibus, quietius ac diutius in monasterio Albæ permanere, in ejus regimine commoda ejus conservare, damnaque huic & sibi imminentia facilius avertere posset. Denique obiit 1546. calendis Septembris, sepultus Stutgardiæ, ubi fuerat ab Ulrico duce incarceratus, quod bona monasterii dilapidasset.

Georgius Paissius, Tubingensis, sepelitur Merklingæ.

Philippus Degenus, Urachensis, electus 1556. primus hujus loci abbas Lutheranus sub duce Wirtenbergensi Christophoro factus est.

Conradus Weislæus Philippo successit anno 1589. die 25. Sept. Adhuc præerat 1600. totus canus.

Nicolaus II. Brenneisen, postquam an. 1630. monasterium ordini restitutum est, ad illud regendum ex Salemitano missus est abbas, cum aliquot fratribus inde etiam assumtis. Verum an. 1643. die 12. Januarii e cœnobio suo abductus est captivus, in eoque miserabili statu ultra annum permansit, dure interim habitus a militibus, ex necrologio Lucellæ. Denique, uti jam diximus, catholica religione hinc proscripta, monachi abire jussi sunt.

His abbatibus adde Bernardinum abbatem Lucellensem se quoque dicentem Mulbrunensem an. 1666.

UTERINA-VALLIS, *vulgo* USSERTHAL, III. ordinis quondam Cisterc. monasterium in Palatinatu, non longe Landaugia situm, fundatur an. 1148. vel seq. a Stephano & Gutta, nobilibus a Merlheim conjugibus ibidem tumulatis, primo abbate & monachis a Vilerio Metensis diœcesis monasterio advocatis. Monastica autem observantia in eo usque ad Calvini tempora floruit, cujus dogmatibus imbutus princeps Palatinus catholicam fidem & divinum cultum ex hoc aliisque vicinis cœnobiis extorrem fecit. Deinde tamen, postquam in conflictu Pragensi, ex parte Cæsaris contra Fridericum Palatinum, se dicentem Bohemiæ regem feliciter pugnatum est, Uterinavallis pristinæ religioni reddita est, & an. 1624. favore Leopoldi archiducis Austriæ, Lucellensi abbati, approbante ordinis præfecto generali, ceu nova filia assignata fuit, Bernardo Textorio priore & quinque aliis Lucellensibus monachis illuc destinatis. Hæc porro sic se habuerunt, donec

an. 1648. pactis conditionibus pacis in Munster A (quæ quidem ad hoc & alia monasteria jam an. 1624. catholicis restituta respicere non videbantur) loco cedere, & monasterium Palatino principi reddere monachi compulsi sunt. Ceterum legimus in schedis abbatiæ Barberiensis in dioecesi Bajocensi, ante annum 1695. & hoc ipso anno Uterinæ-valli præfuisse Petrum de Poisson, abbatem postea Barberiensem. Vide infra in abbatibus, qui pauci reperiuntur.

B. abbas erat 1192. ex historia Mulbrunensi, ubi vide ad hunc annum.

Bernardus Textorius nonnisi tanquam prior ex B Lucellensi monasterio ad hoc regendum missus est an. 1624.

Petrus Willelmus, sacræ theologiæ doctor, professus itidem Lucellensis, anno tandem 1634. Cæsareo decreto hujus loci declaratur abbas, & a Lucellensi confirmatur, postquam abbatias Michelstein & Ritterhausen in Saxonia noviter etiam acquisitas aliquanto tempore administrasset.

Gaspar Jongelinus scriptor Notitiæ abbatiarum ord. Cisterc. professus S. Salvatoris Antuerp. tuncque Montis S. Disibodi, vulgo *Disenberg*, abbas, an. 1642. mortuum decessorem Petrum Willelmum excepit, a Bernardino Mulbrunensi C & Luccellensi abbate institutus. Deinde vero an. 1648. cum præfati Lucellensis abbatis consensu & annuente ordinis præfecto generali, in gratiam ejus, qui sequitur, ita resignavit, ut is intra annum ordinem Cisterciensem profiteretur.

Claudius de Chamborant, canonicus regularis S. Augustini, Gubernatoris in *Philisburg* D. de la Claviere germanus frater, per cessionem Gasparis hanc abbatiam obtinuit, quam mox reddere Palatino principi coactus est.

Petrus de Poisson an. 1695. hanc abbatiam quam nonnisi nomine tenus habuisse videtur, siquidem habuit, permutavit cum Francisco de D Verjus episcopo Grassensi. Fortasse hic consanguineus erat Petri cognominis apud Cadomum bibliopolæ an. 1651.

Françiscus de Verjus episcopus Grassensis hanc abbatiam obtinuisse dicitur permutatione facta cum præcedenti.

I. Virginum ejusdem Ord. Cisterc.

ALBA-DOMINARUM, *vulgo* FRAWEN-ALB, olim pathenon ejusdem ord. Cisterc. eosdem habuit fundatores, quos Alba-dominorum, nec fortunam meliorem, quippequi an. 1508. totus præter ecclesiam igne fortuito in cineres redactus fuit. Duæ solum nobis occurerunt abbatissæ. E

MARGARETA I. comitissa de Eberstein, defuncta 1404. die S. Paulini episcopi.

Margareta II. de Wingarten e vivis egressa 1443.

II.

CORONA S. MARIÆ, *vel* MARIÆ-CORONA, *vulgo* RECHENSHOFEN, olim etiam virginum Cisterc. ord. monasterium, fundatur ex Bucelino sub an. 1200. *vel* circa 1240. ut scribit Bernardinus abbas Mulbrunensis & Lucellensis in epitome fastorum Lucellensium; ex qua potissimum habemus fuisse illius auctores Bebreinum dominum de Witzenstein, *seu* Weissenstein, & comites de Vayhingen, ibidem sepultos, sub visitatione abbatis Mulbrunensis, itemque anno 1563. a duce Wirtenbergico occupatum fuisse, deinde tamen cum aliis, Ferdinandi II. Cæsaris decreto restitutum; ad quod an. 1637. Christophorus abbas Mulbrunensis Evam-Reginam Springuffin priorissam Lucidæ-vallis, abbatissam destinaverit, sed propter loci devastationem ad possessionem ejus non pervenisse; postea tamen evasisse abbatissam Lucidæ-vallis, ubi vide.

LUCIDA-VALLIS, *vulgo* LIECHTENTHAL; III.
abbatia quondam puellaris ordin. Cisterc. semi-hora urbe Badensi, in loco Beren fundari cœpta est an. 1245. ab Irmengarde Palatina, ducissæ Bavariæ sorore, Hermanni marchionis Veronensis, *seu* Badensis vidua, quem & fundatorem Schannatius exhibet in libro, cui titulus, *Vindemiæ litterariæ*, tom. 1. pag. 164. Ambo certe conjuges memorantur in necrologio domestico, hic quidem XVII. cal. Febr. illa vero VI. cal. Martii. Legimus & alterum fundatorem Rudolfum marchionem de Baden, mortuum 1333. quem melius dixeris benefactorem. Ceterum de prima fundatione vetera Lucidæ-vallis monumenta sic habent: *Anno 1247. in illo magno schismate, quod fuit inter ecclesiam & Fridericum imperatorem, tenente cathedram Romanæ ecclesiæ Innocentio IV. prædicta marchionissa* (Irmengardis) *cum duobus filiis suis Hermanno & Rudolfo, Nonna Trutlinde, femina religiosa de Walde assumta & in primam hujus loci abbatissam creata, ad capitulum generale ordinis Cisterc. pro incorporatione domus litteras direxit, quibus receptis & lectis, petitioneque admissa, commissa est inspectio loci venerabilibus abbatibus de Muleborne & Tennebacensi.*

Anno igitur 1248. annexa fuit hæc domus ord. Cisterciensi, necnon dedicatum est majus altare ab Henrico Argentinensi episcopo, dicto de Stahelecke. Fuit autem primum subjecta Mulbrunensi abbati, deinde Novi-castrensi ad breve tempus, ac denuo tandem Mulbrunensi, donec monachi e Mulbruna proscripti sunt a duce Wirtenbergensi. Porro Lucida-vallis propter plures & insignes marchionum Badensium sepulturas præcipue celebratur. Sequuntur abbatissæ nonnullæ, ex Schannatio in libro citato.

ELISABETH, prima Lucidæ-vallis abbatissa nonis Martii reperitur in necrologio domestico. Ipsa est fortasse Nonna Trutlinde, de qua superius ad an. 1247.

Agnes I. illustris marchionissa, secunda abbatissa.

Adelheidis I. marchionissa,* memoratur, XV. cal. Sept. hæc est autem fortasse Adheleidis abbatissa, quæ Elisabethæ de Lichtenberg sorori fundatoris Rudolfi marchionis de Baden mortui 1333. promisit anniversarium pro marito ejus Ludovico in die S. Elisabeth singulis annis celebrandum, cum plenæ refectionis administratione & orationum persolutione.

*f. Badensis, ex Bucelino.

Agnes II. de Monte-lucis* dicitur in necrologio quondam abbatissa XII. cal. Junii.

* a Liechtenberg, ex Bucelino.

Adheleidis II. de Tuwingen, *al.* a Tibingen 1367.

Metza de Lichtenberg.

Adheleidis III. de Lichtenberg, obiit ipsa die Palmarum an. 1413.

Anna I. dicta Strauberin, *vel* Straulerin, olim abbatissa.

Barbara Vaiscin, *al.* Vehusin, Buccelino.

Cunegundis de Zolre.

Margareta I. filia Caroli marchionis Badensis, ex Catharina archiducissa Austriæ, obiit anno 1496. XVIII. cal. Febr.

Rosula Rodererin, *vel* Roderin decessit an. 1510.

Maria, marchionissa* notatur in necrologio, VI. id. Jan. an. 1519. ante summum altare tumulata.

* f. Badensis, ex Bucelino.

Rosina I. Roderin 1544. III. cal. Septemb. hæc est fortasse Rosula, cujus frater Guillelmus Roder de Hohenrodeck memoratur in necrologio, XVII. cal. Novemb. an. 1537.

Anna II. de Merspurg, *al.* Motsperg notatur in necrologio 1551. VIII. cal. Februar.

Margareta II. Gollin.

Margareta III. Stulzerin, *al.* Stutzerin, 1625.

Rosina II. Hertzogin 1642. cal. Decembris.

Eva-Regina Springausin, *vel* Springussin, statura parva, sed doctrina, sapientia, omnibusque spiritualibus dotibus magna, obiit 1658. VI. cal. Sept. Antea vero ex priorissa Lucidæ-vallis an. 1637. abbatissa Coronæ S. Mariæ, *vulgo* Rechenshofen instituta fuerat a Christophoro abbate Mulbrunensi, sed propter loci devastationem ad possessionem non pervenit.

Abbatissas XXVIII. recenset Bucelinus in sua Germania sacra, sed omnes absque nota temporis. Eas solum hîc adducemus, de quibus nihil apud Schannatium.

Mechtildis a Libenstein I. & II. Adelheidis a Griecheim. Elisabeth a Liechtenberg. Adelheidis comitissa a Beuchlingen. Wildegardis a Finstingen. Johanna comitissa de Leiningen. Adelheidis comitissa ab Helffenstein. Elisabetha Westhin.

IV. PONS-SALUTIS, vulgo *Heilsbrucken* in loco *Etikhofen* ab episcopo & in diœcesi Spirensi fundatur 1231. ex Demochare, cui fundator est Salomon Herbipol. eccl. canonicus, primis monialibus cum abbatissa ex Regis-ponte vocatis; verum circiter annum 1564. a principe Palatino occupatur, deinde tamen an. 1622. post stragem Pragensem ordini restitutum est hoc monast. cujus titulum abbatialem & realem possessionem Margareta Cordula Schererin abbatissa *in Konigsbrucken* diœc. Argentinensis tenuit adhuc an. 1648. quo rursum devenit in potestatem principis Palatini.

DE ABBATIIS EXSTANTIBUS,

Unica superesse videtur Hirsaugia.

Hirsaugia. HOc celeberrimum instituti Benedictini asceterium in Silva-nigra suam originem acceptam refert Erlafrido comiti de Calwa sive de Calba, occasione accepta ex illatione corporis S. Aurelii Redicianorum in Armenia episc. Mediolano primum Vercellas, & Vercellis in Germaniam, facta per filium Erlafridi prædicti Nottingum Vercellarum antistitem. Cum enim in ipso itinere, nec jam procul a castello dicti comitis, cæcus quidam

A S. Aurelii invocatione lumen recepisset, miraculo commotus Erlafridus comes, mox an. 830. ind. VIII. novæ fabricæ fundamenta eo ipso in loco, in declivio scilicet Montis S. Nazarii, a civitate Spira octo ferme milliaribus, posuit cum filio Ermenfrido, impensasque lubens suppeditavit ad novum monasterium, quod intra septennium absolvit, suppetias etiam conferente Nottingo episcopo, qui magnum auri pondus & argenti ad patrem, maturandi operis causa, misisse dicitur, necnon cruces aureas argenteasque, calices, libros & ornamenta, quibus nova domus Dei instrueretur. Jamjamque omnibus rite apparatis, in novum cœnobium de-
B ducta est quindecim monachorum colonia, e Fuldensi percelebri monasterio, quibus Liutbertus abbatis loco præfectus est. Hæc pluribus Johannes Trithemius tum in breviori historia Hirsaugiensi, tum in prolixiori chronico ejusdem loci. Deinde vero ecclesiam consecravit Otgarius archiep. Mog. precibus Erlafridi fundatoris an. 838. die mensis Sept. XI. in honorem S. Petri apostolorum Principis & S. Aurelii Redicianorum præsulis, multis adstantibus cum ecclesiasticis, tum secularibus principibus, statimque Liutbertus in abbatem ordinatus est prædicti archipræsulis Mogunt. ministerio.

C
SERIES ABBATUM.

I. LIUTBERTUS, nobilis Suevus, & Brunonis abbatis Hirsfeldensis germanus frater, cum jam inde a Baugolfi abbatis tempore monasticen Fuldæ exercuisset, inde primus, uti jam diximus, ad regendum Hirsaug. monasterium destinatus est an. 838. ind. I. mensis Maii die 25. ordinatusque XI. Sept. ejusdem anni. Idem an. 848. interfuit concilio Moguntino adversus Gotescalcum monachum. Jam autem an. 843. Erlafridus fundator monachum induerat in hoc cœnobio, qui demum an. 850. die 29. Jan. defunctus, ibidem conditus est. Ipse vero Liutbertus scriptis aliquot clarus,
D cum præfuisset annis 15. & mensibus novem, obdormivit in Domino an. 853. die 3. Junii, ætatis suæ 76. ac in medio ecclesiæ suæ sepultus est.

II. Gerungus presbyter & monachus Hirsaugiæ & antea Fuldæ; unus scilicet ex quindecim, quos Rhabanus abbas misit ad incolendam Hirsaugiam, fratrum omnium consensu abbas electus est postridie obitus Liutberti. Præfuit autem annis 32. mense uno, ac diebus 26. Nempe mortuus est ultima Julii an. 884. ætatis anno 71. cumque debita solemnitate juxta Liutbertum antecessorem sepulturam accepit.

III. Regenbodo, natione Bavarus, illustri pro-
E sapia genitus, antea canonicus ecclesiæ Constantiensis, ac deinde monachus Hirsaugiæ, in abbatem concorditer electus, sedit annos sex, tres menses, diesque 19. Postea cessit an. 890. die 20. Novembris, clarus subinde omni virtutum genere.

IV. Harderardus, Francus, scholarum Hirsaugiæ per biennium circiter præfectus, an. 890. ætatis 34. indict. VIII. in locum Regenbodonis subrogatur. Præfuit annis 27. mensibus octo, ac diebus 19. quo tempore, an. 896. interfuit concilio Triburiensi. Denique vitam exuit X. Augusti an. 918. in ecclesia sua cum honore sepultus.

V. Rudolfus, patria Suevus, vir nobilissimus, postridie successit Harderardo, in annos septem, menses totidem, diesque undecim, sub cujus magistratu fervor sanctæ religionis multum tepescere cœpit. Obiit 22. Martii an. 926. ætatis 63. in sua sepultus ecclesia.

VI. Diethmarus, *al.* Diethardus, monachus S. Galli, mediocri genere apud Suevos natus, curante in primis Hildeberto Fuldensi abbate, ait Trithemius, jam autem archiepiscopo Moguntino, secundum Mabillonium, electus est in abbatem an. 926. indict. XIV. die 23. Martii, ætatis an. 35. quem ad cœnobium venientem die XVIII. cal. Maii debito cum honore monachi susceperunt. Hic porro annis sex & viginti, mense uno ac diebus 21. quibus præfuit, piis eligentium votis omnino respondit, vir continentissimæ vitæ, prudentissimus ac vigilantissimus, qui regularis disciplinæ observationem, non mediocriter collapsam, strenue restituit. Tandem moritur 12. Maii an. 952. in ecclesia sua sepultus.

VII. Sigerus, ex Moguntia oriundus, cum esset decanus, seu prior claustralis, unanimi fratrum consensu in abbatem cooptatus est. Hic adfuit concilio Monguntino generali an. 963. cumque in multa sanctitate annis 30. mensibus 3. ac diebus undecim præfuisset, obiit 982. die 23. Aug. sepultus in ecclesia sua ante altare S. Laurentii martyris.

VIII. Lupoldus, patria Ratisponensis, biduo post mortem decessoris electus, præfuit annis 4. & mense uno, tandemque naturæ concessit die 24. Septembr. an. 986. in ecclesia sepultus.

IX. Hartfridus, quem Hartbertum Mabillonius vocat, patria Suevus, postridie obitus Lupoldi eligitur in abbatem; cujus tempore, anno scilicet 988. magna Germaniam fames invasit, quam statim pestilentia tanta subsecuta est, ut intra menses tres, sexaginta monachos Hirsaugiæ oppresserit, duodecim tantum relictis, ipsumque abbatem sustulerit tertia die mensis Novembris anno ejus ætatis 38. Cum suis antecessoribus in ecclesia sepultus est.

X. Conradus, duodecim monachis superstitibus inter se divisis, ab aliis quidem eligitur, ab aliis vero Eberhardus monasterii cellerarius die 4. Febr. an. 989. indict. 2. Prævaluit tamen Conradus, qui confirmationem suam ab episcopo Spirensi, nec multo post benedictionem obtinuit. Verum interea e monasterio fugit Eberhardus clenodiis secum adsportatis, & cum duobus monachis, Hartungo & Hermanno, factionis suæ sociis, ad comitem de Calba, monasterio pridem infestum, se recepit. Hac occasione lætus comes, res monasterii invadit, diripit, suisque militibus distribuit, quasi Eberhardo abbati, ut jactitabat, legitimo reservandas, Conrado nihilominus tunc Hirsaugiæ cum octo monachis residente, qui deteriora momentis singulis sibi eventura formidabat. Nec vanus timor; nam anno ejus electionis secundo Eberhardus transfuga, abbatia se privari diutius non ferens, monasterium nocturno tempore, assumtis secum quibusdam satellitibus, furtim ingreditur, Conradum comprehensurus: at ille a quodam comitis familiari submonitus, fuga sibi consuluerat; sicque per biennium fuit profugus, donec sera tandem morte sublato Eberhardo, ad monasterium rediit, comite semper infesto, cujus tandem pessima in monasterium voluntas ad extremum perducta est, quando Conradus abbas finem vivendi fecit an. 1001. XIX. cal. Septemb. ætatis anno 62. sepultus in ecclesia. Cum enim octo duntaxat monachi in monasterio superessent, duo ex illis, qui Eberhardo Conradi abbatis æmulo, quondam in dissensione adhæserant, suggerente Calvensi comite, qui monasterii rebus jam dudum inhiabat, electionem interturbarunt, comite interim per œconomum cuncta pro libitu disponente, & vana spe monachos lactante, se abbatem illis ex alio monasterio gnavum & utilem provisurum. Interea fratres inter & œconomum dissensio, ut fit, exoritur, conquerentibus monachis de abusu & dispendio rerum omnium; qua occasione captata, tyrannus sex illos monachos e cœnobio pellit; nec multo post, duobus aliis seditiosis aut mortuis, aut etiam expulsis, rerum potitus est comes, qui locum monachis omnino desertum, pauculis clericis sub exiguo stipendio inhabitandum permisit. Eaque monasterii desolatio per annos amplius 64. duravit, quousque scilicet Leone papa jubente, Adalbertus de Calve ipsius ex sorore nepos locum a majoribus vastatum, & a se injuste possessum reliquit, instauravit, & sacræ regulæ observatores in eodem restituere studuit.

XI. Fridericus natione Suevus, Adelberto comite de Calwe novam monachorum coloniam ab Einsidla expetente, inde missus est cum duodecim monachis, qui sibi hunc abbatem præfecerunt, omnesque ad Hirsaugiam necdum integre absolutam an. 1065.* die 4. Decembris appulerunt, excepti humanissime ab Adelberto comite & Viltrude ejus conjuge, qui eis necessaria quæque affatim suppeditarunt, & basilicam quamprimum absolvi & dedicari curarunt. Fridericus autem ordinatus est abbas die festo S. Thomæ apostoli ab Einhardo Spirensis ecclesiæ pontifice. Cumque rexisset, ait Trithemius, annis duobus, mensibus 4. & diebus 20. injuste depositus est an. 1069. indict. VII. mensis Aprilis die 24. ac tandem mortuus est anno seq.

* *al.* 1066.

XII. B. Willelmus ex priore S. Emmerammi Ratisponensis electione fratrum Hirsaugiæ, & comitis beneplacito, in locum Friderici substitutus est; quod ubi per eorum nuntios rescivit, se non alio pacto electioni factæ assensurum professus est, nisi prius eidem monasterio sua libertas restitueretur. Sub hac igitur conditione Hirsaugiam venit v. cal. Junias hujus anni, & quinto post die, hoc est quarto nonas Junii communi fratrum consensu in abbatem assumtus est; nescius injuriarum, ait Trithemius, quæ Friderico abbati illatæ fuerant; quas ut cognovit, Adeldelbertum comitem, qui ejus exauctorationis auctor erat, exhortari cœpit, ut innoxium virum suæ dignitati restitueret, nefas esse ratus, ejus locum, dum viveret, a quoquam occupari. Tergiversante comite, jam reditum ad suos parabat Willelmus: sed ab Hirsaugiensibus exoratus, in

loco remansit, ita tamen, ut, vivente Friderico, abbatialem benedictionem ab episcopo non susciperet: immo vero ad annum 1091. IV. idus Junii, Willelmi benedictio dilata est. Ab inita porro dignitate, tanta ejus cura & sollicitudo fuit de religionis monasticæ observatione, tanta in omnes caritas, in hospites, & maxime in pauperes tanta liberalitas, ac denique humilitas tanta, ut nemo non ejus virtutum odore ad servitium Dei alliceretur. Hinc reformatio morum in tot Germanicis monasteriis ab eo procurata, de quibus passim, ubi se dat occasio, differimus. Hinc a comite monasterio asserta libertas, summorumque Pontificum & Regum privilegia. Hinc in Hirsaugia auctus monachorum numerus ad 150. præter fratres barbatos & donatos, quorum ingens etiam fuit numerus, cumque, Domino largiente, familia cresceret in tantum, ut angustia loci apud S. Aurelium capere omnes jam non posset, novi ultra pontem Magalthæ majoris cœnobii fundamenta jecit an. 1082. quod anno tandem 1091. perfectum est, cum insigni ecclesia, quæ usque in præsentem diem, ait Trithemius, sana, pulcra & integra cernitur. Verum ne sim nimius, mitto plurima, quæ vide-sis apud Trithemium in suo prolixiori chronico Hirsaugiensi. Tandem is animam Deo reddidit IV. nonas Julii an. 1091. ætatis suæ 65. sepultus post quinque dies in medio ecclesiæ majoris monasterii SS. Petri & Pauli apostolorum, quam ipse construxit, & consecrari fecit per Johannem episcopum Spirensem die 20. Aprilis, præsentibus cum infinita clericorum, & promiscui vulgi multitudine, duobus episcopis Gebehardo scilicet Constantiensi, ejus quondam discipulo, & Johanne Spirensi, necnon quinque abbatibus, quorum duos tantum nominat Trithemius; nempe Theotgerum S. Georgii in Silva-nigra, & Notkerum Zwifaltensem.

XIII. Gebhardus, & aliquando Gothardus, nobili genere comitum de Vrache in Suevia natus, antea canonicus Argentinensis, tum monachus, ex priore sub S. Willelmo decessore, illi mortuo mox in abbatia successit. Ipsius e Cluniaco reditus, quo missus antea fuerat, ut inde reliquias B. Petri apostoli Hirsaugiam afferret, expectatus est, qui mox ut advenit sacro pignore ditatus ipso die S. Petri ad Vincula, 1. Augusti an. 1091. uno consensu in abbatem electus est, posteaque munus benedictionis accepit die festo natali S. Patris Benedicti, hoc est 21. Martii anni seq. a Gebhardo Constantiensi pontifice; nec multo post, feria scilicet secunda post octavas Dominicæ Resurrectionis, e cœnobio S. Aurelii conventum suum transtulit in majus monasterium SS. Petri & Pauli trans pontem, de quo supra, relictis tamen, de mandato sui decessoris Willelmi, duodecim fratribus & Priore apud S. Aurelium, ne primæ institutionis Hirsaugianæ locus congruis privaretur officiis. Idem abbas nuncupatus Gothardus an. 1095. privilegium ab Urbano papa suo monasterio obtinuit, datum Placentiæ VIII. idus Martii, qua tunc in urbe dictus Pontifex concilium celebrabat, inchoatum IV. nonas Martii, Dominica post mediam Quadragesimam, intra dies octo absolutum. Inde vero Gebhardus abbas circa an. 1102. cœpit aliquantulum remissius agere in spiritualibus, & plus æquo temporalibus inhiare, adeo ut etiam annonam a B. Willelmo pauperibus statutam ad tempus subtraxerit; qua de re correptus factum postea emendavit. An. 1105. Ratisbonam ad conventum principum, quem Henricus Junior convocaverat, invitatus, adfuit, ubi & successor Johannis episc. Spirensis designatus est ab Henrico Juniore. Ambivit etiam his temporibus abbatiam Lauresham ensem, ubi vide col. 705.

XIV. Bruno, nobilis Suevus, olim Spirensis canonicus, tunc vero monachus Hirsaugiensis, in locum Gebehardi Spirensis ecclesiæ facti episcopi, abbas electione fratrum suffectus est pridie cal. Decembris, an. 1105. quem a Richardo Albanensi episcopo & sedis apostolicæ legato, Theotgero S. Georgii in Nigra-silva abbate, aliisque adstantibus, VII. cal. Jan. ordinatum fuisse Trithemius tradit, cumque ad magnos labores perferendos parum idoneum, omnia pene cellerariis & conversis commisisse, at rebus interioribus sedulo vacasse. Hic an. 1110. e sua congregatione duodecim monachos misit ad recens fundatum Gottisaugiæ monasterium, quibus abbatem primum Wolpotonem constituit; idemque præstitit circa cœnobium Breidenaw an. 1119. primo abbate instituto Drutwino Hirsaugiensi monacho & cantore. Qui demum, ait Trithemius, an. 1120. ind. XIII. die 22. Martii ex hac mortali vita ad æternam transivit, sepultus in ecclesia monasterii principalis ante altare S. Laurentii martyris, non sine opinione sanctitatis, quam cæcus ad sepulcrum ejus, corpore integro reperto an. 1460. illuminatus declaravit.

XV. Volmarus, de gente Suevorum oriundus, fuit primum canonicus ecclesiæ Constantiensis, dein monachus Hirsaugiensis, ac tandem abbas ejusdem loci electus an. 1120.* die 24. Martii, ordinatusque Moguntiæ in monasterio S. Albani pridie nonas Aprilis, per ministerium Adelberti archiepisc. Moguntini. Is an. 1131. synodo Moguntinæ interfuit, quam rex Lotharius convocari fecerat, & in qua Matthæus Albanensis episcopus, apostolicæ sedis jam per triennium legatus præsedit. Reperitur etiam an. 1143. in litteris Henrici archiepiscopi pro cœnobio S. Petri in Erfordia. Defecit tandem Volmarus die 25. Febr. an. 1157. sive 1158. stylo Gallico, sepultus in majori monasterio ante altare S. Michaëlis. In necrologio Lauresham. apud Schannatium, lib. cui titulus *Vindemiæ litterariæ* memoratur IV. cal. Febr.

* *al.* 1121. VII. cal. April.

XVI. Hartwigus, patria Francus Orientalis ex Herbipolensi territorio natus, ex canonico ac deinde camerario Spirensis ecclesiæ, Hirsaugiensis monachus, demum evasit abbas ipso die obitus decessoris, ab Hillino Trevirensi archiepiscopo benedictus Dominica 2. Quadragesimæ ejusdem anni 1158. Invitus regiminis onus assumsit, quo brevi mors eum liberavit, post duos scilicet menses, seu 22. Aprilis, ex Trithemio; sepultus est in abside majoris ecclesiæ meridionali ante altare Omnium Sanctorum.

XVII. Manegoldus, & ipse gente Francus Orientalis, ex priore in abbatem eligitur die 23. mensis Aprilis an. 1158. stilo Gallico, solemni benedictione perfectus in majori ecclesia Spirensi a Gunthero de Liningen episcopo ejusdem civitatis, Dominica die post quatuor tempora Septembris, postquam Sabbato præcedenti quinque & viginti Hirsaugiæ monachi ordinibus initiati fuissent. Inde vero ad suum regressus monasterium disciplinæ regularis observationem illibatam conservare studuit, & rei familiaris substantiam non mediocriter auxit. Attamen haud multo post suborta est aliqua conventum inter & abbatem dissensio, quæ brevi, consilio & precibus B. Hildegardis, sedata est; tandemque Manegoldus in pace quievit die 1. Augusti an. 1165. sepultus ante altare S. Michaëlis.

XVIII. Rupertus, patria Francus Orientalis, Hirsaugiæ primum fuit monachus, dein abbas Gotzaugiensis, indeque ad Hirsaugiam reversus, cum esset prior in Schonrein Herbipolensis diœcesis, ad abbatialem Hirsaugiæ dignitatem promotus est die 4. Augusti an. 1165. nec inutiliter eam tenuit annis decem & mensibus undecim, quibus transactis abbatiam spontaneus resignavit, anno scilicet 1176. die IX.* Julii, tum vero secessit ad præposituram Rothensem, quam illi fratres ad vitæ quod reliquum erat, sustentationem assignarunt.

* f. IV.

XIX. Conradus II. nobilis Suevus, ex prosapia scilicet comitum de Kilhberg, canonicus Argentinensis, tum vero monachus Hirsaugiæ, in locum Ruperti, altero postquam cesserat die, hoc est, ait Trithemius, tertio nonarum Julii, subrogatus est, quem mox episcopus Bambergensis solemni benedictione donavit. Cum autem ab electione sua annis 12. mensibus tribus & octo diebus utriusque status familiam provide gubernasset, fato concessit in cella S. Georgii in Richenbach die 14. Octobris an. 1188. unde ad Hirsaugiam corpus relatum, ad introitum ecclesiæ coram altari Omnium SS. cum honore debito sepultum est.

XX. Henricus I. honestis parentibus in Francia Orientali genitus, ex alumno & cantore pater evasit & abbas, ac primum quidem Brauvillariensis in diœcesi Colon. tum vero Hirsaug. die 20. Octobris an. 1188. Quemadmodum vero priorem dimiserat abbatiam, ita & hanc resignavit, quanquam diversis ex causis, illam scilicet propter inobedientiam monachorum, hanc autem, ut vitæ transactæ negligentias emendaret. Id porro fecit an. 1196. die 4. Decembris, sex tantum mensibus superstes. Obiit siquidem in præpositura Rothensi, quam ei fratres pro sustentatione concesserant, an. 1197. IV. nonas Junii, & ad introitum ejusdem ecclesiæ juxta Ruperti abbatis tumbam sepultus est.

XXI. Marquardus e prosapia comitum Sonebergensium in Suevia ortus, eligitur in abbatem die 5. Dec. an. 1196. Vir ingenio mitis, & circa disciplinæ regularis observationem in principio sui regiminis satis diligens exstitit, sed curis temporalium negotiorum distentus nimium, successive aliquantulum tepescere cœpit, multas enim, continuasque in re familiari sollicitudines præfecturæ tempore habuit, persecutiones quoque, injurias & adversitates pro libertate monasterii sui plurimas toleravit; quibus tandem liberatus morte comitis Adelberti monasterii advocati interveniente, duo ambitus claustralis latera, vetustate nimia pene collapsa cum aliis pluribus ædificiis in monasterio magnifice reparavit. Murum quoque ante fores monasterii præclaro & insigni opere inchoavit, quem fato præreptus consummare non potuit. Diem clausit 20. Januarii an. 1205. ante altare S. Nicolai episcopi sepultus.

XXII. Lutfridus ingenuis parentibus ex Francia Orientali procreatus, e gremio Hirsaugiensis congregationis in abbatem assumitur die 23. Januarii anno 1205. consuetamque percipit benedictionem a Guidone Prænestino episcopo, sedis apostolicæ legato, in monasterio Lutherensi apud Saxoniam. Is an. 1215. VIII. idus Julii privilegia monasterii a Friderico rege obtinuit confirmari; cumque annis XI. & quindecim diebus suæ congregationi utiliter præfuisset, occubuit ex dysenteria die 15. Febr. an. 1216. ætatis 69. & in ecclesia sepultus est.

XXIII. Eberhardus honesta inter Suevos progenie satus, Lutfrido successit 23. Febr. octavo post ejus obitum die. Ordinatus autem abbas se monachis pastorem in omnibus exhibere utilem pro viribus semper curavit; & jura monasterii strenue defendit, maxime vero circa præposituram Rothensem, hactenus Hirsaugiensi monasterio subjectam, de qua contra Augustensem episcopum triumphavit. Idem an. 1223. mense Jan. privilegiorum confirmationem a Friderico II. imperatore consecutus est, ac tandem an. 1231. die 16. Oct. in Domino quievit, anno ætatis suæ 65.

XXIV. Ernestus patria Suevus, electus in abbatem die 26. Octob. an. 1231. solemnem in suo monasterio benedictionem suscepit a Berengero Spirensi episcopo. Hominem exuit vir bonus & pacificus, sed monachorum vitæ neglector, die 3. Febr. 1245. conditus in ecclesia cum suis antecessoribus.

XXV. Volpoldus natione Francus Orientalis Ernesto datus est successor die 12. Febr. anno 1245. deinde confirmatus per Conradum episcopum Spirensem, & ordinatus benedictione solemni in majori ecclesia Spirensi. Diem clausit extremum 8. Junii an. 1265. vir modestæ conversationis & multum circa statum rei familiaris sollicitus, tametsi monasterium in utroque statu viribus pristinis haud mediocriter destitutum post se reliquerit; cujus non ipse, sed negligentia Priorum causa fuit.

XXVI. Johannes I. gente Suevus, ex Priore Volpoldum abbatem excepit, electione facta die 14. Junii ejusdem anni 1265. quem Henricus ecclesiæ Spirensis episcopus confirmavit ex more ac benedixit. Præfuit autem annis XI. mensibus 3. ac diebus 16. in sollicitudine multa & labore continuo, sed plerumque casso, propterea quod & dies erant mali & mores claustralium pessimi; tandemque vivere desiit ultima die mensis Septembris an. 1276.

XXVII. Volandus, Alemannus patria, honestis ac liberis parentibus natus, assumtus est in abbatem die 9. Oct. an. 1276. deinde per Fridericum de Bolanden episcopum Spirensem confirmatus ac benedictus; qui cum minus provide monasterio præfuisset annis tribus, mensibus quatuor & novem diebus, curam cum dignitate ad arbitrium conventus resignavit an. 1280. die 14. Januarii.

XXVIII. Craffio, patria Suevus, major erat monasterii cellerarius, quando in abbatem cooptatus est die 15. Jan. an. 1280. Cumque paulo post a Spirensi præsule benedictionem accepisset, statim ad rei familiaris restitutionem non segniter apposuit mentem, sed neque inutiliter; secus vero quoad rem spiritualem. Denique mortuus est anno 1293. die 4. Febr. & in majori ecclesia tumulatus.

XXIX. Godefridus, Suevus & ipse, custodis eo tempore curabat officium, cum illum fratres die decima Febr. an. 1293. in abbatem super se constituerunt. Qui deinde a Friderico de Bollandia Spirensi episcopo confirmatus & benedictus, præfuit annis septem, mense uno & diebus 24. defunctus enim est die 7. Apr. an. 1300.

XXX. Henricus II. mediocri loco in Suevia natus, undecima die mensis Aprilis an. 1300. eligitur in abbatem, indeque confirmatur ac benedicitur per ministerium Friderici de Bollandia episc. Spirensis. Tandem vero propter suam pravam administrationem exauctoratur an. 1317. jubente Ludovico imperatore.

XXXI. Sigismundus ingenuis parentibus in Suevia natus, Prioris officio fungebatur, quando a saniori & potiori parte conventus in abbatem electus est die 15. Octob. an. 1317. Hic tamen æmulum habuit Gerhardum ecclesiæ custodem ab aliis paucioribus electum, qui quidem illico cessisset, nisi cognatorum suorum impulsu & eligentium se intuitu, obniti & resistere aliquandiu fuisset coactus. Ambo igitur electi cum amicis suis ad judicium pontificis Spirensis evocati fuerunt, quos cum inter se conciliare non posset, omne negotium ad Petrum archiepiscopum Moguntinum, tanquam provinciæ metropolitanum & apostolicæ sedis legatum remisit, sicque rem finivit archiepiscopus die 26. Nov. in præsentia Ludovici regis & multorum principum apud Moguntiam, ut abrogato Gerhardo, Sigismundum electum canonice pronuntiaverit, eumque auctoritate apostolica simul & metropolitana in abbatem confirmaverit, quem etiam in sua cathedrali ecclesia, multis præsentibus, in festivitate S. Andreæ solemniter benedixit. Cum autem Sigismundus monasterio suo utiliter præfuisset annis 24. quinta die mensis Nov. an. 1341. in Domino quievit.

XXXII. Wichardus I. in abbatem unanimi consensu assumtus die 12. Nov. an. 1341. ac deinde confirmatus a Gerardo Spirensi episc. die demum 30. ejusdem mensis, in festivitate scilicet S. Andreæ apostoli ordinatur ab eodem in ecclesia cathedrali. Obiit vir laboriosus & singulari prudentia circumspectus an. 1354. die 12. Martii.

XXXIII. Wichardus II. præcedentis, ut ferunt, ex sorore nepos, cum esset major eo tempore cellerarius, in abbatem electus est die 21. Martii an. 1354. qui confirmatus & ordinatus per Gerardum de Erenberg Spirensis ecclesiæ antistitem, præfuit in multa sollicitudine & labore annis quinque, mensibus octo ac diebus 21. tandemque vivere desiit 27. Nov. an. 1359.

XXXIV. Wignandus, patria Suevus, militari genere ortus, die 7. Dec. ejusdem anni 1359. facta electione canonica in abbatem cooptatus est, quem Gerardus de Erenberg Spirensis episc. confirmavit, & solemni pompa benedixit. Rebus denique humanis exemtus est die 27. Oct. an. 1380.

XXXV. Godfridus per conventum electus circa principium mensis Nov. an. 1380. atque per Spirensem episcopum in abbatem confirmatus ex more, solemniterque benedictus, huic monasterio præfuit pacifice annis 9. mense uno ac diebus quindecim.

XXXVI. Wichardus III. sedit ab an. 1389. quo in abbatem a fratribus electus, confirmatusque & benedictus est ab Adolfo Spirensium episcopo, usque ad annum 1400. quo vitæ & muneris sarcinam deposuit.

XXXVII. Fridericus II. cognomento Wiffinger, vir bonus, providus & circumspectus, patria Suevus, Rhabani de Helmstat Spirensis episcopi ministerio confirmatus in abbatem, & ordinatus an. 1400. non solum temporalia prudenter, sed etiam spiritualia quam diligentissime potuit promovere studuit. Constantiensi concilio interfuit an. 1417. in quo de reformatione infra annum assumenda non invitus, sed lubens cum aliis abbatibus juravit. Cum autem illa suis monachis proposita, omnes ad unum restitissent, solus eidem se submisit. Deinde an. 1420. tertium ordinis S. Benedicti provinciale capitulum in monasterio Fuldensi celebratum fuit, in quo Fridericus noster cum aliis abbatibus præsedit. Denique moritur anno 1428. die 13. mensis Novembris, cujus corpus ante altare S. Catharinæ virg. & mart. sepultum est.

XXXVIII. Wolframmus Mayser & Meiser, nobilis Suevus, die 16. Novembris an. 1428. electus in abbatem, tum vero confirmatus & benedictus ex more per Rabanum de Helmstat Spirensem episcopum, præfuit huic monasterio in utroque statu satis utiliter annis 31. mensibus novem & octo diebus, non sine multis laboribus & tribulationibus magnis. Anno 1432. suum jus antiquum in prioratum de Richenbach in concilio Basileensi prosecutus obtinuit, adeo ut ex more Priorem & reliquos ejus loci officiales instituere posset, prout sibi videretur expedire, quod etiam subinde anno 1451. circa præposituram Rothensem consecutus est. Idem anno 1435. adfuit ordinis capitulo provinciali nono, Basileæ apud Fratres Prædicatores celebrato; & quindecimo præfuit cum tribus aliis abbatibus, habito 12. Maii an. 1454. in Selingenstat. Tum vero abjecta Mellicensi, quam an. 1428. in suam introduxerat monasterium reformatione, quod stabilitatis nullum haberet fundamentum, anno 1457. Bursfeldensem a sede apostolica comprobatam induxit, quibusdam boni testimonii fratribus e cœnobio montis S. Jacobi apud Mogun-

tiam evocatis. Wolframmus tandem e vivis abiit an. 1460. die 20. mensis Augusti.

XXXIX. Bernardus, ex oppido *Gernspach* in marchionatu Badensi oriundus, vir moribus & conversatione plurimum spectabilis, electus in abbatem die 14. Sept. an. 1460. confirmatusque & ordinatus a Johanne episcopo Spirensi, præfuit monasterio annis 22. Nec solum de suo sollicitus fuit, verum & alia plurima (Trithemius octo recenset) suo vel labore, vel consilio ad regularis disciplinæ integritatem revocavit. Anno circiter 1472. fratres prioratus S. Gregorii in Richenbach iterum rebelles, iterum sibi subjectos esse compulit sententia Spirensis episc. Idem an. 1479. præfuit cum aliis ordinis provinciali capitulo apud S. Egidium in oppido Nurenberg celebrato. Denique vir merito secundus fundator hujus monasterii censendus migravit ad Dominum anno 1482. mense Septembri, sepultus, ut jusserat, in introitu ecclesiæ circa altare Omnium Sanctorum.

XL. Georgius monasticen professus est in cœnobio sancti Jacobi prope Moguntiam, unde postea cum primis reformatoribus ad Hirsaugiense monasterium venit, & inde fuit præpositus Rothensis; ac tandem die 18. Octobris an. 1482. in abbatem Hirsaugiensem assumtus est, quem Ludovicus de Helmstat Spirensis episcopus confirmavit & benedixit. Verum post duos annos, cum se gravatum senio ad onera pastoralis curæ portanda minus idoneum consideraret, abbatiam resignavit an. 1484. die 29. Septemb. Obiit autem in prioratu Richenbach, die 4. Aug. an. 1486. ibidemque sepultus est.

XLI. Blasius, patria Suevus, ex Oettingen oppido natus parentibus liberis atque honestis, vir magnæ prudentiæ & industriæ singularis, eligitur abbas unanimi voto an. 1484. qui confirmatus a Ludovico de Helmstat Spirensi episcopo, & solemni pompa ordinatus, præfuit annis 18. mensibus 9. diebus 17. Dehinc an. 1493. Dominica 3. post Pascha celebratum fuit ordinis vigesimum-octavum capitulum provinciale in hoc Hirsaugiensi monasterio, in quo Blasius, licet non præsidens, laudem & honorem totius capituli reportavit. Verum an. 1496. ob dissensionem inter Blasium abbatem & conventus majorem partem; visitatione facta ex mandato annui capituli Bursfeldensis congregationis, non sine dispendio rerum temporalium ab administratione unius anni suspensus est Blasius, omnisque in utroque statu auctoritas penes Priorem & cellerarium constituta est; sed anno seq. visitato iterum monasterio, administratio abbati Blasio restituta, & pax utcumque reformata. An. 1501. fuit unus ex quinque abbatibus, qui ad reformandum Gengenbacense monasterium destinati fuerunt. Denique obiit multis præclare gestis commendandus an. 1503. XI. cal. Aug. in sacello S. Blasii martyris, quod ipse a fundamentis exstruxerat, ad Aquilonarem ecclesiæ partem sepultus.

XLII. Johannes II. cognomine Hasmann de Calwe, patria Suevus, natus in oppido Leonberg, sed majori vitæ suæ parte nutritus in oppido Calwe, unde & cognomen habuit, Hirsaugiæ professus ab an. 1482. cum deinde pluribus annis majoris cellerarii officium gessisset, tum demum via compromissi assumtus est in abbatem die 2. Aug. an. 1503. quem Ludovicus episc. Spir. confirmavit, ejusdemque in pontificalibus vicarius ex more benedixit. Vir fuit numeris omnibus absolutus, ut uno verbo complectar ipsius elogium, quod fuse prosequitur Johannes Trithemius. An. 1512. præfuit cum tribus aliis capitulo provinciali ordinis celebrato in Monte-monachorum prope Bambergam. Adhuc autem præerat anno saltem 1513. ad quem Trithemius suam fusiorem perduxit historiam Hirsaugiensem. Bucelinus vero, qui solus nobis superest consulendus, hunc Johannem ex equestri familia de Roth obiisse tradit an. 1524.

XLIII. Henricus III. de Stamheim paucis mensibus præfuit.

XLIV. Johannes III. Schultheiss fato functus est an. 1556.

XLV. Ludovicus Velderer naturæ debitum solvit an. 1560. ætatis suæ 84. ultimus regularium, Bucelino.

XLVI. Henricus IV. Weickhersreverter, cum jam ab an. 1558. coadjutor esset decessoris, ei defuncto successisse videtur, quem tamen omittit Bucelinus.

XLVII. Andreas Geist a Wildeck, ex priore imperialis monasterii Weingartensis, postquam septuaginta fere annos Hirsaugia pastore viduata esset, electus fuit, rexitque ad annum 1629. quo purissimam animam exhalavit.

XLVIII. Wunibaldus ex eodem Weingartensi monasterio assumtus est, ut Hirsaugiam gubernaret.

SEEBACH, *five* S. LAURENTIUS IN SEBACH.

MEminit Bucelinus hujus parthenonis ordinis S. Benedicti, cujus, inquit, abbatissa familiaris sanctissimæ Hildegardi, ipsam per litteras salutavit. Discimus autem ex lib. I. epistolarum Trithemii epistola XI. pertinuisse hunc locum ad Spirensem diœcesim, ac ejusdem Trithemii abbatis Spanheimensis obnoxium fuisse visitationi; sic enim habet Trithemius in hac epistola dominæ Richmodi de Horst monasterii Sebacensis abb. inscripta: *Propositum nobis in animo fuerat, amabilis in Christo filia, una cum Jacobo Casæ-Dei viciniore jam nobis abbate, tuum adire cœnobium, & visitationis officium adimplere nobis commissum..... mandatorum nostrorum, quæ tibi in ultima visitatione nostra matura deliberatione tradidimus, fidelem executricem te, sicut oportet, exhibeas.......... Decretum tibi & nostrum, & ordinarium Neometensis episcopi tradimus, quo ante omnia vetamus, ne quem ex Duroburgio* * *virorum vel intra septa monasterii patiaris videri, vel ad fenestram cum aliqua solitarie loqui.* Data est hæc epistola Neometi die 24. Junii an. 1505. Ex alia vero n. XXI. ad eamdem Richmodim patet, eidem fuisse licitum adire paternam hereditatem, ac olim fuisse alumnam cœnobii Machabæorum Coloniæ. Consulendæ quoque litteræ XXVIII. XL. sed maxime LXXV LXXVI. LXXVII. & LXXVIII. datæ anno 1506. De cetero utrum perseveret hoc monasterium, incompertum nobis est.

* Hamburg.

ECCLESIA

ARGENTORATENSIS ECCLESIA.

Strasbourg en Alsace sur l'Ill.

ARGENTORATUM Ptolemæo, & *Argentoratus* Ammiano Marcellino, *barbaricis cladibus nota civitas*, inquit, *in Germania prima*, ob insignem victoriam de Alamannis in eadem a Juliano Cæsare sub Constantio Augusto reportatam, Italis *Argentina* dicitur, *Strasburgum* vero Gregorio Turonico, lib. IX. hist. cap. 36. & lib. X. cap. 19. quasi diceres burgum, sive urbem in strata publica positam ; & sane ibi quinque erant viæ, seu stratæ militares, aut publicæ, ut ait Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum. Adeo fallitur Hermannus Æedituus a Guillimanno laudatus, pag. 145. dum tradit Ottonem Cæsarem sub an. 940. Argentinam obsedisse, & repugnantem evertisse, ex eoque excidio nomen ejus mutasse, *via*, inquit, *per muros quadripartita facta, ideoque appellavit Strasburg, antea Siberthalam dictam.*

Urbs est amplissima, dives, munitissimaque in Germania superiori, ad fluvium Hellenum, * in quem paulo supra Bruschius * cadit, & nomen perdit, nec longe a Rheno, qui ibi jungitur ponte ligneo. Insignis in ea floret academia anno 1538. excitata.

* l'Ill.
* la Breusche.

Totius Alsatiæ præcipua est civitas, sed in inferiori sedet, in agro fœcundissimo, vini ac frumenti ferace, inter Basileam ad Austrum & Spiram ad Septentrionem, inde 14. hinc 12. leucis Germanicis, a Nanceio & Metis Lotharingiæ urbibus 18. quot a Monte-Bellicardo urbe Sequanorum, & a Biponto 15. Libera quondam & imperialis civitas fuit, nunc vero, a die potissimum 30. Sept. an. 1681. subdita est Regi Francorum Christianissimo, qui firmioribus illam propugnaculis munivit ; sed in hoc maxime laudandus est Ludovicus XIV. quod Religionem Catholicam ab ea jam dudum extorrem illuc revocarit, & episcopum, canonicosque in propriam ac pristinam sedem restituerit.

Primus, qui lumen fidei in Alsatiam intulit & in Argentinensibus sevit, fuit S. Maternus, Trevirorum, Coloniensium & Tongrensium episcopus, ex recepta traditione scriptorum, gentis testimonio confirmata ; unde profecto Fridericus episcopus Argentinensis in suis litteris pro fratribus ord. S. Willelmi datis an. 887. feria tertia ante Dominicam Paschæ, S. Maternum *beatissimum patrem nostrum* appellat.

Ch. XXXIV. col. 495.

Secundus ab illo fuit S. Amandus, primus Argentoratensis episcopus ; adeo improprie Dagobertus ejusdem ecclesiæ fundator dicitur, qui ad summum dotator habendus est ob assignatos episcopo & clericis in ea ministrantibus reditus unde victitarent ; quod alii de Dagoberto I. & alii melius de secundo primi nepote intelligunt. Habet igitur hæc civitas episcopalem sedem, in septem olim ab Adriano I. pontifice archidiaconatus divisam, nunc vero in tredecim archipresbyteratus, & est Moguntiæ metropolis suffraganea.

Ecclesia cathedralis B. Mariæ Virgini consecrata, qualis est hodie, an. 1275. perfecta est, cum ante sexaginta supra ducentos annos incœpta fuisset. Turrim habet miri artificii, altam pedes 438. ac proinde orgiis quatuor altiorem concamerato ædis S. Petri Romæ fastigio, inchoatam an. 1277. absolutamque 1439. *Summum vero capitulum*, solis constat nobilissimis clericis numero 24. quorum duodecim sunt capitulares, & duodecim alii domicellares, seu domicelli, vel domicellarii, quos sequuntur alii præbendati olim LXXII. nunc tantum XX. unde est quod Argentinensis episcopatus inter Rhenanos *nobilissimi* nomen promeruerit, ac etiam mereatur præ cæteris orbis catholici episcopatibus. Hæc autem est lex in capitulo generali decreta die 3. Junii an. 1713. ut aliquis in canonicum recipiatur. Solus in canonicum Gallus admittatur, (tertia pars canonicatuum Gallis attributa, ex statuto anni 1687.) qui, quod spectat ad lineam patris, a patre, avo, proavo & abavo, principis aut ducis titulo insignitis sit oriundus, & cujus mater, quod pertinet ad lineam matris, ejusque matris pater, avus & proavus nobilitatem illustrem, eamque militarem comprobet. Plus etiam requiritur in canonico Germano. Istud porro discrimen est canonicos inter capitulares & domicellares, quod istorum portio ex quarta parte præbendæ capitularis constituatur. Verum, quod ad residentiam spectat, quicumque tam ex istis, quam ex capitularibus, non-obstante qualibet dignitate, officio, studio, vel privilegio, actualem & personalem residentiam per tres menses annuatim non adimpleverit, statutum est suis redditibus carere debere, salvo tamen episcopi jure, cui pro majori tantum ecclesiæ utilitate unum, aut alterum canonicum a latere, aut vocant, mittere, aut secum ducere licebit.

Fragm. histor. apud Urstisium, pag. 83.

Prob. hist. Alsat. pag. 179.

Ibid.

Præter ecclesiam cathedralem, duo in civitate supersunt collegia canonicorum, primum est ecclesia S. Petri Junioris quindecim habens canonicos, cujus hodie præpositus audit Johannes Vivant, episcopus Parocensis, suffraganeus, vicarius generalis & officialis Argentinensis. Ejusdem ecclesiæ decanus est Johannes-Franciscus Riccius, diœceseos provicarius generalis. In ea vero sunt vicarii quindecim & decem & octo capellani, seu præbendarii.

Secunda ecclesia collegiata S. Petri senioris constat decem & septem canonicis, duodecim vicariis & quinque præbendariis. In illa hodie præpositum agit Nicolaus le Laboureur, & decanum Carolus de Boisgautier. Harum ecclesiarum occupant chorum dicti canonici, naves autem Lutherani.

Est etiam ecclesia Omnium SS. a nobilibus de Mullenheim fundata, ac per Regem Christianissimum integre divino cultui restituta anno 1686. Constat vero duodecim præbendariis & uno capellano.

His adde unam præceptoriam S. Johannis Jerosolymitani, seu Fratrum Melitensium, pulcra decoratam ecclesia, olim monasterium S. Marci, quod an. 1682. a Rege loco dirutæ eorum domus iisdem assignatum est.

Sequuntur & aliæ variorum ordinum familiæ regulares; canonicorum regularium ordinis S. Antonii; canonicorum Regul. ord. S. Augustini reform. de Mataincour, olim conventus Carmelitarum, an. 1685. una cum ecclesia dictis canonicis a Rege datus. Collegium Patrum Soc. Jesu, cui seminarium episcopale & academia unita sunt. Conventus patrum Capucinorum an. 1684. a Rege Christianissimo ædificatus. Monialium ad S. Margaretam ord. S. Dominici monasterium; item parthenon S. Magdalenæ *de pœnitentia* dictus; monasterium quoque sanctimonialium a Visitatione B. M. Virg. nuncupatarum, olim collegium nobilium puellarum S. Stephani, dictis monialibus cum ecclesia, conventu & reditibus an. 1700. donatum; cum jam an. 1683. ad civitatem eas evocasset Regina, ædibus primum eisdem assignatis, vulgo *l'hostel de Baden*, tum an. 1688. ædibus comparatis, vulgo *Mantouffel;* his denique non ita pridem accessit puellare monasterium congregationis B. M. Virg. quod olim conventus patrum Augustinianorum, anno 1729. sanctimonialibus traditum est loco ecclesiæ & domus S. Barbaræ, quas ipsis Rex an. 1701. assignaverat.

Ecclesiæ vero parochiales civitatis sex sunt catholicæ, ac septem Lutheranæ; nempe quantum ad istas, navis ecclesiæ S. Petri junioris; navis ecclesiæ S. Petri senioris; nova ecclesia & conventus, vulgo *Newkerch*, olim monasterium Dominicanorum; ecclesia S. Thomæ, olim collegium canonicorum, cujus proventus applicantur professoribus universitatis Lutheranæ, ludi moderatoribus & alumnis, seu *Seminaristis;* ecclesia S. Aureliæ; domus & ecclesia S. Guillelmi, olim conventus Guillelmitarum, & ecclesia S. Nicolai.

Verum & plures olim in civitate fuerunt ecclesiæ, quæ modo sunt eversæ: præceptoria videlicet S. Johannis Jerosolymitani in viridi Insula; parochia S. Andreæ, nunc domus privata; ecclesia S. Martini, nunc mercatorum domus, vulgo *der Newbaw*, in ea erant quatuordecim præbendæ; monasterium S. Nicolai, sive S. Johannis in undis, olim monialium conventus; conventus & ecclesia Franciscanorum; monasterium S. Catharinæ, nunc pupillorum domus; monasterium S. Claræ ord. S. Francisci, dictum *in Insula*, nunc ad usus civitatis; monasterium S. Claræ ejusdem ordinis in Foro-equino, nunc ad civitatis publicos usus; ecclesia S. Jacobi in Foro-vinario vulgo *les Beguines*, nunc ad usus fullonum. Sepulcrum Domini, nunc ad usus civitatis; capella S. Johannis Bapt. hodie ad usus civitatis; capella S. Valentini, hodie domus nobilium; capella sancti Erhardi hodie medicamentaria officina; capella S. Nicolai, hodie domus privata; xenodochium civitatis, olim monasterium; capella S. Michaëlis in colle, nunc ad usus civitatis.

Ceterum in Argentina civitate sedem habet consistorium episcopale pro dirimendis causis litigiosis, cujus præses suffraganeus est, eoque absente diœceseos vices gerens, quod insuper constat sex consiliariis assessoribus, promotore fisci, & duobus secretariis; itemque ea civitas sedem præbet, directorio nobilium inferioris Alsatiæ constanti sex directoribus, aut judicibus nobilibus, ac duobus assessoribus, ad causas inter nobiles, illorum vassallos & subditos dirimendas.

Spartim vero in diœcesi exstant collegia canonicorum & canonicarum septem; Collegium videlicet *in Andlau* nobilium canonicarum, de quo infra in abbatiis, quæ etiamnum perseverant; canonicorum B. M. Virg. Tabernis Alsaticis, vulgo *Saverne*, ubi sedes seu *residentia* episcopi, olim collegium canonicorum Regul. S. Augustini, *Steiger-Herren* nuncupatum; canonicorum S. Florentii *in Haselach*, de quo infra in monasteriis, quæ a suo primævo statu defecerunt; canonicorum S. Adolfi *in Neuwiller*, de quo *ibidem;* canonicorum SS. Arbogasti & Martini *in Surbourg*, de quo *ibidem;* canonicorum S. Leonardi ad Quercum prope Borsch, in introitu montium Vosagi, ac pene ad radices montis S. Odiliæ, cujus canonici an. 1522. metu Novatorum libello supplici ad episcopum Argentinensem Guillelmum III. auxilium ab eo petiere, ex quo libello discimus hoc collegium fuisse olim monasterium virorum, quibus canonicos Sigefridus archiepisc. Mog. legatus papæ substituerat, ea conditione ut a majori præposito Argentinensi dependerent, qui quidem etiamnum hujus ecclesiæ beneficia confert; septimum denique canonicorum S. Michaëlis in Lautenbach haud procul Murbaco situm, in finibus superioris Alsatiæ, quod olim abbatiam ordinis S. Benedicti legimus, sed absque ullo fundamento; imo contrarium innuit R. P. Laguille, parte 1.ª hist. Als. pag. 182.

Numerantur etiam collegia regularia quinque; Præmonstratensium videlicet ad Omnes sanctos prope Oberkirch, non reformatorum, de quo infra in abbatiis exstantibus. Præpositura ejusdem ordinis in Hagenoa: canonicorum sex de Stivagio ejusdem ord. in monte S. Otiliæ, *seu* Hohenburg, ubi fuit olim abbatia sanctimonialium, de qua infra in abbatiis, quæ a primævo suo statu defecerunt. De duobus aliis *Nider-munster* & *Ittenweiller*, quorum redditus annexi sunt, illius quidem summo capitulo, hujus vero episcopatui, loquimur infra in abbatiis non amplius exstantibus; & certe duo hæc collegia prorsus interiisse videntur.

Tres quoque dicuntur esse (legendum fuisse) ordinis nobilium equitum præceptoriæ, altera S. Johannis prope Dorobshem, & altera intra Argentinam, quæ duæ modo sunt dirutæ, cujus

postremæ loco, uti jam diximus, datum est iis monasterium S. Marci. Tertia vero ejusdem ordinis præceptoria sita est in Andlau. Est & alia præceptoria ord. S. Spiritus alumnorum in Stephansfeld prope Brumat.

Carthusiani sua prope Argentinam destructa domo, Molshemii consedere, ubi hactenus bonus odor Christi sunt.

Patres Societatis Jesu ibidem habent collegium & academiam, itemque gymnasia Scelestadii & Hagenoæ.

Cælestinæ sanctimoniales Hagenoæ consistunt, itemque patres Augustiniani; Tabernisque & Zaberen moniales congregationis B. M. Virg.

Dominicani patres conventus habent Hagenoæ & Scelestadii, ubi etiam commorantur ejusdem ord. sanctimoniales.

Conventuales ord. S. Francisci stabiliti sunt Hagenoæ, Offenburgi ex altera parte Rheni, & in S. Maria ad Fodinas, vulgo *Markirch.*

Franciscani aut Recollecti versantur Tabernis Alsaticis, in Ell prope Benfeld, in Hermelsheim; in Bischenberg, & in civitate Scelestadiensi; Hagenoæ vero degunt tertiæ regulæ sorores.

Capucini denique familias habent Hagenoæ, in Obernheim, in Molsheim, in Phalsbourg, & Scelestadii, hospitia vero in Arce-Ludovicia, *Fort-Loüis*, & in Argentinensi Arce, *la Citadelle*; ac insuper ex altera parte Rheni conventibus gaudent in Fremersberg, in Oberkirch, in Haselach, & Badenæ cis fluvium.

Quemadmodum vero plures quondam fuere in civitate Argentinensi, quam nunc sunt, ecclesiæ tam Regulares quam seculares, idem etiam accidit in tota diœcesi; nempe, exempli gratia, monasterium S. Arbogasti media leuca dissitum a civitate, olim collegium canonicorum Regular. ordin. S. Aug. nunc est hospitium publicum.

Carthusianorum domus, media itidem a civitate leuca, nunc est diruta, ab anno circiter 1591.

Monasteria S. Agnetis & S. Elisabethæ translata sunt ad S. Margaretam intra civitatem.

Collegium canonicorum Regul. S. Augustini in Truttenhusen nunc possident acatholici nobiles de Landsperg.

Capellæ S. Helenæ & S. Galli sunt hodie sepulturæ loca prope civitatem.

Plures adhuc aliæ per diœcesim dirutæ sunt ecclesiæ, aut a Lutheranis possidentur, ita ut parochiales ecclesiæ catholicæ diœcesis Argentinensis ab hac parte Rheni sint tantum 212. & ab altera 67. quæ administrantur per totidem parochos, quorum plures habent unum aut duos vicarios; dictæ vero parochiæ habent 246. filiales ecclesias aut annexas. De abbatiis autem dicemus infra. Ceterum Franciscus Guillimannus scripsit commentarium de Argentinensibus episc. Jacobus etiam Wymphelingus, cui accessit supplementum Moscheroschi, Bruschius & alii auctores eorumdem catalogum texuerunt; ex quibus omnibus, sed maxime ex archivis episcopatus, quorum eminentissimus cardinalis, princeps & episcopus nobis copiam facere pro sua ingenita humanitate dignatus est, novus hic catalogus prodit.

EPISCOPI ARGENTORATENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Amandus.

HIc alter a S. Materno Trevirorum antistite apud Argentinenses fidei sator, & institutor, primusque episcopus, interfuit anno 346.
346. cum aliis præsulibus synodo Agrippinensi, de qua tamen inter eruditos disputatur, uti sæpius jam diximus, at certe nomen ejus inscribitur
347. Sardicensi concilio anni 347. De quo etiam testatur Ægidius in additionibus ad Herigerum de episcopis Tongrensibus & Trajectensibus, cap. 26. quod S. Servatum Tongrensem episcopum Vormatiæ appropinquantem susceperit; qui proinde longe alius est a S. Amando Aquitano, episcopo Trajectensi, quem tribus saltem seculis præcessit: iste enim Aquitanus nunquam sedem illam occupavit, cum nec acta ejus apud Surium, nec Herigerus, aut vetustus alius scriptor id dicant. Ceterum vitam ejus scripsisse dicitur Utho III. Argentinensis episc. seculo x. mediante, sed ad nos usque non pervenit; vetus autem breviarium Argentinensis ecclesiæ festum ejus consignat die

A 26.* Octobris. Haselaci in valle Bruscîæ conditus fertur, quanquam ejus reliquiæ ex Rinaugiæ collegiata ecclesia in Argentinensem S. Petri Senioris basilicam translatæ dicuntur an. 1398.

II. Justus, *sive* Justinus.

D. Augustinus Calmet, abbas Senoniensis*, ac suæ sancti Vitoni congregationis Benedictinæ præses, qui tot ingenii sui fœtibus nomen suum posteritati commendatum reliquit, ac nuper insignis modestiæ, episcopatum *in partibus* oblatum recusando, specimen dedit, hic, inquam, in historia monasterii in valle S. Gregorii, quam ex veteribus eruit monumentis, censet Justum & Maximinum immediate subjiciendos Gandoni & Ansoaldo præponendos; quia ex omnibus, qui de Argentinensi ecclesia & civitate scripsere, hi episcopi (Justus, Maximinus, & Ansoaldus) electi sunt ex Gregorianis monachis, qui vallem hanc incolere primum cœperunt anno circiter 630. quibus ex primordiis accrevit postea insigne monasterium.

ANNI CHRISTI

* Coli dicitur 15. Nov. in vita S. Deicoli apud Bolland. 18. Jan.

* de Senone.

ANNI CHRISTI

Observandum vero, ante Henschenium, communem fuisse Scriptorum omnium sententiam, S. Amandum, primum Argentoratensem episcopum, eumdem esse cum Trajectensi, qui septimo floruit seculo. Ea itaque in sententia optime subjici poterant Justus & Maximinus S. Amando; at cum nunc liquido constet, primum Argentinensem episcopum quarto vixisse seculo, removendi ab ipso videntur Justus & Maximinus & Ansoaldo adjungendi, ac immediate præponendi. Testes hujus opinionis, quæ Justum atque Maximinum Argentinenses episcopos Gregorianis in Alsatia monachis accenset, sunt Herzochius chronol. lib. 4. Munsterus Cosmogr. Germanicæ, lib. 3. cap. 159. & Bucelinus; quod etiam ex veteribus annalibus, seu chronicis monasterii comprobatur; juxta quæ haud dubie laudati scriptores in hanc ivere sententiam; sed in multis fallunt hi annales, & sæpe ab erudito viro D. Augustino Calmet emendantur. Unde a receptis apud Henschenium & Sammarthanos catalogis minime recedendum putamus.

Præterea Justinus iste potest esse Justinianus, qui subscripsit concilio Sardicensi an. 347. inter præsules Gallicanos; in subscriptionibus enim legitur *Amandus ab Argentorato*. . . . . *Justinianus ab Argentorato*, qui post concilium Sardicense potuit subscribere, mortuo Amando successor datus. Sane Justinus memoratur in actis vitæ S. Deicoli Lutrensis in Burgundia abbatis, ubi circiter annum 965. de primis episcopis Argentoratensibus cap. 1. sic habetur: *Civitas Argentina, quæ vulgarico vocabulo* Strasburch *vocatur, exceptis reliquiis principalibus, proprios se gaudet habere patronos, quos a Domino suscepit veræ fidei fundatores, & divini verbi prodigos seminatores*, id est, *Amandum, Justinum, Arbogastum, Florentium, & alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regia sine fine tenet charaxata*, hoc est, scripta. Haselaci quoque Justinus terræ mandatus traditur, quem annis tantum duobus Wymphelingus præfuisse docet.

Bolland. 18. Jan.

III. S. Maximinus.

Sedisse annis octo dicitur ab eodem Wymphelingo, quem & aiunt Haselaci sepulturæ traditum fuisse.

IV. Valentinus.

Istos quatuor episcopos Wymphelingus eo recenset ordine, quos & addit sanctos nuncupari, & credi inter Divos receptos esse. Rubiaci* conditum ferunt Valentinum, post annos quinque regiminis.

* Rouffac.

V. Solarius.

Sex annos præfuit ex eodem Wymphelingo; sanctus & ipse nominatus a Bruschio.

VI. Biulfus & Giulfus.

Eum annis octo rexisse tradit Wymphelingus.

VII. Magnus

Ex insigni & nobilissima prosapia ortus dicitur.

VIII. Garoinus.

Qui & Garrinus, Garinus, & Baroinus vocatur, Haselaci in Valle-Brusciæ depositus est.

IX. Landbertus.

X. Rodobaldus, *sive* Rathboldus.

XI. Magnebertus & Magnobertus.

XII. Labyolus.

Qui & Laybolus, Layblinus, Ubyolus & Ubelinus dicitur.

XIII. Gondoaldus.

Dictus etiam Gundoldus, & Sundersholdus.

XIV. Aldus.

Vixit ætate Heraclii imperatoris & Clotarii II. Francorum regis. Conditus est in æde primaria Argentoratensi.

XV. Gando.

Vir clari ingenii, inquit Wymphelingus, vel, ut Bruschius, vir eximie doctus & sapiens.

XVI. Uto I. *sive* Otho.

Septem annos sedit, ait Wymphelingus; de cujus & superiorum patria, vita & morte nihil pene offendere se potuisse idem auctor observat.

XVII. Ansoaldus.

In catalogo Bruschii a Rege Childerico constitutus episcopus traditur. Argentorati in summo templo sepultus est.

XVIII. Rotharius, *seu* Rodtharius.

Ducali origine ac stemmate ortus, & ex regiæ curiæ magistro, necnon strenuo equestris ordinis viro episcopus allectus, tempore Childerici regis Austrasiæ & Dagoberti II. in Alsatia regnantis floruit, hoc est ab anno circiter 660. quo condi 660.
cœptum est cœnobium S. Gregorii inter Alsatiæ montium juga. In fragmento primarii diplomatis Childerici regis pro dicto monasterio Rotharius appellatur *apostolicus vir Strasburgensis episcopus*. Vide Mabillonium ad hunc an. n. 6. De quo hic habetur versus:

Ex gladio baculum dux fert Rotharius istum.

Bruschius & alii nonnulli præfuisse volunt annis quinque.

XIX. S. Arbogastus.

Hic origine Scotus, vel, ut aliis placet, Aquitanus, fuit S. Deodati Mediani monasterii fundatoris socius, de cujus vita in actis ejusdem Deodati plura; qui, quod cum Florentio beatorum diptychis inscriptus sit, in quibusdam catalogis, primis episcopis, qui & sancti coluntur, adjectus est cum eodem Florentio, magna utique

temporum, quibus ceteri claruere, facta perturbatione, ut disserit Henschenius, lib. 4. cap. 4. de tribus Dagobertis. Porro ad episcopatus Argentinensis apicem a Dagoberto II. rege, filio S. Sigeberti assumtus est; de qua promotione sic loquitur auctor vitæ S. Deodati: *Præ ceteris comites S. Deodato adhæsisse feruntur Arbogastus & Florentius, quorum prior in sacro nemore, quod Theutonico idiomate Heiligisforst* (prope Hagenoam) *vocitatur, heremitica vita est functus, indeque ad episcopatum Argentinæ civitatis raptus: cui decedenti alter a solitudine Hasale abstractus, successor est datus.* Et in actis MSS. ejusdem Arbogasti: *Tradunt S. Arbogastum in temporibus Dagoberti regis de Aquitania progressum, divino nutu, quod postea signis testantibus patuit, Argentinensis ecclesiæ cathedram conscendisse, susceptumque culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Qui beatus Christi sacerdos præfato Regi amica familiaritate adeo est innexus, ut eo intra regalem aulam adscito, illius alloquio, quasi mellis dulcedine degustata, delectaretur; & consiliis uteretur.* Jam vero quod ad ætatem, qua vixit S. Arbogastus, attinet, tradit auctor Fragmenti historici chronico Alberti Argentinensis apud Urstisium præfixi, beatos Arbogastum & Flo-
673. rentium circiter annum Incarnationis 673. claruisse, nempe cum apud Austrasios regnaret Childericus, & apud Francos Rhenanos Dagobertus filius S. Sigeberti. Dicitur autem Arbogastus filium Dagoberti II. ab apro cæsum ad vitam revocasse, (unde cœnobium eo loci con-
Tom. 3. Anecdot. Martenii, col. 1128. ditum *Ebersheim* appellatum est, hoc est *mansio apri*) ex actis ejus MSS. quæ addunt Regem ob id munificentissime Argentinensem basilicam pluribus donis locupletasse. Quin & ipse Rex ad Argentinensem ecclesiam se Dei genitrici serviturum contradidit; quo fit ut hæc ecclesia a Dagoberto II. multis prædiis dotata fuerit, cujus aliqua diplomata recitat Jodocus Coccius in suo Dagoberto rege, Argentinensis episcopatus fundatore, quæ ejus avo Dagoberto I. tribuit, contra quod sentit Henschenius, qui demonstrat esse Dagobertum II. S. Sigeberti filium; cui rursum persuasit Arbogastus, teste Wymphelingo, ut monasterio Schutterano curtem in pago Herlisheim Basileensis diœcesis donaret. Denique ad
679. cœlestem patriam migravit an. 679. die 21. Julii ex Cointio, & Bollandianis. Corpus ejus extra urbem in colle, quem S. Michaëlis collem vocant, ubi tunc facinorosi supremo supplicio afficiebantur, ex ejusdem testamento sepulturæ traditum est, unde postea translatum est, partim ad ejus nominis canonicorum Regularium collegium, partim ad ecclesiam collegiatam Suraburgensem, ubi in arca affabre facta reconditum scribit Jodocus Coccius, cap. 19. De quodam ejus miraculo, & ecclesia in ejus honorem consecrata, vide nostra inter instrumenta, Ch. XXI. col. 481.

Ceterum vacabat sedes episcopalis an. 679. quando S. Wilfridus ad apostolicam sedem pergens Dagobertum Austrasiæ regem adiit, quem ex Hibernia in patrium regnum redeuntem honorifice exceperat. Rex enim beneficii memor sanctum virum rogavit, ut pro erepta sibi Eboracensi parochia, Argentoratensis ecclesiæ, quam vulgo *Strateburgensem* vocabant, *episcopatum maximum* accipere non renueret. Hæc Mabillonius Annalium, lib. XVI. ad an. 679. ex Stephano Eddio vitæ S. Wilfridi scriptore, ac itineris tunc comite. Inde vero liquet Argentoratensem ecclesiam pastore tunc viduatam esse.

XX. S. Florentius.

Nobilibus in Scotia parentibus ortus, Arbogasto in episcopatu successit, cui & vitæ heremiticæ ac monasticæ socius atque amicus antea fuerat: sic enim habet anonymus scriptor chronico Alberti Argentinensis præfixus ad annum 688. *Eodem tempore B. Arbogastus exstitit, qui filium Dagoberti a morte suscitavit, & Florentius, qui filiam ejusdem Regis a dæmonio vexatam liberavit, Argentinæ vicissim succedentes episcopi claruerunt.* De quo etiam in actis ejus vitæ, quæ asservantur MSS. in scriniis Bodecensis canonicorum Regularium in Westphalia cœnobii, & in vetusto breviario Argentinensis ecclesiæ die 7. Nov. hæc referuntur: *Temporibus illustris Francorum regis Dagoberti, præclarus pater Florentius ineffabili tam odore, quam decore virtutum floruit, adscitis sibi ejusdem sancti propositi sociis, Arbogasto videlicet, Theodato atque Hildolfo, fines attigit Alsatiæ, & eo locorum, ubi rivulus, qui ab incolis Haselac nuncupatur, Vosego terminum ponens, fluvio, cui nomen Bruscha est, illabitur, manendi sibi requiem elegit.* Fragmentum Historicum Bodecense, & aliud Coloniense tradunt similiter Dagoberti II. regis filiam, ejus patrocinio ad Deum, visum & loquelam recepisse, cui ut grates suas rependeret princeps, liberali munificentia plurima contulit Haselacensi ejusdem monasterio, codicillis datis, in quibus fit mentio Florentii; qui rursus in veteribus actis, *Scotorum indigena* & de Scotia venisse memoratur. Johannes quoque Leslæus lib. 4. rerum Scotorum in Eugenio VI. rege LVII. de Florentio ita loquitur: *Hoc tempore Scotia ecclesiæ edidit acerrimum propugnatorem, Florentium quemdam, præclaris natalibus illustrem. Hic peregre profectus multos paganismi tenebris oppletos, Christi splendore implevit. Vitam austeram in intimis densissimæ silvæ recessibus, non procul a Bruschio, celeberrimo Alsatiæ fluvio, egit. Monasterium peregregium ad suos, qui ex Scotia ad illum frequentes religionis ergo confluebant, excipiendos erexit. Hunc Argentinenses postea suum episcopum, Rothario* * *mortuo, crearunt. Tumulatur in monasterio, quod Scotis peregrinis eum construxisse diximus.*

Idipsum autem videtur esse monasterium, de quo sic habet Guillimannus in episcopis Argentinensibus: *Ejus opera & auctoritate constructum Argentinæ Scotis monachis & peregrinis, primo diversorium, sive hospitale,* (ut vocant vetera monumenta legum) *post etiam templum in honorem D. Thomæ apostoli, quod postremo in collegium canonicorum conversum multis egregiis viris quondam*

* Rotharium inter & Florentium communis est sententia medium sedisse S. Arbogastum.

ANNI CHRISTI 687. *refertum, & unde nonnulli episcopi sumti.* Præfuisse annis octo dicitur a Guillimanno, & post obitum, qui contigit an. 687. VII. cal. Novembris ex Cointio, *melius* die 7. Nov. ex Bollandianis* & P. Berain in dissertatione de tribus Dagobertis, sepultus in æde S. Thomæ, ex qua ineunte nono seculo Ratho, *seu* Recho Argentoratensis pontifex ejus reliquias transtulit in Haselacense monasterium, quod subinde ad canonicos seculares defecit. Florentii festum in urbe ac in tota diœcesi celebratur.

* In vita S. Deodati, 18. Jan.

XXI. WICGERNUS & WICGERUS.

Dicitur etiam Widegernus & Windigernus, *qui*, ait Heddo episcopus in suo testamento, *monasteriolum in Nigra silva, in marcha Etinheim, in loco nuncupante monachorum cella, super fluviolo Undussa, de novo, suo opere ædificavit in honore S. Mariæ semper virginis, & monachos ibidem congregavit, & dedit ad ipsum locum aliquid de rebus S. Mariæ.* Præterea insigni privilegio donavit Morbacense in Alsatia monasterium, pago Sugintensi, diœcesis primum Argentinensis, postea Basileensis, a S. Pirminio conditum. Datæ sunt litteræ privilegii *anno octavo regnante domino*
728. *nostro Theoderico rege*, qui annum Christi 728. designat; referuntur autem a Mabillonio, tom. 2. Annalium in appendice, pag. 702. col. 2.
733. Deinde Widegernus anno 733. ecclesiam dicti cœnobii Morbacensis consecravit, ex MSS. collectaneis Martennii nostri.

Porro hunc inter episcopum ac Ethonem, qui sequitur, Wymphelingus inserit unum, Wandelfridum nomine, qui taxatur, inquit, ab Hettone in suo prædicto testamento, (tacite tamen) quod præfatum monasteriolum in Nigra-silva *antecessorum nostrorum negligentia fuerit desolatum.* Duos vero nudos interserit Guillimannus, prædictum scilicet Wandelfridum & Hildolfum ab aliis omissum, quem Sammarthani putant eum esse Aulidulfum a Wymphelingo & Bruschio, ac novissime a Cointio memoratum. Fateor autem, hæc verba *antecessorum nostrorum*, &c. si sumantur in suo nativo sensu, negotii plurimum exhibent, at vero ne minimum quidem, si contorte ad antecessores Wicgerni referantur; adducimus integra verba, ut quis sit verior illorum sensus appareat: *Dum cognitum mihi esset*, (loquitur Hetto) *qualiter antecessor noster dominus Wicgerinus episcopus monasteriolum in Nigra-silva*, &c. *de novo, suo opere ædificavit in honore S. Mariæ semper Virg & S. Johannis Bapt.* &c. *& monachos ibidem congregasset*, &c. *& nos postea invenimus ipsum monasteriolum antecessorum nostrorum negligentia desolatum. Ideo placuit.* . . . . . . Hiccine agitur de Wicgerni antecessoribus? hoc certe non patitur verborum contextus. Verumtamen quis credat tam brevi tempore, hoc est ab anno 728. ad quem certe Mabillonius & R. P. Laguille Wicgernum pervenisse testantur, ad 734. quo regere cœpit Heddo, duos saltem sedisse episcopos, & hoc monasteriolum *ipsorum negligentia* tantæ patuisse desolationi. Sane R. P. Laguille unicum intermedium admittit, nullum Mabillonius, quem sequimur, nisi quis malit duos admittere Wicgernos, primum ab an. 687. qui prædictum monasteriolum fundaverit, seu restauraverit, deinde Wandelfridum & Aulidulfum, ac denique Wicgernum secundum.

XXII. ETHO.

Is etiam Euto & Otto, Heddus, Heddo; Haddo, Haddas & Eddanus, ac insuper Athicus, Athico, & Ethico vocitatus, testante Lazio filius fuit Hugonis I.* fratris Hattonis & S. Odiliæ natorum Athici, seu Ethiconis ducis ex Berswinda conjuge, sorore S. Sigradæ matris S. Leodegarii. Anno 734. ex abbate Divitis-Augiæ episcopus Argentoratensis a Carolo Martello constitutus est, ut ait Hermannus Contractus. 734.
Ipsi vero per litteras, uti etiam Wigoni Augustano, Liudoni Nemetensi, seu Spirensi, & aliis Bajoariæ & Alamanniæ episcopis Gregorius papa S. Bonifacium commendavit, ex Mabillonio ad an. 738. n. 43. Misit anno seq. vel circiter e sua diœcesi monachos ad monasterium *Altaichium-superius* nuncupatum. Tum vero interfuit Heddo an. 745. concilio Germanico per dictum S. Bonifacium coacto, de disciplina ecclesiastica, quod Cointius ad an. 743. R. P. Laguille ad 742. XI. cal. Maii revocant. Idem quoque in epistola XI. Zachariæ I. pontificis max. ad episcopos Galliæ & Germaniæ, quam ad an. 744. scriptam conjicit Sirmondus, melius vero 748. Baronius & alii, illos inter episcopos numeratur, appellaturque *Heddus Strateburgensis*, seu *Strasburgensis* episcopus. Hoc autem circiter anno, sive septimo Childerici regis, monasterii de Arnulfi-auga fundationem approbavit litteris datis, quas inter instrumenta consule. Postea suum edidit testamentum in civitate Argentinensi III. idus Martii, regnante Pipino anno XI. Christi 762. quod integrum publici juris fecerunt Guillimannus, Cointius & R. P. Laguille; tertioque post anno adfuit placito Attiniacensi, ubi legitur *episcopus Stradburgi.* Denique obiit an. 779. 8. Martii, ex Sammarthanis, 780. ex Wymphelingo, sed melius ante an. 778. ut scribit R. P. Laguille. Sepultus est in monasterio *Cella-monachorum* dicto, quod ab ipso renovatum *Eddonis cœnobium* appellatur, *Etinheim* vero a marcha hujus nominis, in qua Wicgernus episcopus illud prius ædificaverat. Ceterum maxime commendatur ex debellata Simoniaca Hæresi per Germaniam latius invalescente; qua de re, cum Lullo Moguntino, & Johanne Constantiensi præsulibus Romam perrexit ad Adrianum I. cujus summi pontificis judicium Carolus rex litteris datis Romæ indict. XI. anno regni sui quinto, XIV. cal. Maii, hoc est an. 773. comprobavit.

745. 748. 762. 765.

* al. Ethiconis itidem S. Odiliæ fratris, ex Cointio.

Ch. III. col. 458.

XXIII. REMIGIUS, *vel* REMEDIUS.

Breve chronicon monasterii Vallis S. Gregorii* meminit ad an. 768. abbatis Remigii, ex quo nonnulli auctores eumdem factum postea fuisse episcopum Argentinensem conjicere non dubitarunt. Eum insuper fuisse ordinatum episcopum, vivente Ettone, perperam autumat Cointius ex

* Munster en Alsace.

ANNI CHRISTI

ipsius subscriptione testamento Ettonis apposita; A cum nihil frequentius occurrat, quam hujusmodi subscriptiones, diu post condita testamenta, aut alia instrumenta, factæ in signum approbationis & confirmationis. At vero puellare monasterium Aschaugiense, vulgo *Aschau*, vel *Eschau*, fundavit dedicavitque in honorem B. M. Virg. & S. Trophimi, anno X. regni Caroli regis, idibus
778. Martii, hoc est anno Christi 778. ubi legitur etiam quatuor sanctarum corpora, quæ Roma rediens reportaverat, sanctæ scilicet Sophiæ, & trium ejus filiarum Fidei, Spei & Caritatis, collo-
803. casse. Defunctus est an. 803. XIII. cal. Apr. & Aschaugiæ sepultus.

XXIV. Ratho.

Qui & Ratto, *vel* Rachio & Recho, prius fuit abbas Gregoriani monasterii, quod forte post assumtum episcopatum retinuit; nam in abbatiali dignitate successor ejus Gothefridus non ante annum 815. in brevibus monasterii annalibus consignatur. Hic porro S. Florentii corpus ex monasterio S. Thomæ, quod nunc obtinent Lutherani, in Haselacense transtulisse dici-
812. tur; qui, si Cointio fides, vitam clausit an. 812. ac, testante P. Berain custode Haselacensi in sua nuperrima de tribus Dagobertis dissertatione, in C eodem Haselacensi monasterio sepultus est, ut probat, inquit, ipsius tumba, quæ etiamnum ad lævam principis aræ cernitur, cum hac inscriptione:

Per quem translatus Florentius ille beatus;

Illuc translatus Rachio jacet hic tumulatus.

XXV. Utho II.

Eum Argentorati lucem aspexisse in vico, seu platea ejus nominis, *Uthegass*, hoc est Uthonis platea, scribunt Wymphelyngus & Guillimannus, mortuum vero Cointius tradit anno 815. D de quo præter obitum nihil habent tam ipse, quam R. P. Laguille, nisi quod optime refellant quidquid de eo ab aliis auctoribus circumfertur.

XXVI. Herlevaldus.

Sive Urlevaldus, vel etiam Erlehardus, & Urleharius, in alium a Cointio rejicitur locum, nulla sat firma, ut quidem nobis videtur, adducta ratione. De hoc autem episcopo legitur, ait Wymphelingus, *quod sua probitas non cesserit honori, hoc est, quod non minor fuerit in virtute, quam in dignitate & honore pontificali.*

XXVII. Adalochus, & Adelochus.

Magna fuit apud Ludovicum Pium imperatorem gratia, a quo non pauca beneficia consecutus est, & in iis sacellum *Stillæ* anno Domini
817. 817. imperii ejus tertio, v. cal. Septembris, cum inter alios principes ipse adesset Aquisgrani solemnitati, qua Imperator Lotharium primogenitum coronavit, & consortem Imperii fecit, allosque filios, Reges, alterum Aquitaniæ, Bajoa-
Ch. IV. col. 462. riæ alterum creavit. Exstat rei hujusce documentum apud Guillimannum & in appendice nostra.

Idem quoque (anno 822. ex Cointio) Argentinensem S. Thomæ basilicam restauravit, & in ea pro monachis canonicos instituit, in qua licet inter Lutheranorum manus, servari dicitur antiquum sepulcrum cum hac epigraphe: *Adelochus præsul ad laudes Dei amplificandas ædem hanc collapsam reparavit* DCCCXXX. Ejus tamen obitum illigat Cointius an. 825. quo revera suc- 825.
cessorem habebat; ac proinde annus DCCCXXX. in prædicta inscriptione notatus, non ipsum reparationis basilicæ annum; sed additæ inscriptionis, designare dicendus est, vel certe Adelochus ante obitum pastorali regimine cessit.

B XXVIII. Bernaltus, *seu* Bernoldus.

Hic antistes primum occurrit an. 825. quo, 825.
una cum Godefrido abbate Gregoriani monasterii arbiter a Ludovico imperatore constitutus est ad finiendam litem inter Victorem episcopum Curiensem, atque Rodaricum & Herloinum comites, qui ejus episcopatus bona quædam per vim retinebant. Legimus ea de re diploma Ludovici Augusti, quo Victorem Curiensem episcopum a Rodarici infestationibus securum reddit, sub eorumdem *missorum* testimonio. Actum *Strazburg* civitate, VIII. cal. Aug. anno ejus Imperii duodecimo, indict. III. Ita Mabillonius Annal. tom. 3. pag. 501. Exstat & aliud ejusdem Imperatoris præceptum apud Guillimannum, datum anno seq. quo, precibus B. epis- 826.
copi Argentinensis & Widonis abbatis de Arnolfesaw, idem monasterium flammis absumtum alio transferri & *Schwarzach* appellari permittit. Ad hæc Bernaldus petiit ac obtinuit ab eodem imperatore Ludovico Pio confirmationem privilegii, quo genitor ejus Carolus-Magnus Strasburgensi ecclesiæ indulserat, *ut ubicumque per civitates, vel vicos, castella, aut trajectus, vel portus, excepto Tuentonico, Dorestato, atque Clusas, homines memoratæ ecclesiæ, navigio, aut terreno, id est cum carris & saumariis, negotiandi gratia irent, aut redirent, nullum telonium quisquam Reipublicæ administrator ab eis exigeret.* Datum est hoc præceptum, nostra inter instrumenta & in prob. historiæ Alsatiæ, pag. 19. excusum, VIII. idus Junii, anno XVIII. imperii Ludovici Piissimi Augusti, indict. IX. hoc est
831. Quo etiam circiter anno Bernoldus Ar- 831.
gentoratensis episcopus a Ludovico Pio comes ac socius datus est S. Anschario Hammaburgensi archiepiscopo designato, cum Rotaldo Suessionensi episcopo & Geroldo comite, in profec-
E tione Romana suscepta ad obtinendam a summo pontifice Gregorio novi archiepiscopatus confirmationem. Porro ex iis patet epistolam Wolfeonis Constantiensis episcopi ad Bernaldum Argentariensem episcopum pro Annone clerico, ut in ejus parochia manere, & ad sacros ordines promoveri possit, quam ex indictione X. Sirmondus ad annum 817. revocat, melius ad annum 832. revocari debere, ex sententia Cointii, qui non ita bene episcopatum Bernalti ad annos 17. producit.

ANNI CHRISTI

XXIX. Rataldus & Ratoldus, *vel* Rudolfus.

840. In decreto Lotharii imperatoris anni 840.
pro restituendo Ebbone archiepiscopo Remensi
in gradum pristinum, sic subscriptus legitur:
Ratoldus presbyter vocatus episcopus. Rudolfus *vel*
Rudulfus appellatur in diplomate Ludovici Germanici pro Argentinensi ecclesia an. 23. regni
ejus in Orientali Francia, indict. IV. tertio cal.
856. Aprilis, hoc est 856. Exstat in probationibus
hist. Alsatiæ R. patris Laguille, pag. 21. Dicitur
autem *Argentariensis* episcopus in concilio Tul-
859. lensi apud Saponarias an. 859. Strasburgensis
vero in Tusiacensi an. 860. in Aquisgranensi
863. 862. & 863. in Metensi. Cumque Ratholdus
Romano concilio, quod acta Metensis abrogaverat, acquievisset, misit eum legatum Lotharius
rex ad Nicolaum papam, ut se illi excusaret de
Fleury t. XI. hist. Eccles. pag. 84. Tietberga uxore abjecta, & Valdrada superinducta, emendationem pollicitus. Vide notas
Baluzii ad Gratianum, pag. 548. & 549. De-
875. nique obiit XI. cal. Decemb. anno 875. cujus
vitam laudabilem Erkembaldus, qui pluribus
post annis successit, elegiaco carmine celebravit.

XXX. Reginhardus.

Omisso Grimoldo post R. P. Laguille, Ratholdo successorem damus Reginhardum, quem
ferunt sanctorum præsulum exemplar & speculum extitisse. Fato suo functus est VI. idus Martii
888. an. 888.

XXXI. Baltrannus & Baldramus, *seu* Waldramus.

Vir magnificæ sanctitatis, ut loquitur Wymphelingus, obtinuit ab imperatore Arnulfo, sive
Noricorum duce, ut alibi vocatur, Novientensem abbatiam, e qua mox depulit Hartmannum
abbatem, eique successorem dedit Helmerium
monachum, in cujus gratiam habetur in chartario
hujus monasterii præceptum ejusdem Arnolfi,
datum anno regni ejus septimo, hoc est anno
circiter 894. in quo Baltrannus noster memo-
895. ratur. Sedit anno seq. in concilio Triburiensi,
ac post decem annos defunctus est, ex chronico
Rheginonis ad an. 905. in hæc verba: *Per id
tempus Baltrannus Strasburgensis ecclesiæ, & Luidhelmus Tullensis ecclesiæ præsules migraverunt
a seculo, quibus successerunt in pontificali cathedra
Otbertus in Strasburgensi civitate, & Drogo in
Tullensi.* Et hoc quidem anno, ut idem Rhegino
scribit, Rex urbem Strasburgensem adiit, & episcopum ac plebem inter se dissidentes ad concordiam revocavit. Idem habet chronographus Saxo
apud Ekkardum, pag. 238. nisi quod ea refert
906. ad annum 906. Ceterum hoc anno 906. R. P.
Laguille die 13. Aprilis, Wymphelingus die 12.
Baltranni mortem consignant.

XXXII. Otbertus.

Luitardi Albergensis filius, inquiunt Sammar-
906. thani, eligitur episcopus an. 906. cujus temporibus, maxime post obitum Ludovici regis, qui
A contigit 912. cives in eum insurrexerunt, &
urbe sua expulsum in castrum Rotburgum se recipere coëgerunt, ubi sceleratiores quidam eum
trucidare non veriti sunt an. 913. ex continua- 913.
tore Rheginonis & chronographo Saxonico apud
Ekkardum. Ejus mortem Erkembaldus, quintus
in ordine successor elegiacis verbis deplanxit, in
quibus eum martyrem appellare non dubitat,
uti & postea Wymphelingus, qui & tanto præsule indignos fuisse Argentinenses adjungit.

XXXIII. Godefridus, *seu* Gotfridus.

Is a quibusdam auctoribus dictus ex regia
B Caroli-magni prosapia satus, obiit eodem, quo
electus est anno 913. IV. idus Novembris, ex 913.
Wymphelingo & Guillimanno.

XXXIV. Richuinus.

Nobilis Lotharingus, inquit Wymphelingus,
sacrarum litterarum peritus, ac virtutibus illustris, creatur antistes an. 913. favente Carolo 913.
rege, ut conjicit R. P. Laguille; quamobrem,
ait, in causam adductus est a quibusdam episcopis regi Conrado faventibus, qui anno quinto
ejusdem Conradi apud Altheimium Rhetiæ burgum concilium habuerunt, Johanne episcopo
C d'*Orta* Johannis papæ legato præsidente. Et
certe Richwinus eo in concilio, cui adesse renuit, durius habitus est; postquam enim primores aliqui Conrado adversantes ibidem excommunicati sunt, ipse insimulatus est, quasi in
Argentinensem ecclesiam intrusus, jussusque suo
metropolitano apud Moguntiam mense Maio se
sistere, ut suæ inobedientiæ rationem redderet;
quod si negligeret, sacris eum arcuit legatus,
donec suam Papæ innocentiam probaret. At
vero eum facile apud Pontificem gratiam invenisse inde colligitur, quod paulo post Johannes
papa electum a Carolo rege Richarium pro ca-
D thedra Leodiensi confirmavit, & e contrario
Hilduinum reprobaverit; adeo Pontifex Lotharingiæ regnum, in quo Leodicum juxta & Strasburgum continebantur, penes Carolum fuisse
agnoscebat. Itaque suam Richwinus retinuit sedem, eoque nomine recensetur inter episcopos,
qui convenerunt ad concilium Confluentinum
anno 922. Ejusdem quoque fit mentio in do- 922.
natione, seu transactione duo inter monasteria
Etinheim & *Waldkirch* an. 926. indict. V. *lege* 926.
XV. apud Guillimannum, pag. 136. & anno
932. in charta Henrici Aucupis imperatoris 932.
fundationem Broniensis monasterii confirmantis. Mir. novæ edit. pag. 38.
E Quo etiam anno adfuit Erfordiensi concilio, in
cujus præfatione, quæ quidem aliis mendis non
caret, corrupte appellatur *Rinus.* Obiit anno seq.
ex necrologii Fuldensis excerpto apud Leibnitium, die vero 30. Augusti, ex Guillimanno
& Wymphelingo; cujus memoria celebris esse
perhibetur, maxime in ecclesia S. Thomæ, quam
insigniter dotavit an. 932.

XXXV. Rothardus, *vel* Rudhardus.

Præsul iste rebellis contra regem Ottonem
exhibetur in chronico Rheginonis ad an. 939. 939.
& an. 941.

ANNI CHRISTI

& an. 941. *vel* 942. ex chronographo Saxone, ut conscius & particeps conspirationis in eumdem Regem, deportatus est in Corbeiæ-novæ monasterium, unde tamen paulo post liber dimissus est, ac denique mortem oppetiit an. 950. ex chronico Rheginonis & chronico Saxonico. Quanquam vero in vitium ei versum sit, quod Regi Francorum adhæserit contra Ottonem, & ob id exsilio multatus sit, de illo tamen prodere non dubitat Wymphelingus, tam egregium fuisse & excellentem, ut ætate sua nullum habuisse crederetur in sacris litteris parem, neque ullum majorem divinæ legis amatorem.

950.

XXXVI. Utho III. *vel* Udo.

Parentem habuit celebrem illum comitem Uthonem, cujus potissimum opera Gilbertum Lotharingiæ ducem & Evrardum Alsatiæ comitem prostraverat Otto; quamobrem Utho, Rothardo mortuo, ab eodem Rege successor datus est an. 950. Interfuit autem an. 952. Augustano concilio, cura & studio ejusdem Ottonis coacto; cujus etiam diplomati subscripsit pro confirmatione jurium ecclesiæ Romanæ dato an. 962. regni ejus anno 27. ind. v. die 13. Febr. quando scilicet eum Pontifex coronavit Imperatorem.

950.

Deinde Utho cum esset afflictæ valetudinis biennio ante mortem, Erkenbaldum a se initiatum presbyterum, in partem sollicitudinis pastoralis coadjutorem sibi adlegit. Obiit vero 965. ex chronico Rheginonis, & quidem vi. calend. Septembris, ex necrologii Fuldensis apud Leibnitium excerpto. Ab eo scriptam esse vitam S. Arbogasti Argentoratensis præsulis volunt Eisengreinius, Possevinus, Vossius & alii; addit & vitam S. Amandi primi episcopi R. P. Laguille in sua Alsatiæ historia. De quo hæc habet Wymphelingus: *Qui nobilitate insignis, ex magnis parentibus ortus, magna doctrina præditus fuit, ac in libris se admodum exercens, pretiosum & insignem voluminum thesaurum Argentinensi bibliothecæ donavit.*

Mabill. præf. in secul. V. Bened. pag. 23.

965.

XXXVII. Archamboldus, Erkembaldus.

Hic a puero litteris humanioribus apprime excultus, librorum semper studiosus fuit. Promotus ergo exigentibus meritis an. 965.* ad episcopatum Argentinensem, cum jam, ut diximus, decessoris esset coadjutor, inauguratur a Guillelmo archiepiscopo Moguntino, inde præsulum 17. ipse consecrator, inter quos duo Moguntinenses archiepiscopi Hatto & Rupertus numerantur. An. 966. Altorfii consecravit ecclesiam, qua de re nostra inter instrumenta vide-sis chartam VIII. col. 465. Eum Johannes papa XIII. summis laudibus effert in epistola, qua illi sedis apostolicæ protectionem in omnibus spondet. Neque minori fuit in pretio apud Ottonem II. imperatorem, a quo, sui regiminis anno 17.* insigne privilegium obtinuit datum anno 982. indict. x. octavo idus Januarii, anno Imperii ejus decimo-quinto, regni autem 25. Illud recitat R. P. Laguille in probationibus historiæ Alsatiæ pag. 33. Vitam clausit Erkembaldus an. 991. vi. idus Octobris ex chronographo Saxone apud Ekkardum, pag. 363. & ex necrol. Fuldensi, ait nuperus auctor proxime laudatus. Plurimorum ex antecessoribus vitam descripsit metrico sermone, quod opus una cum libris undequaque collectis in bibliothecam ecclesiæ suæ congessit.

965. * Schilter.

966.

* Schilter.

982.

991.

XXXVIII. Baldus.

De eo nihil observandum reperit R. pater Laguille, sed neque nostra fuit indagatio felicior. Fortasse vero hic episcopus ex dimidiato superioris nomine, abrasa priori parte, conflatus est.

XXXIX. Wideraldus & Widerolfus.

Sedisse jam an. 970. suadere videntur acta S. Attalæ, primæ S. Stephani Argentinensis abbatissæ, cujus corpus hoc anno occultatum legitur propter istum episcopum, qui & honori Attalæ & ejus monasterii gloriæ invidisse fertur. Vide Mabillonium ad an. 667. num. 62. Quinimo, etiamsi hoc verum esset, id non vituperio, sed maximæ laudi verti deberet Widerolfo, qui circa cultum ac B. Attalæ reliquias scrupulose studiosus, ejus canonisationem ac elevationem celebrari cupiebat, prout idem factitatum cernebat a benemultis seculi x. præsulibus. Vide ejusdem Mabillonii præfationem in seculum v. Bened. §. 6. Sed ea saltem quantum ad annum, falsa esse, quæ supra diximus in Erkenbaldo sole clarius demonstrant. Neque etiam verius est, ipsum, præsentibus Ottone imperatore & Willegiso archiep. Mogunt. varias decimas Novientensi monasterio a principibus & ab antecessoribus suis Wicgerno & Baltranno concessas, Bauderio abbati confirmasse, cum assensu dicti imperatoris an. 973.* quando necdum Willegisus Moguntinam cathedram conscenderat. Idem porro Widerolfus an. 987. subscripsisse dicitur Ottonis imperatoris præcepto eidem abbati concesso; verum & in hac charta mendosus est annus, pro quo legendus 997. Itaque ad certiora convertamur. An. 995. Otto imperator Widerolfo episcopo pagum Alsatiensem cum monasteriis & ecclesiis fisci commendavit. Quocirca parthenonem de Aschovia reparare studuit, ut patet ex charta XVI. nostra inter instrumenta, col. 473. ac sub idem tempus Saltziense monasterium ad Rhenum, precibus Adhelaidis imperatricis, XIV. cal. Decembris consecravit, qua de re S. Odilo in vita B. Adhelaidis; necnon abbatem Novientensi monasterio Baudesium a monachis electum, per legitimam beneficii possidendi traditionem,* dedit ex parte Imperatoris, ejusdemque monasterii privilegia roboravit. Ceterum de Wideroldi morte hæc habet Rupertus in vita S. Heriberti Colon. archiepiscopi, cap. 2. n. 8. *Dolendum erat pro ejus exitu, quia terribiliter acciderat, præeunte signo non bonæ æstimationis; nam cum mitra redimitus missarum solemnia celebrare ingrederetur; ubi se ad populum vertit dicturus de more* Pax vobiscum, *Imperatorem intendens, tanto risu solutus est, ut funditus oblitus esse videretur, ad quid se convertisset. Ut vero ad prandium ventum est, cunctis pariter considentibus, percutitur morbo*

* legendum forte 993.

995. Tom. 1. Anecdot. Marten. col. 113.

* investitura

ANNI CHRISTI

pleuritico, interque manus ad proprium delatus hospitium, die 14.[a] Julii reddidit spiritum. Viderat ante annos septem astitisse sibi sanctum Kilianum, & dixisse: age per hos septem annos qualia episcopum decent opera, quia non longius tibi a Domino vitæ spatium positum est. Hinc fabula, quod a muribus corrosus fuerit, per aliam, ut videtur, fabulam, plene confutatur. Vide Mabilonium ad annum 1000. n. 121. ubi docet eum adhuc vixisse hoc anno, quo Ottonem in Italico itinere comitatus est, & in eodem mortuus. Ita etiam Guillimannus his verbis: *Anno 1000. mortuo in Italia Wideroldo Argentinæ ecclesiæ episcopo, Alawicus Augiensis abbas, episcopus pro eo ab Imperatore promovetur.* Sed frustra laudat Hermannum Contractum, apud quem sola promotio Alewici notatur hoc anno. Melius ergo consignanda mors est Wideroldi an.
999. 999. ex necrologio Fuldensi apud Leibnitium; quem ex Italia in Ebersheimunster translatum fuisse Bucelinus litteris mandavit.

[a] Legendum die 4. si verum est quod præmittitur ab eodem auctore: S. videlicet Heribertum, cum creari deberet archiepiscopus VIII. idus Julii in festo S. Kiliani an. 999. differri in crastinum optasse, propter præsentes exsequias, quæ ibidem agebantur, Strasburgensis episcopi. *Dolendum, &c.*

XL. ALEWICUS & ALTWICUS.

Hic a Bucelino comes *de Sulz* appellatus, antequam ad regendam ecclesiam Argentinen-
1000. sem assumeretur, quod contigit an. 1000. uti jam diximus, in Augiensem abbatem Romæ ab ipso Gregorio papa consecratus fuerat, & privilegio donatus, teste Hermanno Contracto ad an. 997. De hoc episcopo ita Mabillonius in præfatione seculi V. Bened. n. 20. *Longius progrederetur oratio, si Radbodum Trajecti inferioris, Conradum & Gebehardum Constantienses, Alewicum Argentinensem, aliosque præclaros Germaniæ antistites hoc loco celebrare in animum induceremus.* Adeo fabulosum vir doctissimus existimavit quod de illo narratur in chronico No-
1001. vientensi. Defunctum reperimus an. 1001. in necrologio Fuldensi apud Leibnitium, cujus auctoritati libenter annuimus cum R. P. Laguille, rejecta tum Guillimanni, qui 1003. tum Bucelini, qui 1006. mortem ipsius consignant. Ceterum hic monere operæ pretium ducimus illos, qui sedem hanc tenuere male famoso decimo seculo, vel nihil omnino, vel pene nihil ex deplorandi temporis fuligine & maculis contraxisse; imo sanctitate non minus, quam eminenti prosapia, doctrina, zeloque pastorali præstantes viros exstitisse. Fuit siquidem Waldramus, qui sedebat an. 895. vir magnificæ sanctitatis; Othertus martyr occubuit; fuit Richwinus sacrarum litterarum peritus, ac virtutibus illustris; Ruthardus, licet Othoni minus acceptus, tam egregius, & excellens, ut sua ætate nullum habuisse credatur in sacris litteris parem, neque ullum majorem divinæ legis amatorem; Uto tertius magna doctrina floruit, ac in libris se admodum exercebat, beneficus & liberalis; Erckenbaldus apprime doctus, promotus fuit exigentibus meritis, & a summo pontifice summis ornatus laudibus;

A Wideroldus, zelosus parthenonum ac piorum locorum benefactor; Alewicus tandem ex abbate meritissimo factus est præclarus antistes. Quod si uni aut alteri ex Argentinensibus episcopis vitio vertatur, quod pluries induerit galeam, quam mitram, de aliis longe plurimis dicendum est quod chronographus Magdeburgensis apud Mabill. in præfatione seculi V. Bened. pag. XIV. de Brunone archiepiscopo Colon. fratre Ottonis magni scribebat: *Ita cum magna religione usus est officio sacerdotis, & existente necessitate functus est virtute magnanimi ducis. Nemo autem super hac re illum culpabilem dicat, cum Samuelem*
B *sanctum & alios plures sacerdotes pariter legamus & judices.*

XLI. WERNHERUS I. & WERINHARIUS.

D'ALTENBOURG.

Vocatur etiam aliquando Wicelinus[b], *aut* Witelinus, forsitan, ait R. P. Laguille, ex denominatione patris mendose attributa filio; Wernherus enim parentem habuit Lancelinum,* quem auctores aliquot Wecelinum vocant, tres vero fratres Radebotonem natu majorem, & Rudolfum atque Lancelinum minores. Porro Werinharium Otto III. imperator *juge ejus servitium & fidei bonæ constantiam attendens, divina*
C *dispensante gratia, sanctæ Argentoratensi ecclesiæ ordinavit & præfecit episcopum*, ut ipse loquitur Henricus Ottonis successor in quadam charta anni 1003. de qua infra. Sed nec minorem Wernherus ipsi Henrico servavit fidem, cujus nimirum partes an. 1002. contra Hermannum 1002.
ducem audacter ac intrepide suscepit, & sacræ ejus inunctionis cæremoniæ apud Moguntiam per Willegisum archiepiscopum peractæ interfuit. Unde factum est, ut hic Herimannus, sive Hermannus Argentinam civitatem, *caput ducatus sui*, ut habet chronographus Saxo, diripiendam dederit, nec ipsi majori basilicæ miles pepercerit,
D cujus thesaurum deprædatus est, quinetiam incendit eam, ac in favillas redegit; sed brevi milites ducis dignas tantæ impietatis pœnas luerunt, partim trucidati, partim in fugam acti per copias Episcopi, quibus tam horrenda clades animos addiderat. Paulo post tamen Dux Brisacum intercepit, qua ex urbe Basileensis & Strasburgensis episcopi vix effugerunt; at nihilominus, cum Dux Hermannus Henrico se imparem agnovisset, in fidem ac potestatem ei se permisit, quem Rex quidem benigne suscepit, ita tamen ut injurias Argentinæ illatas urbi resarciret. Ultro assensit Dux, statimque jussu & assensu Regis abbatiam S. Stephani
E Argentinensi ecclesiæ, in compensationem damnorum, quæ pertulerat, transcripsit. Habetur ea de re in appendice nostra, charta Henrici II. Ch. IX. col. 466.
regis data XVIII. cal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis 1003. indictione I. anno vero domni 1003.
Henrici regis primo. Exstat & alia in rem eamdem charta ipsius Wernheri episcopi data anno Ch. X. col. 467.
1005. ind. 2. (desinente in mense Septembri.) 1005.

* Radebotonem, ex archivo Murensi laudato a Mabillonio, t. 4. Annal. pag. 331.

[b] Eo nomine recognovit præceptum Henrici II. imper. pro Romana ecclesia, quod Baronius revocat ad an. 1014. Est etiam in prob. hist. Palat. Tolneri, pag. 25. sed absque nota chronica. Dicitur autem Vitelinus in placito Henrici II. imp. an. 1006. apud Mabill. tom. 4. Annal. pag. 188.

ANNI CHRISTI

Tum vero idem Henricus propter juge servitium A
Werenharii episcopi, quamdam abbatiam mo-
Ch. XI. col. 469. nachorum, quæ dicitur *Suarzaha*, sanctæ Ar-
gentinensi ecclesiæ tradidit perpetualiter possi-
* *l.* XIV. dendam. Datum est diploma XVI.* cal. Febr.
1014. feria III. an. 1014. ind. XII. anno vero Henrici regis duodecimo. His ergo Wernherus subsidiis munitus, anno seq. insignis hujus basilicæ, quæ usque hodie inter miracula orbis celebratur, fundamenta jecit, ipsamque urbem e ruinis excitatam restauravit; unde ortum magna ex parte dominium episcopi in urbem; quanquam aliunde lego jus illud & dominium acquisivisse Episcopum ab S. Sthephani abbatissa & sanctimonialibus, cujus emptionis, aut *excambii* instrumentum adhuc asservari dicitur in archivo. B

Ceterum Henricus Rex tanto studio Argentinensem ecclesiam prosequebatur, illectus ea, qua rem divinam canonici faciebant, dignitate ac reverentia, ut abdicata corona, nisi cum a proposito Imperii principes avocassent, eorum collegio sociatus esset; quod ut saltem aliquo modo compensaret, & suo desiderio aliquatenus faceret satis, præbendam pinguiorem an. 1012. creavit pro canonico, qui suas in ecclesia suppleret vices. Perseverat hactenus illa præbenda, quam qui possidet, ab omni memoria *Rex chori* appellatus C
est. Interea vero legitur Wernherus inter episco-
* *al.* 1007. pos, qui synodo Francofordiensi anni 1006.*
pro erectione Bambergensis ecclesiæ in episcopalem, præsente Henrico rege, subscripserunt. Postea rursus eumdem Henricum, jam tum Im-
1017. peratorem munificum expertus est anno 1017.
Ch. XII. col. 469. ex litteris ejusdem autographis nostra inter instrumenta. Interest anno seq. 1018. v. idus Octobris dedicationi ædis sacræ Basileensis, & an. 1020. *al.* 1019. cum Alamannis contra Burgundos Regi suo rebelles pugnavit, & vicit, Rodulfo Burgundiæ rege in suum regnum resti-
1023. tuto. Memoratur an. 1023. in præcepto Henrici D
T. I. Anecdot. Marten. col. 143. imperatoris pro cœnobio Morbacensi; seditque anno 1022. in concilio Seligenstadensi, & an. 1027. in Francofordiensi, ubi sessionem habuit
Tom. IX. concil. Labb. pag. 844. proxime archiepiscopum ab Orientali parte, ex chronographo inedito apud Mabillonium ad hunc annum n. 2. Condidit autem hoc ipso
1027. anno 1027. cœnobium Murense in diœcesi Constantiensi, ubi de illo plura; quo etiam circiter anno Maurimonasterium restaurasse dicitur, & comitum Habsburgentium, ex quibus Austriaca domus originem ducit, protectioni commisisse. Seipse vero Habsburgi castri fundatorem nominat in primario Murensis cœnobii E
documento, apud Mabillonium ad an. 1027. n. 9. Denique Constantinopolim missus ab Imperatore Conrado, cui non minus, quam Henrico II. fuit acceptus, ibidem ultimum diem
1029. clausit, ac sepultus est an. 1029. v. cal. Novembris, ex chronographo Saxone, Lamberto Scafnaburgensi, & chronico Hildensheimensi, non vero 1027. uti Murense chronicon, aut 1028. ut Augustense & Fragm. historicum apud Urstisium, pag. 83.

De nostro Wernhero sic Wippo in vita Conradi Salici imperatoris: *Werinharius, generosus, in divinis & secularibus officiis studiosus, dum causa orationis Jerosolymam pergere se fingeret, judicio Dei mirabiliter prohibitus; nam dum magnum comitatum hominum, majorem quoque animalium secum educeret, perveniens in Hungariam, a Rege Stephano contradicta est sibi via: inde reversus per Bajoariam, Italiam intravit, & multum circa fines Veronæ moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam mare Adriaticum ingressus, navigio calamitoso Constantinopolim venit; cumque ab imperatore Græcorum honorifice susceptus esset, secumque satis familiariter conversaretur, desiderare cœpit, ut Imperatoris auxilio Jerosolymam adiret; quo desiderio numquam potiri valuit; sequente vero tempore obiit & sepultus est in eadem urbe.* Vide Origines Murenses, pag. 5. 6. 20. Wymphelingus texit catalogum librorum, quos intulit bibliothecæ capituli sui.

Postquam vero nuntium de Wernheri morte allatum est, jussione Conradi regis, episcopus designatus est S. Poppo abbas Stabulensis, quam dignitatem callide ac humiliter declinavit vir sanctus, causatus se esse clerici filium. Consule vitam S. Popponis die 25. Januarii Bollandiani num. 36.

XLII. WILLELMUS I. DE BAVIERE.

Filius Othonis Bavariæ ducis, & Ottonis I. imperatoris pronepos, ac frater Gregorii V. summi pontificis, patruusque Conradi Salici imperatoris, ut ait Wippo in ejusdem Principis vita, ex Argentinensis ecclesiæ canonico, in locum demortui Wernheri episcopi sublectus est, cum tunc etiam Reginæ capellanus esset, ex chronico Hildensheimensi, & Lamberto Scafnaburgensi. Hic miro modo ecclesiam Argentin. sublimavit, ait prædictus auctor; destructum tempore belli inter S. Henricum imperatorem & Hermannum Alsatiæ ducem S. Thomæ monasterium, ac restitui cœptum ab antecessore, feliciter absolvit & consecravit an. 1031. aliudque S. Petri Junioris 1031.
templum in urbe etiam Argentina inchoavit, ex fragmento historico apud Urstisium, p. 83. Quo Ch. XVII col. 473.
circiter etiam tempore fuit beneficus erga parthenonem de Hascowia. Exstinctus est an. 1047. VIII 1047.
idus Nov. sive Autumnali tempore, ut ait Hermannus Contractus, conditusque est in ecclesia collegiata S. Petri Junioris, quam pro canonicis octo fundaverat, ubi prius erat oratorium sanctæ Columbæ. Tale ipsius epitaphium ibidem legitur:

Mille quater denos, septem quoque viderat annos
Christus, Guillelme, hoc dum tegerere solo,
Argentinensis fueras qui præsul, & octo
Fratribus hanc ædem, doteque munieras.

XLIII. HETZELO, HEZEL & HEIZELINUS.

Herrandum vocant chronographus Augustensis, & Hermannus Contractus ad annum 1047. Hicque tradit eum ex ecclesiæ Spirensis præposito episcopum Argentinensem ab Henrico imperatore fuisse constitutum. Vir ex illustri loco natus multa contulit ecclesiæ collegiatæ S. Petri

ANNI CHRISTI

Junioris, quam & sex canonicis auxit, absolvit, & a Leone papa hujus nominis IX. consecrari curavit. Dicitur & abbatiam S. Arbogasti canonicorum Regularium ædificasse, & fuisse beneficus erga parthenonem *de Aschau*. Habuit autem Hetzelo controversiam ob venatica jura Alsatiæ cum comite Henrico, quam Spiræ Henricus IV.
1059. ejus rogatu diremit litteris datis an. 1059. ind.
1065. XIII. Denique obiit an. 1065. expletis annis 18. regiminis, ex Guillimanno XVIII. cal. Febr. hoc est die 15. Januarii, pro quo decimum habet R. P. Laguille. Jacet in laudata S. Petri ecclesia, hoc celebratus epitaphio :

Ch. XXI. col. 481. & Ch. XVI. col. 473.

Qui velatus erat Argentinense tiara
Dum studet hanc ædem magnificare Dei;
Sex quoque præbendis, abiit super æthera felix;
Hetzelonis humo molliter ossa cubant.

XLIV. Wernherus II. *al.* Guarnerius.

Propinquus Wernheri comitis, apud Lambertum Scafnaburgensem, comitis, inquam, in Hassia, *vel* Thuringia, ut conjicit R. P. Laguille, qui hunc etiam episcopum ex nobili Thuringiæ familia, non ex comitibus Habsburgi ortum existimat, successit ex eodem Lamberto an. 1065.
1071. & an. 1071. die 18. Septembris interfuit Moguntino concilio adversus Carolum Constantiensem episcopum de Simonia accusatum. Ex epist. vero 77. lib. 1. Gregorii VII. ad Beatricem & ejus filiam Mathildem intelligimus Wernherum graviter peccasse, indigneque habuisse *decorem sui ordinis* ; sed commonitus ab Alexandro papa resipuit, & asperam egit pœnitentiam ; & quidem solus inter Teutonicos præsules, quorum tamen multi non solum carnali scelere, sed etiam simoniaca labe fœdati erant. Is itaque compunctus Romam perrexit, & plerumque pedes, nihilominus jejunando, & cum adstitit Papæ, ejusque senatui, procidit in faciem, sicque dignus venia judicatus, quamvis episcopalis officii redintegratione minime accepta, remissus est ad suam ecclesiam, a qua illum amoveri, inquit Gregorius, quid referret, cum fortasse *locum ejus non alius possideret, nisi qui plurimum pecuniæ dare posset* ! Attamen eum, quamvis munitum litteris apostolicis, a Beatrice, ac Mathilde in reditu captum, & custodiæ mancipatum satis innotescit ex laudata epistola. Quapropter Pontifex rogat eas, ut ipsum dimittant, eique cum benevolentia ducatum præstent. Data est Romæ XVII. cal. Maii
1074. indict. XII. Idem an. 1074. vocatus est ad synodum Romanam a Gregorio VII. epist. 29. lib. 2. ad quem etiam & Burchardum episcopum Basileensem exstat ejusdem Gregorii papæ epistola 14. lib. 2. data IV. cal. Nov. ind. XIII. hoc est an. 1074. ex Mabillonio, qua illis præcipit, ut Gerardum & Hugonem fratres, Leonis papæ IX. ex fratre nepotes de parthenonis S. Crucis a dicto Leone papa in Alsatia conditi *advocatia* disputantes ad pacem revocent, sive controversiam illorum dirimant. Hoc etiam anno interfuit conventui Vormatiensi, in quo cum plerisque principibus statuit, nullum esse dandum Henrico regi auxilium adversus Saxones & Thuringos, quos injuste opprimebat.

Postea tamen Wernherus Henrico regi adhæsit in schismate contra hunc Papam, notatus inter falsos hujus Principis amicos, quorum consiliis tot mala perpetrarat. Quocirca Gregorius papa scripsit epist. 4. lib. 3. ad Sigefridum Moguntinensem archiepiscopum, ut de Simonia ipsi objecta inquireret. Romæ data est hæc epistola III. nonas Septembris indict. XIV. hoc est 1075. *vel* 1076. quo anno Gregorius papa illum ad 1076.
tempus ab officio removit. At nihilominus tam in concilio Vormatiensi, quam in Triburiensi ejusdem anni 1076. ab Henrici partibus stetit. Quinetiam anno seq. cum suis ad copias Bur- 1077.
chardi episcopi Basileensis accessit contra Bertholdum de Zeringe Carinthiæ ducem infensum Regi ob suum sibi ereptum ducatum. Cumque paulo post, quanquam profligatus a Bertholdo, delectum agmen duceret ad Hirsaugiense monasterium funditus evertendum, subito corruit ante conspectum militum an. 1079. ex fragmento 1079.
historico apud Urstisium. Vide etiam chronicon Hirsaugiense, part. 1. pag. 305.

XLV. Theobaldus.

Vitam cum morte commutavit anno 1082. ex Augustano chronico, apud Marquardum Freherum, ubi vocatur *Dietpoldus, al.* 1083. vel etiam 1084. adeo incertum est, quidquid ad 1084.
hunc præsulem spectat. Et certe omittitur in fragmento historico apud Urstisium; & R. pater Laguille eum quasi temere admissum amandare videtur, sed fortasse non legerat laudatum chronicon Augustanum.

XLVI. Otho.

D'Hohenstauffen, *fr.* de Stauffen

Nobilis Suevus patrem habuit Conradum, matrem Hildegardem, *al.* Hilmegardem, monasterii sanctæ Fidei, *seu* Fidis Scelestadii fundatricem, ut liquet ex charta fundationis inter probationes historiæ Alsatiæ, pag. 28. ubi & inter Othonis fratres recensetur Fridericus Suevorum dux, cui Henricus IV. imperator loco remunerationis officiorum, inter alia munera, filiam suam Agnetem uxorem dedit, & episcopatum Argentoratensem Othoni fratri ejus natu minori. Insuper autem ipsemet Otho in charta confirmationis seu consummationis ejusdem fundationis nostra inter instrumenta, data 1095. Ch. XIII. col. 470.
sui pontificatus anno nono, suos eosdem fratres 1095.
nominat. Ex qua etiam Othonem intelligimus suum anno 1085. regimen auspicatum esse. Et certe hoc ipso anno Moguntinæ pseudo-synodo subscripsit per suos delegatos, ob idque schismaticus appellatur in fragmento historico toties laudato, tanto, inquiunt, studio partes Imperatoris adversus Papam secutus, ut etiam ad suppetias ei ferendas monasteria expilaret. Denique mortuus est an. 1100. III. nonas Augusti reversus Jero- 1100.
solymis, quo perrexerat cum Godefrido Bullonio. Sane hoc anno eum occubuisse tradunt chronicon Wirziburgense, chronographus Saxo, laudatum Fragmentum historicum & appendix ad Hermannum Contractum.

ANNI CHRISTI

XLVII. Balduimus.

Vix duobus mensibus præfuit, morte intercedente, inquiunt prædicti chronographi; sive, ut habet Fragmentum historicum, Baldeuvinus, sex tantum victurus hebdomadis, successit, & huic eodem anno, qui sequitur

XLVIII. Cuno & Cono, *seu* Conradus I.

1103. Cuno vocatur anno 1103. IV. nonas Martii in præcepto Henrici IV. imperatoris pro cella S. Stephani juxta monasterium S. Michaëlis in monte *Abrinsberg*, ex probationibus historiæ Palatinæ auctore Tolnero, pag. 34. Et hic quidem primum adhæsit Henrico IV. a quo suum episcopatum acceperat, deinde ad partes Henrici V. contra patrem rebellantis transivit, omnibusque interfuit conventibus, in quibus actum est
1106. de Henrici IV. exauctoratione an. 1106. Tum vero Cuno novum Imperatorem in Italiam secutus, inde cum eodem Spiram accessit anno
1111. MCXI. ut funus Henrici IV. jam quintum annum insepulti prosequeretur, ibidemque subscripsit insigni privilegio, quod eidem urbi Imperator concessit, datum XIX. cal. Aprilis anno MCXI.
1114. Cunonis etiam precibus an. 1114. idem Imperator Mediani monasterii privilegia confirmavit. Cuno denique an. 1122. secundum Dodechinum & Trithemium episcopatu dejectus est,
1123. an. 1123. ex Fragmento historico apud Urstisium, & chronographo Saxone apud Ekkardum, his verbis: *Cono Strazburgensis episcopus solo nomine, quare in nece Bertholdi ducis consensit, ab episcopatu deponitur, & Bruno Babenbergensis ecclesiæ canonicus ibidem episcopus constituitur.* Verumtamen Cuno adhuc memoratur episcopus, sive *Argentinensis ecclesiæ humilis minister* an. 1125. ind. III. in charta fundationis abbatiæ *de Bongart*, cujus ipse fundator fuit. Ch. XIX. col. 476.

XLIX. Bruno.

Antea præpositus Honaugiensis, quo nomine vini venditionem instituit an. 1104. ex canonico deinde Babenbergensis ecclesiæ, uti jam diximus, electus fuit in episcopum Argentinen-
1123. sem an. 1123. loco Cunonis depositi, ex archivo canonicorum Honaugiensium. Subscripsit
1125. an. 1125. chartæ Henrici V. imperatoris, fortasse pro Luxovio, subscriptus enim legitur B. episcopus Argentinensis chartæ ejusdem Imperatoris pro Luxovio, V. cal. Julii anno 1123. ind. XIII. ubi legendum 1125. indict. III. Sane hoc anno, V. *vel* VI. cal. Jan. subscripsit apud Argentinam privilegio, quod imperator Henricus S. Blasii monasterio concessit. Anno seq.
1126. 1126. Bruno & Eberhardus, qui sequitur, de episcopatu Argentoratensi contendebant, ex charta de fundatione & dedicatione monasterii S. Johannis prope Tabernas diœcesis Argentoratensis. Nimirum Bruno, incertum qua ratione, depositus fuit, & in ejus locum substitutus ab imperatore Lothario Eberhardus.

A

L. Eberhardus & Ebhardus.

Obiit 1127. ex Dodechino, cumque sedes episcopalis duobus annis vacasset 1127.

LI. Bruno *secundùm*.

Interventu Reginæ (Richezæ imperatricis) *& episcoporum, quadriennio expulsus, gratiam Regis consequitur*, ex appendice Dodechini ad chronicon Mariani Scoti, an. 1129. Verum neque 1129. hac vice diu Bruno in sua sede tranquillus fuit; anno siquidem 1131. in concilio Moguntino, 1131. præsidente Matthæo Albanensi, cum archiepiscopo Moguntino, præsentibus Augustensi, Wirziburgensi, Spirensi, Vormatiensi, &c. episcopis, deturbatus fuit. Qua de re sic habet chronographus Saxo apud Ekkardum, pag. 664. *Rex Pentecosten in civitate Argentina celebrat, & Bruno ejusdem loci episcopus pastoralem curam amisit, Gebhardo sibi succedente.* Verumtamen plerique auctores Brunonem virum sanctæ conversationis appellant.

B

LII. Gebhardus.

Hic studiosus, si quis unquam, Lotharii partium defensor, canonicorum suffragio, & uti arbitratur Guillimannus, Lotharii Cæsaris auctoritate & beneficio, in locum Brunonis subrogatus est; minime tamen ex dictis, ante annum 1131. contra quod incertus auctor Fragmenti historici apud Urstisium habet, factam esse pugnam an. 1130. inter Gebehardum Argentinensem episcopum & Fridericum ducem Alemanniæ, apud *Gugenheim*; quo etiam anno, inquit, combustum est majus monasterium Argentinense primo, hoc est major basilica, & anno 1140. secundo. Ceterum Gebhardus an. 1133. ecclesiam abbatiæ *de Bongart* in honorem S. Mariæ Virg. & Omnium SS. consecravit XVIII. cal. Decembris, ejusdemque bona confirmavit. Sigemarum quoque Novientensem abbatem ordinavit, ex hist. hujus monasterii. Idem anno circiter 1138. Assonem presbyterum pœnitentem, quod injuste quasdam decimas ad monasterium *de Lebraha* pertinentes possedisset, absolvit, præsente Agotho ecclesiæ Argentoratensis præposito. Memoratur & 1142. in voto oppidi Rubiaci, ac proinde non obiit 1140. ut in appendice Dodechini legitur, vel 1141. ut in prædicto fragmento. 1133. Tom. 3. Anecdot. Marten. col. 1147. 1142. Tom. 1. Anecdot. Marten. col. 396.

C

D

LIII. Burchardus I.

Vir, nemine scriptorum contradicente, pietate ac studio religionis præstantissimus, subscripsit chartæ Conradi imperatoris pro Romarici-montis parthenone anno regni ejusdem quarto, hoc est 1142. Idem 1143. indict. VI. decimo-tertio 1143. cal. Aprilis testis est in charta Henrici archiepiscopi Moguntini, quo bona & possessiones monasterii S. Petri Erfordiæ sub protectione sua recipit, ex Vindemiis litterariis Schannatii, pag. 181. Quo etiam anno domus hospitalis ad peregrinos suscipiendos factam institutionem a Chunegunde abbatissa Aschowiæ approbavit. Ch. XXIII. col. 482.

E

ANNI CHRISTI

Eodem insuper anno 1143. sui pontificatus
secundo litteras dedit pro restauratione ecclesiæ
S. Arbogasti ordinis S. Augustini canonicorum
Ch. XXI. col. 481. Regularium. Adfuit anno seq. mense Julio cœtui
frequentissimo, quem habuit Conradus imperator
1144. in civitate Argentinensi ; ubi fortasse, pro sua
in cœnobitas monasterii Schwarzacensis affectione ipsos ab omni teloneo de rebus suis per urbem
Argentinam deducendis præstando, liberaliter
exemit hoc anno 1144. Testis etiam occurrit
Prob. hist. Palat. pag. 6. in diplomate ejusdem Conradi, quo Trevirensem sancti Maximini abbatiam restituit Adalberoni archiepiscopo Trevirensi. Datum est Spiræ
1146. an. 1146. pridie nonas Januarii; item 1147.
in privilegio ejusdem Conradi pro Guillelmo
Ebredunensi archiepiscopo ; & iterum in alio
Ibid. pag. 48. ejusdem Imperatoris diplomate, quo monasterium virginum *Keminada* dat monasterio Corbeiensi. Anno vero 1150. tertio combustum
est monasterium Argentinense, ex Fragmento
1153. historico apud Urstisium. Deinde anno 1153.
ind. I. Burchardus in ecclesiam *de Bongart* induxit
Ch. XIX. col. 478. monachos ord. Cisterc. eamdemque denuo
consecravit in honorem S. Crucis & præcipue
in honorem S. Mariæ Virg. & aliorum plurimorum sanctorum, VII. cal. Maii. Schuteranum
quoque monasterium, quod incendio consumtum
1155. fuerat, reparatum consecravit an. 1155.
Tom. 3. Anecdot. Marten. col. 1147. Quo etiam anno quoddam allodium *in Kunigesheim* Novientensi monasterio collatum confirmavit, ac sub idem tempus hujus loci ecclesiam consecravit.
1156. Memoratur an. seq. in diplomate Friderici Augusti pro Bergomensi ecclesia;
& iterum eodem anno, XVI. cal. Septembris in
Prob. hist. Palat. pag. 49. præcepto ejusdem Friderici, quo donum comitatus Virdunensis Alberto Virdunensi episcopo
Prob. hist. Alsat. pag. 29. confirmavit, rursumque in alio ejusdem Principis
pro Neoburgensi monasterio diplomate. Denique
1162. Burchardus obiit an. 1162. ex Fragmento
historico apud Urstisium.

LIV. Rudolfus.

Friderici imperatoris gratia sedem hanc, mortuo Burchardo, an. 1162. consecutus, memoratur episcopus an. 1176. in litteris permutationis factæ inter Jordanum præpositum *de Lebraha*, & Burchardum Scultet. Quo quidem anno combustum est monasterium Argentinense quarto. Anno seq. cum hactenus Alexandro papæ adversatus fuisset, inter episcopos, qui convenerunt
1177. ad concilium Venetum anni 1177. recensetur
Argentinensis, qui rejecto schismate ibidem ab Alexandro III. absolutus est ; Verumtamen, cum præter schisma, suam quoque illicitam, ac nullam confessus esset ordinationem, delata ipsius
1179. causa ad concilium Lateranense anni 1179. ibi
cathedra pontificali dejectus est.

LV. Conradus I. *vel* II.

In locum Rudolfi suffectus pridie festi sanctæ Thomæ apostoli, ex hac vita migravit anno
1180. seq. 1180. sepultus eodem die recurrente, antequam esset consecratus, aut confirmatus ; unde factum est, ut a nonnullis omittatur in catalogo

A episcoporum Argentinensium. Ei vero legitur *Wenceslai* cognomen fuisse. ANNI CHRISTI

LVI. Henricus I. D'HASENBERG.

Ex pervetusta baronum, ac deinde comitum hujusce nominis familia natus, quem & nonnulli cognominant *Pyllongum*, subscripsit tanquam episcopus Argentinensis, cum Henrico Basileensi præsule, diplomati Friderici Alsatiæ
ducis an. 1181. ind. XIV. Truttenhusani mo- 1181.
nasterii fundationem confirmantis ; nec multo
post ejusdem cœnobii ecclesiam in honorem
S. Mariæ & S. Nicolai consecravit. An. 1183. 1183.
B XIII. cal. Febr. ratam habet donationem loci
S. Gorgonii factam Varnero abbati Stivagii ab
Andelacensi abbatissa, ubi appellatur *Henricus de* Ch. XXIV. col. 485.
Craya, ex tabulario Stivagii ; quo etiam anno prioratum Rubiacum Metensi S. Mariæ de Campis monasterio subjectum fundat. Ejus quoque temporibus nonnulli divites cives parochialem ecclesiam S. Nicolai in urbe Argentina fundarunt; urbis vero maxima pars incendio consumta est
an. 1187. ex Fragmento historico apud Urstisium. 1187.
Hoc autem anno Henricus amplissimam
donationem factam monachis de Bongart, sive Ch. XXVII.
Baumgarten roboravit. Deinde anno seq. cruce col. 489.
C signatus est, ex additionibus ad Lambertum Scafnaburgensem ; tandemque e vivis excessit
an. 1190. die 25. Martii, in quem festum 1190.
Resurrectionis Dominicæ incidebat. De eo sic habet necrologium cœnobii Parisiensis *de Peris: Calendis Aprilis memoria R. D. D. Henrici de Hasenburg episcopi, & capituli Argentinensis, qui prædium in Arzenheim nobis contulerunt an. 1190.* Si fides habenda historiæ Novientensis monasterii, tom. 3. Anecdot. Martennii nostri, mortem illi prædixerat ejusdem monasterii abbas, quem nimium afflixerat, dum esset in vivis.

D LVII. Conradus II. *vel* III. D'HUNNENBERG.

Is ex nobili baronum d'Hunnenberg in Alsatia genere ortus, eligitur episcopus Argenti-
nensis an. 1190. quo quidem anno *electum se* 1190.
nominat in charta de collegiata Luterbacensi ec- Prob. hist.
clesia. Anno seq. sententiam tulit pro Hartungo Als. p. 28.
plebano capellæ *in Ittenheim* ; an. 1192. privilegium pro canonicis S. Petri Senioris obtinuit ab Henrico VI. imperatore ; capitur vero a quibusdam ministerialibus civitatis Argentinensis an.
1193. ex Fragmento historico apud Urstisium. 1193.
Testis est an. 1198. indict. I. in charta Othonis 1198.
IV. imperatoris pro monasterio Werthinensi ; ac
E 1200. in Octava S. Stephani, in quadam do- 1200.
natione facta cœnobio *de Stulzerborn* ab Alberto
Habsburgensi comite, ex litteris authenticis.
Idem sub hoc tempus statuta quædam Hohen- C. XXVIII. col. 490.
burgensis abbatiæ confirmavit ; alterque funda- Ch. XXXVI.
torum exstitit cœnobii Omnium SS. in Nigra- col. 496.
silva, ex litteris Henrici ejus successoris, datis an. 1220. At vero cum interim in schismate Imperii Othoni Saxoniæ duci adhæsisset, Argentoratenses vero Philippo Sueviæ duci, (qui ambo fuerant electi Romanorum Reges) multa passus est a civibus, etiam carcerem, ut supra diximus,

in iisque tandem ærumnis, quibus non ante an-
ANNI CHRISTI num 1208. finis est impositus, mortuo Philippo,
1202. Othonis æmulo, vitam finivit Conradus an. 1202.

LVIII. Henricus II.

DE VERINGEN

Nobilis Suevus ex illustri comitum de Verin-
gen progenie satus, antequam ad episcopatum
Argentinensem sublimaretur, canonicus erat Mo-
guntinensis ecclesiæ, inquit Georgius Christianus
Johannis in suo pleniore syllabo canonicorum
hujusce ecclesiæ, pag. 405. Custos vero Argen-
tinensis ecclesiæ legitur in historia Alsatiæ; ac
1202. utrobique dicitur electus an. 1202. quanquam
non nisi an. 1206. vel etiam 1207. ab archi-
episcopo Senonensi, jubente Papa, consecratus
est. Causa scilicet differendæ consecrationis fuit
schisma Moguntinensis ecclesiæ, ab archiepiscopo
enim Moguntino confirmari & consecrationem
recipere debebat. Sane Henricus solum *Argen-*
1204. *tinensis electus* nuncupatus, testis est an. 1204.
pridie idus Januarii in charta Philippi Romano-
rum regis plurima confirmantis Adolfo Colo-
niensi archiepiscopo. Insuper in ipsismet Henrici
litteris pro confirmatione patronatus ecclesiæ de
Werd collati abbatiæ *de Stulzerborn*, datis anno
1206. 1206. VIII. cal. Julii, hic annus expresse notatur
quartus electionis Henrici. Idem vero litteras de-
dit anno seq. quibus Fredericum de Bitsch prædic-
tam ecclesiam de Werd domui hospitum abbatiæ
de Stulzelborn contulisse testatur, ea conditione
apposita, ut tredecim pauperibus quotidie victus,
aliaque necessaria suppeditarentur. Quo etiam
1207. anno 1207. die 15. Maii, ex Alsatiæ historia,
melius tamen XVI. cal. Julii, ex Fragmento his-
torico apud Urstisium, sacros contulit ordines
fere quingentis clericis, inter quos numerati sunt
quatuor supra centum sacerdotes. Subscripsit an.
1214. 1214. pluribus diplomatibus Frederici impera-
toris, nempe pro ecclesia Viennensi, Romanensi
& Tricastinensi; necnon ipsemet eodem anno
Prob. hist. Als. p. 35. insigne *privilegium* obtinuit ab eodem Principe,
die 9. Martii; seu potius Imperator sub fre-
quentia principum & magnatum imperii, in
causa quæ inter episcopum & ipsius civitatis
Burgenses vertebatur, hanc tulit sententiam; *quod
nullus in civitate Argentinensi consilium instituere
debeat, vel aliquod habere temporale judicium
nisi de consensu & bona voluntate ipsius episcopi
& ejus concessione. Ad hæc etiam pro eodem epis-
copo sententia talis lata fuit pro terris illis in civi-
tate, sive extra, quæ vulgo nuncupantur* Almesne,
*quod nullus hominum illas terras habere debeat,
vel sibi ex eisdem aliquid vendicare, nisi de manu
episcopi, qui ipsas terras ab Imperio & de manu
nostra se tenere recognoscit*, hoc est, de manu
1218. Imperatorum. Tum vero 1218. sui pontificatus
anno decimo-sexto, fideles omnes in sua diœcesi
Ch. XXIX. col. 491. & Ch. XXI. col. 481. constitutos ad restaurationem ecclesiæ S. Arbo-
gasti in suburbio civitatis Argentinensis, fundi-
tus eversæ ab exercitu Philippi regis, propositis
indulgentiis hortatus est; tandemque vir bonus
ac religiosus, clerique defensor, fato suo functus
1223. an. 1223. V. idus Martii, sepulturam accepit in
sacello S. Andreæ ad cathedralem, in qua sedit

A annis 21. Quo tempore S. Dominici alumni
hospitium in urbe habere cœperunt; & abbatia ANNI CHRISTI
Omnium SS. ord. Præmonstratensis ultra Rhe-
num, sed tamen intra diœcesis Argentoratensis
limites, quæ etiamnum floret, condita est.

LIX. Bertholdus I.

DE TECK

Patre Teccensi duce in Suevia natus, etsi ju-
nior, sapienter gubernavit, adhibito prudentissi-
morum virorum consilio. Is est B. qui jam an.
1224. VII. idus Decembris testis est in diplo- 1224.
mate Henrici VII. pro Campensibus monachis
dato, ex Gelenio in notis ad lib. 1. vitæ S. En-
B gelberti, pagg. 107. & 108. Anno 1226. 1226.
mense Junio suis ipse litteris Matthæo Lotha-
ringiæ duci viginti tres dedit veches vini; mar-
chiones vero Badenses Hermannus & Henricus
fratres omnia tam bona, quam jura sibi ex he-
reditate Gertrudis suæ neptis comitissæ *Dags-
bourg* & *Egisheim* obvenientia, Bertholdo epis-
copo & Argentinensi ecclesiæ hoc anno cesse-
runt. Ex qua quidem cessione invidiam sibi
conflavit; sed vir non minus strenuus, quam re-
ligiosus, primum an. 1227. castrum *Bernstein*
expugnavit, ac deinde 1228. pridie idus Junii 1228.
quorumdam principum & quatuordecim urbium
C in se conjuratorum exercitum delevit. Qua de
re legendi sunt annales Bucelini ad hunc annum
1230. quo pax inter eos inita est. Hoc autem cir-
citer an. 1230. Fratres minores intra urbem ad-
missi sunt. An. 1228. amice confirmavit com-
positionem initam inter præpositum monasterii
Omnium SS. ord. Præmonstrat. & Bertholdum
militem de Vinterbach, ex Vindemiis litterariis
Schannatii, pag. 143. ubi & anno 1229. re-
peritur. Eidem porro & successoribus ejus anno
1232. Henricus comes de Werda Landgravius 1232.
Alsatiæ plurima bona sua dimisit sub certis con-
ditionibus, quas vide-sis in probationibus histo-
D riæ Alsatiæ, pag. 35. Illum Henricus Romano-
rum rex Frederici imperatoris filius *dilectum prin-
cipem* vocat in duobus præceptis, altero 1233.
quo suam ei ac civitati Argentinensi protectio-
nem pollicetur, & altero 1234. quo castrum 1234.
de Than eidem concedit, ex probationibus hist.
Alsatiæ, pagg. 37. & 38. Insuper autem solerti *T. 3. Spicil. pag. 581.*
ejus industriæ tribuit chronographus Senonien-
sis, lib. 4. cap. 21. quod duo castra fortissima
sibi adjacentia, quæ pertinebant ad comitatum
de Darsporch, deficientibus heredibus, ecclesiæ
suæ acquisivisset. Tum etiam Bertholdus sibi non
solum providus, sed omnibus quoque subditis,
E Schwartzacensis monasterii, quod iterum confla-
graverat, restaurationem apud Imperatorem obtinuit.
Scripsit ei Gregorius papa IX. cap. 2. *de conver-
sione infidelium*; ac eodem antistite sedente edita *T. XI. conc. Labb. p. 1. col. 374.*
est decretalis ejusdem Gregorii in cap. *venerabilis*
37. de præbendis, in qua recensetur nobilitas
illustris, in canonicis Argentinensibus requisita.
Idem memoratur an. 1235. in comitiis Mogun- 1236.
tiæ habitis, & 1236. in privilegio Frederici II.
imperatoris civitati Argentinensi concesso circa *Prob. hist. Als. p. 40.*
exemtionem civium ejus a quolibet servitio,
quod subinde Innocentius IV. sui pontificatus

ANNI CHRISTI

anno quinto, bulla data Lugduni XI. cal. Augusti confirmavit. Interea vero diutinum erat bellum nostrum inter episcopum & Fredericum comitem de Leiningen ratione successionis in hereditatem prædictæ comitissæ *Dagsbourg*, sed illi tandem
1239. an. 1239. mense Junio finis per transactionem feliciter impositus est. Denique vitam finivit Bertholdus cum fama sanctitatis, sed de tempore mortis ejus Scriptores non consentiunt. Et siquidem fides habenda Georgico Christiano Johannis in suo pleniore syllabo canonicorum Moguntinensium, Henricus de Staheleck ei jam successerat an. 1239. At vero conditoris annalium Columbariensium monachi Dominicani, qui tunc vivebat, præferenda est auctoritas; hic autem
1244. mortuum tradit an. 1244. ad quem certe pervenisse Bertholdum probat R. P. Laguille in sua Alsatiæ historia, ex charta donationis Hartmanni Senioris, comitis de Kibourg, hunc ipsum comitatum & alia plurima ei & successoribus donantis. Sepultus est in sacello S. Andreæ juxta decessorem suum.

LX. HENRICUS III.

DE STAHELECK, *vel* DE STALECK.

Natus ex comitibus de Staleck, e qua nobili gente Palatini comites Rheni suam originem trahere gloriabantur, prius erat canonicus Moguntinensis, ut asserit Georgius Christianus Johannis loco supra citato, custos vero Argentoratensis ecclesiæ, testante R. P. Laguille, quando unanimi consensu in episcopum electus est. Occurrit epis-
1247. copus an. 1247. & apud Schannatium libro, cui titulus est *Vindemiæ litterariæ*, pag. 144. & 145.
1251. annis 1249. & 1254. cui, an. 1251. Ulricus comes Ferretensis castrum *de Than* libere resignavit, & hoc ipsum cum castris *Hoheneck* & *Wineck* ab eo in feudum recepit; necnon etiam omni juri sibi in castro *Egesheim* & aliis competenti in ejus gratiam renuntiavit. Anno vero 1252. III. nonas Novembris obiit in Argentina magister ordinis Fratrum Prædicatorum frater Johannes episcopus, ex chronico Erfordiensi apud Schannatium libro laudato, sepultusque est in ecclesia Dominicanorum Argentinensium, quæ modo Lutheranorum est templum. Testis etiam
1255. est Henricus episcopus an. 1255. v. cal. Martii in charta Sigeberti Landgravii Alsatiæ pro Henrico de Fleckenstein. De cetero vir prudens ac magnanimus pro summis Pontificibus stetit adversus Fridericum imperatorem excommunicatum ab Innocentio IV. partes Henrici Thuringiæ Landgravii, electi Romanorum regis, strenue defendit; cujus vice, inquit chronicon Senoniense, *totam terram episcopatus subegit.* Verum & clerum suum viriliter protexisse pluribus probat idem chronographus; ex quo pariter discimus Fratres prædicatores Argentinæ fundatos fuisse a Friderico de Hanau præposito, & Udalrico de Thalmasigen & Johanne de Alba canonicis Argentinensibus; ipsumque Henricum episcopum primarium lapidem in fundamento posuisse. Dicitur etiam ædificasse capellam S. Blasii in circuitu *monasterii*, hoc est majoris basilicæ an. 1256. itemque ratam habuisse transactionem

Prob. hist. Als. p. 38.

Ibid. pag. 37.

Tom. 3. Spicil. pag. 368.

Ibid. pag. 414. ad 420.

A inter C. abbatem & cives Aprimonasterii 1258. 1258.
ex tabulario Novienti. Decessit tandem an. 1260. 1260.
IV. *vel* V. nonas Martii, ad quem postremum diem ita legitur in necrol. Moguntino, teste Georgio Christiano Johannis: *Henricus episcopus Argentinensis; unde dantur X. solidi Hallenses, qui cedunt de curia S. Galli, de domo olim Beringeri, juxta Franckenstein, versus Rhenum.* Conditus est in sacello S. Andreæ ædis majoris cum antecessoribus.

LXI. WALTERUS.

DE GEROLDSECK, IN SUEVIA.

Omnium calculis, si Henricum ejus cognatum, cantorem ecclesiæ cathedralis excipias, suf-
B fectus est in locum Henrici; cumque ab archiepiscopo Moguntino inauguratus esset, apparatu singulari urbem suam ingressus est, ipsum videlicet, præter Alsatiæ primores, Bertholdo abbate sancti Galli cum mille equitibus, & Theobaldo Murbacensi cum quingentis, comitantibus. Porro sub annum 1261. suppetias tulit adversus Philippum Metensem episcopum, accersitis Henrici de Fenestranges Trevirensis archiepiscopi cognati sui copiis. Quia vero Argentinenses auxilium, quod ab eis petierat, denegarant, ipsis bellum indixit, unde tota Alsatia bellis conflagravit, quæ non nisi moriente episcopo an. 1263. pridie idus 1263.
C Februarias, sopita sunt. Vide chronicon Senoniense, lib. 5. cap. 15. Sepultus est apud *Dorolzeim* in sacello S. Johannis ordinis Melitensis, juxta suum fratrem Hermannum.

Tom. 3. Spicil. pag. 434. &c.

LXII. HENRICUS IV.

DE GEROLDSECK, IN ALSATIA, *al.* IN VOSAGO.

Superioris cognatus, ex præcentore Argentinensis ecclesiæ, cum populo esset acceptissimus, capituli votis in episcopum electus est, quod feliciter cessit, nam domestica odia & bella protinus exstinxit. Sane jam an. 1263. die Sabb. 1263.
ante festum S. Georgii, ex compacto cum capitulis S. Thomæ, & S. Petri in urbe Argentina,
D de juribus sibi mutuo & urbi competentibus compositionem fecit. Quo etiam anno celeberrimam in sua urbe synodum habuit pro ea pace firmius stabilienda, ubi per se vel per delegatos, omnes tam abbates, quam abbatissæ, præpositi, decani, &c. totius diœcesis adsuerunt feria III. post S. Martini festum. Inde an. 1265. suscepit 1265.
Augustinianos in urbe, insignibusque donariis affecit. Eodem anno, calendis Augusti, testis est cum Henrico Spirensi episcopo, Beatricem comitissam d'Orlimande vendidisse duci Burgundiæ pro 20000. marcis argenti quidquid habebat in comitatu Burgundiæ. Sub eodem antistite
E Albertus Magnus tot ingenii sui fœtibus celebris, suo Ratisponensi episcopatu dimisso, Argentinam, accessit, ibique, permissu Henrici episcopi, sacris ordinibus una die quingentos initiavit, in quibus erant sacerdotes centum. An. 1268. in crastino 1268.
Inventionis S. Crucis idem Henricus pactum iniit cum Henrico Spirensi episcopo, Emichone & Friderico de Liningen & aliis, de obsidenda urbe Selsensi, & si capta fuisset, solo æquanda. Denique vir eximius, virorum doctorum amator & fautor, vitam cum morte commutavit anno
1273. sepultus ante altare sanctæ Richardis. 1273.

LXIII.

ANNI CHRISTI

LXIII. Conradus III. *vel* IV.

DE LIECHTENBERG, *hic est* DE CLAROMONTE.

Vir pace bonus & bello strenuus, plus tamen, quam episcopum deceret, qua forte de causa, justo Dei judicio, gladio interiit in obsidione Friburgi, suppetias ferens Egenoni comiti, suo consanguineo. Interfuit an. 1273. inaugurationi Rodolfi
1274. in Romanorum regem, & an. 1274. Lugdunensi concilio. Anno seq. approbat concordiam initam inter Henricum comitem de Furstemberg, & præpositum ac conventum Omnium SS. in Nigra-silva, super curia *de Nuspach*, die Octava apost. Philippi & Jacobi, ex Vindemiis litterariis
1275. Schannatii, pag. 147. Eodem an. 1275. fabrica majoris ecclesiæ ante annos 260. inchoata, feliciter absoluta fuit; nec multo post, anno scilicet 1277. die S. Urbani Conradus primum lapidem posuit stupendæ illius ac celeberrimæ turris, primo ejusdem operis architecto Erwino *de Steimbach*, cujus prima delineatio adhuc asservatur in pergameno. Deinde Conradus habita synodo an. 1294. ad hujus ædificii sumtus constituit, ut per annos quatuor pars quarta redituum omnium penderetur; verum an. 1298. die 14. Augusti magna pars ecclesiæ cathedralis
1277. conflagravit. Permisit an. 1277. Incelerio episcopo Buduensi altaria duo in ecclesia fratrum de Pœnitentia consecrare; ac biennio post prædictam ecclesiam certis diebus visitantibus indulgen-
1286. tias concessit. An. 1286. die Lunæ post festum S. Valentini litteras dedit de quodam castro dicto *Eckerich* a se occupato, adhuc pendent sigilla,
1291. sed non integra. Idem an. 1291. v. idus Martii ecclesiam S. Michaëlis ex insula Hanaw, ubi fundata fuerat, ad oppidum Reynaw transtulit;
1296. ac 1296. assentientibus Friderico præposito & Marquardo de Entringen decano, parochiam *de Hilzen* Aprimonasterio annexuit. Tum vero 1297. in Alsatico motu fuit acer adversarius Adolfi regis, nobilibus viris in societatem armorum pellectis; annoque proximo 1298. cum ingenti dolore vidit partem suæ cathedralis ecclesiæ incendio consumtam; quo tempore fabricam ejusdem ecclesiæ magistratui administrandam sub certis conditionibus concessit. Fato suo func-
1299. tus est anno seq. 1299. modo, quo supra diximus, die 1. Aug. ac in sacello S. Johannis, quo nunc pro sacristia utuntur præbendati ecclesiæ cathedralis, sepultus est.

LXIV. Fridericus I.

DE LIECHTENBERG.

Conradi superioris frater, ex præposito majoris ecclesiæ invitus eligitur episcopus die 13. Sept. statimque Albertus Romanorum rex electioni præsens, ei dedit *investituram*, & Gerhardus Moguntin. archiep. qui etiam aderat, electionem confirmavit, necnon postea ipsum consecravit. Equidem rei militaris peritior erat, quam ecclesiasticæ, sed quod scientiæ deerat, adhæsione sua viris doctis & probis abunde supplebat, osor maxime concu-
1301. binariorum sacerdotum. An. 1301. cum Petro episcopo Basileensi, Landgraviis superioris & inferioris Alsatiæ & cum urbibus Argentorato & Basilea fœdera pacis ad annos quatuor percussit.

A Obiit 1306. die 20. Decembris, sepultus prope fratrem suum Conradum in sacello S. Johannis-Baptistæ. ANNI CHRISTI 1306.

LXV. Johannes I.

In historia Tullensi patris Benedicti Capucini, pag. 473. legimus, post mortem Friderici electores quatuor in partes fuisse divisos. Ex electis primus nominatur Johannes de Florking præpositus, quo brevi mortuo, in ejus locum subrogatur Johannes d'Arzilieres, prius episcopus Tullensis. Alter ex quatuor electis fuit Johannes de Ochsenstein scholasticus ecclesiæ cathedralis,
B Alberti Romanorum regis, seu Imperatoris nepos ex sorore, *al.* cognatus, vel consobrinus, pro quo apud summum Pontificem commendando, Lugdunum misit Albertus Johannem episcopum Eistetensem suum cancellarium & Philippum de Rathsamhausе abbatem Parisiensem. Hunc vero ultimum Johannem, quem illegitime natum scribit Albertus Argentinensis, Papa, ceteris prætermissis, Johanne scilicet episc. Tullensi, Johanne de Ochsenstein Argentinensi scholastico, Hermanno de Thierstein & Johanne d'Ansbourg canonicis, ecclesiæ Argentoratensi præficiendum censuit, missumque alterum Philippum abbatem in episcopum
C Eistetensem promovit, ex hist. MS. Argentorat. quod, inquit R. P. Laguille post Albertum Argentinensem, Romanorum regi, clero & populo in primis probatum est. An. 1308. non minus Hen- 1308.
rico recenter electo regi Romanorum carus, cum ipsum salutaturus, sive hominium redditurus Francofurtum accessisset, insigne ab ipso privilegium accepit, cumque illo plurima magno suo commodo permutavit, litteris datis IV. cal. Dec. iterumque die 13. Januarii an. 1309. quam per- 1309.
mutationem an. 1315. IX. cal. Aprilis Fridericus Romanorum rex, pro quo Johannes stabat contra Ludovicum electum etiam Romanorum *Prob. hist. Als. p. 47. & 48.*
D regem, eidem confirmavit. An. 1309. canonicis ecclesiæ Rynaugiensis, ceterisque hominibus ad eamdem pertinentibus privilegium concessit, ut cives ejusdem oppidi censerentur. Quo etiam anno, indict. VII. die XI. Augusti testis nominatur in decreto electionis Henrici VII. Romanorum regis, seu potius in transsumto hujus decreti, ex collectione veterum actorum Baluzii ad vitas Paparum Avenion. col. 270. Idem an. 1311. 1311.
VIII. cal. Aprilis monasterio *de Stultzerborn* ab Henrico suo decessore collata confirmavit. Subinde vero cum de prava Beguinarum conversatione Johannem XXII. papam commonuisset,
E epistolam ab eo recepit anno circiter 1321. qua illas coërcere deberet. Eam legere est in prædicta collectione Baluziana, pag. 436. & apud Raynaldum ad an. 1321. §. 19. Anno 1326. pri- 1326.
die nonas Septembris scripsit ad eum Johannes XXII. papa, se paratum esse dicens ad confirmandam electionem Friderici Romanorum regis, modo ejus electionis decretum & inquisitio juridica ad se mitterentur. An. 1327. venditionem cellæ Argentinensis, antea fratrum de Pœnitentia, sive Saccitarum, factam a Præmonstratensibus monasterii Omnium SS. in quo illi Saccitæ numero

ANNI CHRISTI

septem, ex concessu Bonifacii papæ VIII. non A ita pridem professionem emiserant, approbavit; quo statim in loco Henricus de Mullenheim civis Argentinensis, coëmtor, a se restituto, quique nomen Omnium SS. retinuit, ejusdem episcopi assensu, quinque præbendas pro totidem sacerdotibus fundavit. Vivere desiit anno seq. die 6.
1328. Novemb. sepultus Molshemii, quod mœnibus cinxit & arce munivit, in xenodochio, quod pro quinque præbendatis sacerdotibus an. 1316. fundaverat; nulli superiorum præsulum inferior, nisi forte genere, de quo disputatur. Istud porro xenodochium datum est Reverendis patribus Societatis Jesu a Johanne de Manderscheit episcopo. B Ceterum Johannis episcopi tempore Carmelitæ in suburbio Argentinensi recepti sunt an. 1326. indeque intra urbem se se receperunt, constructo monasterio, ubi olim floruit Baptista Mantuanus, carminibus ita celebris, ut *Virgilii Christiani* titulum ac nomen consecutus sit.

DE BUCHECK.

LXVI. Bertholdus II.

Patrem habuit Henricum Burgundiæ Landgravium ex conjuge, filia comitis de Strasberg, ac fratrem Mathiam Moguntinum archiepiscopum. Primum fuit ordinis Teutonici in Alemannia præceptor, quo nomine cum ab adolescentia C totus in re bellica fuisset, vix adduci potuit, ut oblatum favore Hugonis fratris natu majoris Spirensem episcopatum acciperet; pro cujus adeptione dum patitur difficultatem, quæ brevi tamen, agente Conrado de Kirkel Argentinensi thesaurario, sopita est, mortuo fratre Mathia, eadem prædicti Hugonis gratia, Moguntinum a Pontifice obtinet archiepiscopatum, sed frustra; cum enim hoc ipso tempore Hugo Balduinum Trevirensem archiepiscopatum per canonicos ad occupandam sedem Moguntinensem postulatum fuisse didicisset, consilium mutavit; auditoque Johannem episcopum Argentinensem D mortuum fuisse, hunc præsulatum a Johanne XXII. pro suo fratre Bertholdo petiit ac impetravit. Data est bulla Avenione anno ejus pontificatus decimo-tertio. Æmulum vero & in hac sede aliquantisper passus est Gerardum comitem de Fribourg, ecclesiæ cathedralis præpositum,
Hist. Alf. pag. 273. sed eo demum cedente, Bertholdus solemni pompa sexcentis equitibus cataphractis stipatus urbem suam ingressus est die S. Thomæ apostoli anno
1328. 1328. Quo etiam anno, sive decimo-tertio pontificatus Johannis XXII. hic Pontifex scripsit Bertholdo electo Argentinensi, & multis aliis tam præsulibus, quam comitibus Germaniæ con- E tra Ludovicum de Bavaria & Petrum de Corbaria. *Datum Avenione XV. cal. Junii.*

Non diu post pacifice potitus est episcopatu; turbatum est enim in Argentinensi civitate, episcopo Papæ, civibus autem Ludovici Bavari imperatoris partes sequentibus. Deinde tamen sibi pacatum fecit Ludovicum interventu Johannis de Liechtenberg Spirensis ecclesiæ scholastici, sed absque hominio, quod licitum sibi Bertholdus, ob fidem Papæ juratam haud putabat; scilicet ecclesiæ nondum reconciliatus fuerat Ludovicus.

ANNI CHRISTI 1335.

Tum vero restituendæ in sua diœcesi ecclesiasticæ disciplinæ sollicitus, synodum habuit generalem apud Argentinam die XIV. cal. Aug. 1335. in qua plurima saluberrima statuta promulgavit. Exstant tomo 4. Anecdotorum Martennii nostri, col. 530. Sed hæc pluribus viris ecclesiasticis, imo toti fere capitulo cathedrali displicuerunt; adeo ut quædam ex illis ab eo revocari postularent; quibus & alia turbandi episcopum accessit occasio, quod videlicet partes Udalrici filii sororis suæ pro præpositura decertantis adversus Johannem de Liechtenberg amplexus esset. Enimvero hujus rei causa capitur ab Johannis amicis & militibus, an. 1337. v. nonas Septembris, ex chronico Alberti Argentinensis, pag. 131. vel certè sub hunc annum IV. idus Septembris, ex ipsius Bertholdi gestis ab eodem Alberto Argentinensi recensitis, pag. 173. ac in vinculis aliquandiu tenetur; quod cum audisset Benedictus XII. papa administrationem episcopatus Johanni de Senne episcopo Basileensi, Bertholdi nepoti commisit, donec post sexdecim hebdomadas duris conditionibus liber abire permissus est. Deinde an. 1340. Bertholdus ædificavit capel- 1340. lam in honorem S. Catharinæ, ubi curavit sibi parari sepulcrum; nec multo post Spiræ Ludovicum Bavarum imperatorem invisit, eidem hominium præstiturus, ab eoque vicissim feudorum suorum *investituram* accepit, quod cum se facere invitum protestatus esset, facile fuit absolutus a Clemente papa VI. prius tamen præstito sacramento, quod eidem Ludovico de cetero non assistat, nisi fuerit cum ecclesia reconciliatus. Vide apud Raynaldum, tom. XVI. Bertholdi ad Clementem papam litteras ad annum 1345. & Clementis ad ipsum §. 19. & 21. Porro ejus tempore Johannes de Mizna, Gherardus a Saxonia, Wernherus de Haisse cives Argentinenses fundarunt celebre Carthusianorum cœnobium, ubi floruit Ludovicus a Saxonia multorum piorum librorum scriptor, de vita Christi ex quatuor Evangeliis, commentarii in psalmos, &c. Bertholdus autem an. 1353. feria sexta post 1353. Dominicam *Lætare*, præbendam custodis capellæ S. Catharinæ, quam, ut diximus, in ec- Ch. XXXIII. col. 493. clesia majori condiderat, reditibus auxit. Denique ante mortem cessit administrationem temporalem episcopatus Johanni de Liechtenberg præposito, ut facilius posset, sede vacante, in episcopum eligi, quod factum est, ex hist. MS. episcoporum Argentinensium, sive, ut loquitur R. P. Laguille, hunc Johannem, quem solummodo Cantorem nominat, vicarium generalem in spiritualibus ac temporalibus constituit. Obiit paulo post Molshemii in vigilia S. Catharinæ an. 1353. unde postridie Argentinam revectus, ibidem in sacello ejusdem S. Catharinæ, quod in ala meridionali suæ cathedralis ecclesiæ construxerat, & magnifice pro quatuor presbyteris dotaverat, sepultus est, hoc ad parietem adjecto epitaphio: *Anno Dom. MCCCLIII. in die B. Catharinæ virginis. in hac capella per se in honorem ejusdem virginis constructa sepultus est venerabilis Berchtoldus de Buchecke, natus Landgravius*

ANNI CHRISTI

in Burgunden, hujus ecclesiæ episcopus, qui ecclesiam hanc viginti quinque annis sapienter rexit. Orate pro eo. Ejus gesta scripsit Albertus Argentinensis, editus a Christiano Urstisio inter scriptores Germanicos. De quo jam dudum mortuo hæc addere lubet ex antiquo MS. codice & ex archivo urbis Argentoratensis, ait R. P. Laguille anno videlicet 1547. quando Lutherani cathedralem ecclesiam occupabant, jussum ab ejusdem fabricæ exactore Danielem Spæclin architectum quædam in sacello S. Catharinæ reparare, Bertholdi episcopi tumulum reserasse, in eoque repertum ejusdem corpus integrum, pretiosis indutum vestimentis pontificalibus, gestans in capite mitram auro & argento intextam, baculum deauratum in brachio dextro, ac in sinistro deauratum similiter ensem, chirotecas, annulos aureos in digito, librum præ manibus, ac in pedibus ocreas, & calcaria deaurata cum crepidis.

LXVII. JOHANNES II.

DE LIECHTENBERG.

Antea præpositus, deinde cantor solummodo, iterumque postea, ut videtur, præpositus, & Imperatori Carolo IV. a secretis, mortuo Bertholdo, qui eum morti proximus electoribus commendarat, unanimi consensu in episcopum electus est IV. nonas Decemb. an. 1353. ac die 4. Januarii per abbatem S. Albani Mogunt. vice Gerlaci de Nassau archiepisc. confirmatus. (*Hist. Als.*) Hunc vero inscium Papa jam providerat precibus tum episcopi cum suo capitulo, tum etiam Regis, ut docet Albertus Argentinensis; ex quo insuper discimus, eum Sabbato, quo cantatur *Intret*, diaconum & presbyterum & in crastino episcopum ordinatum fuisse, ac feria IV. sequenti primam in Argentinensi ecclesia missam cantasse. Verumtamen exstant in commentario P. Berain de tribus Dagobertis edito 1717. litteræ Caroli imperatoris se corpus integrum S. Florentii apud Haselacum data opera visitatum præsentibus Gerlaco Moguntino & Alberto Herbipolensi præsulibus, necnon Johanne de Liechtenberg Argentinensi præposito vidisse attestantis, datæ an. 1354. die 7. Nov. in quibus noster Johannes solum dicitur præpositus, & in spiritualibus ac temporalibus, venerabilis Bertholdi episcopi Argentinensis, generalis vicarius, consiliarius & secretarius Spiritualis Caroli imperatoris. Sed quandoquidem Albertus Argentinensis in suo chronico, pag. 160. hanc ipsam corporis sancti Florentii visitationem ad annum 1353. revocat, cum pridie Rex Bertholdum episcopum Molshemii decumbentem visitasset, & aliunde Johannes ibidem, pag. 161. vocatur *electus Argentinensis* in die S. Thomæ an. 1353. & Lutoldus eidem in præpositura successerat an. 1354. in Quadragesima, dicendum prædictas litteras non nisi post annum unum a dicta visitatione scriptas esse precibus capituli Haselacensis, quod non raro in similibus occasionibus contigit.

Ceterum non fefellit spes de felici episcopatus administratione sub optimo hoc pastore præconcepta. Enimvero in suis omnibus oderat pompam, & sacra per se ipse summo studio & gaudio perficiebat, cujus vitæ ut socia virtus, sic mortis comes gloria. Adfuit an. 1354. quando reseratis S. Othiliæ reliquiis, ex iis partem anteriorem brachii dextri Carolus imperator obtinuit, qua de re princeps litteras dedit hoc anno, regnorum suorum octavo, indict. VII. octavo idus Maii, nostra in appendice relatas. An. 1355. ratam habet fundationem novorum *prabendariorum* in ecclesia Omnium SS. ad portam urbis Argentinæ. Aderat autem anno seq. Carolo IV. imperatori privilegia quædam urbi Mussipontanæ concedenti, memorata in litteris an. 1391. 17. Martii, ex tabulario Lotharingiæ, arcula *Pont-à-Mousson*; & iterum eodem anno, V. calend. Jan. quando hic Princeps privilegia Virdunensis ecclesiæ confirmavit. Quo etiam an. 1356. idem Carolus Johanni Argentinensi episcopo, principi consanguineo, & consiliario suo dilecto, ejusque successoribus insigne privilegium dedit circa *Pfalburgeros*. Scripsit ad eum & Ademarum Metensem episcopum Innocentius VI. papa de coitionibus contra sedem apostolicam, ad quas dissolvendas hortatur eos anno circiter 1359. Rursus ad Johannem scripsit idem Pontifex, X. cal. Febr. anno sui pontificatus nono, hoc est 1361. ut Carolum imperatorem ad ecclesiam contra schismaticos tutandam hortaretur; itemque IX. cal. Julii ejusdem anni. Testis quoque reperitur eodem anno in litteris Caroli IV. imperatoris pro monasterio Alberspacensi; & an. 1362. indict. XV. decimo-octavo calend. Febr. in charta ejusdem Principis Burgundiæ comitatum Philippo Audaci Burgundiæ duci tradentis, regnorum suorum anno decimo-sexto, imperii septimo. Interea vero plurima feuda & ipsum inferioris Alsatiæ Landgraviatum emit, & ecclesiæ suæ dedit anno 1359. necnon Dachenstenium ord. S. Augustini cœnobium fundavit. Anno 1362. fœdus auxilii mutui pepigit cum episcopis Basileensi & Curiensi, aliisque plurimis tam urbibus, quam dominis, adversus Anglos, qui provinciam Alsatiæ depopulabantur. Tum an. 1363. Johannis Argentinensis episcopi consensu, Waltherus abbas Novienti, monachorum numerum ad decem & octo restrinxit. Tandem obiit cum fama sanctitatis anno 1365. die 14. *vel* 15. Septembris, & in sacello S. Johannis-Baptistæ sepultus est.

(Marginalia: 1354. — C. XXXVIII. col. 494. — 1356. — Prob. hist. Als. p. 51. — 1361. — Ibid. pag. 53. 57. 58. 59. 62. — Sammarth. — Prob. hist. Als. p. 66. — 1363. — 1365.)

LXVIII. JOHANNES III.

DE LUXEMBOURG, *al.* DE LITZELBOURG *vel* DE LIGNI.

De natalibus ejus & cognatione vide quæ diximus in archiepisc. Mogunt. Argentinensis autem a summo pontifice creatur episcopus, cum per annum integrum de electione capitulum convenire non potuisset. Wymphelingus ei exprobrat ebrietatem, & alia vitia, forte pro gentis Francorum odio, quod ipse satis ostendit his verbis: *Gaudeo tamen illum Gallum fuisse, non Germanum, ne solis nostratibus vini cupiditas ab alienigenis improperari possit.* Transfertur anno 1371. ad cathedram Moguntinensem, ubi vide col. 502.

ANNI CHRISTI

LXIX. LAMBERTUS.

DE BRUN, vel DE BURNE, al. DE FONTE.

De hoc episcopo plura jam diximus in catalogo Spirensium præsulum. Transiit Lambertus ad sedem Argentoratensem precibus Imperatoris annuente Gregorio papa, 1371. quo anno, die
1371. Natali B. Mariæ Virginis, hujus ecclesiæ possessionem apprehendit. Deinde post annos quatuor idem summus Pontifex eum transtulit ad ecclesiam Bambergensem; quo simul administrationem episcopatus Argentinensis retinere volente, hoc ita indigne tulerunt electores (monstrum scilicet novum visum est huic ecclesiæ) ut ad eligendum episcopum convenerint die 15. Febr. an. 1375. sed duas in partes divisi sunt, aliis Johannem de Ochsenstein majorem decanum, & aliis Georgium de Veldentz magnum
* ecolastre. scholasticum * eligentibus. Itaque summus Pontifex data hac occasione promovit ad hanc cathedram Fridericum, qui sequitur. Ceterum Lamberto
1374. sedente, an. 1374. circa festum S. Martini civitas Argentina cœpit ampliari, id est, suburbia novis muris circumdari, & hæc est tertia urbis ampliatio, ex chronico Alberti Argentinensis, pag. 165. Tandem vero Lambertus repetiit pristinum locum, cœnobium scilicet Gengembacense, ubi an. 1398. mortuus ac sepultus est.

LXX. FRIDERICUS II.

DE BLANCKENHEIM, al. BLANCHENEN.

Etsi junior provectus ad sedem Argentoratensem, vix quippe natus annos viginti, doctus tamen erat, in jurisperitia maxime. Hic porro suæ promotionis bullam die 2. Septembris an.
1375. 1375. promulgari fecit Argentorati, qua in urbe omnium applausu, præter canonicos ecclesiæ cathedralis susceptus est. Exstant ipsius & fratrum Johannis & Geraldi litteræ 1375. die 12. Martii, hoc est 1376. ex quibus discimus eorum avunculum fuisse Johannem comitem de Sarbruc, Franciæ buticularium, dominum de Commercy. Litteris appensum est ejus sigillum bipartitum, & quasi divisum in duo scuta, inter quæ est pedum pastorale. In primo scuto est fascia, Gallice *Bande* more heraldico; in secundo Leo cum tænia transversa in capite scuti, vulgo *lambel*, ex tabulario Lotharingiæ, arcula *Commercy 1*. In aliis litteris ejusdem episcopi datis 22. Oct. an. 1381. ibidem asservatis, ex quibus intelligitur testamenti Johannæ de Sarrebruche cognatæ suæ exsecutorem fuisse, visitur idem sigillum cum duobus minoribus scutis in quorum altero apparet Leo coronatus cum tænia quinque veluti guttis architecturæ utrinque in extremo & in medio pendentibus. An. 1391. inducias fecit inter Henri-
* Saverne. cum Tabernarum * comitem & toparchas de Liechtenberg, ex instrumento authentico Germanice scripto, cui appendet sigillum episcopi, in quo, baculo pastorali medio, duo sunt parva scuta, ut supra 1375. ex tabul. Lotharingiæ, arcula *Traittez, Accords n. 26*. Memoratur idem Fridericus, Gallice *Ferry*, in litteris Radulfi de Coucy episcopi Metensis, eos inter fœderatos, cum quibus hic episcopus societatem armorum inierat an. 1391. Datæ vero sunt hæ litteræ an.
A 1395. die Jovis post festum sancti Lucæ; quo tempore jam biennium erat, ex quo transierat ad ecclesiam Ultrajectinam.

ANNI CHRISTI

Interea vero anno 1379. jura & privilegia ecclesiæ Rinaugiensis confirmavit; anno seq. die 1379.
Martis ante festum S. Thomæ sub ejus sigillo facta est composito inter Theodericum episcopum Metensem, & Jacobum ac Ludovicum de Liechtenberg; an. 1384. die 8. Martii novæ præ- 1384.
bendæ fundationem in ecclesia Omnium SS. approbavit; quo anno Wenceslaus Romanorum rex eum *investivit* de inferioris Alsatiæ Landgra- Prob. hist. Als. p. 64.
viatu, die S. Elisabethæ; an. 1387. feria III. ante 1387.
B Dominicam Paschæ litteras dedit pro fratribus ordinis S. Willelmi; & an. 1392. simul erat Ch. xxxiv. col. 495.
episcopatus Basileensis administrator. Denique an. 1393. die Veneris ante Dominicam *Esto* 1392.
mihi, chirographum dedit, quo profitetur debere se nepoti suo Theobaldo comiti de Blammont quingentos florenos veteres aureos, ob auxilium sibi ab eo præstitum in bello adversus urbem Argentoratensem. Enim vero hic etiam contra juris leges subditos suos vexavit, ac spoliavit, bellisque exagitavit, conscripto adversus vicinos, urbemque ipsam exercitu, dirus in clerum, plebem ac nobiles exactor, potiusque lupus, quam pastor, qui *Pulmo* cog-
C nominatus est, quod novo, perverso, & impio more per Dei pulmonem juraret. Verumtamen cum & ipse his bellis multum æris alieni contraxisset, pace composita 1393. circa Purificationem B. M. V. 1393.
cum urbe Strasburgensi, egit apud Summum Pontificem, ut ad ecclesiam Ultrajectinam transferretur, quod eodem anno factum est; & in hac quidem ecclesia se laudabiliter gessisse dicitur.

LXXI. LUDOVICUS.

DE THIERSTEIN.

Ex abbate B. Mariæ Heremitarum, sive Einsidlensi, nulla ratione habita translationis Guillelmi electi Ultrajectensis episc. pontificia auctoritate
D factæ, ad sedem Argentoratensem electus est a capitulo, sed cum ad capessendam hujus ecclesiæ possessionem in viam se dedisset, repentina morte correptus est in arce Feficone, ait Annalista Heremitani monasterii; sed male an. 1402. ut idem auctor & Bucelinus tradunt.

LXXII. BURCHARDUS II.

COMES DE LUTZELSTEIN.

Cum tunc esset præpositus Argentoratensis, non tamen sacerdos, statim ab Ludovici obitu, in ejus locum subrogatur; verum cedere coactus Guillelmo prædicto, Pontifice dispensante uxorem duxit, ex qua duos filios genuit Jacobum & Guilielmum,
E qui hereditate paterna pulsi a Friderico Palatino comite, exsules obierunt, nullis relictis liberis.

LXXIII. GUILLELMUS II.

COMES DE DIETSCH.

Translatus auctoritate pontificia ex cathedra Ultrajectensi, Argentoratensis possessionem iniit die Lunæ 14. Decembris an. 1394. qui statim 1394.
cum urbe & capitulo transactionem fecit 1395. 1395.
qua quidquid pacem turbare posset, resecabatur. Eodem anno 1395. vocatus solummodo *electus & confirmatus* approbat fundationem novæ præbendæ in ecclesia Omnium Sanctorum; quo

ANNI CHRISTI

etiam anno, die 20. mensis Augusti, simili vocabulo designatus, litteras Friderici, *nostri*, ait, *immediati predecessoris* pro fratribus ordinis S. Willelmi confirmavit. Sane Bonifacius papa IX. annis sui pontificatus sexto, octavo & nono, eidem subdiacono, & confirmato facultatem fecit ordinationem suam ad biennium differendi. Interim vero an. 1397. excommunicationem in
1397. eos vibravit, qui spoliabant clericos & in servitutem redigebant. Idem an. 1398. assensu capituli cathedralis, Rinaugiæ canonicis permisit parochialem ecclesiam S. Petri senioris Argentinensis occupare, atque in eam reliquias sancti Amandi, primi Argentoratensis episcopi transferre. Injurias vero intulisse dicitur monasterio
1398. *Prob. hist. Als. p. 71.*
1404. S. Gregorii, de quibus an. 1404. questus est Vernerus abbas apud Innocentium VII. qui ut de his inquireret mandavit cuidam abbati diœcesis Constantiensis, ex hujus monasterii tabulis.
1406. An. 1406. præbendarios Omnium SS. a subsidio cantus per clerum Argentinum præberi solito exoneravit. Adhuc vero solum *electus & confirmatus* appellatur in litteris confœderationis
1411. an. 1411. die 29. Januarii, quibus appensum est ejus sigillum, in quo exhibentur duo scuta; primum habet fasciam unam, duas alterum, & inter utrumque, pedum, ex tabulario Lotharingiæ arcula *Sarbrich*, (fortasse *Sarbruc*) *Sarwerden & Bouquemont n. 5.* Porro ex hoc intelligimus eum non esse distinguendum a Vinchelino episcopo Argentoratensi, de quo in litteris Caroli ducis Lotharingiæ datis an. 1408. die Martis post festum sanctæ Luciæ, ex eodem tabulario arcula *Traittez, &c. n. 29.* nam ibidem in appenso sigillo eadem visuntur scuta. Litteræ sunt Germanice scriptæ, & sic inscribuntur: *Appointement fait par le Duc Charles de Lorraine, entre Winchelin evesque de Strasbourg, & Henri seigneur de Blamont.* Eidem *electo & confirmato* Johannes XXIII. papa jus fecit permittendi, ut in locis interdictis res divina fieret,

• Postea bellum infelici eventu gessit in Argentoratenses, indigne jam dudum ferentes, quod bona plurima episcopatus Ruperto regi abalienasset (1405.) Cum enim fama esset eum insuper Tabernas & castrum Barri, *Hohenbar* vulgo nuncupatum, duci Lotharingiæ velle transcribere, ab Argentoratensibus in vincula conjectus est, Hugelmanno de Wislingen, *al.* Vinstringen majori decano impellente, die 7. Decembris anno
1414. 1414. Qua de re actum est in concilio Constantiensi annis 1415. & 1416. ubi constanter solum *electus* appellatus vexationis in clerum accusatur. Attamen hoc an. 1416. e carcere liberatus, die 27. Junii sub tutela Henrici de Hazenbog se stitit in concilio Constantiensi; cujus tandem auctoritate, favente in primis Sigismundo
1417. rege, in suam sedem restitutus est an. 1417 desinente; eique *nuper* electo (legendum *pridem*) Martinus V. pontifex anno sui pontificatus tertio, facultatem tribuit consecrationis munus a quocumque voluerit antistite accipiendi. Rursum
1421. vero fœdus iniit an. 1421. cum Conrado episcopo Metensi adversus cives Argentinenses, ex schedis Martennii nostri; ad quem nihilominus annum sic lego in commentariis MSS. Sammarthani nostri, hujusce novæ editionis, & congregationis nostræ quondam moderatoris: Anno 1421. accessit ad societatem armorum initam inter Burchardum comitem *de la Petite-Pierre*, magnum ecclesiæ Argentoratensis præpositum, Fridericum comitem *de Linange* & alios ejusdem ecclesiæ canonicos, necnon plurimos toparchas, ut liquet ex ejus litteris datis hoc anno die Veneris post Pentecosten, ex tabulario Lotharingiæ arcula *Maursmunster, &c.* Verum quo pacto hæc sibi cohæreant, fateor, non video, maxime cum hic Burchardus jam pridem decanatum dimisisset, ut uxorem duceret; & aliunde Guillelmus hunc Burchardum olim pro episcopatu æmulum habuisset, & ipse Guillelmus suo capitulo & civibus semper contrarius fuisset usque ad annum 1431. quo in se reversus, certam pactionem, quam dixere societatem, factam an. 1415. die 22. Decembris a præposito, decano, camerario, scholastico, & aliis ejusdem ecclesiæ canonicis, deinde a Martino V. confirmatam v. idus Decembris anno 1417. necnon a capitulis S. Thomæ, S. Petri Junioris & S. Petri Senioris, &c. 17. Augusti 1419. acceptam, sigillo suo roboravit die Martis post Purificationem B. Mariæ Virginis. Ceterum anno 1424. cameræ 1424.
apostolicæ solvit servitia, ac denique an. 1439. 1439.
pridie nonas Octobris, *al.* die 6. obiit Tabernis Alsaticis, sepultus Molshemii in oratorio xenodochii.

LXXIV. CONRADUS V.

DE BUCHNANG, BUSNANG & BUSLING

Nobilis Suevus cognomento *de Buchnang*, quod castrum est Turgoviæ, ex cellerario & janitore cathedralis ecclesiæ in episcopum electus est a majori parte capituli, indignantibus baronibus & optimatibus Alsatiæ de alienigenæ promotione, qui aliam capituli partem impulerunt ad eligendum Johannem de Ochsenstein majorem præpositum. Verum, ut Conradus erat vir prudens, convocato capitulo, suam cessionem obtulit ea conditione, ut sibi liceret episcopum eligere. Conditione accepta, elegit & proclamavit Rupertum, seu Robertum, qui sequitur; Ruffacum tamen, seu Rubiacum in diœcesi Basileensi retinuit, & post 31. annos obiit 1471. die 12. Martii, sepultus Argentorati in oratorio S. Johannis-Bapt. quod est in majori ecclesia.

LXXV. ROBERTUS, *seu* RUPERTUS.

DE BAVIERE.

Comes Palatinus Rheni, Stephani Bipontini ducis & Annæ Veldensis filius, cum necdum esset in sacris ordinibus constitutus, & solummodo viginti trium esset annorum, Conradi cessione & electione episcopus renuntiatus est, quem an. 1440. XV. cal. Septembris Felix in concilio Basileensi creatus pontifex, ac postridie ipsum concilium confirmavit. Quinimo in scheda quadam ipsum lego a prædicto Felice nonis Julii an. 1440. coadjutorem creatum, quasi nimirum jam Conradi electio confirmata fuisset, & quia nihilominus impugnabatur, ei petenti

ANNI CHRISTI 1440. coadjutor adjunctus esset. Ceterum eodem anno A
1440. III. idus Novembris *al.* die 12. ordinum
omnium, qui Hagenoam convenerant, consensu
receptus est, præmisso sacramento de conservandis juribus & privilegiis, tum capituli, tum urbis,
quam tamen non nisi post novem annos solemni
pompa ingressus est. Cum autem ut diximus, in
ætate immatura episcopatum cepisset Rupertus,
ejus initia flagitiis multis infuscata sunt; nam in
mulieres insanivit, quas ut ditaret, ecclesiam
spoliavit. Aliunde alchymistarum præstigiis delusus, multum auri consumsit & in fumum convertit; sed maturiorem ad ætatem provectus,
resipuisse dicitur. Sane fundavit in ecclesia sua B
1441. ecclesiastem, seu concionatorem & an. 1441.
die 15. Maii facultatem fecit sacerdotibus villæ
Honowe sacrum faciendi in altaribus portatu facilibus.
1445. Idem an. 1445. statuta condidit pro
sanctimonialibus *de Hohenburc*. Consensit anno
1447. die 30. Martii unioni ecclesiæ *de Onenheim* suæ diœcesis cum monasterio in Valle S.
Gregorii, quæ facta est cum licentia concilii
Basileensis & episcopi hujus civitatis, accepta a
synodo facultate, ex monasterii hujus tabulis.
* Prob. hist. Als. p. 73. Memoratur & annis 1446. 52.* 67. 69. &
1474. 1474. quo anno in die festo S. Ambrosii apud
Constantiam fœdus iniit cum Sigismundo duce C
Austriæ, Johanne episcopo Basileensi, &c. ad
mutuam suorum subditorum defensionem, ex tabulario Lotharingiæ, arcula *Suisses n. 1.* Porro
ejus tempore artem typographicam in urbe sua
inventam an. 1440. gloriantur Argentoratenses, quod decus sibi vindicant Moguntini. Denique Rupertus Tabernis Alsaticis mortuus est,
ibidemque sepultus in ecclesia collegiata, cum
hac inscriptione: *Hic jacet reverendus in Christo
pater & dominus D. Rupertus illustr. dux Bavariæ,
ac comes Palatinus, Alsatiaque Landgravius, qui*
1478. *anno Domini MCCCCLXXVIII. die XVII.
Octobris Christianissime obiit, pontificatus sui anno* D
XXXVIII.

LXXVI. ALBERTUS.

DE BAVIERE.

Filius Othonis de Mosbach comitis Palatini
Rheni, & consanguineus Ruperti episcopi, qui
eum eligi in majorem præpositum curarat, cum
etiam recens (an. 1478.) in præpositum S. Albani Mogunt. assumtus esset, unanimi consensu
electus est episcopus die Jovis post festum sancti
1478. Martini an. 1478. magno senatus applausu, qui
decrevit munera electoribus pro tam laudabili
electione offerenda. Die vero Jovis ante festum
S. Catharinæ Tabernis excepit sacramentum fi- E
1479. delitatis a subditis. An. seq. 1479. die Dominica
ante festum SS. martyrum Viti & Modesti, quod
incidit in 15. Junii, primam celebravit missam,
postea urbem ingressus est magna pompa, comitantibus multis principibus, in his Othone comite Palatino patre suo, & Johanne majori præposito fratre, die Lunæ post festum S. Michaëlis.
Laude digna plurima gessit in episcopatus administratione, cujus toparchias & prædia impignorata magna ex parte redemit; quod ut præstare
posset, cum licentia Papæ, retinuit primum annum
reditus sacerdotiorum vacantium, & facultatem ANNI CHRISTI 1490.
utendi butyro tempore Quadragesimæ vendidit.
An. 1490. bullam obtinuit ab Innocentio VIII.
contra ecclesiæ suæ bonorum invasores. Fratres
Minores arctioris observantiæ Tabernis excepit;
castella non pauca suæ ditionis ornavit ac munivit; concubinariis clericis bellum indixit, quanquam vitæ tranquillæ nimio studio ab illis puniendis & expellendis abstinuit. Denique, quod
notatu dignum est, sanctissimam Eucharistiam
dari ultimo supplicio afficiendis curavit. Sedit
per annos 27. menses 9. dies 5. obiitque die 20.
Aug. an. 1506. die Jovis post festum B. Mariæ 1506.
in cœlum assumtæ. Jacet Tabernis in ecclesiæ
collegiatæ capella, quam ædificarat eximii operis,
& ubi sepulcrum paraverat, cum hac inscriptione:
*Hic situs est Reverendus dominus & princeps Albertus Argentinensis sedis episcopus, ac Alsatiæ
Landgravius, ex alta Bavariæ domo dux illustris
progenitus; clementia siquidem, & vitæ ac morum
honestate præclarus, pacisque & justitiæ cultor
eximius, dum ecclesiæ suæ in annum usque XXVIII.
gubernacula tenuisset, anno salutis nostræ sexto supra
quindecies centesimum, die XX. mensis Augusti e vita
hac misera migravit ad cælos, Deo pro meritis in
gloria perpetuo fruiturus, amen. Cujus ne digna
evanescat memoria, Reverendus dominus & princeps
Willelmus generosa ex stirpe comitum de Honstein,
creatus in episcopatu successor, hoc opus constituit
anno MDXXIII.*

LXXVII. GUILLELMUS III.

DE HOHENSTEIN, ou HONSTEIN.

Parentibus Ernesto comite de Honstein &
Margareta de Gera in lucem editus, ex ædituo,
sive custode ecclesiæ metropolitanæ Moguntinæ,
quam dignitatem abdicavit an. 1507. Argentinensi canonico, & præposito S. Crucis in Northusen, eligitur episcopus an. 1506. VII. idus 1506.
Octob. cum tunc solum esset subdiaconus, bullisque donatur eodem anno pridie nonas Decembris a Julio Papa. Tum anno seq. tempore
Quadragesimæ Tabernis sacerdotio initiatus est,
& octo post diebus, Dominica *Lætare* in choro
cathedralis ecclesiæ inauguratus ab Ernesto duce
Saxoniæ archiepiscopo Magdeburgensi, adstante
cum multis principibus Maximiliano imperatore,
a quo triduo post Hagenoæ *investituram* accepit;
tandemque suam in urbem die Lunæ post festum
S. Michaëlis an. 1507. solemnem ingressum fecit. 1507.
An. 1516. sabbato post festum SS. Viti & Modesti societatem armorum iniit cum plurimis nobilibus & urbibus ad defensionem regionis. Idem,
vir prudens, gravis, doctus, ac beneficus in pauperes, qui pastoralis muneris in vicariatu generali
Moguntino tyrocinium posuerat, solebat dicere,
malle se uno servo contentum esse, quam propter collectas concubinatum cleri dissimulare, vel
tolerare. Cujus tamen tempore, non obstante
ipsius vigilantia, ac plurium clericorum, & maxime canonicorum ecclesiæ cathedralis zelo, Argentinenses veram & veterem religionem catholicam & Romanam impie deseruerunt an. 1529.
X. cal. Martii, *al.* 10. Februarii *fortasse* 20.
Deinde anno seq. Guillelmus interfuit Augustano 1530.

ANNI CHRISTI

conventui, quem Carolus V. imperator pro tuenda catholica religione convocaverat; unde famosa illa *Augustana confessio*. An. 1533. die 6. mensis Augusti statuta condidit pro præbendariis octo de Eschowia, in locum monialium introductis. Urbem *de Benfeld* infectam hæresi, quæ jam dudum impignorata erat, an. 1537. redemit, eamque ad veram religionem revocavit. Tabernis tandem e vivis excessit III. cal. Julii feria quarta an. 1541. sepultus ibidem in ecclesia collegiata, cum ecclesiæ suæ 34. annos, octo menses, & 20. dies præfuisset.

1533. Ch. XXXV. col. 496. 1537. 1541.

DE LINBOURG.

LXXVIII. ERASMUS.

Ex illustri pincernarum Imperii familia progenitus, canonicus Argentinensis & Bambergensis, eligitur episcopus an. 1541. & confirmatur a Paulo III. papa, V. idus Dec. ejusdem anni, pontificatus 8. at non nisi octo post annos Tabernis consecrationem accepit. Religionem catholicam promovere studuit, suffragante Johanne Delphio, suo in sacris functionibus suffraganeo. Qua de re transactionem fecit cum urbis magistratu die Dominica 27. Octobris anno 1549. Concilio Tridentino interfuit, vir alienus a fastu, qui malebat subditos, quam se ipsum esse, opulentos. Tum an. 1560. Tabernis synodum habuit, in qua maxime doctrinam Tridentini concilii circa fidem & disciplinam commendavit. Obiit 1568. V. cal. Decemb. Sabbato post Deiparæ Præsentationem; sic enim habet ejus epitaphium in ecclesia, ut credimus, collegiata Tabernensi: *Erasmus episcopus Argentinensis, Alsatiæque comes provincialis, ex illustri sacri Imperii; semperque libera pincernarum a Limburg familia natus, qui cum XXVII. annis, mensibus III. XV. diebus ecclesiæ suæ, commissoque gregi, ac subditis, duris sane & iniquis temporibus, in omni pace & tranquillitate, citra vicinorum omnium injuriam & offensionem, laudabiliter præfuisset, tandem Sabbato, 27. die mensis Novembris, sub horam noctis 12. in vera Catholicæ religionis confessione, pietatisque affectu, pie & placide in Christo, non sine gravi totius provinciæ, bonorumque omnium luctu, obdormivit anno ætatis suæ LXI. Salutis vero humanæ MDLXVIII.*

1541. Prob. hist. Als. p. 127. 1549. 1560. 1568.

DE MANDERSCHEIT-BLANKENHEIM.

LXXIX. JOHANNES IV.

Scholasticus erat ecclesiæ Coloniensis, & canonicus Argentinensis, quando die 24. Januarii, *al.* 26. an. 1569. a toto capitulo in ipsa cathedrali ecclesia congregato in episcopum electus est. An. 1572. die 27. Novembris præsul Argentinensis & Alsatiæ comes provincialis dicitur; tametsi ferunt non nisi anno seq. VI. cal. Julii suam a Gregorio XIII. accepisse confirmationem; cujus certe Pontificis plures ad eum in appendice nostra litteræ habentur. Prostat vero in valvis castri *d'Haubar* hæc inscriptio: *Johannes Dei gratia episcopus Argentinensis, Alsatiæ Lantgravius, ex familia comitum de Manderscheidt-Blankenheim, hanc diu neglectam ruinosam arcem, ad subditorum tutelam, nulli inimicam restauravit, munivit, firmavit anno MDLXXXIII.* Mense Decembri anni seq. comitia superioris & inferioris Alsatiæ apud Scelestadium convocavit pro sopiendis querelis canonicos inter Catholicos & Protestantes. Tridentini concilii sanctiones primus in suam diœcesim invexit. Monasterium Marbacense in suam tutelam suscepit an. 1585. Collegium Patribus Societatis Jesu Molshemii instituit 1580. Hohenburgum vero & Nidermunster virginum monasteria uniri suæ mensæ episcopali a summo Pontifice impetravit; ac denique Tabernis in Alsatia, repentina morte sublatus est VI. nonas Maii an. 1592. ibidemque sepultus in ecclesia collegiata, cum hoc epitaphio:

1569. 1572. Ch. XXXV. col. 496. C. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & XL. col. 498. 499. & 500. 1583. 1585. 1592.

EPITAPHIUM

RR. & illustrissimi principis & domini
Domini Johannis episcopi Argentinensis,
Ac Landgravii Alsatiæ, ex familia
Comitum a Manderscheit & Blankenheim, &c.

Est Argentinæ, duro, delatus honoris,
Tempore, Johanni pontificalis apex.
Quinque fere lustris partes antistitis egit,
Pervigil electo pro grege præsul erat.
Est sacra tutatus, fidei defensor avitæ;
Hæreticos fugit, jussit abire domo.
Ingenio mitis, mensæ frugalis amicus;
Cultor honestatis, virgineusque fuit.
Molshemii studiis visendas condidit ædes,
Sæpe patrem populus voce gemente vocat.
ConCessIt fato qVo teMpore CernIs In Ipso
VersICVLo, rapto paX saCra, VIta, qVIes.

DE LORRAINE

LXXX. CAROLUS.

Post obitum Johannis, scisso in varias factiones collegio pro electione Pontificis, Protestantes Argentinæ elegerunt 28. Maii 1592. Johannem Georgium Brandeburgicum, Electoris nepotem, *al.* Joachimi* Friderici Electoris filium; catholici vero Tabernis Carolum cardinalem 9. Junii ejusdem anni antistitem nominarunt; quapropter inter utrasque partes bellum acre oritur, donec totius dissidii decisio ad Rodulfum Cæsarem definienda remittitur. Porro iste Carolus Caroli ducis & Claudiæ a Francia filius, Nanceii natus 1567. cal. Julii, cum jam esset episcopus Metensis, & cardinalis diaconus titulo S. Agathæ creatus 1589. XIII. cal. Jan. hanc, ut diximus, sedem Argentinensem obtinuit die 9. *al.* 8. Junii 1592. quo quidem anno fidei suæ solemnem emisit professionem in collegiata Tabernarum ecclesia. Tum vero cathedralem ecclesiam ex urbe Argentinensi Molsheimium transtulit, ubi substiterunt canonici, usquedum an. 1681. Argentoratum in potestatem Christianissimi Regis devenit. Innotescit autem episcopus Metensis & abbas Belli-prati ex bulla Clementis VIII. an. 1601. qua ei permisit Pontifex post cessionem dictæ abbatiæ, retinere pensionem centum ducatorum. Obiit Nanceii virtutibus clarus die 24. Nov. an. 1607. sepultus ibidem in ecclesia primatiali, cujus primus primatum obtinebat; cum paulo ante, suum episcopatum Argentinensem, in quo vix ante annum 1604. pacifice sedit, ei, qui sequitur, transcripsisset

* Hic administrator Magdeburg. a Miræo dicitur.

Prob. hist. Als. p. 138.

1592. 1604.

ANNI CHRISTI

D'AUSTRICHE.

LXXXI. Leopoldus.

Patre Carolo duce Styriæ, & Maria Bavariæ ducissa matre prognatus in urbe Styriæ nomine *Gratz* 9. Octobris 1586. fratrem habuit Ferdinandum II. imperatorem. Cessione igitur Caroli a Lotharingia, eligitur episcopus, seu potius administrator Argentoratensis ecclesiæ anno ætatis 21. Cui hoc & Passaviensis episcopi nomine
1608. Guillimannus anno 1608. suum de episcopis Argentinensibus commentarium nuncupavit; & Christophorus Brouverus SS. Leandri, Fulgentii, Isidori præstantium Hispaniæ pontificum fratrum & S. Florentinæ sororis natales anno 1614. B
1615. v. cal. Septemb. Die vero 15. Martii an. 1615. Leopoldus pacto fœdere coivit pro defensione fidei Catholicæ, cum Johanne Moguntino archiepiscopo, Lothario Trevirensi & aliis. Seipse in
1620. litteris, quas vocant *Reversales*, datis an. 1620. die 6. Aprilis, vocat archiducem Austriæ, ducem Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. episcopum Argentoratensem, Landgravium Alsatiæ, comitem Tyrolis & Goriciæ, &c. Vocatur adhuc episcopus, &c. an. 1625. die 24. Aprilis, & iterum 20. Novembris ejusdem anni, in prob. hist. Alsatiæ,
Ch. xxx. col. 492. pagg. 119. & 124. Quo etiam anno, die 7. C Aprilis Omnium SS. cœnobium ord. Præmonstratensis in Nigra-silva exinde transferri in præposituram *Oberkhurch* permisit. Abdicavit postea, cumque in minoribus tantum ordinibus esset constitutus, uxorem duxit Claudiam Mediceam eodem an. 1625. ex qua genuit Ferdinandum-Carolum archiducem, Alsatiæ Landgravium, comitemque Tyrolis. Fato functus est an. 1632.

D'AUSTRICHE.

LXXXII. Leopoldus-Guillelmus.

Neustadii nascitur ex conjugio Ferdinandi II. Romanorum imperatoris, Hungariæ & Bohemiæ regis, ex Anna-Maria Bavara, prima uxore, 6. D Jan. 1614. Promotus ad sedem Argentinensem patrui cessione, necnon ad cathedram Passaviensem, non habuit continuo harum ecclesiarum administrationem ob ætatis defectum, natus enim erat annos tantum tredecim, sed illam interim vicaria functione administravit Hermannus-Adolfus de Salm Coloniensis & Argentinensis canonicus, donec Leopoldus-Guillelmus ætatis annum 18. attigisset. Fuit autem archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, administrator generalis militiæ Jerosolymitanæ, ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam summus magister, episcopus Halberstadensis, Olomucensis & Uratislaviensis, ac etiam E Magdeburgensis archiepisc. administrator principatuum & abbatiarum Hersfeldensis, Murbacensis & Lutrensis, canonicus Moguntinus ab anno 1619. & Coloniensis, comes Tyrolis ac Goriciæ, exercituum Cæsarianorum dux supremus, necnon regius gubernator Belgii Hispanici, vulgari elogio, *Princeps sine vitio* dictus. Adfuit an.
1633. 1633. translationi reliquiarum sancti Engelberti
1662. Coloniensis archiepiscopi. Obiit vero 1662. ætatis suæ 48. die 10. Novembris, sepultus

A Viennæ in mausoleo imperatorio, quod in æde sacra Capucinorum intra mœnia urbis est.

ANNI CHRISTI

DE FURSTEMBERG.

LXXXIII. Franciscus-Egon.

Principis Egonis filius & Annæ-Mariæ ab Hohenzollern, natus 20. Maii 1626. ex magno decano [a] Coloniensis ecclesiæ, præposito S. Gereonis in eadem urbe, & capituli Hildesheimensis, necnon custode Argentinensis, ac Spirensis & Leodiensis canonico, eligitur episcopus Argentoratensis anno 1663. die 19. Januarii. 1663.
Hic autem in ipso pene suæ administrationis exordio plusquam nonaginta librarum millia pro recuperandis bonis ecclesiasticis, quæ Lutherani occuparant, impendit. Regi Christianissimo fuit maxime carus, cujus victricibus armis Argentoratum, olim ad Francorum Regum dominium pertinens, recuperatum fuit an. 1681. Tuncque 1681.
ecclesia cathedralis Catholicis est restituta, ad quam revocati sunt exsules canonici & episcopus qui die 24. Octobris ejusdem anni ad valvas ecclesiæ cathedralis honorificis Ludovicum XIV. *Prob. hist. Als. p. 171.*
verbis compellavit, ac paulo post obiit Coloniæ, calendis scilicet Aprilis an. 1682. ætatis suæ 56. 1682.
Ejus corpus jacet ibidem in majori ecclesia, cor in Argentoratensi, exta vero apud Molsheimium. Præter sacerdotia supra memorata, quibus potiebatur hic episcopus, abbas erat Stabulensis & Malmundariensis, cessione Coloniensis archiepiscopi, necnon abbas & princeps Murbacensis & Lutrensis.

[a] Tom. 3. novæ Galliæ Christ. diximus & magnum præpositum, at fortasse fuit tantum præpositus S. Gereonis Colon. ut hic habetur.

DE FURSTEMBERG.

LXXXIV. Guillelmus-Egon.

Superioris frater, ex canonico Argentinensis ecclesiæ, unanimi totius capituli consensu, die 8. Junii an. 1682. ad ejusdem ecclesiæ pontificale 1682.
culmen ascendit; statimque hac in urbe juniorum clericorum seminarium instituit, regendumque Patribus Societatis Jesu commisit 8. Julii ejusdem anni; nec multo post, die videlicet septima Septemb. Guillelmi precibus, Rex Christianissimus annuit, & curavit, ut redditus & jura sui episcopatus cis Rhenum perciperet. Cujus item munificentia regia fundatum est collegium Argentorati, dictisque Patribus commissum anno 1685. Postea Guillelmus an. 1688. cum jam 1688.
esset cardinalis ab anno 1686. & major decanus Coloniensis, non præpositus, primum postulatus fuit in coadjutorem, die 7. Januarii, deinde in archiepiscopum Coloniensem; at summus pontifex Innocentius XI. hanc utramque postulationem reprobavit. Tum vero Ludovicus XIV. eum adscivit in collegium ordinis sancti Spiritus præceptorum, *sive* commendatorum an. 1694. 1694.
Fuit etiam abbas S. Germani a Pratis, Gorziæ in Lotharingia, Stabuleti & Malmundarii, S. Ebrulfi prope Ebroicas, S. Vincentii Laudunensis & Barbelli. Porro Guillelmus statutum capituli conditum die 4. Octob. anni 1698. de festo solemni quot annis celebrando die 23. Octobris in memoriam Christianissimi Regis Ludovici-magni, propter *Prob. hist. Als. p. 172.*

ANNI CHRISTI

propter felicem Argentinensis ecclesiæ hac die 1681. restitutionem, confirmavit eodem anno 1698. 18. Decembris. Denique obiit Parisiis in suo abbatiali S. Germani a Pratis palatio, 10. Aprilis 1704. ætatis suæ 74. Ejus depositum est corpus in eadem S. Germani in ecclesia, in capella sanctæ Margaritæ prope sepulcrum comitis Guillelmi de Furstemberg ejus nepotis, ubi hæc legitur inscriptio in tabula marmorea :

(margin: 1698. 1704.)

D. O. M.

Quicumque scriptum nomen hic legis nostrum,
Memento eodem condita esse sub saxo
Vicina nostri patrui ossa Guillelmi,
Quem, dum manebat vita, ut optimum gratus
Colui parentem, cuncta cui ipse debebam.
Meum est sepulcri nocte promere injusta
Virum, perenni dignum in ære servari.
De stirpe natus ille Furstembergensi,
Germanicique laude principis florens,
Argentinensis insulæ simul clarus
Honore sacro, purpuræque Romanæ;
Regalis hujus cœnobii pius rector,
Majus trahebat e suis decus factis.
Commendat illum recta mens, & invicta;
Et Ludovico experta rebus adversis
fides, paternum denique in suos pectus.
Notæ, viator, solve justa virtuti,
Et apprecare fausta manibus sanctis.

Obiit Guillelmus-Egon S. R. E. cardinalis; Landgravius a Furstemberg, die 10. Aprilis anno Domini MDCCIV. ætatis LXXIV.

(margin: DE ROHAN DE SOUBISE.)

LXXXV. Armandus-Gasto.

In lucem prodiit an. 1674. patre Francisco de Rohan in exercitibus regiis secundo * ab Imperatore, ex Anna de Rohan Chabot clara virtutibus principe. Tum vero decursis cum eximia laude Philosophiæ ac theologiæ studiis, jamque adeptus in Argentinensi ecclesia canonicatum, obtinuit a Clemente XI. papa mense Decembri an. 1700. privilegium ætatis, quo posset eligi coadjutor. Die igitur 28. Febr. an. 1701. fuit electus, ac mense Aprili, alio diplomate pontificio ejus electio confirmata est. Eodem quoque tempore summus Pontifex ipsum creavit episcopum Tiberiadis, seu Cæsareæ in Palæstina, ad quem titulum consecratus est episcopus die 26. Junii in ecclesia sancti Germani a Pratis a Guillelmo cardinali de Furstemberg, assistentibus & cooperantibus episcopis Laudunensi & Lingonensi. Anno 1703. mense Augusto Rex Christianissimus eum designavit abbatem Fusniacensem. Allectus est die 31. Januarii sequentis cœtui quadraginta virorum sub titulo academiæ Gallicanæ, in locum D. Perrault; quem etiam honorarium academia scientiarum & Inscriptionum socium habere se gloriatur. Die 5. Junii an. 1704. parentavit suo antecessori Guillelmo-Egoni cardinali de Furstemberg. Emit anno 1706. insignem bibliothecam Thuaneam a D. de Menars præside infulato senatus Parisiensis, quam in ædibus suis magno sumtu nuper exstructis intra septa palatii olim Guisiorum principum collocavit. Eodem anno Rex eum designavit cardinalem, qua tamen dignitate non prius a Clemente XI. papa insignitus est, quam die 8. Maii anno 1712. Tum etiam Rex anno seq. majoris Franciæ eleemosynarii munus ei contulit, pro quo, die 10. Junii ejusdem anni sacramentum dixit; eodemque tempore ordinis S. Spiritus commendator a Rege institutus est.

(margin: 1704. 1706. 1712.)

Eodem an. 1713. die 26. Junii, qua episcopus, statuta majoris ecclesiæ suæ capituli approbavit; qua vero cardinalis, adfuit Romæ trium summorum Pontificum electioni, annis scilicet 1721. 1724. & 1730. ac interim in sua cathedrali basilica Ludovicum XV. cum Principe Maria Lesczinska, filia Stanislai I. Poloniæ regis, die 15. Augusti anno 1725. matrimonio rite conjunxit; quam in rem quæ verba fecit, digna sunt prorsus, quæ legantur in historia Alsatiæ, pagg. 360. & 361. Abbatias quoque Monasterii in Argona, Casæ-Dei in Arvernis, S. Vedasti Atrebatensis possidet. Vivat optimus Princeps ad multos annos.

(margin: 1713. Prob. hist. Als. p. 181. 1725.)

* Lieutenant general.

PRÆPOSITI ARGENTORATENSES.

Præpositi jus præcipuum est singulos ecclesiæ cathedralis canonicos *investire*, conferre canonicatus ad S. Leonardum, excepto Reifflecfliano, necnon præbendam regalem, cum pluribus vicariis in ecclesia cathedrali, pluresque parochias & plurima feuda, &c.

I. Eberhardus vir nobilis, primus nobis occurrit præpositus anno 933. qui postea solitudinis amore pellectus, secessit ad Meginradicellam, quæ Augiæ subjecta erat, eamque amplificavit; de quo vide Mabillonium ad annum 933. n. 50.

II. Bruno I. cancellarius Henrici II. imperatoris, memoratur præpositus an. 1005. in charta Verinharii episcopi, de tradita sibi S. Stephani abbatia puellari.

(margin: Prob. hist. Als. p. 151)

III. Burchardus I. præposituram obtinuisse legitur ab anno 1089. ad 1104. interimque an. 1094. testis est in charta fundationis monasterii S. Fidei, seu Fidis Sceleftadii. Neque etiam alius est a Burchardo cognomento *de Hurningen*, qui anno 1100. nonnulla dedit suo capitulo.

(margin: Ibid. pag. 28.)

IV. Bruno II. comes de Lutzelburg decanus erat 1108. deinde fuit præpositus.

V. Adelgothus, Aldegotus & Agothus testis est in charta Gebehardi episcopi fundationem abbatiæ de Bongart, *seu* Baumgarten, confirmantis anno 1133. indict. x. & consecrantis ecclesiam XVIII. cal. Decembris. Reperitur adhuc

(margin: Ch. XIX. col. 477. & Ch. XXI. col. 481.)

1137. & 1143. in charta restaurationis ecclesiæ S. Arbogasti. A

VI. Rainaldus & Reinhardus I. tempore Burchardi Argentinensis episcopi anno 1153. Vide notitiam fundationis abbatiæ *de Bongart*. Vocatur autem præpositus S. Mariæ circa idem tempus in charta Ortliebi Basileensis episcopi pro ecclesia *de Beinwilre*.

Ch. xix. col. 477.

VII. Bertholdus I. de Merburg.

VIII. Conradus, de quo sic habet necrologium abbatiæ Parisiensis *de Peris* in diœcesi Basileensi; *Idibus Maii memoria D. Conradi præpositi Argentinensis, Adelchidis sororis ejus, & Udalrici de Eschibach filii dictæ Adelchidis, præpositi Lucernensis, qui nobis bona in Beinwilre, &c. contulere* 1168. B

IX. Bertholdus II. de Schwartzenberg 1185. & absque cognomine 1183. in charta Henrici episcopi pro fundatione prioratus de Rubiaco.

Ch. xxiv. col. 483.

X. Reinhardus II. 1190. in charta Conradi II. episcopi Argentinensis de collegiata Luterbacensi ecclesia.

Prob. hist. Als. p. 29.

XI. Albertus I. 1202. cujus tempore instituti sunt in Argentinensi ecclesia septem archidiaconi.

XII. Arnoldus 1209.

XIII. Reinhardus III. subscribit an. 1218. chartæ Henrici episcopi nonnulla bona ecclesiæ S. Arbogasti ab Heizelino episcopo eidem concessa confirmantis. Reperitur etiam in litteris ejusdem Henrici datis an. 1220. pro confirmatione monasterii Omnium Sanctorum in Nigrasilva; itemque 1226. IV. nonas Novembris in charta donationis marchionum *de Baden* facta ecclesiæ Argentinensi; & iterum eodem anno mense Decembri in quadam sententia definitiva Sigeberti comitis *de Werde* & Henrici filii ejus in gratiam ejusdem ecclesiæ. Cognominatur autem *de Burgel* an. 1228. superstes ad annum saltem 1233. C

Ch. xxi. col. 481. C. xxxvi. col. 496. Prob. hist. Als. p. 34. & 35.

XIV. Fridericus I. de Hanau comes, cum duobus ejusdem ecclesiæ canonicis fundator audit domus Prædicatorum, 1251. sub Henrico III. episcopo. D

XV. Waltherus 1252. & 1258. in chartis parthenonis d'Eschaw, quarum in altera cognominatur *de Geroldseck*.

XVI. Bertholdus III. de Ochsenstein 1261.

XVII. Fridericus II. Gallice *Ferry*, dynasta & baro de Liechtenberg 1279. & 1293. quo anno simul archidiaconus Metensis appellatur, in cujus videlicet carceribus detenti erant quidam nobiles bello capti, de quibus Burchardus episcopus Metensis in suis litteris datis hoc anno, die Assumtionis B. Mariæ Virginis, ex tabulario Lotharingiæ, *Rosieres, Salines, 1*. Occurrit adhuc præpositus annis 1296. & 1298. fratrique suo Conrado successit in episcopatu anno seq. E

XVIII. Johannes I. de Florchinge, ex præposito electus est episcopus Argentinensis post obitum Friderici de Liechtenberg an. 1306. sed effectu caruit ejus electio. Adhuc autem reperimus præpositum an. 1308. qui tamen in Alsatiæ historia paucis post electionem in episcopum diebus fato suo functus dicitur.

XIX. Gerhardus comes de Fribourg erat præpositus ann. 1311. 1313. & 1323. de quo vide in abbatia de Pomario, seu *de Bongart*. An. 1328. ab una capituli parte electus est episcopus, sed incassum; eoque defuncto 1337. die S. Petronillæ, ex Guillelmanno in episc. Argentinensibus, pag. 353. magnum schisma exortum est in capitulo ob duplicem electum præpositum. De utroque quid actum sit, dicendum.

XX. Udalricus de Signowe Bertholdi episcopi nepos ex sorore, electus ab una parte capituli præpositus, confirmatur ab avunculo; Johannes vero de Liechtenberg ab alia parte nominatus, suam accepit confirmationem ab archiepiscopo Moguntino; sed Udalricus tandem paulo post cedere coactus est, episcopo ea conditione libertatem suam recuperante; postea tamen Udalricus restitutus est.

XXI. Johannes II. de Liechtenberg in discordia, uti modo dictum est, electus, vi prævaluit hac vice contra Udalricum; at paulo post, sententia Benedicti papæ XII. a præpositura dejectus est, in qua tamen stetisse videtur; donec Imperatoris judicio, cum Ulrici comitis de Wirtenberg, & duorum comitum d'Oettingue consilio, præpositura Udalrico restituta fuit; Johanni vero de Liechtenberg præcentoria dignitas collata beneficio Bertholdi episcopi, cui tandem in episcopatu successit an. 1353.

XXII. Udalricus de Signowe, idem qui supra, occurrit præpositus an. 1349. quo forsasse mortuo

XXIII. Johannes de Liechtenberg iterum præpositus evasisse videtur; nam anno 1350. Ademarus de Monteil episcopus Metensis eidem Johanni præposito, & Simoni ejus fratri Novumvillare oppignorasse legitur. Albertus vero Argentinensis in suo chronico apud Urstisium scribit eum a Balduino Trevirensi archiepiscopo in spiritualibus & temporalibus administratorem & vicarium ecclesiæ suæ Trevir. deputatum circa 1349. ubi, quod ad rem nostram pertinet, prædictus Johannes in Argentinensi ecclesia, præposituram, decanatum, cantoriam & pincernatum simul tenere dicitur, pag. 153. at vero pag. 160. tenere dicitur præposituram & decanatum in lite, cantoriam vero & pincernatum sine lite; ac denique in gestis Bertholdi episcopi Argentin. apud eumdem Urstisium, pag. 179. vocatur Johannes præpositus & Regis secretarius. Successit tandem in Argentinensi cathedra, uti jam diximus, Bertholdo episcopo, anno 1353.

XXIV. Ludolfus, *sive* Lutoldus de Krenckingen, antea canonicus, erat jam præpositus an. 1354. in Quadragesima, & adhuc anno saltem 1360.

XXV. Johannes III. de Kiburg, quem *Hannemannum* vulgo nominabant, antea decanus, præpositus erat 1362. quo anno cum Johanne episcopo & capitulo statuta condidit pro residentia canonicorum. Memoratur & 1366. quo circiter anno ab una capituli parte in successorem Johannis episcopi electus est.

XXVI. Amandus de Kiburg magnas exercuit A simultates cum Johanne de Ochsenstein decano, quem an. 1370. in carcerem summo cum dedecore trahi præcepit. Sed urbis senatus vice repensa præposito, eum etiam carceri mancipari jussit, ubi per annos duos detentus est. Hoc autem R. P. Laguille in Alsatiæ historia Johanni de Kiburg superiori attribuit, non Amando, quem omittit.

XXVII. Hugo de Rapolstein, *seu* de Ribeaupierre, & aliquando *de Rupe*, dynasta Spoletanus, præposituram obtinebat circiter an. 1383. ex Alsatiæ historia, part. 1. pag. 314.

XXVIII. Burchardus II. comes de Lutzelstein, B *seu* de la Petite-Pierre, reperitur an. 1389. deinde præsul Argentinensis eligitur loco Friderici de Blanckenheim translati an. 1393. ad sedem Ultrajectinam; sed coactus cedere Guillelmo de Dietsch, paulo post ad nuptias convolavit.

XXIX. Crispinianus I. de Ochsenstein factus dicitur præpositus ex cessione Burchardi.

XXX. Johannes IV. de Ochsenstein præpositum agebat 1395. & 1415. quo anno graviter conquestus est de Guillelmi episcopi vexationibus; quamobrem iniit societatem cum Hugelmanno de Vinstringen decano, Friderico de Zollern camerario, Sigismundo de Liechtenberg C scholastico & aliis canonicis die 22. Decembris anno prænotato. Item an. 1419. die 17. Augusti subscripsit litteris, quibus capitula, majoris ecclesiæ, S. Thomæ, S. Petri Junioris & S. Petri Senioris ad prædictam unionem, seu societatem accedebant. Denique an. 1439. eligitur senex in episcopum ab una capituli parte, contra Conradum de Busnang, quibusdam Alsatiæ baronibus & toparchis ad id impellentibus; sed ista electio caruit effectu.

XXXI. Crispinianus II. dux Bavariæ, 1440.

XXXII. Henricus I. dux Bavariæ, 1441.

XXXIII. Albertus II. dux Bavariæ, 1448. D

XXXIV. Johannes V. de Ochsenstein cum

Prob. hist. Als. p. 73. toto Argentinensis ecclesiæ capitulo, immunitatem ac libertatem civitatis Argentinæ scripto suo attestatur an. 1452. die Jovis 17. Augusti.

XXXV. Rupertus, *seu* Robertus dux Bavariæ, frater Friderici comitis Palatini, 1457. postea Coloniensis archiepiscopus.

XXXVI. Albertus III. dux Bavariæ, Roberti consanguineus, 1462. deinde episcopus Argentinensis 1478.

XXXVII. Johannes VI. dux Bavariæ Alberto fratri in præpositura successit an. 1478.

XXXVIII. Philippus I. dux Clivensis, ad E quem exstat diploma pontificium Innocentii VII.

Rainald. tom. XIX. datum an. 1485. Reperitur & an. 1487.

XXXIX. Philippus II. de Dhune, *seu* de Lapide-superiori, dominus de Oberstein, præpositi munus gerebat 1499. & 1506. in electione Guillelmi episcopi, apud Guillimannum in episc. Argentinensibus, pag. 436.

XL. Fridericus III. dux Bavariæ 1509.

XLI. Balthasar, per cujus cessionem

XLII. Henricus II. dux Bavariæ præpositus a Leone papa X. institutus est anno saltem 1520. & adhuc erat 1543. si fides habenda schedis nonnullis Argentinensibus. Sane fuit episcopus Vormatiensis, Ultrajectensis, & Frisingensis, necnon præpositus Elwangensis & Aquisgrani.

XLIII. Philippus III. a Dhuyn, de Daune vel Dune, dominus de Oberstein, canonicus Moguntinensis & præpositus Argentinensis, resignavit anno 1543. ut uxorem duceret. Ita Georgius-Christianus-Johannis in syllabo pleniore canonicorum Moguntinensium.

XLIV. Fridericus IV. comes Palatinus Rheni 1544.

XLV. Richardus comes Palatinus Rheni 1547. 68. & 69. quo anno ambivit episcopatum, sed cum eo frustratus esset, statim hoc ipso anno Lutheranus factus uxorem sibi copulavit.

XLVI. Christophorus Ladislaus comes de Nellenburg, dominus de Tingen, *vel* Tengen, a Pio papa V. creatur præpositus anno 1569. cujus tempore, an. 1586. reperitur præpositus Georgius comes de Seyn & Witgenstein, hæresi Calviniana, aut Lutherana, ut videtur, infectus. Sane Christophorus memoratur adhuc 1583. 1589. & 1591. quo anno e vivis excessit catholicus, apud S. Petrum prope Oberkirch, die 19. Maii.

XLVII. Ferdinandus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, electus est a catholicis mense Novembri an. 1591. quo tempore canonici Protestantes Joachimum-Carolum de Brunswick nominarunt. Occurrit adhuc præpositus annis 1603. 1604. & 1616.

XLVIII. Ittelius Fridericus, *sive* Euthelius, *Eitel*, cardinalis de Hohenzollern, præpositus Argentinensis, Coloniensis & Magdeburgensis, necnon episcopus Osnabrugensis 1618. obiit 1625. 19. Sept. Hoc ipsius epitaphium legitur in chronico Constant. Jacobi Merck, pag. 381.

Eitelio Friderico Zollerano
Comiti, principi, episcopo, cardinali;
Germaniæ oculo, sed heu jam clauso,
Jam purpurato cineri, jam nulli,
Violentia superûm, qui præpropere transcripsere cælo,
Quem grandiorem putavere terris.
Desideratissimo fratri
Johannes princeps & comes Zolleranus;
Mæstus posuit & invitus:
Neque enim velle potuit eum tegi,
Quem spectari oportuisset, usque & usque & usque.
Concessit Osnabruggi sede sua pontificia anno Christi 1625. die 19. Septemb. ætatis suæ 43.

XLIX. Maximilianus-Henricus dux Bavariæ, archiepiscopus Colon. præpositus Argentinensis, Magdeburg. & Constantiensis, 1626. & 1633. quo anno interfuit translationi sancti Engelberti Coloniensis archiepiscopi, ubi dicitur etiam coadjutor Hildesiensis & Berchtesgadensis. Reperitur adhuc præpos. Argentinensis annis 1635. 44. 45. 69. & 1687.

L. Franciscus Bernhardus princeps Nassoviæ ex decano fit præpositus.

LI. Henricus Oswaldus de la Tour d'Auvergne Friderici Mauricii de la Tour comitis Arverniæ filius, ex Henrica Francisca de Zollern filia unica Friderici principis de Hohenzollern & Elisabethæ marchionissæ de Berg-op-zoom, erat præpositus 1692. de quo in probationibus, A hist. Alsatiæ ad ann. 1713. & 1721. pag. 181. & 184. Nunc etiam est archiepiscopus Viennensis, ac jam dudum Cluniacensis abbas, sancti Salvatoris de Rothono, & Conchensis in Normannia.

DECANI ARGENTORATENSES.

Prob. hist. Alf. p. 25. I. ERBO, *seu* ERBANUS reperitur decanus an. 1005. in charta Verinharii episcopi, de tradita sibi S. Stephani abbatia puellari.

B II. Carolus decanus tempore Werneri II. episcopi anno circiter 1065. restituit monasterium S. Arbogasti pro canonicis Regularibus, cujus fuit primus præpositus. Eo videlicet, post capituli regularem statum mutatum in secularem, convenerunt canonici, qui arctiorem vitam laxiori præferebant. Vide nostra in appendice.

Ch. XXI. col. 481. III. Bruno comes de Lutzelburg decanus erat an. 1108. deinde præpositus.

IV. Gotfridus decanus an. 1143. testis occurrit in charta restaurationis ecclesiæ sancti Arbogasti. Ibid.

Ch. XIX. col. 477. V. Petrus an. 1153. tempore Burchardi episcopi, vide nostra inter instrumenta chartam seu notitiam fundationis abbatiæ *de Bongart*.

Ch. XXIV. col. 483. VI. Frivo, *vel* Frico 1178. & 1183. vide chartam Henrici episcopi pro fundatione prioratus de Rubiaco.

Ch. XXI. col. 481. VII. Wernhardus 1218. in charta Henrici episcopi pro S. Arbogasti ecclesia.

VIII. B. decanus, tanquam domini Papæ judex delegatus, cum F. cantore ejusdem ecclesiæ memoratur an. 1221. in quadam sententia arbitraria, quam vicem ejus fideliter gerens scholasticus major ejusdem ecclesiæ protulit. Datæ sunt hæ litteræ B. decani mense Julio anni prænotati, ex Vindemiis litterariis Schannatii, pag. 142. Reperitur & an. 1226. in donatione marchionum de Baden facta ecclesiæ Argentinensi. Cognominatur vero *de Ochsenstein* an. 1232. in charta donationis eidem ecclesiæ per Henricum comitem de Werda factæ; & integro nomine *Bertholdus* simul decanus Argentinensis & præpositus Honaugiensis 1244. 50. 57. & 1260. quo anno ne ab urbe cum episcopo recederet, attulit senium & infirmam valetudinem pro excusatione. (Prob. hist. Alf. p. 34. Ibid. pag. 35. Hist. Alf. pag. 234.)

IX. Marquardus de Entringen reperitur an. 1288. cum episcopo Conrado in charta parthenonis d'Eschaw, & 1296. cum Friderico præposito in charta Conradi episcopi pro Aprimonasterio.

X. Henricus I. 1313. & 1323. in chartis abbatiæ *de Bongart*, idem profecto ac Henricus comes de Lupffen decanus an. 1328.

XI. Waltramus de Veldenz decanus Argentinensis, ac præpositus Spirensis, postea Spirensis episcopus.

XII. Fridericus I. de Richenberg fundator præbendæ sacerdotalis, cui successit

XIII. Johannes I. de Schwarzenburg 1340. de quo vide Guillimannum, pag. 360. & hist. Alsatiæ, parte 1. pag. 282. necnon Albertum Argentinensem de gestis Bertholdi episcopi Argentinensis, apud Urstisium, pag. 174.

XIV. Conradus de Furstemberg innotescit ex necrologio Lucidæ-vallis, abbatiæ puellaris, dioec. Spirensis, ubi sic habetur: *IX. calend. Febr. an. 1346. illustris Conradus de Furstenberg decanus ecclesiæ Argentinensis, qui legavit conventui Lucidæ-vallis centum libras Argentinensis monetæ.*

XV. Johannes II. de Liechtenberg tempore Clementis papæ VI. 1349. de quo vide historiam Alsatiæ, part. 1. pag. 288.

C XVI. Johannes III. & Hammannus, *al.* Hannemannus, comes de Kiburg 1358. postea præpositus.

XVII. Johannes IV. de Ochsenstein 1362. in statutis de residentia canonicorum, & 1366. quo circiter anno, post Johannis episcopi mortem, in successorem ab una parte capituli electus est; iterumque post translationem Lamberti ad episcopatum Bambergensem 1375. sed utrobique incassum. Hoc autem anno decanum legimus Eberhardum de Kirchberg Burggraff, fortasse per cessionem Johannis in episcopum electi, qua electione locum non habente, ipsa quoque Eberhardi caruit effectu. Sane Johannes D adhuc decanatum possidebat an. 1386. sed hoc anno in prælio contra Suevos occidit.

XVIII. Henricus II. de Hohenhoven 1390.

XIX. Volmarus de Lutzelstein capituli nomine an. 1395. conventionem cum Episcopo fecit. Hist. Alf. part. 1. pag. 318.

XX. Hugelmannus de Vinstringen reperitur jam an. 1395. & adhuc 1414. & 1415. quo cum urbis magistratu consilio inito Guillelmum episcopum carceri mancipari fecit. Ea re ad concilium Constantiense delata, inierunt societatem Johannes d'Ochsenstein præpositus, Hugelmannus decanus, Fridericus de Zollern camerarius, E Sigismundus de Liechtenberg scholasticus, & alii canonici die 22. Decembris an. 1415. suasque adversus Episcopum querelas scripto mandarunt; ac postridie abbates, priores, archipresbyteri & clerus Argentinensis huic societati accesserunt. Postea tamen concilium Hugelmanno decano & aliis nonnullis minatum est excommunicationem, nisi Guillelmus episcopus dimitteretur intra duodecim dies numerandos a decima Martii, qua die promulgata fuit hæc comminatio. Cum ergo post elapsum hoc spatium adhuc detineretur episcopus, omnes vinculo excommunicationis

innodati sunt, a qua tamen, die 23. Julii ejusdem A anni 1416. absoluti fuerunt sententia commissariorum; verum die 6. Nov. an. 1417. auctoritate concilii Hugelmannus, & alii quidam incarcerationis episcopi auctores majorem incurrisse excommunicationem declarati sunt; a quo tempore, quamvis prædicta societas a Martino V. confirmata fuerit v. idus Decembris ejusdem anni, & idcirco eidem accesserint capitulum ecclesiæ cathedralis, S. Thomæ, S. Petri Junioris & S. Petri Senioris 17. Augusti 1419. litteris ea de re scriptis alter quidem excommunicatorum Fridericus de Zollern camerarius subscripsit, cum Johanne de Ochsenstein præposito, sed B minime Hugelmannus, quod probat eum interim obiisse.

XXI. Henricus III. de Howen præpositus Constant. & Argentinensis ecclesiæ decanus, postremo in Constantiensem episcopum electus est an. 1436. die 4. Aug.

Pol. hist. Als. p. 72. XXII. Johannes IV. comes de Helffenstein libertatem civitatis Argentinæ scripto attestatur an. 1452. 17. mensis Augusti. Reperitur & anno seq.

XXIII. H. decanus in bulla Calixti papæ III.

XXIV. Hoyerus, *al.* Hieronymus comes de Barby-Mulingen occurrit præpositus annis C 1506. 1507. & 1508. Obiit 1521.

XXV. Sigismundus de Hohenloe, dictus simpliciter canonicus anno 1506. in electione Guillelmi de Honstein episcopi, erat præpositus circa annum 1524. quo tempore Novatorum partes secreto tuebatur.

XXVI. Fridericus II. comes de Beuchlingen 1539.

XXVII. Johannes Christophorus comes de Zimbern 1544. & 1546.

XXVIII. Cuno comes de Manderscheit 1569. in electione Johannis episcopi & 1571.

XXIX. Gebhardus comes de Truchsés- D Walbourg, Argentinensis decanus & archiepiscopus Coloniensis, hæreticam pravitatem amplexus, uxorem duxit an. 1582.

XXX. Fridericus III. de Saxe, post Gebhardum exauctoratum electus est decanus mense Julio an. 1584.

XXXI. Franciscus I. comes de Crehange, *seu* Creichingen & Putingen, reperitur decanus an. 1592. in electione Caroli episcopi. Vide Guillimannum, pag. 460. & hist. Alsatiæ, p. 2. pag. 67. & 77. Item occurrit an. 1599. & circa 1609. Catholicæ fidei defensor acerrimus.

XXXII. Otto Ludovicus Rhingravius, Coloniensis & Argentinensis comparate decanus circa 1628. Idem fortasse ac Otto Ludovicus comes Silvestris, decanus an. 1645. Quod si constaret, Francisco sequenti subjiciendus esset.

XXXIII. Franciscus-Ernestus de Creichingen obiit an. 1634. mense Augusto.

XXXIV. Franciscus II. dux Lotharingiæ, decanus Argentinensis & episcopus Virdunensis, cui simul Coloniensi præposito & episcopatus Argentinensis administratori generali Johannis Moscherosch suum episcoporum Argentinensium catalogum anno 1651. nuncupavit.

XXXV. Philippus I. Salentinus comes de Manderscheit 1675.

XXXVI. Ignatius-Eusebius comes a Konigseck decanatum adeptus an. 1680. die 12. Junii, vix annuo spatio ea dignitate potitus est.

XXXVII. Franciscus Bernhardus princeps de Nassovia, ex Hadamarensi linea, successit an. 1681. die 9. Maii. Memoratur anno seq. in electione Guillelmi Egonis de Furstemberg episcopi, & adhuc 1684.

XXXVIII. Philippus II. comes de Lowenstein princeps Murbacensis an. 1698. die 4. Octobris cum toto capitulo statutum condit pro celebranda singulis annis die 23. Octobris, festivitate in memoriam restitutæ Catholicis ecclesiæ cathedralis. *Pol. hist. Als. p. 171.*

XXXIX. Johannes-Ernestus comes de Lowenstein præcedentis frater 1713. deinde episcopus Tornacensis. *Ibid. pag. 181.*

XL. Fridericus Constantinus princeps ab Arvernia, frater Henrici Oswaldi præpositi, ex canonico eligitur decanus per cessionem præcedentis, die 22. Junii an. 1722.

HODIERNI CANONICI CAPITULARES.

I. HENRICUS OSWALDUS princeps ab Arvernia, archiepiscopus Viennensis in Delphinatu, Argentinensi præpositura gaudet.

II. Fridericus Constantinus princeps ab Ar- E vernia, superioris frater, decanatum obtinet.

III. Johannes Mauricius comes de Manderscheidt-Blankenheim, episcopus Neustadiensis, modo designatus archiepiscopus Palermensis in Sicilia.

IV. Fridericus comes de Manderscheidt-Blankenheim, custos, sive thesaurarius Argentinensis, & metropolitanæ Coloniensis ecclesiæ decanus, ejusdemque diœceseos locum tenens generalis.

V. Franciscus Ernestus comes de Salm & Reifferscheit, &c.

VI. Petrus de Pardaillan de Gondrin, comes d'Antin, episcopus & dux Lingonensis.

VII. Josephus-Sigismundus comes de Konigsegg & Rothenfels, scholasticus.

VIII. Armandus Julius princeps de Rohan, camerarius, archiepiscopus Remensis.

IX. Carolus-Ernestus-Josephus Truchsesius, comes de Zeyl.

X. Ferdinandus-Leopoldus comes de Hohenzollern-Sigmaringen.

XI. Fridericus-Ernestus comes de Salm & Reifferscheit.

XII. Maximilianus-Fridericus comes de Konigsegg & Rothenfels.

CANONICI DOMICELLARES SUNT

I. LUDOVICUS-FRANCISCUS comes de Bentheim, Tecklenburg, Steinfurt & Limburg. A

II. Michaël-Ferdinandus d'Albert d'Ailly, comes de Chaunes.

III. Armandus princeps de Soubize, comes de Tournon.

IV. Franciscus-Josephus comes de Manderscheidt-Blankenheim.

V. Josephus-Carolus Truchsesius, comes de Zeyl.

VI. Franciscus-Augustus, princeps de Rohan, comes de Ventadour.

VII. Philippus-Ernestus princeps de Lowenstein.

VIII. Josephus-Antonius comes de Hohenloë.

IX. Franciscus-Antonius comes de Hohenzollern-Sigmaringen.

X. Ferdinandus-Augustus comes de Hohenloë.

XI. Constantinus Landgravius Hassiæ.

Duodecimus locus domicellaris canonico Gallo debitus vacat.

DE MONASTERIIS DIŒCESIS ARGENTORATENSIS.

PLura sunt, quæ a suo primævo statu defecerunt, quam quæ illibatum servaverunt. De illis primum more nostro dicemus, postea de istis.

Ord. S. Bened. I. SURBOURG * Sour.

SURABURGENSE monasterium, olim Germanice dictum *Heiligsforst*, id est, *Sancta-Silva*, quod a proximo amne Sura * nomen accepit, sub Dei-paræ Virginis & S. Martini Turonensis episcopi patrocinio conditum est in inferiore Alsatia, octo circiter leucis ab Argentina civitate, in colle ad cujus pedem discurrit amnis Sura, qui pervadit silvam Hagenoæ, dictam olim *Silvam-sanctam*, quod illam plurimi sancti incoluerint. Conditum est, inquam, a Dagoberto II. Austrasiorum rege, precibus sancti Arbogasti Argentinensis episcopi, qui ante initam episcopalem dignitatem hunc locum suo secessu illustravit. In libello societatum Augiensium laudatur *Hildimundus abbas ex monasterio Saraburc;* quod subinde factum est præpositura, jam anno saltem 1273. ac simul fortasse ad canonicos seculares defecit.

II. HASELAC.

HASELACENSE tribus a Molsheimio leucis, & sex ab Argentorato, ad rivum, qui vocatur *Hasel*, & in Bruscham illabitur, a S. Florentio Arbogasti in Argentinensi cathedra successore originem accepit. Is nempe cum in Hasela silva Montis Vosagi ad Bruscham fluvium solitarius degeret, Dagoberto II. regi innotuisse dicitur in Kirchimensi palatio tunc residenti, qui ipsius sanctitate & virtutibus tactus, amplissimum ei fundum in illa silva, ex qua, vel amniculo ejusdem nominis, Haselacensi monasterio vocabulum inditum est, concessit. In prædicto necrologio Augiensi laudatur ex monasterio *Hasala* Victor abbas. Jam dudum quoque in collegium canonicorum secularium mutatum est.

III.

CELLA S. SIGISMUNDI (sic primitus nomen ferebat) proxime Rubeacum, *vel* Rubiacum *Rouffac*, itidem in Alsatia excitatur tempore Dagoberti II. Austrasiorum regis, eidemque primus abbas præficitur Immerius, vir doctrina non minus, quam virtutibus celebratus, quem & sanctorum albo adscribunt. Ita R. P. Laguille post Jodocum Coccium, qui mortem Immerii consignat an. 668. & post illum aliquot recenset abbates. Legimus tamen apud Mabillonium, lib. 59. Annal. num. 63. fundatum fuisse hunc locum pro sacris virginibus. Et hoc quidem attestatur Bertholdus episcopus Argentin. an. 1238. charta in appendice relata. B

Ceterum monasterii rebus in deteriora collapsis, a Leone papa IX. dum illas partes lustraret, consecrata est nova basilica, addito titulo S. Marci, & in præposituram, seu prioratum locus degeneravit, qui S. Georgii * monasterio in Hercinia silva posito hactenus subjectus est, ab an. saltem 1238. ex charta Bertholdi episc. superius laudata & ex altera Henrici episc. an. 1258. C

* *S. Blas. ex Mabill. sed male.*

IV.

S. THOMÆ cœnobium apud Argentoratum, a S. Florentio S. Arbogasti episcopi Argentoratensis successore pro Scotis conditum est; cujus ecclesiam Willelmus episcopus an. 1031. consecravit, ex Fragmento historico apud Urstisium, pag. 83. cum jam dudum, anno scilicet 830. seculari toga donatum esset. An. 1144. ecclesia conflagravit, in cujus incendio perierunt instrumenta omnia, chartæ, diplomata; sed an. 1163. Fridericus I. imperator hanc abbatiam in tutelam imperii recepit, & variis donavit privilegiis. Verum a tempore, quo civitas imbibit venenum Lutheranæ hæreseos, hujus capituli præbendæ inserviunt professoribus Protestantium per magistratum urbis attributæ. D

V.

HONOVIENSE & HONAUGIENSE sic dictum ab insula Rheni Honovio, *sive* Honaugia, in qua, duabus circiter infra urbem Argentoratum leucis, fundatum est in honorem S. Michaëlis ab Adalberto fratre S. Othiliæ, ex traditione vulgari, ac proinde ante annum 723. quo jam obierat Adalbertus, ibique monachi Scoti, non canonici, instituti sunt, ut probant

vetera ejus loci documenta ; in quibus dux Adalbertus, ejusque propinqui ac posteri fundum ac dotem condendo monasterio suppeditasse, Benedictus vero abbas illud construxisse traditur. Jam autem seculo nono ad seculares canonicos deflexerat hoc monasterium, cum Carolus imperator, cognomento Crassus, ejus possessiones confirmavit. Deinde anno 1290. relicta priori sede ob frequentes Rheni adluviones incommoda, canonici, de consensu Conradi III. episcopi Rhinoviam *Rheinau* ad ripam Rheni sex leucis supra Argentoratum, translati sunt; ac postremo in urbe Strasburgensi ad S. Petrum Seniorem anno 1398. ex permissu Guillelmi II. episcopi consederunt. Sequuntur aliquot abbates.

BENEDICTUS memoratur abbas in donatione facta monasterio a Luitfrido & Eberhardo filiis Adalberti ducis anno tertio regni Theodorici regis, hoc est an. 723. III. idus Decembris. Jodocus Coccius* diploma refert ipsius Theodorici regis, Liutfrido duci & Eberhardo domestico, ac venerabili in Christo patri Benedicto abbati inscriptum, quo Rex novi monasterii regimen eidem committit Benedicto, quem etiam Tubanum vocat, eique commendat hunc locum, ejusque congregationem, *ac sanctam regulam & stabilitatem monachorum*. Exstant & aliæ ejusdem anni 723. factæ monasterio donationes, quarum in altera XI.* calend. Julii data Benedictus, *vel* Tubanus abbas dicitur, & in altera mensis Octobris solius Benedicti nomen reperitur. Denique in charta Caroli-magni pro eodem monasterio data mense Junio, regni ejus XIII. dicitur Benedictus episc. hoc cœnobium in honorem S. Michaëlis novo construxisse opere, & ibidem ipse venerabilis pater corpore requiescere.

(Prob. hist. Alſ. p. 5.) (* Dagob. pag. 132.) (* Prob. hist. Alſ. pag. 8.) (Ibid.)

Dubanus *episcopus vel abbas* dicitur *de monasterio Hohenaugia in pago Alsacense super fluvium Rhenum, quod est constructum in honore S. Michaëlis & S. Petri & S. Pauli, &c.* in charta Pipini regis, monasterii privilegia confirmantis. Idem quoque Dubanus episcopus subscripsit chartæ fundationis monasterii de Arnulfiauga anno circiter 750.

(Ibid. pag. 7.) (Ch. II. col. 458.)

Stephanus abbas privilegium obtinuit a Carolomanno mense Martio an. regni ejus secundo. (Prob. hist. Alſ. p. 6.)

Beatus nova privilegia obtinuit a Carolo-magno, mense Martio anno regni ejus decimo-tertio. Ipse vero Beatus anno decimo ejusdem Caroli regis, XI. cal. Julias erga suum monasterium se munificum præbuit. (Ibid. pag. 9.) (Ibid. pag. 6.)

Ægidanus & Thomas annumerantur etiam inter primos hujus loci abbates.

VI. NEUWILLERS.

NOVA-VILLA, *seu* NOVUM-VILLARE, monasterium Alsatiæ in ingressu Montium Vosagi, ad amniculum, qui vallem irrigans locum peramœnum reddit, suam originem debet S. Pirminio plurimorum aliorum fundatori, dotationem vero & impensas Sigibaldo Metensi episcopo ; quanquam Bucelinus fundationem hanc adscribit Ruthardo Agilolphingo Alsatiæ principi & Irmesindi ejus conjugi in gratiam ejusdem Pirminii, quod quidem de ipsorum consensu & approbatione intelligendum videtur. Ecclesia primitus in honorem SS. apost. Petri & Pauli a prædicto Sigibaldo condita est, quibus subinde alter patronus accessit S. Adelphus, *seu* Adolfus episcopus Metensis, cujus corpus anno 846. Drogo sedis ejusdem antistes hanc in ecclesiam transtulit. Mutatum vero cœnobium an. 1495. in collegium canonicorum secularium auctor est Trithemius, 1497. R. P. Laguille, curante, inquit, Alberto episcopo apud Alexandrum VI. postquam incassum laboraverat, ut illud reformaret. Subjicimus aliquot abbates.

S. PIRMINIUS primus auctor cœnobii; primus etiam illud rexisse dicitur.

Ratramnus, de quo legitur in libello societatum Augiensium pervetusto : *Ex monasterio Novo-villari Ratramnus abbas.*

Ascelinus abbas Novi-villaris subscribit litteris Adalberonis IV. episcopi Metensis, datis anno MCXI. III. nonas Martii pro Senoniensi monasterio & Antonio abbate. Pro Ascelino Walonem habet Mabillonius.

Richuinus fundator parthenonis Sindelsbergensis prope Mauri-monasterium, cujus ecclesia consecrata est an. 1137. postea fuit abbas Novi-villaris. (Hist. Alſ. pag. 189.)

Johannes abbas & conventus Novi-villaris rogant Henricum Barri comitem, ut cœnobium in suam tutelam suscipiat, ex ejus litteris authenticis datis an. 1221. IX. cal. Junii, indict. IX.

Albertus abbas Novi-villaris renovat societatem cum Folmaro S. Naboris abbate an. 1330. & iterum 1335.

Burchardus 1416. vide in Schuttera.

Hugo de Fegersheim ultimus abbas an. 1488. Obiit 1499. sub quo versum est cœnobium in præposituram canonicorum.

VII.

ANALESBERGENSE in Alsatia monasterium mediante seculo X. condidit Baltrannus, abbas, qui quod de loci subjectione duo vicini episcopi, Metensis videlicet atque Argentinensis concertarent, relicto loco ad Lutram se recepit, ab Ottone rege obtenta facultate illuc suam congregationem transferendi. De Baltranno plura in cœnobio Lutrensi diœcesis Vesontionensis.

VIII. SELTZ.

SALETIO, *seu* SELSA nomen est urbis in Alsatia inferiori liberæ & imperialis, inter Saverem* & Seltbachium amnes, in qua monasterium ord. S. Benedicti, quod ab ipsa urbe nomen habet, Adhelais imperatrix Ottonis magni conjux fundavit duodecim ante suum obitum annis, hoc est 987. in honorem SS. apost. Petri & Pauli ; quam deinde fundationem Otto III. imperator confirmavit suo diplomate dato die 4. Jan. an. 992. quod vide-sis inter probationes hist. Alsatiæ R. patris Laguille, pag. 23. Exstant ibidem, pag. 45. litteræ Henrici episcopi Argentinensis, ex quibus liquet hoc monasterium ignis incendio fere totaliter destructum fuisse ab Universitate Argentinensi, verumtamen ab eadem

(* Saur.)

competenter de damnis hujusmodi satisfactum. Datæ sunt in festo S. Medardi an. 1258. Anno vero 1309. Henricus VII. imperator abbatem hujus monasterii, quod ad ordinem Cluniacensem pertinuisse legimus, Sacri Romani imperii principem renuntiavit. Postea Rhenus monasterium cum ecclesia, in qua piissima fundatrix mortua 999. die 16. Decemb. honorifice condita est, suis undis absorbuit; tandemque an. 1485. *al.* 1500. versum est in præposituram secularem, cujus canonicis haud multo post novam Lutheri sectam amplexis, quod superfuit ex reditibus, beneficii nomine cessit Patribus Societatis Jesu in urbe Argentina, favente Ludovico XIV. necnon Guillelmo de Furstemberg cardinali & episcopo. Hos tantum reperimus abbates.

EZZEMANNUS & ECEMANNUS hoc monasterium primus gubernavit, de quo hæc S. Odilo Cluniacensis abbas in vita S. Adhelaidis: *Ante duodecimum circiter sui obitus annum, in loco, qui dicitur Salsa, urbem decrevit fieri sub libertate Romana, quem affectum postea ad perfectum deduxit effectum. In ipso etiam loco monasterium a fundamentis miro opere condidit, & ad honorem Dei & apostolorum principis, tertio imperante Ottone nepote suo inpræsentiarum secum adstante, XIV. cal. Decemb. augustissime & devotissime a Wideraldo Argentinæ civitatis episcopo consecrari jussit. Et ut majori auctoritate per succedentia tempora esset ille sacer locus subnixus, cum præfato Cæsare est etiam episcoporum conventus a sæpe dicta Adheleida augusta, ipsius Cæsaris avia, convocatus. In ipso vero monasterio claustrum monachis satis aptum præparavit, & secundum regulam S. Benedicti ordinare decrevit. Abbatem ibi præfecit, nomine Eccemagnum*, al. *Ezzemannum, boni testimonii virum, humana scientia & divina sapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit assidue præceptorem. Ipsum vero monasterium adeo dotavit, & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro & gemmis, & vestibus pretiosissimis, aliisque variis ornatuum supellectilibus, ut nihil deesset illo in loco Deo famulantibus.* Inde vero Mabillonius Ecemannum hunc esse putat, cui Gerberti epistola XXI. inscribitur his verbis: *Ecemanno palatino monacho*, cujus fidem constantem laudat. *Neque enim*, inquit, *domus admirabilis feminæ te aliter carum haberet.* Vocatur autem Cremannus abbas in præcepto tuitionis quod obtinuit ab Henrico II. imperatore anno 1002. indict. I. quarto cal. Octobris. Illud exstat in prob. hist. Alf. p. 23.

Gerbertus abbas hujus loci, *piæ memoriæ vir* appellatur a S. Odilone Cluniacensi abbate in libro de miraculis S. Adhelaidis imperatricis & fundatricis.

Rupertus ex Hirsaugia huc missus abbas dicitur sub finem XI. seculi, aut initium XII.

Walterus I. abbas Selsensis mense Julio anni 1144. adfuit celebri apud Argentinam conventui, per Conradum regem convocato; testisque fuit eodem anno in sententia ejusdem Conradi pro Rudolfo II. Einsidlensi abbate contra Uldericum A de Lenzenburg & cives de Swites.

Johannes I. de Fleckenstein ex abbate hujus loci creatus est episc. Basileensis anno circiter 1423. cum facultate sibi a summo pontifice facta annuo abbatiæ vectigali perfruendi, uti legitur in *Basilea sacra*.

Henricus a Dugesheim occisus est ab Henrico de Kiburg an. 1434.

Johannes II. Gros Salsiensis abbas ad Rhenum an. 1441. dilapidationis accusatus, secularium principum gratiam aucupatur, pro quo tamen coërcendo, Cluniacensis abbas Odo commissarios eodem anno constituit Priores S. Albani Ba- B sileensis, & S. Morandi ejusdem diœcesis. Adhuc tamen Johannes memoratur abbas an. 1446.

Walterus II. de Gemmingen ultimus abbas; primusque præpositus an. 1500. obiit anno seq.

Ceteros præpositos omittimus, quos numero sex præter Walterum Bucelinus deducit ultra annum 1576.

SUb titulo sanctæ Walpurgis, & Walpurgæ, *seu* Waldeburgis, & instituto Benedictino tria sunt monasteria, duo in Alsatia, alterum virorum, virginum alterum, ac denique tertium ejusdem sexus apud Aichstadium, de quo nihil C ad nos. Ad primum vero quod attinet, virorum, in Sacra-silva prope Hagenoam situm, uno scilicet ab hoc oppido milliari, & Weissenburgo tribus, hoc Theodericus comes Montis-Bellicardi an. 1074. auctoribus Weiberto, Manico & Adelberto monachis Benedictinis, condere cœpit, ut probat inscriptio sequens ad portam sacrarii: *An. 1074. tempore Gregorii VII. Theodericus nobilissimus comes de Montbegliard incæpit fundationem hujus monasterii ordin. S. Benedicti.* Accessit autem ad congregationem Bursfeldensem an. 1485. sed an. 1544. cum jam an. 1525. a rusticis marchionatus Badensis & episcopatus D Moguntini devastatum esset, præposituræ Weissenburgensi unitum fuit atque annexum, procurante Rudigero Weissenburgensi præposito. Sequuntur aliquot abbates. IX.

BERTHOLDUS I. fuit hujusce loci primus abbas, cui Fridericus dux Sueviæ, cum uxore sua Juditha, & cohærede suo Petro comite, multa prædia ad Forestam-sanctam contulisse traditur an. 1116. Vide Guillimannum in episc. Argentin. pag. 207.

Wolframus huc a Brunone Hirsaugiensi abbate cum duodecim monachis missus abbas di- E citur a Trithemio.

Bertholdus II. e sancto Blasio accitus est abbas an. 1125.

Eberhardus antea monachus S. Blasii, dein S. Walpurgæ œconomus, abbas tandem renuntiatur an. 1186. qui postmodum etiam Hohenburgense monialium S. Odiliæ amplissimum cœnobium regendum suscepit.

Burchardus de Mulheim equestri nobilissimo inter Rhenanos genere ortus, insignis monasterii reformator dicitur a Bucelino, sub annum Christi 1430. cujus & obitum consignat an. 1479.

Bartholomæus

Bartholomæus ejus loci fuit ultimus abbas, quo defuncto cœnobium, uti jam diximus, præposituræ Weissemburgensi unitum est anno 1544.

De puellari vicino & cognomine cœnobio; in quo regularis hactenus disciplina floret, infra dicemus.

X. HUGONIS-CURIA, Gallice *Honcour*, Germanice *Hugueshofen*, vetus monasterium, S. Michaëli archangelo sacrum in Valle Villaris, *seu* Wileriana, dicta olim *Alberthal*, non longe ab Andlavia, tribusque circiter leucis a Scelestadio, suum præcise nescit auctorem. Wymphelingus quidem tradit esse Vernerum de Habsburgo, cognomento d'*Ortenberg*, vel etiam, ut alibi legimus, *de Hurmingen*; Bucelinus vero istam vindicat gloriam Hugoni Habsburgi comiti, Alsatiæ Landgravio an. 918. a quo & nomen habere dicitur. Sed quandoquidem R. P. Laguille Alsatiæ Landgravios tantæ suadet non esse antiquitatis, caduca fit sententia Bucelini; pro qua cogimur amplecti ejusdem reverendi patris conjectationem, existimantis hoc monasterium opus esse celeberrimi hujusce Hugonis d'Egisheim, qui seculo XI. desinente omnibus in Alsatia dominis prævalebat; quique fortasse idem est ac Hugo comes de Dagsbourg, parthenonis Andlaviensis advocatus & Alsatiæ dominus, cujus mortem Bruschius consignat anno 1090. occisum vero Hugonem d'Egisheim an. 1089. Bertholdus Constantiensis testatur; ubi notandum illos comites d'*Egisheim* & de Dagsbourg ab auctoribus facile confundi, quod eamdem haberent originem. Ceterum Wymphelingus addit, quod huic opinioni favet, Calixtum II. approbasse hanc fundationem, itemque Innocentium II. an. 1137. ac insuper Fridericum I. imperatorem an. 1162. monasterium in suam tutelam suscepisse. Addit etiam Bucelinus unitum fuisse hoc cœnobium Bursfeldensi congregationi an. 1513. at nunc sola restat basilica rotunda, Senoniensi, a qua non longe distat, omnino consimilis, reditibusque monasterii gaudet abbatia Andlaviensis, ab ætate Leopoldi Austriæ archiducis, postea imperatoris. Qua de re in Andlaviensi abbatia legimus Mariam Cunegundam baronissam de Beroldingen abbatissam pro acquisita abbatia de Honcour a Maria Ursula librarum quadraginta millia persolvisse. Fortasse vero illa Maria Ursula erat femina secularis acatholica, quæ hanc abbatiam quasi hereditario jure possidebat. Hoc paucos deprehendimus abbates.

CONRADUS I. ex Hirsaugiensi ad istud regendum monasterium a suo abbate sancto Willelmo cum decem fratribus missus est sub finem XI. seculi.

Anonymus quidam ei successit huc destinatus a beato Theotgero abbate S. Georgii in silva Hercinia, circa an. 1104.

Allodus abbas Hugonis-curiæ adfuit consecrationi ecclesiæ Pomerii, seu *de Bongart* ord. Cisterc. factæ a Burchardo Argentinensi episcopo anno 1153. vide nostra in appendice notitiam fundationis abbatiæ *de Bongart*. Ch. XIX. col. 478.

Wernherus abbas sub initium seculi XIII. volente Henrico comite de Veringue episc. Argentinensi monasterium d'*Ebersmunster* simul gubernandum suscepit, utrobique optimus abbas saltem circa temporalia.

Conradus II. de Dietere an. 1286. capellam in Hugshoven, quæ jam an. 1186. inchoata fuerat, perfecit, seu reædificavit.

Johannes de Bucareto natione Gallus, sed animo Germanus, hujus monasterii abbas hic (in ecclesia) sepultus an. 1511. XV. cal. Januarii. Tale est ipsius epitaphium.

HOHENBURGUM, olim *Altitona*, modo vulgarius *Mons S. Othiliæ*, in Alsatia, quatuor ab urbe Argentina milliaribus distans, primitus fuit Benedictinarum virginum cœnobium, tum vero canonicarum, quod ipsamet S. Othilia, *sive* Odilia, vel ipsius pater dux Atticus, *seu* Æthico fundavit in suo castro Hoemburgensi imposito altissimo monti, unde prospectus in omnem Alsatiam, circa annum 667. ipsumque ab initio sub regimine abbatis Aprimonasterii, cujus etiam conditor fuit idem Æthico, institutum fuisse, docent nos vetera monumenta tum Aprimonasterii, tum archivi Argentoratensis episcopi; ex quo maxime liquet non aliam illic ab origine, quam regularem, seu monasticam vitam fuisse in usu. Porro septem ibi oratoria erant, quorum sex adhuc supersunt, nempe ad portam monasterii unum rotundi operis, omnibus sanctis Alsaticis dedicatum: alterum princeps S. Mariæ, non ita pridem a fundamentis instauratum: tertium huic adhærens S. Crucis: quartum eidem contiguum, S. Johannis-Bapt. ubi sepulta S. Odilia: quintum SS. Angelorum, in quod Odilia secedere solebat: sextum Lachrymarum, quod sic appellatum volunt, quia illic ad vitæ finem mortem filii ab se cæsi Atticus expiavit. Septimum denique erat SS. apostolorum Petri & Pauli, modo destructum. Ad portam vero exteriorem monasterii habitaculum erat duodecim canonicorum, qui virginibus sacra ministrabant, postquam scilicet ipsæ ad canonicas defecerant; iisque adjuncti sunt seculo XII. desinente Præmonstratenses, qui modo sunt arctioris observantiæ, & soli sacrum montem occupant. Hæc autem omnia cingebat murorum ambitus porrectus ad tres leucas, quorum etiamnunc rudera insignia cernuntur. Sed quia in editissimum & abruptum illum montem non facilis accessus erat, aliud inferius monasterium Odilia in declivi montis spatio, cum sororum suarum consilio & assensu exstruxit; atque ecclesiam in honorem S. Martini, adjuncto xenodochio ad excipiendos peregrinos; quod Inferius monasterium, vulgo *Nider-munster* appellatum, nunc solo æquatum jacet. In superiori tamen monasterio virgo sancta versari solita erat. Ceterum hoc monasterium Ludovicus-Augustus in suam tutelam suscepit anno imperii 24. indict. XV. hoc est 837. Recensetur etiam

Ord. S. Bened. Feminarum I.

Homburc monasterium in divisione monasteriorum regni Lotharii facta an. 870. inter Ludovicum & Carolum Franciæ reges; sed ejus tandem reditus uniti sunt a Gregorio papa XIII. episcopali mensæ Argentoratensi, idque ratum habuit Clemens VIII. an. 1594. Nunc agendum de abbatissis. (Ch. VI. col. 463.)

PRima fuit S. Othilia, *sive* Odilia natu major filia Attici ducis ex Berswinda, a teneris in cœnobio Palmæ diœcesis Vesontion. educata, quæ, ut diximus, Hohemburgense parthenium auxilio & voluntate patris condidit, eidemque tanta religione præfuit, ut inter sanctas virgines meruerit adscribi; unde prædicto monti S. Odiliæ appellatio hæsit. Traditur autem *sub cura sui regiminis numerum monialium quasi centum triginta habuisse.* Spiritum Deo reddidit idibus Decembris, quo die in calendario psalterii Hemmæ reginæ fit commemoratio *sanctæ Odiliæ virginis.* Ejus corpus in ipsa ecclesia sepulturæ traditum est ante altare S. Johannis-Baptistæ. Exstat ipsius vita seculi III. Bened. part. 2. pag. 486. & seqq. in qua Mabillonius tradit verisimile esse S. Odiliam ad annum fere 720. pervenisse.

Eugenia, Odiliæ neptis, eidem successit in monasterii regimine. Subscripsit anno tertio Theodorici regis donationi factæ Honaugiensi cœnobio, hoc est anno 722. aut 723. (Prob. hist. Alsat. pag. 6.)

Werentrudis & Warnetrudis educata cum ipsa S. Odilia, ejusdem monasterio præfuit tempore obitus Attalæ, primæ S. Stephani Argentoratensis abbatissæ, cujus reliquias habere cupiens, nuntium ad S. Stephani cœnobium misit.

Adala *in regimine idonea, sed & moribus religiosis sanctæ conversationis ornata* dicitur in dono cujusdam Odesindis anno XV. regnante Carolo rege.

Berta, cujus tempore Leo IX. papa ecclesiam dedicavit in honorem S. Mariæ virginis & S. Nicolai, eique privilegium insigne concessit, quod habes nostra inter instrumenta. Fortasse vero aliquot annis præcesserat altera hujus ecclesiæ dedicatio, ab eodem papa, tunc solummodo Tullensi episcopo facta; sic enim legitur apud Guillimannum ex Anonymo, quem putamus auctorem esse fragmenti historici apud Urstisium, ubi pag. 83. idem legitur: *Anno 1045. dedicatum est monasterium Hohenburg in honorem divæ Mariæ virginis, a venerabili Brunone Leucorum, id est, Tullensi episcopo, postea apostolico.* (Ch. XIV. col. 471.)

Odilia II. *abbatissa ancillarum Dei in monte S. Odiliæ*, Herimanni comitis & Mathildis filia, florebat XI. seculo, quæ aliquando profecta Virdunum, ut diem Paschæ cum parentibus & propinquis celebraret, prænuntiato sibi per beatum Richardum abbatem inopinati obitus die, in cinere & cilicio exspiravit in monasterio S. Vitoni, ibidemque Sabbato sancto sepulta est in claustro monasterii, ut tradit Hugo abbas flaviniacensis. Jam tum vero sanctimonialibus successerant canonicæ, aut potius illæ in canonicas degenaverant, retenta nihilominus regula Benedictina.

Relindis, *seu* Rechlindis e cœnobio Bergensi diœcesis Eistettensis evocata sub medium seculum XII. collapsam disciplinam restituit, favente Friderico imperatore, qui damna huic ecclesiæ a patre suo Friderico duce illata reparare studuit, & eidem præfecit hanc abbatissam; quæ suscepto regimine, *destructa diligenter reædificans, dissipata strenue plantans, auxilio & consilio Burkardi Argentinensis episcopi, &c. ipsam ecclesiam ad honorem Dei prudenter & honorifice reformavit, omnemque divinæ legis religionem, ac canonicæ disciplinæ rigorem secundum regulam B. Augustini inibi pleniter informavit.* Hæc sunt verba Lucii papæ III. fundationem monasterii de Truttenhusen ord. S. Aug. an. 1185. confirmantis. (Ch. XXVI. col. 486.)

Herradis, Herrat & Heraca ex familia de Landsberg in Alsatia, Relindi successit, *cujus normam studio fideliter in omnibus bonis secuta* est, ut loquitur idem Lucius papa. An. 1178. locum S. Gorgonii Warnero abbati Stivagii & successoribus ejus, cum omnibus ad eum pertinentibus ea intentione in perpetuum concessit, ut eumdem officiis divino servitio congruis instituentes, illuc religiosos Otiliæ suæ viros tam clericos, quam laicos in perpetuum delegare studeant; fraternitatis etiam consortium, & præbendam hebdomadarii; annuatim scilicet, &c. ut videre est in charta Friderici imperatoris hanc donationem confirmantis an. 1183. quam & Lucius papa III. & Henricus episc. Argentinensis ratam habuere, ex tabulario Stivagii. Fundavit quoque eadem abbatissa monasterium Truttenhusen ad pedem montis S. Othiliæ pro duodecim canonicis Regularibus, & idoneo præposito, *qui sub regulari professione degentes, Hohenburgensis cœnobii abbatissis, omnique collegio in negotiis spiritualibus, seu temporalibus, prout abbatissa & necessitas cœnobii postulaverit, in timore Dei devote obtemperent, &c.* ut habetur in hujus fundationis confirmatione facta per Lucium papam III. an. 1185. pontificatus anno quarto. Eadem insuper sedente an. 1180. major ecclesia inferioris monasterii, sive *Nider-munster* apud Hohenburg dedicata est in honorem S. Dei genitricis Mariæ a Mantuano sedis apostolicæ legato, ex fragmento historico apud Urstitium; itemque ad ejus preces Conradus Argentinensis episcopus statuta quædam Hohenburgensis abbatiæ confirmavit, ut liquet ex ipsius charta anni 1190. ad calcem excusa. Denique memoratur an. 1196. in instrumento Conradi de Lutzelinburch. Ejus autem fit mentio in necrologio Stivagii, die 10. Julii, his verbis: *Commemoratio Herrat canonicæ & abbatissæ in Hombourg;* quæ lingua latina *Hortum deliciarum* (sic librum ipsius vocant) scripsisse traditur, ac montis S. Othiliæ virginibus dicasse. Necrologium vero Marchasii-Radulfi ejusdem ord. Præmonstr. ipsius, *Nerrati* nomine, legendum *Herrati*, meminit XI. cal. Julii. (Ibid. — Ch. XXV. col. 485. — Ch. XXVI. col. 486. — C. XXVIII. col. 490.)

Edelindis sedebat an. 1200. incendium monasterii proxime sequente, ex fragmento historico apud Urstisium. Fortasse vero eadem est ac A. 1206. hoc est Adelindis; vel hæc A. est Athala abbatissa in Humborc memorata in necrologio Stivagii idibus Januarii.

Clara locum habet in eodem necrologio, XI. cal. Maii.

Mathildis, XVII. cal. Julii, &

Cunegundis, 12. Augusti.

Elisabeth I. transigit an. 1232. cum universitate de Rodesheim.

W. abbatissa de Hohemburg an. 1239. XVII. cal. Julii L. electo Basileensi vendidit curtim de Alesheim pretio marcarum argenti octoginta.

Elisabeth II. præerat an. 1249. quo Willelmus Romanorum rex in privilegio ei concesso vocat eam *principem nostram*.

Margareta I. Sennin 1250. quo anno ad ejus preces Bertholdus episc. Basileensis parochialem ecclesiam in Gertewilre monasterio annexuit.

Agnes I. reperitur annis 1256. & 1263. quo ultimo paciscitur cum universitate de Rodesheim. Ea est fortasse Agnes, quæ commemoratur in necrologio Stivagii, VIII. idus Januarii.

G. obtinuit præceptum a Rodulfo imperatore datum anno regni ejus primo, hoc est 1273. in quo vocata *Princeps dilecta*, eximitur ab hominio eidem Imperatori debito. Habetur hoc instrumentum in appendice nostra. Ch. XXXI. col. 493.

Agnes II. occurrit anno 1277.

Elisabeth III. cum assensu & laude Argentinensis episcopi nonnulla vendit an. 1299. Ejus, vel alterutrius ex præcedentibus meminit necrologium Stivagii, VII. cal. Januarii.

Catharina 1304. cujus mentio habetur in prædicto necrol. VII. idus Julii.

Agnes III. de Strouffenberg tribunum in oppido Rosheim, *forte* Rodesheim creavit anno 1350. Memoratur 1353. in privilegio Caroli Romanorum regis, cui anno sequenti reliquias S. Othiliæ concessit, ut docent nos ejusdem Principis litteræ nostra inter instrumenta excusæ. Adhuc præerat 1359. C. XXXIII. col. 494.

Margareta II. reperitur annis 1362. 69. & 1385.

Agnes IV. de Strouffenberg 1388. & 1390.

Clara II. de Lutzenburg præerat 1443. obiit vero 1453. IV. idus Julii.

Susanna de Hohenstein electa per obitum Claræ diu caruit confirmatione, quam demum an. 1463. a Pio papa II. & ab episcopo Argentinensi 27. Novembris ejusdem anni obtinuit. Adhuc superstes erat 1490. cognomine suppresso, sed non amplius regebat.

Margareta III. de Kanelle an. 1489. Johanni Helle vicario ecclesiæ S. Thomæ Argentinensis quosdam reditus vendit.

Veronica de Andelaw præerat annis 1508. & 1512. Obiit 15. Aprilis 1524. ex necrologio Stivagii.

Agnes V. de Zucmenttelin, *al.* Zucmantel ipso die obitus Veronicæ, Desiderio Boniveti abbate Stivagii præsidente, in abbatissam electa, sedebat an. 1539. cumque an. 1542. Georgio Wolmaro canonicatum in Homburg contulisset, decessit eodem anno die 29. Januarii. Contigit autem sub hoc tempus quod in bulla sua refert Gregorius XIII. papa ; certos nimirum census & redditus monasterii absque sedis apostolicæ licentia, vel subsecuta approbatione venditos fuisse Sebastiano & Theodorico a Lansperg fratribus, pacto inter alia adjecto, ut iisdem abbatissæ & monialibus post tunc proximum decennium in viginti annos liceret eadem bona pro eodem pretio redimere. Et postmodum, cum eadem abbatissa, propter senilem ætatem & adversam valetudinem, sexusque imbecillitatem ; reliqua bona dicti monasterii conservare & regere non valeret, nullis aliis monialibus in dicto monasterio existentibus, quoniam ob redituum dicti monasterii, propter temporum malam qualitatem, valde immunitorum tenuitatem, ibi sustentari non poterant, liberam & plenariam administrationem redituum ipsius monasterii, &c. Erasmo tunc existenti Argentinensi episcopo, pro se & suis successoribus episcopis Argentinensibus consignavit, ea lege & conditione apposita, ut idem episcopus bona dicti monasterii alienata & ipsius monasterii ædificia incendio consumta, cum primum fieri posset, reparare, cultumque divinum inibi restituere curaret, & cetera, quæ vide-sis in integra bulla ad calcem. Ch. XLI. col. 500.

Anna, *al.* Anastasia d'Oberkirck electa 1542. die 14. Martii, confirmatur ab episcopo Erasmo, die 20. Octobris, quam Bucelinus eodem anno mortuam tradit.

Agnes VI. d'Oberkirk superioris soror eidem successit, cujus temporibus cum an. 1545. *al.* 1546. monasterium conflagrasset, Erasmus episc. ejusdem rogatu, monasterium suscepit regendum an. 1548. Qua de re post aliquantum temporis, anno scilicet 1575. Gregorius XIII. papa hortatur Johannem episcopum bulla superius memorata, ut alienationes & cessiones hujusmodi revideat, & ubi illas nullas & invalidas ex quavis causa existere, aut in damnum ejusdem monasterii cedere compererit, illas auctoritate pontificia, prout juris fuerit, casset & irritet ; ac census, redditus & bona alienata, una cum fructibus eidem monasterio restitui faciat. Deinde vero legimus eumdem Gregorium papam hos omnes reditus mensæ episcopali univisse, & unionem hanc confirmasse Clementem VIII. anno 1594. Et quidem non incassum ; episcopi enim Argentinenses omnem moverunt lapidem, ut ecclesiam restituerent, sed antequam perfecta esset, incensa est an. 1622. ab exercitu Mansfeldico. Postremo tamen canonici Præmonstratenses haud obliti suos olim majores e Stivagio, ut sacra monialibus administrarent, accitos fuisse, ecclesiam & monasterium restituerunt, in quo hactenus bonus odor Christi sub strictiori observantia undique diffunditur. Ibid.

II. NIDER-MUNSTER, *latine* INFERIUS-MONASTERIUM aliud est in Bavaria, & diœcesi Ratisponensi, de quo nihil ad nos, aliud in Alsatia & diœcesi Argentinensi. Hoc autem ideo adteximus Hohenburgensi, quod sit ejusdem surculus. Nempe, uti jam diximus in historia superioris monasterii, cum ad illud in editissimo & abrupto monte positum non facilis accessus esset, hoc itidem monialium ad radices

montis S. Odiliæ fundavit ipsamet Odilia septimo A seculo inclinante, in honorem S. Martini, cum xenodochio ad excipiendos peregrinos. Nunc solo æquatum jacet, cujus redditus episcopali mensæ cesserunt. Sequuntur aliquot abbatissæ ex Bucelini recensione; qui quidem perperam tradit fundatum fuisse hoc monasterium ab Hugone Burgundiæ duce.

EDELANDA, *seu* EDELINDIS prima loci abbatissa, ex Bucelino, secunda Bruschio.

Gundelinda, *sive* Gutelindis Bruschio, qui primam scribit abbatissam,

Wilburga, *seu* Walpurga præfuit annis 1256. B & 1257.

Margareta I. Sennim, *al.* Senii, sedebat 1460. quo anno decessit, ex Bruschio.

Margareta II. Candelin, *al.* Khandelm 15. annis abbatissam egit, defuncta 1475.

Ursula I. vom Treibel, *al.* de Tribeln equestri familia, præfuit annis 39. & obiit 1514. III. nonas Apr. in medio chori sepulta.

Rosina de Stein, sive a Lapide obiit 1534. juxta Ursulam condita, postquam annis 20. monasterio præfuisset.

Ursula II. de Ratzenhausen electa est anno 1541. sub qua miserabili incendio, ipso anno C 1541. ait R. P. Laguille, monasterium periit, atque inde canonici Argentinenses locum occuparunt, & præfecto alicui consignarunt.

III. ARGENTINENSE S. STEPHANI monasterium puellare, ordinis primum S. Benedicti, tum S. Augustini, ac tandem virginum a Visitatione nuncupatarum, septimo procedente seculo fundatur ad usum triginta sororum, seu sanctimonialium & quatuor fratrum canonicorum sacerdotum, ab Adalberto fratre S. Othiliæ intra muros veteris Argentorati, eo in loco, ubi steterat castellum Romanum, juxta D fluvium Bruscam; in cujus rei confirmationem a Childerico II. pragmaticam obtinuit constitutionem, uti habetur in diplomate Lotharii imperatoris id totum confirmantis anno 845. In (Ch. VII. col. 464.) choro ecclesiæ a dextris pius fundator sepultus jacet, a sinistris vero duæ ipsius conjuges Gerlindis & Batildis cum duabus ipsorum filiabus Savina & Lutgarde. Hoc autem monasterium recensetur in divisione abbatiarum regni Lotharii facta Ludovicum inter & Carolum reges anno 870. & est in portione Caroli. Postea transiit in dominium episcopi, beneficio Henrici II. regis, (Ch. IX. col. 466.) quod *antea nullam de temporalibus præbuit, vel* E *debuit subjectionem*, ut ipse loquitur Wernherus episcopus in suis ea de re litteris. Quo tempore, (Ch. X. col. 467.) ut videtur, a regula S. Benedicti ad canonicalem defecerat. Tum vero cœnobium a Bucero deformatum diu possederunt canonicæ Lutheranæ, quarum tamen abbatissa cælibatum profitebatur, ab Episcopo etiam institui solita. Verum non ita pridem in earum locum substitutæ sunt sacræ virgines ex ordine Visitationis. Sequentes abbatissas ex archivis maxime episcopatus Argentinensis collegimus.

S. ATTALA neptis S. Odiliæ ex fratre Adalberto fundatore, postquam sub amitæ disciplina in Hoënburgensi cœnobio pie educata fuerat, novo S. Stephani in urbe Argentina a patre suo condito præesse jussa est. Falluntur qui vitam ejus annis quinquaginta quatuor, regimen viginti circumscribunt; si tamen constat quod traditur, audito scilicet ejus obitu, Werentrudem Hohemburgi post annum 722. abbatissam, ejusdem reliquias habere cupientem nuntium ad S. Stephani cœnobium misisse. Nam aliunde in confesso est apud omnes Attalam hujus loci primam fuisse abbatissam, nec minus certum, hunc fuisse conditum ætate Childerici II. qui annum 675. non excessit. Ceterum colitur in vetustis calendariis & breviariis III. nonas Decembris; quo die in Monasteriensi S. Gregorii calendario annorum amplius sexcentorum, S. Attala virgo celebratur, uti & in veteri breviario Argentoratensi. Ejusdem Attalæ & sororum ejus habitus in æs incisus exhibetur a Mabillonio, t. 1. Annalium, pag. 493.

Incertum est quænam post Attalam abbatissæ locum illum rexerint usque ad seculum IX. fere medium: Quinetiam & hic, fateor, anceps sum, utrum pro Basilla Ruathbadam, *sive* Ruadrudem primo reponam loco. Legimus distincte (Ch. VII. col. 464.) *Basillam* in diplomate Lotharii, quod in appendice nostra excusum est, sed ejus authenticum non inspeximus. Aliunde Mabillonius vir perspicacissimus æque ac veracissimus Annalium tom. I. ad an. 845. n. 31. testatur se legisse in authentico, revera cum aliquo dubio (*si bene*, inquit, *authenticum legimus*) Ruathbadam. Præterea *Basilla* occurrit in alio diplomate anni 856. quo Ludovicus rex testatur *nobilem atque venerabilem sanctimonialem abbatissam* Basillam S. Stephani infra muros Argentoratenses sibi exhibuisse antecessorum suorum Regum & Imperatorum privilegia: quo pacto scilicet idem locus a Childerico rege immunitate primum donatus, & a Pipino majore-domus locupletatus; dein ex munificentia Lotharii *imperatoris primi* & conjugis Irmingardis ditatus fuerit; ac demum etiam auctoritate munitus Hludewici bonæ memoriæ piissimi Augusti, qui locum jam dictum B. Stephani, *& congregationi canonicorum quatuor sacerdotum & sanctimonialium triginta cum necessariis ministris dedicatum*, sub sua detentione acceperat; quæ omnia rex Ludovicus rata habet, *salvo per omnia honore sui sancti præsulis. Data pridie idus Septembris, anno Christo propicio vigesimo-tertio domni Hludewici serenissimi regis in Alsatia, indict. IV. Actum Strazburc palatio regio, Otgarius ad vicem Grimoldi archicancellarii recognovit.* Porro ex his adducor ad præponendam in serie abbatissarum S. Stephani Ruathbadam Basillæ; amanuensis siquidem errore factum esse putamus, ut in exemplari diplomatis Lotharii pro Ruathbada legamus Basillam, cujus nomen in alio diplomate scriptori occurrerat. Ita etiam R. P. Laguille. Itaque

Ruathbada, *vel* Ruadrud præerat an. 845. quo Lotharius in prædicto diplomate eam appellat

dilectam suam cognatam, ac in fine ejusdem diplomatis *neptam;* quæ proinde fortassis erat de genere S. Odiliæ, ejusque fratris Adalberti, quem scilicet Lotharius ibidem dicit fuisse suæ parentelæ progenitorem.

Batilla innotescit ex præfato Ludovici regis documento ad an. 856. quod R. P. Laguille ad an. 871. revocat.

Sub annum millesimum-primum, post obitum scilicet Ottonis III. imperatoris, cum plures, etiam Principes Henricum in successorem ejus detractarent, facta est seditio magna, adeo ut ipsa præsulis Argentoratensis sedes, urbs tota, & ecclesiæ, quæ intus erant, suis omnibus spoliarentur. Quapropter Henricus rex, cum jam omnia pacata essent, ut Werinharii episcopi erga se fidelitatem remuneraret, hanc ei & successoribus ejus abbatiam concessit an. 1003. ita ut *liberam de eadem abbatia deinceps habeant potestatem, absque omni personarum contradictione & molestatione restituendi, & in usus ecclesiæ quidquid inde sublatum erat reformandi.* Hæc sunt verba ipsius diplomatis Henrici, quod integrum habes in appendice nostra. Ipse vero episcopus Werinharius in suis ea de re litteris anni 1005. ibidem excusis, sic habet: *Ego post innumeros sudores, quos pro fidelitate ecclesiæ, cui, Deo auctore, præsidere visus sum, & pro statu regni Francorum & domini mei regis Henrici dilectione pertuli, impetravi a præfato domino Rege gubernationem abbatiæ S. Stephani protomartyris in Argentina, id est Strasburc, civitate, quæ antea nullam de temporalibus præbuit, vel debuit subjectionem, ea duntaxat ratione, quatenus de facultatibus illius repararem episcopalem sedem, quæ cum ædificiis & officinis claustralibus destructa fuit per dissensionem quorumdam Principum electioni præfati Regis repugnantium.* Deinde vero omnes ejusdem abbatiæ possessiones in charta veridica describi jussit, & ne in oblivionem fieret, vicedomino loci Erboni canonico & Liresindæ *secundæ* abbatissæ commisit, & in signum adeptæ subjectionis, & supplementum despoliatæ majorisdomus, transtulit inde crucem auream & argenteam, & capsas duas cum reliquiis, præter cetera utensilia. *Ne vero tam antiqua & venerabilis congregatio*, inquit, *de insolita subjectione conturbaretur, diligenti & pio studio statuimus eam honorare cum omni communione & paritate claustralis religionis & fraternæ societatis; ita duntaxat, ut præter subjectionem omnia jura sua illibata permaneant, & abbatissa inter alias abbatissas in conciliis episcopalibus mediam & oppositam sedem obtineat, & in obsequio alicujus ejus sororis, vel canonici, omnes canonici civitatis ibidem conveniant, & exsequias devote peragant, ipsique nobis vicissitudinem reddant similiter faciendo, &c. quomodo & nos pro necessitate reparandorum consultu tamen discreto imminuimus, & tamen describendo discrevimus quotidianam eorum præbendam, quæ major ceteris inveniebatur, & in quadam manuali cedula memoraliter conscribi fecimus, non in perpetuum, sed ad præsens negotium, donec facultas rediret reformandi in pristinum plenitudinis splendorem.*

Ch. IX. col. 466. — Ch. X. col. 467.

Liresinda, *seu* Lintsinda recensetur an. 1005. in Werinharii charta modo recensita, ubi *secunda* dicitur abbatissa, ideo fortasse, quod sub præcedente a regula S. Benedicti ad canonicalem facta sit defectio.

Brigidda, cujus tempore an. 1314. Johannes episc. Argentinensis de consensu Gebehardi, *seu* Gerhardi præpositi & Henrici decani parochialem ecclesiam S. Stephani cum capella S. Crucis monasterio annexuit.

Margareta I. reperitur annis 1348. & 1358. quo ultimo fundationem præbendæ perpetuæ approbavit.

Dorothea de Ratzamhusen 1492.

Adelaïdis de Andelauw electa 1539. cessit an. 1545 ut nuberet.

Margareta II. de Landtsperg electa die 7. Januarii 1545. Lutheri dogmata suis sororibus propinavit, quod & aliæ subsecutæ præstiterunt.

Anna Schettenberg 1550.

Maria de Landtsperg cessit an. 1560.

Cunigunda Wetzlerin a Marsilia moritur an. 1666. die 22. Augusti.

Othilia de Dormens eligitur die 7. Octob. an. 1666.

Eva Salome de Fudernheim ultima abbatissa obiit 1694. cui per electionem successit

Elisabetha-Henrica de Wisthum *fortasse* Wistheim, ex permissu Regis, ita tamen, ut solo administratricis titulo uteretur. Nupsit paulo post; statimque Ludovicus XIV. pro suo ardentissimo in catholicam religionem studio hoc monasterium attribuit Visitationis B. Mariæ sanctimonialibus, cum onere decem Alsatiæ nobiles puellas educandi.

IV. ERESTEIN.

ERESTEIMENSEM parthenonem in Alsatia, Illium[a] inter & Lecheram[b] situm condidit sub annum 840. Hirmingarda Lotharii imperatoris conjux, in quem & ipse munificum se præbuit, ut liquet ex ipsius diplomate inter probationes historiæ Alsatiæ R. P. Laguille excuso, pag. 19. Quem & Leo IV. papa summis privilegiis exornavit, sacrisque ditavit reliquiis. Hæc porro pia femina sub finem vitæ in hoc se monasterium recepisse forte nonnullis videbitur ex ipsius epitaphio, in quo locum hunc exstruxisse, ac reliquiis sacris Roma advectis exornasse dicitur his versibus, quos Rabanus composuit:

[a] Ill. [b] Scher.

Femina hic pausat Augusta & nobilis ortu,
Irmingarda cui nomen erat deditum.
Quæ hoc opus incipiens, hic aulam condere jussit
Ad Christi laudem, atque sui requiem.
Nam pia relliquias sanctorum ex urbe receptans
Romana, huc vexit, hicque locavit eas:
Ipsorum caperet meritis ut gaudia vitæ,
Delicti ac veniam perciperet precibus.
Caste conversans mundana hæc gaudia sprevit:
Pauperibus larga, omnibus apta bonis.
Nobiliter vixit, aliis exempla reliquit
Virtutum, sibimet præmia lata parans.
Hæc quoque dum expleret juvenile hic tempus, & annos
Maturæ ætatis inciperet, obiit.

Sic ejus obitus diem & annum diserte expressit A Rabanus:

Obiit autem Irmingarda imperatrix anno Dominicæ Incarn. DCCCLI. *ind.* XIV. XIII. *cal. Apr. in die Parasceve, hora quasi sexta, & requievit in pace.*

In divisione regni Lotharii facta inter Ludovicum & Carolum Reges, censetur in portione Ludovici, *Erenstein*, quod *Erastein* dicitur in libello de miraculis S. Berthæ abbatissæ Blangiacensis, cujus corpus ob Normannorum metum illuc refugii causa delatum est, Rotrude tum abbatissa, Arnolfo imperante. Quæ quidem Rotrudis cum audisset sanctimoniales Blangiacensis apud Morinos parthenonis, Hersende abbatissa B duce, metu Normannorum profugas, cum corpore S. Berthæ duarumque ejus filiarum Gertrudis & Deotilæ, e Gallia Moguntiam venisse, tres ex suis principes viros eo direxit, ut sanctimoniales illas ad suum cœnobium invitarent. Tam benignæ invitationi assensit Hersendis cum suis sanctimonialibus, quibus Rotrudis in proximo loco Alsiaco cœnobium ædificari curavit.

Postea Otho Cæsar socrui suæ Berchtæ, matri videlicet dominæ Adheleidis reginæ abbatiam *Eristein* dedit an. 953. quam subinde abbatiam hæc ipsa Adheleidis mater Othonis II. imperatoris villa Eberstein an. 974. locupletavit. Tum C vero collabentem eo in cœnobio disciplinam reformare studuit Bertholdus II. episc. Argentinensis an. 1345. ac iterum Albertus de Baviere an. 1486. quod tandem in pejora prolapsum, penitus exstinctum est, ejusque reditus uniti sunt ecclesiæ Argentinensi.

Unica reperitur abbatissa Rotrudis, de qua supra, quæque an. 895. cum aliis regni principibus Triburiensi concilio interfuit.

V. ESCHAW. HASCHOVIA locus est in insula Helleni Alsatiæ fluvii, in quo parthenonem ordinis quondam Benedictini fundavit anno decimo D Caroli regis, hoc est anno 777. *vel* 78. Remigius Argentinensis præsul, qui & ibidem sepultus est, atque in honorem S. Mariæ, SS. Sophiæ, Fidei, Spei & Charitatis, necnon sancti Trophimi martyris consecravit 778. Deinde cum a Barbaris sive Hungaris destructus esset, a Wideroldo, seu Widerolfo Argentinensi episcopo, cui Odo imperator commendaverat pagum Alsatiensem cum monasteriis, uti legitur tomo 3. Anecdot. Martennii col. 1139. instauratus est circa an. 970. plurimumque a successoribus Willelmo & Hezelone adauctus. Hæc autem omnia constant ex instrumento fundationis & E restaurationis hujus cœnobii, in appendice relato; Ch. XIV. col. 473. ubi & S. Richardis imperatrix, S. Adelheïdis, Egeno comes de Drahe & Anno miles de Kippenheim erga idem monasterium benefici memorantur. Floruit autem sub regula S. Benedicti hoc cœnobium, usque ad exortam pestiferam illam Lutheri sectam, quo tempore ab illa funditus eversso, Willelmus Argentinensis episcopus monialibus octo præbendarios substituit an. 1533. quibus Ch. XXXV. col. 496. statuta condidit, præfatione præfixa, quam habes in appendice. Tandem vero ejus omnes reditus uniti sunt ecclesiæ Argentinensi. Sequentes abbatissas eruimus ex archivo episcopatus Argentin.

ATTALA fundatoris cognata, fuit prima abbatissa.

Chunegundis anno 1143. hospitale ad peregrinorum susceptionem, annuente Burchardo Argentinensi episcopo, condidit, ut liquet ex charta ejusdem præsulis nostra inter instrumenta. Ch. XIII. col. 481.

Wultrudis bullam protectionis obtinuit ab Alexandro papa III. an. 1180.

G. anno 1255. donum cujusdam Hugonis capellani excepit.

Mathildis an. 1271. unum instituit sacerdotem, qui sacrum singulis diebus faceret ad altare S. Mariæ.

Gertrudis monialium numerum ad sexdecim reduxit, annuente episc. Argentinensi an. 1312.

Adelheidis an. 1365. præsentat ad vicariam ecclesiæ in Kork & 1370. præbendam sacerdotalem instituit ad altare B. M. Virginis.

Margareta I. de Uberechingen an. 1410. a Willelmo electo & confirmato Argentinensi episcopo facultatem obtinet eligendi capellanum in villa Leichelshurst.

Elisabeth præbendam sacerdotalem ad altare B. M. Virg. confert an. 1419.

Clara de Mulnhusen præerat an. 1436.

Mynella Husselerin 1460. & 1473. quo anno testamento condito se munificam præbuit erga canonicas & canonicos sui monasterii.

Margareta II. Kreßzin 1503.

HISSA prope Sareburgum ad radices Vosagi montis, *seu* Hessense S. Mariæ & SS. Martini VI. HESSI. & Laurentii monasterium puellare conditur a parentibus sive propinquis Brunonis, postea Tullensis episcopi, ac demum summi pontificis sub nomine Leonis IX. circa initium seculi XI. quod subinde idem summus pontifex singulari privilegio sublimavit. Integrum exstat, tom. 4. Annal. Benedict. pag. 736. & in prob. hist. Alsatiæ, pag. 25. Inscriptum est *Dei ecclesiæ, in loco, qui dicitur Hesse, positæ in honore S. Dei genitricis Mariæ, & in honore sanctissimi Martini confessoris & Laurentii levitæ gloriosi, & igne purgatorio assati martyris dedicatæ, & per eam Serbergæ* (forte Gerbergæ) *nepti nostræ, & post eam successuris inibi Dei ancillis in perpetuum;* quo privilegio confirmat eidem loco quæcumque patrueles sui comites Mathiridus, & Gerhardus cum ejus uxore Cunisa, necnon frater suus Hugo, quos ibidem humatos esse dicit, vel alii propinqui contulerant. *Et ut noverint omnes,* inquit, *quantum honorem huic loco semper optaverimus, justis precibus domnæ Mathildis, & filii ejus Henrici, nostri quondam nepotis, altare in ipsa ecclesia nos ipsi dedicavimus; quod quia eminentius altiusque præ ceteris est constitutum, decrevimus etiam illud magnificentius speciali honore glorificandum; ut nemo ibi celebret missam, nisi archiepiscopus, vel episcopus ipsius diœcesis, vel idonei ipsius ecclesiæ hebdomadarii. Si quæ autem alia persona orationis, vel alicujus negotii supervenerit causa, ad idem altare, ut missarum solemnia*

exsequatur, non præsumat accedere, nisi de abbatissæ vel aliarum sanctimonialium consensu & licentia. Celebretur etiam dedicatio ab omnibus loci ejusdem incolis VII. *cal. Decembris.* Hoc cœnobium modo redactum est in simplicem, ut vocant, prioratum, Altæ-silvæ *Haute-seille*, abbatiæ ordinis Cisterc. subjectum.

Unicam offendimus abbatissam Serbergam nomine, *forte* Gerbergam, neptem S. Leonis papæ, de qua supra.

VII. WOFFENHEIM S. Crucis, cœnobium virginum solitariæ vitæ aptissimum conditur a parentibus S. Leonis papæ prope suum castrum Engesheimium, ut Wibertus archidiaconus in vita ejusdem Leonis tradit, vel ab ipso Leone, ut scribit Gregorius VII. epist. 14. lib. 2. ad Guarnerium Argentinensem episc. quia scilicet fundationem parentum non mediocriter auxit. Situm est in superiori Alsatia, haud procul ab Egarshemio oppido, quatuor vero leucis a Columbaria, *Colmar*, cujus parthenonis in cellam redacti sola modo rudera supersunt.

Tom. 1. Anecdot. Martenii, pag. 169.

Unica itidem nobis occurrit abbatissa Regelwidis, quam Helvidis pia fundatrix, mater Leonis papæ, cum ad extrema venisset, solam cum proprio marito, secum remanere jussit; ad quos illa, ne se lugerent, ait sibi piissimam Dei genitricem sibi tunc adfuisse, & de sua salute certiorem fecisse.

Ord. S. Aug. ITTENVILLER abbatia canonicorum Regularium in Alsatia prope Andlavium, quam Conradus Argentoratensis ecclesiæ canonicus an. 1137. fundavit pro animabus Trutheri & Berthæ patris & matris in honorem S. Christinæ. Passa est autem successu temporis varias vicissitudines, nam primo unita fuit an. 1454. capitulo S. Arbogasti extra portam urbis Argentinæ; sed paulo post hac unione cassata, ipsiusmet auctor Robertus episcopus hanc abbatiam Trutthenhusano monasterio, de quo supra in Hoemburgensi, univit; tandemque prioratum effecit, quem ab omni onere & exactione erga episcopos immunem declaravit; eoque in statu permansit usque ad religionis turbas, quo ipsius reditus episcopatui cesserunt.

I. Ord. Cisterc. POMARIUM, *sive* POMERIUM, vulgo *Baumgarden*, vel *Baumgart*, Gallicè *Verger*, seu monasterium *S. Bernardi in Pomerio*, filia Belli-prati in Lotharingia, fundatur in Alsatia inferiori & diœcesi Argentina prope Andlavium anno Domini 1125. ind. III. a Conone episcopo Argentinensi, qui licet tunc temporis e sua dejectus sede, se nihilominus *Argentinensis ecclesiæ, Dei gratia, humilem ministrum* vocat in charta seu notitia hujus fundationis excusa in appendice nostra; quæ nos etiam docet Geberhardum sedis ejusdem antistitem anno 1133. ind. X. approbasse hanc fundationem & ecclesiam in honorem S. Mariæ Virginis dedicasse XVIII. calend. Decembris.

Ch. XIX. col. 476.

Ibid. col. 478.

At vero tunc monasterium ordini Cisterciensi nondum fuisse alligatum, probat eadem notitia, attestante Burcardo episcopo Argentinensi se *induxisse in præfatum cœnobium servos Dei monachos de ordine Cisterc. & dum tempus Deo placitum successit, factis habitaculis eorum religioni aptis; exorante Drogone abbate, cum suis personis, anno Incarnat. Dom.* MCLIII. *concurrente* III. *epacta* XXIII. *indictione prima, septimo cal. Maii dedicatione solemni consecrasse ibidem per septa & ambitum, atria, & claustrum & ecclesiam in honorem sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & præcipue in honorem S. Dei genitricis Mariæ & aliorum plurimorum sanctorum, &c.* Denique Cælestinus papa hæc omnia probavit an. 1195. ut asserit R. P. Laguille. Cum autem decursu temporis Pomerium reformatione indigeret, abbati primum de Novo-castro traditum est reformandum; deinde circa an. 1515. exstinctis fere omnibus monachis, nova e Lucis cella, abbatis & monachorum deducta est colonia, & ita cœpit subjacere Lucellæ; sed mox superveniens rusticorum per Alsatiam tumultuantium colluvies illud quasi totum exussit ac devastavit, ita ut (inquit Bernardinus abbas Lucellensis, qui fastorum Lucellensium epitomen scribebat an. 1667.) insignium quandoque structurarum sola rudera conspicerentur. Sic ergo desiit hoc monasterium, cujus reditus episcopali mensæ cesserunt. Addimus aliquot abbates.

FRIDERICUS innotescit ex ipsamet charta fundationis, in qua sic loquitur fundator: *Hujus abbatiæ primitivam constitutionem Friderico innocenti & simplici viro commendare curavi, ut quemadmodum fidelis operarius vineam Domini indesinenter excolat, & ad germina virtutum per celsitudinem contemplationis perducat.* At vero ne dubitandi locus esset utrum primi hujus loci incolæ vere monachi fuerint, addit Cono fundator: *Ista sane. . . . . . proprii traditione sigilli confirmo, quatenus orationi confratrum Deo ibidem famulantium particeps efficiar, una cum omnibus huic meæ monasticæ institutioni faventibus, &c.* Ch. XIX. col. 476.

Drogo, primus fuit abbas ex ordine Cisterciensi, cujus precibus anno 1153. Burchardus episc. Argentin. qui non ita pridem monachos ejusdem ordinis in hunc locum induxerat, ecclesiam, claustrum, ceterasque officinas consecravit. Ibid. col. 478.

Oto reperitur in litteris Petri episcopi Tullensis de donatione Cononis apud Bellum-pratum monachi facti ante annum 1172.

Constantinus an. 1178. testis habetur in quadam compositione inter Simonem canonicum ecclesiæ S. Deodati & fratres Belli-prati ex tabulario Belli-pratensi. Idem an. 1182. bonorum omnium & jurium sui monasterii confirmationem accepit a Lucio papa III. Nec multo post, nempe anno circiter 1187. Walfridus quidam de Bissopsheim plurima cœnobio tradidit, ac postremo seipsum in ordine conversorum; quæ omnia longius enumerat & confirmat hoc anno Henricus episc. Argentinensis in sua charta, quam vide inter instrumenta. Ch. XXVIII. col. 489.

Maximianus bullam protectionis obtinuit a Cœlestino papa an. 1195.

Eberhardus præerat an. 1312. quo Henricus imperator ei jus patronatus ecclesiæ de Burner confirmavit.

Ulricus an. 1313. prædictam ecclesiam de Burner suo uniri monasterio impetravit a Johanne episcopo Argentinensi, consentientibus Geberhardo præposito, Henrico decano, & ceteris B. Mariæ canonicis.

Bertholdus an. 1323. de consensu prædictorum Geberhardi præpositi & Henrici decani, ecclesiam de Alteckerich suo annexuit cœnobio.

Johannes I. de quo in abbate, qui sequitur.

Henricus occurrit an. 1343. in litteris Bertholdi Argentinensis episcopi, quibus statutum Johannis abbatis *de Bongars*, Werneri Novicastri, & Rudolfi Lucellensis abbatum de non recipiendis ad conversionem, in quibus esset natalium defectus, confirmat.

Rupertus memoratur an. 1373.

Johannes II. 1450. & 1453.

Nicolaus Salicetus, doctor theologus, cujus *Antidotarius animæ* Venetiis an. 1517. & Parisiis an. 1552. excusus fuit. Ita Jongelinus in notitia abbatiarum ord. Cisterc.

Johannes III. Jacob, *vel* Jacobus sedebat an. 1515. quo tempore, anno videlicet præcedente Jacobus abbas Cistercii abbates omnes & abbatissas ord. Cisterc. scriptis litteris hortatus est, ut monachis de Pomerio succurrerent, cum tunc temporis bellorum æstu monasterium funditus esset collapsum, nec proprii reditus ad ejusdem reparationem sufficerent.

II. WERNERI-VILLARIUM, vulgo *Werschweyler*, diœcesis Argentin. filia cœnobii Villariensis in Lotharingia, unde primi monachi cum abbate in Alsatiam missi hoc cœnobium an. 1170. incolere cœperunt. Hic inter alios sepelitur Johannes comes Bipontinus cum obiisset an. 1337. die 23. Januarii. Ita Jongelinus, qui tamen in indice chronologico abbatiarum, quæ sunt de linea Morimundi, hanc ad diœcesim Spirensem & ad ducatum Wirtembergæ testatur pertinere.

MONASTERIA

Quæ hactenus perseverant sunt ista.

ORD. S. BENEDICTI.

Schuttera, *olim* Offonis-cella.
Novientum, *seu* Apri-monasterium
Hetteinmunster.
Maurimonasterium, *Maursmunster.*
Gengenbacum.
Schwarzach.
Altorfium.

FEMINARUM.

Andlavium, *Andlaw.*
Bibelis & Biblisheim, *seu* S. Walpurgis.
S. Johannes-Baptista prope Tabernas Alsaticas; *près Saverne.*

ORD. S. AUGUSTINI.

Marbacum.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Novum-castrum, *sive* Neoburgum.

FEMINARUM.

Pons-Regis, *seu* Konigsbruch.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Abbatia Omnium Sanctorum.

ORD. S. CLARÆ.

Alspacense.

De singulis nunc dicendum.

OFFONIS-CELLA, *nunc* SCHUTTERA. SCHUTTERAN.

NOmen habet *Offonis-cella* a suo fundatore Offone quodam principe, uti postmodum *Schuttera* a fluviolo, qui interlabitur, ex altera parte Rheni. Certe anonymus quidam, tom. 1. *Vindemiarum litterariarum* Schannatii, pag. 17. asserit hoc monasterium an. 603. indict. VI. a regii sanguinis viro Offone, Anglo, tempore S. Gregorii-magni, qui Angliam paulo ante ad Christi fidem converterat, fundatum fuisse, indeque vocatum a Dagoberto rege Francorum *Offonis-cellam*, in litteris suis, quibus, hortante Arbogasto episc. Argentinensi, prædium suum in pago Herlisheim huic monasterio concessit. Neque vero, addit, solus Dagobertus ita cœnobium nuncupavit, sed etiam plures Pontifices & Romanorum Reges usque ad tempora Regimboldi abbatis. Quinetiam Offo ille cum aliis innumeris fidelibus conversisque Anglis ad Germaniam fidei propagandæ gratia profectus, in littore fluvii *Kinsing* sedem sibi delegit, ubi exædificatæ a se arci nomen suum indidit, quæ nunc etiam *Offoburgum* vulgo dicitur. Alii tamen hujus monasterii conditionem referunt acceptam Pirminio abbati sanctissimo, quem alii dicere instauratorem malunt. In censu monasteriorum facto anno 817. in synodo Aquisgranensi, hoc ultra Rhenum in Mortinavia * ditione positum ea inter recensetur, quæ dona & militiam facere debent, apud Mabill. tom. 2. Annalium, in hæc verba: *Monasterium Offunwillarii*, seu *Offonis-cella*, sive *Schutteranum*, diœcesis Argentinensis. Trithemius scribit hoc cœnobium an. 937. incendio consumtum fuisse; sed ipsum denuo reædificatum consecrasse legitur Erkenbaldus episcopus Argentinensis. Illi tamen adhuc pene collapso indoluit Henricus rex, cum scilicet an. 1007. ad civitatem Argentoratum ex urbe Basilea tendens, Scotteraugiæ tribus ab Argentorato millibus hospitaretur, curavitque reparari, & impense dotatum Bambergensi episcopo subjecit; quod an. 1025. Conradus successor approbavit, roboravitque; hoc est, abbatiam Schutterensem Babenbergensis ecclesiæ feudalem constituit, ita ut quilibet pro tempore hujus loci abbas Babenbergensem episcopum dominum suum teneatur agnoscere, & in principio sui regiminis abbatiam semel de ejus feudali beneficio accipere teneatur; quod ab illo tempore, ait Trithemius,

* Mortnau.

Trithemius, ita servatum & continuatum est usque in præsentem diem. Incendio iterum consumitur monasterium, quod subinde reparatum Burchardus episc. Argentinensis consecravit an. 1155. Dehinc unitur Bursfeldensi congregationi anno 1490. tandemque ad Alsato-Benedictinam accessit.

Series Abbatum.

Legitur in libello societatum Augiensium, *ex monasterio Offimwillare domnus abbas Beretrix, Wenibertus abba, Madalbertus abba, Petrus abba*, quos, inquit Mabillonius, verisimilius est ad hanc Offonis-cellam pertinere, quam ad Offonis-villam dioec. Vesontionensis, quæ potius cella & præpositura etiam olim erat, quam ex numero insigniorum monasteriorum, quæ proprios abbates habuerint. Attamen mirari subit, quo pacto hi abbates ad hanc abbatiam pertineant, quorum ne unus quidem reperitur in necrologio domestico apud Schannatium in Vindemiis litterariis. Sic autem habet:

I. Simon quondam abbas, VIII. idus Januarii.
II. Diepoldus, pridie cal. Martii.
III. Folkernus I. XVI. cal. Aprilis.
IV. Johannes, VIII. cal. Aprilis.
V. Landoldus, idibus Aprilis.
VI. Adelhelmus, pridie idus Maii.
VII. Erkenbertus, calendis Julii.
VIII. Ernicho, *forte* Emicho, XIV. calend. Augusti.
IX. Gotfridus I. X. cal. Aug.
X. Rudmannus, IV. nonas Aug.
XI. Bertholdus, pridie nonas Aug.
XII. Gotfridus II. sexto idus Aug.
XIII. Hucbertus, pridie idus Aug.
XIV. Wernherus, pridie idus Aug.
XV. Folkernus II. sexto idus Novemb.

Vide Vindem. litterar. pag. 19. XVI. Euvihardus, *seu* Eberhardus I. obiit 975. III. nonas Aprilis; sub quo monasterium denuo reædificatum consecrasse perhibetur Erkenbaldus episcopus Argentinensis.

Ibid. XVII. Folkernus III. post regimen annorum 33. vivere desiit an. 1008. XIV. cal. Junii.

Ibid. XVIII. Ekebertus, *sive* Eggbertus præfuit annis octo, deinde mortuus est nonis Octobris an. 1016.

Ibid. XIX. Regimboldus I. eligitur eodem anno, XII. cal. Novemb. quem falso credunt præfuisse annis XI. mensibus IX. ac diebus IV. etenim

XX. Sisicho interfuisse reperitur an. 1022. concilio provinciali apud Selingenstadt in monasterio SS. Marcellini & Petri.

XXI. Regimboldus II. regebat anno 1025. quo rex Conradus Henrici decessoris sui decretum firmavit, ut scilicet Schutterana abbatia Bamberbensi episcopo subjecta remaneret. Obiisse legitur an. 1027. XIV. cal. Aug.

XXII. Rustenus, quem perperam nonnulli contendunt fuisse abbatem S. Mariæ in Nigra-silva, præfuit Schutterano monasterio annis 7. mense uno, ac diebus 2. Obiit 1034. IV. nonas Septemb.

A XXIII. Eberhardus II. ad quem exstat epistola Ottonis episcopi Bambergensis omnibus sibi subjectis abbatibus communis, circa annum 1109.

XXIV. Conradus I. bullam protectionis obtinuit ab Innocentio papa, datam V. cal. Nov. indict. XV. an. 1136. pontificatus ejusdem anno septimo. Notatur ejus obitus in martyrologio, an. 1162. X. cal. Augusti.

XXV. Swigerus proxime Conrado successit.

XXVI. Fridericus I. cujus effigies circa sepulcrum Domini visitur, in cujus vestimenti fimbriis sculptum legitur: *Abbas Fridericus prædecessor Hermanni abbatis.*

B XXVII. Hermannus de Burner præerat an. 1268. quo facta est translatio sanguinis D. N. J. C. de qua exstant hi versus:

Bis sexingenti, decies sex, octoque Christi
Exstiterant anni, medio sub mense Novembri;
Hermannus guttas quod Christi sanguinis abbas
Ex Argentina tulit in Schutteram, simul una
Crinem Mariæ: flexi precibus tribuere
Guttas majores fratres, crinemque minores.

Anno 1273. Albertus scultetus de Malberg, heredes & uxor ejus ei dederunt tria *quartalia* C siliginis, & totidem hordei in Rudgersweiler. Idem an. 1283. idibus Augusti consecrari fecit quinque altaria per Johannem episcopum Letoniensem, *al.* Laconiensem, auctoritate Conradi episcopi Argentinensis; dieque decima-nona Decemb. ejusdem anni sextum altare superius in testudine consecratum est in honorem S. Michaëlis & omnium SS. Anglorum. Qua etiam die in claustro ante valvas templi consecrata est sepultura prælatorum, ut liquet ex apposita hac inscriptione: *Cæmeterium hoc venerabilium abbatum hujus monasterii Schuttern anno Domini MCCLXXXIII. XIX. Decemb. sub abbate Her-* D *manno de Burner eousque est consecratum, quousque incisæ pictæque cruces muros utrosque insigniunt.* Hermannus quoque post alterum incendium, quo monasterium an. 1240. conflagravit, novum opus super tumulum Offonis fundatoris exstruxit in ecclesia parochiali, cui ab externa parte hæc antiqua *legenda*, ut vocant, insculpta est: Rex *Offo fundator hic sepultus.* Vetus est traditio & adhuc lapidum fragmenta hinc inde dispersa testantur, Offonem inter hos duos abbates Fridericum & Hermannum sepulturam habuisse, cui superposita erat ejus statua regio ornatu. Versus autem altare martyrum vi- E situr statua Hermanni abbatis, in cujus vestimenti fimbria legitur: *Hermannus abbas fecit istud novum opus.* Ceterum intuitu pretiosi Sanguinis huc delati, de quo supra, Johannes ex ordine Theutonicorum episcopus Laconiensis, iis, qui ad locum hunc devote venerint, tribuit indulgentiam centum dierum pro criminalibus, & anni pro venialibus peccatis, an. 1288. die sancti Bartholomæi apostoli, Hermanno abbate præfati loci. Denique cum præfuisset annis 33. mense uno & diebus decem, obiit 1295. XV. cal. Junii.

XXVIII. Rudolfus, quem secundum ejus nominis dicunt, electus est abbas calendis Junii an. 1295. Defunctus est 1327. IV. idus Martii; ac paulo post ecclesia parochialis *Kondringen* ob inopiam monasterii eidem unita fuit an. 1332, auctoritate Romani pontificis. Sed heu! circa 1335. Strasburgenses cives monasterium incenderunt.

XXIX. Johannes I. Armbroster an. 1433. privilegium obtinuit in concilio Basileensi. Johannes item Armbruster jam an. 1416. apud commissarios a concilio Constantiensi delegatos in causa Guillelmi episcopi Argentin. quem in carcerem conjecerant, novas querelas de illo deponit cum Burchardo abbate Novi-villaris.

XXX. Johannes II. Widel, *aut* Wedel primum fuit prior claustralis in monasterio Hirsaugiensi, deinde prior localis in Reinchenbach, ac postremo circa an. 1482. a Blasio Hirsaugiensi abbate Schutterano monasterio præfectus est, a reformatione primus abbas. Recensetur an. 1501. inter abbates, qui consilio Philippi comitis Palatini & Alberti Argentinensis episcopi delegati sunt ad reformandum Gengenbacense monasterium. Idem an. 1506. adfuit capitulo annuali apud Moguntiam, superstes an. 1508.

XXXI. Rudolfus III. 1537.

XXXII. Fridericus II. Hauff obiit 1593.

XXXIII. Jacobus I. Friderico successit eodem anno 1593.

XXXIV. Tobias, per cujus obitum

XXXV. Conradus II. Fuchsius electus est an. 1638.

XXXVI. Vincentius Hug e S. Blasio postulatus, Schwarzachio præfuit, deinde Schutterensi monasterio, fato functus die 12. Septemb. an. 1656.

XXXVII. Benedictus Fuser, Brisacensis, electus 26. Sept. dum non multo post cedere parat, moritur an. 1658. die 12. Nov.

XXXVIII. Blasius Sarwey, Constantiensis ad Lacum Acronianum, e S. Blasio evocatus, ubi post absoluta Romæ in collegio Germanico studia theologica & juridica, philosophiam ac theologiam docuerat, Schutteram accessit die 29. Martii an. 1659. Fuit a consiliis marchioni Badensi, & in aula magno in pretio habitus, suaque industria monasterium, quod in ære alieno viginti sex millium florenorum reperit, magna ex parte liberavit. Præerat adhuc an. 1672.

XXXIX. Jacobus II. Vogler obiit 1708.

EBERSMUNSTER.

NOVIENTUM, *seu* APRI-MONASTERIUM.

EBERSHEIMENSE, *aut* EBURSHEIMENSE monasterium, *Novientum*, seu *Novietum*, ut quidam scribunt, olim appellatum, cujus primus auctor dux Atticus, B. Odiliæ virginis parens, fuisse traditur, positum est in Alsatia ad Illam fluvium, & quidem in insula quadam ejusdem fluvii, haud procul a Scelestadio. Sunt qui *Eberhardi-monasterium* dictum malunt ab Eberhardo primo abbate. At certe nunc vulgarius dicitur Apri-monasterium, & patrio sermone A *Ebersmunster*, a vocabulo *Ebersheim*, quod idem sonat ac mansio Apri; loco sic dicto, quod in eo filius Dagoberti II. Austrasiorum regis inter venandum ab apro cæsus credatur. Hunc locum *Aberseniflein* a chronographo Senoniensi nuncupatum, initio non ita celebrem, ut pote cellam duntaxat aliquot monachorum, illustravit suo secessu & secundavit S. Deodatus, qui suo Nivernensi episcopatu relicto, huc accedens ecclesiam sub titulo SS. Petri & Mauricii, cujus obtinuerat reliquias ab Ambrosio Agaunensi abbate, dedicasse fertur XIII. cal. Julii, eidemque loco aliquantum temporis præfuisse. Primordia B vero hujus cœnobii Mabillonius assignare videtur anno 667. tempore Childerici regis, cujus frater & successor Theodericus anno regni sui decimo, die 9. Febr. hoc est anno circiter 684. præceptum eidem cœnobio concessit, quo munirentur monachi adversus regiorum judicum exactiones. Inscriptum est Attico duci, cui nomen fundatoris non attribuitur, sed aliunde hunc ei titulum convenire innotescit ex diplomate Caroli-magni privilegia decessorum suorum Regum pro Novientensi cœnobio anno decimo imperii sui & quadragesimo* regni in Francia confirmantis. In censu vero monasterio- C rum habito 817. in synodo Aquisgranensi numeratur monasterium *Ebersheim* inter ea, quæ nec dona, nec militiam debebant, sed solas preces pro salute Imperatoris vel filiorum ejus; & anno 870. in divisione monasteriorum facta Ludovicum inter & Carolum reges in partem Ludovici concessit. Hoc tandem cœnobium accessit ad congregationem Bursfeldensem an. 1482. *aut* 1607. ex Miræo, hoc autem anno ex Bucelino, melius tamen fortasse 1507. ut pote quod reformasse dicitur Johannes Wedel abbas in Schuttera. Historiam habes Novientensis monasterii tom. 3. Anecdotorum Martennii, pag. 1126. sed multis D respersam fabulis & nævis.

Ch. II. col. 457.

Ch. III. col. 461.

* f. 431

I. S. DEODATUS episcopus Nivernensis, relicto, uti jam diximus, suo episcopatu, monachos apud Novientum primo, deinde in Valle-Galilæa collegisse dicitur. Obiit anno 679. sepultus in Valle-Galilæa, dicta postmodum S. Deodati, *St Dié en Vosge*, quæ modo insignis est collegiata canonicorum ecclesia.

II. Eberhardus, *sive* Erhardus, quem R. P. Laguille suspicatur eumdem esse cum Erardo episcopo, non Ratisponensi sed Regionario, qui sanctam Odiliam salutaribus aquis abluit, & il- E luminavit, certe cum eadem sancta convenit, rogante, ut sibi suisque sororibus in spiritualibus præesset, se quotannis die natali B. M. Virginis cum aliquot fratribus accessurum ad Hoemburgense monasterium sacra facturum, ac diebus Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes, presbyterum unum cum diacono & subdiacono missurum, qui missas ibidem celebraret, & ancillas Christi sacris epulis adhiberet. Idem Erhardus privilegium obtinuit a Theoderico rege anno regni ejus decimo, hoc est anno circiter 684. ut supra.

Hist. Als. pag. 87. & 88.

Ch. 1. vol. 457. III. Columbus Erhardo successit, vixitque ad tempora Pipini regis; quo tempore venerabilis Irinus presbyter cellam S. Petri exstruxit, a beato Pirminio dedicatam.

IV. Benedictus Columbum excepit, cui Pipinus rex litteras immunitatis concessit.

V. Isenhardus Benedicto suffectus est, tum

VI. Diebaldus, *seu* Thibaldus qui a Carolo magno privilegium accepit, in quo vir illuster Adalricus, *seu* Atticus dux, & conjux ejus Berswinda monasterium Novientum in pago Alsaciensi super fluvium Illam construxisse memorantur. Datum legitur pridie idus Aug. anno x. Caroli imperii, regni XL. *lege* XLII. in Francia, atque XXXVI. in Italia, indict. III. Actum Ferdi in Saxonia. Ibbo ad vicem Erkembaldi hoc diploma recognovit. Hic porro sine dubio est Theotbaldus abbas Novientensis in veterrimo Augiæ necrologio laudatus.

VII. Griemoldus, *sive* Grimoldus, apud Bucelinum, & in chronico domestico nuper edito a Martennio nostro, tom. 3. Anecdot. Diebaldo successit.

VIII. Sabacius, *seu* Sambatius privilegium obtinuit a Ludovico Pio imperatore datum an. 824. III. nonas Novembris, non sine mendis relatum in chronico ejus loci, in quo Sambatius ex Amerbacensi cœnobio ab eodem principe assumtus dicitur.

IX. Theobaldus omissus in chronico, sed a Bucelino memoratus anno 828. innotescit maxime ex diplomate, seu privilegio, quod accepit a Ludovico Pio imperatore an. 829. indictione septima.

X. Salemon.

XI. Gibelinus.

XII. Ulfridus.

XIII. Herebaldus. Hi quatuor abbates in chronico post Sambatium eo recensentur ordine. Et hic quidem Herebaldus claruit anno salutis 903. ait Bucelinus; quod si constaret, postponendus esset duobus sequentibus.

XIV. Hartmannus Herebaldo successit, cujus temporibus Arnolfus dux Noricorum Carolo deturbato regnum occupavit, ipsumque Hartmannum abbatia privavit, tradita Baltramno episcopo Argentinensi, qui eam ingressus, omnia suæ ditioni subegit, & monachum quemdam, Helmericum nomine, abbatem constituit; sed is non diu abbatia potitus est: nam a Johanne papa dejectus & excommunicatus, locum cedere coactus est Hartmanno legitimo pastori; quo agente idem Pontifex cœnobii libertatem ac possessiones confirmavit; & Richardis imperatrix bona quædam contulit in Sigoltesheim. Eodem abbate Lanzo nobilis Suevus dedit monasterio prædium quoddam, hac occasione: Cum hic miles uxorem suam suspicaretur amare alium militem, finxit longum iter, & unica tantum die extra suam domum transacta, nocte sequenti redux, pulsavit ostium, & petenti ancillæ quisnam esset, nomen amasii (ut putabat) uxoris suggessit; illa hæc audiens: *ipse est*, inquit, *cujus causa insimulor*, moxque arrepto ense in virum suum irruit, quem uno & altero ictu in capite lethaliter cædit. Allato vero lumine, agnitus est Lanzo, qui antequam exhalaret animam, petita venia ab uxore, Novientensi monasterio dedit prædium, in quo cædes hæc perpetrata fuerat. Illum superstitem facit Bucelinus an. 927. sed hoc falsum est, neque enim tamdiu ante obitum regimen abdicasse credendus est.

XV. Helmericus pseudo-abbas, de quo superius in Hartmanno, a Bucelino privilegium accepisse dicitur ab Arnulfo rege an. 882. *fortasse* legendum 892.

XVI. Eggehardus post Hartmannum Ebersheimense monasterium rexit, Ludovico Arnulfi imperatoris filio regnante, qui suo diplomate donationem prædii Wideneshein in pago Alsatiensi factam monasterio a nobilibus Altmanno & Winechilda conjugibus ratam habuit.

XVII. Baudesius, Bauderius & Baudericus claruit sub Widerolfo episcopo Argentinensi; qui hunc, ait chronicon, ex parte Imperatoris a fratribus electum constituit & ordinavit. Quod autem additur ibidem, Widerolfum varias ei decimas a principibus & ab antecessoribus suis Witgerno & Baltramno Argentinensis ecclesiæ præsulibus Novientensi monasterio traditas confirmasse, præsentibus Willegiso Moguntinensi archiepiscopo & Ottone imperatore, qui ratam habuerit hanc donationem anno 973. & aliud præceptum eidem largitus sit an. 987. cui Widerolfus episc. subscripsit, hoc utrumque falsum est, saltem quoad notas chronicas, pro quibus legendum esset 993. & 997.

XVIII. Rudolfus rexit monasterium sub Alewico ex Augiensi abbate, Argentinensi per duos ad summum annos episcopo.

XIX. Rupertus, qui & Robertus, in chronico sæpius laudato rexisse dicitur ab ultimo anno Odonis III. hoc est ab an. 1002. ad primum Henrici, filii Conradi imperatoris, id est ad annum 1039. Non implicat quidem initium regiminis, sed repugnat finis; enimvero donationis a Bertha de Brandeburg factæ confirmationem obtinuisse legitur an. 1041. a Willelmo Argentinensi episcopo; quinetiam precibus Hezelonis Argentinensis & Theoderici Basileensis episcoporum privilegium accepisse ab Henrico imperatore anno 12. regni ejus, hoc est an. 1050. ind. IX. *lege* III. Ceterum in prædicto chronico *bonus monasterii provisor per multos annos* prædicatur, quod multis commodis ampliavit; nam amnem, qui monasterii claustra præterfluit, multis sumtibus per longum terræ spatium ab Illa flumine derivari fecit, & totum monasterium aquam deducendo circumvallavit, & molendina, ceterasque officinas opportune construxit.

XX. Willo assumtus e monasterio, quod Wivartum, *sive* Onuartum dicitur, per vim abbas intruditur ab Henrico imperatore, hoc pacto, testante chronico. Erat hic monachus aurifex, *Imperatori scyphos cupreos & scutellas stanneas miri operis deauravit, quos militibus in donariis dedit*, quasi aurea vasa; *quod cum militibus innotuisset, ipsum interficere moliebantur, & idcirco*

Imperator illum a se removit, ac per hoc tali commercio abbatem constituit. Quem cum fratres contra velle suum coacti suscepissent, quosdam ex ipsis nobiles & litteratos viros monasterio pepulit, & filios pistorum, ac cocorum & piscatorum inthronisavit ac tonsurari fecit, quos etiam nos ipsi, inquit chronographus, *postea de claustro profectos, portarios & pistores, ac molendinarios monasterii vidimus.* Tandem vero hic abbas, seu potius abbatis larva cum spoliis monasterii aufugit & Vormatiæ dilapidatis ultra non comparuit.

XXI. Egelolfus I. *sive* Agelolfus nobilis monachus Amerbacensis, rogatu Hezilonis Argentinensis episcopi, qui & ipse, ut fratres conveniret, ab Imperatore rogatus fuerat, electus est in abbatem. Attigit tempora Werinharii episcopi ex chronico, sed in his saltem fallitur, quæ de hoc episcopo tradit, tanquam veneno in insula quadam sublato, jussu Græcorum regis, ad id impulsi ab Henrico imperatore, ut supra videre est in eodem præsule. Additur vero Agelolfum capellam primæ fundationis jam vetustate collapsam destruxisse, eamque in alio loco, id est ante portam majoris ecclesiæ in honorem S. Johannis Bapt. construxisse, & ex hoc & deinceps per multa tempora semper locum in deterius prolapsum esse.

XXII. Adelgaudus Murbacensis monachus, ex prosapia ducum Saxoniæ, seu filius Judithæ natæ sororis Rudolfi Sueviæ ducis, a fratribus in abbatem postulatus, monasterium egregie restauravit; qui demum ab Imperatore dejectus est, propterea quod quam sibi coronam Rudolfus prædictus conjuratione Saxonum & quorumdam principum Rex salutatus adversus Imperatorem, imposuit, ea clam in hoc monasterio fabricata fuisset. Inde Murbacum rediit, ubi post annum e vivis excessit.

XXIII. Gerungus ex proprio gremio vir nobilis & honestus assumtus in abbatem, decem annis monasterium rexit ac melioravit; qui postremo apud Imperatorem falso insimulatus cessit & in Burgundiam ad cognatos suos rediit. Calumniator autem & injurius Walterus monasterii cellerarius seipsum abbatem intrusit contra voluntatem episcopi; & quamvis nunquam ordinatus, monasterio præfuit viginti quatuor annis magno ejus detrimento; cumque interim rescisset Gerungum Romam profectum a Pontifice litteras suæ restitutionis obtinuisse, jamque ipsum in quamdam curtim monasterii divertisse, illo Waltherus transmisit duos ex famulis suis & fullonem, qui specie gratulationis venenatum vinum ei propinaverunt; quo hausto Gerungus mortem vicinam persentiens, ad monasterium, quod *Selsa* dicitur, se navigio deferri præcepit, ubi haud multo post defunctus est.

XXIV. Walterus I. pseudo-abbas, de quo supra, tandem & ipse veneficio affectus, per tres continuos dies, totidemque noctes tam gravi somno pressus est, ut a nemine potuerit excitari, & sic ultimo resignavit; cujus temporibus, ait chronicon, Oddo episcopus curtem monasterii in Wizwilre cum suis omnibus pertinentiis invasit & raptoribus concessit.

XXV. Conradus I. nobilis monachus Clingensis, sed virtutibus & scientia nobilior, jubente Henrico imperatore per Stephanum Clingensem, Wirtsburgensem, Sebzensem & Limburgensem abbatem, necnon Imperatoris consiliarium, in abbatem Novientensem postulatur & a Cunone Argentinensi præsule ordinatur. Hic anno regiminis tertio veterem ecclesiam ruinæ proximam destruxit, novamque cœpit reædificare, sed imperfectam, fato præreptus, reliquit, postquam annis viginti octo sedisset. Sane memoratur in charta Gebehardi episcopi Argentinensis an. 1133. XVIII. cal. Dec. ecclesiam de Bongart consecrantis. Conditus est in sacello SS. Stephani, Laurentii & Vincentii, quod postmodum in capitulum mutatum est. Ch. XIV. col. 478.

XXVI. Sigemarus antea prior hujus loci, vir honestus & prudens, a fratribus in abbatem eligitur & Gebhardo Argentinensi episcopo perficiendus sistitur anno circiter 1138. ut pote qui anno suæ ordinationis secundo Romam perrexit ad concilium Innocentii II. papæ, quod habitum est an. 1139. Inde reversus opus ecclesiæ a suo decessore inchoatum tanto promovit ardore, ut & illud ad exitum perduxerit. Sub hoc etiam abbate nobilis quidam de Rinowa, *Udalricus* nomine, sagitta in Terdonæ civitatis obsidione transfixus, cum jam se moriturum cerneret, allodium suum *in Kunigesheim* obtulit S. Mauricio Ebersheimensi, ac se monachum ibidem fieri rogavit; cumque a Fuldensi abbate tonsura initiatus & cuculla indutus fuisset, statimque mortuus, ad hoc monasterium Novientense, jussu Imperatoris, delatus est an. 1155. ibique a Burchardo episc. Argentinensi, & Sigemaro abbate sepultus est. Sigemarus autem obiit anno suæ ordinationis 27. & in sepulcro decessoris sui Conradi positus est.

XXVII. Notgerus ex cellerario in abbatem electus, post quatuor regiminis annos cum dimidio exstinctus est.

XXVIII. Otto de Hiltzheim vir providus & litteratus, officio Prioris fungebatur, quando in abbatem electus est. Hic pro contractis debitis seipsum obsidem dedit, & interea diem clausit Argentinæ in ipsa natalis Domini nocte, postquam sedisset annis duodecim. Inde vero per fluminis alveum devectus ad monasterium, ante fores ecclesiæ sepulturam accepit.

XXIX. Egilolfus II. nobilis Burgundus, eruditione ac religione clarissimus, ex Priore fit abbas, nec multo post, anno scilicet 1183. bullam protectionis accepit a Lucio papa III. Sacellum S. Nicolai super eminentes columnas exstruxit, ubi postea, uti prædixerat, plurima sunt patrata miracula. Pavimentum monasterii quadrato lapide stravit, & ecclesiæ chorum egregie concameravit. Demum infirmatus invisitur ab episcopo Argentinensi Henrico de Hasenburc, quem sibi toto regiminis tempore contrarium passus, ait Chronicon, ad tribunal Christi vocavit infra terminum anni, tandemque mortuus

est circa Assumtionem B. M. Virginis, anno præ- A
fecturæ duodecimo, Christi 1189.

XXX. Fridericus de Ebersheim tempore schismatis & in ipso schismate electus abbas, confirmationis gratia mittitur ad episcopum, qua negata, nihilominus redit in possessionem, & subtractis optimis ecclesiæ privilegiis, vi potitur votis. Verum episcopus quemdam nobilem & proceræ staturæ virum, Raimundum nomine, qui venerat *de Babenberc*, & monachus erat claustri, quod dicitur *Munichebere*, superducit & instituit. Quo viso schismaticus litem dimisit, & veniam petens receptus est, (non tamen in B
abbatem) sed privilegia non sunt ecclesiæ restituta.

XXXI. Raimundus monachus *de Munichebere*, ab episcopo, uti jam diximus, superductus est abbas, sub quo, satis quantum in se religioso & casto, monachi tertio ob annonæ caritatem dispersi sunt, & ipse ad abbatem S. Walpurgæ declinavit. At vero tandem persuasus ab Henrico de Veringen episcopo, abbatia cessit circa 1213. postquam ea potitus esset viginti quatuor annis.

XXXII. Arnoldus de Rotemburg abbas Murbacensis, etiam in abbatem Novientensem C
a fratribus eligitur, sed hanc electionem Henricus episcopus irritam declaravit.

XXXIII. Wernherus I. abbas Hugonis-curiæ ab episcopo Henrico fratribus Novientensibus etiam abbas impositus est. Qui anno sui regiminis nono a quibusdam Hugonis-curiæ monachis diffamatus apud Albertum comitem de Habsburg hujusce monasterii advocatum, quasi res hujus ecclesiæ in usus alterius impendisset, varie ab eo divexatus est. Nec multo post Romam profectus in comitatu Argentinensis episcopi, in itinere mortuus est, pecunia, quam secum pro viatico habebat, ad monasterium per dictum Argentinensem episcopum remissa.

XXXIV. Wernherus II. de Corch hic a D
puero enutritus sodalium suorum calculis abbas efficitur; qui deinde suspectus de lepra, probandus ad sesquimensem sequestro recluditur; tum vero ad synodum vocatus est, cujus consilio regimen abdicavit circa an. 1224. cum necdum integro triennio tenuisset.

XXXV. Anshelmus prior ejusdem loci, cum nimium festinanter, antequam scilicet a Werneri abbatis obedientia absolveretur, a fratribus electus fuisset, recusari meruit ab *investitore*.

XXXVI. Henricus patria Herbipolensis, ordine Cisterciensi relicto, quem puer professus erat, ingressus est ordinem domus Theutonico- E
rum, in quo apud Honorium papam, ob doctrinam singularem, summæ cameræ dignitatem adeptus est. Tum vero Cisterciensem ordinem repetiit in monasterio Pomeriensi, unde post sex probationis menses ordinis rigore absterritus recessit, tandemque in monasterio Ebersheimensi receptus, ejusdem paulo post electione fratrum abbas effectus est & ab episcopo confirmatus. Deinde Romam a Bertholdo episcopo Argentinensi missus est contra invasores bonorum ecclesiæ censuras postulandi gratia, indeque bullam ab Honorio papa concessam retulit anno 1224. Verum paulo post insidias passus ab hominibus regiis, Argentinam fugit, ibique luxuriose vivendo monasterii bona dissipavit; quapropter cum iniret septimum annum regiminis, per visitatores ab Ottone cardinali legato institutos, exauctoratus est, superstes, inquit Bucelinus, anno 1236.

XXXVII. Conradus II. ex Neovillariensis ecclesiæ camerario Novientensis abbas per prædictos visitatores invitus constituitur, quem & episcopus approbavit: cumque paulo post ad locum accessisset, neque unius diei annonam invenit. Verumtamen adjutus a Dominicanis & Franciscanis monasterium suum feliciter reformavit, quod exinde circa medietatem quinti anni ejus regiminis, concursu populorum ad sacellum prædictum S. Nicolai maxime locupletatum est. Præerat autem Conradus an. 1258. quo transactionem inter ipsum & cives Aprimonasterii ratam habuit Henricus episcopus Argentinensis. Quinetiam, ait Bucelinus, vixit usque ad annum 1260. & ultra.

XXXVIII. Leo sedebat an. 1297.

XXXIX. Dithmarus obiit an. 1313. cujus hoc epitaphium extra chorum ecclesiæ reperitur;

Novembris idus in cælis nobile sydus
Abbas Dithmarus jam Christi munere clarus:
Est huc translatus.

XL. Wolframus e vivis excessit an. 1327.

XLI. Nicolaus I. monasterium regebat anno 1341.

XLII. Petrus floruit an. 1350.

XLIII. Conradus III. diem supremum obiit an. 1352. sepultus in capitulo, cujus ibidem incisum lapidi epitaphium exstat.

XLIV. Waltherus II. abbas an. 1363. assentiente Johanne Argentinensi episcopo, statuit; ne monachorum numerus excederet decem & octo.

XLV. Hugo memoratur abbas 1396. & 1401. quo anno bullam obtinuit a Bonifacio IX. sibi permittentem parochiales ecclesias unire monasterio, easque per se aut suos administrare.

XLVI. Fridericus II. præfuisse legitur anno 1418. tempore concilii Constantiensis; sub quo etiam fortasse anno præcedenti Sigismundus Romanorum rex insigne privilegium huic monasterio concessit.

XLVII. Bernardus I. ex equestri familia de Ramstein.

XLVIII. Bernardus II. ex equestri Mansonum gente claruit annis 1446. & 1462. intereaque multa scripsit, suique jura monasterii acriter defendit.

XLIX. Johannes I. Henninger, *al.* Hehinger & Hoctzinger decessorem imitatus claruit anno 1470.

L. Balthasar I. an. 1487. parochiarum sub Hugone abbate concessarum obtinuit confirmationem ab Innocentio VIII.

LI. Laurentius senio gravatus regimen abdicavit an. 1511.

LII. Georgius a Reichenbach Schiffenburgensis ex Prussia, monachus primum Weissenburgensis, deinde Ebersheimensis, tandem hujus loci fuit abbas ultimus nobilium; cui an. 1511. die 16. Octob. præsente Laurentio decessore, cives tanquam subditi fidelitatis obsequium præstiterunt. Idem an. 1531. obtinuit privilegiorum confirmationem a Carolo V. imperatore. Vir sane æterna laude dignissimus, qui monasterium suum in rebellione rusticorum mire servavit, restituit, plurimum æris alieni dissolvit, deinde octogenarius, ut soli Deo viveret, cessit, tandemque anno 1540. defunctus, humili loco sub pedibus piscatorum sibi quondam rebellium sepeliri voluit.

LIII. Johannes II. Gengelbach, *al.* Sengelbach abbas ex Priore, memoratur anno 1539. Obiit 1550. sepultus ante aram sancti Erasmi.

LIV. Matthias Koler pulsus ab hæreticis ex monasterio Hirsaugiensi, & in hoc loco receptus, abbatialem postmodum meruit honorem, & quamdiu vixit illo se dignum præbuit, augendo monasterium multis ædificiis & ornando. Huic anno 1559. Ferdinandus imperator immunitates ab antecessoribus suis cœnobio concessas roboravit, cui diplomati Daniel archiepiscopus Moguntinus archicancellarius subscripsit. Idem etiam præstitit Maximilianus an. 1567. Præfuit autem Matthias annis 41. cumque jam annum ætatis suptuagesimum octavum attigisset, curam abjecit pastoralem, paulo post e vivis egressus 1591.

LV. Jacobus (*al.* Johannes Afrer, ex Bucelino,) triennio præfuit, vita defunctus an. 1594. XVII. cal. Decembris.

LVI. Wolfgangus Heim vix elapsis quindecim diebus mortem oppetiit eodem anno 1594.

LVII. Gaspar Brendlin usum pontificalium obtinuit a Paulo V. Romano pontifice an. 1606. quem scribit Bucelinus mortuum esse an. 1610. sed fortasse prius abdicaverat.

LVIII. Balthasar II. omissus in catalogo domestico, obiit 13. Januarii an. 1610. ex necrologio Altorfiensi.

LIX. Martinus I. Schell, Ensisheimensis, post tres annos regiminis rebus humanis exemtus est an. 1613.

LX. Martinus II. Schlaterer, *al.* Schlatter, abbas ex Priore, & visitator congregationis Alsato-Benedictinæ, memoratur 1617. & 1626. quo anno societatis litteras accepit a patribus reformatæ congregationis SS. Vitoni & Hidulfi. Adhuc reperitur an. 1628. in privilegio Ferdinandi imperatoris; sub quo tandem monasterium a Succis exustum est anno 1633. Obiit anno 1645.

LXI. Nicolaus II. Specklin, vir eruditus & religiosus, strenuus disciplinæ restaurator, nec solum de suo, sed etiam de pluribus aliis monasteriis benemeritus, plurima pia & utilia scripsit. Demum hanc vitam cum meliori commutavit die 22. Julii anno 1657. cum vivens hanc sibi sepulcralem inscriptionem composuisset:

Ibam qua poteram, qua non poteram, non ibam,
Tu quoque qua poteris, si cupis, ire velis.
Quæ potui, feci, tibi nunc infecta relinquo
Posthume, fac possis quæ tibi licta manent.
Postulat ordo, locus, quæ jam cœpere priores
Posthume perficias, postulat ordo, locus.
Ast fortasse tibi mea facta hæc nulla videntur;
Ut dicas, nihil est, subsequere & satis est.
Restrue destructum, simul & collapsa reforma,
Sis, age quod potis es, si facis hæc, satis est.

LXII. Victor Trayer obiit an. 1659. die 9. Decembris.

LXIII. Exuperius Egersheim, vir potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo, in quo mitissimus semper apparuit, justus, mansuetus & pius, ecclesiam ædificare cœpit, quam utique perfecisset, nisi sibi semper optata, aliis autem immatura morte præreptus fuisset. Obdormivit in Domino die 30. Septembris anno 1672.

LXIV. Ildefonsus Mayer, *latine* Villicus, obiit exsul Argentinæ an. 1674.

LXV. Bernardus III. Rothelin electus est canonice an. 1675. 18. Febr. Rexit autem ad annum circiter 1715. interea vigilantissimus congregationis Alsato-Benedictinæ per viginti sex annos continuos visitator, jurium sui monasterii defensor accerrimus, proventuumque auctor egregius. Hic ecclesiam ab Exuperio inceptam perfecit, tribusque elegantis operis turribus speciosam reddidit, sacra vero suppellectile ex auro & argento, vestibusque sacris adeo magnifice & copiose eam exornavit, qualis etiam a prima fundatione visa non est; pluribus etiam aliis ædificiis monasterium hinc inde auxit & restauravit; cumque jam annos regiminis quadraginta computaret, conventum a primo lapide novum erigere parabat.

ETTENHEIMIUM, *seu* HATTONIS, *vel* ETTONIS-MONASTERIUM, *& olim* CELLA-MONACHORUM.

ETTHEIN-MUNSTER.

HOc cœnobium Benedictinum in Alsatia inferiori positum, ad ingressum Nigræ-silvæ, prope Kentzhingum & ultra Rhenum haud procul, Cellæ-monachorum nomen accepit a Wiggero Argentinensi episcopo, primo ejusdem loci conditore, seu restauratore circa annum 700. Appellatum est vero Hattonis, *seu* Ettonis monasterium a suo quasi dotatore Hattone, *seu* Ettone S. Odiliæ germano, ait Mabillonius, vel a suo restauratore cognomine, alterius nepote, seu potius a marcha *Etinheim* super fluvio Undussa, in qua conditum erat in honorem S. Mariæ Virginis, ac S. Johannis Bapt. sanctique Petri apostoli, ex eodem Mabillonio. Prior itaque Hatto alterius avus, comes Habspurgius locum hunc condidit, sive suppetias tulit exeunte seculo septimo, vel octavo ineunte, nepos vero cognominis abbas Divitis Augiæ, cum postremo ad apicem sedis Argentinensis vocatus esset, Hattonis seu Monachorum-cellam, avi sui opus,

ad abbatiæ dignitatem extulit pro triginta monachis, & nomine beati Landelini consecravit; unde hi versus:

Anno ter deno septingentesimo quarto
Antistes claustrum renovando condidit Etho.

Et in quadam ecclesiæ hujus monasterii fenestra depicta erat hæc inscriptio: *Heddo præsul Argentinensis ecclesiæ, renovator hujus loci.*

Deinde vero idem Etto suum in gratiam hujus monasterii condidit testamentum an. XI. Pipini regis, III. idus Martii, hoc est an. 762. *vel* 63. quod vide apud Guillimannum in episcopis Argentinensibus, & inter probationes historiæ Alsatiæ, pag. 16. Denique hoc monasterium, quod alia præter nomina, sanctorum etiam Otthonis & Landelini in Ethona vocatum est, congregationi Bursfeldensi coaluit an. 1607. tum vero ad congregationem Alsato-Benedictinam accessit, de qua vide infra in Schwarzacensi monasterio.

Series Abbatum.

I. HEDDO, *seu* ETTO, *vel* ETHO, episcopus Argentinensis, restaurati a se monasterii primus abbas dicitur in annos octo; de quo putamus scriptum, ait Mabillonius, in necrologio Augiensi pervetusto: *Ex monasterio Etinheim Uto episcopus vel abba.*

II. Hildolfus ab ipsomet Hettone episcopo triginta monachis, quos illic congregaverat & abunde dotaverat, præficitur abbas, eo pacto, ut cœnobialem ibi vitam sub regula S. Benedicti ducentes, pro stabilitate religionis ac regni Deum precari non desinant. Id liquet ex testamento Heddonis episcopi, de quo supra.

III. Wolfhardus anno 926. commemoratus abbas in transactione suum inter monasterium & Waldchirkense, videtur fuisse Ettinheimensis abbas, apud Guillimannum de episc. Argentin. pag. 139.

IV. Litthholdus, *sive* Lichtoldus & Luitoldus.

V. Reginoldus, *vel* Reginaldus, hi ambo incerta ætate vixerunt.

VI. Wernherus e S. Blasio assumtus abbas, seu Prior Ethonis monasterii adfuit comitiis Argentinensibus an. 1125.

VII. Burchardus præfuit abbas circa annum 1211. ut ex hac fenestræ cujusdam inscriptione patet: *Burchardus abbas me fecit.*

VIII. Godefridus.

IX. Nicolaus I. Fulkesius.

X. Hesso I. Alsata, de Bergkino; *al.* de Berckheim.

XI. Hermannus de Burnern.

XII. Nicolaus II. Fulkesius, vir nobilis.

XIII. Jacobus de Eschach vir nobilis a venatore quodam ministeriali suo, quem ob scelus magnum comprehendi jubebat, trucidatur anno 1396. sepultus in introitu sinistro turris.

XIV. Andreas I. Kranch ex patriciis Argentinensibus natus, successit Jacobo in annos pene quadraginta. Decessit an. 1437. præclaro mausoleo decoratus in Paradiso, qui locus antecessorum pene omnium corpora & sepulturas habet.

A XV. Andreas II. de Utramsheim, vir genere & virtute nobilis, quo sedente maxima pars cœnobii in cineres abiit, moritur anno 1441. sepultus ante introitum chori.

XVI. Henricus Reiff (quod nomen Latinis pruinam sonat) patria Argentinensis, & quidem patre ejusdem urbis scabino natus, eligitur per discordiam an. 1441. pars enim fratrum cuidam Antonio Trubelio, postea S. Maximini Trevirensis abbati, patrocinabatur. Rexit Henricus annis 30. quibus cœnobium sub antecessore combustum insigniter restauravit. Idem anno 1459. cum aliis abbatibus præfuit capitulo pro- B vinciali Nurembergæ apud S. Egidium celebrato. Obiit vero 1470. sepultus honorifice in templi sui choro.

XVII. Hesso II. de Thiersberg præfuit ac profuit annis 30. quo tempore, anno scilicet 1483. mediam partem decimarum Riegolis acquisivit a Conrado abbate Heremitano. Mortuus est an. 1500.

XVIII. Laurentius I. Esinger, ex Willingen oriundus non procul a Danubii fontibus, eligitur abbas in festo S. Ulrici an. 1500. Adfuit an. 1523. electioni Udalrici in abbatem Alberspacensem: sedit laudabiliter annis 43. & aliquot C mensibus, ac tandem vivere desiit an. 1544.

XIX. Quirinus ex Ethenheim oppido, patre textore natus, præfuit ab an. 1544. ad annum saltem 1550.

XX. Balthasar Impser abbas S. Ettonis obiit 13. Januarii 1582.

XXI. Laurentius II. Guntiar, etiam abbas Altorfii decessit an. 1592.

XXII. Gasparus Gayer mortem oppetiit 1634.

XXIII. Franciscus Hertenstein, *hoc est* durus lapis, e S. Gallo postulatus circa annum 1650. per decem annos continuos fuit præses congrega- D tionis Alsato-Benedictinæ ab anno circiter 1662. Hic etiam templum sui cœnobii, quod sub annum 1632. combustum fuerat, reædificavit.

XXIV. Maurus diem clausit extremum anno 1704.

XXV. Paulus Vaugler exuit hominem 21. Febr. an. 1710.

MAURI-MONASTERIUM, *olim* CELLA-LEOBARDI.

MAURS-MUNSTER.

ID quondam nominis habuit a S. Leobardo; primo hujus loci conditore & abbate, sicuti E a Mauro in ordine abbatum quinto *Mauri-monasterium* dictum est. Vixisse vero S. Leobardum sub Childeberto rege I. quidam volunt, alii melius sub Childeberto II. vergente ad finem seculo VI. ac Maurum Theodorico IV. regnante, cognomento Calensi. Conditum est tertio a Tabernis in Alsatia (*Saverne*) lapide in honorem SS apost. Petri & Pauli & S. Martini, ut legitur in præcepto dicti Theodorici apud Jodocum Coccium in historia Dagoberti, cap. 6. pag. 52. & apud Bruschium in monasteriorum Germaniæ chronologia, pag. 84. Dedit hoc monasterium

Ludovicus Pius S. Benedicto Anianæ abbati, A qui illuc misit multos Anianenses monachos ad illud secundum suas leges instituendum. Conflagravit autem an. 828. Sed ab eodem Ludovico Drogoni fratri suo Mediomatricum episc. commendatum est ad restaurandum; quod hic strenue exsecutus est, ac illuc etiam intulit corpora SS. Cœlestis & Auctoris antistitum Metensium, ut ait Gabriel Bucelinus in altera parte monasteriologiæ Germanicæ, atque Jodocus Coccius in Dagoberto redivivo cap. 6. qui etiam translationem illam factam ait sub abbate Celso. Meminit etiam hujus monasterii S. Ansegisus abbas Fontanellensis in suo testamento anni 831. quo B scilicet libram unam legat *ad Monasterium-Mauri.* Denique hoc cœnobium an. 1517. ex Bucelino, 1607. ex Miræo, unitum est congregationi Bursfeldensi, e qua transiit ad Alsato-Benedictinam congregationem.

Vita S. Bened. Anian. n. 47. secul. 4. Benedict. part. 1. pag. 210.

SERIES ABBATUM.

I. S. LEOBARDUS I. colitur v. cal. Martii.

II. Anastasius rexit monasterium annis 40.

III. Godefridus I.

IV. Leobardus II.

V. S. Maurus, a quo Mauri-monasterium appellata est sancti Leobardi-cella. Ejus rogatu C Theodoricus rex præceptum dedit, ut diximus, an. 724. aut circiter.

VI. Celsus præerat circiter an. 828. ut supra.

VII. Landelochus claruit sub Othone II. imperatore, quo tempore Volmarus quidam cum Bertha conjuge plurima cœnobio contulit, ex Bucelino; qui tres abbates sequentes nobis suppeditat.

VIII. Godinus.

IX. Cloduarius.

X. Richwinus præfuit an. 1073. usque ad 1115.

XI. Adelo præfuit annis 1123. 1126. tem- D pore Stephani episcopi Metensis & 1127. ex charta pro parthenone S. Johannis prope Tabernas.

Ch. xx. col. 479.

XII. Ruthardus, si Trithemio fides, isthuc abbas ex Hirsaugiensi monasterio missus est anno XII. Volmari Hirsaugiensis abbatis, hoc est. 1131.

XIII. Meinhardus adest consecrationi ecclesiæ Pomerii ord. Cist. factæ a Gebehardo episcopo Argentinensi an. 1133. XVIII. cal. Decembris. Memoratur adhuc apud Bucelinum annis 1137. & 1143. dictus a Bruschio trigesimus abbas.

Ch. xix. col. 478.

XIV. Anselmus claruit an. 1146. qui alioquin 31. annis præfuisse memoratur, ait Buce- E linus; sed hoc stare non potest sive cum eo quod ipse addit, sive quod ipsi nos legimus. Illud est quod addit, Conradum scilicet ad clavum sedisse tempore Friderici I. imperatoris, cognomento Barbarossæ, sive 1163. ex Bruschio; & Wernherum, ut ex diversis patet litteris, loco præfuisse annis 1169. & 1170. Ipsi vero legimus Udalricum S. Blasii monachum anno 1169. factum esse Mauri-monasterii abbatem. Ostendimus difficultatem, solvendam relinquimus.

XV. Garnerius privilegium obtinuit ab Alexandro III. summo pontifice an. 1179.

XVI. Otho, ad quem exstant litteræ Conradi episcopi Spirensis & Metensis an. 1224.

XVII. Alexander omissus a Bucelino, reperitur an. 1245. in schedis Martennii nostri.

XVIII. Rudolfus anno 1249. quædam permutavit cum monialibus de Sindelsperg.

XIX. Godefridus II. obiit VIII. idus Augusti an. 1253.

XX. Johannes I. mortem oppetiit IV. nonas Martii anno 1288. cum præfuisset annis 35.

XXI. Conradus II. incertum quamdiu præfuerit, ait Bucelinus.

XXII. Bernardus I. sub an. 1301. & 1323.

XXIII. Johannes II. præfuit annis 1330. & 1348. ex Bucelino; & certe an. 1346. hominium præstitit episcopo Metensi, ex archivis hujus episcopatus.

XXIV. Walrafus baro de Geroldseck sedebat 1363. & 1376.

XXV. Oswaldus de Wintherthur patria Argentinensis hominium præstat episcopo Metensi an. 1379. Adhuc præerat 1382. ex Bucelino, qui mortuum tradit 1392. sed fortasse tunc regimen abdicaverat; nam

XXVI. Jacobus I. reperitur anno 1389. in archivis episcopi Metensis.

XXVII. Arnoldus 1395.

XXVIII. Johannes III. de Thannstat claruit ann. 1408. & 1409.

XXIX. Conradus III. a Stainbach 1415. & 1431.

XXX. Gaspar I. de Stollhofen 1437. & 1457. ex Bruschio.

XXXI. Adam Speckmoser 1459.

XXXII. Reinhardus Knobloch equestri familia natus, an. 1463. Georgio electo & confirmato Metensi episcopo hominium præstat. Adhuc memoratur 1464. & 1478.

XXXIII. Theodoricus, *seu* Diedricus de Khurneck electus an. 1486. hominium præstitit ecclesiæ Metensi an. 1508. Præfuit annis 31. ac mortuus est 1517. quem dicunt abbatem LIII. Interea tamen, ait Trithemius ad 1512. ad tantam hoc monasterium devenerat miseriam & desolationem, ut neque abbatem, neque monachum ullum haberet, sed per hominem regeretur secularem. Ædificia erant ruinosa, & jam ex magna parte collapsa, eratque monasterium ære alieno gravatum plusquam in sex millibus florenorum. Quapropter illud episcopus Argentinensis obtulit restituendum Hirsaugiensi abbati, sed hic honeste recusavit.

XXXIV. Henricus de Witten Trevirensis, postulatus e monasterio B. Mariæ Virginis ad martyres, obiit an. 1519.

XXXV. Franciscus de Læsura ex eodem monasterio & præposito S. Quirini,[a] vita defunctus est 1524. die S. Marci, cum præfuisset annis 5.

[a] Hanc cellam Ludovicus Leonis papæ IX. avus pro monachis Mauri-monasterii ædificasse dicitur, haud procul a castro Habsburgo, ubi Hugo Leonis parens manere solitus fuisse fertur.

XXXVI.

XXXVI. Gaspar II. Riegker Dillingensis, *al.* A Villingensis, ex Bruschio, postulatur ex Ettenheimunster, cujus altero regiminis anno, seu 1525. rustici cœnobium vastarunt & exussérunt, quod ipse præclare restituit, & in rebelles piissimus, multos e carcere liberari impetravit. An. 1553. hominium præstitit episc. Metensi, ac postea decessit octogenarius an. 1557.

XXXVII. Johannes IV. Pistorius, AlbersPacensis patria, monachus Hirsaugiensis, & post sui monasterii a duce Wirtenbergiæ occupationem hujus loci asceta, ac deinde Prior & abbas, plurimis ædificiis locum auxit & ornavit. Memoratur 1561. in archivis episcopi Metensis, B & an. 1567. e vivis excessit.

XXXVIII. Georgius Hutzlin reperitur anno 1569. in archivis episcopi Metensis. Mortalitatem exuit die 14. Martii an. 1572. postquam cœnobio præfuisset annis quinque.

XXXIX. Gisbertus Agricola ab Alven, e loci hujus monacho creatus & postulatus abbas Altorfiensis an. 1554. & post biennium antistes electus in Gengenbach, quod cœnobium egregie restituit, & huic 30. fere annis præfuit, Maurimonasterium rexit quatuordecim annis, mortuus * al. 26. 23.* Febr. 1586.

XL. Jacobus II. Schreyer ex Hausen Sueviæ C oriundus, ex Priore hujus loci & præposito S. Quirini, electus abbas 1588. 20. Decembris, obiit 1599.

XLI. Fridericus Schwarz reperitur annis 1600. & 1609. in archivis episcopi Metensis, obiit 1633.

XLII. Jacobus III. Dieboldter defecit anno 1638.

XLIII. Wolfgangus Lehner post annos 18. regiminis vivere desiit 16. Aprilis 1671.

XLIV. Gregorius Vogel, *latine* Avis, successit.

GENGENBACUM. D

BENEDICTINUM monasterium, Imperiale dictum, patrona gloriatur B. Maria Virgine, auctore S. Pirminio, fundatore Ruthardo de Zaringen, quem Recentiores Alsatiæ ducem dicunt, ac denique insigni benefactore Luitfrido comite Habspurgi anno 855. Porro conditum est anno 740. ex Guillimanno, trans Rhenum, in Suevia, & in Ortnoviæ pago non longe ab Offenburgo, sed tamen in diœcesi Argentinensi; quod nihilominus Henricus II. Romanorum rex sedi Bambergensi attribuit, Francofurti dato præcepto calendis Nov. an. 1007. quod vide inter instru- E menta. Ipsius abbas ultimo loco recensetur inter quatuordecim prælatos, qui in circulo Suevico suffragia ferunt. Unitur autem hoc cœnobium Bursfeldensi congregationi an. 1505. ex Miræo, 1571. ex Bucelino; tandemque accessit ad congregationem Alsato-Benedictinam, *sive* Argentinensem.

SERIES ABBATUM.

IN libello societatum Augiensium pervetusto memorantur *ex monasterio Keginbac, Germund abbas:* & inter fratres conscriptos S. Galli apud Goldastum, *Emilo & Alfram abbates de Kenginbac*, omnes ante finem seculi IX. ex Mabill. tom. 2. Annalium, pag. 78.

I. RUSTERNO tamen primus abbas dicitur.

II. Reginboldus obiit 20. Julii an. 1028.

III. Bruningus obiit an. 1065.

IV. Rupertus, monachus quondam & abbas S. Michaëlis archangeli in Monte-monachorum prope Bambergam, Augiensem abbatiam pretio comparavit ab Henrico rege; quapropter citatus Romam & ire contemnens, a Gregorio papa tanquam simoniacus & rebellis, ab omni officio clericali & abbatiali dejectus est, mandatum depositionis ei perferente S. Hugone Cluniacensi abbate; sed is contemta Pontificis sententia, regimen cœnobii in Gengenbach ab eodem Henrico rege postea suscepit, ubi vitam brevi miserabiliter finivit die 12. Decembris anno circiter 1077. occisus videlicet a nobilibus vassallis, in quos jus suum, progressus ipse ad vim arcendam, defendere volebat. Numeratur autem abbas L. in quadam serie MS.

V. Poppo hujus cœnobii abbas inscriptus LI. in quadam serie MS. ceteris corrosis, obiit 4. Novembris an. 1083.

VI. Hugo I. *ibidem* quinquagesimo secundo loco positus & sic de ceteris, ineunte seculo XII. ex abbate Gengenbacensi, imperiali auctoritate instituitur abbas Laureshamensis, statimque destituitur. Dum autem præerat Gengenbaco, iniit precum societatem cum abbate & monasterio Einsidlensi, de qua sic legitur in pervetusto Gengenbacensi necrologio: *Omnibus hic regulari tramite Deo militaturis hoc scripto notificamus; quod Dominus Gero abbas cellæ S. Meinradi huc deveniens, ab abbate Hugone, suisque est honorifice susceptus & benigne tractatus: deinde ut mutuæ caritatis glutino perpetim utriusque loci tam præsentes, quam futuri fratres indivisibiliter cohærerent, utrisque abbatibus cum sibi subjectis convenit, ut plenariam fraternitatis societatem, quæ utrimque pene consimilis probatur, sibi vicissim traderent, scilicet ut cuilibet fratri vitam morte commutanti a presbytero triginta missæ, ab aliis decem psalteria debeant decantari. Itaque ne quisquam de his suimet ignaviam ignorantia possit excusare, statutum est in utroque loco eadem litteris mandare.* Hactenus annales Einsidlenses, p. 183.

VII. Marquardus ex Hirsaug. monasterio cum 12. monachis a suo abbate Gebhardo missus est ad gubernandum Gengenbacense, ex Trithemio in chronico Hirsaug.

VIII. Fridericus I. ad quem & alios abbates exstat Ottonis episcopi Babenbergensis epistola consolatoria circa 1109. Defunctus est 19. Octobris an. 1120.

IX. Gotfridus I. privilegiorum ac possessionum confirmationem obtinuit ab Innocentio II.

pridie cal. Martii indict. II. anno Incarn. Dom. A
1139. pontificatus ejusdem anno x. Vivere desiit die 20. Febr. an. 1162.

X. Fridericus II. moritur 17. Decembris an. 1182.

XI. Landofridus e vivis excessit 28. Aprilis an. 1196.

XII. Gerboldus obiit an. 1200.

XIII. Salomon defecit 21. Maii 1208.

XIV. Eggenhardus mortem oppetiit 20. Febr. 1218.

XV. Gotfridus II. vir pius & doctus parochialem ecclesiam S. Martini ad muros Gengenbacenses positam aliquandiu abalienatam re- B
cuperavit, eamque uniri monasterio ab Henrico episc. Argentinensi obtinuit anno 1221. & in usus pauperum & hospitum convertit. Quod Honorius papa confirmavit XVII. cal. Decemb. pontificatus anno quinto, & Sigefridus archiep. Mogunt. VI. cal. Junii 1221. pontificatus anno vicesimo. Rebus humanis exemtus est 25. Junii 1237.

XVI. Waltherus in prædicta serie MS. vocatus hujusce nominis tertius, præerat an. 1242. Ejus obitus notatur 18. Junii.

XVII. Diethericus *ibidem* nuncupatus tertius, sedebat an. 1248. cujus obitus dies consignatur C
in necrologio die 31. Martii.

XVIII. Hugo II. occubuit an. 1269. die 2. Januarii.

XIX. Gotfridus III. floruit an. 1276. Ejus obitus dies notatur 23. Julii.

XX. Berchtoldus II. ejus nominis secundus in prædicta serie MS. vocatus, privilegium obtinuit an. 1278. a rege Rudolfo Habspurgio, quo subditi abbatis ab ejus provocare sententiis prohibentur. Item a Nicolao papa ejus pontif. anno 2. hoc est 1278. *vel* 1289. XV. cal. Martii facultatem accepit benedicendi pannos & pallas altaris, &c. Obiit 8. Febr. an. 1297. D

XXI. Gotfridus IV. eodem anno 1297. memoratus, vitam amisit 15. Nov.

XXII. Berchtoldus III. obiit 21. Martii.

XXIII. Diethericus IV. *sive* Theodoricus, reperitur abbas 1302. & 1309. quo anno prope civitatem fundavit monasterium inclusarum virginum, quod postmodum ab Argentinensibus eversum est. Decessit an. 1323. 19. Novemb.

XXIV. Albero successit, mortuus die 29. Januarii circiter an. 1329.

XXV. Waltherus IV. memoratur annis 1329. & 1345. notatus in necrologio, 21. Octobris.

XXVI. Berchtoldus IV. præerat an. 1348. E
Ejus obitus dies consignatur XII. Aprilis.

XXVII. Lambertus de Burn, *vel* de Brun, *al.* de Buren, *vel* Burnen Wilhelmi equitis aurati filius, in hoc monasterio a teneris educatus, deinde monachus Neovillariensis, postremo in abbatem Gengenbacensem postulatur. Quo in munere tantam apud omnes sua tum eruditione tum ceteris dotibus existimationem comparavit ut eum Carolus IV. imperator suum cancellarium elegerit, eique res Imperii gravissimas administrandas commiserit. Inde fit episcopus Brixiensis, tum Spirensis ab Urbano V. Pontifice declaratur an. 1364. ad novem annos, deinde Argentinensis an. 1373. ac tandem Bambergensis, cui ecclesiæ cum annis 23. laudabiliter præfuisset, obiit in sua civitate die 15. Julii an. 1398. ibidemque sepultus est.

XXVIII. Stephanus de Wilsperg alio discedenti Lamberto successit. Sane memoratur an. 1378. & adhuc 1398. quo mortuus est, die 24. Aug.

XXIX. Conradus I. de Blumberg ipso die; quo Stephanus obiit, electus est, qui fastus & pompæ nimium studiosus, exosus conventui factus est. Obiit anno 1415. tempore concilii Constantiensis, die 22. Decembris.

XXX. Berchtoldus V. Mangold ex hac mortali vita ad meliorem emigravit an. 1424. die 28. Maii.

XXXI. Egenolfus baro de Wartenberg & dominus in Wilelenstein præfuit an. 1425. Hic a Willelmo episcopo Argentinensi privilegium accepit, ut vicarius parochiæ Gengenbacensis, qui antea perpetuus fuerat, in posterum, sive monachus, sive clericus foret, ad nutum abbatis, amovibilis esset. Quod privilegium Julianus cardinalis S. Angeli dictus, Eugenii IV. per Germaniam legatus confirmavit Basileæ an. 1437. Decessit Egenolfus 17. Julii an. 1453.

XXXII. Volzo de Neuneck obiit 6. Julii 1461. postquam annis octo præfuisset.

XXXIII. Sigismundus de Newenhausen; ante cujus electionem conventuales omnes unanimi se juramento adstrinxerunt, ne posthac, quod antea liberum erat, ex rusticis nati in suum collegium, seu monasterium reciperentur, obiit post decem & quatuor annos regiminis die 7. Aprilis anno 1475. in sacello sancti Benedicti sepultus.

XXXIV. Jacobus de Bern novam & insignem basilicam in honorem B. Mariæ Virginis in valle Hadamari, non procul a Cella, oppido imperiali, ædificavit; cumque annis octodecim rexisset, rebus humanis exemtus est 12. Martii an. 1493.

XXXV. Beatus de Schawenburg hujus, inquiunt, nominis & stirpis secundus, præfuit annis sex, ac deinde mortuus est 1. die Febr. an. 1500.

XXXVI. Conradus II. de Mulhein, quo regente, an. 1501. Philippus comes Palatinus, & Albertus Argentinensis præsul de reformando Gengenbacensi monasterio, cujus monachi plus nimio deformate vivebant, consilium inierunt; quod cum audisset abbas, omnibus tam privilegiis, quam clenodiis secum ablatis recessit, unde cum illuc abbates reformatores venissent, inde similiter re intacta abscesserunt. Iste nihilominus abbas sacellum B. Virg. Mariæ in latere majoris ecclesiæ & in eo sepulcrum Domini exstruxisse dicitur; qui deinde parum gratus suis canonicis (sic ea vice fratres appellantur) an. 1505. *al.* 1506. ab iisdem captus est, & in carcerem retrusus. Denique e vivis excessit 3. Febr. anno 1507. cum præfuisset annis septem.

XXXVII. Philippus de Eselsperg e nobili familia natus, cum eruditione & prudentia ceteris

fratribus antecelleret, omnium votis in abbatem A cooptatus est. Quem tanti faciebat Maximilianus Cæsar, ut ipsum bis in monasterio inviserit, & aliquandiu ibi commoratus sit. Verum extra culpam non est, quod suum monasterium, aliorum quorumdam exemplo provocatus, in collegium canonicorum vertere voluerit, & ideo ter magnis sumtibus Romam perrexerit. Quod tamen assequi non potuit, obsistente Willelmo comite Fustenbergico. Denique post annos 24. regiminis e medio sublatus est an. 1531. ipso die natali S. Johannis Bapt.

XXXVIII. Melchior ab Horneck novem, quibus regnavit annis, omnia dilapidavit; tandem- B que mortuus est an. 1540. a catholica religione perfuga.

XXXIX. Fridericus III. de Keppenbach nobilis Brisgoius, exauctorato propter mutatam religionis professionem Melchiori successit an. 1540. ac insequenti fidelitatis obsequium promisit Willelmo Argentinensi episcopo. Hic monasterii scholam per aliquot secula clausam denuo aperuit; & juventutum in bonis educandam litteris docto præceptori Cornelio Eselspergero commendavit. Et hic quidem Cornelius fuit catholicæ religionis apud Gengenbacenses restaurator ferventissimus, utpote qui doctrinam suam C summa vitæ integritate condiebat & confirmabat. Ceterum hujus abbatis tempore cum fœdus Smakhaldicum exortum esset, in eo captus est a Willelmo comite Furstenbergico, sed mox suapte virtute liberatus fuit. Cumque is annis 15. præfuisset, obiit an. 1555. die 12. Augusti. Cujus hoc elogium prædictus Cornelius pastor hujus loci & archipresbyter capituli ruralis Offenburgensis propria manu scriptum posteritati reliquit: *Fridericus rebus humanis peste exemtus, ad Christum commigravit, ut pie credo. Tanta siquidem continentia fuit, ut non jejuniis tantum, sed virgis etiam & ciliciis carnem castigaret,* D *lecto rarius utens, sed stramine cilicino panno strato; ad secundam noctis horam surgens, orationibus & matutinis laudibus persolvendis intentus, primus semper & novissimus in templo, eleemosynis largus, verbis, vestitu, & animo perquam humilis, laboris patiens, luxus omnis infensissimus hostis. Utinam nos ejus discipuli, vel in aliquo saltem ejus æmularemur & assequeremur pietatem. Pridie quam vitam clauderet, matutinis etiam interfuit, non sine gravissimo dolore; nec in lecto jacens, sed cilicino indusio indutus sedens obdormivit in Domino; peste postmodum gravius etiam monasterium adhuc vexante.*

XL. Gisbertus Agricola ab Alven, prius E abbas Altorfiensis, deinde Gengenbacensis an. 1556. hoc monasterium egregie reparavit, ut hoc testatur chronologicum carmen in superiore parte parietis sinistri chori:

CVnCta MonasterII CeLebrIs CoLLapsa fVerVnt,
Ære ast GIsbertI sVnt reparata noVa.

Hoc est an. 1578. Obiit in cœnobio Maurimonasterii, cujus etiam abbas erat, die 23. Febr. an. 1586.

XLI. Johannes Ludovicus Sergius, *vel* Sorgius, Friburgensis, eligitur abbas per obitum Gisberti die 18. Martii an. 1586. Præfuit utiliter annis 19. defunctus 22. Julii an. 1605.

XLII. Georgius Breuningus Mauri-monasteriensis, electus abbas Gengenbacensis die 25. Julii, obiit 1617. 19. Septemb. cum præfuisset annis 12.

XLIII. Johannes Demlerus Friburgensis, eligitur 17. Octob. an. 1617. mortuus 10. Febr. 1626.

XLIV. Jacobus Petri electus die 16. Febr. 1626. obiit 8. Sept. 1636.

XLV. Erhardus Marx Mauri-monasteriensis, electus die XI. Sept. moritur 20. Jan. 1638.

XLVI. Columbanus Meyer Struottensis Sungoius, eligitur 23. Januarii 1638. apoplexia suffocatus die 3. Febr. 1660.

XLVII. Romanus Sutter Molsheimensis, electus die 13. Febr. 1660. cessit an. 1680. die 20. Martii.

XLVIII. Placidus Thalman Turgoius, electus 20. Martii 1680. mortem opetiit 1696.

SCHWARZACHUM; *olim* ARNOLFESAUGIA.

AUctorem agnoscit S. Pirminium, ex traditione,[a] favente, ac dotante Ruthardo Alsatiæ duce,[b] Gengenbaci quoque fundatore. Primo conditum est in Alsatia inferiori, cis & juxta Rhenum, in insula, quæ vocatur *Arnolfesaw*, unde & ipsum monasterium eo nomine appellatum est, haud procul a *Kostzenhausen* pago, qui hodie *Kunstenum* dicitur, Hagenoam inter & Arcem-Ludoviciam *Fort-Loüis*, in honorem S. Mariæ Virginis & SS. apost. Petri et Pauli; eamque fundationem Heddo episc. Argentinensis *nostro*, inquit, *consilio* factam, confirmavit v. cal. Octobris anno VII. regnante Childerico, hoc est anno circiter 748. *vel* 49. Deinde vero cum istud monasterium flammis absumtum fuisset, ac insuper Rutelinus comes, in cujus comitatu situm erat, infestare monachos non cessaret, placuit Ludovico Augusto ad preces Widonis abbatis, ut illud trans Rhenum flumen in propriam cœnobii Salicam terram, pertinentem ad curtam Ulmenam transferretur; *sic tamen, ut jus, quo cœnobii fundator comes Ruthardus ipsum curtem dotavit, firmum & inviolabile permaneat.* Datum est hoc Ludovicianum præceptum, a Guillimanno relatum, anno imperii Ludovici, tertio-decimo, hoc est 826. *Et quia prædictum cœnobium*, inquit Imperator, *transferre cogitamus, ipsum quoque nomen mutare volumus; & nomen, quod Erchangarus comes, in cujus comitatu situs est locus* novi monasterii, *imposuit, nos quoque firmantes Schwarzach monasterio coaptamus.* De cetero cœnobium in temporalibus feudum est episcopo Spirensi obnoxium, quod etiam subditos habet, qui fidelitatis obsequium abbati præstant, in quos partim proprios marchionis Badensis

[a] Neque enim ejus fit mentio in charta Heddonis episcopi hanc fundationem confirmantis. Ch. II. col. 458.
[b] Simpliciter illustris comes dicitur in charta prædicta.

advocati monasterii, partimque ipsius monasterii A mediam & infimam jurisdictionem exercet. Accessit autem ad unionem Bursfeldensem anno 1459. *vel* 1607. ex Bucelino, qui in alterutro fallitur; nunc vero pars est congregationis Benedictinæ in Alsatia, quæ septem monasteria complectitur, quatuor trans Rhenum, S. Ettonis, *seu* Ethein-munster, Schutteram, Gengenbacum & Schwarzachum; tria vero cis Rhenum, Altorfium, Mauri-monasterium & Aprimonasterium.

SERIES ABBATUM.

IN libello societatum Augiensium pervetusto B memorantur ex monasterio *Swarzaha*, Job, Agoaldus, & Lupus abbates; ac insuper Bruningus, Albricus, Ebroinus & Walto abbates, qui potius, ait Mabillonius, huic monasterio assignandi videntur, quam alteri cognomini, quod seculo IX. conditum est in diœcesi Wirziburgensi.

I. SAROARDUS abbas cum suis peregrinis monachis in charta laudata Hettonis episcopi evocatus dicitur ad hoc perficiendum monasterium; cujus viri sancti devotione, & illorum glorioso proposito idem S. Hetto commotus, id C privilegii concessit, ut nullus episcoporum Argentinensium, archidiaconorum, vel quorumcumque aliorum ab eodem monasterio aliquid requirere, vel dona, vel quælibet munera expetere, vel ibi dominari audeat. Dedit quoque potestatem abbati & monachis ejusdem loci & successoribus, si quando opus habuerint episcopo pro consecratione altaris, alteriusve rei, episcopum, undecumque voluerint, accersendi, & ipsi expetito episcopo indulsit ipsorum petitioni annuere; cui post officii celebrationem abbas donet *cambuttam & subtulares*. Mortuo abbate, eligant fratrem alium ex seipsis: si non potuerint inve- D nire idoneum, ex alio monasterio ejusdem religionis consentientem personam eligant in abbatem. Subscripsit Heddo propria manu & ab ipso rogati plures episcopi & abbates anno VII. Childerici regis, hoc est 748. *vel* 49.

II. Wido, *vel* Guido an. 826. uti supra diximus, suum ultra Rhenum transferri monasterium obtinuit ab imperatore Ludovico.

III. Wolfoldus anno 994. III. idus Novembris præceptum obtinuit ab Ottone III. Romanorum rege, quo ipsi & ejus monasterio, necnon ejusdem successoribus mercatum, jus cudendi monetam, erigendi telonium & molen- E dina conceditur.

IV. Wernerus, *seu* Wernharius episcopus Argentinensis an. 1014. ob servitia Imperio præstita, hanc abbatiam cum omnibus ad illam spectantibus a S. Henrico imperatore obtinuit, eamque sine offensa usque ad obitum possedit. Verum cum paulo post, anno scilicet 1032. a Conrado imperatore episcopatui Spirensi annexa fuisset, intra septuaginta duos annos ad tantam devenit calamitatem, ut ei vix ulla resurgendi spes remaneret. Hinc Johannes episcopus Spirensis

Ch. XI. col. 469.

attendens divinum officium in ecclesia Schwarzach, Spirensis ecclesiæ filia, ubi olim gloriosa abbatia constructa fuerat, omnino desiisse, tum quia multa nobilia prædia ob Priorum negligentiam inde absque ulla spe restitutionis ablata fuerant, tum quia multa inde militibus in beneficium præstita, quæ ipsis auferri non possent, tum etiam quia Spirenses episcopi intolerabile pro ejusdem ecclesiæ facultatibus servitium inde exegerant, habito cum Henrico IV. imperatore & aliis viris religiosis consilio, ut prior religio & reverentia aliquo modo renovaretur, quidquid sibi vel suis successoribus inde servitii provenire debuisset, fratribus ibidem Deo in omne futurum tempus servientibus, an. 1104. die 7. Octobris anno episcopatus sui decimo-quinto delegavit. Idque ratum habuit Henricus IV. imperator eodem anno, 13. Octobris. Inter alia vero servitutis onera, quibus abbas Schwarzacensis erga episcopum Spirensem tenebatur, unum erat non minimum, eidem inservire quotannis per unam septimanam cum duodecim equis. Ceterum circa hoc tempus eo missus est abbas ex Hirsaugiensi assumtus monasterio

V. Conradus, ex Trithemio in Hirsaugiensi chronico, & post eum ex eadem congregatione

VI. Hildebertus, probis moribus & scientia decoratus. Sed quandoquidem nobis desunt monumenta, quibus abbatum continuata series texatur, & tamen adsunt, quibus variæ monasterii fortunæ innotescant, hic ordine chronologico proferre visum est.

An. 1144. Burcardus episc. Argentin. monasterio & cunctis hominibus ad ipsum pertinentibus atque ibidem habitantibus teloneum remisit & quasvis exactiones de rebus, quas in suos usus proprios Argentinam transveherent. Immunitatem a teloneo dederunt etiam per Imperium Imperatores & Reges, quam cum aliis eorumdem privilegiis confirmavit anno 1414. rex Sigismundus.

Cum autem nihilominus an. 1218. monasterii reditus adeo essent imminuti, ut nec pauci fratres ibi Deo famulantes tenui victu sustentari possent, tum propter dissensiones, & diuturnas Imperii perturbationes, tum propter indebitas advocatorum exactiones, Henricus de Veringen episc. Argentin. precibus Conradi aulæ imperialis cancellarii, Metensis & Spirensis episcopi, parochiam in Stadelhoven, hodie Stollhofen, cum capella in Schwarzach, quarum jus patronatus ad monasterium pertinebat, eidem cœnobio in perpetuum concessit, sive annexuit.

Circa 1224. denuo conflagravit monasterium, ac denuo translatum est in locum, ubi nunc est, haud procul *a Liechtenaw* oppido. Wymphelingus & Guillimannus hujusce alterius incendii & translationis meminerunt in Bertholdo Argentinensi episcopo, quem iste vocat restauratorem monasterii.

An. 1293. facta est renovatio societatis hoc inter monasterium & Hirsaugiense, ita ut fratres ex uno ad alterum cum licentia sui abbatis venientes reciperentur, & haberentur tanquam veri

fratres, in choro & refectorio, mortuisque justa A persolverentur majorum campanarum pulsu, &c.

An. 1299. cum jam tertio conflagrasset monasterium, in quo decem altaria, octo campanæ cum campanili, calices, albæ, casulæ, libri, &c. perierunt, ut fidelium eleemosynis facilius restauraretur, Petrus episc. Basileensis omnibus vere pœnitentibus, qui dictum monasterium in quatuor festivitatibus B. Virginis Mariæ, Petri & Pauli & dedicationis devote visitarent, & eleemosynas largirentur, aut legarent, 40. dierum indulgentias largitus est.

His ergo utcumque restauratum adminiculis Yvanus episcopus Lacedemoniensis anno 1302. B feria v. ante festum S. Galli, cum quatuor altaribus consecravit, & dedicationem statuit quotannis celebrari Dominica proxima post festum S. Galli.

Anno seq. Fridericus episc. Argentin. monasterium attendens ultra facultates suas expensarum oneribus gravari, vetuit ne monachorum numerus ultra viginti duos augeretur, eamque prohibitionem Johannes episcopus anno 1320. iteravit.

An. 1330. Johannes XXI. *seu* XXII. papa ad preces abbatis & conventus Schwarzacensis, in quo divinus cultus, regularis disciplina, & ma- C xima hospitalitas hactenus viguerat, nunc autem in facultatibus ita diminuto, & in ædificiis ita consumto, ut nec vitæ necessaria ejus incolis suppeterent, ideoque miserabiliter hinc inde vagari cogerentur, ecclesiam parochialem in Dosenheim, quæ alias erat de jure patronatus monasterii, eidem cum omnibus juribus & pertinentiis per Bertholdum episcopum Argentinensem annexuit, attributa ex ecclesiæ proventibus perpetuo vicario inibi servituro congrua portione.

VII. Johannes, quo defuncto an. 1548.

VIII. Martinus eligitur.

IX. Johannes Gasparus Brunnus an. 1587. D litem habebat cum marchione Badensi, monasterii advocato, a quo tam inique divexatus est, ut annis octo abesse a monasterio coactus sit, ab anno videlicet 1572. ad 1579. quo pax inter ipsos inita est, Johannis episcopi & abbatis ordinum studio; sed postea bellum recruduit hac occasione: Abbati caute ac dolose suasum est ut abdicaret; dolum ergo minime suspicatus, an. 1583. facultatem petiit abdicandi, oblata interim marchioni temporalium administratione, spiritualium vero Gengenbacensi monacho. Quo facto indultum marchio petiit a Gregorio XIII. quod etiam Sixtus V. proxime secutus innovavit, ut monasterium E liceret in seminarium convertere, & ex reditibus alere professores ex patribus Societatis Jesu, datis ad vitam abbati annuis centum ducatis. Verum ea de re conquestis tum Eberhardo episcopo Spirensi, tanquam monasterii domino, & ipso abbate, Rudolfus imperator marchioni præcepit, ut ab ejusmodi ausibus abstineret, sub pœna viginti marcarum auri, sicque monasterium ordini Benedictino servatum fuit.

X. Georgius eligitur abbas & confirmatur an. 1599. post cujus obitum successit

XI. Christophorus ejusdem monasterii parochus, confirmatus in abbatiali dignitate ab episcopo Argentinensi, tunc administratore Murbacensi an. 1622. die 4. Aprilis.

XII. Vincentius Hug postulatus e S. Blasio, præfuit aliquot annis Schwarzacho, deinde transiit ad regimen Schutterensis monasterii. Defunctus est an. 1656. die 12. Septembris.

XIII. Placidus postulatus & ipse ex S. Blasio, an. 1653. sodalitium sacratissimi Rosarii in sua ecclesia instituit; sub quo monasterium, si non opibus, regulari certe disciplina maxime floruit, ut patet ex litteris supplicibus, quas die 6. Maii an. 1658. obtulit episcopo, alebatque hoc anno & multis ante, duodecim professos, in quibus novem erant sacerdotes, præter novitios fratres. Ch. XLVIII. col. 506.

XIV. Joachimus Meyer obiit anno 1711. Hos autem sex ultimos abbates archivum episcopi Argentinensis nobis suppeditavit.

ALTORFIUM, *sive* ALTUM-COENOBIUM.

DUo sunt Altorfii nomine monasteria ordinis Benedictini, alterum in Suevia, virorum primitus, qui postmodum ad Weingarten diœcesis Constantiensis transmigrarunt, deinde feminarum: alterum constanter virorum, dictum etiam Altum-cœnobium, in Alsatia prope Molsheimium inter amnes *Ergers* & Bruschium, sub titulo S. Cyriaci martyris, de quo nunc agendum. Hujus fundatores convenit apud omnes consanguineos fuisse Brunonis postea episcopi Tullensis, ac demum summi pontificis sub nomine Leonis IX. Utrum vero ipsius pater, an avus, quis certo definiat? Id unum constat Eberhardum comitem Habspurgi, *al.* Egisheim, sæpius cogitasse & locutum esse de condendo illic cœnobio, post cujus obitum Hugonem ipsius filium id exsecutum esse, ecclesia in honorem S. Bartholomæi & S. Gregorii papæ ædificata, quam & dotavit præsentibus Erkenboldo Argentinensi episcopo, cum eam consecraret anno 966. & Maiolo Cluniacensi abbate. Ex quibus intelligas factam esse hanc fundationem circa an. 960. Cur autem postea titulo S. Cyriaci ea donata sit ecclesia, inde est, quod Leo IX. papa, propter specialem parentum suorum, qui monasterium construxerant, dilectionem, illuc advexerit Roma ejusdem sancti reliquias, & idcirco in ejus honorem ecclesiam consecraverit. Exustum fuit hoc cœnobium tempore belli Argentinensis sub episcopo Waltero de Geroltsech circiter an. 1260. sed non multo post restauratum est. Accessit deinde ad congregationem Bursfeld. anno 1607. auctoritate Caroli cardin. a Lotharingia episcopi Argentinensis, nunc autem pertinet ad congregationem Benedictinam Alsaticam. Ch. VIII. col. 465.

SERIES ABBATUM.

I. BENNO memoratur in privilegio Ottonis II. *vel* III. imperatoris.

II. Ingilbertus privilegium accepit a Leone IX. summo pontifice anno 1052. hoc ipsum habes inter instrumenta. Ch. XI. col. 472.

III. Welicho, *seu* Welchio huc a B. Willelmo Hirsaugiensi abbate missus est, ex Trithemio in chronico Hirsaugiensi, ubi certe primus abbas perperam dicitur, quasi videlicet Eberhardus Hugonis fundatoris filius cœnobium ad abbatialem dignitatem evexerit. A

IV. Otto abbas S. Cyriaci testis est an. 1133. XVIII. cal. Decembris in consecratione ecclesiæ de Bongart facta a Gebehardo episc. Argentinensi.

Ch. XIX. col. 478.

V. Bertholdus privilegium obtinuit a Friderico imperatore, datum Colmariæ III. calend. Febr. an. 1152. regni ejusdem primo; itemque testis est in charta Burchardi episcopi Argentinensis an. 1153. pro abbatia de Pomerio, seu *de Bongart*, cujus fundationis chartam vide inter instrumenta. B

Ch. XXIII. col. 483. & Ch. XIX. col. 478.

VI. Johannes I. occurrit an. 1262. tempore Agnetis abbatissæ Hohenburgensis.

VII. Johannes II. de Stilla jacet in sacello SS. Bartholomæi & Laurentii, cum hoc epitaphio: *Anno MCCCL. obiit Johannes de Stilla, fundator hujus altaris.*

VIII. Fridericus I. Hels sepelitur in ecclesia, cum hac brevi inscriptione: *Anno Dom. MDX. pridie cal. Septemb. obiit Fridericus Hels abbas hujus monasterii.*

IX. Kilianus sedebat circa 1540. cujus tempore ex bellis continuis monasterium ære alieno gravatum erat. C

X. Johannes III. Kepfle defunctus an. 1553. in ecclesia sepulturam accepit.

XI. Laurentius I. moritur an. 1560. VI. idus Septembris, sepultusque est in ecclesia.

XII. Bernardus 1561.

XIII. Johannes IV. 1570.

XIV. Gisbertus ab Alven commemoratur in necrologio domestico, his verbis: *Anno 1586. 23. Febr. Gisbertus ab Alven, hujus loci quondam, postea Gengenbacensis & Mauri-monasterii abbas.*

XV. Laurentius II. Guntiar abbas Altorfii & S. Ettonis, obiit an. 1592. sepultus in ecclesia cum hoc epitaphio: D

Hic sua deponi cupiit Laurentius ossa,
Vivus ubi solvens vota libenter erat.
Quas reperit vacuas replevit fratribus ædes,
Structuris lapsas restituitque novis.
Æs grave dissolvit, reditus proventibus auxit,
Reddidit in veterem multa redemta statum.
Quas rexit binis domibus fuit utilis abbas,
Nunc ter sit felix civis in urbe Dei. Amen.
MDLXXXXII.

XVI. Georgius Laubacherus præerat anno 1614. obiit 3. Junii 1623. E

XVII. Fridericus II. Pergamenus ex priore Gengenbacensi, Georgio successit.

XVIII. Johannes IV. Bassanmeger, de quo hæc habentur in necrologio: *Anno 1634. obiit reverendus pater Bassanmeger Scelestadiensis, abbas hujus loci, exantlatis multis exsilii molestiis, in quo & animam in Kauffman Sairbourg Deo reddidit.*

XIX. Romanus Beck cum hoc elogio commemoratur in necrologio: *Anno Dom. 1639. 23. Januarii Romanus Beck Offenburgensis, abbas hujus loci, qui dum exsul in abbatem electus & confirmatus, in monasterio habitare non permissus; innumeris injuriis affectus, rebus privatus, incendio afflictus & militum direptionibus, aliquot etiam monachis peremtis, demum diuturna corporis ægritudine Molshemii in summa paupertate exanimatus, in Domino pie obiit.*

XX. Thomas Melzeger abbas vigilantissimus obiit 6. Martii 1654.

XXI Domnus...... Virault nominatus abbas 14. Aug. 1688.

XXII. Beda Hels, *al.* Held, Trevirensis, præfuit annis 34. defunctus 24. Nov. an. 1705.

XXIII. Johannes V. Pfeiffer jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Anno Dom. MDCCXI. XIX. Apr. obiit pie in Domino reverendissimus Dominus Johannes Pfeiffer hujus loci abbas meritissimus.*

XXIV. Gregorius Materne electus an. 1711. die 30. Maii, benedictionem percepit 13. Sept. ejusdem anni ab abbate Aprimonasterii, ex indulto præsulis Argentinensis.

ANDLAVIUM & ANDLAVIA.

ANDLAVIA oppidum est inferioris Alsatiæ, sex leucis supra Argentoratum, ad ejusdem nominis amnem, & Vosagi montes, equites ab *Andlaw* dominos agnoscens; cujus mœnibus hoc collegium nobilium virginum, ord. quondam Benedictini, modo canonicarum includitur. Fundatum est in honorem S. Fabiani & sanctæ Felicitatis, ac pro 12. puellis, totidemque viris dotatum anno circiter 880.* a Ricarda Scotorum regis filia, Caroli-Crassi Romanorum Regis conjuge, quæ a marito adulterii falso insimulata, facto cum eo divortio, ac recepta dote, reliquam vitæ partem illic exegit. Solet abbatissa ad comitia Imperii vocari & per legatum comparere, titulumque principis imperii Carolus V. imperator ei concessit an. 1521.

* 887. Ex Fragm. histor. apud Urstisium.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ADELHEIDIS I. in chronico Alsatico & apud Bucelinum prima dicitur abbatissa: quanquam Ruothardis memorari fertur in instrumento fundationis a Carolo Imperatore & S. Richarde ejus uxore an. 887.

II. Magdalena I.

III. Huddrutis an. 964. donationem excepit a Ludovico imperatore & Juditha ipsius conjuge.

IV. Charitas.

V. Uthica 973.

VI. Brigitta 1004.

VII. Mechtilda I. soror Conradi II. imperatoris præerat an 1048. de qua sic habetur in chronico Johannis Bayone: *Anno MLVI. Mathildis cœnobii, quod dicitur Andela, religiosa abbatissa, Chuononis Augusti soror, cujus pignora, argenteus scilicet calix, albique pallii capsula Mediani cœnobii habetur (enogratus) mortale hic consummat fœdus.* Ejus tempore Leo IX. papa in hoc cœnobio corpus sanctæ Richardis imperatricis & fundatricis e tumulo honorifice elevavit, & in ecclesia recondidit.

VIII. Judith 1064.

IX. Mathildis 1147. quo circiter anno ipsa consilio & consensu totius capituli sanctimonialium & canonicorum suorum, necnon Hugonis comitis, ejusdem loci advocati, Stivagium, quod, seculo IX. Richardis imperatrix in propriam possessionem obtentum, Andelacensi parthenoni ab se condito in perpetuum subjecerat, Præmonstratensibus concessit, ad petitionem canonicorum secularium, qui ejusdem loci diu habitatores fuerant. Et idcirco memoratur in obituario libro Stivagii VII. idus Decembris.

Mabill. t. 1. Annal. pag. 462.

X. Hadewidis 1160. cujus habetur memoria in necrologio Stivagii X. cal. Maii.

XI. Hatziga instituitur abbatissa 1167. ab imperatore Friderico. Eadem est fortasse ac Hedwiga, *sive* Hawikis, quæ an. 1178. privilegium obtinuit ab Imperatore apud Hagenoam. Quinetiam ipsa est forsitan Hecuardis abbatissa Andelacensis memorata pridie cal. Novemb. in necrologio Stivagii.

XII. Alcidis 1180. cujus mentio fit in prædicto necrologio XVI. cal. Augusti.

XIII. Hedwiga II. 1227.

XIV. Chunegundis 1292.

XV. Mechtilda II. 1309.

XVI. Chunigunda I. comitissa de Hohen Geroldts-Eckh an. 1333.

XVII. Sophia I. comitissa de Rappolstein, Gallice *de Ribaupierre*, 1335.

XVIII. Catharina I. comitissa de Geroldts-Eckh ad Vosagum.

XIX. Catharina II. de Andelau 1342.

XX. Adheleidis II. de Geroldts-Eckh ad Vosagum, cum titulo principis sacri Imperii reperitur an. 1347.

XXI. Elisabeth I. comitissa de Rappolstein.

XXII. Elisabeth II. comitissa de Geroldts-Eckh ad Vosagum 1377.

XXIII. Anna comitissa de Winstingen.

XXIV. Elisabeth III. 1399.

XXV. Sophia II. de Andelaw 1444.

XXVI. Susanna de Eptingen electa 1445. obiit 1479.

XXVII. Barbara de Knoblech electa 1480. moritur 1493.

XXVIII. Othilia Mihlhoffen electa 1493. morte corripitur 1495.

XXIX. Chunigunda II. de Reinach electa 1495. diem clausit extremum 1537. religionis catholicæ studiosissima.

XXX. Cordula de Krotzingen monialis *Gintherstael*, eligitur Andelacensis abbatissa 1538. fato functa 1572.

XXXI. Magdalena II. de Rebstochs, administratrix de Honcourt, & Masonis-monasterii abbatissa postulata, eligitur Andelacensis anno 1572. hæc monasterium restauravit, multaque pro fide catholica ab hæreticis passa est, quos tandem a villa expulit Andelacensi. Migravit a seculo 1609.

XXXII. Maria-Ursula Reichin de Reichenstein electa 1610. obiit 1638. Solodurni, quo propter imminentes Suecorum strepitus bellorum confugerat.

XXXIII. Johanna * Sabina de Offenburg Solodurni electa 1638. decessit Andelaci 1656. * al. Maria.

XXXIV. Maria Beatrix de Eptingen electa 1656. mortem oppetiit 1666.

XXXV. Maria Cunegunda baronissa de Beroldingen, filia Wolfgangi Friderici & Elisabethæ Schenckiæ de Castel, electa 1666. die 23. Julii, e vivis excessit 4. Augusti 1700. cum prius quadraginta millia librarum pro acquisita a Maria-Ursula abbatia de Honcour persolvisset. Illi appositum est hoc epitaphium :

Hocce Maria loco Cunegundis stirpe baronum
Beroldingorum contumulata jacet.
Hæc fuit Andlaviæ princeps antistita, qualem
Huxovilla suam noverat & dominam.
Hæc quanto zelo, quanta virtute decora,
Quanto consilio, vita peracta probat.
Funditus has sacras ædes erexit ad usque
Arcus, in cunctis provida mater erat.
Ter bis quinque annis quatuor, bis quinque diebus
Regnavit vere fida parens ; obiit
4. Aug. 1700. ætatis 74.

XXXVI. Maria Cleophe de Flaxlands, *al.* Flaixcland electa 28. Septemb. anni 1700. & a Rege confirmata 1. Novembris, obiit 18. Sept. 1708. ut liquet ex epitaphio sequenti :

D. O. M.

Hicce Maria jacet Cleophe de stemmate Flaxland
Antistes princeps Andlaviæque decus.
Undecimus Clemens hanc confirmavit, & ipse
Rex sua majorum jura tuetur ei.
Hæc templi turrim summam construxit & aram
Ingenti cura grande peregit opus.
Certavit virtus, mirum ! certavit in illa
Hinc oris gravitas, hinc probitatis amor.
Præfuit octo annis, pia, prudens, provida, fortis ;
Pasta sacris animam reddidit inde Deo
Anno MDCCVIII. XVIII. Septembris.
ætatis 64. mens. 5. die. 18.

XXXVII. Maria Sophia de Andelaw loci ejusdem alumna, eligitur abbatissa 15. Decemb. 1708. & a Rege confirmatur 5. Aprilis 1709.

SANCTA WALDEBURGIS.

Sequioris sexus monasterium ordinis S. Benedicti, idem quod a Bucelino vocatur Bibelis, Biblisheim & Bilebense, eumdem fundatorem agnoscit Theodericum Montis-Bellicardi comitem, ac alterum virorum sub ejusdem sanctæ Virginis titulo, ad jactum *bombardæ*, de quo supra n. IX. col. 836. inter monasteria, quæ statum suum mutarunt. Positum est autem inter duos amnes *Sur* & *Saur*, in Sacra-silva, uno paulo plus ab oppido Hagenoa milliari, ineoque pius fundator filiam suam Gunthildem primam instituit abbatissam, quæ clara miraculis in Domino quievit vergente ad finem XI. seculo, vel ineunte XII. sepulta in medio ecclesiæ ante altare S. Crucis; cujus mentionem facit Bucelinus in suo menologio, IX. cal. Martii. Nulla præter istam nobis

occurrit abbatissa, fortasse, quantum saltem ad A priores, quia hoc monsterium anno 1525. a rusticis marchionatus Badensis & episcopatus Moguntini devastatum est, in hoc tamen felicius monasterio virorum sortem eamdem experto, quod in suo statu perseveret, & quidem adhuc regulari floreat disciplina, inquit R. P. Laguille in sua novissima Alsatiæ historia.

S. JOHAN. BAPT. prope TABERNAS ALSATICAS, *seu* SAVERNAM.

TRaditus est hic locus Wernhero abbati monasterii S. Georii, quod situm est in Nigrasilva juxta flumen Briganam, a comite Petro de B Lutzelnburc, an. 1126. Fuit autem ibi ab antiquis temporibus ecclesia, quæ licet parochiana non sit, nulli tamen est parochianæ subjecta; pro cujus dedicatione cum in Argentinensi ecclesia eo tempore duos inter episcopos, seu potius de episcopatu contendentes, Brunonem scilicet & Eberhardum gravis esset dissensio, utriusque permissione convocatus est D. Stephanus Metensis episcopus, qui quidem hanc ecclesiam an. 1127. indict. v. nonis Februarii dedicavit in honorem S. Johannis Bapt. ex cujus nomine locum ipsum cellam S. Johannis de cetero vocari ab episcopo decretum est. Hæc & plura nobis suggerit charta C fundationis, quam integram nostra inter instrumenta referre visum est. (Ch. xx. col. 479.) De cetero tamen ex ea inferri non potest, illic ab initio sanctimoniales Benedictinas, quales ibidem a longo tempore perseverant, exstitisse.

SERIES ABBATISSARUM.

I. UTTA DE UTTWESLER 1341.

II. Salomona de Delingen obiit an. 1389.

III. Elisabetha I. de Wichersheim eligitur 1389.

IV. Sophia Bernachin sedebat an. 1396.

V. Gertrudis Suorberin 1413.

VI. Margareta I. de Veyten-Muhlen 1421.

VII. Elisabeth II. de Mittelhausen 1452.

VIII. Barbara de Bluemengo 1464.

IX. Anna Bockin de Blassen 1489.

X. Ursula de Rothes 1496.

XI. Veronica de Ramstein 1500.

XII. Amasia Geborne de Oberchurg, *al.* d'Oberkirch 1527. Obiit an. 1568. die Mercurii decima* Junii, in epitaphio dicta *hujus loci magistra*. (* 7. non.)

XIII. Catharina d'Ingenheimb 1568. obiit 1583.

XIV. Elisabeth III. de Heudorff. postulata e E cœnobio de Ursp. *forte* Urspringen in diœcesi Constantiensi, an. 1586.

XV. Margareta Voltzin, *al.* Wgewchene, evocata e monasterio de Bibelis 1593. jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Anno Domini 1621. die Lunæ 8. Martii obiit venerabilis & Deo devota domina Marguareta Wgewchene abbatissa parthenonis S. Johannis, cui præfuit 26. annis digne & laudabiliter, cui & omnibus Christi fidelibus defunctis Deus omnipotens concedat propitiam resurrectionem.*

XVI. Brigitta Burckin 1621.

XVII. Johanna de Brandt 1646.

XVIII. Maria-Anna de Davier postulata e cœnobio de Ursp. *forte* Urspringen 1668. adhuc superstes 1710.

MARBACUM.

FUndatur ad Rhenum fluvium ex opposito Brisgoiæ oppidi, paulo supra Columbariam oppidum *Colmar* in honorem S. Irenæi martyris pro canonicis Regularibus anno 1089. si fides habeatur cuidam chartæ a nobili femina, Guta nomine, datæ an. ab Incarnatione Domini 1154. indict. 2. epacta 4. anno 1. pontificatus Anastasii papæ, tempore Basileensis episcopi Ortleibi, anno 2. gloriosissimi Romanorum regis Friderici, providente in spiritualibus felicis memoriæ domno Marq. anno quarto, subpriore Adalberone Marbacensi, & priore Hiselberto, *Anno 65. ex quo fundatum est Marbacense monasterium.* Et certe apud auctores, qui de canonicis regularibus agunt, fundatum legimus hoc cœnobium, an. 1090.* aliis circa 1094. (* Frag. hist. apud Urstisium, p. 83.) non utique magno discrimine; verum una est omnium sententia primum ejus auctorem exstitisse Burchardum militem de Gebliswilr, cujus rei nobis invictum suppeditat argumentum tumulus a latere dextro majoris altaris Marbacensis, in ipsius muri concavitate super quatuor columnas positus, ubi statua fundatoris decumbentis adumbrata cernitur cum inscriptione: *Anno Domini MCXXXI......... Θ* bonæ memoriæ Burcardus miles de Geblisweilr fundator hujus loci.* (* id est, Obiit.) Quod autem ad diœcesim spectat, Bucelinus in Germaniæ sacræ parte secunda, Argentinensem profert, pariterque Miræus in Originibus canonicorum Regul. pag. 129. sed hic ibidem, pag. 66. Basileensem propugnat. Nobis vero primum quidem videtur fuisse diœcesis Basileensis, sed D nunc Argentinensis. Ceterum hunc locum non statim abbatiæ titulo decoratum fuisse haud dubie probant Urbani II. & Calixti II. summorum pontificum bullæ præpositis solum inscriptæ, ipsumque denuo in præposituram, seu prioratum defecisse, Julii II. bulla manifeste declarat. Tandem vero circa 1535. accessit ad congregationem Windesemensem.

SERIES PRÆPOSITORUM, ABBATUM ET PRIORUM.

I. MANEGAUDUS, *seu* MANEGALDUS DE LUTENBACH, magister appellatus, & Burchardi fundatoris adjutor & cooperator fidelissimus, primus titulo præpositi Marbacense monasterium gubernavit, ut liquet ex bulla Urbani II. eidem inscripta an. 1096. (Ch. xvii. col. 474.) cui etiam Paschalis II. bullam haud absimilem indulsit anno 1103. quem & anno 1098. ab Henrico rege diu in custodia detentum legimus, propterea quod schismaticis contra ecclesiasticam auctoritatem obsequi detrectaret.

II. Gerungus præpositus quoque nuncupatur in bulla Calixti papæ II. antecessorum Urbani & Paschalis diplomata confirmantis an. 1119. (Ch. xviii. col. 475.)

III. Domnus

III. Domnus Marq felicis memoriæ in spiritualibus providere anno quarto dicitur in charta superius laudata anni 1154. ubi etiam Hiselbertus prior & Adalbero subprior Marbacensis commemorantur; unde fortassis colligas jam tunc monasterium ad abbatiæ dignitatem provectum fuisse.

IV. Henricus expressis verbis abbas nominatur an. 1250. in transactione, quam fecit cum Gerardo præposito SS. Trinitatis, sequestro Henrico episcopo (Argentinensi:) Idem an. 1253. Hoemburgensi abbatissæ vendidit quidquid habebat in villa Ergersheim pro censu annuo quinque solidorum, minus duobus denariis & uno obolo. His vero temporibus, bellorum miserabili fato monasterium pene ad nihilum redactum erat, cui ut succurreret episcopus Argentinensis Bertholdus, litteris datis anno 1244. fidelium eleemosynas postulavit.

V. P. legitur abbas Marbacensis an. 1268.

VI. Bertholdus Marbacensis abbas an. 1272. dedit monialibus de Ingelbac ecclesiam de Tungousheim.

VII. Walterus abbas 1286.

VIII. Eberhardus 1336. & 1350.

IX. Johannes 1355.

X. Nicolaus 1454. fortasse ultimus abbas: etenim Julius papa an. 1509. jura & possessiones Marbacensium confirmat priori hujus loci, *soliti gubernari per priorem.*

XI. Bruno de Heussen prior Marbacensis an. 1535. monasterium reformandum suscepit; unde & statuta visitatorum e congregatione Windesemensi requisivit.

XII. Wernerus Titianus cuidam exauctorato successit; sed cum postmodum electus & confirmatus fuisset prior monasterii Corporis Christi & S. Mariæ in Colonia, electus est die 27. Julii an. 1585. apud Marbacum nescio quis, ad quem & monasterium visitandum eodem anno noster hic Wernerus Titianus a priore Windesemensi delegatus est. Iste vero electus statim depositus fuit ab episcopo Argentinensi, cui minus accepta fuerat Werneri Titiani translatio, ut constat ex epistola ejusdem præsulis nomine Johannis ad Titianum, qua ipsum ad Marbacenses redire compellit. Ch. XLV. col. 503.

XIII. Petrus Troppenberg erat prior Marbacensis circiter annum 1600. sed esse desiit anno saltem 1629. quo Prioris electio facta commemoratur.

NOVUM-CASTRUM, *seu* NEOBURGUM.

NUWENBURG.

COEnobium ordinis Cisterciensis de linea Morimundi, & quidem prima filia Lucellæ, non autem Bellæ-vallis, prout asserit Jongelinus, nisi mediate, quatenus videlicet Lucella, *sive* Lucis-cella matrem suam agnoscit Bellam-vallem, fundatur a Reinoldo comite de Lutzelbourg, in inferiori Alsatia, secundo ab urbe imperiali Hagenoa lapide, an. 1128. ex fragmento historico apud Urstisium, pag. 84. *al.* 1130. die 16. Martii, vel etiam paulo serius, tempore Gebhardi episcopi, qui non sedit ante annum 1131. Ratam habuit fundationem, sive donationes eidem cœnobio factas Fridericus Ænobarbus imperator litteris datis an. 1156. ind. IV. a Guillimanno relatis. Tum vero consecratur ecclesia in honorem S. Crucis & B. Mariæ Virginis a Burchardo Argentinensi & Henrico Trecensi episcopis, IV. nonas Maii an. 1158. ex eodem fragmento. In ea vero hactenus superest tumulus fundatoris cum hac inscriptione: *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo, quinto calendas Januarii obiit dominus Reinoldus comes nobilissimus de Lutzelnbourg fundator hujus monasterii.*

ABBATUM SERIES.

I. ULRICUS, *sive* UDALRICUS comes de Novo-castro, sive, ut alibi legimus, ex familia Neoburgensi, Bertolfi episcopi Basileensis consanguineus, tunc erat Lucellensis monachus, quando huc missus cum duodecim fratribus a suo abbate anno 1128. iisdem præesse jussus est; qui & ipse circa 1138. ad condendam abbatiam Mulbrunensem in diœcesi Spirensi, Dietherum abbatem cum duodecim sociis ex suo monasterio transmisit. Legitur autem præfuisse annis novemdecim, ac obiisse die 7. Januarii an. 1147. hoc est 1148. Adhuc enim superstes erat an. 1147. indict. X. tertio nonas Augusti, quo bullam protectionis ab Eugenio III. pontifice impetravit.

II. Bertholdus I. an. 1148. excepit fundationem Albæ-dominorum in diœcesi Spirensi. Mortuus est 6. Martii an. 1156. postquam, ut videtur, abdicaverat.

III. Nendungus, & aliquando Ridungus, memoratur abbas de Novo-castro an. 1153. in charta Burchardi Argentinensis episcopi fundationem abbatiæ *de Bongart* confirmantis. Idem an. 1156. Ch. XIX. col. 478. ind. IV. possessionum monasterii confirmationem obtinuit a Friderico I. imperatore. Hoc diploma recitat Guillimannus in Gebhardo episc. Argent. pag. 234. & R. P. Laguille in probationibus hist. Alsatiæ, pag. 29. Reperitur & annis 1158. 1159. & 1176. quo inter ipsum & Bertolfum abbatem Stulzelbrunensem facta est compositio. Quinetiam Alexander papa III. an. 1177. ind. XI. pontificatus anno decimo-nono eidem sua privilegia confirmavit. E vivis excessit anno seq. die 6. Maii.

IV. Hugo I. rexit duodecim annis, fato functus 26. Maii an. 1190.

V. Ezenbartus diem clausit extremum 30. Junii an. 1193.

VI. Godefridus I. reperitur 1193. & 1194. Obiit 4. Aug. an. 1196.

VII. Petrus I. annis 1201. & 1205. obtinuit duo præcepta ab imperatore Philippo, & unum ab Innocentio III. pontifice datum III. nonas Maii indict. XI. pontificatus anno XI. hoc est 1208. Occurrit adhuc 1209. 1211. & 1212. ac tandem an. 1214. die 7. Octobris

post decem & octo regiminis annos a seculo A migravit.

VIII. Albero memoratur abbas 1214. 1215. 1221. 1222. 1237. & 1238. ac interim 1218. & 1220. duobus a Friderico II. imperatore privilegiis donatus est. Fatis concessit 23. Decemb. an. 1242. cum rexisset annis 30.

IX. Godefridus II. electus an. 1243. vivere desiit die 26. Januarii an. 1248.

X. Hugo II. ad clavum sedit quatuor annis, defunctus an. 1252. die 28. Febr.

XI. Godefridus III. exactis in præfectura 28. annis, mortem oppetiit 17. Maii 1280. Legimus tamen in monumentis Mulbrunæ diœcesis B Spirensis, Henricum episcopum Spirensem, intuitu virtutis Alberti abbatis Mulbrun. & Egenhardi inde translati ad Novum-castrum, monasterium Mulbrunense ab omni exactione & teloneo exemisse an. 1268. in festo Purificationis B. Mariæ.

XII. Ozflieb, *fortasse* Ortlieb, electus anno 1280. defecit 21. Apr. 1292.

XIII. Rudolfus I. obiit mense Junio anni 1309. quem nihilominus eum esse putamus, qui *quondam abbas* dicitur in necrologio Lucidævallis, v. idus Augusti.

XIV. Conradus præerat an. 1312. quo fun- C dationem Valtheri rectoris in Salensheim factam in monasterio Mulbrunensi confirmavit. Viam universæ carnis ingressus est die 7. Julii 1316. quem similiter eum esse existimamus, qui *piæ memoriæ* dicitur in necrologio Lucidæ-vallis, XI. cal. Maii.

XV. Fridericus naturæ debitum solvit die 2. Sept. 1328. memoratus in prædicto Lucidævallis necrologio x. cal. Decembris.

XVI. Otto electus an. 1329. obiit 7. Nov. 1331.

XVII. Bertholdus II. eligitur abbas in festo S. Martini, quarta die post obitum decessoris, D idemque mensibus quatuordecim nondum expletis, a rusticis de Ulweiler crudeliter occisus est die 3. Januarii an. 1333. *al.* III. nonas Jan. 1334. pro varia inchoandi annum ratione.

XVIII. Vernerus regimen assecutus anno 1333. illud cum vita reliquit die 30. Decemb. 1348.

XIX. Theodoricus, *seu* Dietericus de Kindweiler obiit 28. Aprilis 1357.

XX. Johannes I. decessit an. 1362. die 19. Junii.

XXI. Godefridus IV. de Molsheim electus abbas circa festum S. Matthæi an. 1362. me- E moratur anno seq. Occubuit autem 29. Sept. 1375.

XXII. Trutmannus, *sive* Drutmannus electus in abbatem die festo S. Barnabæ an. 1376. reperitur 1378. Rexit ad annum 1402. quo mortuus est 18. Octobris.

XXIII. Albertus sedit annis novemdecim fato functus 18. Octobris 1421.

XXIV. Bernardus I. Schmidt obiit 15. Nov. 1427.

XXV. Johannes II. Gauser rexit 13. annis, vita defunctus 1442. die 30. Novemb.

XXVI. Rudolfus II. de Ruhlin, *al.* de Ruhlman electus abbas 1443. reperitur 1446. Obiit 30. Martii 1465.

XXVII. Gasparus vitam cum morte commutavit die 14. Nov. 1478.

XXVIII. Theobaldus I. electus an. 1479. migravit ad alteram vitam 18. Sept. 1492.

XXIX. Stephanus occurrit 1499. e vivis egressus 23. Julii 1502.

XXX. Rudolfus III. Metzh memoratur an. 1510. in tabulario Lucellæ. Refectorium exstruxit an. 1521. cumque annis 31. præfuisset, obiit 13. Januarii 1533. sub quo proinde, an. 1525. monasterium a rusticis marchionatus Badensis & episcopatus Moguntini devastatum est.

XXXI. Johannes III. Ulin, *al.* Ulm obiit post decem annos regiminis die 1. Februarii an. 1543.

XXXII. Theobaldus II. Vogelman præerat an. 1549. Interiit anno seq. 17. Febr.

XXXIII. Ludovicus Rebrtok electus abbas an. 1550. die 10. Martii, obiit eodem anno, 28. Octobris.

XXXIV. Petrus II. Drutman, *al.* Drulmen electus an. 1550. 13. Decemb. vivere desiit 7. Aug. 1552.

XXXV. Johannes IV. Pellio reperitur anno 1564. mortuus est 22. Martii an. 1565.

XXXVI. Jacobus Worlin, *al.* Werlin occurrit annis 1565. & 1588. Animam exhalavit v. idus Apr. an. 1592.

XXXVII. Johannes V. Faber electus prima die Martii anno 1592 cessit, sive depositus est an. 1599. die 9. Dec. Obiit vero 2. Decemb. 1604.

XXXVIII. Alexander Metzger electus abbas die 10. Decemb. an. 1599. abdicavit & ipse 2. Febr. 1621.

XXXIX. Adolfus Brunn Hagenoensis obiit Hagenoæ an. 1636. die 9. Julii.

XL. Petrus III. Wolfius, *seu* Lupus, electus an. 1636. 21. Julii, regimen abdicavit 21. Nov. 1642. Obiit autem 23. Maii 1650. *pia simplicitate conspicuus*, uti legitur in epitaphio, cujus altera pars talis est:

Sub petra Petrus Lupus hac requiescit & agnus;
Ut Job in adversis, sic & ubique pius.

Positum est 2. Julii an. 1652.

XLI. Bernardus II. Klebessin rexit decem annis, fato functus 4. Maii 1652.

XLII. Michaël Stromeyer obiit die XI. Aug. 1669. cui anno seq. appositum est hoc epitaphium:

Messis adulta fuit Michaël, falx stravit aristas,
Illata est superis spica beata jugis.

XLIII. Bernardus III. Duperche Parisinus ex coadjutore Michaëlis ei successit in abbatiali dignitate anno 1669. cumque rexisset annis 15. mortalem hanc vitam cum æterna commutavit

27. Jan. an. 1685. epitaphio sequenti decoratus: A *Anno Dom. MDCLXXXV. die 27. Jan. Ob. RR. DD. Bernardus Duperche Parisiensis, abbas Novi castri.*

Bernardus nardi, dum vixit, sparsit odorem,
Captus odore Deus, vexit ad astra virum.

XLIV. Carolus Berenger Firmitatis in Gallia professus, Sturtzelbronnæ prioris officio fungebatur, quando electus est abbas 1. die Martii an. 1685. Defunctus est 14. Aug. 1692. Nihil aliud docet ipsius epitaphium.

XLV. Johannes VI. Vireau professus in Claravalle, ex abbate Willariensi in Betnach prope B Metas electus est abbas Neocastrensis an. 1693. die 7. Maii.

REGIOPONTANUM COENOBIUM,
seu PONS-REGIS, Germanice *Konigsbruch.*

HOc cœnobium Sanctæ-silvæ adsitum ad amnem Suram, tribus ab Hagenoa leucis, auctori Dagoberto II. Austrasiæ regi tribuunt, tametsi nulla ejus rei monumenta proferuntur. Ita Mabillonius. Legimus autem in epitome fastorum Lucellensium, auctore D. Bernardino abbate Lucellensi & Mulbrunensi, abbatiam Pontis- C Regis, &c. diœcesis Argentinensis in ultimis inferioris Alsatiæ partibus, intra Forestum-sacrum a Friderico I. Cæsare, cognomento Barbarossa circa an. 1180.* fundatam credi, & abbatis Mulbrunensis curæ commissam; unde inferas hoc monasterium Cistercienfis ordinis esse, & quidem feminarum, postremis saltem temporibus; additur enim in libro citato, ab anno circiter 1620. quo tempore a Mansfeldio Alsatiam devastante concrematum fuit, sacras virgines Hagenoam se recepisse, & illic hactenus perseverare; imo vero jam a fundatione Pontis-Salutis, vulgo *Heilsbrucken* in diœcesi Spirensi, primas D moniales cum abbatissa ex Regis-Ponte accitas fuisse, ac similiter in *Fridenweiler* cœnobio ejusdem ord. in Hercinia silva.

* circa 1166. *Leguille.*

ALIQUOT ABBATISSÆ.

KUNIGUNDA præerat 1476.
Otilia 1497.
Ath. 1505.
Ag. 1553.
Barbara.
Margareta Cordula Schererin, cum esset abbatissa hujus cœnobii, alterius quoque dicti Pontis-Salutis, vulgo *Heilsbrucken*, postquam an. 1622. E a principe Palatino restitutum est ordini, titulum abbatialem & realem possessionem adhuc anno 1648. tenuit.
Maria-Margareta Scheflevin de Soublen locialumna, a Rege nominatur 23. Aprilis die festo Paschæ, an. 1695. *lege* 1696.

OMNES SANCTI.

ABbatia ord. Præmonstratensis ultra Rhenum sita in Nigra-silva, sed tamen in diœcesi Argentina, condita fuit sub Conrado III. episcopo, qui obiit an. 1202. ab Uta ducissa de Scavenburc, *seu* Schawenburg, ut probant ejusdem litteræ nostra inter instrumenta. Dein Henricus Ch. XXXI col. 492. episcopus ratam habuit hanc fundationem litteris datis anno 1220. indict. VIII. in quibus primi Ch. XXXVII col. 496. fundatores memorantur *piæ memoriæ dominus Welpho dux, & uxor ejus domina Uta ducissa de Schawenburg, dominus Conradus felicis memoriæ noster*, inquit, *prædecessor Argentinensis episcopus, dominus Hugo de Ulneneburg, dominus Berchtoldus dux de Ceringen, qui præfatum locum, collatis ei pro divino respectu suis prædiis primitus extulerunt.* At vero tunc solum fuisse præposituram patet ex iisdem litteris, quæ sic habent: *Nos igitur prænominatorum excellentissimorum principum benignitate, liberalitate, & in Domino laudabilis facti memoria excitati, necnon intellecta opinione bona domini Waltheri ejusdem cœnobii præpositi, suorumque confratrum de ordine Præmonstratensium, &c.* Deinde tamen ad abbatiæ dignitatem evectam fuisse, prope certum est; quando ejusdem monasterii abbas anonymus nominatur an. 1415. 23. Decembris in societate facta contra episcopum. Transfertur autem anno 1625. die 7. Aprilis permissu Leopoldi Argentinensis episcopi ex Ch. XLVII col. 505. Nigra-silva in præposituram oppidi *Oberkhurch*, ibique hactenus floret disciplina regularis, non tamen reformata.

ALSPACENSE MONASTERIUM. ALTZPACH

SItum est prope Kayserberg, olimque fuit virorum ordinis S. Benedicti, a quibus desertum ut se ad Hirsaugiam reciperent, cessit auctoritate ac beneficio Rodolfi imperatoris sub finem XIII. seculi sacris virginibus ordinis sanctæ Claræ, Urbanistis vulgo nuncupatis, relicto *Kintzheim* loco minus apto, ubi figere sedem cogitabant. Ex dotibus vero quadraginta puellarum, quæ in hoc monasterio habitum S. Claræ an. 1283. assumpserunt, solutum est pretium hujusce domus, quam ad ipsarum usum dictus Rodulfus restituit, futuram deinceps plurimis illustriorum familiarum puellis perfugium, quas inter, ait Bucelinus, sub annum Christi 1360. fuit Sophia Henrici domini de Rapolstein filia. Verum ex eo maxime suam ducit gloriam hic parthenon, quod hæresi non modo fuit impervius, sed etiam benigne foverit, quotquot ejusdem ordinis virgines ex urbibus infectis hæresi propulsæ fuerant, vel ibidem permanentes infici formidabant.

Constance près de son lac, & sur le Rhin, residence de l'Évêque, à Mersbourg en Souabe.

ECCLESIA CONSTANTIENSIS
IN ALAMANNIA.

CONSTANTIA (*Ganodurum* Ptolemæo) a suo conditore, seu restauratore Constantio Constantini magni patre sic dicta, urbs est Alamanniæ in Suevia,* ad lacum ab ea dictum Constantiensem, *seu* Venetum, & olim Brigantinum ab oppido *Bregentz*, uti & Podamicum a castro *de Podmen*, quæ illius ripæ adsident, in Helvetiorum, quibus est fœderata, confinio, ubi Rhenus ab eo lacu effluit versus Acronium, Cellensem dictum ab oppido Cella, Gallis *lac de Zell.* Ista, inquam, civitas probe munita, unde & irrito conatu obsessa fuit a Suecis* anno 1634. hos inter duos lacus sedet, quorum ille supra Constantiam & major est, hic paulo infra & minor. Distat vero ab Ulma in Austrum quindecim leucis, 18. a Basilea in Ortum, uti etiam 7. a Schafusa; aliasque fuit sub dominio Episcopi, deinde libera beneficio Friderici III. Cæsaris; sed an. 1558. excidit a sua libertate, prius proscripta, quod religionis decretum (vulgo *Interim* vocant) an. 1548. detrectasset, sicque in dominium Austriacæ domus transivit, hisce conditionibus; *ut ipsum Fridericum, ejusque liberos & heredes pro suis dominis in posterum agnoscant, eique fidem omnem & obedientiam prestent, nec ab eis ullo tempore deficiant, neque fœdus ullum ineant : decretis, quæ Ferdinandus ejusque præfecti de religione, ceterisque rebus facturi sint, omnino pareant : in bellicis aliisque negotiis ipsi ejusque heredibus præsto sint, & imperata faciant, sicut reliqui provinciales.*

* la Souabe.

* les Suedois

Sane vero est hodie Constantia omnium utriusque lacus civitatum & maxima & florentissima; quæ scilicet absque suburbio Petrusiano, & quæ secundum longitudinem excurrunt, munimentis, 4147. passus Romanos complectitur, quibus ter mille minimum adjungas oportet, si illa, quæ diximus, uno complexu in numerum advoces. Distincta est in duo hominum genera; alii enim sunt equestris ordinis, alii plebeii. Hi mercaturam & artes sellularias exercent, illi partis sine labore suo opibus contenti, matrimoniis eas augent, reditibusque suis aluntur; nec miscentur inter se; nefas enim & præter dignitatem suam putant, si nobilis etiam tenuioris sortis plebeio ditiori copuletur. Ita per longa tempora uterque ordo in suis finibus constitit. Gubernatio tamen Reip. communis est plebeiis & nobilibus, eaque citra æmulationem aut fastum, aut alterius partis contemtum oppressionemque instituitur. Tantum valet sive adnata genti æquanimitas, sive inolita consuetudo. Ager vero Constantiensis ferax est vini, frumenti, pomorum, olerum; habet pabula optima, neque quidquam ei denegavit natura, cujus ad vitam necessarius sit usus.

Floret episcopatu antiquissimo & amplissimo sub metropoli Moguntina, huc translato ex urbe Vindonissa, postquam ea ab Alamannis eversa erat, sive post Hunnorum in hæc loca incursiones. Vindonissa autem, *seu* Vindona truncato nomine, *Windisch,* quæ dum fuit sedes episcopalis, Vesontionensi metropoli subjecta erat, nunc est vicus exiguus pagi Bernensis ad Arolam * fluvium, ubi recipit Russam,* haud longe ab urbe Badensi.

* Aar.

* Russ.

Templum cathedrale B. Stephano sacrum nonnihil editiore situ principem urbis locum obtinet; cujus altare majus tabula & statuis argento purissimo fabrefactis in magnam assurgit altitudinem, insigne Jacobi Fuggeri episcopi monumentum. Constat vero viginti quatuor canonicorum collegio, quorum alter præpositus, decanus alter, & alii duo, custos & cantor.

Multa insuper hæc habet civitas monasteria; Petrusianum in primis pervetustum ordinis S. Benedicti, Creuzlingense extra mœnia, ord. S. Augustini, conventus patrum Dominicanorum, Augustinianorum, Franciscanorum, Capucinorum, & collegium patrum Societatis Jesu; duo item cœnobia virginum, S. Petri & Zofingense; collegiatasque duas SS. Stephani & Johannis Evang. ecclesias, easdemque parochiales, uti & antiquissimam S. Pauli.

Hanc denique civitatem maxime commendat in ea celebratum Constantiense concilium œcumenicum an. 1414. & quatuor sequentibus pro pace reddenda ecclesiæ; in quo quidem sederunt cardinales, archiepiscopi, episcopique 346. abbates doctoresque 564. Duces, principes, comites, barones & equites 16000. ut de innumerabili confluxu populi nihil memoremus, omnibus rerum omnium affluentiam laudantibus & mirantibus.

Tam late vero ejus diœcesis sese extendit, ut omnes Germaniæ amplitudine exsuperare feratur; memorantque in synodo an. 1435. habita, numerata fuisse monasteria 350. parochialia templa 1760. ac sacerdotum septemdecim millia, in sex supra sexaginta ruralibus, ut vocant, decanatibus.

Et certe quamvis post reformatam, ut vocant, in Suevia & Helvetia religionem, complures civitates jurisdictioni ejus se se subduxerint, late tamen adhuc episcopi in ecclesiasticis potestas divagatur, quam abbatiæ, num. 49. quas recenset Manlius in chronico Const. monasteriaque haud pauca suspiciunt. Neque minus prædiis ditionibusque auctus est episcopatus, tenetque præter varia in Turgoja loca, in imperiali solo præcipue civitates *Mersburg* & *Marchdorff*, quarum illa nunc sedem ac domicilium episcopis præbet; namque in ipsa urbe Constantia nulla gaudent civili jurisdictione, quippequæ, ut diximus, penes Austriacos est.

Est ceteroquin episcopus Constantiensis dominus Divitis-Augiæ, seu *Richenoviæ*, de qua abbatia & aliis dicetur infra, & Oëningæ, quæ præpositura est in pago ejus nominis ad lacum Bodamicum sito. Est etiam director circuli Suevici cum duce Wirtembergico, & in diætis circularibus primo sedet loco; ac denique ministris hereditariis stipatum ac ornatum esse hunc episcopatum, exinde colligere licet, quod in Bucelini tomo 3. Germ. Stemmatogr. barones Zweyer ejus dapiferi hereditarii vocantur.

EPISCOPI VINDONISSENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Beatus.

Pistorius rerum Germ. script. t. 1. Hic, omissus a Demochare, dicitur a Manlio chronici Constant. auctore *Sacerdos Anglus*, a quo insuper & ab aliis perperam traditur Vindonissæ primus episcopus a S. Petro apostolorum principe constitutus; neque enim majorem hic episcopatus habere potuit antiquitatem Vesontionensi sua tunc metropoli, quam suo loco dicemus nonnisi sub finem seculi tertii fundatam fuisse.

II. S. Paternus.

Aliis Paterius obiit martyr pridie idus Novembris; post quem S. Laudo, *vel* Laudus in nonnullis catalogis recensetur, qui probabilius episcopis Constantiensibus in Normannia accensendus est.

III. Bubulcus.

Bruschio Boulcus, Epaonensi concilio anni
517. 517. subscripsit.

IV. Grammatius.

535. Sedit in Arvernensi concilio an. 535. in Au-
541. relianensi IV. 541. & in quinto 549.
549.

V. Maximus, *sive* Maxentius & Maximinus.

Ultimus fuit episcopus Vindonissensis, ac primus Constantiensis.

EPISCOPI CONSTANTIENSES.

Maximus, qui supra, Vindonissa transtulit Constantiam sedem episcopalem circiter an. 570. inquiunt Demochares, Bucelinus, & alter auctor chronici Constant. Germanice scripti Jacobus Merck; anno 595. ut habet vetus Gallia Christiana, vel 597. ut Manlius prædictus: sane vero regnante Clotario, quem alii primum, alii secundum volunt. Pro primo stamus cum Cointio, ratione temporum exigente, cui Clotario Maximus superstes vixit.

VI. Rudolfus, *vel* Rodulfus.

Qui & aliis Rudelo, *vel* Rudilo.

VII. Ursinus, *sive* Ursicinus.

VIII. Martinus.

Dictus quoque Martianus & Marianus, Gaudentio præponitur in utroque Constantiensi chronico, Jacobi scilicet Manlii & Jacobi Merck, necnon a Bucelino, postponitur autem a Demochare, & Bruschio, ac denique a Cointio rejicitur post Bosonem.

IX. Gaudentius.

Sancto Gallo abbati coævus exstitit, uti legitur in vita ejusdem sancti, tom. 2. Act. SS. Bened. cap. XIV. pag. 238. De cujus scilicet Gaudentii morte nuncius venit ad Willimarum presbyterum, dum S. Gallus apud eumdem hospitaretur.
Vivebat autem Gaudentius an. 611. ex Cointio, 611.
ac mortuus est 614. pro quo anno Demochares habet 618.

X. B. Johannes I.

Cum jam diaconus S. Gallo adhæsisset, eo post obitum Gaudentii episcopatum Constantiensem recusante, ejusdem magistri consilio in frequenti episcoporum & clericorum cœtu, ac ipsomet adstante Rege, in episcopum electus est, ut in prædicta S. Galli vita cap. 25. pag. 244. habetur; quod quidem tum Cointius, tum Mabillonius ad annum 614. revocant. Porro in ejus consecratione sermonem habuit Constantiæ S. Gallus, qui exstat tom. 5. lectionum antiquarum Canisii, & tom. 6. Bibliothecæ patrum
editionis Germanicæ. Deinde vero Johannes ejus- *P. 2. pag. 713.*
dem S. Galli curavit exsequias, ex vita prædicta, cap. XXX. de quarum anno variæ sunt sententiæ; auctor enim lectionum, quæ in ejusdem S. Galli festo ad diem 16. Octobris recitantur, ejus obitum consignat an. 624. Cointius 625. melius autem Mabillonius anno circiter 646. XVII. cal. Nov. Et certe si Gallus annos natus nonaginta quinque decessit, quis credat Constantiensi clero ante annos decem venisse in mentem, ut hominem decrepitæ ætatis in sedem vacuam, ut supra diximus, promoveret? Immo quis putet monachos Luxovienses post Eustasii mortem, quæ contigit an. 625. de Gallo jam fere centenario cogitasse, ut illum ex remota regione abbatem sibi arcesserent. Ceterum titulo beati insignitus est Johannes.

XI. Boso.

Qui & Buso, *vel* Busso, & alio nomine Obihardus, *sive* Opthardus Bruschio, unum scilicet ac eumdem esse putamus, ex quo duos conflarunt Sammarthani, hunc & numero sextum decimum, Cointius & alii. Et certe cum illi S. Galli vitam pro utroque laudent, merito conjicimus unum & eumdem esse. Porro in illa vita loco citato, pag. 250. & seq. Boso dicitur violatum S. Galli sepulcrum ab Otwino pessimo partium illarum præfecto & Erchenoaldo ejusdem

ANNI CHRISTI

consimili vicario restaurasse; quod auctor vitæ S. Magni, *seu* Magnoaldi discipuli S. Galli contigisse refert post triennium a morte S. Galli, Walafridus autem in vita ipsiusmet S. Galli quadraginta post ejusdem transitum annis. Unde Cointius, qui, ut jam diximus, S. Galli mortem consignat an. 625. hanc ejusdem sepulcri restaurationem ex sententia auctoris vitæ S. Magni, revocat ad annum 628. Mabillonius vero, qui S. Galli obitum anno circiter 646. illigat, hanc ejusdem sepulcri renovationem, ex sententia Walafradi, auctoris certe antiquioris, revocat ad annum circiter 687. Verum & in hoc calculo haud levis est difficultas, quandoquidem in hac sepulcri S. Galli restauratione Magnus, *seu* Magnoaldus ac Theodorus ejusdem discipuli superstites dicuntur, quibus videlicet Boso vestimenta & unde alerentur subsidia contulisse dicitur. Itaque melius fortasse revocanda fuerit illa renovatio ad an. 649. post triennium a morte S. Galli, quo tempore & longe postea superstites fuere Magnus ac Theodorus.

XII. Pictavius.

XIII. Severus, *seu* Severinus.

Florebat ex Cointio an. 668.

XIV. Astropius.

XV. Johannes II. *sive* Hanno & Hannus.

XVI. Audoinus, *sive* Audonius.

Hic anno 736. obiisse perhibetur in annalibus Petavianis, quibus concordat Hermannus Contractus in editione, tum Pistoriana, tum Urstisiana, ac etiam Canisiana. Omittitur a Manlio.

XVII. Rudoltus, *sive* Rodulfus.

Iste in omnibus catalogis hactenus editis omissus, innotescit ex epistola Gregorii papæ ad episcopos Bajoariæ & Alamanniæ, Wigonem Augustanum, Liudonem Nemetensem, Rudolfum, *seu* Rudoltum Constantiensem, &c. ut Bonifacium coepiscopum, suas agentem vices, condigno exciperent honore, doctrinamque & morem catholicæ ecclesiæ, a qua missus edoctusque fuerat, tenerent, profanos idololatriæ ritus damnarent.......... & ad ripam Danubii, aut ad Augustam Vindelicorum, aut quemcumque alium in locum Bonifacius legatus concilium episcoporum indixisset, convenire non recusarent. Hæc epistola cum duabus aliis data est ipsi Bonifacio an. 738. cum jam Roma discessurus esset. Rudoltus autem obiisse dicitur anno sequenti.

XVIII. Ernfridus, Erenfridus & Anefridus, &c.

Ermenfridus jam abbas Augiæ-Divitis, ab Hermanno Contracto proximus Audoino successor datur; verum ex dictis non nisi mediate successit; cujus certe obitum Hermannus Pistorianus, qui ceteris præstat, anno 748. post decem annos regiminis consignat. Augiensem abbatiam retinuit ex indulto Caroli Martelli, necnon S. Blasii chronicon scripsit.

A

XIX. Sidoinus, *vel* Sidonius.

ANNI CHRISTI

Ernfrido rebus humanis subtracto, utramque ipsius dignitatem, episcopatum scilicet Constantiensem & Augiensem abbatiam consecutus est Sidonius, cum tunc esset hujus cœnobii monachus. Sane ipsius nomen tanquam episcopi subscriptum legitur privilegio Gorziensis monasterii dato 757. ex Cointio ad hunc annum num. 28. narrat autem Walafridus Strabo, lib. de miraculis S. Galli, cap. 16. Sidonium defuncto S. Galli abbate Othmaro an. 759. *al.* 758. ex Epidanno & Cointio, instigatione comitum Warini & (*Tom. 2. Act. SS. ord. Bened. pag. 258.*)
B Ruodhardi, qui totius tunc Alamanniæ curam administrabant, hoc S. Galli monasterium episcopii sui rebus subjicere molitum fuisse, cujus potentiæ cum fratres resistere non auderent, maluerunt ejus ditioni parere, quam tot adversitatibus implicari. Quin etiam, si fides Hepidanno, Sidonius episcopus jam an. 746. B. Othmarum in synodo de adulterio accusatum damnavit, mox missum in exsilium; sed neque Ratpertus lib. de casibus S. Galli [a], neque Walafridus Strabo, sive in libro de miraculis S. Galli, sive in vita S. Othmari, id facti Sidonio tribuunt, qui tamen aliunde in illum plus æquo fortasse invehuntur. Ceterum
C diu non est potitus monasterio, siquidem anno proximo ineunte 759. *aut* 760. Johannes ejus successor jam episcopus & rector monachorum Augiensium erat, ut patet ex charta 59. apud Goldastum, data die 15. mensis Januarii anno octavo Pipini regis. Et certe hoc anno 759. Cointius & Mabillonius Sidonium interiisse tradunt, & quidem misere, ut scribit Walafridus Strabo loco citato. Vide etiam Ratperti Sangallensis monachi librum de casibus monasterii S. Galli.

[a] Id solum habet Ratpertus cap. 4. *Sicuti Sidonius S. Othmarum, ita & Egino Waltonem persequi cœpit abbatem*; sed cap. 2. non nisi post obitum Othmari monasterium dicitur in potestatem episcopatus redigere molitus. D

XX. Johannes III.

Antea monachus Augiensis Sidonio successit tam in episcopatu Constantiensi, quam in regimine Augiensis & Sangallensis abbatiarum. Qua de re sic Ratpertus in libro de casibus monasterii Sangallensis: *Post cujus*, nempe Sidonii, *obitum Johannes monachus Augensis Constantiæ episcopus ordinatus, amborum regimen suscepit cœnobiorum.* Et Hermannus apud Canisium sic: *pro quo Johannes Augiensis item monachus, episcopatum & utramque abbatiam accipiens præfuit annis 21.*
E Hepidannus vero ad an. 758. *Johannes episcopus administrationem cœnobii nostri* (S. Galli) *per vim suscepit.* Joachimus Vadianus præter annos unum ac viginti completos, addit menses sex diesque unum ac viginti; Bruschius vero duos & viginti annos; nec aliter Hermanni editio Canisiana, quæ vitam Johannis ad annum usque Christi 781. producit. Quoad initia vero ejus pontificatus, apud Goldastum, t. 2. rerum Alamannicarum part. 1. charta LIX. sub titulo *de traditione precaria* legitur emissa Constantiæ pro monasterio Sangallensi, *ejus rectore Johanne pontifice*, anno

ANNI CHRISTI

VIII. Pipino rege, die XV. Januarii, hoc est anno Christi 759. *vel* 760. Deinde subscripsit anno 763. ex Cointio, aut 764. ex Mabillonio post annales Laureshamenses primariis pro monasterio Laureshamensi litteris, & an. 765. placito Attiniacensi. Item memoratur episcopus & abbas in charta XXIX. Goldasti loco citato, die 8. Junii an. IV. regnante Carolo, & iterum in charta LXIX. regnante eodem Carolo. Tum vero Johannes tribus nepotibus suis a se educatis honores suos, nempe Constantiensem episcopatum & duas abbatias quasi hereditario jure relinquere cupiens, utriusque loci monachis pollicitus est, daturum se operam, ut eorum de eligendo abbate privilegium a principe renovaretur, si modo se mortuo nepotes ipsius eligerent abbates. Et id quidem a monachis promissum. Unde & hic episcopus teste Hermanno editionis Canisianæ ad an. 759. *primum Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano papa impetravit;* illudque privilegium Bruschius in Augia-Divite, n. 6. ad monasterium quoque S. Galli sic extendit: *Hic primus,* Hermanno Contracto teste, *utrumque, Sangallense videlicet & Augiense monasterium ab omni jugo episcopali liberum ac immune reddidit, quod impetravit a Pontifice max. Adriano I. sub Carolo Magno & Hildegarde regina & Heroldo comite an. 780.* Quo etiam circiter tempore adiere supplices Carolum regem apud Constantiam Sanctigallenses & Augienses monachi, cum suo, ut videtur, abbate & episcopo, enixe rogantes, ut mortuo episcopo monachi prædictorum cœnobiorum potestatem haberent sibi eligendi abbates, utque soli Regi deinceps subjecti essent; quod optimus Princeps eis indulsit, concessis litteris, quas episcopus penes se retinuit. Sed ubi finem vitæ sibi imminere sensit, ex his duobus privilegiis, alterum Augiam ipse detulit, alterum, quod ad S. Galli monasterium spectabat, in scriniis Constantiensis ecclesiæ reliquit, eo quod Sanctigallenses nepotem illius, sicut promiserant, abbatem eligere noluissent; unde obiter colligimus Johannem paulo antequam moreretur hanc abbatiam reliquisse, vel certe monachos Sangallenses suum revocasse promissum; *quia senserant,* inquit Manlius in chronico Constantiensi, *chartam a Rege datam multum esse depravatam, multoque aliter, quam Rex juberet, seu res eorum indigeret, esse conscriptam.* Ceterum obiit Johannes, uti jam diximus, an. 781. sepultus in facello S. Kiliani monasterii Augiensis.

XXI. Egino.

Sammarthani fratres secuti Bruschium, Democharem & Bucelinum, tres episcopos Gondolfum, *seu* Gangolfum, Fidelem & Dyopaldum, *sive* Theobaldum, quibus Egino successerit admittunt post Johannem superiorem. Nos Hermanni chronicon & Manlii sequentes, illos tres omittimus, & solum agnoscimus Eginonem in annos 32. qui teste chronico Constantiensi Jacobi Merck, & ipsomet Demochare in episcopum electus est an. 781. Hic autem S. Galli monasterium more antecessorum suorum itidem sibi subjicere volens, Waltonem abbatem insectari cœpit, atque optimates Regis prædiorum concessione, non tantum pecuniis ac muneribus ad suas partes pertraxit, ac demum eorum favore monasterium suæ sedi mancipavit. Carolus vero rex Waltonem cum episcopo conciliare hoc pacto tentavit, ut ille episcopi jussis parens, abbatis nomen ac locum in monasterio retineret. At Waldo tantam suorum dejectionem haudquaquam ferre valens, negavit se Regis auctoritate sublimatum, posthoc ulli inferiori homini subdi posse. Itaque cum Regis assensu ad vicinum Augiense monasterium secessit an. 784. statimque Egino episcopus quemdam forensem presbyterum, Werdonem nomine, abbatem monachis imponere voluit; illis vero secularis habitus hominem rejicientibus, Werdo habitum mutavit, & tunc demum monasticis indutus vestibus, acceptus; atque, ut statuerat episcopus, abbas ordinatus est. Tum vero conspirantibus episcopo & abbate, res in deterius prolabi in dies, cum auctores mali essent, qui tutores ac defensores esse debuerant, nullusque ex monachis eis resistere valeret; ita ferme Ratpertus lib. de casibus S. Galli capp. 4. & 5. Ceterum Egino memoratur episcopus & Werdo abbas S. Galli in charta precaria apud Goldastum, num. LXVIII. data anno 34. Caroli regis, hoc est an. 801. Manlius vero in chronico Constant. tradit Eginonem plurima ecclesiæ suæ dona contulisse, in quibus erat crux partim aurea, partim argentea, gemmis pretiosissimis decorata, cum hac inscriptione:

Hoc trophæum Christi Egino pro luce perenni;
Virgo Maria, tuo sacro dicavit honori,
Cui prece, quæso, tua tribuantur regna polorum.

Ex hac vita subtractus est Egino an. 813. ex annalibus Weingartensibus, editis a Mabillonio tom. IV. analect. pag. 477. quem annum Ratpertus in libro de casibus S. Galli, cap. 5. componit cum anno Caroli quadragesimo-sexto. Hermannus tamen Contractus mortem ipsius consignare videtur ante annum 810. Post hunc solus quod sciam Bruschius Theodorum substituit.

XXII. Wolfleozus, Wolfeoh; Wolfoleus & Wolflerus.

Hic prius S. Galli monachus, Eginone mortuo, cujus nepotem Demochares & Bruschius vocant, episcopatum adeptus est; qui paulo post suis fratribus non minus infestum se, quam Egino, præbuit. Sed cum Ludovicus Pius compescuit, novo diplomate corroborata eligendi abbatis facultate, & interim Gozberto in abbatiali confirmato dignitate, quam penes se retinere volebat episcopus, sola decani permissa Gozberto denominatione. Porro ejusdem Wolfeonis exstat epistola, quam dicunt *formatam* ad Bernaltum episcopum Argentinensem data 822. ex sententia Cointii, uti supra diximus, ubi agitur de Argentinensi ecclesia. Tum vero Sangallensem basilicam, quam de novo ædificaverat Gozbertus abbas, dedicavit XVI. cal. Nov. an. 835.* cooperante Udalrico Basileensi episcopo, ac præsente

Tom. VIIII concil. Labb. pag. 1894.

* *834. ex Hepidanno & Basilea sacra.*

ANNI CHRISTI

Erlebaldo Augiensi abbate cum aliquot e suis, aliisque Alamanniæ principibus non paucis, uti referunt Hermannus & vetus Chronographus sancti-Gallensis. Quamdiu postea superstes fuerit, nemo tradit; id unum constare videtur non obiisse an. 831. ut scribunt Demochares & Martinus Crusius in annal. Suevicis, quanquam & hoc in dubio manet duabus ex causis, prima, quod hic auctor Martinus Crusius dedicationem prædictam non Wolfleozo, sed Salomoni tribuat; altera, quod annus 838. componatur cum anno septimo Salomonis I. episc. Constant. undecimo pontificatus Gregorii IV. Ludovici Pii imperatoris, an. xxv. & xvi. Erlebaldi Augiæ abbatis, ex annal. Heremi p. 10. testem adhibentibus Hermannum Contractum. Quinetiam in iisdem annalibus, p. 16. annus Christi 863. componitur cum anno xxxii. episcopatus Salomonis.

XXIII. Salomon I.

Ex modo dictis, hujus episcopi electionem anno 831. *vel* 832. cum aliqua tamen formidine consignamus; qui sane Constantiensi præerat ecclesiæ tempore Ludovici Pii imperatoris,
839. anno 839. ex Mabillonio, ut patet ex charta Henrici episcopi Constantiensis, diploma ejusdem Ludovici ante medium seculum decimumtertium recognoscentis; testatur enim *ex inspectione privilegiorum sanctæ memoriæ Ludovici quondam imperatoris* evidenter sibi constitisse, quod ipse ad petitionem Alberti, quondam sacri palatii comitis, Lindaugiensis monasterii fundatoris, & intercessionem Salomonis antecessoris sui, omnem libertatem & justitiam, quæ Constantiensis ecclesia in omni jure habere cognoscitur, eidem monasterio contulit & concessit.

Exinde Salomon litigavit cum Sangallensibus monachis & Hartmoto proabbate, de quodam censu, a cujus solutione liberati quidem sunt monachi, sed quibusdam prædiis in compensationem ecclesiæ Constant. datis; quod in conventu apud Ulmam a Ludovico Augusto confirmatum fuit, ex Mabillonio ad annum 841. n. 43. Tum vero
847. interfuit an. 847. concilio Mogunt. sub Rabano metropolita, cujus concilii judicio publice flagellis cæsa est pseudo prophetissa-quædam, nomine Thiota, quæ ipsius *episcopatum suis vaticiniis non minime turbaverat* (inquit Annalista Metensis) mundi finem prædicens illo ipso anno futurum, a quodam presbytero propter lucrum ad hoc in-
858. ducta. Idem quoque Salomon an. 858. missus est Romam a Ludovico (Germanico) rege pro confirmatione unionis ecclesiarum Bremensis & Hamburgensis; qua de re consulenda vita sancti Anscharii secul. iv. Bened. part. 2. pag. 96. & 97. Fuisse autem ab intimis hujusce Ludovici consiliis, cum Grimoldo abbate S. Galli hujus principis archicapellano, probat collatio episcoporum a concilio Metensi anno 859. missorum habita cum ipso Ludovico apud Wormatiam, adstantibus dictis consiliariis & quodam Theoderico episcopo. Vide tom. 8. conc. p. 682. Hoc etiam circiter anno scripsit ad eum Nicolaus I. papa epistolam, quæ exstat in decretis cap. *sciscitatur* caus. 30. qu. 4. ac insuper nominatur an.
860. in synodo Confluentina cum Hincmaro Remensi & Adventio Metensi præsulibus. Vide capitul. tit. 35. tom. 2. pag. 163. Item anno 864. interest translationi corporis S. Othmari, 864.
seu potius illam ipsemet celebravit, ex ecclesia S. Petri in basilicam S. Galli feria iv. octavo cal. Novembris, qua ipsa die sanctum illum Othmarum pronunciavit, uti legitur in libro Ratperti de Casibus S. Galli, & in vita S. Othmari; ubi etiam habetur, quod oratorium S. Othmari tribus fere post annis viii. cal. Octobris quarta feria consecraverit, hoc est anno 867. Deinde anno seq. Vormatiensi concilio de disciplina ecclesiastica interfuit. Porro is est Salomon, de quo sic habet Ermenricus monachus Augiensis in libro de Grammatica ad Grimoldum archicapellanum, tom. 4. veterum Analectorum Mabillonii, pag. 338. *urbem, &c.* . . . .

Quam Salomon nunc antistes clarissimus ornat,
Doctrina & pietate Dei cultuque benignus.

Atque etiam ipsus est, cui Otfridus monachus Weissenburgensis, post præfationem latinam in suam Evangeliorum versionem, inscriptam Liutberto archiepiscopo Moguntino, carmen theotiscum inscripsit, totidem tetrastichis constans, quot litteris hæc inscriptio: *Salomoni episcopo Otfridus.* Denique Salomon viam universæ carnis ingressus est an. 871. ex annalibus Weingartensibus, t. 4. Analect. Mabillonii, pag. 478. annal. Heremi; & ex Hermanno Contracto, aliis autem anno 873. vel circiter die 2. Aprilis; quem certe tradit Demochares construxisse collegium canonicorum Regul. in honorem S. Stephani, in pago suorum parentum, a se *Salmonsach* dicto, quod posteaquam factus est episcopus, ex Thurgovia in urbem Constantiensem transtulit, in parochiam S. Nicolai, quæ jam S. Stephani cathedralis basilica, ab hoc Salomone sic vocata & constituta est; idemque primus fundavit monasterium, quod *Episcopi-cellam* vocant; sive, ut loquitur Manlius in suo Constantiensi chronico, *collegium Episcopalis-cellæ fundavit.*

XXIV. Bathego & Patecho.

Duo sunt, quæ de hoc episcopo notantur, institutio an. 874. *vel* 873. & mors 877. in illa suspicamur errorem ex dictis, & in hac demonstramus, ex dicendis; jam enim sedebat successor regnante Ludovico Germanico, qui mortem oppetiit an. 876.

XXV. S. Gebhardus I.

Kebahartus vocatur apud Goldastum charta lxxxxiii. pag. 77. *anno xxxv. regnante Ludovico piissimo rege, patre Carlomanni, Ludovici & Caroli principis.* Hic est autem profecto Ludovicus Germanicus, cujus initium regni alii deducunt ab an. 839. alii a morte patris 840. & alii denique, inter quos Mabillonius, ab an. 833. *vel* 834. Sed quoquomodo sumatur, Gebhardum liquet regimen auspicatum fuisse anno saltem 876. quod, inquiunt, cæsus in prælio contra Normannos, finivit an. 885. die 27. Augusti. Verum

ANNI CHRISTI

Verum & hoc citius contigisse invicte probant duæ apud Goldastum chartæ n. XXIV. & XXVIII. datæ annis secundo & quinto Caroli imperatoris, in quibus Salomon episcopus nominatur; unde & mortem Gebhardi cogimur illigare an. 881. quo revera plures a Normannis memorantur strages in illis regionibus perpetratæ, tempore Ludovici II. Germaniæ regis, qui decessit die 20. Januarii an. 882. Et certe ad hunc Gebhardum spectare videtur quæstio Johanni VIII. papæ * ab episcopis Germaniæ proposita, utrum qui pugnantes pro republica & religione contra paganos occumbebant in prælio vitam consequerentur æternam; & hujus Papæ responsio, ex qua Gebhardus inter sanctos annumeratus fuisse videtur. Ceterum hunc Bucelinus antea monachum Augiensem prædicat, Mabillonius vero monachum fuisse non videt.

* Obiit 15. Dec. 882.

XXVI. Salomon II.

Rerum Alamann. tom. 2. part. 1.

Ut hunc episcopum sedisse ante annum 885. dicamus, faciunt duæ memoratæ chartæ apud Goldastum, in quarum una n. XXVIII. Salomon episcopus *Junior* dictus paciscitur cum Harmoto abbate S. Galli super quibusdam decimis anno 2. regnante Carolo imperatore mense Junio, die Veneris ind. XV. quæ quidem indictio toto regiminis Harmoti tempore reperitur solummodo anno 882. & hic etiam annus optime convenit cum an. 2. Caroli Crassi imperatoris, non autem Calvi, uti perperam scripsit Goldastus in titulo huic chartæ præfixo, tom. 3. pag. 87. In altera vero charta n. XXIV. Bernardi abbatis S. Galli nomen præferente, de commutatione cujusdam ancillæ monasterii cum alia quadam certi hominis, Salomon episcopus & legatus Imperatoris, testis nominatur, feria VI. tertio idus Novembris, anno Caroli imperatoris quinto, hoc est 886. in quem littera B. Dominicalis incidebat. Ceterum obiit Salomon an. 890. ex annalibus Fuldensibus, qui sic habent ad hunc annum: *Salomon Constantiæ episcopus, vir vitæ probabilis obiit; cui equivocus ejus Salomon Junior, tertius siquidem tunc ejusdem nominis vocabulo, in sedem episcopus concessit.* Ita etiam annales Heremi; ad quem annum ita etiam Regino: *Circa hæc tempora Salomon Constantiensis ecclesiæ antistes recessit a seculo.* Alii vero, Bucelinus, Demochares, Jacobus Manlius & Jacobus Merck mortuum tradunt an. 891.

XXVII. Salomon III.

Cognomento *Ramschwagius* Bruschio & Bucelino, vir non solum nobilitate, verum etiam prudentiæ ac sapientiæ virtutibus insignitus, ait Regino, erudiendus primum & clericatui initiandus Isoni S. Galli monacho, tunc temporis doctori nominatissimo traditus est a parentibus, quibus adhuc puer orbatus, sicque magnarum facultatum heres factus, ad maximas res animum intendere cœpit. Dein Sanctigallensibus scholis abstractus, mox inter fratres conscriptos ejus loci a patribus, Grimaldo jubente, ac favente Harmuto admissus est. Quam ob gratiam etsi multum beneficus, jamque Ludovici regis capellanus, ac Elewangensis & Campidonensis abbas secularis, ut tamen in claustrum admitteretur, impetrare non valuit, nisi facto, quod monachus aliquando fieret, voto, ipse cappa monastica indutus, quam egressus ad limina claustri deponeret. Id vero exsecutus est an. 889. agente Ruggero monacho, quem sibi in rebus spiritualem ducem elegerat; nec multo post in aulam, abbatis sui permissu, revocatus, in pristinos restituitur honores, duodecimque abbatias rexisse dicitur, in quibus fuit & Sanctigallensis, quam obtinuit per dejectionem Bernardi, an. 891. si per Hattonem Mogunt. archiep. facta est, uti supra diximus. Tradit autem Ekkehardus, lib. de casibus S. Galli apud Goldastum, tom. 1. Alamannicarum rerum part. 1. pag. 40. Salomonem sancto Gallo annum unum ac dimidium præfuisse, antequam Constantiensi ecclesiæ prælatus esset, quod an. 890. factum scribit Annalista Fuldensis ejus temporis æqualis; alii tamen, ut supra, 891. quo Bertholdum & Erkingerum Alamanniæ duces cum ipso jam episcopo graviter collisos fuisse narrat Bucelinus in annalibus Germaniæ. Ceterum non nisi anno 892. in hac sede constitutus, ex Hepidanno & Mabillonio seculo V. Bened. pag. 50. interfuit concilio Triburiensi an. 895. ac ineunte anno seq. suas precibus Engilfridi abbatis Gregoriani in Alsatia monasterii apud Zuentiboldum Lotharingiæ regem adjecit pro confirmatione dicti cœnobii privilegiorum. Sibimet autem Salomon ab Arnulfo imperatore paulo ante obitum ejus, qui contigit an. 900. Fabariensem abbatiam obtinuit, quam & S. Galli monasterio subjecit, ac per decanos deinceps administrari curavit. Memoratur etiam episcopus & abbas S. Galli in duabus chartis nn. XX. & XXI. apud Goldastum, tom. 2. antiq. Alamannic. p. 1. pag. 42. Data est prima anno Dom. Incarnat. 902. Ludovici Germaniæ regis tertio, die Mercurii, idus Febr. *lege* IV. idus; & altera, die Lunæ X. cal. Junii anno tertio Conradi regis, hoc est 914. Seipse vero solummodo dicit abbatem in charta n. LXXV. data regnante Ludovico rege an. X. die Lunæ idibus Octobris, anno Christi 909. *lege* 910. quo dies Lunæ incidebat in idus Octob. Laudatur & alia charta apud Mabillonium, t. 3. annal. Bened. pag. 319. in qua Salomon episcopus & abbas nominatur. Data est VII. cal. Oct. feria IV. anno VII. Ludovici regis, hoc est an. 905. quo feria quarta coincidebat septimo cal. Octobris. Tum vero Salomon Romam profectus est, testante Ekkehardo Juniore, coævo S. Galli cœnobita, lib. de casibus ejusdem monasterii, circa 912. inquit, permixto scilicet factorum ordine; neque enim prius hoc iter aggressus est, quam ab inimicis captus atque liberatus, quod quidem factum Regino ad an. 914. revocat. Et certe ex urbe Roma corpus S. Pelagii martyris, cujus die festo paulo ante liberatus fuerat, cathedrali suæ intulit, eumque sanctum tutelarem urbis ac diœceseos patronum nominavit, an. 918. ex annalibus Benedictinis Bucelini, & annalibus Heremi. Addit vero Guillelmus Cave in historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum, eum quoque

Goldast. t. 1. rerum Alamann. part. 1. pag. 45.

ANNI CHRISTI

S. Constantii corpus attulisse Roma & in S. Galli monasterio deposuisse, de cetero tam benemeritum de Constantia, ut eum Bucelinus alterum ejus conditorem prædicet; de quo etiam Salomone, vide in Hattone Mog. archiepisc. eidem familiarissimo. Denique ex hac vita migravit an. 920. in vigilia Epiphaniæ, quod Hepidannus, aliique pro veteri more ad annum præcedentem referunt. Sepultus est in ecclesia sedis suæ ad parietem dexterum, non sine suorum lachrymis. Exstant poëmata varia apud Canisium antiqu. Lection. tom. I. in appendice, pag. 15. editionis 1601. & in Bibliotheca Patrum, tom. XVI. pag. 1300. in quibus est epistola ad Dadonem episcum, (Virdunensem) in qua dissensiones & bella regnique Germanici orbitatem (Arnulfo imperatore defuncto) & corruptelam morum haud ineleganter deplorat. Memorat etiam Henricus Pantaleon de Viris illustr. Germaniæ, tom. 2. pag. 105. elegans Dictionarium a Salomone adhuc juvene conscriptum, sua ætate in pergameno apud monasterium Sangallense asservatum. Ita Guillelmus Cave, pag. 477.

XXVIII. Notingus.

Is quoque Sangallensis monachus, aiunt Recentiores, quem Bruschius comitem Veringensem vocat, a clero, inquit Goldastus, & populo episcopus Constantiensis appellatus est, an. 919. (sive 920. ante Pascha) vir vitæ sanctimonia & probitate morum conspicuus. Quinetiam Bucelinus eum beati nomine donat, & ex monacho S. Galli, præpositum & reformatorem monasterii cathedralis Constant. & postea episcopum laudat. De quo etiam hæc habet in suis annalibus Germaniæ ad an. 921. *Insigne item sidus Sueviæ atque Helvetiæ illucescit Notingus post Salomonem Constantiæ episcopus, & ipse S. Galli olim monachus, inde cathedralis monasterii præpositus, S. Conradi successoris magister atque educator, &c.* Videtur tamen non fuisse monachus, sed solum habuisse locum inter fratres conscriptos S. Galli, nullus enim antiquus auctor id asserit, quin potius omnes suo silentio negant. Ceterum anno 921. pactioni Caroli Francorum regis & Henrici Germanorum subscripsit; & anno circiter 925. profanatum ab Hunnis S. Galli monasterium, aqua benedicta, requisitus a monachis, lustravit. Recensetur autem in capitular. Regum an. 926. calendisque Junii an. 932. Erfordiensi concilio de disciplina ecclesiastica interfuit. Denique migravit ad Dominum pridie idus Aug. an. 934.* ex Hepidanno, & Goldasto, tom. 2. antiq. Alamann. p. 2. pag. 154. die vero XI. cal. Dec. ex ephemeridibus S. Galli; ad cujus exsequias cohonestandas & perficiendas venit Udalricus episcopus Augustanus, summæ tum apud Alamannos existimationis & auctoritatis, qui justis funeri solutis, congregato populo imperavit triduanum jejunium, ut pro bono episcopo, cujusmodi abstulisset, Deo opt. max. supplicarent. Ita Goldastus loco citato pag. 154. Idem porro S. Udalricus episc. Aug. de Notingi vita scripsisse fertur epistolam, quæ exstet Constantiæ in

Tom. 2. antiq. Alamann. p. 2. pag. 154.

Ibid. pag. 185.

* Recentioribus 935.

A bibliotheca cathedrali; Notingus vero in Evangelia scripsisse memoratur. Vide-sis chronicon Hirsaug. Trithemii ad an. 935. & annales Benedictinos Bucelini ad an. 934.

XXIX. Conradus I.

D'ALTORFF.

Ex nobili Alamannorum stirpe genitum consentiunt omnes, quanquam de patris nomine dissentiunt, quem videlicet Henricum Demochares, Martinus Crusius, ex Hutta conjuge, & Manlius in chronico, Rudolfum Bucelinus, & Sammarthani Conradum vocant. Sane vero fuit a Notingo decessore in juvenilibus annis institutus, dumque adhuc apud Notingum esset, a canonicis ecclesiæ Constant. in præpositum ejusdem ecclesiæ receptus, in cujus postea demortui locum successit clero & populo Constant. acclamantibus, an. 934.* ex chronico Constantiensi auctore Jacobo Manlio. Quod etiam Bucelinus ad hunc annum refert in suis annalibus tum Germaniæ, tum Benedictinis, cum hoc tamen discrimine, quod hîc mendose S. Gerardus appelletur, & prius cathedralis ord. S. Bened. monachus, cum a puero in S. Galli cœnobio, ac deinde a B. Notingo Constantiæ educatus fuisset. Tum vero Conradus adfuit synodo Ingelheim. mense Junio anni 948. celebratæ, in qua Artaldus legitimus Remensis episcopus fuit declaratus; ad quem similiter annum vide annales Heremi de consecratione cœlitus facta hujus monasterii basilicæ; itemque in Augustana synodo sedit an. 952. ubi actum est de disciplina ecclesiastica. Deinde vir sanctus an. 968. jussus est ab Ottone imperatore visitare cœnobium S. Galli cum plurimis aliis episcopis & abbatibus, eo quod Ruodmannus abbas Augiensis, quin potius Eggehardus uti emendat Mabillonius, tom. 3. Annal. ad an. 972. p. 615. monachos quasi minus regulares traduxisset. Sed hoc falsum fuisse repertum satis innuit alter ejusdem Conradi hoc ipso anno ad idem monasterium accessus orationis causa, & redintegrandæ fraternæ dilectionis gratia, quam pridem cum abbate ejusdem cœnobii Thietone & postmodum cum successore ejus Cralone pepigerat. Tunc autem S. Galli monasterio præerat abbas probatæ sanctitatis Burchardus, cui quod esset delicatior, aliquando Conradus noster usum carnis præcepit, & postea senio laboranti, ut abbatiam dimitteret consuluit. De cetero multa bona de suo patrimonio fratribus ecclesiæ Constantiensis ad usus communes contulit. Tres etiam basilicas, S. Mauricii pro duodecim canonicis, & S. Johannis in ipsa urbe, necnon & S. Pauli parochialem extra muros, quæ in suburbio adhuc sita est, construxit, ac ter quoque, dum vixit, Sepulcrum Domini visitavit. Denique ad cœlestem vitam migravit VI. cal. Decemb. an. 974. *al.* 975.* *vel* 976. ex annal. Suevicis, ac in æde prædicta S. Mauricii, seu potius juxta, sub dio, uti constituerat, tumulatus est; prope cujus sepulcrum, aliquo tempore elapso, Ulricus de Richental canonicus Constant. capellam construi & altare fundari ad honorem sancti præsulis disposuit. De quo subinde in sanctorum numerum

* 935. ex Hepidanno.

* *Ex annal. Heremi, anno episcopatus quadrag.*

ANNI CHRISTI

adscribendo Ulricus I. episc. Constant. litteras scripsit ad Calixtum II. papam, qui demum sacris hunc fastis adscripsit, bulla data v. cal. Apr. quam vide-sis in chronico Constant. cum ipsius Conradi vitæ & miraculorum synopsi, quam scripsit præfatus Ulricus episcopus. De quo & in compilatione chronologica, p. 732. apud Pistorium, qui scriptores rerum Germanicarum edidit Francofurti an. 1613. hæc leguntur, ad an. 978. *lege* 973. *vel* 74. *S. Udalricus Augustæ episcopus migravit ad Christum, qui fecit prandium cum Conrado Constantiensi episcopo, & ambo sunt sancti, & eorum solemnitas in Suevia solemniter celebratur*, atque, ut ait Bucelinus in suis annalibus Germaniæ, Conradus ob insignia merita, suæ diœceseos, uti & Ulricus Augustanæ, tutelaris cooptatus est. Exstat etiam liber anonymi cujusdam de vita S. Conradi episcopi Constant. Qua de re insuper scripsit S. Gebhardus II. uti mox videbimus.

XXX. Gaaminolfus, Gaminulfus & Gamenoldus.

Proxime sancto Conrado successit, qua in cathedra nonnisi quatuor annis sedisse dicitur. Obiit enim an. 979. ex Hermanno Contracto & Bucelino, vel 980. ex annalibus Heremi brevioribus, tom. 4. Analect. Mabillonii, p. 479. ac etiam prolixioribus & Demochare.

XXXI. Gebhardus II. *seu* Gevehardus.

Hugonis, *sive* Utzonis & Uthonis Brigantii comitis filius, & ipse quidem Dietburgæ matris cæso utero natus, canonicus erat Constant. ecclesiæ, quando in ejusdem pontificem a fratribus electus est an. 980. non vero 985. ut scribit Hepidannus. Quanta hic esset in S. Gregorium papam devotione, Constant. ecclesiæ adhuc canonicus, solemni donatione quorumdam prædiorum eidem ecclesiæ facta testatus est, cum eidem *vir summæ religionis & doctrinæ Conradus* præfectus esset. Hæc autem donatio ea conditione facta est, ut ipse, vel quivis ejus propinquus eadem bona precario recipere posset, sub annuo censu persolvendo in festo S. Gregorii. Jam vero factus episcopus, an. 983. monasterium in honorem ejusdem S. Gregorii prope Constantiam in ripa Rheni fluminis exstruxit, cujus ecclesiæ formam occidentali plagæ obversam voluit esse secundum formam basilicæ S. Petri in Vaticano, ob idque a posteris S. Petri-domus appellata est, vulgo *Petershausen*, quam decimo post anno dedicavit; multisque reliquiis exornavit; in his brachio S. Philippi apostoli, quod ab Ottone III. acceperat. Tum etiam possessiones illas, de quibus supra, precario acceptas Constantiensi ecclesiæ restituit, eo pacto ut canonici *ter in anno cum solemni processione ipsum monasterium adeant, singulisque vicibus pro ejus anima missam cantent, monachique chorum regant, & ad altare ministrent, atque a clericis ea die de supradictis prædiis duo talenta & quinque solidi ad servitium dentur.* Subinde Romam profectus est circa 989. & ibi caput S. Gregorii papæ a Johanne summo pontifice anno ejus pontificatus quarto accepit cum insigni privilegio pro suo Petershausensi monasterio, quod habes in chronico Constant. auctore Jacobo Manlio. Addit Demochares eum Zurzachii collegium canonicorum fundasse suis propriis pecuniis, & proventibus annuis dotasse. Insuper vitam & historiam S. Conradi ex comite Altorfiensi episcopi Constant. litteris mandasse perhibetur: qui demum ad cœlos migravit secundum Hermannum & annales Einsidlenses, t. 4. Analect. Mabillonii, p. 479. an. 995.* VI. cal. Septembris, sepultus in basilica S. Gregorii papæ a se constructa, cum hoc epitaphio:

Annal. Heremi, pag. 95.

* 996. ex annal. Suevicis.

Debita pars terræ fallentia tempora sperne;
Et memorare viæ, quam testatur cinis iste,
Gentis honos nostræ jacet hic, gentis dolor, atque
Præfuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancque Deo sedem templi fundavit & ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere,
Redde vicem juste, quia te dilexerat iste.

Ipsius vitam Udalricus episcopus libris duobus composuit & Calisto II. papæ inscripsit. Exstat etiam ejusdem vita ex Canisio apud Surium edit. 1617. ad diem 27. Augusti, quam dicunt in monasterio S.Galli asservari. Habetur & in chronico Constantiensi auctore Jacobo Manlio, sed ejus recentior est auctor. Tandem vero in sanctorum album relatus dicitur an. 1134. in chronico Constant. Jacobi Merck, quod quidem Bucelinus in annalibus Germaniæ tribuere videtur Gebhardo III. utpote quem monachum dicit.

XXXII. Lambertus.

Hic *habitu & professione monachus*, inquit Hermannus, sed cujus loci, non constat, ait Mabillonius post Constantiense chronicon auctore Jacobo Manlio; attamen Petrusianum dicunt Demochares, Jacobus Merck, annalista Heremi & Sammarthani, quod quidem traditur, ex laudato chronico; sed omnino falsum est fuisse abbatem Petrusianum, uti Bucelinus asserit.

Hic, inquam, Gebhardi successor præfuit annis 23. quo tempore templum S. Mariæ, quod est cathedrale, ex parte dirutum instauravit, amplificavitque. Interfuit an. 998. concilio Romano sub Gregorio V. & Francofordiensi an. 1006. quo etiam anno, IV. nonas Aprilis adfuit placito Henrici regis apud Novum-burgum. Idem quoque circiter annum 1008. Bernonem consecravit abbatem Augiensem; ac denique obiit præsul religiosissimus an. 1018. XVII. cal. Junias, ex annalibus Heremi, Hermanno Contracto, chronico Constant. Jacobi Manlii, ac t. 4. annalect. Mabillonii, pag. 480. *al.* 1017. ex chronico Augustano; sed male omnino 1009. ex chronico Constant. Jacobi Merck, Demochare & annal. Suevicis.

Tom. IX. Spicil. pag. 70.

Annal. Mabill. t. 4. pag. 188.

XXXIII. Ruthardus, Rudhardus & Ruodhardus.

Ricodardus vocatur apud Baronium in charta Henrici II. pro Romana ecclesia, non Walterius, uti ex omissione duarum vocum *Spirensis & Ricodardus*, legitur in probationibus hist. Palatinæ auctore Tolnero; sed aliunde hanc chartam hic

Tom. IX. conc. Labb. pag. 816.

ANNI CHRISTI

notis chronicis destitutam prave ad annum 1014. Baronius revocat, ut patet ex aliis episcopis eidem subscriptis, qui necdum eo anno sedebant, ut verbi gratia Heichtedensis, & Ricardus abbas Fuldensis, melius proinde ad annum circiter 1020. revocandam, ut scribit D. Fleury, t. VIII. hist. Eccles. Ceterum Rothardus capellanus erat Imperatoris, quando unanimi voto in Lamberti locum successit an. 1018. quo, vel sequenti adfuit dedicationi ecclesiæ Basileensis. In Italia demum comes Imperatoris Trojam obsidentis moritur peste, & ibidem sepelitur an. 1022. ex annalibus Heremi, pag. 118.

Annal. Heremi, Herman. & August. chron.

XXXIV. Heymo & Haimo.

Dicitur etiam Anno in annalibus Heremi, & Henno in chronico Augustano, *vir sapiens in Deo, modestus & providus ad seculum*, Wipponi in vita Conradi Salici ad an. 1024. obiit vero 1026. XIV. cal. Apr. ex Hermanno Contracto & annalibus Heremi, *al.* 1027. pro diversa inchoandi annum ratione, non vero 1032. uti legitur apud Hepidannum.

XXXV. Warmannus.

Natus ex comitibus Kiburgi & Dillingæ, Mangoldi, qui tum regebat comitatum Dillinganum, germanus frater, exstincto Haimoni successit. Augiensem antea monachum tradunt Demochares, Bucelinus, ac etiam Mabillonius annal. tom. 2. pag. 188. ubi vitam S. Pirminii scripsisse, & Liudulfo Trevirensi antistiti nuncupasse dicitur. Verumtamen malumus dicere monachum Einsidlensem cum eodem Mabillonio, tom. 4. annal. p. 323. Sammarthanis, Annalista Heremi, Jacobo Manlio & Jacobo Merck Constantiensium episcoporum chronographis, ac etiam Bucelino in suis annalibus Germaniæ ad an. 1030. Hic favit maxime Murensis cœnobii fundationi, uti legere est, in actis ejusdem loci, sive Originibus Murensibus, pag. 8. Sane vero tantam de se Warmannus probitatis & sapientiæ famam & opinionem fecerat, ut postquam Conradus rex Ernesto Duci denuo rebelli abrogatum suum ducatum Hermanno ejusdem fratri contulisset, ipsum Hermannum, quia juvenis admodum erat, Warmanni tutelæ commendaverit. Idem porro se munificum præbuit erga Murense monasterium, cujus loci parochialem ecclesiam, quam tenebat Voko presbyter, eidem monasterio cum ejus dote tradidit, ita tamen, ut secularem illi ecclesiæ presbyterum monachi præficerent. Defunctus est an. 1034. ex Hermanno Contracto, non 1040. ut habet Hepidannus.

Secul. 3. Bened. p. 2. pag. 136.

Annal. Heremi ad an. 1030.

XXXVI. Eberhardus.

Decessoris germanus frater, sed utrum etiam Eindsilensis, sive Heremi B. Mariæ monachus, necne, dubitat ejus loci annalista ad an. 1034. quo tradit eum fratri suo datum successorem, & an. 1039. dedicasse templum ejusdem monasterii III. idus Octobris. Idem an. 1041. S. Gangolfo martyri positam ædem in campo Bruelensi vicino ab Embricio Heremi abbate, consecravit; cumque

A annis duodecim sedisset, Romæ, quo Cæsarem secutus erat, vivere desiit in nocte vigiliæ Natalis Domini an. 1046. ac in porticu S. Petri sepultus est, ex annalibus Heremi, seu 1047. ex chronico Augustano.

ANNI CHRISTI

XXXVII. Theodericus.

Dietricus Lamberto Scafnaburgensi, cum esset cancellarius Imperatoris & archicapellanus per alias provincias, quam Italiam, necnon Aquisgrani præpositus, ait Hermannus Contractus, addit *& Spiræ* Martinus Crusius in annal. Suevicis ad an. 1047. ab eodem Imperatore Constantiensi ecclesiæ præfectus est an. 1047. ineunte, ex annalibus Heremi. Anno insequenti VIII. cal. Maii ecclesiam Augiensem dedicavit, præsentibus Henrico Cæsare ac Imperatrice uxore. Animam exhalavit post diutinam ægritudinem X. cal. Julii, quinto sui præsulatus anno, Christi 1051. testante Hermanno Contracto, sepultusque est in Constantiensi S. Stephani basilica, inquit Demochares, quam certe bonis pluribus ditasse Manlius in chronico tradit.

B

XXXVIII. Rumoldus & Rumaldus.

Antea Goslariensis præpositus, posteaque monachus Einsidlensis, ab Imperatore promovetur ad episcopatum Constantiensem, inquit Hermannus Contractus ad annum 1051. Ita etiam annales Heremi, ubi exstare ad eum dicitur apud Gratianum, falso licet titulo, nempe *Grimoldi* pro *Rumoldo*, decretum Alexandri II. pontificis; de eo qui per saltum negligentia ordinatus est; sive de quodam, qui neglecto subdiaconatu ad diaconatum promotus fuerat. In hac autem epistola, quæ est ordine 32. incipitque *sollicitudo*; docet Alexander eum, qui diaconus & presbyter, neglecto subdiaconatu, effectus fuerat, ordinandum esse subdiaconum, antequam ei annuatur ad majora officia jam suscepta redire. Alia quoque ejusdem Pontificis epistola num. 31. scripta est ad Rumoldum, in qua eum aliquomodo arguit intempestivæ severitatis contra discretionis modum, eique mandat, ut abbatem, cujus servus ab eo fuste percussus post sex menses obierat, ob id depositum, sedi suæ restituat, & post pœnitentiam anni integri permittat eum sacris altaribus ministrare. Hic porro *vir maturæ admodum gravitatis* Lamberto Scafnaburgensi, Mathildæ filiæ unicæ Henrici III. imp. defuncti 1056. tutelam ejusdem Augusti testamento suscepit, & collapsum suo tempore an. 1052. B. Mariæ Virginis monasterium, hoc est cathedralem ecclesiam, instauravit. Consensit autem, imo rogavit Thietmarum Curiensem episcopum anno 1061. ut Abbacellensem basilicam a Norperto S. Galli abbate exstructam atque dotatam dedicaret; ac ipsemet 1064. V. idus Octobris Murensem ecclesiam in honorem sancti Martini Turonum episcopi, adstante cum multis aliis Wernhario Habsburgensi comite, dedicavit, itemque Schafhusanam eodem anno. Deinde anno 1067. orta inter Rumoldum episcopum & prædictum Norbertum S. Galli abbatem de jurisdictione

C

D

E

Goldast. rerum Alaman. tom. 2. pag. 74.

ANNI CHRISTI

controversia in bellum erupit, donec Rudolfi ducis auctoritate ad pacem & concordiam rediere. Tandem excessit e vivis Rumoldus episcopus an. 1069. IV. nonas Novemb. ac in nova basilica a se ædificata conditus est. *Annal. Heremi.*

XXXIX. CAROLUS.

Alii Carlomannum vocant, inquiunt Sammarthani, traduntque patria Thuringum, & quidem Thuringiæ Lantgravius fuit, si Bucelino fides & Jacobo Merck in suo Constantiensi chronico. At certe canonicus erat Magdeburgensis & Hartzisburgi præpositus, ex annalibus Heremi, quando favore Cæsaris in locum Rumoldi suffectus est an. 1070. ineunte. Ac primo quidem a clericis Constantiensibus benigne susceptus est, sed mox necdum inauguratus dum pro libito suo magis quam ex ratione rem gerit, indignantes clerici ab ejus communione se abstinere cœperunt, tum propter Simoniacam hæresim, per quam episcopatum usurpasse dicebatur, tum propterea quod plerosque ecclesiæ thesauros furtive abstulisset. Hisce igitur Romam perlatis accusationibus, ubi tunc erat Sigefridus archiep. Mogunt. huic coram & postea scripto Romanus pontifex imperavit, ne Carolum inungere præsumeret donec se purgasset. Quamobrem post multas ex parte Regis difficultates concilium Sigefridus habuit Moguntiæ die 15. Augusti anno 1071. in quo tandem criminibus objectis evictus Carolus annulum & baculum pastoralem in manus Henrici regis resignavit, dicens se nolle dari episcopum invitis. Inde vero ad diœcesim Magdeburgensem regressus, post quatuor menses animam exhalavit, VI. cal. Januarii.

Lamb. Scafn. anno 1069. chr. August. & annal. Heremi an. 1070.

Tom. IX. conc. pag. 1205.

Ibid pag. 1206. Lamb. Scafn. & chr. August. an. 1071.

XL. OTHO I.

Successit Otho in episcopatum Constantiensem, antea Goslariensis canonicus, ex annalibus Heremi & Lamberto Scafnaburgensi, quem alii *de Goslar* cognominant, inter quos Bucelinus, qui hunc etiam baronem de Lierheim vocat. Successit, inquam, non electione canonicorum, innuit Manlius, sed institutione Regis, qui recenti exemplo conterritus, ait Lambertus, confestim eum consecrari fecit, ne quis scilicet adversus eum scrupulus denuo per dilationem consecrationis oriretur. Deinde anno 1073. apud Henricum regem cum aliis episcopis obtinuit Einsidlensis cœnobii libertatem confirmari; exstat integrum diploma in annalibus Heremi, pag. 152. Nominatur anno seq. inter suffraganeos archiepiscopi Mogunt. in epist. 29. lib. 2. Gregorii papæ ad Sigefridum archiepisc. qua eum invitat cum suis suffraganeis ad synodum. Discimus autem ex epistola 60. ejusdem Gregorii papæ, lib. 2. circa an. 1075. simultatem fuisse inter Ottonem episcopum & Eccardum Augiæ abbatem; qua de re ab utroque interpellatus Gregorius scriptis ad Ottonem litteris mandavit, ut communes utrimque amicos & sapientes viros seligerent, quorum consilio lis eorum dirimeretur; quod si non succederet, ambo ad Apostolorum limina convenirent, pontificis judicium subituri, & A interim concordiam servarent, temeritatis pœnas daturi, si apostolicæ auctoritati reverentiam non exhiberent. Scripsit & alias ad eum epistolas idem Pontifex, alteram scilicet de simoniacis & fornicariis clericis, secundum statuta Romanæ synodi an. 1074. altera illum objurgat, quod his salutaribus decretis resultaverit, vel potius insultaverit; ac denique tertia clero & populo Constantiensi demandat, ne inobedienti episcopo obediant. Habetur prima in actis concilii I. Romani sub Gregorio VII. habiti anno 1074. in Apologetici capitulo I. secunda & tertia referuntur ab Hugone Flaviniacensi in chronico, tom. I. B biblioth. Labb. pag. 210. & 211. Sic igitur Otto a Gregorii communione factus alienus, cum interim partibus Henrici regis adhæreret, anno 1077. Constantia pulsus est a Rudolfo Sueviæ duce, quem nonnulli hortante papa adversus Henricum, Romanorum regem pronuntiarant, atque Othonis loco Pontifex Bataviensem episcopum administrare quoque Constantiam præcepit; iterumque anno 1084. per fautores Hermanni, quem post obitum Rudolfi Regem elegerant, Bertholdum Zeringum, Guelphonem Bavarum & Burchardum Nellenburgensem, ex sua urbe ejectus est. Ex quibus liquet Othonem, C etsi jam dudum excommunicatum, se nihilominus gessisse tanquam episcopum ad hunc annum 1084. quo pervenisse testantur Bucelinus in annalibus Germaniæ, Mabillonius in annalibus Benedictinis ad an. 1085. tom. 5. pag. 212. & D. Fleury in hist. eccles. tom. XIII. ad an. 1084. pag. 445. necnon annalista Heremi loco citato. Quinetiam an. 1085. iterum anathemate percussus est in concilio Quintilemburgensi; ac tandem in excommunicatione mortuus est Basileæ anno circiter 1086. ex Manlio. Ceterum, ait Manlius in chronico Constantiensi, post hunc episcopum adhuc superstitem duo eliguntur episcopi, D Rupertus scilicet & Berchtoldus canonicus in Buochaw, quorum neuter permansit. Sic autem habet de Berchtoldo Augustanum chronicon ad an. 1084. *Vivente adhuc Ottone Constantiensi episcopo, Berchtoldus ad episcopium coactus, inde prorsus mutus usque ad mortem efficitur.* De quibus item, omissis a Demochare & aliis, sic habet Bucelinus in suo Constantiensium episcoporum catalogo: *Rupertus a Cæsare intrusus, ejusdem sacellanus. Berchtoldus Henrici IV. item sacellanus, sede dejectus, & a plerisque cum antecessore Ruperto in syllabo episcoporum prætermissus.* Itaque his omissis

ANNI CHRISTI

Annal. Heremi. pag. 156.

Tom. X. conc. Labb. col. 404.

E

XLI. GEBHARDUS III.

DE ZARINGEN

Ducis Bertholdi filius ex uxore secunda Beatrice, & alterius Bertholdi frater, cum esset Hirsaugiæ monachus, Constantiensem jam dudum vacuam sedem propter Ottonis ejusdem quondam episcopi demerita, Hermanno rege favente, solus reluctans præter Udalricum S. Galli abbatem in odium Bertholdi, Gebehardi fratris, occupavit, non tamen 1081. ut scribunt Demochares & Bucelinus, non etiam 1082. ut Mabillonius secul. VI. Bened. part. 2. pag. 801.

ANNI CHRISTI

neque 1085. quo Manlius in chronico prodit Gebhardum electioni suæ præsentem in urbe Constantia ab Ottone Ostiensi episcopo & summi pontificis in Germania legato itidem præsente confirmatum fuisse, tum etiam ab eodem initiatum sacerdotem die 13. Dec. ac postridie præsulem consecratum, sed 1084. diebus 21. & 22. Decemb. ex D. Fleury, ubi observatu dignum est, quod legatus eum inungendo sacerdotem, simul ei pontificia auctoritate facultatem suscipiendi pœnitentes dederit. Hinc porro colligere licet annalistam Heremi minus proprie loqui, quando urbi introductum fuisse Gebhardum ait a suo fratre XI. cal. Jan. an. 1085. ipso nempe die, quo fuerat consecratus anno præcedenti. Ceterum Gebhardus adfuit per legatum, ait D. Fleury, qui tamen subscripsit, synodo Quintilemburgensi hebdomada Paschæ an. 1085. in qua ejus electio iterum confirmata fuit, & antecessor damnatus. Anno 1089. monasterium B. M. Virginis, quod a Rumoldo quondam episcopo instauratum diximus, dedicavit; & hoc ipso anno Urbanus papa episcopalem ei potestatem super clerum & populum insulæ Augiensis, præter monachos, concessit, data etiam auctoritate ut abbatem inibi vice sua ordinaret, & alibi si necesse fuerit. Nempe idem summus pontifex, cui probe notus erat Gebhardus, utpote ab eo consecratus, dum in Germania legationem obiret, cum tunc hac in provincia suum legatum instituit, hoc est in tota Alamannia, Bavaria, Saxonia & vicinis regionibus, data in concilio (Romano an. 1089.) epistola decretali. Et certe eo dignior erat isto munere, quod plerisque episcopis Germaniæ deficientibus, murum pro domo Dei se opposuit, exsilium, injurias, carceres pro veritate perpessus, ait Bucelinus ad an. 1092. quem & Baronius apostolicum plane virum nominat ad an. 1100. quo legatus apostolicus a Paschali II. papa confirmatus est. Interea vero anno 1090. Theotgerum S. Georgii ordinavit abbatem; interfuit anno seq. exsequiis B. Willelmi abbatis Hirsaugiensis, sui quondam in vita monastica magistri, & an. 1093. VI. cal. Aprilis Popponem episcopum Metensem consecravit; itemque calendis Augusti ejusdem anni S. Petri in Nigrasilva monasterium, tum Wiblingense S. Martini & aliud S. Georgii consecravit. Quo etiam anno Gebhardus sedis apostolicæ legatus, conventu apud Ulmam habito, cum Welphone duce, & cum proprio fratre Bertholdo Alamanniæ duce, ceterisque ejusdem regionis principibus compactum in duos annos contra Henricum sub jurejurando iniri curavit, uno excepto Arnoldo Constantiensis ecclesiæ invasore. Porro jam dudum hæc invasio facta fuerat, ut mox dicemus, sed hoc anno, si Bucelino fides, suæ Gebhardus sedi a principibus catholicis restitutus, insequenti mox anno magnam synodum Constantiæ celebravit pro reformanda ecclesiæ disciplina, cujus acta describuntur a Bertholdo. Idem quoque 1095. ecclesiam monasterii Albirspacensis consecravit & an. 1099. die natali S. Johannis-Bapt. Adalbertum Scafusensem ordinavit abbatem. Iterum vero

Tom. X. conc. Labb. col. 1831.

Bertholdus, & epist. 1. append. Urbani II. papæ tom. X. conc. pag. 444.

Fleury.

Tom. X. conc. pag. 497.

A Gebhardus a sede sua expellitur anno 1103. ait Mabillonius post Augustense chronicon; iterum dico, jam enim tempore Victoris III. papæ, qui Gregorio VII. in papatu successit, suam amiserat sedem, uti legitur in vita ejusdem Gregorii papæ, secul. VI. Bened. p. 2. pag. 453. Ottonis adhuc fortasse superstitis factione, quo defuncto, ait chronicon Augustense, Arnoldus ab Imperatore constitutus episcopus, a Wicperto seu Guiberto pseudo-pontifice Clemente III. ordinatur. Et quidem non alia, ut videtur ratione, ejectus est, nisi quod Henrico IV. imperatori excommunicato adversaretur, & Henricum filium suis juvaB ret consiliis, quem & throno patris insidiantem, damnato prius schismate, uti legatus apostolicus, absolvit ab excommunicatione anno 1105. sedi suæ hoc anno restitutus ex Demochare; qui ab eodem Henrico V. anno seq. Romam missus est cum aliis episcopis, pro restituendis ecclesiis & earumdem pastoribus; ac inde eodem anno accessit ad concilium Guastallense ad reducendos ad unitatem schismaticos coactum; ad quem etiam annum revocanda videtur epistola XII. Paschalis II. papæ ad Gebehardum episcopum Constant. & Odericum Pataviensem; necnon & alia ejusdem Paschalis ad eumdem Gebehardum, tom. I. C Anecdot. col. 336. Deinde tamen ab officio suspenditur 1107. in concilio Trecensi per Paschalem II. papam, quia his consensit, qui Godescalcum Mindensi ecclesiæ, loco episcopi, intruserunt, & quia Henricum Magdeburgensem ordinavit, vide tom. X. concil Labb. col. 755. ubi corrupte Guichardus appellatur. Sed brevi redintegratur, utpote qui an. 1108. cum Hesilone suo suffraganeo ecclesiam S. Blasii dedicavit. Denique obiit optimus præsul an. 1110. die 12. Nov. ex Manlio, annalibus Heremi, & ex Mabillonio, t. V. annal. pag. 464. cum illi ecclesiæ annis 27. per multas tribulationes præfuisset, ut in chronico D Manlii, non autem anno 1109. ut in chronico Elwangensi, vel 1116. ut Demochares, & Mabillonius secul. VI. Bened. p. 2. pag. 801.

Ibid. pag. 645.

XLII. ARNOLFUS, *seu* ARNOLDUS.

DE SANCTO-MONTE.

Intrusum hunc nonnisi post alios nomenclatores inducimus, nequaquam indignum illum inter episcopos accenseri, nisi ab aliis accensum reperissemus. Hic porro ex comitibus de Heilgenberg, seu de Sancto-monte, & monachus S. Galli, favore præsertim Udalrici abbatis sui, contra Gebhardum, in odium scilicet Bertholdi fratris Gebhardi, constituitur episcopus ab HenE rico imperatore, dum Mantuæ versaretur, anno 1089. ex annalibus Heremi: sed eum prædictus Udalricus frustra Constantiam inducere conatus fuit. Demochares vero hanc intrusionem illigat anno 1091. Bertholdus 1092. & alii 1090. Ceterum postquam imperatoris Henrici præsidio sacerdotalis dignitatis eminentiam ab archiepiscopo Moguntino, & ejusdem archiepiscopi precibus a Clemente pseudo-pontifice hujus nominis tertio Ravennæ benedictionis munus obtinuit, tum demum post multa utrimque bella, suorum atque etiam ipsius Gebhardi consanguineorum favore,

ANNI CHRISTI

Constantiam non mediocri pompa, Gebhardo pacis causa cedente, ingressus est in B. Mariæ Purificationis festo anno 1103. Ita chronicon Constantiense auctore Jacobo Manlio, qui quidem hanc inter electum & intrusum controversiam durasse annos duodecim tradit, ab anno scilicet 1092. aut circiter ad 1105. quo Henricus V. Arnolfo deposito Gebhardum in honorem pristinum restituit; cui per totum illud tempus constanter adhæsit Theodericus Petri-domus abbas, ob id multis affectus injuriis ab Henrico Sancti-montis comite, Arnoldi fratre, quæ damna Gebhardus in sedem suam restitutus compensare studuit, ipsumque Theodericum in confessarium suum elegit.

DE DILINGEN & KIBURG.

XLIII. Udalricus I.

Diligensis & Kiburgensis comes, patre Hugewaldo Diligensi comite natus, idem quoque S. Udalrico Augustano episcopo & B. Gebhardo Constantiensi sanguine junctus, Cæsaris nutu creatur antistes; sed propterea quod episcopalis honoris insignia ab Henrico V. accepisset, obtinere consecrationem haud potuit a Paschali papa, ad quem Theodericus abbas Petri-domus non semel ejus rei causa missus est. Interea Spiræ adfuit exsequiis Henrici IV. jam quintum annum insepulti anno 1111. & novo Henrici V. in gratiam Spirensium privilegio subscripsit XIX. cal. Septemb. Quo etiam anno comitiis Argentinensibus interfuit, ibique diplomati ejusdem Henrici Einsidlensis monasterii privilegia confirmantis, dato VII. nonas Octob. sigillum apposuit, necnon & sententiæ ejusdem Henrici in gratiam prædicti monasterii contra Suitios, VI. idus Martii an. 1114. Tum vero Gelasii decreto a Mediolanensi antistite inauguratur, nec multo post S. Conradi decessoris, cujus vitam & miracula scripsit, canonisationem obtinuit a Calixto II. Idem quoque monasterium Creutzlingen ord. S. Augustini fundavit, pene collapsum pauperum hospitium a S. Conrado in urbe Constantia olim fundatum restauravit, dotavitque; ac Brigantinum ord. S. Benedicti monasterium a Brigantiæ comite Rudolfo consanguineo suo fundatum dedicavit. Anno 1122. subscripsit restitutioni investiturarum factæ ab Henrico imperatore in concilio Lateranensi primo; tandemque vir prudens & strenuus, Deoque multum devotus, cum præfuisset annos 17. feliciter obdormivit in Domino in B. Mariæ ord. S. Augustini cella Nigræsilvæ, unde Constantiam revectus, in choro majoris ecclesiæ sepultus est an. 1127. ex duplici chronico Constantiensi, annalibus Heremi, & Dodechino, necnon Elwangensi chronico, ubi ad hunc annum pro Udalrico legitur mendose *Hainricus comes episcopus Constantiensis, filius Hartmanni obiit.* Habet autem Bucelinus annum 1128. nulla vel parva differentia; sed errore typographi putamus scriptum apud Sammarthanos & Democharem annum 1117. pro 1127. cumque hic auctor nonnisi decem annos regiminis eidem attribuit, censemus ab ejus consecratione numerandos esse.

Tom. X. conc. pag. 901.

ANNI CHRISTI

DE CASTEL.

XLIV. Udalricus II.

Baro de Castel, ex monacho S. Blasii, aiunt Demochares, Bucelinus & Annalista Heremi, unanimi canonicorum consensu in episcopum & successorem Udalrici I. electus est. An. 1128. Henricus dux Bavariæ cum magno exercitu Constantiam urbem obsedit, cui episcopus strenue restitit, adeo ut continuo, certa solummodo data sibi pecuniæ summa, Dux sine cujuslibet damno discesserit. At vero non ita se habuit rixa, quam Ruodulfus Brigantiæ comes Udalrico intulit, ob quasdam, ut tradunt, possessiones, quas S. Gebhardus episcopus Petri-domus monasterio quondam contulerat; ea siquidem & consecutis inde injuriis tandem cessit Udalricus, & ad S. Blasii monasterium, annuente summo pontifice, se recepit, sive primum, ut censere videtur Mabillonius annal. tom. 4. pag. 464. post Manlii chronicon Constantiense, sive secundo redierit, ut Bruschius & præmemorati auctores volunt, & quidem an. 1138. post undecim annos regiminis, at certe non ante hunc annum, quo Petrusianum monachum Fischingensibus abbatem præfecit. Supervixit autem biennium, ex quorumdam sententia, quem alii mortuum tradunt 1141.

DE ARBONA.

XLV. Hermannus I.

Nobilis baro post obitum Ulrici an. 1140. electus, inquiunt Manlius & annalista Heremi, jam autem ab ejus cessione, aiunt Jacobus Merck & Demochares, confirmatur ab Innocentio II. pontifice contra Brunnigundum, cui favebat Conradus Suevus Romanorum rex. Ipse est haud dubie Constantiensis ad Rhenum episcopus, ad quem S. Bernardus scripsit an. 1140. epistolam 195. contra Arnaldum de Brixia, non autem Constantiensis in Normannia. Idem quoque Hermannus S. Bernardum Francofurti adiit, ex libro VI. de miraculis ejusdem sancti cap. 1. ipsumque Constantiam adduxit; cui etiam Hermanno Gaufridus dicavit miracula ejusdem S. Bernardi, a libri sexti cap. 10. Memoratur 1146. in charta Conradi imperatoris de restitutione abbatiæ S. Maximini facta Adalberoni Trevirensi archiepiscopo; & an. 1147. V. cal. Nov. virginum Beroviense monasterium in honorem B. M. Virg. S. Crucis, &c. consecravit. An. 1151. Suitios monasterio Heremi infensos ac infestos, rogatu Rodulfi abbatis, communione piorum exclusit. Subscripsit anno seq. pridie calend. Aug. diplomati Friderici Romanorum regis pro monasterio S. Vincentii & SS. Omnium; & iterum hoc anno testis est in privilegio ejusdem Friderici pro S. Remigii cœnobio, ubi corrupte vocatur Henricus. Item hoc anno Hermannus legatus fuit ejusdem Friderici ad fœdus ineundum cum Eugenio papa III. quod feliciter actum die 23. Martii ind. XV. an. 1152. Ipse vero Fridericus anno seq. Constantiæ frequentissimum episcoporum & principum conventum habuit, ubi pacem cum omnibus regni primoribus comparavit. Dein Hermannus altero post anno idibus Januarii, cum

Prob. hist. Palat. pag. 46.

ANNI CHRISTI

esset in comitatu Friderici, subscripsit ejus diplomati, quo concedit Guigoni Dalphino argenti fodinam Ramæ, & jus cudendæ monetæ, ex authentico, cui adhuc appensum Imperatoris sigillum. *Camera comput. Delphin.* Quo etiam an. 1155. indict. IV. quinto cal. Septemb. Fridericus imperator ad Hermanni preces bullam dedit de limitibus diœcesis Constantiensis, quam vide inter instrumenta. *Ch. IV. col. 509.* Rursum vero an. 1162. VII. idus Septemb. cum adhuc Hermannus esset in comitatu Friderici imperatoris apud pontem *Saone* in archiepiscopatu Bisuntino, testis fuit constitutionis ab ipso factæ pro ecclesia Gebennensi, ubi tunc episcopus Arducio. Aderat etiam eodem anno cum aliis episcopis & principibus, quando Papiæ versanti Friderico Genuenses per legatos deditionem suæ civitatis fecerunt. Hermannus insuper Creutzlingæ monasterio privilegium dedit, quod Fridericus imperator an. 1162. VII. cal. Dec. confirmavit. Denique vir admodum prudens & facundus, ac diœcesis suæ sedulus amator, reparatis ædibus episcopalibus antea combustis, restaurato etiam anno 1140. Scotorum monasterio, & basilica Constantiensi multis ornamentis decorata, migravit ad Dominum anno 1166. ex annalibus Heremi, *al.* 1165. postquam annos 26. præfuisset. Ipsius ossa quiescere in monasterio Creutzlingæ Bruschius tradit.

HABSBOURG, *vel* DE ZARINGEN.

XLVI. OTHO II.

Parentibus Wernhero III. Alsatiæ Landgravio, comite Habspurgiaco, & Ita de Homberg procreatus, cum tunc esset canonicus Augustensis, ac præpositus ad S. Mauricium ibidem, Hermanno Constantiensi episcopo subrogatus fuit, quem annis quatuor præfuisse testantur omnes præter annalistam Heremi, qui quatuor alios ejusdem regimini adjicit annos; & revera tradit an. 1173. Vernerum electum abbatem Heremi, non modo presbyterum ab eo initiatum fuisse, verum etiam in abbatem consecratum Tiguri in basilica Sanctimonialium. Verumtamen

DE BUSNANG, *al.* DE KUSNACH.

XLVII. BERTHOLDUS.

Electus anno 1169. vir eximiæ virtutis & prudentiæ, ait Martinus Crusius, anno 1172. ad monasterium Brigantinum venisse traditur, eidemque capellam S. Nicolai *in Bregenz*, quæ a latere matricis ecclesiæ versus septentrionem sita est, cum omnibus ad eam pertinentibus adjudicasse. At profecto interfuit concilio Lateranensi sub Alexandro III. anno 1179. mense Martio, & hoc* ipso anno naturæ debitum solvit die 22. Maii, ex duplici chronico Constant. & ex veteri Gallia Christ. *al.* 10. Maii ex Bucelino & Demochare, & 20. Maii, ex Bruschio, testante Martino Crusio.

Tom. XII. Spicil. pag. 649.

* *1184. ex annal. Heremi.*

DE FRIDINGEN.

XLVIII. HERMANNUS II.

De hoc præsule nihil dicendum occurrit præter id quod legitur in veteri Gallia Christiana, nimirum sedisse annis 12. & ultimum diem clausisse an. 1191. quanquam ejus obitum illigat annalista Heremi an. 1194. Sane ejus temporibus an. 1183. mense Martio, Fridericus imperator Constantiæ Transalpinorum maxime principum conventum egit, ubi pacem publicam statuit & sanxit VII. calend. Julii. Hermannus autem anno 1188. ratam habuit permutationem, seu donationem factam Adelbergensibus, ex annalibus Suevicis, tom. 2. part. 2. pag. 494.

DE CLEGGOIA *al.* DE WEISSENBURG ET DE CREMKINGEN.

XLIX. DIETHELMUS.

Augiæ-Divitis abbas priusquam episcopus, hanc simul abbatiam retinuit. Anno 1191. *al.* 1192. VI. cal. Aug. testis est in charta seu privilegio Rodulfi Palatini comitis de Tubingen, pro Bebenhusanis monachis, ex annal. Suevicis, tom. 2. p. 2. pag. 507. An. 1204. *sive* 1205. ind. VIII. pridie idus Jan. testis est in diplomate Philippi Romanorum regis pro ecclesia Coloniensi & ejus archiepiscopo Adolfo. Rexit autem episcopatum Constant. magna cum laude annis 15. obiitque 1206. pridie idus Jan. *al.* 1205. non autem 1209. uti legitur apud Bruschium & Bucelinum in abbatum Augiæ Divitis nomenclatura.

DE STAUFFEN

L. WERNHERUS.

Baro de Stauffen in Brisgoia, electus circa an. 1206. obiit probatæ vitæ antistes 1210. sepultus in choro suæ ecclesiæ.

LI. CONRADUS II.

Hic natione Tegerfeldensis, & ex comitibus de Andegs oriundus, Wernhero e medio sublato successor datus, memoratur an. 1214. in chartis Friderici imperat. altera pro Desiderio episcopo Diensi, & altera pro Humberto Viennensi archiepiscopo, ejusque ecclesia, & rursum in tertia pro Tricastinensi & episcopo Gaufrido. Item an. 1218. testis est in privilegio ejusdem Friderici pro S. Apro; sub quo facta est concordia inter capitula Spirensis & Constant. ecclesiarum ratione parochialis ecclesiæ in Esslingen propter primarios fructus. An. 1226. sacellum a Conrado Heremi abbate supra ædem SS. Johannis-Bapt. & Evang. conditum, in honorem S. M. Virginis & S. Michaëlis, & an. 1230. novam Heremi basilicam ab eodem abbate structam consecravit. Obiit 1232. VIII. idus Septemb. ex annalibus Heremi, *al.* 1233. *vel* 1234.

DE PINU.

LII. HENRICUS I.

Post Conradum electus est Henricus de Pinu dapifer de Valdburg, ex annalibus Heremi, quem alii nobilem de Thann, *sive* Tannek cognominant. Vir fuit pacificus, & tamen opportune strenuus, quippequi Henricum & Gotfridum barones de Neyffen diœcesi damnum inferentes debellavit in valle Schwiggerthaal, die S. Albani 1235. quo etiam anno, ait annalista Heremi, Henricus Constant. episc. Hartmannus Kiburgi & Diethelmus Toggenburgi comites fœdere inito bellum Conrado S. Galli abbati intulere. Anno 1242. VII. cal. Septemb. litteras dedit de inspecto a se privilegio Ludovici Pii pro Lintaugiensi parthenone *Lindaw*. Præfuit annis 16. ac interim

Mabill. ad an. 838. n. 9.

ANNI CHRISTI

interim castra de Tanneck & Kussenberg ædificavit. Fatis concessit an. 1248. die 25. Aug. *al.* XII. cal. Septembris, ex annalibus Heremi, hoc est 21. Augusti.

DE WALDBURG.

LIII. EBERHARDUS II.

Henrici decessoris propinquus, cujus majores ducum Sueviæ, qui Romanum imperium 122. annis tenuerunt, fuere dapiferi, initio sui pontificatus, Anselmi abbatis Heremi rogatu, Vernerum de Horenberg & alios huic monasterio infestos excommunicatione mulctavit; quam quidem sententiam, quo validior esset, confirmavit Innocentius papa, III. nonas Martii an. 1249. Quo tempore grave natum est in Turgovia inter episcopum Constantiensem & Bertholdum S. Galli abbatem dissidium, quod tamen Rudolfi Rapersvillensis prudentia brevi finem habuit. Deinde anno 1257. ambo missi sunt episcopus & abbas ad Alfonsum Castellæ regem, qui electionem ejus in Romanorum regem denuntiarent. Porro Eberhardus an. 1254. in monasterio Engelbergensi simul semelque 42. virgines velavit, ex Bucelino; Hermetisvillanum puellare cœnobium sesquihora dissitum Murensi studuit reformare, datis ad magistram litteris & constitutionibus an. 1260. V. cal. Maii ind. III. plurima quoque episcopatus bona redemit, castrum de Gottlieben de novo erexit, illicque pontem trans Rhenum fieri curavit. Summum insuper B. Mariæ Virginis altare, quod brevius erat, ampliavit, plurimisque sanctorum reliquiis adornatum consecravit, & alia bene multa egregie præstitit, quæ longum esset enumerare; cumque, ut brevitati consulam, pro diœcesis suæ commodo 7036. Constantiensis monetæ marcas expendisset, vivere desiit XI. cal. Martii an. 1274. *al.* mense Augusto, ex annalibus Heremi, sepultus in medio Constantiensis basilicæ choro.

DE HABSBOURG.

LIV. RODULFUS I.

Filius Rodulfi comitis ex Gertrude nobili de Regensberg, alteriusque Rodulfi Romanorum imperatoris patruelis, ex præposito Basileensi & canonico Constantiensi, in hujus ecclesiæ præsulem a Gregorio X. papa consecratur Avenione an. 1274. qui biennio post Schutterano monasterio univit parochiales ecclesias suæ diœcesis Wipprechtzkirch & Baldingen inferiorem. Legimus in chronico Alberti Argentinensis ad annum circiter 1286. Henrico Moguntinensi archiepiscopo volenti episcopatum Constantiensem visitare Rodulfum restitisse; quibus ambobus postea coram Rege constitutis, & instante archiepiscopo pro visitatione; episcopo vero dicente modicum esse episcopatum suum & pauperem, illo vero dicente, se bene scire qualis esset, episcopus respondit, *bene credo, quia soleis vestris sæpius percurristis eum, quam ego unquam potuerim equitare.* Ultimo tamen dixit Rex, archiepiscopum admitti debere, & admissus fuit ad visitationem. Ceterum hic Rodulfus antecessorem æmulatus, pro diœcesis suæ commodo paternis ex bonis Arbonam oppidum & castrum *Radera* quatuor millibus marcis argenti acquisivit. Deinde tamen gravissimas contra Albertum Austriæ ducem Rodolfi regis filium lites sustinuit, in quibus multo ære alieno contracto decessit anno 1293.* *vel* 1294. III. nonas Aprilis. Jacet in choro majoris ecclesiæ ad latus sinistrum altaris. Ceterum aiunt Sammarthani Rodulfo substitui a nonnullis Conradum a Leuchtemberg fratrem Friderici sequentis, penes quos sit fides.

* *Ex annal. Heremi.*

DE ZOLLERN.

LV. FRIDERICUS I.

Præpositus ecclesiæ majoris Augustanæ, eligitur episcopus Constantiensis a majori parte capituli, ab altera vero Henricus de Klingenberg, cujus in gratiam Fridericus cessit post unum mensem, inquiunt Manlius & Bucelinus, unde fortassis ab annalista Heremi omittitur; Demochares tamen pro uno mense quatuor annos habet, post quos reservata sibi pensione gubernationem plene resignaverit Henrico, an. 1298. ex chronico Constantiensi Jacobi Merck; defunctus tandem an. 1300. ex chronico Manlii & Bucelino, 1304. ex genealogia Zollerana apud eumdem Manlium, ex Demochare, & annal. Suevicis, & quidem die 20. Decemb. ex veteri Gall. Christ.

DE KLINGENBERG.

LVI. HENRICUS II.

Udalrici militis ex Erentrude baronissa de Castel filius, Augiæ majoris administrator, ac Radulfi & Alberti Romanorum regum antea cancellarius, tunc vero, ait annalista Heremi, episcopus Frisingensis, qui tamen omittitur a Bucelino, electus fuerat contra Fridericum Zolleranum 1294. cujus cessione, ut diximus, obtinuit episcopatum, a Gerardo, inquit Demochares, Moguntino archiepiscopo consecratus Dominica *Lætare* an. 1304. Fuit artium & sacrorum canonum doctor, famosusque principum Habspurgensium chronographus, tanto in honore apud Albertum regem, ut in comitiis ab eodem jam coronato Nurenbugæ habitis, ubi uxor ejus in Reginam uncta fuit, dum in grandi convivio Dominica post S. Martini festum Albertus ad sinistrum & Elisabetha regina ad dextrum latus mensæ considerent, Henricus noster episcopus ad Regis & archiepiscopus Mogunt. ad Reginæ latera sederent, posthabito Coloniensi archiepiscopo, qui propterea noluit assidere, nec etiam ministrare. Denique hic episcopus cum pro diœcesis suæ commodo castra plurima impignorata redemisset, atque intra urbis Constantiæ muros templum S. Laurentio sacrum exstruxisset, fato suo functus est an. 1306. die 12. Septembris, ac in summo templo Constantiensi sepultus.

LVII. GERHARDUS.

Hic natione Italus, vel ut aliis placet, Gallus Avenionensis, vir nobilis, cognomento *de Benar* Bucelino, & Alberto Argentinensi *de Senar*, quem Bruschius Eberhardum, ac plerique Gebhardum vocant, sed male, ait annalista Heremi; creatur episcopus Clementis papæ auctoritate;

ANNI CHRISTI

qui postea Henrico regi admodum carus, ab eo tanquam legatus Mediolanum missus est ipsius regis in hanc urbem adventum nuntiaturus, ubi & anno 1311. eidem adfuit coronam Italici regni accipienti. Porro sub isto præsule alioqui litterato, quia tamen inscius erat negotiorum ac morum Suevorum, multa immobilia diœcesis bona distracta sunt & alienata; cujus etiam tempore an. 1314. mense Maio, die S. Crucis major pars urbis Constantiensis incendio consumta fuit. Tum vero Suitios Ludovico Bavaro adhærentes, & idcirco monachis Heremi Friderico faventibus contrarios, rogatu Johannis abbatis, communione sacrorum interdixit an. 1315. ac denique migravit a seculo XIV. cal. Octobris an. 1318. Electi vero postea fuerunt in discordia H. de Klingenberg præpositus & H. de Werdenberg, quibus in curia Romana litigantibus, ac tandem ambobus exclusis, Rodolfus, qui sequitur, locum accepit, quanquam annalista Heremi contendit Nicolaum I. a Frawenfeld in Gerardi defuncti locum successisse: nempe hic auctor duplicem Nicolaum distinguit, alterum post Gerhardum defunctum an. 1321. & alterum post Rodulfum, quos unum ac eumdem esse ceteri nomenclatores volunt.

Alb. Argentin. apud Urstisium ad calcem, pag. 121.

DE MONTFORT.

LVIII. RODOLFUS II.

Prognatus ex comitibus de Montfort eligitur an. 1318. ait Demochares, seu potius per ipsum papam ad Constantiensem ecclesiam promotus est, eidemque vacans S. Galli monasterium commissum fuit, testante Alberto Argentinensi loco citato. Idem quoque postulatus in episcopum Curiensem an. 1323. fuit vir per omnia celebris, qui etiam quamplurima per antecessores impignorata episcopatus bona redemit, & Arbonam oppidum reædificavit. Sed quoniam Ludovico Bavariæ duci schismatis fautori contra Fridericum adhæsit, idcirco Pontificis indignationem sibi conflavit, a quo excommunicatus, Arbonæ diem clausit extremum 1331. *vel* potius 1333.* Sub cujus anni finem, ait annalista Heremi, impeditam hactenus unionem ecclesiarum Salmensdorffi & Milani, ab Clemente pontifice ante annos tres & viginti gratiose decretam approbavit. Quinetiam idem auctor ipsius vitam producere videtur ad an. saltem 1334. quo, cum Rudolfum initio neutralem, mox faventem, ac denique secretis nuntiis novas res molientem intellexisset Ludovicus rex, contra eum hoc anno exercitum duxit, ex qua re veriti canonici episcopatus sui excidium, Rudolfum abdicare coëgerint, Nicolaumque II. a Kentzinge præesse episcopatui jusserint. Ceterum nonnisi post viginti circiter annos a sua morte consanguineorum suorum precibus ab sede apostolica absolutus, in loco sacro meruit sepeliri, Arbonæ sub S. Galli fornice, inquit Bruschius.

* Non 1323. ut habet Bucelinus in episc. Curiensibus.

*DE KENKINGEN & KENTZINGEN, al. CHEVCZINGEN & DE KROZINGEN.

LIX. NICOLAUS I.*

Hunc etiam alii cognominant *de Frawenfeld*, quem annalista Heremi perperam discernit ab Nicolao *de Kentzinge*. Et quidem testante hoc A auctore fuit Nicolaus Jacobi a Frawenfeld equitis, Austriacorum principum Kiburgi præfecti filius, ceteris autem fuit ipsemet Alberti & Ottonis Austriæ ducum in Suevia & Alsatia præfectus, (capitaneum vocabant) adstipulante prædicto Annalista ad an. 1336. ex quo manifestum fit unum esse Nicolaum, *Hofmeister* Manlio dictum, sive curiæ magistrum, ut ait Demochares, quo titulo utitur an. 1336. Porro hic in discordia electus contra Albertum comitem de Hohenberg, postea episcopum Frisingensem, Romæ confirmationem & inaugurationem accepit a Johanne XXII. summo pontifice die 15. Aprilis. Deinde B an. 1337. cum forte Nicolaus ex Solio-cæsaris, sui episcopatus oppido, Constantiam rediret & Glatfeldam venisset, ex insidiis eum adorti barones *a Tenga*, nonnullis e comitatu interfectis, aliis vulneratis, captivum in Hegoviæ arcem *Heuve* transportarunt, ubi prope menses sex habitus, proximarum denique civitatum & nobilium interventu libertatem obtinuit. Vere fuit pater pauperum, quos aluit ad tria millia tempore famis tribus ante obitum annis, ac tanto quidem studio, ut servum tantam eleemosynæ distributionem recusantem baculo, quo jam præ senio utebatur, violenter percusserit in capite, C dicens: *Tu maledicte, opinaris-ne me episcopum Constantiensem non tantas habere pecunias, ut frumenta & alia vitæ necessaria comparare queam?* Suæ vero caritatis præmium morte piissima in Castro *Castel* consecutus est die festo S. Jacobi an. 1344. ex annal. Suevicis, *al.* 1346. ex annalibus Heremi; cujus funus in ecclesia cathedrali maxima pauperum multitudo insecuta est cum grandi luctu & mœrore.

PFEFFERHART, *seu* PIPERIS. *Bruschius.*

LX. UDALRICUS III. *sive* ULRICUS.

E patritiis Constantiensibus ducebat originem, eratque tunc temporis ecclesiæ Constantiensis de- D canus, quando in ejusdem electus est pastorem; Vir simplex, sed non ita, quin simul etiam esset prudens; cum enim interrogaretur, quorsum tantam auri & argenti præ se haberet collectionem, respondit se cum pecunia facilius inimicitias compescere posse, quam, ut solet, litium anfractibus easdem extirpare. An. 1350. III. nonas Decemb. ecclesiam Riegol in Brisiaca, *al.* in Brisgovia jam olim ab Othone I. imperat. concessam, Heremi monasterio univit. Mortuus est die 26. Novembris an. 1351. *al.* 1352. ex annalibus Heremi, post sex annos regiminis, ut hic ipse testatur annalista.

DE WINDEGG, *seu* WINDECK, WINDLAW & WINDTLOCH.

E

LXI. JOHANNES III.

Vir nobilis, doctus, & in secularibus negotiis peritissimus, patria Schafusanus, favore Alberti ducis Austriæ, cujus erat cancellarius, in locum Udalrici episcopi sublectus est, & ab Innocentio VI. Pontifice consecratus* 23. Dec. quæ dies an. 1352. in Dominicam incidebat. Grave dissidium habuit cum milite Conrado de Homburg ob oppidum Marckdorff, cui e faucibus ereptum fuerat; unde contigit, ut ejusdem Conradi factione Johannes episcopus in proprio palatio

* confirmatus, *ex Herem.*

ANNI CHRISTI

inter cœnandum trucidatus fuerit die festo sanctæ Agnetis XII. cal. Febr. an. 1355. ex annalibus Heremi, postquam præfuisset annos tres & menses sex, *vel* 1356. ex annalibus Henrici Rebdorff, tom. 1. rerum Germanic. pag. 449. qui, dum confoderetur, verbum aliud non effudit, quam *Maria virgo pro tuo capellano apud filium intercede.* Corpus ejus primo sepultum est, ob interdictum, extra cœmeterium in loco profano prope facellum S. Margaretæ, sed anno seq. honorifice translatum est in ecclesiam cathedralem, ad cujus sepulcrum aiunt infirmos sanitatem recuperare. Post hunc inducitur Leopoldus ex canonico Bambergensi, factus episc. Constant. ait annalista Heremi, favore Caroli imperatoris, præfuitque annos duos & menses tres, mortuus 1357. idibus Maii: Demochares autem decem tantummodo regiminis menses illi attribuit, quem jure, inquit, prætermittimus inter episcopos Constantienses annumerare, utpote a Carolo IV. intrusum.

Ita etiam Bruschius.

LXII. Udalricus* IV.

*Johannes ex Bruschio.

DE FRIDINGEN.

Antea canonicus, unanimi sodalium suffragio electus est, qui paulo post cedere maluit, quam jura cameræ apostolicæ solvere. Omittitur ab annalista Heremi.

LXIII. Henricus III.

DE BRANDIS.

Patre Wolfango & comitissa de Montfort matre progenitus, cum tunc esset abbas Einsidlensis, totius capituli cathedralis assensu cooptatus est in antistitem Constantiensem, agente potissimum curia Romana, cui pro hac dignitate magnam pecuniarum summam pollicitus fuerat, ait Manlius in chronico Constant. cui concinit Demochares, dum ait *corruptione confirmatum an. 1356. die 15. Maii.* Imperatori Carolo IV. fuit a consiliis, a quo privilegiorum episcopatus obtenta confirmatione, in totam pene Constantiam jus & imperium assecutus est, unde postea continuæ septem annis ipsum inter & cives de jurisdictione fuere lites & contentiones. Sedit annis 25.* quo tempore parochialem ecclesiam in Wangen univit capellæ S. Mariæ sitæ in monasterio S. Mariæ loci Heremitarum anno 1360. indict. XIII. feria IV. ante festum S. Nicolai, ex annalibus Heremi. Item an. 1361. XVII. cal. Octob. indict. XV. parochialem ecclesiam in Stefe univit mensæ abbatis Heremitarum, & ipsi monasterio parochialem ecclesiam Ufnaugiæ; & ex Bucelino papales decimas collegit an. 1374. Insuper an. 1376. annuit precibus Marquardi abbatis Einsidlensis, ut dedicationis festum ecclesiæ Ufnaugiæ transferretur a Dominica proxima post festum Assumtionis, in diem festum SS. Apost. Petri & Pauli Ufnaugiæ patronorum. Memoratur & annis 1378. 81. & 83. VIII. cal. Januarii indict. V. in annalibus Heremi; ubi etiam paucis post diebus vitam clausisse legitur, cum tamen alibi, nempe apud Democharem, Jacobum Merck & Sammarthanos dies S. Cæciliæ 22. Novembris pro ejus obitu assignetur. E vivis autem excessit apud

* al. 26.

A Chingenovum, ait Demochares, in arce vero *Gotliebe* ex annalista Heremi, unde Constantiam revectus, in cathedrali basilica sepulturam accepit.

LXIV. Manegoldus.

DE BRANDIS.

Superioris nepos ex fratre Wolfhardo barone de Brandis, matrem habuit comitissam de Tyrstein. Hic Augiæ-Divitis abbas, eligitur episcopus 27. Januarii an. 1384.* a novem canonicis in quibus erat Burchardus baro de Howen præpositus, reliquis Nicolao a Rysenburg, *sive* Rosenberg suffragantibus, confirmaturque ab Adolfo Moguntino archiepisc. Clementis contra Urbanum se dicentis papam fautore. Nicolaus vero ab Urbano summo pontifice confirmatur; ita chronicon Jacobi Merck, atque etiam Demochares: unde schisma per annum & dies 24. nimirum ait hic auctor, usque ad exitum ab hac vita ipsius Manegoldi, qui subitanea morte correptus occubuit 1385. die 20. Febr. ex ipsius genealogia apud Manlium, die vero S. Elisabethæ, & VIII. cal. Novembris, ex ipso Manlii chronico, ac die S. Blasii ex Demochare, adeo incertus est ejus obitus dies. Sed mirum adhuc magis videri debet Manlium ei tribuere annum unum regiminis cum mensibus novem, ac diebus 24. & tamen ipsius mortem consignare an. 1384. sic etiam nihilominus habet chronicon Jacobi Merck: *An. 1384. VIII. cal. Novemb. obiit Mangoldus de Brandis, abbas monasterii Augiæ-majoris, episcopus electus Constantiensis.* Hic porro dissimulare non debemus annalistam Heremi Manegoldo Nicolaum præponere, quo nimirum cedente sub finem anni 1386. Manegoldus obtentum ipsius locum rexisse per biennium dicitur, & obiisse 1388. VIII. cal. Nov.

* post decem discordiæ menses, ex chronico Manlii.

LXV. Nicolaus II.

DE RISENBURG.

E nobilibus castri de Risemburgo marchionatus Burgraviæ satus, cum in discordia, ut diximus, Constantiensis antistes electus fuisset, mortuo demum Manegoldo quietus permansit; ac primum quidem gratus fuit omnibus, tum vero iracundus, dolosus & mendax inventus; plus nimio factus est omnibus invisus; cumque insuper sua largiori mensa episcopatus bona plurima impignorasset, & jam de cetero id ferre canonici nollent, episcopatum deposuit die 4. mensis Maii an. 1387. *vel* 1388. providente eum Papa de ecclesia Olmucensi; sed Wenceslaus Romanorum rex illam jam contulerat marchioni Moraviæ, unde lis maxima inter ipsum & Burchardum in episcopatu Constant. successorem, quæ transactione tali finita est, ut scilicet Nicolaus præpositus esset Constantiensis ecclesiæ, & Burchardus remaneret episcopus.

LXVI. Burchardus I.

DE HOWEN.

Johanne barone de Howen & Uta comitissa de Furstemberg parentibus ortus, ex majori præposito, communibus canonicorum suffragiis ad episcopatum provectus est, tumque ab Urbano prædicta transactione confirmata, possessionem

ANNI CHRISTI

nactus est 19. Aug. an. 1388. Egregium sacellum in honorem B. M. Virginis ædificavit in ambitu cathedralis ecclesiæ, ubi & sepulturam elegit. Suffraganeo usus est Henrico Kirker episcopo Thermopolitano, monacho Kinigbrunensi o d. Cisterc. cumque Dominica ante Purificationem an. 1398. conflagrasset magna Constantiæ pars, Burchardus obiit eodem anno in festo S. Hieronymi die 30. Septemb. cujus exsequias decima post obitum die peractas plurimi cohonestarunt, & inde ad palatium vocati, lautissimo fuere convivio recreati.

DE NELLENBURG.

LXVII. FRIDERICUS II.

Parentes habuit Conradum comitem de Nellenburg & Elisabetham de Montfort Wilhelmi filiam. Argentinensis autem canonicus erat, quando in episcopum Constantiensem concorditer electus est in festo S. Galli anno 1398. Sed cum, ut aiunt, præter exspectationem hanc ecclesiam ære alieno gravatam reperisset, decimo post electionem die lubenti animo cessit.

DE RANDECK.

LXVIII. MARQUARDUS.

Nobilis Suevus, filius Henrici ex Clara de Homburg, ac propatruus Burchardi II. Constantiensis præsulis, cessione Friderici creatus episcopus, moritur anno 1407. paucis ante Christi natalitia diebus, ex annalista Heremi, cum tunc parasset exercitum adversus Abbaticellanos, Glaronenses & Suitios eorum socios. Antea vero patriarchatum Aquileiæ rexerat, ex annalibus Heremi, & Mindensi præfectus fuerat ecclesiæ a summo pontifice, sed cum id factum esset inconsultis ac invitis canonicis, paulo post ab iisdem expulsus fuerat.

BLARER.

LXIX. ALBERTUS.

Hic alio cognomento *de Girsperg* Bucelino; civis nobilis Constantiensis & cathedralis ecclesiæ præpositus, eligitur episcopus an. saltem 1407. ex vita S. Iddæ comitissæ Tockenburgicæ, pag. 167. sed quia Abbaticellanorum litibus se nuper involverat, quin & plurimos manu propria profligaverat, neque confirmatus, neque consecratus est, quapropter anno suæ electionis tertio, 1411. ineunte, Ottoni, qui sequitur, episcopatum resignavit, annua sibi servata pensione.

DE HOCHBER & ROTTEL.

LXX. OTHO III.

In lucem editus est patre Rodulso VI. marchione Hochburgensi landgravio Sausembergæ & Rotelæ domino, ex secunda uxore Anna Egenonis comitis Friburgici nata, anno 1388. Dominica *Lætare*; sublectus vero in locum Alberti, IV. nonas Febr. Vir fuit doctus, ac pius, ordinisque S. Francisci cultor eximius. Speciali etiam devotione B. Virginem Mariam venerari studuit, cujus in laudem, cetera inter, librum psalmorum a se collectum *Psalterium Mariæ* nominari voluit; hujusce vero libri codex MS. exstare dicitur in Augiæ-majoris bibliotheca; cui monasterio insigne privilegium concessit an. 1417. die 5. Nov. Plura alia ad episcopatus sui

A decus perfecit, ac tandem anno sedis suæ vigesimo quarto vel quinto, propter incurabilem, ut aiunt, S. Valentini morbum, pensionis jure, Friderico sequenti episcopatum resignavit anno 1433. *vel* 34.* die 15. mensis Novemb. Ita Constantiense chronicon Manlii. Ceterum ejus tempore habitum est concilium illud magnum Constantiense inceptum die festo Omnium SS. 1414. & finitum 1418. cui interfuerunt cardinales 27.ᵃ patriarchæ sex, archiepiscopi 39. episcopi 190. &c. ex annalibus Heremi, pag. 380. Adfuit etiam Sigismundus imperator, & illuc convenerunt ad sexaginta millia hominum.

* et annal. Herem.

B Otho vero episcopatu relicto vitæ reliquum tempus in Constantiensi Fratrum Minorum cœnobio transegit, ubi mortuus est 15. Novemb. an. 1437. ex Demochare, 1439. ex genealogia ejusdem Othonis in chronico Manlii, sepultus tamen est in ecclesia cathedrali.

ᵃ Lenfant in historia concilii Constant. recenset 22. cardinales, quatuor patriarchas, 19. archiep. & circiter 130. episc. &c. pag. 51. Sammarthani vero 22. cardinales, 4. patriarchas, 47. archiep. 160. vel plures episcopos, abbates & doctores 564. Vide etiam supra in proœmio.

DE ZOLLERN.

LXXI. FRIDERICUS III.

Friderici comitis in Hohenzollern & Adeleidis C de Furstemberg filius, ex canonico Argentinensi, (Constantiensem addit Demochares) per Othonis resignationem in cathedra Constantiensi sedere cœpit an. 1433. *vel* 34. exeunte. Vixerunt autem eodem tempore, inquiunt Manlius in chronico, & annalista Heremi, tres Constantiæ præsules, Albertus Blarer, Otho de Hochber, & hic Fridericus, qui curiam tenebat in domo prope Minores; tum vero & ipse accepta pensione abdicavit sub finem anni 1436. ex annalibus Heremi, postquam anno præcedenti synodum habuisset, de qua diximus in proœmio hujus ecclesiæ. Verumtamen Manlius, Demochares, D vetus Gallia Christ. & Jacobus Merck in suo Constantiensi chronico mortuum volunt hoc anno ultima Julii, & in ecclesia conditum cathedrali; qua de re apud hunc auctorem citantur hi versus:

Sunt bini comites Zolerano sanguine creti;
Friderici faustum nomen uterque gerit.
Primus sponte pedumque suum, mitramque resignat,*
Posterior ponit, morte vocante, mitram.
Hos inter primo majorem adjudico laudem,
Nam facit hic nolens, quod facit ille lubens.

*IV. epis.

E Ex his porro mendum putamus irrepsisse in genealogia Zollerana apud Manlium prædictum, ubi Fridericus adhuc anno 1438. memoratur.

DE HOWEN.

LXXII. HENRICUS IV.

Petrum baronem de Howen & natam baronis de Krenchingen parentes habuit, qui ex decano Argentinensi & Constantiensis ecclesiæ majore præposito, hujusce antistes anno 1436. die 4. Augusti renuntiatus est, confirmatusque octava die ejusdem mensis ab Eugenio IV. Basileæ tunc commorante, Constantiam ingressus est in

ANNI CHRISTI

vigilia Natalis Domini. Deinde an. 1444. ex A permutatione facta præposituræ Constantiensis cum Conrado a Rechberg Curiensi pontifice, hujus cathedræ administrator evasit in decem annos; sed, inquit Manlius, per servos ecclesiæ ejusdem diœcesis privatus & profligatus est, cumque annis 26. & mensibus sex Constantiensem cathedram rexisset, mortem oppetiit an. 1463. ex annalibus Heremi, melius fortasse 1462. 1. die Octobris ex Manlio, Bucelino, & veteri Gallia Christ. post annos fere 26. regiminis, non autem 1471. uti legitur apud Democharem vel 72. ut in genealogia baronum de Howen apud prædictum Manlium, pag. 681. Sepelitur B in sacello a se condito, uti constituerat, testante Demochare; cui Æneas Silvius scripsit epist. 71. & 116.

DE RANDECK.

LXIII. Burchardus II.

Antea custos ecclesiæ Constantiensis, eligitur episcopus anno 1462. moriturque 1466. 13. Aprilis, non autem 1475. ut habet Demochares, errore continuato.

DE LANDENBERG.

LXXIV. Hermannus III.

Ex decano subrogatus in locum Burchardi, anno 1469. ecclesiam burgi Aeschentii univit C monasterio Heremitano. Tum senio pene confectus coadjutorem adscivit Ludovicum, qui tametsi confirmationem a Romano pontifice obtinuisset, Hermannus tamen abnuere voluit, ex veteri Gallia Christiana, sive, ut ait Manlius in chronico Constantiensi, Hermannus moriturus in lecto jacens, cum de rei veritate rogavit, & iste constanter negavit, dixitque se id minime fecisse. Hermannus vero, ut quidam volunt, ait Bucelinus, mœrore consumtus est an. 1477. quod clandestinis molitionibus Ludovicus Romæ egisset, ut etiam invitis canonicis succederet, veritus scilicet, ne tam vafri contra libertatem collegii D cathedralis consilii auctor fuisse Ludovico videretur. Ceterum chartæ quædam obiisse notant Hermannum an. 1472.* aliæ 1477. Sepultus est in ecclesia cathedrali.

*Ita annales Heremi.

DE FREYBERG.

LXXV. Ludovicus.

Hic juris utriusque doctor, canonicus Constantiensis & superioris coadjutor, licet a Xisto pontifice confirmatus, æmulum nihilominus habuit Othonem, qui sequitur, a pluribus canonicis electum, quod schisma per integrum septennium stetit, donec scilicet Ludovicus Romæ defunctus est in forensi disceptatione de jure episcopatus prose- E quenda, ubi & sepelitur, aliis & quidem melius 1480. Demochari vero 1484. postquam Weingartense monasterium in præposituram & collegium canonicorum verti & sibi comitti Romæ impetrasset.

DE SONNENBERG, *sive* A SOLIS MONTE.

LXXVI. Otho IV.

Electus contra prædictum Ludovicum sedisse legitur an. 1482. obiisse 1491. *sive* 1490. ex annalibus Heremi, sepultus in sacello basilicæ Constant. quod ipse vivus sibi construxerat.

ANNI CHRISTI

PERLOWER DE CILIAS

LXXVII. Thomas.

Doctor in utroque jure, Constantiensis ecclesiæ præpositus, & Maximiliani Cæsaris quondam studiorum moderator annos sex, imperatoris Friderici favore, cujus tunc erat cancellarius, unanimi electorum consensu, die 22. Martii an. 1491. hunc episcopatum assecutus est, quem cum vita deposuit 25. Aprilis an. 1496. *al.* 20. Apr. 1495. ex Demochare, qui sepultum docet in summa Constantiensi basilica.

DE HOHENLANDENBERG.

LXXVIII. Hugo.

Successit in annos 35. ex annalibus Heremi, vir laude dignus & pridem ecclesiæ cathedralis decanus, quem plerique haud prius an. 1506. postulatum episcopum volunt, quanquam illorum nemo tam diuturnæ vacationis meminit; nedum rationem affert. Sane hic restituit monasterium Petershusanum & monialium cœnobia in urbe sita reformavit, auxit, & ædificiis illustravit; sub quo 1507. Constantiæ Maximilianus comitia celebravit. Deinde vero an. 1527. propter mutatam Constantiæ religionem, Uberlingum secessit Hugo cum universo clero, ubi a senatu & populo honorifice exceptus est. Sed tandem an. 1530.* temporum difficultate perterritus, episcopatum collegio canonicorum resignavit, oppido Marckdorffo cum adjacentibus pro pensione sibi retento. Hunc porro episcopum Erasmus in epistola quadam, pag. 725. mitem, probum & integrum vocat.

*1528. ex annal. Suevicis.

MERCKLEY, *seu* MERCKLIN.

LXXIX. Balthasar.

Hugonis abdicatione, *Balthasarus ortus*
Marcelli Waldkirchensis de paupere gente;
Sed doctissimus, & tali dignissimus heros
Munere, præcipue carus tibi, Carole quinte;

ita Bruschius, rexit, inquiunt, duobus annis; vel, ut scribit Demochares, mensibus quindecim, ex quo etiam discimus eum Maximiliani consiliarium & Caroli V. vicecancellarium subitanea morte occubuisse Treveri in festo Pentecostes anno 1531. & ibidem sepultum fuisse apud S. Simeonem, cum hoc epitaphio:

DEO OPT. MAX. TRINO ET UNI.

Reverendissimo in Christo patri & domino; domino Balthasari Mercklin a Waldkirch D. G. episcopo Constantiensi & administratori Aldeisheimensi, sub Carolo V. Imperii vicecancellario, & duorum Cæsarum aulas per Germaniam, Hispaniam & Italiam multis annis secuto: obeundis conciliis Imperii & amplissimis legationibus, juris utriusque scientia, consilio, rerum gerendarum prudentia & auctoritate singulari, tum ceteris artibus gravissimis, amplissimos honores adepto, tandem iniquissimis fatis erepto: liberalissimo & in omni fortuna modestissimo, pientissimoque consanguineo & mæcenati suo incomparabili, Johannes Keck a Treveri P. Vixit annis 52. Obiit Treveri anno 1531.

ANNI CHRISTI

DE HOEN LANDENBERG.

LXXX. Hugo, *idem qui supra.*

Cum nuntium de Balthasaris obitu canonicis allatum fuisset, revocarunt illi unanimi consensu Hugonem de Hohen-Landenberg ad episcopatus gubernationem, cui rursum sapientissime præfuit, non duobus annis, ut quidam volunt, nec etiam mensibus novem, ut Jacobus Merck in chronico, vel XI. uti Demochares, Bucelinus & Bruschius, sed melius septem, quippequi plenus dierum in Marispurgi castro episcopali ex hac mortali vita discessit an. 1532. die 7. Januarii, ibidemque tumulatus est.

DE LUPFEN.

LXXXI. Johannes IV.

Natus ex comitibus de Lupfen in Hergovia, ex canonico eligitur in episcopum die 3. Febr. vir multarum insignis linguarum cognitione, ait Bruschius, qui demum, contrario sibi & clero Wirtembergensi duce, episcopatum dimisit sexto regiminis an. 1537. ac postremo in arce patris mortuus est an. 1551. ex ipsius genealogia apud Manlium in chronico Constantiensi.

DE WEZA, al. WOCZEN.

LXXXII. Johannes V.

Ex inferiori Germania ortus, ait Demochares, gente Sycambrorum, Bruschius, vel nobilis Juliacensis, ut habet Bucelinus, ex archiepiscopo Lundensi in Dania, ac insuper episcopo Roschildensi, Cæsareæ majestatis intimo consiliario & oratore, necnon commissario ad aliquot Imperii comitia, renuntiatur episcopus Constantiensis an. 1538. Tum vero curavit Augiæ-majoris monasterium uniri suo episcopatui. Deinde interfuit comitiis Augustæ Vindelicorum habitis ann. 1547. & 1548. ait Demochares, & hoc ipso anno ibidem animam exhalavit, epitaphio teste, quod sic habet in Augia ubi sepultus jacet.

Reverendissimus in Christo pater ac dominus; dominus Johannes a Weza ab archiepiscopatu Lundonensi in Dania & ejusdem suffraganeatu Roschildensi exulans episcopus, in gratiam Romanorum imperatoris Caroli, necnon regis Ferdinandi, in episcopatum Constantiensem postulatus, repentina morte 13. Junii anno a nato Salvatore 1548. præventus, sub hoc saxo sonum tubæ exspectat.

Cujus elogium scripsit Andreas Masius. Addit autem Manlius in chronico, Johannem bona sua non capitulo Constantiensi, testamento legasse, sed abbati Salemitano, qui *ob bonam vicinitatem* & amicitiam conservandam capitulo libere omnia restituit; in cujus rei gratiam capitulum domino abbati scyphum argenteum magnum obtulit.

METZELER

LXXXIII. Christophorus.

Solus Demochares Christianum vocat, ac Rhetum patria dicit, cui quantum ad patriam adstipulatur Bruschius hoc versiculo,

Rhetica quem genuit Feldkirchi ad mœnia mater.

Bucelinus vero Metzlerum ab Andelberg nuncupat. Is porro doctor in utroque jure, canonicus, vicarius & officialis Constantiensis &

A Curiensis, communi canonicorum consensu electus est episcopus Constantiensis anno 1548. die Visitationis B. Mariæ, vir insignis & religiosus, qui reditibus Augiæ-Divitis manus suas noluit inquinare. Suffraganeum adhibuit sub titulo episcopi Ascaloniensis Jacobum Elincr antea vicarium parochialis ecclesiæ Brigantinæ, ex hist. MS. Augiæ-majoris Brigantinæ. Exstinctus tandem post tredecim annos die XI. Septembris Marispurgi terræ mandatur an. 1561. sic enim ejus epitaphium habet: *Christophorus episcopus hic jacet. Viator funde preces & abitum quoque para moriture. Obiit anno 1561. die vero 11.* B *mensis Septemb.* Huic Bruschius Idyllion heroicum de omnibus ecclesiæ Constant. præsulibus nuncupavit.

SITTICUS.

LXXXIV. Marcus.

E baronibus de Hohenembs, seu nobili Altempsiorum comitum in Germania progenie satus, Theodoro & Clara Medicea, Pii IV. summi pontificis sorore, XIV. calend. Septemb. 1533. adolevit in arte militari primo sub signis avunculi Johannis Jacobi Medicei, inter Italos duces bellica gloria clarissimi, & in expeditione Hetrusca excelluit. Factus autem eques S. Jacobi C Hispaniarum, ad clericalem professionem animum intendit, Pontificis voto obsecutus, a quo designatur episcopus Cassanensis 1561. sedisque apostolicæ nuntius ad Ferdinandum imperatorem; qui demum inter purpuratos principes adlectus a Pio IV. fit Constantiensis episcopus, S. Johannis apud Lateranum archipresbyter, Capranicæ gubernator, legatus Piceni, & rerum summæ a papa præpositus, Tridentinæ synodi pro tempore præses fuit. Petramellarius in ejus elogio refert palatium Constantiense summis impensis restaurasse; apud quem ejus vitam fusius vide. Suffraganeum habuit in episcopatu Constant. D Balthasarum episcopum Ascalonensem, qui litteris datis ad Gregorium XIII. an. 1582. die 14. Nov. antiquitatem cœnobii Fischingensis testatus est, quique IX. cal. Sept. S. Apost. Bartholomæi memoriæ consecrato Udalricum III. abbatem Heremitarum benedictione donavit an. 1586. Cessit in gratiam sequentis 1589. ac die 15. cal. Martii Romæ decessit an. 1595. ætatis 62. sepultus in ecclesia tituli sui & in sacello a se constructo. Ante adeptum pontificatum genuerat filium ex matrona nobili Genuensi, a quo orti duces Altempsii & Galesii principes, inter Romanos barones plurimis honorum titulis & toparchiis clari.

D'AUSTRICHE.

E LXXXV. Andreas.

Ferdinandi archiducis Austriæ ex Philippina Welzera nobili puella Augustana primogenitus, hanc lucem primum aspexit Pragæ anno 1556. mense Junio. Adolescens omni pietate ac religione, divinisque studiis & linguis excultus, cardinalitia purpura donatur a Gregorio XIII. pontifice 1576. sub titulo diaconali S. Mariæ-novæ. Dein creatur episc. Constant. a Sixto V. per cessionem Marci an. 1589. necnon episcopus Brixinensis, ac Belgii gubernator in Alberti

ANNI CHRISTI

archiducis, qui profectus erat in Hispaniam, absentia constituitur. Fuit etiam abbas Murbachii & Augiæ-Divitis, totiusque Germaniæ legatus. Illius encomium scripsit Andreas Victorellus apud Ciaconium: Romam autem profectus anno Jubilæi 1600. interiit 12. Novemb. ac solemni funere in ecclesia S. Mariæ de Anima terræ mandatur, sub pulcherrimo mausoleo marmoreo, cui insculptum hoc epitaphium:

D. O. M.

Memoriæ Andreæ ab Austria Ferdinandi archiducis filii, Ferdinandi imperatoris Cæsaris Augusti nepotis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, Constantiensis, & Brixinensis episcopi, sacri Romani imperii principis. Qui majorum splendorem propriæ virtutis gloria exæquans, religione conservanda, & augenda, justitia, clementiaque temperanda per omnes suæ ditionis partes diligentissimus, Belgicæ provinciæ difficillimis temporibus a Philippo II. rege præfectus, eam incomparabili prudentia, & fortitudinis laude administravit; perduelles armatos togatus terruit. Romam anno seculari, religioso peregrini habitu visens, a Clemente pontifice opt. max. agnitus, in Vaticanas ædes amantissime receptus, post solemnes basilicas veneratas, vi morbi lecto affixus, sacris mysteriis rite ab eodem pontifice expiatus, ex terrena peregrinatione ad cœlestem patriam migravit, incredibili Urbis desiderio defletus, publico funere elatus, exequiis præsente sacro collegio & curia honestatus est. Vixit annos XLII. menses V. dies XXVII. obiit anno MDC. pridie idus Novemb. Carolus ab Austria, sacri Imperii marchio, Borganiæ Landgravii, Hollemburgi, &c. fratri unico unicus desideratissimo mærens posuit.

DE HALWEIL.

LXXXVI. JOHANNES-GEORGIUS.

Nobilis Argoius, vir litteratus & religiosus ad hanc sedem ascendit an. 1601. Moritur vero 1603. mense Decembri longiori vita dignus.

FUGGER.

LXXXVII. JACOBUS.

Ex illustri gente Fuggerorum apud Augustanos, Johannis baronis in Kirgberg filius, fit episcopus an. 1604. ex præposito ejusdem ecclesiæ. Fuit etiam abbas Augiæ-majoris, & præpositus Oëninganus, quibus nominibus ei Goldastus suum alterum tomum de rebus Alamannicis nuncupavit VI. idus Sept. an. 1606. Eidem quoque Mercurius Italicus dicatur an. 1625. qui demum vitam reliquit anno seq.

DE PRASBERG DE SUMMERAW.

LXXXVIII. SIXTUS WERNHERUS.

Antea canonicus Augustensis & Saltzburgensis, necnon major præpositus Constantiensis, ejusdem ecclesiæ constituitur antistes an. 1626. die 2. Martii, consecraturque die 26. Novemb. ab Alexandro episcopo in Campania nuncio apostolico; sed repentina morte corripitur anno 1627. *al.* 1628.

TRUCHSESS DE WALDBURG.

LXXXIX. JOHANNES VI.

Hic comes de Wolfeck & Imperii Romani dapifer hereditarius, electus in Constantiensem episcopum anno 1628. adfuit translationi reliquiarum S. Engelberti Coloniensis archiepiscopi anno 1633. Migravit a seculo Constantiæ die 14. *vel* 15. Decemb. 1644. & in ecclesia sua conditus est.

DE PRASBERG DE SUMMERAW.

XC. FRANCISCUS-JOHANNES.

Bucelinus Johannem-Franciscum vocat. Hic Sixti Wernheri ex fratre nepos, filius Alberti de Prasberg ex Maria Salome a Sirgenstein, Constantiensis & Augustensis ecclesiarum canonicus, necnon vicarius generalis & suffraganeus episcopi Constant. sub titulo episcopi de Tricale, nominatur episcopus Constant. die 7. Febuarii an. 1645. ex notitia S. R. J. auctore Jacobo Will. Im-Hoff. Fuit etiam abbas & dominus Augiæ-majoris & Oëningæ, sacrique Romani imperii princeps. Ex hac mortali vita discessit an. 1689. ætatis suæ 77. suffraganeo usus an. 1672. Georgio Sigismundo Heliopolis episc.

DE RODT.

XCI. MARQUARDUS RUDOLFUS.

Primum canonicus & cantor, ac deinde major decanus, in episcopum electus est 14. Aprilis 1689. consecratus anno seq. ac tandem denatus 1704.

SCHENCK DE STAUFFENBERG.

XCII. JOHANNES-FRACISCUS.

Ex canonico & cantore Constantiensis, & capitulari Augustensis & Wirzburgensis ecclesiarum, assumitur in Constantiensem episcopum an. 1704. decemque post annos postulatur in coadjutorem Augustani episcopatus, quod quidem in consistorio Romano, præsente papa die 9. Augusti ejusdem anni 1714. approbatum fuit.

ALIQUOT MAJORES PRÆPOSITI.

I. NOTINGUS, postea episc. XXVIII.

II. S. Conradus I. d'Altorff, dein episcopus XXIX. an. 934. ubi vide.

III. Rainoldus præpositus cum Hermanno Constantiensi episcopo subscripsit anno 1152. privilegio Conradi II. imperat. pro S. Blasio, circa monasterium Ochsenhusanum.

IV. Udalricus 1188. apud Goldastum Alaman. antiq. tom. 2. p. 2. pag. 184.

V. H. de Klingenberg circa 1318. vide in episcopo LVII.

VI. Burchardus & aliquando Bernhardus baro de Howen erat præpositus in electione Manegoldi LXIV. episcopi anno 1384. Deinde fuit ipsemet episcopus LXVI.

VII. Nicolaus de Riffenburg episc. Constant. LXV. deinde præpositus, ex transactione cum Burchardo præcedente.

VIII. Albertus Blarer præp. dein episc. LXIX.

IX. Henricus de Howen præpositus ecclesiæ Constant. & Argentinensis decanus, postea episc. Constant. LXXII. an. 1436.

X. Conradus II. a Rechberg episc. Curiensis, deinde major præpositus Constantiensis ex permutatione cum Henrico de Howen an. 1444.

XI. Thomas Ferlower de Ceyl, ex præposito fit episcopus LXXVII. an. 1491.

XII. Jacobus Fugger præpositus, dein episcopus LXXXVII. an. 1604.

XIII. Marcus Sitticus d'Altaemps, *al.* Hohenembs S. Caroli Borromæi nepos, Saltzburgensis canonicus & major præpositus Constantiensis an. 1612. præficitur ecclesiæ Saltzburgensi.

XIV. Sixtus Wernherus de Prasberg, ex præposito factus episc. LXXXVIII. an. 1626.

XV. Maximilianus Henricus dux Bavariæ, Colon. archiepisc. præpositus Constant. & Argentinensis, ubi vide, an. 1626.

XVI. Albertus Sigismundus Bavariæ dux; major propos. Constant. an. 1637. fit coadjutor Frisingensis, an. 1668. in Ratisponensem episcopum postulatur, ac moritur 1685.

XVII. Alexander Sigismundus comes Palatinus Rheni, &c. coadjutor episcopi Augustani, erat præpos. Constant. 1687.

XVIII. Christophorus Otto comes de Schallenberg major erat præpositus an. 1699.

ALIQUOT DECANI.

I. UDALRICUS I. Pfefferhart, *seu* Piperis, postea episc. LX.

II. Ulricus, *sive* Udalricus II. Guttinger in electione Manegoldi episcopi LXIV. an. 1384.

III. Hermannus, dein episc. LXXIV. an. 1466.

IV. Hugo de Hohen-Landenberg, postea episc. LXXVIII. & LXXX.

V. Marquardus Rudolfus de Rodt, dein episc. XCI. an. 1689.

VI. Georgius Sigismundus episcopus Heliopolitanus, suffraganeus episcopi Constant. decanatum obtinebat an. 1687.

VII. Wolfgangus Dominicus ab Halweil decanus erat 1699.

ADMONITIO.

ACcuratior haud dubie futura erat hæc nostra episcoporum series, & maxime monasteriologia, quibus concinnandis soli ut plurimum suppetiere libri editi, nisi quæ paraverant selecti in Germania Benedictini, nostris perhumaniter obsecuti precibus, serius aliquantulum ad nos pervenissent, tametsi ea tempestive rhedæ vectoriæ commiserant. Quapropter monendum lectorem benevolum censuimus, ut si quid amplius desiderat, ad calcem requirat.

DE VETERIBUS MONASTERIIS DIŒC. CONSTANT.

Ord. S. Bened. I.

CONSTANTIENSE, Scotorum vulgo dictum, & facile primum Germaniæ, conditum est a S. Fridolino, paulo antequam Seccoviense, *seu* Seckingense virginum fundaret, ac proinde ante annum 495. ex Bruschio. Structum est autem eo ipso in loco, quo hodie cathedrale templum ac monasterium cum sacro ambitu visitur, in quod deinde Theobaldus episcopus, qui Fideli successerat, immigravit, partemque monachorum sibi adjungens, partem alteram abbati reliquit, cui proximo loco, cathedrali contiguo, aliud cœnobium condidit, quod deinceps a S. Conrado episcopo auctum; Scotisque demum monachis cum in locum extra urbem, quo hodie Nosocomium cernitur, translatis, desolatum & in aulam conversum, S. Conradi aula est appellatum, ubi hodie cernitur collegium RR. patrum Societatis Jesu. Scotorum vero alterum dictum est, quod primi patres plerique ex Scotia & Hibernia fuissent oriundi: alterum cathedrale, quod florentissimum stetit ad usque tempora Rumoldi seu Grimoldi episcopi; in quo deinceps, collapsa licet disciplina, canonici tamen habitum monasticum ad usque tempora Friderici Ænobarbi retinuere. Ita Bucelinus. Legimus autem in historia edita Fischingensis monasterii, Constantiense monasterium, ad Scotos dictum, quod 1140. Hermannus I. episc. restauraverat, anno 1534. ob factam religionis mutationem dirutum & solo æquatum fuisse, cujus abbas tunc temporis anonymus quidam Fischingensi monasterio præesse jussus est ab Helvetico pago *Schweitz*, sed frustra, Andrea Eggli intruso hæretico regimen conservante. Fortasse vero hoc ipsum est Scotorum monasterium, de quo in annalibus ord. Cisterc. ad an. 1232. cap. 8. nn. 5. & 6. Hoc videlicet anno, cum antea Nigri monachi, *seu* Benedictini illud incolerent, habitari cœpit a septuaginta sororibus ordinis Cisterciensis, quas illic visitatores hujus provinciæ, ejectis monachis, quod laxius viverent, constituerunt. Id constat ex litteris Gregorii papæ IX. ad episcopum & canonicos Constantienses, cum quibusdam ex monachis redeuntibus, moniales in sua possessione perturbarentur. Has litteras * subjicimus:

Vide quæ de his supra diximus.

* epist. 100

Episcopo & capitulo Constantiensi.

Ad audientiam nostram significantibus dilectis filiis visitatoribus ecclesiarum Constantiensis diœcesis, noveritis provenisse, quod cum ipsi monasterio Scotorum, ord. S. Benedicti, in dicta constituto diœcesi, officio visitationis impenso, invenissent quemdam abbatem lapsu carnis enormiter in multorum scandalum laborantem, ac habentem plures incontinentiæ suæ testes, ipsum cum quodam alio monacho suo ad alium ejusdem ordinis claustrum, peritorum religiosorum usi consilio, transmiserunt, septuaginta sororibus in eodem monasterio Scotorum, secundum Dominum & B. Benedicti regulam, ac institutionem Cisterciensis ordinis provide institutis. Cum igitur

igitur iis, quæ ad religionis augmentum salubriter statuuntur, tanto favor majoris gratiæ debeatur, quanto religiosorum continuum & devotum obsequium acceptabilius noscitur apud Dominum; universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolicam sedem præcipiendo mandantes, quatenus ejectis de præfato monasterio duobus monachis, qui se in illud ausu temerario, ut asseritur, intruserunt, sorores prædictas favore benevolo prosequentes, ipsas manu tenere ac defendere, ob Dei & nostram reverentiam procuretis, ita quod eædem vestro suffultæ præsidio, quiete possint obsequiis divinis insistere, nosque devotionem vestram inde merito commendemus. Datum Laterani III. nonas Maii anno VII.

II. LUCIARIA, LUCERNA & LUCERIA olim abbatia sub instituto benedictino apud Helvetios, nunc ecclesia collegiata, cujus prima dignitas est præpositura. Condita jam erat in honorem S. Mauritii & S. Leodegarii tempore Pipini regis, ac Morbaco subjecta, ut patet ex diplomate Lotharii Augusti, qui paulo ante obitum donationes a Pipino & Carolo-magno Lucernæ monasterio factas confirmavit. *Datum VII. cal. Aug. anno imperii Lotharii XI.* forte XVI. *indict. III. Actum Strasburg civitate.* Vide Guillimannum, lib. 3. rerum Helveticarum. Deinde autem Wighardus presbyter, frater Roberti Alamanniæ Helveticæ ducis istud monasterium restituit & amplificavit an. 818. tota substantia, quæ ipsi de Monte-Albis contingebat, eidem loco tradita; illucque secessit cum quibusdam monachis, quot illic congregare potuit, constituto ibidem post se abbate Alvico, viro nobili, pio & erudito, qui admonitionibus & verbis salutaribus accolarum animos in Dei obsequium excitavit. *Actum in ipso loco Lucernæ, die 5. mensis Octob. ind. XI. Ludovici regis anno quinto.* Hoc etiam qualecumque instrumentum refert Guillimannus, lib. 3. rerum Helveticarum. Porro Luciariæ monasterium nomen dedit celebri urbi, quæ est caput Helvetici pagi cognominis. Unicum ejusdem loci reperimus abbatem Alvicum, & fortasse Wighardum, de quibus supra; præpositorum vero syllabum ab anno circiter 1418. quidam auctor libro edito ut plurimum Helvetica lingua 1706. ad hunc usque annum deducit.

III. MOnasterium in Wagenhausen, *seu* Walseinhausen ord. S. Benedicti situm in Helvetia infra oppidum Stein ditionis Turgovicæ, conditum est Henrici IV. imperatoris tempore a Sifrido cœnobii opulentissimi omnium SS. Schaffusani abbate, tanquam hujus cœnobii membrum in honorem B. M. Virginis, atque ab eodem cognominatum fuit cella Mariæ in Wagenhausen. Hæc autem abbatia memoratur an. 1155. tanquam possessio Constantiensis ecclesiæ in bulla Friderici I. imper. de limitibus diœcesis Const. cujus item memorantur tres abbates assumti ex Domo-Petri, Theodoricus, Folchnandus & Gebino; & anno denique 1417. ejusdem abbas inter eos recensetur, qui concilii Constantiensis auctoritate citati sunt ad capitulum. At vero jam pridem novi Evangelii

Ch. IV. col. 509.

A reformatione e sacro profanum & ad profanos usus conversum est.

ABbatia S. Udalrici memoratur anno prædicto 1155. tanquam possessio ecclesiæ Constant. in bulla Friderici I. imperat. de limitibus diœc. Constant. IV. Ibid.

STAINA Helvetiorum est oppidum ad Rheni marginem, decanatu cognomine gaudens, in quo fuit olim celebris abbatia ord. S. Bened. sub titulo S. Georgii, huc translata Duellio *Dwiel*, aut *Hochendwiel*, nominatissimo itidem in Suevia ejusdem ordinis monasterio, tunc in arcem Wirtenbergiæ ducis commutato. B Hoc quidem conditum volunt, sive ex castro veterum Guelfonum Alamanniæ Principum in cœnobium conversum a Burcardo I. Alamanniæ Duce & Hedwiga ejus conjuge, Rudolfi Burgundionum Regis, ex Bucelino, Henrici vero Suevorum Ducis filia, ex Ekkehardo, indeque, ob accessum Duellii difficilem & aquarum scaturiensium defectum, translatum consensu & ope S. Henrici imperatoris, qui illud egregie dotaverit sub annum 1005. Hujus etiamnum abbatiæ titulo & possessionibus a desolatione seculi XVI. reliquis gaudet abbas Petrusianus prope Constantiam. Abbatum seriem hic C a Duellanis repetere juvat, post Bucelinum. V.

ABBATES DUELLANI & STEINENSES.

I. S. WELFRIDUS ex familia comitum de Nagolts & Calw primus fuit abbas, de quo fit mentio in codice fratrum conscriptorum Augiensis monasterii, his verbis: *Duelli domnus abba Waldfredus.* Hunc autem anno fere 880. non sine opinione sanctitatis ibidem sepultum esse Mabillonius tradit, ad hunc annum.

II. Rehwingus.

III. Diethericus, *seu* Theodoricus.

IV. Wazemannus claruit anno Christi 968.

D V. Starcolphinus.

VI. Regingerus.

VII. Meningosus.

VIII. Trudewingus, idem ultimus in Duellio & primus in novo S. Georgii cœnobio in oppido Stein, quo una cum monachis commigravit.

IX. Otto Steinensis abbas, ad quem Otto Bambergensis episc. pluribus aliis abbatibus sibi subjectis communem scripsit epistolam consolatoriam circa annum 1109. Fortasse tamen serius; quippe hunc Ottonem abbatem non alium putamus ab Othone de Amundishart, quem e S. Blasio accitum abbatem legimus an. 1125. ac mortuum 1141.

E X. Johannes anno 1432. præfuit cum aliis capitulo provinciali ordinis apud S. Udalricum in Augusta civitate celebrato, & an. 1435. alteri Basileæ habito apud Fratres Prædicatores.

XI. David circa 1524. una cum monachis abire monasterio compellitur ab hæreticis & Bertholdi-cellæ asylum quærere.

XII. Johannes Davidis successor, favore domus Austriacæ obtinuit, ut inita cum Tigurinis transactione an. 1550. decimæ, fructus, ac reditus ex terris Austriacis abbati & monasterio restituerentur usque ad concilium œcumenicum.

XIII. Martinus abbas S. Georgii in Stein an. 1568. convenit in oppidum Ravenspurgum cum aliis abbatibus ad instituendam Suevico-Benedictinam congregationem; qui tamen postea gravibus de causis solemniter abbatia privatus est, eique suffectus

XIV. Andreas Oëxlin jam abbas Petrhusianus, annuente Ferdinando archiduce an. 1581. 16. Septemb. & confirmante Gregorio XIII. summo pontif. eodem anno, die 20. Sept. qui deinde tertio post anno utriusque monasterii unionem obtinuit ab eodem summo pont. die 13. Aug. an. 1584. sed solum ad certos annos. Verum Clemens VIII. an. 1597. 17. Junii hanc unionem temporalem in perpetuam mutavit.

VI. TRUOB, *vel* in Trube & in Truba monasterium olim Benedictinum in valle dicta ab Emma fluvio *Ementhal*, in territorio Bernatum, & in decanatu Burgdorffensi, cujus abbas inter eos recensetur, qui concilii Constantiensis auctoritate citati sunt ad capitulum anno 1417. Jam pridem vero eliminatis monachis, Zwinglii, ut aiunt, reformatio e sacro profanum fecit.

VII. SCHAFUSEN, id est Navium-domus ordinis S. Benedicti præstantissimum olim cœnobium in decanatu Steinensi, ultra Rhenum, nomen habet ab urbe* in Suevia cognomine ad Rhenum, in qua conditum est ab Eberhardo, *seu* Everardo comite de Nellenburg, & Ida conjugibus in honorem S. Salvatoris & Omnium Sanctorum (1052.) ac sedi apostolicæ subjectum sub annuo censu duodecim aureorum. Hanc quidem ratam habuisse fundationem, aramque principem ibidem consecrasse S. Leonem IX. fundatoris cognatum auctor est Bucelinus; & Martinus Crusius ecclesiam S. Salvatoris consecrasse Rumaldum episc. Constantiensem an. 1064. at profecto eam fundationem Alexander II. auctoritate sua roboravit, Everardo comiti, ejusque posteris advocatia loci commissa; quod tamen postmodum Gregorius VII. improbavit suis litteris B. Willelmo Hirsaugiensi abbati inscriptis, quibus approbat quidem commissum eidem fuisse hoc monasterium regulari disciplina in melius informandum, verum prohibet *ne ullus sacerdotum, regum, vel ducum, aut comitum, aut quivis alii, ullam eidem loco molestiam inferat: sed ita sit ab omni seculari potestate securus, & Romanæ sedis libertate quietus, sicut constat Cluniacense monasterium & Massiliense manere: abbas autem quem voluerit advocatum eligat, & eo remoto, si postmodum non fuerit utilis monasterio, alium constituat. Actum Lateranis octavo idus Maii indictione tertia.* De cetero ejus loci abbates aliquando inter principes imperii numerati sunt. Sed, heu! nunc præ manibus hæreticorum est. Sequuntur aliquot abbates.

*Schafouse.

SIGEFRIDUS Hirsaugiæ monachus sub S. Willelmo abbate, ab eodem huic monasterio præfectus est, postulantibus monachis. Hic autem an. 1093. cellam Nobiliacum dictam a Ricardo Massiliensi abbate impetravit, locumque sibi suisque fratribus ibidem præparavit, quo ad tempus secedere posset, si forte in suo monasterio propter excommunicationem persistere non valeret, ex appendice Bertholdi Constantiensis ad chronicon Hermanni Contracti. Adfuit an. 1094. synodo Constantiensi; sub quod tempus ei commissum est novum S. Petri in Nigra-silva monasterium, ad cujus ornatum nonnihil contulerat. Obiit v. cal. Nov. an. 1096. cui Trithemius Diepoldum ex Hirsaugia itidem adscitum successisse tradit, sed absque ullo sat firmo fundamento.

Gerhardus, *seu* Gebehardus postridie obitus Sigefridi eidem subrogatus, abbatiam dimisit an. 1098. annuente Romano pontifice, ut cum crucesignatis ad loca sancta proficisceretur; cui demum sepulcri Dominici custodia commissa est an. 1100. Vide appendicem ad chronicon Hermanni Contracti, pag. 376.

Adalbertus post multa pericula, teste Bertholdo, ordinatus est abbas a Gebehardo Constantiensi episc. die natali S. Johannis-Bapt. an. 1099. Hic quidem de antecessoris expulsione infamatus est, sed innocentiam suam probavit sacramento.

Conradus I. e S. Blasio accersitus abbatiam resignavit an. 1141. & ad monasterium S. Blasii reversus est.

Conradus II. 1299. quo anno Jacobus eques majoratus Eschentzæ curationem accipiens a Johanne Heremi Dei-paræ virg. abbate, suam & Conradi abbatis Schaffausiæ fidem Johanni prædicto idibus Octobris obligavit; ex annalibus Heremi.

Fœminarum I. SECANIS, *vel* SECANICA insula in Rheno sita, a secato Rheno dicta, *seu* Sanctio,* *vel* Seckingense & Seccoviense cœnobium, in decanatu Basel, *seu* Wisenthaal, aluit quondam Benedictinas virgines, sed postea in canonicarum virginum secularium conversum est. Primum illius tradit auctorem Bruschius S. Fidolinum an. 495. pro virginibus octo & quatuor canonicis, additque ea ipsa tempestate Ursonem Claronæ, vulgo *Glaris* Helvetiorum urbis civem nobilem ac divitem suarum possessionum integram partem a fratris patrimonio sejunctam S. Fridolino, ejusque cœnobio dicasse, quam cum postea, Ursone mortuo, Landolfus frater repeteret, nec ullo modo cedere vellet, nisi Fridolinus Ursonem donatorem coram judicibus sisteret, id effecisse Fridolinum, ut Urso ad vitam rediret, & coram Baldeberto Landgravio cum fratre Landolfo injuriam expostularet, quo facto perterritus Landolfus, non solum id cœnobio reliquerit, quod prius fuerat Ursonis, sed suum etiam adjecerit. Qua de re exstant hi versus:

Prædia pro Domino dant fratres hic Fridolino,
Tempora post multa negat alter, fratre sepulto.
Suscitat hunc testem Dominus, ducitque benignus;
Turba timore tremit: Sanctus sua jura redemit.

* *In annal. Heremi pag. 75. & 76. ad an. 965.*

Abbatissarum ejus loci, quarum duces Austriæ A vassalli & advocati sunt, ea quædam nomina rencensent Bruschius & Bucelinus.

BERTHA imperatoris Caroli Crassi soror, de qua vide infra in abbatia Tigurina, col. 937.

Richardis ejusdem Imperatoris conjux.

N. de Fontenay.

N. de Venningen, *seu* Phenningen.

Anna I. de Wessenburg obiit an. 1306.

Elisabetha I. baronissa de Busnang matertera Alberti Romanorum regis præfuit annis 1307. & 1316. Hæc palatium, in quo abbatissa habita- B ret, amplum & augustum construxit, quod postea bellicis tumultibus vastatum, adhuc tamen *der Althoff* dicitur. Habuit etiam pro 42. canonicabus totidem domos instructas & ornatissimas, cum jam disciplina in libertatem & fastum defluxisset.

Agnes I. baronissa de Brandis, soror Henrici de Brandis Constant. episcopi, sub cujus regimine totum fere cœnobium in cineres abiit. Quare hæc an. 1343. novam basilicam eamque magnificam a fundamentis inchoavit, cum vetus a prima fundatione stetisset annis 835. inquit Bruschius. Præfuit etiam an. 1349. C

Anna II. comitissa Tulensis obiit die S. Galli an. 1356.

Margareta I. baronissa de Busnang novam basilicam egregie illustravit.

Margareta II. de Gruenenberg, soror Marquardi abbatis Heremitani, aliquandiu coadjutrix, postmodum fuit abbatissa, cujus tempore Henricus Constantiensis episcopus baro de Brandis templum consecravit an. 1360.

Anastasia comitissa de Alto-Geroldiseggko, princeps & abbatissa.

Catharina comitissa de Thierstein decessit an. 1408. sepulta in sinistra templi ad parietem.

Anna III. baronissa de Klingen præfuit annis 1409. & 1417. quorum ultimo privilegium D accepit ab Imperatore Sigismundo.

Clara-Anna baronissa de Alto-Klingen sedebat annis 1439. & 1445. quo cum Basileenses quinque millium armatis copiis oppidum & monasterium Secanense, *seu* Seccoviense obsedissent, ita fortiter restitit, ut hostes infecto negotio obsidionem solvere coacti sint.

Agnes II. comitissa de Sultz adeo prudentiæ laude excellebat, ut ad eam circumsita provincia tanquam ad oraculum recurrere soleret. Præfuit ab anno saltem 1452. ad 1484. quo mortalem hanc vitam cum æterna commutavit die 7. Febr.

Elisabeth II. baronissa de Falckenstein, filia E Thomæ ex Baronissa de Ramstein obiit an. 1520.

Anna IV. baronissa de Falckenstein soror Elisabethæ ex eodem patre, sed altera matre, Emilia scilicet baronissa de Weinsperg, per cessionem sororis postulatur ex abbatia Buchoviensi, a qua Maximilianus imperator in feudum suscepit more veterum Austriæ ducum civitatem & arcem Lauffenburg, Secanam & Claronam. Obiit 1534.

Kunegunda baronissa de Hohen-Geroldseck, matre comitissa de Sultz, præfuit novem annis, defuncta 1543. circa Pentecosten.

Magdalena ab Hausen sedit per annos quinque, ac demum violati pudoris rea exauctorata fuit; cœnobii vero gubernationem Ferdinandus Romanorum rex, deficientibus canonissis, Johanni Jacobo de Schonaw nobilissimo viro commendavit.

II. DOminarum monasterium Tiguri* in sinistra parte fluvii Limagi situm, quod inde vulgo *Tigurinum* vocatur, ac etiam *Thuregi* secundum Manlium in chronico Const. fundatum est an. 843.* a Ludovico rege Bajoariæ, ut liquet ex charta fundationis, quam ex Cointio ad hunc annum, n. 8. repetere licet. Ceterum a Bruschio & Martino Crusio in annalibus Suevicis canonicarum dicitur, sed potius cum Manlio dicendum initio saltem fuisse monialium ordin. S. Benedicti in decanatu Thuricensi, quæ postea forte ad canonicas deflexerunt. Sequuntur abbatissæ quot & quales a Bruschio & Martino Crusio recensentur.

* Zurich.

* ex Cointio; 833. ex Bruschio & 853. ex Munstero.

HILDEGARDIS Ludovici regis fundatoris filia, memoratur in charta fundationis, quam non solum memorati auctores, sed & Gemelli fratres Sammarthani in historia genealogica domus Franciæ, & Dubouchetus in vera origine ejusdem regalis familiæ abbatissam hujusce loci agnoscunt. Et certe an. 858. donatur a patre Ludovico rege omni dominio Comensi ad lacum Tuginum sito; ac post biennium decessit.

Bertha & ipsa Ludovici regis & Hemmæ reginæ filia, successit Hildegardi germanæ sorori suæ, quam multis privilegiis & immunitatibus donavit pater an. 864. & an. 869. avunculus ejus Lotharius rex, imperatoris Lotharii filius. Hæc ipsa vero sub rege Carolo Crasso fratre suo, inchoatam monasterii sui basilicam absolvit; tandemque obiit an. 881. etiam abbatissa Seckingensis.

Gisela Bertham excepit, cui Carolus Crassus imperator jus cudendæ monetæ concessit.

Richardis imperatrix, Caroli hujus separata & relicta conjux, quæ & Landoviensi & Seckingensi monasteriis præfuit.

Utha, promota est a Salomone de Ramschwag episcopo Constantiensi & abbate Sangallensi, qui adolescens eam vitiaverat; ex eaque puellam genuerat, quæ in eodem cœnobio educata est, & tandem nobili cuidam Notgero desponsata.

Regilinda præfuit circa 952.

Mechtildis I. comitissa Tyrolensis alteram turrium basilicæ suæ Tigurinæ construxisse legitur.

Hedowigis, *seu* Heidwig uxor Selingeri baronis de Wolhusen, amissis liberis suis, qui in lacu quodam submersi perierant, cœnobium hoc ingressa est, cujus tandem abbatissa legitur; maritus vero Selingerus in Einsidlense monasterium secedens, ibi etiam postea sub an. 1070. abbas effectus est.

Mechtildis II. de Wunenberg præfuit circa an. 1256.

Judita de Hagenbuch circa 1264.

Elisabetha I. de Tengen an. 1274.

Elisabetha II. de Spiegelberg 1293.

Chunigundis de Wassersteltz obiit 1299.

Elisabetha III. de Kramburg præfuit anno 1306.

Anna I. de Attingshusen, ex Leopontiorum finibus nata, præfuit circa an. 1315.

Elisabetha IV. ex baronum de Bonstette familia, innotescit ex solis annalibus Heremi ad an. 1336.

Elisabetha V. comitissa de Weczikon præerat circa 1339.

Elisabetha VI. de Maczingen circa 1342.

Anna II. comitissa de Bonstetten Johannis comitis, Tiguri capti an. 1350. & Hermanni abbatis Sangallensis germana soror, præfuit ante & post annum 1350.

Fida comitissa de Alta-rupe obiit an. 1358.

Beatrix de Wolhusen, alio nomine Wandelburgis, soror Petri baronis de Volhusen abbatis Heremitani, defecit an. 1398.

Anna III. comitissa de Busnang vivere desiit an. 1404.

Benedicta comitissa de Bechburg præerat adhuc 1408.

Anastasia comitissa de Alta-rupe præfuit tempore concilii Constantiensis, ante & post annum 1415.

Anna IV. baronissa de Heuven præerat anno 1438.

Sibilla comitissa de Helffenstein præfuit ante & post annum 1484.

Elisabetha VII. comitissa de Wissenburg 1489.

Catharina baronissa de Zimbern præerat an. 1499. ultima hujus collegii abbatissa, quæ an. 1524. die 15. Decemb. dignitate consulibus & senatui Tigurino tradita, acceptaque vicissim mediocri annua pensione, nobili cuidam viro a Rischach nupsit. Exinde vero in scholam mutatum est hoc peramplum collegium.

III. * Guttnow.

GUOTTNAVIENSE* ordin. S. Benedicti monasterium puellare conditur in honorem S. Mariæ anno 1181. a Gutta nobili moniali in Sizenkilch in arce Augia, quæ sibi hereditario jure a fratre obvenerat, atque a se & arce Augia nomen *Guottnau* monasterio dedit. Adhuc florebat sub regimine abbatissæ an. 1256. quo Alexander papa, v. cal. Aug. bulla inscripta dilectis in Christo filiabus abbatissæ S. Mariæ de Guttnaw ejusque sororibus monasterium in tutelam apostolicam suscepit; sed cum an. 1323. in cineres abiisset, & postea reditus non amplius ad sustentandas moniales sufficerent, Alexander V. 1492. ex monasterio sanctimonialium præposituram S. Blasii fecit, quod alias S. Blasii monasterium antea per longum tempus dictum cœnobium Guottnaviense in protectionem suam habuisset. Jampridem vero ab hæreticis occupatur.

Ord. Cisterc. I. *al. 1131. fundatore Udalrico comite de Soedorff.

AURORA, German. *Friensperg*, sexta filia Lucellensis ord. Cist. in Helvetia, & quidem hodie in ditione Bernatum, fundatur an. 1138.* VIII. idus Maii secundum alios, a comitibus Thiersteinensibus, aliis autem a Widone Lausanensi episc. ex monasterio Lucellensi primo cum duodecim fratribus abbate destinato. Ita quidem Jongelinus in sua notitia abbatiarum ord. Cisterc. & Bernardinus abbas Lucellensis & Mulbrunn, in epitome fastorum Lucellensium; verum Angelus Manrique in annalibus Cisterciensibus Auroram ex Bella-valle progenitam tradit, quod quidem de remota generatione interpretandum videtur. Ceterum Aurora sub se aliquando habuit abbatiam Portæ-cæli, *seu* Tennebach, & etiamnum habet abbatiam Fontanam B. Virginis, vulgo Frawenbrunn in ditione Bernatum. Nobis unicus abbas occurrit Hesso, qui an. 1158. ad locum Tennebach in Brisgoia, cum duodecim monachis venit, ejusque fundum coëmit cum multis prædiis adjacentibus, ubi & abbatiam fundavit, de qua inferius.

CAPELLA, Germanice *Cappell*, filia Altæripæ, ditissimum Helvetiæ sub regula sancti Benedicti & sacra reformatione Cisterc. cœnobium, in territorio Tigurino, haud procul Tugio, loco peramœno situm, in decanatu Wetzikensi, quod an. Christi 1185. Waltherus baro ab Eschenbach condidit & plurimum locupletavit, & ad quod multi alii dynastæ varias possessiones contulerunt, ii maxime, qui sepulturam ibidem elegerunt, equites scilicet ab Halweil, de Baldeck, ab Hunnenberg, de Bonstetten & alii. Cessit postmodum secularibus cum mutatione religionis, paretque hodie Reipublicæ Tigurinæ. II.

Unicus abbas occurrit Udalricus Woff, qui an. 1513. cum Eberhardo Kastler S. Urbani abbate adsuit Johanni Muller abbati Maris-stellæ suam domum noviter restauratam consecranti.

BEBENHUSEN cœnobium in ducatu Wittenbergico, quod primum ordini Præmonstratensi deputatum est, circa 1181. auctore Rodulfo comite Palatino de Tubingen, sed mox ipsius loco inducitur Cisterciensis an. 1189. IV. *vel* V. cal. Nov. imperatoris Henrici VI. auctoritate, cujus ante biennium filius Fridericus dux Sueviæ silvam Schaimbuch eidem cœnobio tradiderat, in quo fuisse aliquando memorantur octoginta monachi & quadraginta conversi, *al.* 60. monachi & 130. conversi sub abbate Friderico. Fuit autem olim filia Sconaugiæ, deinde Salem, quando scilicet e potestate Lutheranorum, in quam devenerat, rediit ad ordinem, Cæsareo decreto anni 1630. a duce Wittenbergico restitutum, sed ad breve tempus. Sequuntur abbates. III.

I. DIEPOLDUS sedebat 1189. quo anno conventus fratrum ex Sconaugia eo ingressus est, IV. *vel* V. cal. Nov. Reperitur & in charta Rodulfi fundatoris de Præmonst. ordinis in Cist. mutatione, an. 1091. nostra in appendice.

II. Erkinbertus.

III. Entzmannus.

IV. Waltherus.

V. Ludovicus circa an. 1211.

VI. Conradus I. cum aliis eligitur a Conrado legato ad Crucis prædicationem anno 1225. idemque an. 1228. suam augeri domum possessionibus ab Uracensi comite impetravit. Hunc autem Brunonem alias vocari auctor est Jongelinus, a quo successores ita deducit.

VII. Conradus II.

VIII. Hermannus, *al.* Conradus.

IX. Bruno, *al.* Hermannus.

X. Petrus I.

XI. Rudolfus.

XII. Bertholdus floruit an. 1247. obiitque 1253. v. idus Maii, sepultus in capitulo.

XIII. Eberhardus I. de Rutlingen, quo regente an. 1260. XII. cal. Apr. in festo S. Benedicti inchoatus fuit murus Bebenhusanus, qui totum ambit monasterium. Deinde anno 1271. circa dedicationem ecclesiæ incœptus est murus interior eique adjunctum granarium. Obiit 1278. v. idus Octobris.

XIV. Fredericus 1281. antea Sconaugiæ abbas, ad quam forte post annos 17. revocatus est, sed iterum Bebenhusæ regimen cepit, quo nomine memoratur an. 1301. in charta Rudolfi comitis Palatini privilegia monasterii confirmantis. Moritur an. 1305. nonis Januarii, cui tale appositum est epitaphium:

Floruit aureolis abbas sursum Fredericus:
Qui par cælicolis fuit hic pietatis amicus.

XV. Lupoldus, *al.* Hypoldus de Esslingen obiit an. 1300. XI. cal. Novembris, humatus in cœmeterio post altare SS. Petri & Pauli, post quem iterum electus est ejus decessor Fredericus in annos quinque.

XVI. Ulricus de Esslingen Lupoldi frater ædificavit domum abbatialem cum ambitu suo, sub quo conventus bis dispersus fuit. Fato fungitur an. 1320. VIII. idus Febr. juxta fratrem sepultus.

XVII. Conradus III. nobilis de Luschnow construxit an. 1335. lapideum monachorum refectorium æstivale, ecclesiæ campanile, & sacellum ecclesiæ contiguum, in quo perpetuo missa pro ipso diceretur, aliisque defunctis, ubi & humatus est. Obiit VI. idus Decembris an. 1353. postquam laudabiliter triginta tribus annis præfuisset. Assumtus fuit post ipsum Henricus quidam Nicro, Rotemburgensis, sed propter dissolutionem vitæ & æs alienum non modicum contractum, cum suis conversis expulsus fertur, unde nec inter abbates numeratur.

XVIII. Wernherus I. Gomeringius præerat anno 1379. Sepultus est pone summum altare in cœmeterio, cum hac inscriptione: *Anno MCCCXCIII. pridie cal. Oct. obiit D. Wernherus de Gomeringen XVIII. abbas in Bebenhusen cujus anima requiescat in pace, amen.*

XIX. Petrus II. Gomeringius jacet sub hoc epitaphio: *Anno Domini MCCCCXII. XIX. cal. Jan. obiit reverendus pater & dominus, D. Petrus de Gomeringen XIX. abbas in Babenhusen. Requiescat in pace.*

XX. Henricus de Halfingen memoratus an. 1415. mortem oppetiit 1432. pridie cal. Aug. sepultus in capitulo.

XXI. Reinhardus natus de Nefingen, *al.* Hefingen obiit 1456. x. calend. Septemb. in ecclesia conditus ante altare B. M. Virginis.

XXII. Johannes I. de Deckenpfrund 1456.
A & 1460. quo anno diem clausit extremum VI. calend. Jan. sepultus in capitulo.

XXIII. Wernherus II. de Tubingen reperitur anno 1463. Hic multa ædificavit; tandemque cessit anno 1471. nonis Junii. Jacet in introitu capituli, cum hoc epitaphio: *Anno Domini MCCCCLXXIII. obiit reverendus in Christo pater ac dominus D. Werner de Tubingen XXIII. abbas in Bebenhusen, VII. idus Julii, cujus anima requiescat in pace.*

XXIV. Bernardus Rochenbuch de Magstat, vir clemens & pius, electus abbas VIII. idus Junii 1471. adhuc præerat 1482. obiit 1493. v.
B idus Martii, sepultus in introitu capituli.

XXV. Johannes II. de Fridingen electus x. cal. Junii in octava Ascensionis, ac die S. Genesii consecratus 1493. præfuit annis 40. sepultus in choro, cui in saxo erecto hoc positum epitaphium: *Anno Dom. MDXXXIV. in die Thomæ apostoli, obiit reverendus in Christo pater ac dominus D. Johannes a Fridingen abbas in Bebenhusen XXV. magnæ prudentiæ & maturitatis, cujus anima requiescat, &c.*

XXVI. Sebastianus Lucius, *al.* Hebenstreit, Tubingensis, cum jam annis 13. propter Novatores abbatialis sedes vacaret, & ipse cum con-
C ventu exsularet, in exsilio a monachis electus est, præsentibus Sebastiano Sconaugiensi abbate, eorum visitatore & Henrico Mulbrunnensi abbate, necnon Bernardo Maiero, majore cellerario in Salem, nomine sui abbatis. Factum id 17. Novembris 1547. in cœnobio Portæ-cœli, vulgo *Tennenbach*, cujus loci ipse antea abbas fuerat. Postea 1549. 20. Martii ex prioratu *Bernis* in superiore Alsatia, rediit cum fratribus suis Bebenhusam, restitutus a Carolo V. imperatore. Obiit Tubingæ 1557. *al.* 1560. die 15. Novemb.

XXVII. Eberhardus II. Bidenbachius, sacræ theologiæ doctor, primus ibi Lutheranus abbas
D creatus est die 3. Dec. 1560. adhuc superstes 1593. de quo præstat silere quam loqui.

XXVIII. Joachimus Muller, prior in Salem; an. 1630. quando hæc abbatia decreto Cæsareo catholicis a duce Wittembergico restituta fuit, ad eam regendam missus est abbas cum aliquot fratribus, qui usque ad annum 1648. illic perstiterunt.

ANGULI, cœnobium ord. Cisterc. in Monte-sancto apud Suevos situm, quod an. 1256. IV.
inhabitare cœpit Henricus Finckius monachus Salemitanus, fundum liberaliter conferente Bertholdo comite Montis-sancti, id est *Heilligenberg,*
E consecraturque in honorem S. Johan. Bapt. & S. Catharinæ. Ita Jongelinus, nec uspiam aliud de hoc monasterio reperire licuit, nisi forte quod ait Bruschius & monasteriolum esse, & Montem-sanctum a S. Felice & S. Regula illic sepultis appellari.

REGIUS-FONS, *seu* FONS-REGIS, German. V.
Konigsbroun amœnissimum Cisterciensis ordinis monasterium sub visitatione abbatis Salemitani, in circulo Suevico, tribus a Nordlinga milliaribus, in Brentiana valle, prope Brentii

amnis & Pfeferii rivi pulcherrimos amplissimosque fontes, & in ipso Pfeferii insignis rivi cum Brentio amne coitu, fundatum est in honorem B. M. Virg. & S. Bernardi an. 1302. ab Alberto Austriaco imperatore, & Elisabetha ipsius conjuge, suisque mox ab incunabulis Imperii ordinibus aggregatum. Ponitur in diœc. Constantiensi a Bruschio & a Bernardino Lucellensi abbate epitomes fastorum Lucell. auctore anno 1666. & a Miræo post Bruschium, in Augustana vero a nupero ideæ chronotopographicæ ord. Cisterc. per Germaniam superiorem auctore, post Bucelinum. Hoc autem monasterium sub annum 1539. ab Ulrico duce Wirtenbergensi violenter occupatum est, quod tamen paulo post, anno scilicet 1544. e manibus ejus per Carolum V. imperatorem, ac Regem Ferdinandum potentissimos fratres ereptum est, sed iterum an. 1552. non modo invadendum, sed etiam misere vastandum die 19. Aprilis in bello Alberti marchionis, quod quidem hac vice Wirtembergiæ duces retinuere usque ad annum 1630. quo Ferdinandi II. decreto illud restituere coacti sunt, statimque princeps Christophorus maximis sumtibus ipsum quasi de novo reædificavit; sed mox iterum per fœdera pacis dux Wirtenbergicus anno 1648. illud in suam potestatem recepit. Sequuntur abbates usque ad loci excidium.

HENRICUS I. ex abbatia Salemitana cum 12. fratribus assumtus, primus abbas Regii-fontis constitutus est an. 1302.

Marquardus.

Bertholdus.

Henricus II. Hubmannus.

Fridericus.

Johannes I.

Aluvigus præfuisse quatuor tantum hebdomadis reperitur.

Nicolaus cognomento Ungarus, patria Ravenspurgius, legitur abdicasse.

Johannes II. de Rinderbach, vir nobilis, interfuit concilio Constantiensi, a quo cum rediisset, his abbatiam reddidit, a quibus ad eam capessendam antea persuasus fuerat.

Hildebrandus e Salemitano cœnobio accitus an. 1426. præfuit annis 36. quibus interim jus infulæ pro se tantum obtinuit Romæ. Cessit an. 1462.

Petrus I. Stock Salemitanus quoque monachus, ob bellum inter civitates & principes imperii, quo cœnobium ad nihilum pene redactum est, rediit eodem anno ad suos Salemitanos, cum præfuisset sex tantum hebdomadis.

Petrus II. Susapffel, Nordlingensis præfuit utiliter annis sex, mortuus 1469.

Johannes III. Offelinus ex Wemdingo Rhiesæ oppido, e vivis excessit an. 1475.

Johannes IV. Sporer, Nordlingensis, sedit annis sexdecim, quibus egregie monasterium instauravit & auxit. Fato functus est an. 1491.

Helias Sengius prudenter etiam annis sexdecim abbatiam administravit, quam deinde an. 1507. dimisit, superstes ad an. 1516. quo diem clausit extremum, sepultus in media laïcorum ecclesia.

Emeranus Thiem, ex Wemdingo natus, eligitur in abbatem an. 1507. cumque laudabiliter sex annis rexisset, cessit paulo ante obitum suum, qui contigit x. cal. Febr. an. 1513. Jacet in dextra templi abside.

Melchior Ruff. ex Hochstadio, Danubiano oppido natus, præfuit magna cum laude annis 27. Hic primus ornamenta pontificalia non pro se tantum, sed & pro successoribus suis impetravit, unde juxta sepulcrum ejus in templi choro, hi leguntur versus:

Melchior abba monasterii celeberrimus hujus
Ruff cognomen habens, hac sepelitur humo.
Prælatus sapiens, solidus mirator honesti,
Consilio & mentis dexteritate valens,
Comis & urbanus, dicendo peritus amussim:
Qui modicum cupiit rite præesse suis.
Papa proinde Leo decimus gestare thiaram
Hunc (quod erat tali dignus honore) jubet.
Ergo precare Deum quicumque præibis, ut ipse
Illius ætherea spiritus astra petat.

Obiit abbas iste sub finem anni 1539. post cujus discessum, cœnobium, uti jam diximus, ab Ulrico duce Wirtenbergensi violenter occupatum est.

Ambrosius Boxlerus ex Gienga, vicino imperiali oppido natus, vir admodum humanus, recuperato cœnobio e manibus ducis Wirtembergensis per Carolum imperatorem ac Ferdinandum regem præficitur abbas an. 1544. Is porro in marca sua Steynensi magnificam domum eo ipso loco, in quo fuit antiquitus cœnobium, construxit; item ad Pfeferii fluvioli fontem unam adhuc ustrinam fecit, in qua ferrum liquari solet, quod prope Alam vicinum oppidum imperiale foditur, & ex quo fornaces adornantur. Adhuc præerat 1550. at biennio post depositus est, quando scilicet monasterium in bello Alberti marchionis miserrime vastatum fuit.

Johannes V. Epplinus, *sive* Explinus Waiblingensis, ex abbate Mulbrunensi, acatholico, ait Bucelinus, in utraque abbatia coadjutorem habuit sequentem. Sub Johanne, an. 1552. 19. Apr. bello Brandeburgico monasterium exustum fuit, ac deinceps Lutherani sunt introducti.

Jacobus Scroppius, primus abbas Lutheranus, fit abbas Mulbrunnensis an. 1577.

Martinus Clæssius, Gæppingensis, eligitur 19. Octob. 1577. cui Anhusam translato successit

Johannes Andreas, Jacobi præpositi & cancellarii Tubingensis filius, tunc parochus Herembergensis, professione Lutheranus.

Theodorus e Salemitano cœnobio illuc abbas directus est an. 1630. quando hanc abbatiam dux Wirtenbergicus deserere coactus est. Præfuit ad an. 1648. quo dux iterum illam suo dominio subjecit.

VALLIS-RHENI, *vulgo* RHEINTHAL ordinis Cisterc. parthenon fundatur anno circiter 1255. a Conrado Friburgi comite, in diœcesi Constantiensi & comitatu Friburgensi, statimque Lucellensi abbati subjicitur. Verum Feminarum I.

cum tertio post fundationem seculo, bellicis cladibus, quæ tempore concilii Basileensis partes illas infestabant, deficeret, exstinctis monialibus, in prioratum virorum redactus est, Lucellensique cœnobio annexus; in quo tandem, mutata fide orthodoxa, marchio Hochbergensis Cisterciense institutum abolevit.

II. AUGIA S. MARIÆ, *vulgo* MARIENAW abbatia virginum Cisterciensium extra muros Brisacenses in diœcesi Constantiensi & tractu Brisgoiæ, fundatur, quantum ex MSS. chartis conjicere licet, ab alterutro, vel comite Friburgensi, vel marchione Hachbergensi, vel ab utrisque, incertum quo anno, sub Lecellensium abbatum visitatione. Hanc an. 1525. cives Brisacenses, rusticorum tunc per Alsatiam & Brisgoiam tumultuantium conscii, misere devastatam, effugatis sacris virginibus in rem suam converterunt, quamobrem abbates Lucellenses eis apud regimen Austriacum litem intulerunt, quæ adhuc erat sub judice an. 1666.

III. SYLL-AUGIA, Germanice *Syllenau* in diœcesi Constantiensi & agro Tigurino, ad amnem Syll fundata & dotata est a diversis nobilibus & civibus Tigurinis opulentis an. 1290.

IV. FONS B. VIRG. Germanice *Frawen-brunn* in diœcesi Constant. & territorio Bernensi, infra Burckdorffium fundatur anno 1309. sub visitatione abbatis de Aurora.

V. ABbatia Eberseckensis in ditione Lucernensi & diœcesi Constant. subdita erat S. Urbano.

MONASTERIA

QUÆ HACTENUS PERSEVERANT, vel certe conjicimus perseverare.

ORDINIS S. BENEDICTI.

S. GALLUS.
Alba-Augia-Brigantina.
Augia-Dives, *Richenaw.*
Campidona, *Kempten.*
S. Trutpertus, *S.t Trupt.*
S. Georgius in Hercinia silva (*la Forest noire.*)
Rhenaugia, *Rheinaw.*
Heremus B. Mariæ, *seu* Einsidlen, *Nostre-Dame des Hermites.*
S. Blasius in Hercinia silva.
Fischingen.
Petri-Domus, *vel* Petershusium, *Petershausen.*
Mury, *Moury.*
Isni, *vel* Isna.
Monasterium-Vinearum, *seu* Weingarten.
Zwifaltum, *latine* Ad duplices-aquas, *Zwifalten.*
S. Petrus in Hercinia-silva.
Wiblingum, *Wiblingen.*
Blaubyra.
Alberspacum
Engelberg, *seu* Mons-Angelorum.
Ochsenhusium, *Ochsenhausen.*

A S. Johannes in Thuræ-valle, *Thurtal.*
Cella S. Maria in Nigra silva.

FEMINARUM ord. Bened.

Lindaugia, *seu* Lindawia, *Lindaw.*
Bocaugia, *vel* Buchovia, *Buchaw.*
Urspringum, *Urspringen.*

ORD. S. AUGUSTINI.

Creutzlingen.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Salem, *seu* Salomonis-villa, *Salmonschweiler.*
B S. Urbanus.
Porta-celi, *Tennenbach.*
Maris-stella, *Wettingen.*

FEMINARUM.

Vallis S. Crucis, *Heilig-Creutztaal.*
Silva-Benedicta, *Wald.*
Rubrum-monast. *Rothen-munster.*
Gunterina-vallis, *Gunterstal.*
Vallis-Dominarum, *Frawenthal.*
Heggbacum.
Hortus floridus, sive *Poundum* & *Baindt.*
Augia-Virginum, *Magdenaw.*
C Rathusa ad S. Georgium, *Rathausen.*
Jucunda-vallis, *Wunnenthal.*
Feldbach.
Vallis-liliorum, *Tennikon.*
Cella B. Mariæ, *Wurmspach.*
Eschenbacum.
Vallis-Gratiarum, *Gnadenthal.*
Villa-pacis, *Fridenweyler.*
Curia B. Mariæ Virg. prope Neidingen.
Bona-cella, *seu* Dei-cella, *Guttenzell.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Rothum-monachorum, *seu* Rodium.
D Augia-minor, *sive* Alba-augia-Suevorum & Album-pratum, *Weissenaw.*
Martalum.
Adelberg.
Sorethum, *sive* Schussenrietum.
Ruti, *vel* Rutti.

SAN-GALLENSE MONASTERIUM.

QUemadmodum aliorum plurimorum, ita hujus celeberrimi cœnobii ord. S. Bened. tenuia prorsus initia fuere. Situm est ad lacum Acronium in finibus Helvetiorum & Vindelicorum, non longe Augia insula, idipsumque ab auctore E suo S. Gallo nomen accepit, urbique postea nomen suum indidit, cum antea Durgaugiense, eo quod situm esset in pago Durgaugia, diceretur. Quinimo satis obscurum permansit seculo integro, nempe ab anno suæ fundationis circiter 613. usque ad Othmarum abbatem, qui sibi *Cellam S. Galli* a Victore comite Curiensi concessam in celeberrimum mutavit cœnobium, favente Pipino principe ad Karlomanni fratris monachi facti petitionem; Pipinus enim Othmaro concessit *quosdam tributarios ...... ut & illis collaborantibus officinas fratrum usibus necessarias* *Annales Benedict. Mabill.*

construeret, & vectigalia, quae annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad sustentationem fratrum sub commemoratione largitatis ejus haberet. Exinde vero in tantum crevit, ut sinu suo foverit aliquando 150. alumnos, & abbas San-Gallensis legatur mille equitum comitatu Argentinam esse ingressus anno 1361. cum Walterus baro de Geroldseck in episcopum Argentinensem electus in suam induceretur civitatem. Habet etiamnum in sua potestate totam fere Turgoviam, comitatumque Dockenburgensem, testante Bruschio, sed ipsum S. Galli oppidum ante annos sexcentos fossis & moenibus muniri coeptum, ab ejus dominio transiit, quando scilicet Helvetiorum Octopagensium confoederationi conjunctum est. Ceterum abbas hujus monasterii inter Imperii principes locum habet, & inter patres congregationis S. Galli praeeminet. Ex qua etiam palaestra complures viri pii & illustres, necnon etiam episcopali & abbatiali dignitate conspicui prodierunt.

Series Abbatum.

S. Gallus natione Scotus, fuit primum S. Columbani discipulus, a quo infirmus apud Alamannos dimissus, cum convaluisset, cellam in saltu publico inter alpes Raeticas & lacum Brigantinum posito prope Arbonam exstruere coepit, quae postmodum celeberrimum ejus nominis monasterium evasit. Hunc vero Bruschius auctor est, non tam fuisse abbatem, quam eremitam, & accolarum Acroniani lacus, Brigantinorum & Arbonensium, idolorum cultui tunc deditorum primum apostolum, per annos sexdecim, inquit, ab anno scilicet 614. ad annum 630. quo sibi vir Dei jam senex & labore functus, cellam primam, seu oratorium in densissimo nemore condidit. S. Galli obitum rejicit Mabillonius in annum 646. contigit autem die XVII. cal. Nov. ex Walafrido Strabone, quem frustra Trithemius in catalogo illustrium virorum abbatem S. Galli praedicat, & Wandelberto. Corpus ejus sepultum est in oratorio, quod ipse construxerat, ubi a Dagoberti regis tempore usque ad Carolum Martellum quotidianas ad ejus tumulum excubias egerunt *quidam religiosi clerici, vel discipulatus ejus memoria, vel divino amore succensi*, inquit Walafridus ejus vitae scriptor, quam lege-sis secul. 2. Bened. pag. 227. Clerici autem illi, cum fuissent discipuli S. Galli, monachi videntur fuisse; sed tamen dissimulandum non est quod legitur, lib. 2. ejusdem S. Galli vitae cap. XI. de Othmaro: *His regiae pietatis Othmarus abba donatus solatiis, & sublimatus honoribus, monasterium laetus regreditur: & ex illo tempore monasticae vitae in coenobio S. Galli exordium quidem coepit, augmentum autem, &c.*

De S. Magno, *sive* Magnoaldo, Magnulfo & Magulfo, quos Bucelinus inter abbates post S. Gallum reponit, quique fortasse non duo, sed unus & idem sunt, nihil certi nobis suppetit, nisi quod Magnus, S. Galli discipulus & Alamannus exstiterit; Magulfus vero, *seu* Magnulfus, siquidem diversus est, *presbyter & pastor S. Galluni* appellatur in charta donationis Gotfridi Alamanniae ducis *ad luminaria S. Galluni ecclesiae.* Sic varie flectebant veteres illi nomen S. Galli, qui & Gallo, interdum Gilianus in vetustis instrumentis nominatur.

Fortasse vero Magnulfum praecesserat diaconus quidam, nomine Stephanus, qui hac in ecclesia *Custodis officio functus est*, teste Walafrido lib. de miraculis S. Galli cap. 4. Quod quidem *Custodis* nomen de titulari praeposito, qui hoc nomine eamdem cellam in beneficium a comite loci impetrare solebat, intelligendum censet Mabillonius. Ceterum cum Bruschio, S. Gallo gradum facimus ad S. Othmarum, quem Hermannus Contractus in chronico, an. 720. cellae S. Galli primum abbatem constitutum, coenobialem inibi vitam instituisse auctor est.

II. S. Othmarus I. qui Autmarus, Audemarus & Audomarus, Alamannorum genere oriundus, cellam S. Galli a Victore Curiensi comite acceptam, ut diximus, amplificavit & necessariis instructam aedificiis, monachis Benedictinis adsignavit, monachus & ipse factus, cum antea fuisset presbyter secularis, anno 720. sexto initae praefecturae Caroli Martelli, ex Goldasto, tom. 3. p. 51. eumque locum, testante Hermanno, quadraginta per annos nobiliter rexit. Sane Pipinus rex dum Othmaro cellam S. Galli, jam a Carolo patre commendatam laudavit, eidem tradidit *libellum, quem Benedictus pater de coenobitarum conversatione* composuerat, uti narrat Walafridus in libro de miraculis S. Galli cap. XI. Legitur autem apud Goldastum, tom. 3. rerum Alamannicarum, pagg. 54. & 55. donatio Gautzperti facta *Audomaro abbati Durgaugensi, seu de monasterio S. Gallonis, VI. cal. Novemb. anno III. regnante Pipino.* Legitur & alia ejusdem anni facta Othmaro abbati, VIII. idus Augusti, *ibid.* tom. 2. pag. 52. & iterum *ibid.* ch. XXXV. pag. 48. Cauzoini donatio facta Audemaro abbati anno XXX. post regnum Dagoberti regis; itemque donatio cujusdam Lantperti facta eidem abbati *IV. idus Septemb. anno III. Carolomanni majore-domus* * *sub Chancharone comite; ibid.* tom. 3. p. 50. & an. IV. regnante Pipino, p. 52. rursumque anno sexto ejusdem Pipini, p. 57. & anno III. regnante Hiltrihho rege sub Carlomanno majore-domo, die 9. Novemb. ch. LVIII. p. 60. Sed cum *Warinus & Ruadhardus, qui totius Alamanniae curam administrabant, de possessionibus B. Galli perplura sibi vindicassent*, S. Othmarus Pipinum regem adiit, qui eorum tyrannidem coerceret. Quapropter excandescentes in sanctum virum, Lamberto ipsius monacho pessimo suaserunt, ut suum abbatem luxuriae & adulterii insimularet. Ea de causa coacta est synodus, cujus meminit Hepidannus ad an. 746. *Sidonius episcopus Constantiensis & abbas Augiensis*, inquit, *B. Othmarum de adulterio accusavit, mox missum in exsilium.* Itaque cum prae nimia animi demissione vix pro sua defensione responderet, apud villam Potamum palatio inclusus est, vulgo *Bodmen*, seu *Podmen*. Inde vero quidam vir potens, Gozbertus nomine; impetravit

* Filio Caroli Martelli.

impetravit *ab iniquis principibus sibi virum Dei commendari*; quem *in quadam insula Rheni, nomine Stein, juxta prædium suum custodiæ deputavit, ubi orationibus & jejuniis vacans, exacto non multi temporis spatio* ab his angustiis *ad cælestis latitudinem gaudii* migravit XVI.[a] calendarum Decembrium an. 759. testante Hermanno Contracto, 757. ex libro secundo Joachimi Vadiani apud Goldastum, pag. 52. *aut* 758. ex Hepidanno apud eumdem Goldastum, pag. 7. & ex ipso Goldasto, tom. 3. p. 52. a quibus non recedunt Ephemerides monasterii S. Galli, dum illi tribuunt 40. regiminis annos. Epitaphium ejus sic est in chronico Constantiensi, auctore Manlio, pag. 631.

Vincula perpessus, sibi vixit carcere pressus;
Exsilium tulerat, fame, frigore fractus obibat.
Quis queat Othmari certaminis abdita fari
Equipar! hæc cunctis rosa vernat sanguine mota.

Discimus autem ex prædicto Contracto, Othmari corpus in eadem insula tumulatum, inde post decem annos, (768. ex Hepidanno) incorruptum fratres ad monasterium revexisse. Jam tunc quidem Sanctus habebatur, sed tamen haud ante annum 864. honoratus est publico cultu, quem Salomon Constantiensis episcopus ipsi decrevit, post solemnem e tumulo levationem, quam altera minus solemnis præcesserat an. 829. *vel* 830. quo, dum nova ædificaretur ecclesia, corpus ejus in oratorium S. Petri translatum est. Exstat ipsius vita secul. III. Bened. part. 2. pag. 153.

[a] Hac die, dantur carnes, pisces, casei, & ova cum stoupo & maximo leibone, & minore leibunculo de Stanheim, ad unum ferculum dantur cuilibet domino duo Velkones; *ita Ephemerides S. Galli.*

III. Sidonius episcopus Constantiensis, qui S. Othmarum relegaverat, eo mortuo *instigantibus comitibus cœpit hoc inquirere monasterium & in potestatem episcopatus redigere*, ut scribit Ratpertus, lib. 1. de casibus sancti Galli, cap. 2. Primum quidem prædicti Comites Johannem quemdam, monachum e proximo Augiæ-monasterio in ejus locum intruserant; sed cum eum forte consiliis suis non satis obsequentem experirentur, Sidonium ei prætulerunt, qui non diu monasterio potitus est, justo Dei judicio percussus morte, quam oppetiit in Augiensi monasterio, cui etiam abbatis nomine præerat, an. 759.

IV. Johannes, Othmaro rebus humanis subtracto, e proximo Augiæ-monasterio, ut mox dicebamus, a prædictis comitibus ablatas sancti loci possessiones retinere volentibus, in ejus locum intrusus primum quidem fuerat, sed brevi Sidonio prælato cedere coactus, non multo post eidem subrogatur tam in sede Constantiensi, quam in regimine Sangallensis & Augiensis abbatiarum. Et certe jam episcopus & rector monachorum erat anno 760. ineunte, ut patet ex charta 59. apud Goldastum data die quinta-decima mensis Januarii anno octavo Pipini regis; idque confirmatur ex alia charta, scilicet 44. scripta die Dominico, v. nonas Maias, regnante Pipino, sub Warino comite, id est anno Christi 761. & ex alia n. XLIII. data die Dominico VI. idus Octob. anno X. regnante Pipino, hoc est 763. Memoratur insuper episcopus & abbas mense Junio, die octavo, anno IV. regnante Carolo gloriosissimo rege, ch. XXIX. *ibid.* pag. 46. & mense Julio anno XII. regente Carolo, ch. XII. apud Goldastum, t. 2. rerum Alaman. p. 1. pag. 38. & ch. LXIX. pag. 66. Obiit vero 781. de quo vide in episcopis Constant.

V. Ratpertus, Rupertus & Rautpertus, abbas constitutus an. 778. ex Hepidanno & Joachimo Vadiano, e vivis excessit, eodem auctore testante, 779. *al.* an. 782. III. cal. Maii.

VI. Waldo, *seu* Walto cœnobita, vir sapiens, & scriptor eximius, idem fortasse, qui decanus vice Johannis episcopi & abbatis curavit aliquando monasterium, ipse demum in abbatem electus an. 779. ex Hepidanno, *al.* 782. paulo post ab Eginone Constantiensi episcopo pulsus est; qui deinde cum Regis assensu ad vicinum Augiense monasterium secedens, ibidem postea eligitur abbas, ac postremo Parisiense S. Dionysii monasterium, post Fardulfum abbatem, regendum suscepit; cujus proinde mortem prave consignat Hepidannus an. 781. dies vero notatur in Joachimi Vadiani chronologia, III. cal. Aprilis.

Goldast. t. 2. rerum Alaman. ch. LX. pag. 61.

VII. Egino episcopus Constantiensis expulso Waldone rexit, & cum Werdone, qui sequitur, ex Goldasto, tom. 3. rerum Alaman. p. 149. & tom. 2. ch. LXVIII. p. 65.

VIII. Werdo, antea forensis presbyter, tum vero monachus, Eginone, episcopo volente, creatur abbas, an. 781. si fides Hepidanno, *melius* 784. qui certe memoratur anno secundo Caroli imperatoris, hoc est 801. in charta XLIX. apud Goldastum; imo ejusdem Caroli regis anno XVI. ex Goldasto, tom. 3. rerum Alaman. p. 149. Ipsum insuper rectorem monasterii S. Galloni legimus in quadam charta Ruakeri data anno 24. regni Caroli-magni, apud eumdem Goldastum in notis ad caput 14. historiæ Cunradi Fabariensis, de casibus ejusdem S. Galli cœnobii, pag. 223. t. 1. rerum Alaman. p. 1. & iterum eodem anno, die Sabb. XI. cal. Nov. hoc est 791. ch. LXVIII. tom. 2. p. 65. Sedit usque ad annum 816. ex Ratperto monacho contra Hepidannum, qui quinquennio Werdonis obitum antevertit. Sed Ratperto favet epitaphium editum a Walafrido Strabone, qui ei annos regiminis triginta quinque tribuit his versibus:

Hunc rexisse gregem pie per quinquennia septem
Scitur, & omnigenis accumulasse bonis.
Martius Apriles ter deno sole calendas
Dum visit, Werdo mortem obit, astra subit.

Attamen ejus obitus in necrologio notatur III. cal. Aprilis, *al.* in fine Martii.

IX. Gozbertus, vir prudentia, corporis statura & moribus præstans, Werdoni mortuo, ab ipsius loci cœnobitis, concesso sibi privilegio sub Johanne episcopo fretis in abbatem cooptatur. Verum Wolfoleus, Wolfleo & Wolfleosus Constantiensis antistes, fraterni in suos Sancti-Gallenses animi oblitus (antea fuerat S. Galli monachus)

monasterii sibi regimen arrogavit, decani solum dignitate Gozberto relicta. Inde vero cuncta pro arbitrio disponere cœpit, ministeria & officia mutare, dejectis monachis, cellario ac promptuariis seculares præficere, qui adeo res S. Galli depascebantur, ut fratribus, unde viverent, nihil reliqui facerent. His porro in angustiis Ludovicum Augustum-Aquisgrani commorantem adeunt fratres delecti, interque eos Gozbertus electus abbas, de violentia episcopi & injuriis conquesturi. Aderat etiam tum in curia episcopus, qui chartam quamdam, ex qua ei certa erat victoriæ fiducia, legi rogavit, impetravitque. Sed non sine divino judicio accidit, ut ille non quam volebat chartam legendam protulerit, sed Caroli diploma, quod multa in commodum monasterii continebat. Legente ministro, ubi errorem advertit antistes, legentis verba interrumpere, nec id diploma esse quod vellet, importune obstrepere. Verum pius Imperator, neglectis episcopi offuciis, patris litteras novo diplomate corroboravit, Gozberto in abbatiali dignitate confirmato; qui domum reversus, monasticam disciplinam, nonnihil per has tempestates labefactatam restituit, novumque privilegium priori longe insignius obtinuit, demumque animum adjecit ad instaurandam fabricam monasterii, templumque augustius excitandum, quod intra septennium absolutum an. 835.* XVI. cal. Novemb. solemni ritu dedicari curavit. Jam autem anno duodecimo imperii Ludovici, V. idus Maii memoratur Gozbertus abbas in charta quinquagesima apud Goldastum, t. 2. rerum Alamann. p. 1. pag. 56. item anno 15. ch. LI. pag. 57. & anno 18. regnante eodem Ludovico imperatore, Carolo vero, Juniore dicto, filio Judithæ, anno tertio, apud eumdem Goldastum, tom. 3. pag. 150. Scripsit de miraculis S. Galli librum unum, cujus mentionem facit Walafridus, lib. 1. cap. ultimo & lib. 2. cap. 10. idemque Walafridus Augiensis abbas huic abbati vitam S. Galli dicavit. Gozbertus tandem moritur IV. nonas Aprilis, sepeliturque ad murum ecclesiæ S. Petri, cum paulo ante, aliis 837. aliis 838. regimen abdicasset.

* 834. ex *Hepidanno.*

X. Bernwicus, *seu* Pertiwicus Hermanno Contracto, testante hoc auctore, Gozberto abbati successit anno 838.* *al.* & quidem melius 837. Bernwicus enim memoratur abbas in charta LXIV. apud Goldastum, t. 2. rerum Alamann. p. 63. anno 24. Ludovici imperatoris & Ludovici Junioris regis Alamannorum quinto, die Veneris IX. cal. Decemb. hoc est 837. De hac autem substitutione Ratpertus monachus sic habet; nempe Gozbertum, cum jam ætatis gravitatem, corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum, a Ludovico clementissimo Augusto impetrasse, ut Bernwicus ejus loci monachus in ipsius locum sufficeretur, & quidem ordinatum esse eodem anno 838. Decani officium antea rite gesserat, nec minori laude abbatiam recturus erat, si diuturnior fuisset ejus præfectura; at post mortem Ludovici, cum Lothario adhæsisset, Ludovicus Germaniæ rex, subacta Alamannia, istuc accedens Bernwico abbatiam abrogavit, substituto in ejus locum Engelberto monacho. Ejus obitus dies notatur VI. idus Decembris.

* 836. ex *Hepidanno.*

XI. Engelbertus I. a quo, Ludovico Germaniæ rege, institutus fuerat, ab eodem, anno insequenti 841. exauctoratus est.

XII. Grimaldus, Grimoldus & Grimobaldus, Engelberti loco, ab eodem Ludovico, cujus archicapellanus erat, subrogatus est abbas secularis, an. 841, ex Hepidanno, eique monasterio præfuit per unum & triginta annos, mitiori sane providentia, quam fratres sperabant. Enimvero, illis petentibus facultatem a Ludovico rege obtinuit eligendi proabbatis, qui post se illos regeret, eorumque negotia omnia vice sua procuraret; atque insuper jus electionis, quod post ipsius mortem reviviscceret, in integrum confirmari curavit. Præerat autem anno X. regnante Ludov. die Jovis, X. cal. Junii in Ascensione Domini, hoc est 849. ch. LXX. apud Goldast. pag. 66. ubi emendanda indictio V. in XII. Item an. XII. die Dominica VII. idus Apr. ch. LXXI. *ibid.* pag. 67. & an. XII. die Dom. IV. cal. Junii, ch. LXXXIV. pag. 73. hoc est 852. atque etiam an. XV. Ludov. regis die Dominico VIII. calend. Oct. & die Veneris XIV. cal. Martii, hoc est 853. & 854. iterumque anno XVII. ejusdem Ludov. regis in Orientali Francia, die Mercurii 2. idus Febr. hoc est 856. apud eumdem Goldast. tom. 2. pag. 38. Reperitur & anno XIX. regni Ludov. feria 2. IV. cal. Septemb. hoc est 858. ch. LXXII. pag. 67. & anno XXIII. ejusdem Ludov. tom. 3. rerum Alamannic. pag. 71. & iterum an. XXIV. XV. cal. Junii, & anno XXVII. regni Ludov. in Orientali Francia, sub Carolo principe, ejusdem Ludovici regis filio, die Martis, 2. nonas Apr. hoc est 864. *ibid.* t. 2. ch. LIV. pag. 58. & ch. XVII. pag. 41. & insuper annis XXIX. die Lunæ XIII. cal. Jan. & XXXI. ejusdem regis die Veneris XVIII. cal. Maii, hoc est 868. & 870. *ibid.* ch. LV. pag. 58. & ch. XXIII. pag. 43. ac denique an. XXXVI. ejusdem Ludov. Germaniæ regis, tom. 3. rerum Alaman. pag. 150. Ceterum sub hoc abbate facta est VIII. cal. Oct. an. prædicto 864. solemnis reliquiarum S. Othmari abbatis translatio ex oratorio S. Petri in novam S. Galli basilicam, sacris operante Salomone Constantiensi episcopo, qui simul Othmarum sanctorum albo adscripsit; unde & Grimaldus statim oratorium in S. Othmari honorem ædificare cœpit, ejusque fabrica absoluta, corpus sacrum post tres annos istuc induxit. Grimoldo vero Rabanus martyrologium suum dicavit, quem uti amicum præcipuum versibus celebrat. Demum Grimoldus superstes ad annum XXXVII. Ludovici Germ. regis ex charta pro Renaugia, exstinctus est anno 872. idibus Junii, cui sepulto in æde S. Othmari Hartmotus, qui sequitur, hoc breve posuit epitaphium:

Hic manet interius divinæ legis amator
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere jussit.

Ex his porro emendandus est Trithemius in catalogo illustrium virorum, ubi Notgerum ex

abbate S. Galli episcopum Leodiensem evasisse comminiscitur circa 850. duplici lapsus errore; Notgerus enim fuit tantum præpositus, sed neque floruit ante seculum sequens jam ad finem suum vergens.

XIII. Hartmotus monachus, vir cum genere, tum scientia & moribus insignis, cum tunc esset decanus, permittente Grimaldo, electus est a fratribus, ut proabbatis officium gereret; quem ipse Grimaldus ad Ludovicum regem perduxit, procuravitque, ut secundum ab ipso regiminis locum haberet, & post suum ipsius obitum jus electionis omnino redintegraretur. Tum Grimaldus perfectissimam in monasterio disciplinam instituere, ac regularia ædificia a Gozberto abbate cœpta perficere cupiens, cum regiis negotiis plurimum in aula detineretur, Hartmoto hanc curam injunxit, quod is utrumque gnaviter exsecutus est; ac insuper amplissimas Grimaldo exstruxit abbatiales ædes; qua fratrum benevolentia & humanitate captus Grimaldus universam monasterii providentiam in Hartmotum rejecit, dum rebus Palatinis ipse vacaret. Hartmotus vero totum se ornandæ basilicæ, ceterisque ædificiis dare, & librorum copiam in bibliothecam congerere, quos Ratpertus singillatim recenset. Ceterum Grimaldo & Hartmoto abbatibus, hi erant monasterii S. Galli officiales monachi: decanus, præpositus, portarius, æдituus, hospitarius, cellararius & camerarius. Denique Hartmotus post obitum Grimaldi titulum abbatis consecutus est, tum electione fratrum, tum Ludovici regis consensione; & hoc quidem ornatur in quadam donatione anni XXXIII. Ludovici Junioris, die Dominica, XVI. cal. Junii, hoc est 873. apud Goldastum, t. 3. rerum Alaman. p. 67. ubi etiam, p. 84. reperitur an. XXXV. Ludovici regis, sub Adalberto comite, feria quarta III. cal. Julii, hoc est 875. & iterum eodem anno die Lunæ XVI. cal. Dec. *lege* Nov. ch. LXXIV. t. 2. p. 68. & anno XXXVII. ejusdem Ludovici sub Humfrido comite, die Jovis, III. nonas Dec. *ibid.* tom. 2. ch. XVIII. pag. 41. at vero *ibid.* tom. 3. p. 149. mendum est in an. XI. Caroli imperatoris, pro quo legendus annus secundus, hoc est 877. vel potius 882. ad quem annum, Caroli imperatoris secundum cum ind. XV. legitur facta conventio Salomonem inter Constantiensem episcopum & Hartmotum cœnobii S. Galli abbatem, tom. 2. rerum Alaman. ch. XXVIII. pag. 46. itemque reperitur hoc anno Caroli imper. Augusti secundo in charta LXXIII. pag. 67. & anno III. Caroli regis post mortem patris sui Ludovici ch. LXXIX. pag. 71. Retinuit vero titulum, magno cœnobii commodo, usque ad annum 883. quo senio & incommodis affectæ valetudinis gravatus, præfectura cessit, imperatore Carolo (Crasso) permittente; indeque in solitariam monasterii possessionem se recepit, in quo tandem secessu diem ultimum clausit X. cal. Febr. atque in cœmeterio S. Galli ad ecclesiam S. Petri conditus est.

XIV. Bernardus, *seu* Pernhardus, *Sereneus* dictus, ob generis, ut putant, dignitatem, unanimi sodalium voto, ipsoque Carolo imperatore annuente, in abbatem delectus est, ordinatusque circa finem anni 883.* sexta feria VIII. idus Decembris indictione I. anno vero Caroli imperatoris tertio, teste Ratperto monacho in libro de casibus sancti Galli, qui liber in Bernardi ordinatione desinit. An. 885. indict. III. Ratholtum Veronensem episcopum in suffragiorum conventus communionem suscepit; quo etiam anno indict. IV. mutuam orationum communionem instituit cum Friderico Morbac abbate & cum Wichrammo abbate Rhinaugiæ indict. III. Sedit Bernardus anno V. Caroli imperatoris, feria sexta III. idus Novembris, hoc est 886. ex charta apud Goldastum, tom. 3. rerum Alamann. pag. 73. ac tom. 2. pag. 43. & anno I. Arnulfi imperat. hoc est 888. *ibid.* pag. 149. Et quidem interea omnium votis & exspectationi optime respondit, qui nihilominus regia auctoritate dejectus est, quod Berengario Fori-Julii duci contra Arnulfum ejus æmulum favere videretur. Hoc autem contigisse fertur, aliis melius an. 890. & aliis 891. Dies obitus ejus notatur V. idus Junias a Joachimo Vadiano, sed in Ephemeridibus notatur XIII. cal. Septemb.

* 884. ex *Hepidanno.*

XV. Salomon de Ramschwag clericus Palatinus, apud Sancti-Gallenses educatus, & ab Isone S. Galli monacho litteris imbutus, indeque monachus factus in eodem loco sub Bernardi præfectura, & mox in aulam, abbatis sui permissu, revocatus, in pristinos restituitur honores, novosque adipiscitur; nempe duodecim abbatias rexisse dicitur, in quibus fuit S. Galli monasterium, ab anno 891. ex Hepidanno, quod præ omnibus aliis, cum spiritualibus, tum temporalibus rebus amplificandum curavit. Interea fit episcopus Constantiensis, nihilo tamen segnior in rebus S. Galli curandis, quarum conservationis causa etiam carcerem passus est anno 914. inquiunt Rhegino & Hepidannus; verum is a Sifrido patruele in libertatem brevi assertus est, reique capitis damnati fuerunt hujus facinoris auctores, reclamante quantumvis Salomone, qui Christiano vere animo adversariorum mortem deprecabatur. Se ipse vero, etsi pridem episcopus, abbatem solummodo nuncupat, vel præ modestia, vel quod de rebus S. Galli solum ageretur, in ch. LXXV. apud Goldastum, t. 2. rerum Alamann. p. 1. pag. 69. data die Lunæ id. Octobris, anno Incarn. Dom. 909.* regnante Ludovico rege anno X. sub comite Adalberone. Vocatur autem Salomon episcopus & abbas S. Galli in charta cujusdam cum rogantis, ut sibi cum consensu fratrum quamdam terram permutare liceret. Data est hæc charta numero XX. apud eumdem Goldastum, pag. 42. anno Dominicæ Incarn. 902.ª anno vero tertio regis Ludovici, idus Februarias die Mercurii, *lege* IV. idus. Item se ipse vocat Constantiensis ecclesiæ episcopum & abbatem monasterii S. Galli in charta XXI. *ibid.* qua cum consensu fratrum & advocati monasterii Amalungi nonnulla permutat

* *legendum forte 910. vel VII. idus.*

ª Circa hoc tempus (903.) Emezo abbas & Arolf advocatus S. Galli quamdam precariam firmaverunt, *die Martis IV. nonas Octob. sub potestativa manu Ludovici regis & pueri, & sub Adalberto comite.* Ch. LXXVI. pag. 69. apud Goldastum, tom. 2. antiq. Alamann. p. 1.

die Lunæ x. cal. Junii anno tertio Conradi regis, hoc est an. 914. Denique obiit Salomon Constantiensis episcopus, eo nomine tertius, & abbas Sancti-Gallensis an. 920. in vigilia Epiphaniæ; quod Hepidannus, aliique pro veteri more ad annum præcedentem referunt. Attamen in Ephemeridibus monasterii S. Galli legitur III. nonas Junii Salomon obiit episcopus & abbas; & ibidem VIII. idus Septemb. legitur: *Ex institutione Salomonis & abbatis datur præbenda de Golda fratribus in honorem S. Magni confessoris.*

XVI. Hartmanus & Hermannus antea decanus mox in abbatem assumtus, 921. ex Hepidanno, non ante annum insequentem confirmatus est. Ubi vero primum ad clavum rei monasticæ manum admovit, vitæ religiosæ studiis, ac disciplinæ monasticæ a patribus acceptæ totus addictus, vix unquam pro monasterii negotiis, etiam necessariis pedem foras extulit; unde factum est, ut rem familiarem moriens multum dilapsam reliquerit ac diminutam. Mortalem sarcinam deposuit an. 924. pridie calend. Octob. cum tres annos, menses decem, ac dies 19. in magistratu explevisset. Historiam sui temporis, quæ damno maximo intercidit, composuisse dicitur.

XVII. Engilbertus II. religione & prudentia clarus, rerumque agendarum peritissimus, in Hartmanni locum suffectus est an. 924. cujus ab Henrico rege probata est electio. Ipsius autem regiminis anno circiter secundo Hunni per Germaniam debacchantes monasterium S. Galli diripuerunt, cum prius tamen pretiosa quæque, monitu Wiboradæ reclusæ, in tuto posita essent. Subinde memoratur Engelbertus abbas anno regni Henrici undecimo; qui demum laboribus & valetudine attritus, ex communi patrum & Regis assensu pastoralem curam abdicavit an. 933. & anno vix expleto decessit idibus Augusti.

XVIII. Thieto successit v. cal. Nov. feria secunda, hoc est eodem anno 933. nec paulo post, celebrem cum episc. Constant. Conrado fraternæ dilectionis societatem instituit. Sub quo etiam abbate an. 937. VI. cal. Maii in feria IV. horrendum incendium totum monasterium deformavit; unde plerisque monachis hac illacque dilapsis, ingens disciplinæ jactura facta est, & excitatæ turbæ, quibus demum Thieto plus nimio fessus, satis egit, ut Cralo in ipsius locum eligeretur. Dies obitus ejus notatur VIII. idus Aprilis.

XIX. Cralo decessoris frater & ejus loci alumnus* eligitur in abbatem ultima die Maii feria III. an. 942. & Otto imperator electionem approbavit. Dein tertio post anno mutuam suffragiorum societatem cum Augiensibus monachis, ante centum quadraginta quatuor annos initam renovavit, eique nonnulla insuper adjecit, ac idem fecit cum Conrado episc. Constantiensi. Verum postea, fratrum instinctu eum detestantium, ob severiorem, ut ipsis videbatur, disciplinam, e præfectura dejectus est an. 953. a Liutolfo Ottonis Magni filio, subinde tamen restituendus.

* decanus, ex annal. Sangall.

XX. Anno ipsius Cralonis frater, & monachus, in ejus locum intruditur a prædicto Liutolfo, vir infulis certe dignissimus, si legitimus fuisset ingressus. Et certe hic intra breve spatium præfecturæ, id est unius anni cum duobus mensibus, admiranda celeritate vallum & fossas cum turribus tredecim loco circumdedit. Quamobrem Sangallensis urbis initia ipsi accepta referuntur a Bucelino, sub annum 953. E vivis excessit anno seq. 954. calendis Dec. cum sedisset anno uno, mensibus duobus & hebdomada * una.

* al. diebus XVI.

XXI. Cralo post obitum fratris Annonis, ægre licet, Udalrici Augustensis episcopi industria munus abbatiale repetiit, ac denique mortem oppetiit Herisovii an. 959. IV. cal. Martias, hoc est 958. uti modo computamus, cum paulo ante Ekkehardo decano omnem abbatiæ administrationem commisisset, mortique proximus fratres, ut illum sibi substituerent, monuisset. Honorifica in monasterio sepultura donatus est.

XXII. Ekkehardus antea decanus, ac nuper etiam, volente Cralone, abbatiæ administrator, ejusdem Cralonis consilio post ipsius mortem in abbatem revera electus est, sed dum ab Ottone apud Anglos agente electionis confirmationem expectat, casu accidit ut tibiam pedemque confregerit, quibus non recte coagulatis cum claudicaret, electionem suam omnium fratrum consensu in Burchardum unanimem suum transtulit. Unde vulgo inter abbates non recensetur.

XXIII. Burchardus I. de Buochorn, cognomento *Ingenitus*, quod ex mortuæ matris Weindilgardæ Henrici regis ex filia neptis utero excisus esset, *vir nobilis* Hepidanno, *ex antiquorum regum prosapia ortus, sapiens & pulcher, & decorus aspectu*, cum jam ante Ekkehardum per unius anni spatium monasterii decanus fuisset, ipso magistratum resignante, abbas renuntiatus est, cum assensu regis Ottonis, anno saltem 958. quo jam occurrit in chronico Hepidanni, vir certe in divinis sedulus, providus in suos & largus ad egenos. Sub quo tamen, Ruodmanno, seu potius Eggehardo Augiensi abbate nequiter agente apud Ottonem imper. juridica monast. S. Galli an. 968. facta est visitatio, sed illa vertit in gloriam abbatis & monachorum, ut in S. Conrado episcopo Constantiensi dictum est. Legitur autem adfuisse *mallo* in Nuferen Turgoviæ anno regis Ottonis XXVII. Reperitur etiam Burchardus eos inter præsules, quibus consultis Leo pseudo-pontifex an. 964. IV. idus Novemb. factam cœlitus consecrationem sacelli B. M. Heremitarum ratam & certam esse voluit & declaravit. Burchardus tandem senio fessus abdicavit an. 972. Ottone Magno superstite; cumque in cellam, quam perangustam in loco, ubi olim constiterat S. Gallus, sibi condiderat, recludi sibi per episcopum non liceret, in locum emeritis abbatibus concessum secessit, ibique fato functus est an. 977.* XVI. cal. Aug. ita Joachimus Vadianus, quod alii tribuunt Burchardo II. at fortasse Burchardo I. assignanda dies secunda ante nonas Junii, ut in Ephemeridibus monast. S. Galli. Ceterum episcopus Conradus Burchardum ante ostium capellæ, quam ipse *hæc requies mea* vocabat, solemniter sepelivit, cujus sepulcro additum est hoc epitaphium ænigmaticum:

* Mabillon. ad hunc an.

Tres habui matres, tamen haud ſum natus ab illis.
Ex quibus oſſa dedit prima, ſecunda * *cutem.*
Tertia me tumulat. Sed res miranda! priuſquam
Me pareret mater, jam tumulatus eram.

* Arvina porci recens eruta, qua infans exciſus ut incuteſceret, involutus eſt. Vide lib. Ekkehardi Junioris apud Goldaſt. tom. 1. rerum Alamann. p. 79.

XXIV. Notkerus, Notkeri monachi & medici ex ſorore nepos, curante Burchardo anteceſſore, Ottonis II. non fratre, ſed cognato, in ipſius locum eligitur, & ab Ottone Magno confirmatur, cujus ordinatio facta dicitur an. 973. xv. cal. Julii. Hic oppidum S. Galli firmioribus occluſit muris, familiamque ſuam, id eſt ſervos, in qua centum ſeptuaginta capita numerabat, puri tritici granis ali voluit, cum antea pane tantum avenaceo veſcerentur. Eo demum abbate locus omnium rerum copia & ſpiritualibus deliciis abundaſſe traditur. Vivere deſiit an. 977.* xviii. cal. Jan. paulo ante Burchardum deceſſorem; cum, ut fertur, pſalmos Davidis & librum Job in linguam Alamannicam tranſtuliſſet, ex Goldaſto, tom. 2. antiq. Alamann. p. 2. pag. 199. ubi Notkerus cognominatur *Labeo*.

* male 981. ex Hepidanno.

XXV. Immo, *ſive* Hymno, quem Hepidannus ordinatum fuiſſe abbatem an. 982. perperam tradit, ſucceſſit eo tempore, quo inter Ottonem imperatorem & nepotem ejus Henricum Bajoariæ ducem gravis de regno contentio orta eſt, inquit Burchardus S. Galli monachus, qui res illius monaſterii poſt Ekkehardum juniorem perſecutus eſt. Id autem an. 977. accidiſſe Hermannus, aliique propiores illorum temporum ſcriptores tradunt. Jam vero ab Ottone imperatore confirmatus, non modo temporalia recte adminiſtravit, ſed etiam regularis vitæ diſciplinam optime informavit. Dies obitus ejus notatur iv. cal. Nov. annus vero 984. cum annis octo rexiſſet.

XXVI. Udalricus I. baro a Bottſtetten ſucceſſit an. 985. teſtante Lamberto Scafnaburg. vir nulla re inſignis præterquam quod illam fecit capellam, in qua ſepulcrum Domini maximo ſtudio auro & coloribus ornatum poſitum eſt. Defunctus eſt an. 990. ex Mabillonio, & fortaſſe xiii. calend. Junii, quo ipſo anno deceſſorem obiiſſe tradit Hepidannus, & hunc 996.

XXVII. Kerhardus, *ſeu* Gerardus in annos undecim monaſterio præfectus eſt, magno diſciplinæ regularis damno, quam ille omnino labefactavit; qui ſolum id boni feciſſe dicitur, quod monaſterii privilegiorum confirmationem ab Ottone III. impetravit. De cetero non modo rem familiarem attrivit ac diſſipavit, ſed etiam perditæ vitæ exemplo juniores ad ſuas partes pertraxit, ac depravavit; quos ut facilius ſibi devinciret, eos præcipuis monaſterii officiis præfecit. Demum exſtinctus eſt an. 1001.* ex Mabillonio, & quidem 19. Junii ex Bruſchio, & xi. cal. Junii, ex Joachimo Vadiano.

* 1006. ex Hepidanno.

XXVIII. Burchardus II. Ekkehardi ſenioris nepos, vir nobilis ac pius, in Gerardi locum ſublectus, huic omnino abſimilem ſe præbuit; vitiatam enim diſciplinam regularem ad priſcum vigorem correxit, vetera damna reſarciit, cœnobii commoda in omnibus promovit, ſacram eccleſiæ ſupellectilem Immonis exemplo multum auxit, ſtudia reduxit, ac denique ubi diſcordia & contentiones prius vigebant, pacem & concordiam revocavit. Obiit ex peſtilentia in comitatu Henrici imperatoris in Italia an. 1022.* cujus cadaver ad caſtrum Franckenminſter deportatum, ibidem in medio eccleſiæ collegiatæ humatum eſt. In veteri codice S. Galli legitur epitaphium Purchardi, *ſeu* Burchardi minoris abbatis, qui ſexto-decimo calendas* Auguſti obiiſſe memoratur; ita Mabillonius.

* male 1028. ex Hepidanno.

* al. v. idus Aug.

XXIX. Theobaldus, Thiebaldus, Thiepaldus & Diepaldus, vir pius ac mitis, fratrumque ac pauperum amator, & rei familiaris optimus adminiſtrator, Burchardo in undecim annos ſubrogatur; qui demum interiit an. 1034. non 1040. ut habet Hepidannus. Ejus vero dies obitus notatur vii. idus Jan.

XXX. Norpertus de Staſile diſcipulus ſancti Popponis abbatis Stabulenſis Theobaldo ſucceſſit. Is eſt Norbertus, quem in vita S. Popponis num. 33. legimus datum abbatem *ad S. Gallum verſus alpium juga*. Ex quo etiam manifeſtum eſt, eumdem S. Popponem huic abbatiæ, uti pluribus aliis, quas ſuis legibus informavit, præfuiſſe. Vide ad diem 25. Januarii Bollandiani. Ceterum Norpertus fratrum ac religionis amans, præbendam eorum auxiſſe dicitur, & S. Wiboradæ, de qua ſuperius, cultum, auctoritate ſedis apoſtolicæ promoviſſe. Jura vero ſui monaſterii tam ardenter propugnavit, ut cum Rumoldo Conſtantienſi epiſcopo prælia conſeruerit jam ſenex. Ejus etiam tempore fuit ager, qui hodie Abzellanæ ditionis eſt, unus ex tredecim Helveticis pagis, ad paucos redactus colonos, qui omnes monaſterio S. Galli obnoxii erant, unde & *Abba-cellæ* inditum nomen eſt. Auctis tantiſper incolis, Nortpertus abbas in illo *novali loco*, qui *Abba-cella* ab eo nuncupatur, baſilicam exſtruxit, dotavitque, & eam a Thietmaro Curienſi epiſcopo dedicari curavit. Nortperti hac de re charta facta eſt an. 1061. ind. xiv. anno quarto Henrici regis, ſeu Romanorum imperatoris. Poſtea vero illius agri incolæ anno 1452. finitimis populis in ſocietatem conductis, in pagum Helveticum coierunt. Grandævus demum Nortpertus abbatiam reſignavit, ſuperſtes aliquibus annis, ait Burchardus monachus ſancti Galli libro de caſibus ejuſdem loci; at fortaſſe legendum aliquibus diebus vel menſibus, ſi vere deceſſit ex Mabillonio anno 1072. in pervigilio S. Remacli, cujus feſtum ſolemni ritu apud S. Gallum celebrari præceperat. Nam aliunde conſtat ex prologo vitæ S. Wiboradæ, auctore Hepidanno S. Galli monacho, Udalricum ſucceſſorem ad regimen vocatum fuiſſe hoc anno 1072. *cum bonæ memoriæ*, inquit, *abbas Nortpertus tunc triginta & octo annis ſuper ovile S. Galli vigilaret.* Ceterum ejus memoria recolitur in necrologio S. Galli iv. nonas Septemb. his verbis: *Iſte primus inter abbates anniverſarium ſuum inſtituit, ordinavitque dari vinum, piſces, caſeum, ova & piſa & majorem panem de Huſin, & die ſequenti eadem de Utiwillere.* Et

Goldaſt. C.lxxxvii. pag. 74.

quod quidem notatu dignum est, legimus apud Goldastum antiq. Alamann. t. 2. p. 2. pag. 189. Nortpertum pro suo anniversario assignasse aliqua bona in usum fratribus die S. Paschæ ministranda.

XXXI. Udalricus II. ex præposito monasterii, non solum amabili Nortperti decessoris præceptione, verum etiam communi fratrum electione, ejusdem successor effectus est anno 1072. Ipsa sunt verba Hepidanni in prædicto vitæ S. Wiboradæ prologo, quam Udalrici jussu accuratam, eidem postea dicavit. Fuit bonus œconomus, sed nulla alia re gesta insignis, quippe cui monasterio non toto quinquennio præfuit, *al.* tamen rexisse dicitur annos 5. menses 4. & dies 28. & obiisse VI. cal. Febr.

XXXII. Udalricus III. Marquardi Carinthiæ ducis filius, mortuo apud S. Gallum Udalrico II. ab Henrico rege cognato suo abbas constitutus est contra Liutoldum ejus loci monachum a Rudolfo Sueviæ duce contra Henricum electo rege, reluctantibus ceteris monachis, substitutum. Habuit etiam æmulum Wernherum quemdam Divitis-Augiæ monachum, quem an. 1083. præfecerat Hermannus Lutzelburgensis comes ab hostibus Henrici IV. designatus imperator. Sed uterque ab Udalrico victus est; de quo narratur, quod ex urbe Aginno reliquias S. Fidis attulerit, & in ejus honorem ecclesiam construxerit, qui deinde an. 1086. patriarchatum Aquileiensem obtinuit, nec tamen abbatiam dimisit. Denique cum inter molestias pene continuas, & bella atrocissima annos 46. & tres menses rexisset, ait Burchardus, lib. de casibus monast. S. Galli, mortuus est an. 1112.* ex Ughello, tom. 5. Italiæ sacræ, pag. 57. *al.* ex Bruschio 1117. mense Decembri, sive, ut alibi legimus, idibus Decemb. *al.* IV. nonas Apr. cum abbatiæ Sangallensi quadraginta pene annis præfuisset. Is autem videtur esse Wolricus patriarcha, cujus fit commemoratio nonis Octob. in Ephemeridibus, itemque idibus Dec.

* *f.* 1111.

XXXIII. Manegoldus de Bolstein; *al.* de Bottsteten juvenis & nobilis monachus,* rejecto Henrico Twielensi, sive de Duello, quem præpropere pars fratrum elegerat, ipseque imperator Henricus confirmaverat, ab altera fratrum parte, duce Conrado de Zeringen favente, electus est, & ab eodem imperatore confirmatus, postquam tamen, inquit Bruschius, ex sententia Burchardi, utriusque electionem cassam & irritam declarasset. Undecim vero & amplius annis Manegoldus abbatiam rexit, cujus dissipatas possessiones recuperare pro virili laboravit. Eum quoque Bruschius mortuum tradit post undecim annos regiminis, & quidem an. 1128.* sepultumque in sacello sancti Oswaldi; alibi tamen legimus ante januam ecclesiæ S. Galli tumulatum, cujus etiam obitus dies notatur calendis Maii in Ephemeridibus monasterii S. Galli.

* decanus ex chronologia Joachimi Vadiani.

* *melius* 1132.

XXXIV. Werinherus, *seu* Wernerus, nutritus primum a Gebezone monacho, cujus obitus dies notatur nonis Martii in Ephemeridibus prædicti monast. cum demum ejusdem cœnobii custos evasisset, Manegoldo e vivis sublato, in ejus locum sublectus est & a Lothario imperatore confirmatus. Sub hoc abbate Henricus de Twiele ante annos aliquot ex abbatia dejectus, ad S. Gallum e Zwifaltensi monasterio, ad quod se receperat, revocatur, & ibi præpositus efficitur. Wernerus autem abbas initio sui regiminis suos ad vitæ honestioris tramitem studuit revocare, sed frustra; cumque suis temporibus monasterium esset opulentissimum, ut scribit Otto Frisingensis, ante muros Sangallenses præposituram S. Leonhardi, pro regularibus aliquot canonicis, suis sumtibus exstrui curavit, dotavitque. Tum etiam ex arce Ittingensi puellare cœnobium fecit & collegium duodecim canonicorum Regularium. Anno 1145. precum societatem cum Frideloo Augiensi abbate renovavit. Testis est in bulla Friderici I. imperatoris de limitibus diœcesis Constantiensis an. 1155. indict. IV. quinto cal. Septembris anno 1. ejus imperii; & iterum in privilegio ejusdem Friderici pro monasterio Creutzlingensi anno 1162. ac denique obiit die 6. Julii an. 1166. ex Bruschio, *al.* 1167. V. idus Maii, postquam annis 38.* præfuisset. Sepultus jacet ante januam S. Galli ad caput decessoris sui Manegoldi.

* *l.* 34.

XXXV. Ulricus, *sive* Udalricus IV. de Tegernfeld, in agro* Tigurino natus, eodem anno eligitur abbas ex præposito & a Friderico Ænobarbo confirmatur. Vir fuit modestus, misericors & ecclesiæ suæ providus dispensator, ob quas haud dubie dotes, quarto circiter regiminis anno ad Curiensem episcopatum promotus est; quem cum octo annis per electionem tantum tenuisset, in concilio Alexandri papæ anni 1179. optione data, utram earum dignitatum vellet accipere, quia ambabus secundum canones præesse non potuit, abbatiam ex devotione elegit. Ad claustrum ergo reversus res abalienatas ab antecessoribus suis studuit recolligere; & ut omnia uno verbo complectar, fratres dilexit, eorumque præbendam auxit; nec solum ad suos opera misericordiæ extendit, sed etiam ad extraneos, orphanos scilicet, pupillos & viduas, quibus eleemosynarum largitione subveniebat, & ad fratres & sanctimoniales inibi degentes, quos in ædificiis & vestimentis sustentabat; qui vix etiam sibi vicinum habuit cœnobium, cui calicem argenteum non exhibuerit. Ita fere Burchardus, lib. de casibus monasterii sancti Galli, sed aliter Bruschius, qui vitio superbiæ vertit, quod de Curiensi episcopatu diximus. Ceterum anno 1188. societatem precum & suffragiorum cum Conrado Sabinensi episcopo & archipræsule Moguntino renovavit; cumque jam triginta tribus annis abbatiam rexisset, ex Burchardo,[a] eam suo præposito transcripsit, cum assensu totius conventus anno 1199. pridie nonas Febr. & obiit pridie idus Aprilis, ex Joachimo Vadiano; at in Ephemeridibus legitur, *nonis Octob. commemoratio Wolrici abbatis hujus nominis quarti.*

* *al.* in comitatu Badensi.

[a] *al.* Nempe apud Joachimum Vadianum, adduntur hebdomadæ XX. & dies IV. itemque apud Conradum de Fabaria, sed hic unum detrahit annum.

XXXVI. Udalricus V. de Veringen, tunc

cœnobii præpositus, ipso die cessionis Udalrici IV. electus est, pridie scilicet nonas Febr. anno 1199. & ante annum evolutum, ut ait Bruschius, sive post 49. hebdomadas & unum diem, ut alii, subita morte interiit XVIII. cal. Febr. non mediocri cœnobii commodo, cujus bona immoderato luxu dilapidabat.

XXXVII. Henricus I. baro de Klingen Udalrici IV. cognatus, ex præposito electus abbas anno 1200. XVI. cal. Febr. & a Philippo imperatore confirmatus, præfuit quatuor annis, quibus oppignoratas curtes pro 200. marcis ab antecessore feliciter redemit. Immatura morte præreptus est an. 1204. mense Nov. ex Bruschio, *al.* XVII. cal. Januarii, ex Joachimi Vadiani chronologia, & Ephemeridibus S. Galli, postquam rexerat annis 4. hebdomadibus 48. & quatuor* diebus.

* *al.* 3.

XXXVIII. Udalricus VI. baro de Alto-Saxo, apud S. Gallum a pucro educatus, diu Parisiis & Bononiæ litteris operam dedit, quibus insigniter excultus, tandem ex portario, *al.* portenario anno 1204. XV. cal. Jan. in abbatem omnium consensu eligitur & a Philippo Cæsare confirmatur. Hic primus exstitit, quem veteres chartæ principem vocant, qui missus aliquando Romam ab aliquibus principibus, ibi ab Innocentio pontifice infula quoque primus abbatum coronatus est. An. 1207. indict. X. septimo idus Octobris villicationis officium in Tiuffenbach, ad preces Henrici decani, præbendæ fratrum conferens, cellerario ejusque successoribus tenendum constituit, ut ex perceptione redituum ipsius officii, decem solidorum adminiculo a prædictæ curiæ hominibus exhibito, per eum fratres singulis annis in festo S. Thomæ pontificis & martyris pleni servitii reciperent consolationem. Sub annum 1208. bellum gessit contra Wernherum episcopum Constantiensem ob castrum & oppidum Rhineck. Iterum vero Udalricus abbas mortuo Innocentio Honorium successorem pro regni negotiis adiit. Memoratur adhuc annis 1219. & 1220. in chartis apud Goldastum, t. 2. antiq. Alamann. p. 1. pag. 72. & p. 2. pag. 190. ac proinde non est mortuus anno 1219. ut ait Bruschius, apud quem dies obitus notatur 22. Sept. *seu* X. cal. Oct. in Ephemeridibus monasterii, apud Goldastum, *al.* IX. cal. ex Bertholdo monacho & Joachimo Vadiano, quibus concinit Conradus de Fabaria, dum notat ejus diem anniversarium in festo S. Theclæ celebrari, apud eumdem Goldast. Rexisse vero dicitur annis 15. cum hebdomadibus 40. & ante S. Othmari ædem sepulturæ locum accepisse.

Goldast. antiq. Alaman. tom. 2. part. 2. pag. 189.

Id. rerum Alamann. tom. 1. p. 1. pag. 133.

XXXIX. Rudolfus I. baro de Guttingen, antea successive præpositus, decanus, atque cellerarius, tandem electus in abbatem, sed non ante annum 1220. ex dictis, etiam episcopatum Curiensem consecutus est in compensationem expensarum, quas pro fratre suo Alberto ad hanc sedem in discordia electo fecerat, cum jam uterque æmulus obiisset; sed mox non nisi dispensatorie abbatiam obtinuit. Memoratur autem abbas solummodo in charta donationis factæ a Rudolfo de Rorsbach an. 1225. qui deinde qua episcopus & abbas ecclesiam

Goldast. t. 2. antiq. Alamann. part. 2. pag. 190.

A S. Leonhardi dedicavit V. nonas Maii, itemque duas cryptas apud S. Gallum, XII. videlicet apostolorum & Omnium SS. XI. & X. cal. Octobris. Obiit Romæ, substantiæ monasterii decoctor, an. 1226. & quidem die 17. Sept. ex Bruschio, 18. sive XIV. cal. Octob. ex Bertholdo monacho, & Ephemeridibus monast. S. Galli, vel denique XIII. cal. ex Joachimo Vadiano, cum præfuisset, inquit, annos septem præter dies sex. Jacet in ecclesia majori S. Johannis Lateranensis.

XL. Conradus I. baro de Busnang electus in abbatem ex præposito 1226. & Uberlingæ confirmatus ab Henrico Cæsare, Friderici II. filio, B cujus etiam consiliarius & ministerialis effectus est, eodem anno memoratur in charta donationis factæ a Conrado Gielone de Glatteburc. An. 1228. ab Henrico prædicto Cæsare curtem ad Cressarum in valle Rheni cum suis omnibus appenditiis ob sua illi servitia impensa dono accepit, necnon & alia plurima dum rexit, frequentius in aula conversatus quam in claustro. Obiit tamen apud S. Gallum, multum laudatus a Conrado de Fabaria, contra vero suis omnibus exosus propter superbiam atque tyrannidem, ex Bruschio. Rexit autem autem annis 13. hebdomadibus * 10. diebus 2. ex Conrado de Fabaria & Bertholdo C monacho, ac tandem mortuus XIII. cal. Jan. an. 1238. *vel* 1239. sepultus est in monasterio Sabenswilensi*, uti ante obitum expetierat. De quo sic in Ephemeridibus monasterii S. Galli ad diem prædictam XIII. cal. Jan. *Obitus Cwonradi abbatis de Busnanch, in cujus anniversario datur vinum, pisces, caseus, minor panis, de XX. ovibus moneta.*

Ibid. pag. 192.

* *mensibus X. ac XII. diebus, ex Joachimo Vadiano.*

* Ex Bruschio. *al.* Salemitano ord. Cisterc.

XLI. Walterus de Truttberg, *al.* de Truchburg, *vel* Druthpurg, antea decanus operis, non sine discordia in abbatem electus, postea tamen Ravenspurgi confirmatur a Conrado Friderici II. imp. filio. Rexit annis quatuor, & 48. hebdomadibus; ac deinde abbatiam resignavit, quod D nollet bellum gerere contra comitem Dockenburgensem se fortiorem, qui sibi oppidum Wilense an. 1239. eripuerat; moxque Fratrum Prædicatorum ordinem ingressus est VIII. cal. Dec. an. 1244. ind. III. (a Septembri mense inchoata) ex Bertholdo monacho, vel 1245. ex Bruschio.

XLII. Bertholdus baro de Falckenstein, oriundus ex Hercinia Silva, cum esset portarius monasterii, postridie introitus decessoris in ordinem Prædicatorum, die scilicet festo S. Catharinæ concorditer in abbatem electus est an. 1244. & ab Henrico rege Thuringiæ, tum in Suevia pugnante contra Conradi socios confirmatus. E Hoc autem ipso anno bellum habuit cum Hermanno Dockenburgensi comite; quo etiam anno gravis controversia, quæ vertebatur inter Conradum abbatem Fischingensem & nobilem equitem Conradum a Waldegg. mediantibus Henrico I. episcopo Const. & Bertholdo abbate S. Galli sopita est in arce Tannegga. Sub annum vero 1260. mille stipatus equitibus, erat in comitatu Waltheri Argentinensis episcopi suam festive urbem ingredientis. Anno Domini 1262. in festo S. Columbani quoddam statutum decani & conventus approbavit; idemque præstitit ann.

Goldast. antiq. Alamann. t. 2. part. 2. pag. 189. 191. & 192.

1268. & 1269. quem ex charta XCVIII. apud Goldastum antiq. Alamann. t. 2. p. 1. pag. 80. intelligimus sub finem vitæ in Hispaniam profectum fuisse. Hunc autem Bruschius mortuum tradit an. 1271. sed perperam, quandoquidem adhuc memoratur an. 1272. feria sexta III. nonas Junii. Præfuit annis 27. mensibus sex, hebdomadibus 2. ac diebus 2. & quidem laudabiliter ex Bertholdo monacho, aliter Bruschio, annis vero totidem, sed mensibus decem, diebusque 27. ex Joachimo Vadiano, qui notat ejus obitum an. 1272. IV. idus Junii; ita etiam Ephemerides.

Ibid. pag. 193.

XLIII. Udalricus VII. de Guttingen ab una parte fratrum eligitur & ab altera Henricus de Wartenberg, de cujus electione videnda est charta XCVIII. apud Goldastum antiq. Alamann. t. 2. p. 1. pag. 79. & isto Arbonæ post biennium defuncto, substituitur Rumo, *seu* Rumaldus. Verumtamen vicit Udalricus, *sive* Ulricus, quo nomine vocatur *electus S. Galli* anno 1273. in charta Rudolfi I. imperatoris pro Spirensibus, ex probationibus hist. Palatinæ, pag. 79. Præfuit autem non sine difficultate quatuor annis, mensibus decem,[a] hebdomadibus quatuor, totidemque diebus, ex Joachimo Vadiano, qui notat ejus obitus diem XIII. *vel* XV. cal. Martii. Sepultus est in ambitu monasterii, loco, quo itur ad templum.

[a] Octo, absque hebdom. & diebus, ex Bertholdo monacho, & Bruschio; tribus autem annis & mensibus septem ex Conrado de Fabaria.

XLIV. Rumo *seu* Rumaldus de Ramstein, sub Bertholdo abbate fuit camerarius ordinis, dein custos, ac postea præpositus & decanus, tandemque jam concordibus omnium votis electus est in abbatem an. 1275. ex Bruschio, *melius* 1277. Rexit annos quinque minus decem hebdomadibus, & cum ipse metueret exauctorationem, quippequi cum toto suo conventu invisus erat Rodolfo imperatori, abbatiam sponte dimisit an. 1281. Notatur ejus obitus dies XIII. cal. Sept. sub quo cœpit S. Catharinæ monialium collegium, quod erat tum apertum, ait Bruschius, intra muros Sangallenses.

XLV. Guillelmus de Monte-forti in abbatem cooptatus an. 1281, vir, inquit Bruschius, mire irrequietus, & multarum seditionum bellorumque auctor, de quibus vide Stumphium chronic. lib. 5. honore suo dejicitur 1287. intruso Conrado a Gundelfingen Campidonensi abbate, a Rudolfo Cæsare, post cujus tamen obitum pristinæ dignitati an. 1291. restitutus est; quanquam interea legitur abbas 1288. charta IV. apud Goldastum, t. 2. antiq. Alamann. part. 1. pag. 36. Denique obiit an. 1301. cum tam extra, quam intra gubernationem præfuisset, aut certe nomen abbatis sustinuisset, annis viginti, ait Bruschius, minus vero septem hebdomadibus, inquiunt Conradus de Fabaria & Joachimus Vadianus, qui diem ejus obitus consignat III. idus Octob. legitur autem IV. idus in Ephemeridibus S. Galli.

XLVI. Henricus II. de Ramstein, antea portæ Sangallensis præpositus, abbatialem dignitatem consequitur ex Bruschio an. 1299. *lege* 1301. homo primum temerarius, insignisque tyrannus, tum vero in senectute pacificus & optimus œconomus; sub quo conflagrarunt oppidum & monasterium S. Galli, sex tantum domibus intactis, an. 1314. ex annalibus Heremi. Præfuit annos 19. ex Bruschio, annos vero tantum 17. & novem menses, ex Conrado de Fabaria & Joachimo Vadiano, quos, ut videtur, repetunt ab an. 1301. Nam & Bruschius & hic Joachimus mortem ipsius notant an. 1318.* ætatis ejusdem nonagesimo; dies vero apud Joachimum notatur XI. cal. Augusti. Jacet prope Wilhelmum abb. ad iconem Virg. Mariæ ante Nigram capellam.

* al. 1319.

XLVII. Hildeboldus de Werdenstein vir nobilis, liberalis, pacisque studiosus, adhuc tantum diaconus, eligitur an. 1318. qui demum apoplexia percussus, & etiam rationis factus expers, obiit an. 1329. cum annis pene 12. præfuisset, ex Bruschio, annis XI. hebdomadibus XVIII. ac diebus IV. ex Conrado de Fabaria, diebus vero XIV. ex Joachimo Vadiano, qui diem obitus ejus consignat pridie idus Decembris.

XLVIII. Rudolfus II. de Monte-forti, præsul Constantiensis, cum tunc essent tres electi, ait Bruschius, duo tantum, ex annalista Heremi, Ulricus scilicet Ende præpositus, & Bertholdus de Falckenstein, uterque baro, his pariter repulsam passis, electus est, rexitque summa cum laude quatuor annis,* mensibus quinque, tribusque diebus, solo præfecti nomine contentus, ac tandem cessit anno 1333. *vel* 1334.

* Conradus de Fabaria & Bruschius quatuor annos simpliciter habent.

XLIX. Hermannus de Bonstetten custodis officio fungens apud Heremum, in abbatem S. Galli eligitur anno circiter 1333. cumque annis 27. ex Bruschio, 26. & mensibus quinque, ex annalibus Heremi, 28. vero & mensibus quinque ex Joachimo Vadiano, præfuisset, mortem oppetiit an. 1360. X. cal. Septemb.

L. Georgius baro de Wildenstein & Wartenberg, S. Galli monachus & Ebringæ in Brisgoia præpos. annis novemdecim in præfectura exactis, ex Conrado de Fabaria, quibus septem menses & dies 28. adjungit Joachimus Vadianus, e vivis excessit pridie calend. Aprilis anno 1379.

LI. Cuno baro de Stofflen anno 1379. bellum habuit cum Abbacellensibus apud Helvetios suis *vassallis*, a quibus captus 1405. nonnisi post tres annos certis conditionibus suæ dignitati restitutus est. Anno 1388. ecclesiam Vasserburgensem cœnobii sui mensæ adjunxit; cui unioni cum sese comites ejus loci opposuissent, a Burchardo episcopo Const. ea conditione transactum est, ut aureos nummos Rhenenses mille quingentos ab abbate acciperent, ecclesiæ redditibus interim pro sorte ipsi & annua usura oppigneratis, donec prædicta summa numeraretur, quam Udalricus postea ejus nominis postremus abbas solvit & numeravit Constantiæ an. 1461. Obiit Cuno an. 1411. XIV. cal. Nov. cum præfuisset annos 32. menses sex & dies 19.

Goldast. rerum Aleman. tom. 3. pag. 59.

LII. Henricus III. baro de Gundelfingen, ob conventualium defectum eligitur a monasterii *vassallis* & a fratre quodam converso an. 1412. quia nemo volebat suscipere loci tot dissensionibus occupati

occupati gubernationem, & a summo pontifice confirmatur. Erat quidem vir doctus, sed rudis omnino circa temporalia; quamobrem in concilio Constant. a suis fratribus accusatus, quasi negligens rerum monasterii administrator, abbatiam ipsi concilio dimisit anno 1417. cum præfuisset annis quinque ex Bruschio, septem habent cum dimidio Conradus de Fabaria, & Joachimus Vadianus, qui duos etiam dies superaddit.

LII. Conradus II. de Pigania a concilii patribus huic monasterio præfectus, cessit paulo post ob turbas Abbacellensium, ipsosque mores Sangallensium monachorum & Constantiam rediit. Ita Bruschius, eique tribuit Conradus de Fabaria decem regiminis menses.

LIII. Henricus IV. Misnensis, sive, ut ait Joachimus Vadianus, cognomento *de Mysnia*, ex Mangsdorffo & in Skolen ordin. S. Bened. præpositus, deficientibus jam monachis, mittitur ex concilio ab ipso Pontifice, precibus *vassallorum* cœnobii, eligiturque anno Domini 1418. qui cum adiret concilium Basileense, in itinere mortuus est Friburgi, sub cura medicorum ejus loci an. 1426. post annos septem, menses* sex, diesque 19. regiminis; cujus obitus dies notatur apud eumdem Joachimum Vadianum idibus Septembris. Sepelitur ad S. Blasium uti, petierat; quo cum aliquando multis post annis Diethelmus abbas S. Galli accessisset, hoc ejus tumulo apposuit epitaphium:

* fere sex mens. ex Conrado de Fabaria.

Inclyta Romani dum jam Constantia regni
Urbs celebrat synodum, conciliumque frequens,
Eligitur præsul, Galli qui regnet in aula,
Henricus quartus, dum fuerat synodus,
Misnia cui patria est, claro de stemmate Mansdorff,
Ingenio pollens & pietate simul.
Bis quatuor menses, totidem feliciter annos
Cœnobii curat commoda multa sui.
Hic cum jam variis virtutibus esset amictus,
Friburgi summum clausit in urbe diem.
Mandat & extrema faciens suspiria vitæ
Hocce tegi tumulo frigida membra sua.

LIV. Eglolfus Blaarer, *seu* Blarer, patria Constantiensis, e S. Blasii cœnobio in Hercinia silva, ubi jam pridem Priorem agebat, assumtus administrator ab Henrico decessore graviter decumbente, post ipsius mortem eligitur abbas 1426. Ornavit is monasterium, præcipue vero basilicam novis & eximiis structuris; cumque annos 16. ex Conrado de Fabaria, 17. ac tres menses ex Joachimo Vadiano præfuisset, obiit an. 1442. XIII. cal. Junii, seu die festo Pentecostes, ut scribit Bruschius.

LV. Gaspar de Breyten-Landenberg, *sive* de Lato-Landenburgo, monachus primum Divitis-Augiæ, dein Sangallensis, vir doctus, præcipue tamen pontificiarum legum cognitione clarus, mitis & urbanus, atque contentionum hostis, eligitur an. 1442. Hic an. 1451. fœdus perpetuum sanxit & juravit in arce Heremitarum Felicone cum Tigurinis, Suitiis & Glaronensibus, feria III. post Assumt. B. Mariæ Virginis. Verum postea seditiosorum fratrum apud Pontificem factione ab officio deturbatur an. 1458. quod litterarum, garriebant, studiosior esset, quam administrationis curarum, ita tamen ut ipse nomen abbatis retineret, alius autem rebus omnibus præesset. Constantiæ demum Gaspar obiit in ædibus fratris sui Hermanni a Landenberg, Constant. ecclesiæ decani, anno 1463. unde ad S. Gallum revectus, ibidem sepultus est præ foribus capellæ nigræ.

LVI. Udalricus VIII. Rosch, *sive* Rufus, de Wangen ex Algovia, cujusdam pistoris filius, idem, quem diximus jam an. 1458. ob eximiam dexteritatem ad res civiles & mundanas gerendas, rebus omnibus monasterii præesse jussum, abbas tandem an. 1463. electus est. Unde non nisi tanquam proabbas certam pecuniæ summam, de qua superius in Cunone L. abbate, solvisse anno 1461. dicendus est. Hic porro statim ab electione sua Romam perrexit, ibique a pontifice Pio II. confirmatus, inaugurationem accepit a cardinali Cusano 25. Martii an. 1463. *vel* 64. non vero 67. ut habet Bruschius. Roma reversus totum comitatum Dockenburgensem & alia multa suo monasterio acquisivit an. 1468. Idem an. 1487. præposituram ad lacum Acronium excitavit, quam suo nomine Roschachianam appellavit; ita quidem Bruschius, sed rem paulo fusius memorat Trithemius ad annum 1488. ubi vide. Udalricus denique in oppido suo Wyl, in quo jus gladii, & facultatem geminas ibidem celebrandi nundinas ab imperatore Friderico impetraverat, e vivis excessit an. 1491. ætatis suæ 65. cum præfuisset viginti octo annis,* atque in choro S. Galli magnificentius, quam ullus antecessorum, sepultus est, cum fama secundi fundatoris.

* minus sex hebdomadibus, ex Joachimo Vadiano.

LVII. Gothardus Giel a Glattburg ex vetustissima familia natus, vir humanissimus, electus est in abbatem an. 1491. qui statim profectus Romam, ibidem a Pontifice obtinuit confirmari. Roschachianum cœnobium, *seu* Tosacense a Sangallensibus civibus exustum reædificavit. Tumulum S. Galli refecit, auroque & argento sacra ejus ossa decoravit. Obiit denique in oppido Wilensi anno 1504. sed in claustro S. Galli sepultus est.

LVIII. Franciscus a Geisberg, Constantiensis cujusdam civis & militis aurati filius, electus 1504. 19. Aprilis, Romæ confirmatur a Pontifice maximo. An. 1521. cum Francisco Galliarum rege fœdus iniit, eique novem cohortes e S. Gallo in Provinciam auxiliares destinavit. Hydropicus vitam finivit an. 1529. sepultus ad S. Gallum in festo Paschæ; quo anno spoliata sunt templa Sangallensia ab Iconomachis Cinglianis.

LIX. Kilianus Germanus, *al.* German Kouffi, ex comitatu Dockenburgensi natus, antea Wilensis œconomus, eligitur 1529. apud Raperswylium prope lacum Tigurinum, vir egregiæ formæ & staturæ, mitis & humanus erga omnes omnium ordinum homines. Habitabat in oppido Wyl propter suorum temporum tumultus & mutatam in oppido Sangallensi religionem. Postea cum videret omnia ubique in doctrina mutari, Uberlingum secessit,

ubi ab episcopo Constantiensi inaugurationem accepit. Tum an. 1530. proficiscitur ad comitia Augustana, ubi coram Carolo V. imperatore pro virili egit, ut ea quæ amiserat recuperaret; sed inde rediens, misere periit in Brigantio fluvio* die 30. Augusti, maximo suorum luctu, cum post electionem vixisset quindecim mensibus & aliquot diebus. Sepelitur in Augia Brigantina, cum honorifico monumento lapideo, quod ei successor posuit, & proximo ad sepulcrum muro inseri curavit, cum hac inscriptione: *Hic sepultus jacet venerandus in Christo abbas Kilianus monasterii divi Galli, qui vitam in flumine Brigantino suam finivit an. 1530. III. cal. Sept. quando propter fidem a temporalibus suis atque spiritualibus bonis in exilium propulsus est.* Cujus anima *requiescat in pace.* Amen.

* al. Ach.

LX. Diethelmus Blaarer de Wartensée ex nobili & antiqua familia ad lacum Acronium natus, nihilo decessore inferior cooptatur in abbatem an. 1530. ætatis suæ 27. Hic sub annum 1532. invalescenti hæresi constantissime armis obnititur, & quidem tam feliciter, ut Sangallensi basilicæ ornamenta & cæremonias restituerit. Tosaci tandem loco suo natali defunctus est an. 1564. cui ad S. Gallum advecto Othmarus successor in Nigra-capella e vivo lapide cenotaphium posuit, cum hoc epitaphio chronographo:

an. obitus — *EgregIVs prasVL fossa DorMItat In Ista*

an. regiminis — *Diethelmus VIXIt, reXIt & VsqVe pIe*

Nam Sangallensis fundator tertius aulæ,

an. ætatis. — *A Wartesena StIrpeqVe BLaVrer erat.*

LXI. Othmarus II. Chanz erat œconomus Tosacensis, quando abbas electus fuit in pervigilio S. Thomæ apost. qui propagandæ fidei in paucis zelosus, novatores omnes e dominio veteri (sic nuncupant) ejecit, quo firmius in eo antiquam religionem stabiliret; atque ut etiam monasterium ab eorum societate segregaret, amplissimum per medium ipsius urbis murum magnis sumtibus exstruxit; ac insuper quoniam cœnobium ad ea usque tempora communi cum civibus porta utebatur, Othmarus, ut propriam deinceps haberet, effecit, quæ quidem S. Caroli porta nuncupatur, quod per eam S. Carolus Borromæus, ingressurus monasterium, audito civitatem a fide catholica defecisse, sibi pandi voluerit. Exstant vero ejusdem S. ad Othmarum litteræ, in quibus ipsius promovendæ fidei zelum extollit. Idem Othmarus bibliothecam ab antecessore suo Diethelmo fundatam perfecit, & libris Parisiis ut plurimum coemtis, ad usque 5000. florenorum summam adauxit. Præterea cœnobium S. Johannis in Thuræ-valle, de quo infra, a fundamentis propemodum reædificavit; suumque populum in summa annonæ caritate princeps optimus & benignissimus frumento vel gratis dato, vel infra dimidium pretium vendito diu liberalissime pavit. Fœdus quoque, quod Franciscus abbas cum Francisco Galliarum rege pepigerat, ipse per legatos cum aliis Helvetiis apud Friburgum cum Carolo IX. rege denuo sancivit, unde etiam Francorum Regibus auxiliares copias non semel iterumque transmisit. Denique obiit Wilæ an. 1577. ætatis suæ 49. cum præfuisset annis 12. Corpus ejus ad S. Gallum pompa funebri allatum in Nigra-capella sepultum est.

LXII. Joachimus Opser, postridie exsequiarum Othmar, ex decano electus est abbas, qui, ut ostenderet, quantum S. Galli cœnobium decessori suo deberet, diem illius depositionis trigesimum, accersitis 4. abbatibus, maxima qua potuit solemnitate egit, ac inde Romam profectus confirmationem a Gregorio XIII. in publico cardinalium consessu adeptus est. Porro hic summam eruditionem cum varia linguarum cognitione conjungebat, siquidem præter philosophiæ, theologiæ & mathematices disciplinas, quibus Dilingæ, Parisiis, & Arverniæ operam dederat, Græcæ etiam, Hebraicæ & Gallicæ linguarum usum incomparabili prope facilitate assecutus, egregia post ingenii sui monumenta reliquit; sed neque ad subjectum sibi populum verba facere eumque sacra doctrina imbuere aliquando per totam Quadragesimam dedignatus est, adeo catholicæ religionis promovendæ zelo æstuabat; quam ubi in pristinum alveum reduxit, alumnos suos Romam, Parisiosque ad comparandas scientias misit. Patribus etiam Societatis Jesu pro novo apud Lucernas collegio excitando 500. *imperiales* in subsidium numeravit. Pontifici maximo & Galliarum Regibus militem suum non semel submisit. Tanta denique inerat Joachimo gravitas morum, ac rerum usus, ut communi canonicorum voto, ipsiusque Gregorii XIII. decreto in episcopum Curiensem desideratus fuerit, quem tamen honorem sæpius oblatum constantissime semper recusavit, Pontifice licet ægrius ferente. At vero cum sub hoc tempus pestis in S. Galli ditione admodum grassaretur, Joachimus suis omnibus monachis, sex tantum exceptis, e monasterio ad loca, ubi purior aura foret, dimissis, prædicandi munus in se suscepit, cui dum vacat die S. Bartholomæo sacra, apoplexia correptus in cathedra succumbit, unde famulorum manibus in ædes abbatiales deductus, post paucas horas an. 1594. exspiravit. Sepultus est ante aram S. Benedicti ad ostium sacrarii. Scripsit de exercitatione veræ virtutis librum unum, sermones plures, & totam pene S. Thomæ summam in tabellas redegit.

LXIII. Bernardus II. Muller ex decano sancti Galli abbas renunciatur, cujus electionem Clemens VIII. papa & Rudolfus II. imperator suis diplomatibus ratam habuere. Hic promovendæ rei catholicæ studio decessori non impar, ad instaurandas in comitatu Doggenburgensi ecclesias ab hæreticis male dispersas, 22. florenorum millia contulit, dicere solitus, cum in causas pias numeraret pecuniam: *Si recusamus pro ovibus dare pecuniam, quomodo ponemus animam!* Fuit etiam unus ex præcipuis auctoribus congregationis Helveto-Benedictinæ, quæ novem complectitur monasteria communi legum vinculo, certisque

statutis inter se connexa. Tum vero controversiam, quae jam ultra viginti annos episcopum inter Constantiensem & monasterium S. Galli causa jurisdictionis ecclesiasticae in populum & clerum vertebatur, Bernardus tandem cum Jacobo Constantiensi praesule composuit. Praeterea Bernardus ad leges Tridentini concilii scholas Tosaci pro seminario, magno suorum & exterorum commodo aperuit. Coenobia monialium in suo territorio reformavit; monasterium S. Johannis, quia totum incendio misere conflagravit, in Vallem Thurae transtulit, novoque coenobio ad culmen perducto, monachos solemniter in illud introduxit; ac denique sancto Othmaro aliam ecclesiam illa priore, quam Grimaldus abbas ante annos 800. exstruxerat, longe magnificentiorem aedificavit. Cessit postmodum senio & morbis confectus, tandemque in coenobio Tosaceno iterum appoplexia correptus, animam efflavit an. 1630. Jacet in basilica S. Galli ad pedes Joachimi antecessoris.

LXIV. Pius Recher War ein Gottseeliger Furst, tam vere pius re, quam & nomine, nec minus eruditione praestans, sublectus in locum Bernardi, scholis Tosacenis ab antecessore pro juventute laïcorum erectis, ipse adjunxit alteras pro regularibus, quo multi deinceps ex aliis coenobiis tum disciplinae, tum studiorum causa confluxere; & ne quidquam litteris, aut litteratis deesset, novam typographiam apud S. Johannem instituit, quam postea commodius usui servituram ad S. Gallum transtulit. Novo S. Johannis monasterio adjecit augustum templum, quod successori perficiendum reliquit. In choro ecclesiae S. Galli majorem aram & pretio & altitudine spectabilem posuit, adjuncto rari operis tabernaculo, in quorum sumtus 70. mille florenos expendit. Cum autem & secularibus negotiis dare operam cogeretur, ne inter ea sordesceret, aut sui oblivisceretur, sibi concinnavit, collegitque in commentariolum praecipuarum virtutum tricenarium, in quo velut in speculo ad leges sibi ultro praefixas vitae totius actus componere solebat. Typo deinde vulgatus est hic tricenarius a successore, quem nemo legit, qui non simul cum Pio pietatis quodam ardore succendatur. Obiit Pius an. 1654. regiminis 25. cum suos ad observantiam regulae prius adhuc adhortatus fuisset, id in extremis repetens, quod in vita dicere saepius assueverat: *Servate disciplinam, & ipsa servabit vos.*

LXV. Gallus II. Alt juris canonici doctor & S. Galli decanus, vir simplex & tamen prudens, monasterium S. Galli ea parte, ubi conventus erat, magno & sumtuoso aedificio renovavit; basilicam coenobii S. Johannis in Valle Thurae amplissimam perfecit, novasque in sancti Galli territorio nonnullas ecclesias exstruxit, dotavitque. Haec & alia praeclare gesta docet epitaphium sequens: *Gallo exemtorum monasteriorum SS. Galli & Johannis abbati, sacrique R. J. principi illustrissimo, post domi, forisque promotam religionem, propagatam monasticam disciplinam, reparatum novis & magnis aedificiis monasterium, perfectam S. Johannis in Valle-Thurae basilicam, exstructis quoque in territorio novis ecclesiis, fundatis, dotatique multis parochialibus beneficiis, patrimonio S. Galli cum spiritualibus, tum temporalibus juribus, initisque cum Principibus novis foederibus magnifice aucto; & denique litteris humanioribus, philosophicis, theologicis, juridicis, sacrisque praecipue linguis egregie cultis, anno aetatis suae LXXVII. regiminis XXXIII. die 4. Martii anno Dom. 1687. placidissime, ac fere inter preces defuncto principi pacifico & felici hoc amoris & perpetuae gratitudinis monumentum Caelestinus indignus successor, & venerabilis S. Galli conventus P. P. P.*

De quo notandum insuper, quod cum duci Sabaudiae confoederatus esset, a Victore Amedeo II. duce Sabaudiae an. 1686. equestris dignitatis titulum obtinuerit, primusque inter abbates S. Galli fuerit regii ordinis Annunciatae Virginis eques, quae dignitas ad successores manavit.

LXVI. Coelestinus ex illustrissima comitum Sfondratorum prosapia oriundus, eligitur in abbatem, cum jam ab Innocentio XI. promotus ad episcopatum Novarinum, Novariam iter appararet; quod cum Coelestinus, dubius quid ageret, litteris ad Pontificem scriptis indicasset, Pontifexque ipsius arbitrio relinqueret, ut quod mallet ex alterutro eligeret, Coelestinus fratrum consortium & claustri quietem episcopatus honori praeferens, abbatiali oneri se tandem submisit, quod prius in se suscipere summo conatu & eloquentia recusavit. Ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam Tosaci conventum parochorum ditionis S. Galli egit, editisque constitutionibus religioni & disciplinae clericorum optime consuluit. Quin & publici boni & creditarum sibi animarum amor adeo illius mentem occupavit, ut tum primis Dominicis mensium, tum alias frequentissime ad populum diceret, nec in S. Galli basilica duntaxat, verum etiam in vicinas parochias progressus, tanquam fidelis paterfamilias subditis suis triticum divini verbi singulari quadam eloquentia dispensaret. Postea vero meritis exigentibus ab Innocentio XII. creatus cardinalis titulo S. Caeciliae, Romamque evocatus, quo magis communi totius ecclesiae utilitati deinceps consuleret; convocato, abbatum Helveticae congregationis conventu, abbatiale regimen abdicavit, die 12. Dec. an. 1695. statimque Romam perrexit; ubi paulo post e vivis excessit. Corpus illius Romae sepultum, cor vero ad S. Gallum delatum, conditumque in abside ecclesiae majoris quiescit, e quo loco in nuperis bellorum turbis ab haereticis sublatum, sed a catholicis iterum obtentum, in antiquum locum repositum est, hodieque ibi asservatur, hoc inciso marmori epitaphio:

Hic requiescit
Cor
Eminentissimi S. R. E. cardinalis,
Quondam illustrissimi S. R. J. principis,
S. Galli abbatis
Caelestini Sfondrati,
Cui pro Deo, ecclesia, patria maximis curis;
Laboribus, meritis defuncto,

Æterna apud posteros memoria,
Virtute & gloria victuro
Anno MDCLXXXXVII.
Hoc gratitudinis monimentum sibi,
Mæstisque filiis in solatium
Successor erexit.
Bene sperate.
Ego quidem dormio, sed cor meum pro vobis
Vigilat.
Vigilate.

LXVII. Leodegarius Burgisser, Lucernensis; electioni præsidente antequam Romam proficisceretur, Cœlestino decessore, ex decano proclamatus est abbas, communi quidem voto, sed fato tam infelici, ut licet princeps optimus esset, pacisque amantissimus, fortunam semper sibi novercam expertus fuerit; ab suis demum hostibus, Tigurinis & Bernatibus, atque etiam illorum ductu Doggiis, suis *vassallis*, spoliato monasterio, in exsilium pellendus, quanquam ei sua feuda & maxime comitatum de Tockenburg possidendi legitima facultas ab archiduce concessa fuisset die 24. Martii an. 1713. Exsul ergo decessit in pervigilio S. Andreæ (titularis sui, antequam indueret monachum) an. 1717. in suo castro Neo-Ravenspurgensi, sepultus in Augiæ-majoris basilica prope Kilianum alterum ex decessoribus.

LXVIII. Josephus a Rudolfi ab exsulibus hinc inde monachis, Imperatoris licentia congregatis in prædicto Neo-Ravenspurgensi castro eligitur, moxque 1718. pacem cum Tigurinis & Bernatibus sancivit, restituta quidem sibi utraque, & Sangallensi & Doggica regione, sed ex omnibus, quæ avarus militis furor abstulerat, aliud non recepit, quam bibliothecæ libros & campanarum mediam partem, quot scilicet Bernates acceperant, Tigurinis aliam dimidiam partem, quas inter maxima & ob sonum specialiter commendata, hucusque velut insignem prædam sibi retinentibus. Præest hactenus feliciter totus in omnibus ad pristinum decorem reducendis occupatus.

MONASTERIUM BRIGANTINUM, *sive* ALBA-AUGIA-BRIGANTINA, & AUGIA-MAJOR BRIGANTINA, *vel* MAJOR-INSULA.

ADitum est lacui Bodamico, *seu* Brigantino, & Acronio, loco longe amœnissimo, prope Brigantinum oppidum in decanatu Lindaugiensi. Ab initio fuisse utriusque sexus contendit Bruschius, sequioris duntaxat Cointius,* qui quidem hujus originem acceptam refert Haberillæ, *sive* Habriliæ virgini devotæ, quæ Galli abbatis, seu potius heremitæ, exemplis provocata, vitam agere instituit ab hominum convictu remotam, juxta lacum Brigantinum cella erecta, ex qua mirabilis odor sanctitatis erumpens multas ad eam attraxit virgines, quæ idem propositum susceperunt. Quod ubi didicit Gallus, Haberillam virginum istarum collegio antistitam præfecit. Addit subinde illam cellam crevisse in A nobilissimum monasterium, quod olim puellarum fuit sub regula S. Columbani, hodieque virorum est sub instituto S. Benedicti ad ipsum fere ostium Brigantii amnis in lacum Brigantinum influentis, vocaturque Major-Augia, *sive* Alba-Augia Brigantina, *vel* Major-insula. Ita Cointius. At vero quo potissimum tempore cœperit esse virorum, fortasse simul & virginum vix quisquam definire possit. Profecto tamen id longius ante annum 1097. contigisse, asserere cogunt duo vetustissima necrologia domestica in pergameno, ubi præter aliquot abbatissas, sanctimoniales, sorores conversas, ac etiam in- B clusas, plurimi quoque abbates ordine subsequenti recensentur. Sed tandem abolitis monialibus soli remanserunt monachi, quando restauratum est (fundatum dicit Mabillonius ad an. 1097.) monasterium sub annum 1087. inquiunt Petershusiani monachi, a suo abbate Theoderico, alii circa 1097. a Ruodulfo Brigantii comite, hujus Theoderici consanguineo, alii denique ab Udalrico itidem Brigantii comite, & Ruodulfi, ut videtur, socero, ubi post mortem immaturam, ait Mabillonius, quæ hoc anno 1097. VI. cal. Novemb. accidit, honorifice sepultus est, teste Bertholdo. De cetero cum in hac cœnobii re- C stauratione templum ipsum egregie absolutum fuisset, Udalricus I. Constantiensis præsul illud an. 1125. indict. XIII. in honorem SS. apost. Petri & Pauli consecravit. Hactenus persistit hoc monasterium, cujus nunc, primum aliquot abbatissas, deinde abbates subjicere nobis incumbit.

*ad annum 612. n. IX.

ALIQUOT ABBATISSÆ.

B. HABERILLA, *sive* HABRILIA, quam Augienses monachi velut peculiarem patronam venerantur, non quidem sacrorum solemnitate, officiove ecclesiastico, sed publica tamen pietate, cujusque recolunt natalem III. D cal. Febr. sepulcrum habet in majori basilica Augiæ-Brigantinæ ad dextram altaris S. Catharinæ, & ad murum sepulcro proximum pendet tabula prægrandis, cum hac in capite inscriptione:

Sacras a Gallo vestes Haberilla recepit,
Quod tribuat nobis non habet illa minus.
Saxa vel ipsa probant ea quot miracula præstet:
Non capis? Es saxo hoc durior ergo magis.

Ad calcem vero talis est inscriptio:

Sub hoc elevato lapide jacet venerabile corpus sanctæ Haberillæ virginis & sanctimonialis, quæ E *e manibus benedicti patris Galli hic cum sanctissimo suo magistro Columbano abbate, aliisque sanctis collegis circa an. Christi 612. commorantis sacrum Benedictini ordinis habitum suscepit. Postea vero cum pluribus Deo sacratis virginibus religiosam vitam tanquam antistita & abbatissa duxit; & modo in hodiernum usque diem multis claret miraculis.* De ea Johannes Bollandus die 30. Jan. & Gabriel Bucelinus 1. Decembris.

Bertha commemoratur abbatissa in prædictis necrologiis die 13. Febr.

Judintha abbatissa, *ibidem* 1. Maii.

ABBATES EX NECROLOGIIS DOMESTICIS, quorum ætas ignoratur ob repetitas monasterii & omnium pene documentorum conflagrationes, deprædationesque.

MENGOZ, 22. Aprilis.
Gernodus, 26. Novemb.
Schwiggerus, 29. Maii.
Dictmarus, 14. Octobris.
Arnoldus, 18. Octobris.
Marckwardus, 4. Martii.
Hermannus, 27. Aprilis.
Dietericus, 2. Augusti.
Antonius I. 17. Septemb.
Bertholdus, 14. Novemb.
Theodoricus, 19. Decemb.
Ulricus I. 30. Martii.
Cunradus I. 22. Febr.
Henricus I. 16. Martii.
Udilschalcus, XI. Martii.
Henricus II. 3. Octob.
Ulricus II. 13. Decemb.
Albertus I. 28. Januarii.
Cunradus II. 14. Maii.
Henricus III. de Haldenberg, 24. Octob.
Cunradus III. 28. Junii.

ABBATUM SERIES, quorum ætas cognita.

I. GOTFRIDUS, *seu* GODEFRIDUS, si Trithemio fides, istuc ex Hirsaugia missus est abbas cum aliis fratribus sub annum 1079.

II. Meinradus, *seu* Meinhardus I. ex monasterio Petershusiano postulatus abbas dicitur a Bucelino sub an. 1097. *forte* 1087. quo circiter tempore Udalricus Brigantiæ & Rhætiæ comes, cœnobii, ut aiunt, restaurator, parochialem ecclesiam Brigantinam monasterio concessit; itemque Bertha ipsius conjux, filia Rudolfi, quem D ex comite de Rheinfelden & Habspurg, necnon Allemanniæ duce Romanorum regem exhibent, ecclesiam in Sannegannis, hodie *Sargans*, largita est. Alter vero Rudolfus prædictorum Udalrici & Berthæ filius monasterium absolvit cum nova basilica, quæ magnificis citra ullam juncturam ex integro lapide constantibus columnis, quibus adhuc hodie innititur, spectabilis erat. In illa visebantur olim duo amplissima e solido marmore sepulcra, unum ante altare S. Johannis Evangelistæ, in quo Udalricus pater, Rudolfus filius & uxor ejus Hirmingardis comitissa de Kalw, aliique complures tum Brigantini, tum E Montfortenses comites requiescere creduntur; alterum in medio ecclesiæ ante altare S. Crucis, ubi Bertham Udalrici conjugem sepultam esse non obscure indicant hæc lapidi sepulcrali incisa verba:

Fundatrix Bertha dictis factisque diserta.

Antiquissimum Brigantini monasterii necrologium meminit Udalrici comitis 27. Octobris, Berthæ comitissæ 18. Januarii, Rudolfi eorumdem filii 12. Maii, & Hirmingardis Rudolfi uxoris 3. Maii.

A III. Gebhardus, *seu* Gebehardus, electus in abbatem an. 1139. statim eo ipso bullam protectionis obtinuit ab Innocentio II. quam vide inter instrumenta. Insuper agente hoc abbate Bertholdus episc. Constantiensis an. 1172. ad monasterium Brigantinum venit, eidemque capellam S. Nicolai *in Bregenz*, quæ a latere matricis ecclesiæ versus Septentrionem sita est, cum omnibus ad eam pertinentibus decretoria sententia adjudicavit.

IV. Meinradus II. Gebhardo successit anno 1175. in annum saltem 1187. quo plaga magna facta dicitur circa Brigantina montana.

B V. Burchardus I. designatur abbas an. 1203. cujus facilitate cum quidam diaconus in ecclesiam Brigantinam se violenter intrusisset, conventu postea conquerente abbates Sangallensis & Salemitanus de mandato Innocentii III. summi pontificis an. 1208. eumdem diaconum amoverunt. Burchardus vero suum errorem dolenter agnoscens, cum ex privilegio Cœlestini III. per tres e suis monachis in dicta ecclesia administrare parochialia cœpisset, animam exhalavit an. 1220.

VI. Johannes I. eodem anno substitutus est, vir religiosus & prudens, sub quo circiter 1245. fautores Friderici II. imperatoris ab Innocentio C excommunicati monasterium funditus everterunt.

VII. Rudolfus præfuit ab anno 1246. ad 1285. interimque bullam obtinuit ab Innocentio IV. datam anno ejus pontificatus septimo, Christi 1249.

VIII. Rupertus I. quinquennio sedit, & profuit.

IX. Johannes II. plurimum auxit proventus monasterii ab anno 1290. quo regimen auspicatus est, ad annum 1299. quo vivere desiit.

X. Henricus IV. cognomento *Mull*, assumtus in abbatem 1299. obiit anno seq. XIV. cal. Martii.

XI. Burchardus II. Henrico subrogatus anno 1300. e vivis sublatus est 1304.

XII. Gunthelmus præfuit cum laude ab anno 1304. ad 1320.

XIII. Rupertus II. singulari erga SS. Eucharistiæ sacramentum devotione commendatur, ad cujus festum cum die octava majori cum solemnitate celebrandum, conventui lautiorem mensam his diebus ex suis propriis instrui curavit. Rexit ab anno 1320. ad 1356. sub cujus regimine Hugo II. comes de Montfort perpetuam in singulos hebdomadæ dies missam fundavit ad altare S. Johannis Evangelistæ, legata in hanc rem monasterio curia *Hardt* cum suis omnibus pertinentiis; & an. 1324. privilegium adjecit denominandi præpositum ecclesiæ collegiatæ *in Oberstauffen* a se fundatæ, si forte nullus intra quatuor hebdomadas a canonicis eligeretur; ac denique 1328. prædium & vineam hodie nobilissimam, quam *Claus* appellant, monasterio concessit eo cum onere, ut quotannis in Parasceve 48. ulnæ grisei panni pauperibus in eleemosynam distribuerentur.

XIV. Burchardus III. suffectus in locum demortui Ruperti, suum regimen ab an. 1356. ad 1388. non minus feliciter, quam utiliter

protraxit, ac interim Wilhelmus II. comes de Montfort, qui, Burchardo annuente, sacellum S. Martini *in Bregenz* fundaverat an. 1362. jus ad illam ecclesiam nominandi Brigantino monasterio indulsit; ac deinde Rudolfus itidem comes de Montfort ipsum monasterium a vectigalibus in suo territorio solvendis exemit an. 1381.

XV. Henricus V. an. 1396. transactionem iniit cum rurali capitulo Lindaviensi, ratione beneficiorum monasterio annexorum. Emit an. 1403. a dynastis de Schonau insignem præfecturam in Stauffen cum omnimoda jurisdictione. Tum anno 1407. obsidetur oppidum Brigantium ab Helvetiis Abbaticellanis die 8. Decembris, sed cum diem 13. Januarii & horam noctis nonam pro facienda irruptione sibi præstituissent, proditi a quadam femina, partim trucidati, aut in flumine *Ach* suffocati, partimque in fugam acti sunt, in cujus rei memoriam Brigantini diem 8. Decemb. quo obsideri cœperunt, & 13. Januarii, quo gloriose hostes devicerunt, ex voto festivos celebrant. E vivis tandem excessit Henricus an. 1414. de quo sic habet necrologium domesticum: *Anniversarium domini Henrici quondam abbatis cænobii nostri celebrandum nono calendas Martii cum* Placebo *& vigiliis mortuorum ad ipsius sepulcrum dicendis, & mane cum missa cantanda & duabus legendis, adjuncto iterum* Placebo *post meridiem. Statuit etiam abbas in altari S. Crucis feriis sextis, & in altari S. Michaelis Dominicis diebus, bis in hebdomada divinorum officia perpetuis temporibus continuandis, pro quo anniversario delegavit annuatim quinque libras denariorum cum vinea in Lutterach, quam a suis parentibus hereditavit.*

XVI. Jodocus Keller electus an. 1414. vix aliquot ad clavum mensibus sederat, cum non modo summum altare, verum etiam majorem campanam an. 1415. insigniter renovavit. Interfuit concilio Constantiensi, necnon primo ordinis S. Benedicti provinciæ Moguntinæ capitulo provinciali anno 1417. qui laboribus tandem exhaustus & senio fractus an. 1433. abbatiam resignavit, superstes ad an. 1437. quo ex hac vita migravit die 3. Aprilis.

XVII. Andreas Keller ex præposito *in Lingenau* fit abbas per simoniacam electionem an. 1433. deinde tamen, quia post biennium propria sponte abdicavit, de mandato Eugenii IV. pontificis ejus electio redintegrata fuit an. 1435. per episcopum Constant. Rexit postea duodecim annis, ac mortuus est 1447.

XVIII. Henricus VI. Hentzius a Bach anno 1447. abbas designatus, fuit in propugnandis & amplificandis monasterii juribus imperterritus atque indefessus. Denique vitam piissimam morte consimili clausit calendis Aug. an. 1462. sepultus in ecclesia penes sepulcrum B. Haberiliæ virginis & abbatissæ.

XIX. Johannes III. Grull ex pago Schwarzach haud procul dissito oriundus, cum tunc præposituram *in Lingenau* administraret, unanimi fratrum suffragio abbas constituitur an. 1462. Obiit optimus pater-familias III. calend. Maii an. 1472.

XX. Johannes IV. Eltzius, *al.* Olt, & ipse a præpositura *in Lingenau* an. 1472. ad abbatialem dignitatem evectus, inter alia id effecisse traditur, ut in hodiernum diem nulli in Augia Brigantina suscipiantur fratres conversi. Abdicavit anno 1492. regressus ad præposituram *in Lingenau*, ubi diem clausit extremum III. cal. Martii an. 1502.

XXI. Georgius Mag, & Bucelino Magirus, patria Constantiensis, ex parocho in Gruenenbach per viam compromissi in sacello Beatissimæ Virginis Mariæ an. 1492. abbas renuntiatur. Anno 1500. transactionem initam rurale capitulum inter Lindaviense & Henricum V. abbatem ratione beneficiorum monasterio annexorum confirmavit. Obiit calendis Aprilis an. 1510.

XXII. Gasparus I. Haberstroh, Brigantinus, ex præposito *in Lingenau* per scrutinium compromisso mixtum an. 1510. in sacello B. Virg. Mariæ abbas electus, eodem anno, die 29. Julii, de consensu fratrum litteras dedit, quibus de quacumque re in capitulis actum esset, præcipit silentium sub pœna privationis suffragii in omnibus capitulis, & aliis ad libitum pœnis pro delicti qualitate. Obtinuit an. 1519. privilegiorum sui monasterii confirmationem ab Hugone IV. comite de Montfort. Vivere desiit eo ipso die, quo incœperat 6. Januarii, an. 1524. sepultus prope altare S. Benedicti cum hoc epitaphio:

Qui dignas annis bis septem rexit habenas,
Hac sub humo præses Gaspar Habestro jacet
Postquam lustra decem minus uno vixerat anno,
Quo Regum natus, mortuus estque die.

XXIII. Johannes V. Schobloch, Brigantinus, antea parochus in Gruenenbach, electus abbas 1524. defecit an. 1533. cum pene collapsum monasterium reædificare cœpisset.

XXIV. Udalricus III. Moët, *vel* Moëtz, Dorenburanus, ex pago prope Amysium sito, postquam agrum commissæ sibi parochiæ *in Lingenau* ad perennem religionis catholicæ gloriam non sine ingenti labore per 17. annos & ultra excoluisset, an. 1533. concordibus sodalium votis abbas renuntiatus est; quo in munere gubernandi peritia ita inclaruit, ut nomen optimi œconomi consecutus, ex antecessoribus hac in parte superiorem sibi nullum habuerit. Enimvero absolvit egregie, quæ inchoaverat antecessor; tandemque post laudatissimum 27. annorum regimen cessit an. 1560. cumque adhuc vixisset annis quatuor, mortuus est an. 1564. ætatis 83. XV. cal. Febr. Jacet ipsius corpus in ecclesia retro altare S. Johannis Evangelistæ cum epitaphio nil novi præferente, nisi quod ante mortem duobus successive pedum resignaverit.

XXV. Lucas Rumer, Brigantinus, Prioris officium agebat, quando in Udalrici resignantis locum suffectus est an. 1560. sed brevi mortem oppetiit, nempe an. 1563. ætatis 48. die 17. Januarii, qui hoc saltem memorandum reliquit, quod in communi cœmeterio extra ecclesiam humili loco sepeliri voluerit.

XXVI. Jacobus Albrecht Marchdorffensis, electus an. 1563. XIII. cal. Febr. optimi abbatis numeros omnes adimplevit. An. 1565. campanam ad horæ signum dandum renovavit, cum hac inscriptione *Vive memor lethi, fugit hora.* Anno sequenti privilegiorum sui monasterii confirmationem a Ferdinando archiduce impetravit; atque interim plurima in hoc cœnobio præ vetustate collapsa, vel collabentia reparavit, ambitum scilicet, seu claustrum, ac dormitorium; & quidem, quod stupendum magis, intra quadriennium & tres menses, quibus totum ejus regimen circumscriptum est: obiit enim calendis Maii anno Christi 1567. ætatis 42. sepultus ad portam ecclesiæ, intrantium & exeuntium fratrum pedibus calcandus, uti vivus expetierat.

XXVII. Gasparus II. Metler, *vel* Metzler, Veldkirchensis, primus nova electionis forma, per secretum videlicet scrutinium, electus anno 1567. ut disciplinæ regulari tam proprio quam in alienis monasteriis stabiliendæ consuleret, an. 1568. congregationis, quam hodie Suevico-Benedictino-Josephinam vocant, erigendæ cum aliis abbatibus auctor fuit. Migravit ex hac vita optimus abbas VI. cal. Febr. an. 1582. ætatis suæ 56. in communi cœmeterio extra ecclesiam sepultus.

XXVIII. Gebhardus II. Raminger, non Bernardus, ut scribit Bucelinus, e Cella-Ratolfi, loco ad inferiorem lacum sito oriundus, cum annis aliquot in parochia Gruenbacensi vicarium egisset, an. 1582. pridie calend. Febr. unanimi fratrum calculo abbas electus est, qua in dignitate mirum quantam sibi conciliavit præ omnibus antecessoribus existimationem; enimvero non modo relictum ab iisdem æs alienum feliciter expunxit, & Augiæ Brigantinæ proventus non mediocriter auxit, verum & ipsum monasterium vetustate ruinosum partim egregie restituit, partimque novum a fundamentis excitavit. Hæc autem inter ædificia, eminet facile bibliotheca, tam ab amplitudine sua, quam a situ multum spectabilis. Porro nec minus promovendæ disciplinæ monasticæ studiosus fuit, cujus in bonum saluberrimas illas commentatus est constitutiones, quæ ad hæc usque tempora communi fratrum usu & utilitate comprobantur. An. 1604. usum pontificalium a Clemente VIII. pontifice, & a Maximiliano archiduce privilegiorum sui monasterii confirmationem impetravit; primusque inter abbates Brigantinos an. 1611. in se suscepit commissam ab episcopo Constantiensi curam & directionem vicini sanctimonialium ordinis S. Francisci reformatarum monasterii. Tandem vero Gebhardus an. 1616. ætatis 65. XV. cal. Octobris hanc mortalem vitam cum æterna commutavit, sepulcro illatus, quod sibi, suisque successoribus in sacello B. M. Virg. paraverat.

XXIX. Placidus Vigell in Algoia ex acatholicis parentibus natus, sed Veldkirchii in Rhætia, ac Tettnangæ in Suevia educatus in fide catholica, ob eminentem virtutis & doctrinæ famam an. 1616. die 22. Septemb. a Prioris officio ad abbatiale munus promovetur. Diu quidem

A restitit, imo solum adhuc Prior in ordinem Fratrum Capucinorum, iteratis ad patrem provincialem litteris, enixe rogavit suscipi, sed obstiterunt, qui eum sibi abbatem designaverant. Collum ergo imposito jugo supponere coactus, viriliter & gloriose sustinuit onus, uti gesta ipsius probant. Nempe Gregorium Ottoburanum in Suevia abbatem, primum florentissimi hodie in Germania studii Salisburgensis institutorem insigniter juvit, datis successive ad docendum tribus admodum litteratis monasterii sui viris, Francisco, Sailer, Jacobo Gruess, & Johanne Mayer. Eodem quoque agente, ac præter fundum potiora pro
B ædificando monasterio materialia liberaliter suppeditante, Fratres Minores Capucini in urbem Brigantinam introducti sunt, & hæresis Anabaptistarum, quæ in Jaghausen, perantiquo interioris sylvæ Brigantinæ pago invaluerat, per ante dictum Jacobum Gruesse labore per novem annos continuato exstincta fuit. Annis 1629. & 1635. ubi pestifera lues finitimis in locis, & præcipue in parochiis Brigantina, Lingenaviensi, Gruenenbacensi & Gestracensi monasterio suo plene annexis, grassabatur, misit hic piissimus præsul e suis monachis quosdam magis cordatos, seque sponte offerentes, qui de vita periclitantes
C ad supremam luctam præmunirent; quos inter animarum zelo præ reliquis eminebant Maurus Guott præpositus in Lingenau, Michaël Borner parochus in Bregent, Bernardus Rittler parochus in Gruenenbach & Josephus Gloggler parochus in Gestrat, quorum duo priores an. 1635. in obsequio pestiferorum mortui ad societatem eorum abierunt, quos, ut cum martyrologio Romano die 18. Febr. loquamur, *velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Peste vero & ipse correptus, sed divina opitulante gratia sanitati restitutus, regularem disciplinam ferventius promovere perrexit, & ut majora in dies incre-
D menta sumeret, eamdem quotidianis litterarum studiis suffulcire perquam sollicite adlaboravit; quem in finem non modo e junioribus monachis pene omnes vel Romam in collegium S. Apollinaris Hungarico-Germanicum, vel Dilingam ad illam celebrem diœcesis Augustanæ academiam dimisit, verum etiam in suo monasterio præter inferiores, superiores quoque scientias tradi voluit, qui mos magna cum laude & doctrinæ flore etiamnum obtinet. Pro munimentis ac fortalitiis hinc inde, qua reparandis, qua a fundamento excitandis integras prope silvas, ac nominatim pro novo, ut aiunt, vallo, ipsum
E fundum, subversis ibidem domibus, molendinis, pomariis, atque arboribus usque ad lapideam Crucifixi imaginem pulcro in ordine stantibus, non attento gravissimo monasterii sui detrimento, in devotissimum archiducalis domus Austriacæ obsequium, atque amorem patriæ anno 1642. lubens concessit; pro alendis quoque militibus maximam tunc pecuniæ, frumenti ac vini, tum aliarum copiam rerum, minus etiam felicibus præfecturæ suæ annis nunquam non amanter expendit. Insuper etiam exsules utriusque sexus Regulares, qui e suis Franconiæ ac Sueviæ monasteriis a

Sueco milite pulsi ab an. 1632. usque ad annum 1647. singulis ferme diebus plurimi, & non una duntaxat vice nonaginta, quos inter, sex, septem, & plures tum abbates, tum principes simul advenerant, omnes singulari cum amoris & commiserationis affectu suscepit, & pro virili hospitaliter habuit, donec an. 1647. die 4. Jan. occupata per Urangelium Suecici exercitus imperatorem patria, atque monasterio funditus expoliato, ipse cum suis exsulare similiter coactus, singularem vice versa ubique caritatem meruit experiri, eoque in statu, hanc Deo in ipsum misericorditer agente, consolationem habuit, ut ceteris pene omnibus ecclesiis turpissime profanatis sola Major-Augiensis B cum sacello suo illæsa permaneret. Familiarem & amicum habuit beatum Fidelem a Sigmaringa Capucinum & missionarium apostolicum, quem etiam pro fide Christi ab hæreticis crudeliter occisum 24. Aprilis an. 1622. proxima post martyrium nocte eidem apparuisse volunt. Denique præsul religiosissimus & religiosorum omnium cultor singularis, ut ipsum vocat Bucelinus, ordinisque sui fautor eximius, uti Bollandus scribit ad diem 30. Januarii, senio tandem & laboribus confectus abbatiam resignavit an. 1650. & sequenti vivere desiit, eadem, qua ante 66. annos lucem aspexerat, die 4. Februarii cujus piissimos C manes hoc epitaphio grata posteritas honorare voluit:

Optime Viator
Non obstupescis, non miraris?
Heu! Jacet hic & tacet
Antistes Placidus,
Sui ævi in pietate & doctrina
Miraculum,
Breve virtutum omnium compendium.
Transi & si potes, sequere 4. Febr. 1651.

Scripsit vir doctissimus non pauca tam ascetica D quam theologica, ex quibus omnibus sola supersunt sequentia MSS. in bibliotheca monasterii Brigantini asservata: *Tractatus theologicus de sacramento matrimonii: commentarius in regulam S. P. Benedicti, & Exercitia quotidiana boni religiosi.*

XXX. Henricus VII. Amberger, Veldkirchensis, an. 1650. die 15. Martii ex subpriore abbas constitutus, reperit monasterium a Suecis funditus expilatum, & vix non ad incitas redactum, feuda ac prædia inculta, suisque colonis destituta, sed vir ut statura procerus, sic & animo ingenti & excelso præditus, monasterium nova E supellectile, cellaria vino, horrea frumento, prædia & feuda colonis, domibus, & stabulis postliminio instruxit. Jura monasterii mortua resuscitavit, afflicta restituit; in causa controversi juris mortuarii cum Betariensibus interioris silvæ Brigantinæ incolis an. 1658. amicabiliter transegit. Nec minor ipsi pro ampliando decore domus Dei & promovenda animarum salute cura fuit; siquidem deficientibus & ultra sexcentos in diœcesi Constantiensi clericis, beneficia etiam secularia per suos monachos administravit; ac A præter alia, quibus ecclesiam ornavit, in honorem S. P. Benedicti altare pretiosum admodum erigi curavit, cum hac inscriptione:

DEO TER OPTIMO MAXIMO
ET

Divo Benedicto parenti, ac patrono suo meritissimo, ut pote cujus patrocinio, ope & suffragiis; ut pie creditur, omnium hujus monasterii fratrum animæ, uti olim in Monte-Cassino accidit, ab hostium manibus ereptæ & conservatæ, necnon ipsum templum, & totum monasterium ab incendio liberata sunt, honoris, & debitæ gratitudinis perpetuum monumentum novam hanc aram posuit filius suus Henricus hujus cœnobii abbas anno Christi 1654. regiminis sui quinto.

Veneranda quoque SS. martyrum & tutelarium Venusti & Aproniani corpora an. 1663. in vigilia Pentecostes ex urbe Roma impetravit; & anno demum 1666. ætatis 52. regiminis 15. die 26. Februarii ex hac vita decessit.

XXXI. Aloysius Sprenger, Stauffensis ex Hegovia, vir in mathematicis peritissimus & horologiorum maxime solariorum faber apprime ingeniosus, an. 1666. die 6. Martii ex parocho regulari in Gruenenbach ad abbatialem promovetur dignitatem. Is porro chori venustate & accurata psallendi methodo antiquius nihil habuit; ac præter disciplinam regularem & studia litterarum, in quibus promovendis multus erat, rem quoque domesticam magno cum emolumento curavit. Ecclesiam pretiosis varii generis ornamentis, novis organis, fornicibus, oratoriis, ac duabus capellis eleganter instauravit; utque documenta litteraria, ac in primis sacram supellectilem ab igne tutiora redderet, sacristiam cum archivo concamerari fecit. Sed tandem amara mors ei plura faciendi potestatem ademit anno 1681. ætatis 59. regiminis 15. die 15. Frebr. Sub quo vixit & mortuus est an. 1670. Franciscus Ransperg hujus quondam monasterii prior & parochus Brigantinus, qui alia inter volumina scripsit annales monasterii Brigantini duobus tomis, Stenographiam illustrium per Imperium-Romano-Germanicum familiarum, tom. 1. De origine & fundatione beneficiorum monasterii Brigantini, tom. 3. De votis religiosis tract. 1. Historiam belli Suecici, tom. 1. Historiam passionis & translationis S. Almachii martyris; ac denique seriem omnium abbatum, qui ab anno Christi 611. Augiæ-Brigantinæ clavum tenuerunt.

XXXII. Antonius II. Vogel, Brigantinus, patrem habuit, qui ex caprario dux evasit ob sua præclara in bello merita, ille autem ab officio Prioris, quod summa cum prudentia & regularis disciplinæ zelo per biennium gesserat, an. 1681. die 24. Febr. ad abbatiales infulas promotus, magis semper prodesse, quam præesse studuit; præterquam quod enim multa domi, forisque, & inter hæc arcem Oberfeld non sine magnis sumtibus reparavit, plura elegantis structuræ ædificia a fundamentis erexit; basilicam novis & patentioribus

patentioribus fenestris, atque altaribus illustravit, A supellectilem pretiosis calicibus, urceolis, candelabris, statuis, aliisque splendidis ecclesiæ ornatibus media ex parte & ultra magnificentissime auxit. Jus quoque *lignandi* & alia monasterio in perpetuum vindicavit. Ceterum nemo fuit abbate Antonio modestior, nemo simplicitatis religiosæ studiosior. Pauperum & in primis domesticorum cura illi maxima, & pene ultra vires in eos quandoque liberalitas enituit. Quanto autem in alios indulgentior erat, tanto in se severius animadvertit, sacro præsertim Quadragesimæ tempore, ubi se omnigenis pœnitentiæ operibus exercebat. Insuper etiam in volvendis revolven- B disque SS. Patrum, sacræ scripturæ Interpretum & Ascetarum libris perdius ac pernox compilavit quosdam tractatus spiritu Benedictino plenos, atque inter hos unum de passione Domini, reliquis luce publica digniorem. Et sic meritis cumulatus diem clausit extremum VI. cal. Januarii anno ætatis septuagesimo, regiminis 31. ac Verbi pro nobis Incarnati 1711.

XXXIII. Magnus Oderlin, patria Constantiensis, ex parocho in Sigmaringendorff per sex annos, die 8. Januarii an. 1712. in abbatem eligitur, vir disciplinæ regularis, artium liberalium, philosophiæ, jurisprudentiæ, ac theo- C logiæ non minus, quam rei œconomicæ cultor eximius. In rubricis, ritibus & cœremoniis ecclesiasticis examussim observandis accuratissimus, decorem domus Dei & cultum divinum cum miro exterorum exemplo insigniter promovit. Plurima æris alieni millia sibi relicta feliciter expunxit, redditus ac census monasterii plurimum adauxit, novisque bibliothecam iisque præstantissimis voluminibus instruxit. An. 1716. privilegiorum monasterii confirmationem obtinuit a Carolo VI. imperatore. Præsul denique numeris omnibus absolutus, veterum ædificiorum reparatione, exstructione novorum, sed in pri- D mis erga Dei-param virginem cultus promotione conspicuus, obdormivit in Domino VI. cal. Apr. Sabbato sancto anno Christi 1728. ætatis 51. ac regiminis 17. inchoati; cui ad supremos honores persolvendos tantus erat clericorum & secularium, etiam illustrium, sed præsertim pauperum, pupillorum & viduarum sui amantissimi patris funus amarissimas inter lachrymas ad sepulturam comitantium accursus, qualem, quantumque monasterium Brigantinum a prima sui origine se vidisse non meminit.

XXXIV. Franciscus Pappus a Tratberg, Laubenberg & Rauchentell Brigantinus, musa- E rum Majoraugiensium decus, & illustris maxime a controversiis fidei, jocoseriis, ac vitæ bipartitæ libro an. 1709. Campoduni, necnon Hortulo Biblico-morali & ascetico novissime an. 1726. Constantiæ editis, cum diversis successive officiis, professoris, subprioris, Prioris, sanctimonialium confessarii, & præbendarii in Bregent per annos 30. & amplius magna cum laude & sui commendatione perfunctus esset, an. 1728. die 2. Apr. secundantibus eligentium votis infulas dudum promeritas consecutus est.

AUGIA-DIVES.

RICHENAW.

Duplicem illius nominis Augiæ insulam efficit Rhenus, superiorem & inferiorem, unam supra Constantiam, ad Lacum Potamicum, quæ Major dicta: alteram duabus infra eamdem urbem leucis, quæ Cellensis dicta ab oppido Cella, sive Augia simpliciter, aliis Ouva, *seu* Auva, quæ vox germanice pratum, seu agrum significat; a fundi domino *Sintlacis-Ouva, denique ab opibus Augia-dives, seu *Richenaw* appellata, quam Pirminius tribus annis, ab anno scilicet 724. præsentia sua illustravit, & monasterio, quod multorum sanctissimorum ac doctissimorum virorum seminarium & insignis academia extitit. Bartholomæus Scobingerus in additionibus ad Joachimum Vadianum testis est Carolum Francorum principem dotasse hoc monasterium, *Insulanense* aliquando dictum, ex bonis fiscalibus circumjacentium locorum pagorumque, in primis regia villa *Ersmustingen*, ex cujus vineis voluit præstari vinum in usum sacrificii; idque constare ex litteris conditi monasterii *in honorem B. M. Virg. & apostolorum Petri & Pauli, juxta regulam S. Benedicti.* Deinde vero ita crevit opibus & splendore hoc olim exemtum monasterium, Regum ac Principum liberalitate, ut annui ejus reditus sexaginta millium aureorum summam conficerent. Et certe Bruschius refert tam late dispersas ejus fuisse ditiones, ut Abbas Romam iter faciens, singulis noctibus in suo proprio domicilio, usque dum Romam attingeret, pernoctare posset.

*Sintlesaw.

Audiendus porro de hac Augia canens Walafridus Strabo, altero post Pirminium seculo illustris ejus loci alumnus:

Rhenus ab Ausoniis quo ducitur alpibus, æquor
Miscet in occiduis diffusus partibus: ingens
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens: jacet hanc Germania circa.
Hæc solet egregias monachorum gignere turbas.
Primus in hac sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis.
Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulcra petat, satis ipse probabit in Hornbach,

Non tamen ita ingens est hæc insula, quippe quæ in longitudinem tantum patet dimidium milliarii Germanici, in latitudinem unum dumtaxat quadrantem, tres habens parœciales ecclesias præter monasterium: cujus abbas prælatus in comitiis imperii inter quindecim circulo Suevico annumeratos primatu olim gaudebat. Nunc tam potentis monasterii restant tenues admodum census in usus tredecim monachorum, ceteris episcopo Constantiensi addictis; ædes vero monasticæ perquam humiles sunt & angustæ, ne quidem excepta ecclesia, in qua Caroli Crassi imperatoris sepulcrum visitur; adeo ut solius bibliothecæ reliquiæ insignes loci dignitatem indicent.

SERIES ABBATUM.

I. S. PIRMINIUS, genere Francus, ejus loci primus fuit auctor & abbas, quem & chorepiscopum vocat Hermannus Contractus ex comite monachus Augiensis. Imo Theodericus rex in suo diplomate & Widegernus Argentoratensis præsul in suo privilegio, eum absolute episcopum vocant, forte regionarium, qualem fuisse necesse est, ut sacramentum confirmationis conferre potuerit. Pirminius autem ad tres annos Augiæ perstitit, uti Hermannus tradit, hoc est ab anno 724. ad 727. quo a Theodebaldo, Gotifredi, *seu* Godofredi, Alamannorum quondam ducis filio, Carolo Francorum principi infesto, ob ipsius Caroli, qui Pirminio favebat, odium, novo monasterio suo expulsus est; qui quidem Augia discessurus, Eutonem, *seu* Ethonem pro se abbatem constituit, indeque Alsatiam petiit, alia ibi cœnobia conditurus; tandemque Hornbaci sedem fixit, ubi circiter annum 758. animam Deo reddidit III. nonas Novembris, quo die in martyrologio Rabani notatur *depositio sancti Pirminii confessoris*, ita Mabillonius.

II. Etto, *seu* Euto, Hetto, Heddusve, ex Ethiconis, *seu* Athici Alsatiæ ducis genere ortus, ejus scilicet pronepos, seu filius Hugonis, qui Hattonis filius, & hic Athicum parentem habebat. Primum fuit Augiensis monachus & inde abbas ejusdem loci, absque media præfectura, quam quidam comminiscuntur. Huic autem abbatiæ præfuit pie ac prudenter usque ad annum 732. quo Theodebaldus ipsum, uti Pirminium ante aliquot annos, in odium ipsius Caroli monasterio expulit; sed hunc paulo post Carolus, victor ex Aquitania reversus in pristinum locum restituit, donec etiam illum an. 734. ad sedem Argentoratensem promovit. De quo sic canit Walafridus Strabo.

Primus in hac sanctus construxit mœnia præsul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis
Postea septenis præsedit cursibus Eto:
Tum sequitur binis laudandus Geba sacerdos.

III. Keba & Geba ab Ethone sibi successor in Augia institutus, duobus dumtaxat annis cœnobio præfuit, ut supra.

IV. Ermenfredus successit in annos decem, de his tribus abbatibus ita canente Walafrido Strabone in carmine de visione Wettini ejusdem loci monachi, cui adstipulatur Hermannus Contractus:

Postea septenis præsedit cursibus Eto.
Tum sequitur binis laudandus Geba sacerdos.
Bina Ermenfredus tum lustra peregerat abba.

Ceterum Ermenfredus, *seu* Erenfridus simul ecclesiæ Constantiensi præfuit.

V. Sidonius *Augiæ monachus, quintus ei loco abbas, Constantiæque episcopus factus an.* 748. *præfuit annis tredecim.* Hic in sanctum Othmarum cœnobii S. Galli abbatem iniquissimus, falsis cum criminationibus a Warino & Ruadbardo Alamanniæ comitibus oneratum damnavit, & in exsilium egit, ejusque locum invasit. Sed ultus est tantam injuriam Deus: cum enim ille venisset aliquando in sancti Galli monasterium, ut monachos suis voluntatibus non satis pro ejus lubito consentientes, in obsequium redigeret, subito ante illius sancti aram, tam diræ viscerum tortiones cum invasere, ut sine aliorum adminiculo egredi non valuerit. Dein vehiculo impositus, ad monasterium Auvam, *seu* Augiam ægre perductus est, ubi ingravescente languore, post aliquot dies animam exhalavit anno 759. ibidemque sepultus est. Hunc Sidonii episcopi exitum Walafridus Strabo retulit in libro de miraculis S. Galli; idemque in carmine de visione Wettini Sidonio terdenos apud Augiam annos tribuit.

VI. Johannes I. Augiensis cœnobita jam anno 760. erat episcopus Constantiensis, & abbas Augiæ ac S. Galli, uti supra diximus, cum de hoc monasterio disseruimus. Hic primus, Hermanno Contracto teste, utrumque, Sangallense videlicet & Augiense monasterium ab omni jugo episcopali immune ac liberum reddidit, permittente Adriano I. Romano pontifice anno 780. Obiit vero plenus dierum anno seq. sepultus in sacello S. Chiliani.

VII. Petrus, vir senex, presbyter & monachus ab Augiensibus in abbatem eligitur cum consilio Hildegardis reginæ, cujus adminiculo electio stetit, propterea quod a Geroldo comite, prædictæ Reginæ germano, locus ipse multum patrocinii ac subsidii accipiebat. Quinquennio præfuit, quem interim Romam progressum inde psalterium 70. Interpretum in Augiam detulisse testatur Bruschius.

VIII. Waldo & Walto ex abbate Sangallensi Augiensis electus & constitutus favore Carolimagni an. 787. hic præfuit annis 19. ex Bruschio, annis 20. ex Mabillonio, qui certe an. 800. societatem precum instituit cum Werdone abbate S. Galli, indeque Sandionisianus abbas prope Parisios evasisse dicitur, nulla facta mentione Ticinensis vel Basileensis episcopatuum.

IX. Hetto, *vel* Hatto & Heyto quinquennis ad Augiense monasterium venit, ibidemque virtutibus & litteris excultus adeo inclaruit, ut ejus fama longe respersa ad regis Caroli aures penetraverit, a quo in palatium evocatus, invitus ex cara solitudine ad insulas Basileenses trahitur. Sic enim hos Walafridi versus interpretari libet:

Tanti fama viri regales verberat aures,
Post rapitur non sponte foras de carcere caro;
Et qui liber erat, fit libertate soluta
Pastor ovile tuens.

Idem ecclesiæ suæ geminas ruinas sarcisse dicitur,

Interiora medens, atque exteriora reformans.

Denique Walafridus asserit, se nescire alterum, qui cum eo possit conferri. Sub hæc

Cogitur interea monachorum pastor haberi.
Discipulus dudum disponitur ipse magister.

Quod idcirco ipsis Walafridi verbis a nobis post

Mabillonium refertur, ut appareat, ipsum ecclesiæ Basileensi pastorem prius admotum fuisse, quam Augiensi monasterio præficeretur. Id anno 806. accidisse Hermannus tradit, apud quem Heyto nonus abbas annos septemdecim eidem loco præfuisse memoratur. An. 810. unus fuit eorum, quos Carolus imper. legatos misit Constantinopolim ad Nicephorum pacis confirmandæ causa. Porro is anno 816. Augiæ basilicam in honorem S. Mariæ ab se constructam dedicavit; abdicatisque tandem honoribus, illuc, vitæ privatæ studio, se recepit, atque electione fratribus permissa, suo discipulo, Erlebaldo nomine, sponte se subjecit, anno ætatis suæ sexagesimo, x. Ludovici imperatoris, ac proinde an. 823. *vel* 822. ut apud Hermannum Contractum. Hanc ipsius modestiam & humilitatem Walafridus laudat his verbis:

Hic pater ante fuit: modo filius adstat, obaudit,
Per natumque regi proprium vult corde paterno.

Denique hanc vitam mortalem cum æterna commutavit anno 836.

X. Erlebaldus, quo nomine vir audax significatur, erat ex genere nobilium senatorum, qui annos natus septemdecim ad Augiense monasterium accesserat. Admissus in collegium fratrum, Hettonis magisterio traditur pietate ac litteris imbuendus, ac postea ipsemet institutor fuit Meginradi, primi auctoris Heremi B. M. tandemque in Hettonis locum suffectus abbas an. 823. adeo virtutibus excelluit, ut magistro superiorem Walafridus Strabo asserere non dubitet. Porro iste Walafridus sub Erlebaldo in Augia vixit, scriptor eximius, qui visa Wettini monachi an. 824. defuncti, jam ab Hettone episcopo & abbate supra dicto superstite, prosa oratione litteris mandata, metro reddidit anno sequenti. Ejus quoque temporibus, anno scilicet 830. corpus S. Marci Evangelistæ Augiæ concessum fertur a Ratholdo Veronensi episcopo, ipsius quondam alumno. Idem Erlebaldus an. 835.* cum aliquot e suis, aliisque prælatis & Alamannorum principibus non paucis adfuisse dicitur novæ S. Galli basilicæ dedicationi. Tandem vero ad privatam vitam, Hettonis decessoris sui exemplo, se recepit an. 838. Hermannus enim Contractus ad hunc annum ita scribit: *Augiæ, Erlebaldo abbate cedente, Rudhelm abbas undecimus præfuit annis quatuor.*

* *al.* 834.

XI. Rudhelmus, *al.* Rodhelinus, uti proxime diximus, in annos quatuor successit, quibus exactis mortuus est an. 842. ex Mabillonio, abdicavit autem ex Bruschio, propter tumultus, quos filii imperatoris Ludovici excitabant.

XII. Walafridus Strabus, *vel* Strabo, sic dictus ab oculorum vitio, annos triginta quinque natus erat, cum monasterii regimen subiit anno 842. jam clarus ingenii sui monumentis, quibus deinceps plura alia adjecit. Unus e præcipuis est liber de rebus ecclesiasticis, quem jussu Reginberti cujusdam composuit. Obiit an. 849. xv. cal. Sep. quo die ejus memoria in necrologio S. Galli notatur his verbis: *Walahfridus abbas obiit, vir in divinis & humanis litteris versatissimus.*

XIII. Folcwinus, Walafridi successor, annos novem abbatialem dignitatem tenuit.

XIV. Walterius præfuit ab an. 858. ad 864. quo mortuus est, nulla re insignis, nisi quod ejus tempore, anno scilicet 861.* sanctus Meginradus Augiæ monachus, dein eremita a latronibus cæsus est, cujus sacrum corpus ad monasterium Augiam transtulit Walterius abbas.

* *al.* 863.

XV. Heyto electus 864. interfuit an. 867. apud S. Gallum dedicationi oratorii in honorem B. Othmari abbatis S. Galli. Sedit ex integro septem annos, defunctus an. 871.

XVI. Rutho, *al.* Rudilo & Rudolfus, electus an. 871. præfuit annis sexdecim & aliquot mensibus, beneficum interim expertus Carolum Crassum imperatorem, qui abbatiam & pagum Zurzazensem, rogatu conjugis suæ Richardis, annexuit Augiæ-diviti, ubi volebat esse suum sepulcrum. Id factum esse legitur in arce & palatio imperiali *Bodmen* die 14. Octob. an. 881. Obiit Rudolfus an. 888.

XVII. Hatto obscuro genere ortus, ex Mabillonio, sed ingenio subtilis & vafer, Rudolfo suffectus, cellam & basilicam S. Georgii in insula exstruxit Augiensi, referente Hermanno. Anno 890. adfuit synodo apud Forcheimium, ubi Sunderoldus Moguntiacensis archiepiscopus Herisiensis parthenonis constructionem, dotationemque, rogatu Bisonis Partherbrunnensis episcopi, confirmavit. Anno seq. eidem Sunderoldo successit in sede Moguntinensi, simul abbas Augiensis, quanquam non monachus, Laureshamensis & Elewangensis monasteriorum, & aliorum fortasse, duodecim enim abbatias habuisse dicitur apud Ekkebardum, at certe quoad Fuldensem, nominis æquivocatio illum, aliosque post eum fefellit, ita ceterum Regi acceptus, ut communiter *Cor Regis* appellaretur. Is denique confectus *Italica febre,* obiit Moguntiæ anno 912. *al.* 913. de quo plura in archiepiscopis Moguntinensibus.

XVIII. Hugo uno tantum anno præfuit.

XIX. Thietingus post Hugonem abbas electus an. 914. triennio post locum alteri fecit, vel 915. ex annal. Heremi.

XX. Heribrachtus, *seu* Heribertus, annos decem Augiæ præfuit, sed postremis quatuor minus pacifice. Anno siquidem 922. eo intrusus est Liuthardus a Burchardo Alamanniæ duce, qui omnia susque deque in illis partibus evertebat. Restitere quidem intruso fratres; at hi in exsilium missi, oppresso *Hildeberto abbate*, uti Hermannus testatur.

Tom. 3. *Annal. Bened. pag.* 371.

XXI. Liuthardus, de quo proxime diximus, erat princeps religiosus ex Bucelino & Bruschio, qui quidem postremus auctor, ex ejusdem loci præposito factum fuisse abbatem, & quinque annis sedisse tradit.

XXII. Alawicus I. successit an. 933. ad annos viginti tres; ac interim an. 945. mutuam suffragiorum societatem cum Sangallensibus monachis renovavit, eique nonnulla insuper adjecit, quæ vide-sis apud Mabillonium, tom. 3. Annal. pag. 480. Ejus obitum Hermannus refert

ad annum 958. cujus quidem extremum paralysis morbum hoc anno collocat Hepidannus, at mortem insequenti, his verbis: *Alwicus Augensis abba defunctus est, & in ejus locum Ekkehardus eidem cœnobio, horto deliciarum prælatus est.* Forte Alawicus decessit initio anni 959. ob idque pro veteri calculo ad an. præcedentem refertur ejus obitus ab Hermanno.

XXIII. Ekkehardus I. *seu* Eggehardus annis 15. præfuisse & ecclesiam S. Johannis Bapt. insigni artificio ibidem construxisse memoratur. Qui deinde ob res monasterii dilapidatas accusatus, Hermanno testante, ab Ottone imperatore in ordinem redactus est, id est, exauctoratus an. 972.

XXIV. Rudmannus, *seu* Ruodmannus ex præposito in locum Eggehardi suffectus, intra quatuor-decim annos præfecturæ, rem familiarem non modo restituit, sed etiam plurimum auxit. E vita migravit an. 985.

XXV. Witegonno, *seu* Witegowo post annos 12. regiminis exauctoratus est an. 997. de quo tamen mira narrantur a Bruschio & Buccelino post Burchardum synchronum monachum; ex quibus hæc carptim licet commemorare:

Floreat in quantis ornatibus Augia felix
Hac in structura, quam fecit nobilis abba;
Dans studium Christo qui nomen habet Witigowo,
&c.
Dicitur os Regis, populorum lingua salubris,
Inter catholicas primas rutilando columnas:
Regum rectores, comitum docet atque cohortes,
Rege jubente, suis parent simul omnia dictis.
Contra velle suum vertit se nemo retrorsum,
Esse manum Regis nam plebs hunc prædicat omnis,

Fortasse vero depositus est, seu cessit, quod rarissime domi, sed aut Romæ, aut in aula Othonis tertii commoraretur.

XXVI. Alawicus II. promotus in abbatem, Romæ ab ipso Gregorio papa *consecratus & privilegio donatus est*, teste Hermanno, elapsoque triennio creatus episcopus Argentinensis post Wideroldum. Guillimannus in libro de Argentinensibus episcopis, pag. 173. summam refert epistolæ ab Ottone imperatore an. 998. die 22. mensis Aprilis ad Alawicum abbatem scriptæ, qua eum sui officii admonet, & primo revocat illi in memoriam beneficia a Gregorio pontifice, suo intercessu accepta; tum Pontificis verba, quibus plerumque, *tales esse monachos, quales haberent præsides* affirmaverat, monachis igitur non solum doctrina, sed & moribus & exemplo præiret: eorum magnam curam gereret, ne aliquid in victu, cultuque deesset, quo paratiores, promptioresque ad divinum obsequium reddantur.

XXVII. Werinharius Augiam post Alawicum rexit ad sex tantum annos, hoc est ad an. 1006. quo decessit.

XXVIII. Immo, *seu* Hymno prius abbas Gorziensis, quem eo nomine multum prædicat scriptor vitæ Adalberonis II. episcopi Metensis. Gorziæ locum hic auctor *felicem* dicit, *non minus ex eo, qui in præsentiarum præest, & sanctissime, dulcissimeque prodest, quam ex his, qui jam beati ad cœlestia transmigrarunt. . . . . . De hujus viri multum venerandi gestis honestissimis, ad augendum nostræ materiæ decus, plurima inserenda judicaremus: sed quia ad votum, utilitatemque patriæ adhuc Dei gratia superest, adulationis nota aduri timentes, alii tempori vel personæ id reponamus.* Ita gravis ille auctor, tertius abbas S. Symphoriani Metensis: Quæ quidem præstruenda visa sunt iis, quæ de Immone scribit Hermannus anno 1006. quo Werinharius Augiæ abbas decessit: eo scilicet defuncto fratres Heinricum monachum elegerunt; *sed rex Heinricus ejus insolentiam, quamvis ab eo pecunias accepisset, detestatur, fratribusque apud se accusatis infestus, Immonem quemdam Gorziensem abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis invitis præposuit.* Deinde tamen altero post anno, 1008. Augiensibus eum nimis exosum amovit Heinricus rex.

XXIX. Berno, *seu* Bernhardus, Prumiensis monachus, vir doctus ac pius, Immonis loco ab Henrico rege constituitur abbas, & a Lantperto Constantiensi episcopo consecratur. Hic statim fratres sub decessore dispersos recollegit; eidemque loco per annos quadraginta magna cum laude præfuit, ex Hermanno. Interim vero missis Romam circiter an. 1032. cœnobii sui privilegiis, a papa Johanne aliud accepit, nempe ut cum sandaliis & episcopalibus indumentis missas celebrare sibi liceret. Qua de re adeo commotus est Warmannus Constantiensis præsul, ut Berno apud Imperatorem, *quasi sui pervasor officii & honoris*, ab eo accusatus, *eo usque ab utrisque coartatus* sit, donec ille *privilegium episcopo traderet, publice in synodo sua, in cœna Domini incendendum*, uti ex Hermanno ejus loci monacho discimus. Plura scripsit hic abbas, de quibus vide Trithemium in catalogo illustrium virorum, p. 130. Idemque summam basilicam Augiensem construxisse dicitur, quæ alia non est, quam ecclesia S. Marci Augiensis, cujus dedicatio a Theodorico Constant. episc. peracta est anno 1048. præsente imperatore; & in qua tandem hoc ipso anno, promotionis suæ quadragesimo, VII. idus Junias mortuus Berno sepultus est, ex chronico Hermanni Contracti. Vide Goldast. Alamann. antiq. tom. 2. p. 2. pag. 198.

XXX. Ulricus, *sive* Udalricus, cum esset monasterii decanus*, a fratribus in abbatem electus est & ab Imperatore confirmatus; cui Leo IX. anno seq. 1049. in festo Paschæ, Romæ abbatialem benedictionem impertiit, & antiqua ejusdem monasterii privilegia roboravit. Diem clausit extremum anno 1069. ex appendice Bertholdi Constantiensis ad Hermannum Contractum.

*al. provisor.

XXXI. Meginhardus & Meginwardus prius abbas Hildenesheimensis, Augiensem abbatiam post mortem Udalrici abbatis an. 1069. invasisse dicitur apud Lambertum, *patefacto in eam sibi per multam largitionem aditu.* Bruschius vero id accidisse tradit an. 1070. postquam, ob dissensionem fratrum, per integrum annum abbatia

vacasset. Ceterum, cum se contemtum, & quidem merito, animadverteret, post annum & aliquot menses abbatiam resignans, ad priorem sponsam rediit an. 1071. ex Lamb. Scafnab.

XXXII. Rudbertus, *sive* Rupertus abbas Babenbergensis, *seu* Montis monachorum, cognomento *Nummularius* ob immoderatam pecuniarum cupiditatem, simoniæ vitio in Augiensem abbatiam irrupit an. 1071. annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi, totidemque promisit, ut *ejecto* eximiæ sanctitatis viro abbate Widerado, Fuldensis abbatia ipsi traderetur; sed hanc non obtinuit, nonnullis, in faciem Regi, ne id faceret, obsistentibus, illaque non multo post, anno scilicet 1073. privatus est, cum jam anno præcedenti ob simoniæ crimen ab Alexandro II. anathemate percussus esset, & Babenbergensem abbatiam amisisset. Deinde tamen fuit abbas Gengenbacensis, ubi miserabilem ejus exitum vide.

XXXIII. Ekkehardus II. & Eggehardus, sive etiam Eggebertus & Euchardus ex comitibus de Nellenburgo, frater Eberardi comitis Sueviæ, patris Udonis archiepiscopi Trevir. ex chronico Jacobi de Bayone, Augiensi abbatiæ præfectus ab Henrico rege, Romæ ab Alexandro II. consecratur; qui tamen contra ipsum Henricum Rudolfo ejus æmulo favit. Multa etiam prælia cum Udalrico S. Galli abbate gessit; indeque Romanum iter aggressus, in oppido S. Domnini captus est a Cadaloo Parmensi episc. schismatico, a quo non nisi post longam captivitatem, & quidem Gregorii & Mathildis comitissæ interventu, liber abire permissus est. Dum autem in custodia detinetur, vulgato de ejus morte nuntio, ejus abbatia Udalrico S. Galli abbati ab Henrico rege traditur; sed mox ut Ekkehardus e captivitate reversus est, collectis copiis in S. Galli monasterium quatuor vicibus hostiliter debacchatur, abbatis ædes solo prosternit, magnamque prædam inde adducit. Denique Eggebertus, *seu* Ekkehardus Augusta Vindelicorum ab Henrici regis æmulis, Welfone scilicet Bajoariæ duce, & aliis capta, ejusdem urbis episcopus designatur; at in itinere morbo correptus, Augiam rediit, ibique decessit, ut in chronico Augiensi legitur, anno 1088. *al.* 1089.

XXXIV. Udalricus II. ex præposito abbas electus 1089. ab Urbano II. præsente Gebehardo episcopo Constantiensi ordinatus est in concilio Placentino, hoc est an. 1095. ex Bruschio & Bucelino. Obiit an. 1123. cum annis 34. præfuisset.

XXXV. Rudolfus baro de Bottenstein, frater Manegoldi abbatis Sangallensis, sedit ad clavum Augiæ-divitis annis novem, mortuus 1132.

XXXV. Ludovicus comes de Phulendorff, Suevus, post quatuor annos regiminis trucidatur a suis ministerialibus in ipso templo Tutlingano, pontificalibus indutus ornamentis. Sepelitur autem in Augiæ basilica majore ante sacellum S. Laurentii.

XXXVII. Ulricus III. comes Zolleranus; sanguine nobilis, sed moribus & vita nimium ignobilis, uno tantum præfuit anno.

A XXXVIII. Otho liber baro de Bottenstein, electus contra Fridoleum, post tres annos exauctoratur a Conrado rege.

XXXIX. Fridelo, Frideloch, Fridoleus, Fridelous & Fridelochus (sic varie nomen ejus exprimitur) baro de Heydeck præfuit ab anno 1141. in annos 21. quibus interim subscripsit an. 1144. sententiæ Conradi II. Rom. Regis pro Rodulfo II. Einsidlensi abbate contra Uldericum de Lenzenburg & cives *de Suites*. Idem quoque initam olim precum societatem cum S. Galli monasterio renovavit 1145. & anno seq. in comitiis Spirensibus chartæ, qua Con-
B radus rex abbatiam S. Maximini archiepiscopo Trevirensi tradidit pridie nonas Januarii, sigillum apposuit; ac denique testis memoratur an. 1155. ind. IV. quinto cal. Septemb. in bulla Friderici I. imp. de limitibus diœcesis Constant. anno ejus imperii primo.

XL. Ulricus IV. ex præposito, fratri suo Fridoleo in abbatia successit an. 1162. cumque annis decem præfuisset, morbo incurabili afflictus præfecturam abjecit.

XLI. Diethelmus I. baro de Krenchingen, dominus in Weissenburg, constituitur abbas ab imperatore Friderico Ænobarbo, & ab Urbano
C papa Romæ consecratur. Præfuit annis 37. sub quo summa Divitis-Augiæ basilica cœpta est ædificari an. 1172. Deinde fit episcopus Constantiensis, quam cum ecclesiam annis etiam 12. *al.* 15. rexisset, pastorali onere abdicato, se se in Augiam recepit, ubi tandem diem suum clausit an. 1209. *al.* 1206.

XLII. Hermannus baro de Speichingen ex præposito fit abbas an. 1209. ad octo tantummodo menses, quibus elapsis, ob adversam valetudinem cessit.

XLIII. Henricus I. comes de Kalwe, *al.* Kalben, vel Kalphen electus an. 1210. insigne privile-
D gium accepit ab Innocentio III. in quo Romæ & in omnibus synodis abbas Augiensis ex speciali gratia jubetur sedere ad pedes Romani pontificis, librumque sacramentorum, pontificiarum legum, & ordinationum SS. patrum præ manibus tenere. Obiit an. 1237.

XLIV. Conradus baro de Kimmern decessit an. 1255. die 22. Junii.

XLV. Burchardus baro de Hewen, postquam præfuit annis sex, an. 1261. regimen abdicavit in gratiam Eberhardi episcopi Constantiensis; qui cum abbatiam una cum episcopatu retinere vellet, Bertholdus Sangallensis abbas Romæ
E tantum effecit apud Pontificem, ut ea episcopo ademta, monacho cuidam Sangallensi regenda committeretur.

XLVI. Albertus baro de Ramstein ex monacho Sangallensi & decano capituli Constantiensis, fit abbas Augiensis an. 1262. superstes ad annum 1286.

XLVII. Henricus II. nobilis a Klingenberg, filius Udalrici militis ex Ermentrude baronissa de Castel, protonotarius imperatorius, legum doctor & episcopus Constantiensis, administratoris titulo huic abbatiæ præfuit sapientissime

annis decem. E vita migravit an. 1306. die A 12. Septembris.

XLVIII. Diethelmus II. baro de Castell prius abbas de Peterhausen, utrobique sapienter rexit. Et hic quidem refectorium & dormitorium construxit, ubi simul omnes cohabitare voluit, eosdemque vestem Benedictinæ professionis aliquandiu abjectam resumere. Vitam hanc mortalem cum meliore commutavit an. 1342. cum annis 34. *vel* 36. Augiensi monasterio præfuisset.

XLIX. Eberhardus baro de Brandis æmulum passus Diethelmum de Krenchingen, an. 1349. ab Udalrico episcopo Constantiensi admissus est B ad sacramentum Carolo quarto Cæsari præstandum. Infeliciter admodum annis 37. rexisse dicitur a Bruschio, tandemque obiisse die festo S. Michaelis an. 1384.

L. Mangoldus baro de Brandis ex præposito factus abbas, & eodem anno 1384. episcopus Constantiensis, cum aliquando conscenderet equum, repentina morte e medio sublatus est, aliis 1385. die 20. Febr. aliis vero, ut Bruschio epitaphium ejus in Augiensi basilica laudanti, 1384. VIII. cal. Novembris.

LI. Wernherus baro de Roseneck sedit octodecim annis in summa rerum angustia, cœnobio C ab antecessoribus suis ad extremam inopiam redacto. Obiit an. 1402.

LII. Fridericus I. comes de Zollern ex monacho in abbatem cooptatus mense Maïo anni 1402. tametsi a Romano pontifice exauctoratus, annis tamen 25. permansit abbas haud inutilis, favore Sigismundi imperatoris, quem cum uxore Barbara & aliis nobilibus perhumano exceperat hospitio. Obiit tandem anno 1427. die 1. Augusti, sepultus in summa Augiensi basilica ante aram SS. Trinitatis, cum paulo ante Fridericum baronem de Wardenstein, & dom. de Wildenstein monachum S. Blasii in subsidium D periclitantis Augiæ-divitis accersisset.

LIII. Henricus III. baro de Homberg a Pontifice primum intrusus contra Zolleranum, ac deinde contra monachorum voluntatem mortuo Zollerano, decessit, vix quatuordecim hebdomadis a morte antecessoris superstes, die scilicet 14. Novemb. an. 1427. sepultusque est in ecclesia majori. Post hunc duo ambierunt abbatiam, quidam scilicet de Gundelfingen canonicus Constant. & alter de Saxen monachus Einsidlensis, sed qui sequitur, palmam tulit.

LIV. Fridericus II. baro de Wartenberg, *al.* de Wardenstein, dominus de Wildenstein, de E quo supra in Friderico I. ex monasterio S. Blasii postulatus, Augiensi præsidere cœpit an. 1428. cujus ipse merito secundarius fundator appellari potest. Cum enim duos ibi tantum barones, Henricum comitem de Lupffen & Johannem baronem de Roseneck, qui tamen ambo relicta religionis professione discedebant ob extremam cœnobii paupertatem, reperisset, primus iste conventum ex nobilibus collegit, primum aliquibus ex monasterio S. Blasii advocatis, qui sacra facerent. Interfuit autem concilio Basileensi, de cujus mandato provinciale capitulum ordinis S. Benedicti Basileæ apud Fratres Prædicatores anno 1435. celebratum est, cui etiam adfuit. Obiisse dicitur anno seq.

LV. Johannes I. ab Hunwill vir nobilis.

LVI. Johannes II. Pfauserus a Nordstetten; & ipse nobilis, vulgo *Sauserus* dictus, quod conviviis tantum delectaretur, Johanni ab Hunwil successit.

LVII. Martinus comes de Weissenburg, ultimus e comitibus, Pfausero e vivis sublato subrogatus est.

LVIII. Georgius cognomento Piscatoris ex abbate Zuifaltensi, ubi plura de illo, factus est Augiensis an. 1507. utrobique pastor optimus. Decessit an. 1511.

LIX. Marcus a Knoringen, ultimus ejus loci abbas, contendit anno 1512. cum episcopatu Constantiensi, qua in dissensione arx Hohenkrehe a Sueviæ confœderatis vastata est. Denique post longas cum episcopis Constantiensibus altercationes an. 1540. administrationem abbatiæ episcopo Johanni VI. de Weza cedere coactus est; a quo tempore episcopus Constantiensis censetur abbas Augiæ-divitis, ibique duodecim tantum monachos sub priore claustrali degentes sustentat.

LX. Johannes III. de Weza archiepiscopus Lundensis & episcopus Constantiensis, hanc abbatiam suo uniri episcopatui a Romano pontifice curavit. Obiit apoplexia correptus Augustæ in frequentissimis Principum comitiis anno 1548. die 13. Junii, anno ætatis suæ quinquagesimo-nono; unde cadaver plumbeo loculo inclusum; ad Augiam hanc divitem elatum est & honorifice ibi conditum.

Ceteros abbates repete ex episcopis Constantiensibus, qui hoc titulo gaudent.

CAMPIDONA & CAMPIDONUM,
German. *Kempten.*

PRinceps, regale & imperiale monasterium ordinis S. Benedicti, situm extra civitatem imperialem ejusdem nominis, in Sueviæ finibus ad Hilaram amnem, a quo inditum pago Hilergovæ nomen, auctorem primum agnoscit, Hermanno teste, Andegarium, *sive* Amelgarium, anno, inquit Mabillonius, 752. quem aiunt Rolandi omnium Gallorum nobilissimi ducis, ex Bertha Caroli-Magni sorore geniti filium. Attamen Hildegardis regina Caroli-Magni conjux erga hunc locum adeo se munificam præbuit, ut ejusdem fundatrix ad an. 773. communiter habeatur. In primis vero sanctos martyres Gordianum & Epimachum Campidonæ collocasse perhibetur in diplomate Ludovici Augusti, Tattoni ejus loci abbati concesso; quod quidem veteri loci traditioni fidem conciliat, Hildegardem scilicet ejus monasterii, si non conditricem, saltem dotatricem ac benefactricem fuisse; unde etiam aliquando *S. Hildegardis cœnobium* nuncupatur. Hoc autem in censu abbatiarum facto an. 817. in conventu Aquisgranensi, inter illas recensetur, quæ dona tantum dare debent sine

Anal. t.4.p.469.

militia. Annumeratur etiam circulo Suevico, & officiales hereditarios habet: dapiferos duces Bavariæ, Pincernas Saxoniæ duces, marescallos comites de Montfort, & camerarios Landgravios de Nellenburg, quibus alii sunt substituti, & quidem ducibus Bavariæ equites de Roth, Saxoniæ ducibus nobiles Renner ab Almandingen, comitibus de Montfort equites de Prasberg, & Landgraviis de Nellenburg nobiles de Werdenstein. Abbas vero Campidonensis non solum princeps, sed etiam unus e quatuor illis est, quibus inter Germaniæ proceres sunt primæ sedes, quique in consessibus publicis ac pompis maxime honorantur.

Series Abbatum.

I. Andegarius, qui & Audocharius & Amelgarius, primus Campidonensis cœnobii fundator & abbas ab Hermanno Contracto memoratus, Romæ dicitur ab Adriano pontifice an. 773. *al.* 774. inaugurationem accepisse, necnon insigne privilegium tam pro se, quam pro suis successoribus, quo Campidonum alteram vel secundam Romam appellans, ab omni episcopali jugo exemtum ac perpetuo liberum esse decernit; abbati vero plenam ante meridiem sacra faciendi potestatem, ac post meridiem gladii usurpandi ad exercenda jura forensia, tuendos scilicet bonos, ac malos e medio tollendos concedit. Unde hic versus quem abbas & princeps hujus loci, cum Herbipolensi episcopo communem habet:

Campidona sola judicat ense, stola.

Obiisse fertur Andegarius an. 796. die 2. Novembris humatus Campidonæ sub ara maxima in choro.

II. Agapetus de Duro-cornu electus ex Bruschio anno prædicto 796. laudabiliter præfuit ad annum 817. quo animi dolore ex bibliotheca flammis absumta interiit die 4. Decemb.

III. Gothardus Kaltenbergerus, Aquisgranensis, moribus æque ac genere nobilis, ab eodem Bruschio præfuisse dicitur ab an. 817. ad 840. quo decesserit 3. Aug. Sed in hoc saltem emendandus est hic auctor, quod longius producat regimen & vitam hujus abbatis, de quo ac decessore Serarius lib. VI. rerum Moguntiacarum, pag. 624. verius id unum asserit, quod ambo ante an. 847. e vivis abierint. Imo vivere desierunt ante an. 839. ex mox dicendis.

IV. Tatto, omissus a Bruschio, innotescit ex duobus diplomatis Ludovici Augusti, quorum altero Aldrici cellam an. 839. sui videlicet imperii XXVI. ind. 2. XIV. cal. Maias restitui jussit; altero liberam electionis abbatis iisdem anno & indictione concedit monasterio Campidonæ, *quod est constructum in honore S. Mariæ semper virginis, & SS. Gordiani & Epimachi martyrum, quos bonæ memoriæ Hildegarda mater ejusdem imperatoris ad eumdem locum, pro divinis eis officiis adhibendis collocavit. Actum Cabalauno* civitate, palatio Regis, calendis Septembris, &c.*

* sive Cabilone.

V. Adelbertus, *al.* Eccenbertus Moringerus, de Hopfferbach, vir nobilis, Hittonis sexti episcopi Frisingensis nepos ex fratre, & in episcopatu successor, ad abbatiam quoque Campidonensem gubernandam accersitus dicitur a Bruschio 840. errore continuato. De quo, ait, reperitur scriptum in ambitu: *Anno 842. Adelbertus episc. Frisingensis & abbas, hic marcas monasterii reparavit.* Decessit XI. Jan. an. 854. & Frisingi, ubi plerumque sedebat, honorifice conditus est.

VI. Conradus I. Dorn de Kalbstaugusta (quod veteris arcis nomen est) vir illustris, castus & religiosus, eligitur in abbatem 854. mortuus 861. die 7. Martii.

VII. Gerungus Ambergerus, Augustensis, vir bellicosus plusquam religiosus, sed bonus tamen sui cœnobii pater, electus an. 861. coadjutorem accepit eum, qui sequitur, an. 868. Fato functus est 872. calendis Januarii.

VIII. Landefridus Hochtanner ab Hattenwil; nobili familia natus, vir admodum mitis, doctus item & legum peritia clarus, sed non perinde facundus, primum coadjutor, deinde abbas, multa construxit in civitate sua Campidonensi, quam & mœnibus muniri fecit, ac primus monetam cudit. Repentina morte sublatus est 16. Januar. an. 892.

IX. Fridericus I. Gremlichius de Ochsenbach; vir liberali doctrina & omnibus egregiis virtutibus pollens, tantumque feminei sexus amantior, sedit ad clavum abbatiæ annis 18. hoc est ab an. 892. ad 910. quo viam universæ carnis ingressus est, ultima die Febr.

X. Salomon baro de Ramschwag, adhuc canonicus Elewangensem abbatiam, tum Campidonensem obtinuit, ac demum S. Galli abbatiam adeptus, postremo Constantiæ pastor & episcopus factus est. De vixit an. 919. *seu* 920.

XI. Burcardus I. Rieznerus ab Hattenhofen, electus, inquit Bruschius, an. 910. sed, uti videtur, ad secundas tantum abbatis partes implendas, uti etiam fortasse Fridericus prædictus, obiit die 9. Januarii an. 927. sub quo proinde Hungari, *sive* Hunni cœnobium funditus everterunt an. 920.

XII. Theobaldus Preytfelderus de Aychstetten, vir nobilis & eruditus, sed non admodum religiosus, tredecim post impetratam pontificiam confirmationem hebdomadis, obiit die 3. Maii anni 928.

XIII. Adelbrechtus Landfurer a Sulgow defunctus est die 3. Febr.

XIV. Ludovicus Fridsamler de Rauns, illustri familia natus, eligitur an. 940. sub quo monasterium tertio vastatum est ab Hunnis, & monachi omnes solum vertere coacti sunt. Rebus humanis eximitur 25. Maii an. 941.

XV. Ulricus I. episcopus Augustanus, comes Kiburgius ac Dillingensis, a Ludovico moriente exoratus, monasterium ita misere combustum, vastatum ac deformatum, etiam jussu Othonis imperatoris, in commendam, ut vocant, aliquandiu habuit, donec scilicet monasterio ab Ernesto Sueviæ duce instaurato, cœnobitisque

profugis in unum recollectis, ipse Udalricus auctor fuit, ut iis abbas præficeretur.

XVI. Alexander Fordreffer ab Eck; vir nobilis, sacrarumque scripturarum peritia clarus, constituitur abbas resurgentis cœnobii an. 962. magno sane ipsius commodo, cujus dilapsas res non modo recuperavit, sed etiam auxit. Obiit autem 992. die sexta Augusti. At fortasse jam dudum abdicaverat;

XVII. Ruodolfus enim abbas Campidonensis an. 983. Othonem imperatorem Veronæ commorantem adiisse legitur, cujus rogatu, *propter petitionem Gisilharii Magdeburgensis venerabilis archiepiscopi*, eidem cœnobio liberam eligendi abbatis facultatem confirmavit; adjecitque ut nulli alii, præterquam Imperatoribus & Regibus abbas ejus loci subjectus esset. *Data IV. idus Junii anno Dominicæ Incarnat. DCCCCLXXXIII. indict. XI. anno vero regni secundi Ottonis XXII. imperii autem XV. Actum Veronæ.* Analect. t. 4. pag. 472.

XVIII. Stephanus Taradus ab Erpach, vir probus, pius, ac doctus, præfuit ab anno 992. ad 1011. quo decessit ex hac vita die decima Junii, cum aliquandiu etiam Lambertum antistitem Constantiensem in gubernando episcopatu adjuvisset.

XIX. Eberhardus I. Hertensteiner a Wineden, propter eximias animi dotes electus ex Heremo an. 1012. rexisse dicitur magna cum laude annis 32. & hebdomadis 30. tandemque obiisse die 3. Aprilis an. 1044. Ita quidem Bruschius, & quoad initium præfecturæ annales Heremi, qui postea curiensem episcopum electum tradunt, sed minime possessionem adeptum. Hermannus vero Contractus sic habet.

XX. Burcardus II. Campidonensis & Rhinaugiensis abbas obiit an. 1026. post quem

XXI. Ernustus dux Alamanniæ, interpellante matre, Conrado reconciliatus, Campidonensem *loco beneficii* abbatiam accepit, suisque militibus distribuit, nec multo post iterum rebellavit.

XXII. Giselfridus Latifolius, *vulgo* Preytblath, a Mulhusen, parentum & ingenii nobilitate conspicuus, sed nimium elatus, suisque voluptatibus indulgens, testante Bruschio, eligitur in abbatem an. 1044. diemque suum obit 1048. clarus ob discordias inter principes sua dexteritate sopitas.

XXIII. Landolfus Reinsteterus ab Hoheneck, aliunde accersitus præfuit uno tantum anno; postea cessit.

XXIV. Bertholdus I. a Thannenfeels per liberam antecessoris Landolfi cessionem abbatiam consecutus est an. 1049. ad paucos annos, cujus obitus notatur die 24. Aug.

XXV. Gebehardus I. Ratisponæ præsul circa id tempus Campidonensem abbatiam in beneficium accepit, ex Mabillonio post Hermannum Contractum.

XXVI. Henricus I. Dorenstichius, de veteri Ravenspurgo, prudentia non minus, quam nobilitate generis clarus, electus anno 1063. non diu præfuit. Obiit Constantiæ 7. Maii.

XXVII. Rudolfus II. Suevorum dux eadem A abbatia, curante Adelberto Bremensi archiepiscopo, donatur ab Henrico rege circa an. 1062. ex eodem Mabillonio.

XXVIII. Conradus II. Neobrunnerus de Osterraco, præfuit ab anno 1073. exauctoratus aliquot annis post an. 1081.* propter non admodum feliciter administratam gubernationem. E vivis excessit die 16. Julii.

* Ipso an. 1092. ex annal. Svevicis.

XXIX. Udalricus II. Lindegrun ab Ochsenbach, non tam genere, quam virtute nobilis, eligitur abbas an. 1092. Moritur autem 19. Martii.

XXX. Eberhardus II. in syllabo abbatum B apud Bruschium & Bucelinum desideratus, præerat circiter annum 1094. quo & Augustensem episcopatum, adhuc vivente Sigefrido episcopo, invadere volens, obidque Italiam ingressus, morbo Italico hoc anno consumtus fuisse dicitur in chronico Augustensi.

XXXI. Manegoldus monachus Hirsaugiensis, non per obedientiam missus, sed precibus amicorum suorum, ab Henrico V. in abbatem promotus est.

XXXII. Hartmannus I. abbas primum Gotwicensis, dein S. Udalrici & sanctæ Afræ, inde discessit schismaticum episcopum devitaturus, C factus demum abbas Campidonensis an. 1109. qui Danubii aquis submersus periisse traditur an. 1114. in chronico Augustano.

XXXIII. Hatto, *vel* Otho Niderhofius ab Eristheym, vir placidis moribus ac pietate spectabilis, eligitur abbas an. 1125. qui paulo post abdicavit 17. Maii.

XXXIV. Fridericus II. Festenberger a Landsbergo per cessionem Hattonis.

XXXV. Fridericus III. Klingenstein, Augustanus, vir sapiens ac verecundus, electus an. 1138. obiit 3. Aprilis anno incerto.

XXXVI. Robertus Conradus, Hennenbergius a D Scheydeck quinta die post electionem, ipsa quinta Novembris, dum pergeret Romam pro impetranda confirmatione, decessit anno 1152.

XXXVII. Fridelocus Vorburgerus ab Helmshofen eligitur eodem anno, de quo vide in Marquardo III. abbate Isnensis cœnobii.

XXXVIII. Adalbertus, omissus a Bruschio & Bucelino, testis est an. 1155. ind. IV. quinto cal. Septemb. in bulla Friderici I. imperatoris de limitibus diœcesis Constantiensis, anno I. ejus imperii.

XXXIX. Bertholdus II. Hochbergerus, de E Sacro-ligno, nobilis & eruditus, electus an. 1185. obiit 5. Augusti.

XL. Rudolfus III. Wolffgangus de Kungseck, vir nobilis, & prudentia rerum civilium gerendarum gravissimus, electus est an. 1208. cujus obitus notatur 3. Aug.

XLI. Henricus II. Burtenbachius eligitur an. 1220. moritur die 2. anni 1225.

XLII. Henricus III. a Summeraw nobilis tum genere tum virtute, electus an. 1225. præfuit annis decem, quibus cœnobium reædificavit. Decessit an. 1235. die 2. Januarii.

XLIII.

XLIII. Gebhardus II. Orteck, a Mayburg, religione clarior, quam genere, suum maxime regimen commendavit misericordia in pauperes peregrinos, quos ultra centum in magna annonæ caritate singulis diebus pulte cocta cibavit. Electus an. 1235. obiit 23. Aug.

XLIV. Theobaldus, *vel* Theotymus Birckherus a Felsburgk, præfuit an. 1237. mortuus die 14. Febr.

XLV. Avergerus Randecker, a Grundtstein exauctoratur die 7. Aprilis 1242.

XLVI. Hartmannus II. Mulegg, vir nobilis pius & legum cognitione insignis, eligitur eodem anno 1242. Nec multo post, Hunnis Germaniam & Sueviam populantibus, exsulare cogitur cum monachis. Obiit 3. Julii.

B

XLVII. Nericus, *vel* Ulricus Nerlinger, a Wuraberg successit an. 1253. sub quo magna pars cœnobii incendio periit an. 1261. postridie S. Magni: unde hi versus exstant:

Annis transactis plus uno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.

XLVIII. Eberhardus III. Burgberger ex Algovia, vir illustris, electus an. 1268. tredecim tantum monachos aluit, qui singuli singulas aedes incolebant, equosque & servos alebant plurimos. Moritur 22. Maii.

C

XLIX. Conradus III. Zoller a Wisensteig, vir justus & litteratus, eligitur an. 1296. ac die 5. Octobris moritur.

L. Hartmannus III. Schneeller a Rauns, nobili familia fatus, virtute ac doctrina illustris, eligitur 1302. Obiit leprosus 23. Januarii, ex eo maxime commendandus, quod in magna annonæ difficultate supra centum pauperes cocta pulte singulis diebus aluerit.

LI. Henricus IV. Impurus, ab Hirsdorff, vir prudentia & doctrina clarus, electus anno 1315. aluit tibicines, qui venientes equites exciperent & indicarent. Peregre proficiscens erat semper lorica indutus sub toga. Obiit 12. Maii anno 1331. sepultus ante aram Omnium Sanctorum.

D

LII. Burchardus III. Buregkius, Algovius ex Haselnwyler, nobilis quidem genere, sed non admodum religiosus, electus an. 1336. oppidi Campidonensis muros absolvi fecit, cumque aliquando fugisset ex cœnobio propter indissolubiles fratrum suorum discordias, obiit 19. Julii.

LIII. Conradus IV. ex cœnobio itidem fugit propter implacabiles fratrum dissensiones; & idcirco datus est eis commissarius a Romano pontifice episcopus Constantiensis, qui cœnobio præfecit gubernatorem Conradum Clangerbergerum sacerdotem ac præpositum. Porro sub tali regimine subtractis documentis tota pene abbatis auctoritas in Campidonenses cives deperiit, adeo ut Campidonensi loco civitatis nomen imponentes, portarum ejus claves, quæ prius semper in manu abbatis fuerant, penes se retinerent.

E

LIV. Gerwicus I. Hortbander, ab Helmshofen, vir nobilis, sed iracundus, electus est an. 1343. mortuus vero die 10. Febr.

LV. Henricus V. ab Oberhofen sedere cœpit an. 1346. qui haud multo post abrogavit eleemosynas & xenodochia vicina cœnobio, ejecitque pauperes. Obiit tandem infelix & inutilis gubernator die 20. Octob. sub quo cœnobii res plurimum imminui cœperunt.

LVI. Conradus V. Burgberger, Algovius, eodem anno, quo regimen capessivit sub Clemente VI. Romano pontifice, ex hac vita peste sublatus est die 29. Decembris.

LVII. Henricus VI. a Mittelberg electus an. 1356. moritur 1382.

LVIII. Fridericus IV. ab Hirsdorff non quidem omnibus suffragiis electus est anno 1382. pars enim elegerat Pilegrinum a Nordholtz, sed tandem hoc æmulo cedente, rexit ad annum 1405. quo vivere desiit.

LIX. Fridericus V. a Loubenberg, nobilis & sapiens, eligitur anno 1405. Interfuit autem conciliis Constantiensi & Basileensi, in quibus omnia privilegia renovari & confirmari curavit. Mortem oppetiit an. 1434.

LX. Pilgrinus a Werdnow electus an. 1434. utiliter præfuit ad an. 1451. quo defunctus, prope chorum sepelitur.

LXI. Gerwicus II. a Symmetingen successit anno 1451. sub quo abbate cœpit latina schola Campidonensis. Cessit vero in gratiam sequentis, post acceptam cladem ab Helvetiis in vicino colle Buchbergensi; ac deinde naturæ debitum solvit an. 1463. sepultus in sacello S. Michaëlis.

LXII. Johannes I. a Werdnow, vir nobilis, electus an. 1460. condidit arcem Liebenthann prope marcam Gunsbergensem an. 1479. ab imis fundamentis incœptam; horreum item vicinum cœnobio, dormitorium & ambitum magnum, seu claustrum, *S. Crucis ambitum* dictum, balneas & macellum supra Ilarum. Sub eo quoque inchoata est prima moletrina, in qua conficitur papyrus, anno 1477. & sacellum arcis Liebenthann consecratum est an. 1480. in vigilia S. Johan. Bapt. Obiit autem anno seq. in vigilia S. Elysæ*, sepultus sub eodem saxo, sub quo jacet patruus ejus Pilgrinus. * *f.* S. Elisabethæ, ut infra.

LXIII. Johannes II. a Rietheim nobili prosapia ortus, eligitur abbas ipsa die S. Elisabethæ an. 1481. Hic omnes cum civibus Campidonensibus dissensiones composuit. Cœnobium quoque in proximam sedis apostolicæ tuitionem revocavit; & partem majoris claustri ab antecessore incœpti perfecit. Demum e vita discessit an. 1507. in vigilia S. Galli, Ulmæ in ædibus Johannis Stockheri celeberrimi medici, unde Campidonum sequenti Dominica die revectus, ibidem honorifice conditur in crypta sub sacello S. Sebastiani, his versibus marmori in pariete posito incisis.

Abbas Johannes fama super æthera notus
Parvo hoc, ne dubita, contumulor lapide.
De Rietheim dictus, vita & virtute probatus
Emorior: requies sit, rogo, dic animæ.

LXIV. Johannes Rudolfus a Reyttnow eximie doctus & nobilissimus, eligitur die Lunæ post festum S. Galli an. 1507. Is emit a cive quodam Memmingensi arcem Schwabelbergensem amœnissimam, cumque annis sexdecim præfuisset, peste interiit Dominica *Exaudi* anno 1523.

LXV. Sebastianus a Breytenstein vir nobilis, electus die Lunæ ante festum Pentecostes, anno 1523. totam in se commotam provinciam habuit an. 1525. Inde vero cœnobium occupatur, ejectisque cœnobitarum ministris misere devastatur; cumque interim abbas & monachi in arcem Liebenthann confugissent ablatis secum quibusque pretiosioribus, rustici arces omnes diripuerunt, ne quidem Liebenthanniæ parcentes, & inde abductus abbas omnia jura in urbem Campidonum prius habita, pro 32. millibus aureorum nummorum civibus seditiosis vendere coactus est. Deinde tamen Sebastianus vastatas reædificavit arces, novamque Sultzbergensem supra Campidonum ad ejusdem nominis locum positam cum suis appendicibus emit a nobilibus viris de Schellenberg. Obiit tandem podagra jam septuagenarius 8. Junii an. 1536.

LXVI. Wolffgangus a Viridi lapide, vulgo Grunenstein, nobili loco genitus, vir præclaris omnibus tum animi tum corporis dotibus instructus, cum jam esset decessoris coadjutor ab anno 1534. eidem mortuo successit an. 1536. Is autem sibimet tumulum in media Campidonensi ecclesia marmoreum adornavit, cum tali epigraphe: *Salve viator, & noli terreri: communis hæc est, quam aspicis, mortalitatis nostræ facies. Sed qui sim, requiris! fui, non sum: es, non eris: nec ego te in tenebris noscere possum, sed ut teipsum noscas, rogo. Vale novissimorum tuorum nunquam immemor, ut non pecces, & moriaris perpetim.* Obiit 5. Junii an. 1557.

LXVII. Georgius L. B. a Gravenegg decessit 16. Junii 1571.

LXVIII. Eberhardus IV. a Stein, e vivis excessit 26. Junii 1584.

LXIX. Albertus ab Hohenegg vivere desiit 1587.

LXX. Johannes Erhardus Blarer a Wartensée 1594.

LXXI Johannes Adamus Renner ab Almandingen, 1607.

LXXII. Henricus VII. ab Ulm, 1616.

LXXIII. Johannes Eucharius a Wolffurt, 19. Martii 1631.

LXXIV. Johannes Willibaldus Schenck a Castell, 13. Martii 1639.

LXXV. Romanus Giel a Gielsperg, obiit Romæ 21. Julii 1673.

LXXVI. Bernardus Gustavus, S. R. E. cardinalis, marchio Badensis in abbatiali regimine præcessit Rupertum, qui sequitur; simul abbas ecclesiæ Fuldensis, obiit anno 1677. die 26. Decemb.

LXXVII. Rupertus ex baronibus de Bodmann, patre scilicet Johanne Sigismundo de Bodman in Steisslingen & Helena Barbara de Cotwiz matre, ad clavum sedit, simul Imperatricis archicancellarius, *seu* archimarescallus, ab an. 1677. ad 1727. quo ipso defunctus est.

LXXVIII. Anselmus baro Reichlin de Meldegg, ex coadjutore successit.

S. TRUDTPERTUS.

S. Trudp.

CEleberrimum istud ac vetustissimum ordin. S. Benedicti monasterium in Brisiaca* & quidem in decanatu Brisachensi, ad Herciniam silvam, tribus a Friburgo milliaribus situm, conditum fertur, ante mille annos a primis Habspurgi comitibus. Primum vero *Numaga* dictum est ab amne præterlabente, ac deinde S. Trudperti ab eodem sancto eremita, genere Scotto-hiberno, qui ibidem a nefariis hominibus cæsus medio fere seculo septimo, sepultus est in oratorio S. Petri, ab se ibidem inchoato, cooperante Othperto Habspurgi comite, qui ipsum hospitio liberaliter exceperat. Othperto mortuo, Rampertus, ejus post longam nepotum seriem heres, neglecti oratorii loco insignem exstruxit basilicam in beatorum apostolorum Petri & Pauli memoriam: atque in ea corpus sancti Trudperti e tumulo elatum, reponi curavit an. 813. VI. calend. Maii. Ineunte seculo decimo Liutfridus comes monasterium istic *renovasse* dicitur, sub titulo apostolorum Petri & Pauli & B. Trudperti; *ubi sub beati ac venerabilis Benedicti regula militantes, tota die ac nocte laudes Domini non tacerent*, ex S. Trudperti vita in Aprili Bollandiano.* Hujus instaurationis dotationisque tabulas refert Bucelinus,* anno DCCCCII. signatas, in quibus singula prædia cum suis terminis describuntur. In his litteris Liutfridus comes *de Altenspurg* ait se decrevisse quoddam monasterium in honorem Dei constructum & Sanctorum apost. Petri & Pauli & S. Trudperti, *quod a præterfluente fluviolo Numaga, nunc monasterium S. Trudperti vocatur*, quod a fratre suo Hugone in partem hereditatis acceperit, *restaurare & augmentare* cum ædificiis & ornamentis ad divinum cultum pertinentibus; adeoque se conferre huic loco, quidquid per chartam donationis a progenitoribus suis, Otperto scilicet, qui S. Martyris *inductor* & hospes fuit, & Ramperto, aliisque fidelibus donatum fuisset. Quæ dotatio a Liutfrido facta est, consentientibus filiis ejus Hundfrido, Liutfrido & Hugone. Hæc acta sunt in ipso monasterio, *anno tertio regnante Ludovico filio Arnolfi, IX. calendas Martii*, scriptaque a Willigero ex ipso monasterio *vice cancellarii*.

* In Brisg.

* Tom. 3. pag. 434.

* Tom. 1. Germ. part. 3. p. 29.

SERIES ABBATUM.

I. WALDERICUS abbas primus eidem loco præfectus memoratur, cujus certe fit mentio in ipsis fundationis litteris, apud Bucelinum part. 1.

II. Erchambaldus abbas monasterium istud post aliquot annos incendio consumtum instauravit, idemque S. Trutperti vitam in litteras retulit.

III. Dietramus I. claruit an. 1036.
IV. Dietramus II. 1066.
V. Udalricus I. 1070.
VI. Altmannus abbatem egit an. 1086.
VII. Gebo sedit ad clavum 1097.
VIII. Benno, *sive* Benedictus, rexit cœnobium an. 1117.
IX. Udalricus II. præfuit 1140.
X. B. Eberhardus claruit an. 1156.
XI. Rudegerus 1186.
XII. B. Hugo, genere & virtute magnus 1189.
XIII. Henricus I. 1216.
XIV. Conradus I. 1242.
XV. Absolon 1255.
XVI. Wernherus I. 1288.
XVII. Wernherus II. obiit 1302.
XVIII. Bertholdus decessit 1310.
XIX. Henricus II. diem clausit extremum 1319.
XX. Benedictus baro de Stauffen 1407.
XXI. Conradus II. cognomento Loeser, 1432.
XXII. Paulus exstinctus est an. 1455.
XXIII. Rudolfus præfuit an. 1480.
XXIV. Nicolaus Zeller obiit 1483. auctor principis aræ.
XXV. Othmarus e vivis excessit 1505.
XXVI. Egidius, bello rustico vexatus, vivere desiit 1520.
XXVII. Martinus I. Geyer naturæ debitum solvit 1529.
XXVIII. Martinus II. Lessler superstes anno 1543.
XXIX. Melchior Rebstock equestri familia, obiit 1565.
XXX. Georgius I. Helle cessit an. 1573. mortuus 1586.
XXXI. Jacobus I. Wattendinger, accitus e S. Blasio, decessit an. 1594.
XXXII. Georgius II. Gailgart obiit 1. Martii 1596.
XXXIII. Johannes I. Erhardt defecit 30. Aprilis an. 1598.
XXXIV. Thomas Fuxlin, in argentifodinas omnia exhauriens, a regimine deturbatur.
XXXV. Jacobus II. præerat 1624.
XXXVI. Johannes II. Roesch magna prudentiæ laude & rerum gerendarum dexteritate abbatem egit.
XXXVII. Georgius III. Garnetus, ex priore abbas, cœnobium Suevico bello exustum restituit.

S. GEORGIUS IN HERCINIA, *seu* NIGRA-SILVA.

HOc monasterium ordin. S. Benedicti in decanatu Villigensi conditum est auctore Hezilone, viro nobili & religioso, qui ad id operis consilio & auxilio nobilis æque ac religiosi viri Hessonis usus est; & in hoc quidem consentiunt Trithemius, Bucelinus & Mabillonius, sed in eo Trithemius, & Mabillonius a Bucelino discrepant, quod hic fundationem consignet sub annum 824.
A illi sub finem XI. seculi. Favet autem priori sententiæ quod Wigericus ex abbate hujus monasterii factus dicitur episcopus Metensis an. 923. mortuus 927. unde colligas illos non de prima fundatione intelligendos esse, sed quasi de secunda, ita ut quod rudi primum opere apud villam Neharteskirchung, ait Bucelinus, excitatum erat, in magnum postea splendorem excreverit, curante potissimum B. Willelmo Hirsaugiensi abbate. Dehinc translatum est cœnobium ad pagum *Bara*, atque inde in *Waldaw*, donec hinc quoque graviter jactati secedere monachi & e solitudine in urbem Villingam se conferre cogerentur.
B Quando scilicet non ita pridem, inquit Mabillonius, dux Wittembergensis Lutheranus monasterium invasit. Huic autem cœnobio subjacet hactenus cella S. Sigismundi proxime Rubeacum *Rufach*, in Alsatia, abbatia primitus, dein præpositura. Ceterum quod in appendice ad Hermannum Contractum de consecratione monasterii in honorem S. Georgii, non longe a novo S. Martini cœnobio illic exstructo, ubi Danubius & Ilaris fluvii conveniunt, facta per Gebehardum episcopum Constantiensem, ac de ipsius a nobili viro Conrado & fratre ejus ad S. Blasium traditione circa 1093. legitur, de alio quam
C nostro intelligendum videtur monasterio.

SERIES ABBATUM.

I. WIGERICUS ex abbate S. Georgii in Nigrasilva evasit episcopus Metensis an. 923.

II. Henricus I. ex Hirsaugia illuc a S. Willelmo suo abbate directus anno 1086. die 6. Decembris, obiit anno seq. eodem die recurrente; habuitque successorem anonymum quemdam, qui paulo post ab eodem S. Willelmo depositus fuit.

III. S. Theotgerus, *vel* Dietgerus ex Orientali Francia oriundus, Hirsaugiæ monachum induit
D sub S. Willelmo abbate, a quo deinde primus Reichenbacensi monasterio datus est Prior, tum vero electus abbas S. Georgii 1088. tertio post anno 1091. ejusdem S. Willelmi exsequiis interfuit ex Trithemio. Adsuit etiam 1105. ordinationi Brunonis in abbatem Hirsaug. quem & Pontius abbas Cluniacensis cum tota ipsius familia ad societatem precum sui monasterii admisit 1115. Præfuit autem in abbatiali dignitate annis fere 28. tandemque anno circiter 1117. ad episcopatum Metensem promotus; quo abdicato post duos annos, Cluniaci monachum profitetur, ubi sepultus 1120. die 29. Aprilis,
E *al.* 1119. *vel* 1121. miraculis claruisse dicitur a Paulo Bernriedensi in vita Gregorii papæ, varie jactatus pro Romana ecclesia, inquit Bucelinus.

IV. Wernherus I. baro de Cimbern, B. Theotgeri discipulus, eidem facto episc. Metensi in abbatia *S. Georii juxta flumen Briganam* successit. Adhuc autem præerat 1126. de quo in fundatione S. Johannis prope Tabernas *Saverne*. Obiit 1134. die 14. Decemb. Ch. xx. col. 479.

V. Fridericus electus anno 1135. abdicavit 1138.

VI. Johannes I. bullam obtinuit an. 1138. ab Innoc. II. pontifice, qua monasterii possessiones confirmantur. Cessit an. 1141.

VII. Fridericus secundo, mortuus est 1154.

VIII. Gunthramnus, cui Fridericus I. imperator cœnobium Luxheim situm in Metensi diœcesi tanquam monasterii S. Georgii proprietatem confirmavit. Obiit 1168. die 9. Dec.

IX. Wernerus II. ex Priore, moritur 1170.

X. Mangoldus bullam accepit ab Alexandro III. & a Lucio III. pontificalibus ornamentis pro se suisque successoribus donatus, cessit anno 1187.

XI. Albertus electus est 1188.

XII. Mangoldus secundo, eligitur 1191.

XIII. Theodericus obiit 1209.

XIV. Burchardus I. electus 1209. moritur 1220. die 24. Septemb.

XV. Henricus II. electus 1220. de suo ingemuit exusto cœnobio 1224. cui rursum érigendo B. Conradus cardinalis episc. Portuensis, sedis apost. legatus proventus ecclesiarum, in quibus monasterium jus obtinet patronatus, ad triennium concessit datis litteris Schaffhusii an. 1225. die 8. Jan. Obiit autem 1259. die 25. Martii.

XVI. Dietmarus electus 1259. decessit 1269. 12. Aprilis.

XVII. Eberhardus I.

XVIII. Waltherus societatem precum iniit cum Udalrico & conventu Zwifaltensi anno 1283. mense Junio. Obiit 12. Martii anno incerto.

XIX. Burchardus II. obiit circa 1290.

XX. Bertholdus obiit circa 1307.

XXI. Udalricus I. de Deck an. 1308. transactionem instituit cum sororibus ord. S. Dominici de domo Patrum *in der Watter Samlung*. Eo regente an. 1316. Bonifacius Gerardi episcopi Constant. suffraganeus monasterium S. Georgii ejusque sacella quatuor exusta, cum ambitu & cœmeterio pridie idus Oct. reconciliavit. Decessit Udalricus circa 1334.

XXII. Henricus III. vocatur a Diethelmo Augiæ-Divitis abbate quoddam ipsi mancipium tradente an. 1337. *gratiosus abbas*. Decessit subita morte in monasterio Gengenbacensi, quo ex visitatione Lotharingica, Westriaca & Alsatica diverterat, mortuus in suo lecto repertus anno 1347. die 7. Octob.

XXIII. Udalricus II. nobilis a Truchtelfingen sub quo monasterium ita deflagravit, ut per viginti annos absque habitatoribus fuerit, divinusque totaliter sublatus sit cultus. Ano 1354. insigne privilegium obtinuit a Carolo IV. imperatore pro immunitatibus sui monasterii; verum dissolute vivens exauctoratus est an. 1359.

XXIV. Johannes II. comes de Sultz postulatus ex Augia-majori an. 1359. illuc remittitur an. 1364.

XXV. Udalricus secundo, moritur Rotwilæ 9. Martii an. 1368.

XXVI. Eberhardus II. Canzler nobili ortus genere, electus an. 1368. monasterium suum

A præclare restituit, & cum asceteriis annexis reformavit. Basilicam S. Georgii, ædemque S. Laurentii parochialem cum sex sacellis restauravit, quæ cum cœnobio, ambitu & duobus cœmeteriis a Petro suffraganeo Henrici episcopi Constant. XIV. calend. Octob. an. 1370. consecrata sunt. Cultum divinum, aucto monachorum numero, sedulo promovit, æs alienum dissolvit, oppignorata redemit. Pie tandem decessit XI. Decemb. anno 1382. titulo fundatoris secundi, merito decorandus.

XXVII. Henricus IV. Criwelius an. 1385. Johanni Haimburger patricio ac consuli Villin-
B gano arcem Kurneck vendidit. Anno seq. cum monasterio Amptenhusano compositionem fecit. Defunctus est circa 1391.

XXVIII. Johannes III. an. 1392. controversiam ob decimas Durnwangenses composuit, variaque mancipia eodem & sequentibus annis, cum Wernhero abbate Augiæ-Divitis, Johanne abbate S. Blasii & aliis permutavit. An. 1417. die ult. Febr. cum tribus aliis abbatibus præfuit ordinis capitulo provinciali. Constantiæ in monasterio Petri-domus celebrato. Obiit denique an. 1427. 31. Jan.

XXIX. Silvester Billing permutationes man-
C cipiorum fecit cum Nicolao S. Blasii & Johanne in Stein abbatibus. Obiit circa 1434.

XXX. Henricus V. Ungericht, patricia familia in Sulz Wirtenbergiæ oppido natus, dynastiam Tribergensem an. 1441. loco pignoris obtinuit. Mancipia quædam cum Nicolao abbate S. Blasii & aliis, quorum aliqui eum Principem vocant, permutavit. Cessit officio an. 1457.

XXXI. Johannes IV. Schwigger patricia itidem familia ex Sulz Wirtenbergiæ oppido, cum Petro abbate S. Blasii & aliis transigit super servis & mancipiis. Obiit 1467. die 6. Januarii.

XXXII. Henricus VI. Marschalck nobili
D familia natus, anno 1472. constitutiones salutares Ursprungensi parthenoni dedit. Decessit an. 1474.

XXXIII. Georgius I. ab Ast, cum in ipso primo electionis anno totum monasterium, præter ædem abbatialem & sacellum B. Mariæ Virg. exustum, ac pene ad incitas, alienatis possessionibus, redactum esset, obtinuit ab Othone Constantiensi episcopo ecclesiam Ingoltingen monasterio suo, auctoritate Sixti IV. papæ an. 1482. adjungi; eoque adjutus subsidio Georgius cœnobium suum præclare restituit & una cum basilica S. Georgii, ejusque decem aris & sacellis
E quatuor per Danielem episcopum Bellinensem Constantiensis suffraganeum an. 1496. consecrari fecit. Sequenti vero sacellum S. Georgii in ædibus monasterii Villingæ ab eodem Georgio abbate exstructum idem Daniel episcopus sacravit. Pagum etiam Schabenhusensem ab Henrico de Hawstetten idem Georgius abbas emit anno 1502. Ad comitia imperialia Wormatiam anno 1497. & Francofurtum an. 1504. tanquam Imperii membrum a Maximiliano imperatore vocatus, comparuit. Maximis demum laboribus perfunctus, & introducta in monasterium suum

reformatione clarus, decessit 23. Maii an. 1505. A sepultus in sacello S. Wolfgangi, quod construxerat.

XXXIV. Eberhardus III. Blez a Rotenstein an. 1507. ab imperatore Maximiliano privilegium nundinarum hebdomadalium & annualium obtinuit. Biennio post cum Hugone episcopo Constant. super solutione primorum fructuum ratione ecclesiæ Ingoltingen annexæ transegit. Obiit Rotwilæ an. 1517. 6. Junii, eodem quo electus die.

XXXV. Nicolaus Schwander electus anno 1517. privilegiorum confirmationem obtinuit B a Carolo V. imperatore an. 1521. abdicavitque 1530.

XXXVI. Johannes V. Kern ex Auwellfingen, electus an. 1530. Spiram anno proximo, & sequenti Ratisbonam a Carolo V. Cæsare ad comitia imperialia vocatus, ceteros inter imperii proceres consedit. Prædicantem Lutheranum, quem Ulricus Wirtenbergiæ dux an. 1535. ad S. Georgium miserat, suggestu primum prohibuit, deinde post aliquot hebdomades omnino exegit. At cum sequenti anno ab ejusdem Ducis præfecto Hornbergensi Jodoco Monch a Rosen- C berg ipso festo Epiphaniæ Domini ipse & conventus ejus ignominiose & armata manu ex monasterio ejiceretur, templum ac cœnobium totum spoliaretur, omnesque campanæ Hornbergam aveherentur, Carolus V. imperator exsules in suam & Imperii protectionem suscepit, & per fratrem suum Ferdinandum Romanorum regem senatui imperialis civitatis Rotwilanæ, quo exsules confugerant, injunxit, ut bona monasterii S. Georgii urbi suæ viciniora contra Wirtenbergicos defenderent. Idem biennio post ab eodem rege Ferdinando magistratui Villingano injunctum; qui etiam diploma regium anno 1544. Johanni concessit, quo cœnobii S. Georgii prædia in Ingelringen & Degernauw in suam specialem D protectionem suscipit. Restitutus an. 1548. a Carolo V. imper. Johannes abbas, etiam rem catholicam, ejecto Prædicante, restituit; sed paucis annis quietem habuit; etenim Christophorus Ulrici filius Wirtenbergiæ dux, restituto Prædicante, duodecim insuper scholares heterodoxos cum suo præceptore cœnobio immisit, sumtibus S. Georgii alendos. Denique Johannes novis in dies tribulationibus ab eodem Duce exagitatus, & adversa insuper valetudine affectus, habitationem suam, curandæ valetudinis gratia, Villingam transtulit, relictis in cœnobio conventu & familia. Obiit Villingæ an. 1566. die 8. Apr. sepultus in E choro patrum Franciscanorum conventualium. Sub hoc autem abbate Joachimus Bruning conventualis & prior monasterii S. Georgii aliquandiu administratorem in Alberspach Herciniæ, ac dein abbatem in cœnobio Monasteriensi Vallis S. Gregorii in Alsatia egit.

XXXVII. Nicodemus Leupoldt ex Binsdorf, electus an. 1566. die 17. Apr. intra proximum ab electione triduum a subditis in Suevia hominium accepit. Quinto vero post die monasterium S. Georgii Ernestus comes de Schawenburg, Christophori Wirtenbergiæ ducis præfectus in Hornberg, armata manu invasit, ac pseudo-abbatem Lutheranum, * nomine Principis sui, constituit, cujus electionem Nicodemus legitimus abbas per notarium Cæsareum, qui protestationis instrumentum portæ monasterii S. Georgii coram testibus inseruit, impugnavit. Vir fuit sanctimonia aliisque virtutum meritis ornatus, uti de eo instrumentum confirmationis testatur, imo ab ipsis heterodoxis, ob integritatem vitæ, laudatus est. Congregationi Benedictinæ Suevicæ cum monasteriis Weingartensi, Ochsenhusano, Zuifaltensi, Wiblingensi & Isnensi, approbante Feliciano episcopo Scalensi, nuntio apostolico, initium dedit, cujus etiam decreto, quarto loco subscriptus reperitur, quam postea congregationem Clemens VIII. papa confirmavit. Obiit Nicodemus Villingæ die 17. Sept. an. 1585. sepultus in sacello domestico veteri; ex quo postea 1664. cum destrueretur, ejusdem ossa a Johanne Francisco abbate ad novum translata sunt.

* Henricum Rentzium.

XXXVIII. Blasius Schonlin Villinganus, electus 1585. die 24. Septembris, anno seq. confirmationem privilegiorum ab archiduce Ferdinando obtinuit. Cessit an. 1595. 20. Martii.

XXXIX. Michaël I. Geisser, ex Ingeltingen, electus ipso die cessionis Blasii, ducentorum florenorum fundationem fecit, ut in æde-parochiali Villingæ B. M. Virgini sacra singulis feriis sextis canticum *Salve Regina* a B. Hermanno Contracto monacho Benedictino compositum, circa quintam vespertinam horam caneretur. Villingensem domum conventualem, destructa veteri, a fundamento construxit. Morbis denique quasi continuis divexatus obiit Villingæ eo ipso, quo natus erat die, nimirum 17. Sept. an. 1606. in choro patrum Franciscanorum in sepulcro Johannis Kern abbatis cognati sui tumulatus, licet lapis sepulcralis particularis sit.

XL. Martinus Starck Villinganus, electus an. 1606. die 25. Sept. hominium eodem mense & anno a subditis in Suevia accepit. Dignitate sua cessit an. 1615. die 23. Octob. mortuus & sepultus in Rippolzaw an. 1632.

XLI. Melchior Hang, Villinganus, electus an. 1615. die 6. Nov. confirmationem privilegiorum & a Maximiliano & Leopoldo archiducibus Austriæ impetravit. Obiit 1627. die 3. Nov. sepultus in choro Franciscanorum conventualium Villingæ.

XLII. Georgius II. Geisser, ex Ingeltingen electus 1627. die 15. Novembris, post diuturnas litium ambages, tandem anno 1630. die 21. Martii edicto cameræ Spirensis lato contra ducem Wirtenbergiæ, a commissariis Cæsareis cœnobio suo die 2. Septemb. immissus, sequenti die hominium a subditis accepit. Verum exacto non integro sesquianno Wirtenbergici, explorata Georgii absentia, monasterium 19. Januarii rursum occuparunt ac spoliarunt. Attamen restitutus suo cœnobio abbas Georgius anno 1634. post victoriam Nordlingensem, anno 1640. ad comitia imperialia Ratisbonam a Cæsare Ferdinando III. citatus comparuit. Deinde

vero post initam pacem Monasterio-Osnabur- A gensem, vi cujus e cœnobio rursum excedere Georgius coactus est, sexennium mensesque decem supervixit, ac interim a serenissimo archiduce Ferdinando Carolo privilegiorum confirmationem an. 1653. obtinuit. Decessit an. 1655. die 29. Aug. sepultus in sacello veteri domestico, quod organo ac tabula B. M. Virginis ab angelo salutatæ decoraverat. Ex eodem vero, cum an. 1664. destructum esset, una cum successore proximo Michaële abbate ad novum translatus, in tumulo Nicodemi tubam novissimam expectat.

XLIII. Michaël II. Kederer, Willinganus, B electus an. 1655. die 6. Septembris, obiit anno 1661. calendis Novembris.

XLIV. Johannes-Franciscus Scherer, Villinganus, electus 1661. die 21. Nov. destructo veteri sacello S. Georgii, novum cum choro (quo vetus caruerat) excitavit, eique domum conventualem, sublatis antiquæ ante annos viginti septem combustæ ruderibus, pia bonorum liberalitate a fundamentis adstruxit. Vivebat adhuc Villingæ in exsilio cum suo conventu, quem sacerdotibus sex & uno diacono auxit, die 22. Aprilis an. 1669. annum agens ætatis 56.

XLV. Georgius Geisser, *al.* Gaisser, quem C Mabillonius noster monachum doctrina & pietate præstantem, suisque studiis juvandis totum addictum se vidisse commemorat, fuit postmodum abbas circa 1690.

Præter hos abbates quidam, nomine *Florat*, accitus ex Heremitarum monasterio legitur in historia quadam Gallico idiomate hujusce monasterii Heremitani, pag. 205.

RHEINAW & RHINOW.

RHENOVIUM, RHINAUGIA & RINAWA.

URbs & monasterium in decanatu Steckbo- D rensi diœcesis Constantiensis, in descensu Rheni fluminis, sub ipsis proxime cataractis, quæ in Rhenum, postquam Scaphusium præterfluit, e rupe cum grandi aquarum sonitu præcipitant. Monasterium ipsum insula tenet, a Rheno, ubi duo in cornua divisus, cursum tantisper ad orientem solem dirigit, efformata. Ex latere australi in territorio Suevico peninsula nemorosa, & ipsius territorii nomen hodie servans, protenditur occasum versus: alia ex latere Aquilonari peninsula urbem, aut potius notabilia urbis antiquitus dirutæ, ad fines ditionis Tigurinæ ortui ostentat. Sed notandus maxime venit hic loci E curvus Rheni alveus, quem linea recta per monasterii latitudinem ducta, quatuor omnino vicibus brevi spatio tangere posset. Insula cum monasterio urbi, urbs quoque ditioni Suevicæ pontibus junguntur. Porro istud cœnobium, ex traditione, præcipuum agnoscit auctorem Wolfehardum Kiburgi comitem, avum fortasse Wolweni, ejusdem instauratoris, cujus scilicet *avus & pater, necnon & ipse cænobium quoddam Rinawa in pago Turgowe & in comitatu Adalhalmi construxisse dicuntur in* charta Ludovici Germaniæ regis data in generali concilio Moguntino an. 852. ind. xv. & regni ejus decimo, quam vide inter instrumenta. Et certe jam anno 800. Rhinaugiam se recepit Findanus, Scottus, *seu* Hibernus provinciæ Lageniensis, ubi post quinquennium vitæ communis, reclusus in cellam privatam, viginti duobus annis in illa reclusione perseveravit usque ad mortem, quæ contigit an. 827. ætatis 78. XVII. cal. Dec. idemque sanctus successu temporis antiquioribus monasterii patronis, beatissimæ virgini Mariæ, S. Petro apostolo, & S. Blasio episcopo & martyri adjunctus est.

SERIES ABBATUM.

I. ADDALBRASTUS in serie MS. beneficio reverendi patris D. Bernardi Rusioni pro defuncto nuper D. Gregorio Lew bibliothecarii ad nos transmissa, primus inter abbates reponitur circa annum septingentesimum, sed melius fortasse circa octingentesimum.

II. Antwartus an. 844. cujus meminit liber fratrum conscriptorum S. Galli.

III. Gobertus, *seu* Gohpertus Moguntiæ confirmatur an. 852. ut patet ex charta superius memorata.

IV. Wolvinus & Wolfenus, *Wolvene* in charta jam tertio memorata, *vir nobilis de Alemannia*, seu comes de Kiburg, ut alii volunt, ex monasterii tertio fundatore, seu restauratore monachus factus sub Goberto, quem eligi & confirmari abbatem curaverat, ex eadem charta eidem in abbatiali munere successit, superstes, ait Bucelinus an. 868. Quinimo Ludovicum Germaniæ regem anno regni ejus 37.* in Francia Orientali indict. III. XIII. cal. April. beneficum expertus est, ex charta quam præ manibus habemus, hoc est an. 870. Hujus etiam meminit liber fratrum conscriptorum S. Galli. * f. 17.

V. Wichramnus societatem precum iniit cum Bernardo abbate & monachis S. Galli an. 885. de quo etiam fit mentio in libro fratrum conscriptorum S. Galli.

VI. Gotsbertus comes Kleggoviæ & insignis benefactor an. 888.

VII. Redepertus an. 912.

VIII. Ruadpoldus.

IX. Wiprastus an. 970. sub Ottone Magno, qui 973. Ludovici regis diploma renovavit & auxit, rogatu S. Conradi episcopi Constant.

X. Adelbertus Renaugiæ abbas miserabiliter occisus est an. 990. ex annalibus Einsidlensibus, tom. IV. analect. Mabill. pag. 479.

XI. Notkerus 995. sub Ottone III. imperatore.

XII. Burchardus I. 1023. simul abbas Campidonensis, obiit 1026.

XIII. Pirchtillo & Pirchtilo successit eodem anno 1026. ex Mabillonio.

XIV. Richardus an. 1053. sive sub annum 1054. ut loquitur Hermannus Contractus, cum Henrico Divitis-Augiæ monacho Jerosolymam profectus est, ut loca sancta visitaret; cum prius ab Henrico III. imperatore privilegiorum confirmationem obtinuisset.

XV. Gerungus circa annum 1067. beneficos A experitur Luitoldum de Weissenburg & Fridelunam comitissam.

XVI. Chuno monachus de Petershausen postulatus sub annum 1090.

XVII. Otto monachus Hirsaugiensis, deinde abbas Blaubyrensis, fuit postmodum Rhenoviensis, ex Trithemio.

XVIII. Dietmarus ab Honorio II. papa, & a Lothario II. imperatore gratiosa obtinuit diplomata contra Rudolfum comitem de Lenzburg advocatum monasterii, circa 1125.

XIX. Diethelmus I. ex monacho S. Blasii factus est abbas Augiæ-Rheni *Rheinaw*, circa 1144.

XX. Sigehartus.

XXI. Othan.

XXII. Henricus de Wartenberg & Wartinbach 1206.

XXIII. Burchardus II. an. 1241. insigne diploma consequitur a Friderico II. imperatore contra Diethelmum de Crenckingen advocatum monasterii; Burchardo videlicet, quem dilectum principem vocat jura venandi, piscandi, fori, monetæ ab aliis invasa, quin & ipsam advocatiam restituit.

XXIV. Eberhardus I. vocatus solum electus an. 1242. nonnulla prædia Marbacensi monasterio vendit. Adhuc præerat 1243. & 1245. C

XXV. Johannes I. Freyhert* de Krenckingen, expellitur a Berchtoldo de Falckenstein abbate S. Galli circa 1256.

* baro.

XXVI. Diethelmus II. de Ottwilare postulatus e S. Blasio 1259.

XXVII. Conradus I. de Herten 1280. & 1303.

XXVIII. Henricus II. de Eytulingen 1303.

XXIX. Wilhelmus im-Thurn nobilis Scaphusanus 1320.

XXX. Henricus III. de Newenburg sedebat an. 1374. quo Johannes liber baro de Roseneck D Turgoviæ præfectus nomine ducum Austriæ, ipsius laudabile regimen privilegiorum omnium, & absoluti præsertim dominii renovatione nobilitavit.

XXXI. Henricus IV. de Eyttlingen 1378. & 1379.

XXXII. Conradus II. Meyer de Jestetten 1380.

XXXIII. Conradus III. de Gisingen 1404.

XXXIV. Henricus V. de Bettmaringen 1409.

XXXV. Hugo ab Almishofen, comiti de Sulz lapis offensionis, ab eo contra privilegia E recens a Sigismundo rege Constantiæ roborata, ejectus, captivus, afflictus, invictus tamen, ultimo ad an. 1434. regiminis 23. soli tempori cedens resignavit.

XXXVI. Johannes II. Kumbar, prius abbas Engelbergensis, nulla re insignis est, præterquam quod a patribus concilii Basileensis jurium ac privilegiorum confirmationem obtinuit. Sed eo tandem exauctorato, administratio monasterii Nicolao comiti de Sulz Kleggoviæ curatori delata fuit an. 1440. & adhuc ea fruebatur 1441.

XXXVII. Eberhardus II. Schwager nobilis Scaphusanus, vir magnanimus, ab episcopo Constantiensi Henrico de Howen ex incognito cœnobio accersitus, sed postea pulsus a comite de Sulz, Scaphusam cum suo conventu recessit, ibique mansit, donec voto beatissimæ virgini Mariæ Rhenoviensium patronæ nuncupato, ac juvante Alberto Austriaco advocato restitutus est. Sub hoc autem abbate anno Christi 1446. regiminis 5. exhumatus fuit S. Findanus. Adhuc præerat 1462. sub quo proinde anno circiter 1458. septem Helvetiæ pagorum, Tiguri scilicet, Bernæ, Uraniæ, Suitii, Subsylvaniæ, Tugii B & Glaronæ implorata protectione, dum sua tribunali Rhenaugiæ servatur, ut ita dicam, inappellabilitas, incursus exterorum & excessus inhibentur.

XXXVIII. Nicolaus II. Rueger de Winterthur primum vicarius vacante abbatia 1463. ac dein abbas electus 1467. rexit ad annum 1478.

XXXIX. Laurentius de Reischach sedit ab anno 1478. ad 1482. qui cum pedo & mitra depictus etiamnum cernitur.

XL. Johannes-Conradus de Griessen 1483. Obiit 1499. die 4. Augusti.

XLI. Henricus VI. de Mandach nobilis Scaphusanus 1499. monasterium structuris, & sacra supellectile ecclesiam exornavit; sub quo 1502. Wilhelmus de Fulach monachus Rhenaugiensis in abbatem Fabariensem postulatus est. E vivis excessit an. 1530.

XLII. Bonaventura de Wellenberg, e nobili familia Tigurina Rhenovii natus, ob defensionem monasterii, & catholicæ fidei conservationem a Zwinglianis hæreticis cum suo conventu expellitur; cui deinde Paulus III. usum perantiquum pontificalium & Carolus IV. imperator monasterii privilegia confirmarunt. Mortem oppetiit die Januarii ultima an. 1555.

XLIII. Johannes-Henricus Schenck de Castellis, vir non solum natalibus, sed & prudentia illustris, decessit an. 1559.

XLIV. Michaël Herster Tuginas obiit 1565.

XLV. Johannes-Theobaldus Werlin de Greyffenberg Gynopedianus, *de Frawenfeld*, ab amplis, iisque non paucis ædificiis, inter quæ turris eminet, litium felici compositione, & auctione proventuum, monasterii restaurator commendatus, cum annis 33. & quinque mensibus præfuisset, fato concessit an. 1598.

XLVI. Geroldus I. Zur-Lauben liber baro de Thur & Gestelenburg, Tuginas, præesse cœpit an. 1598. qui suum monasterium anno 1603. Helveto-Benedictinæ congregationi adjunxit, eo nomine, vel solo clarissimus. Adjecit vero & alteram turrim ei omnino similem, quam decessor excitarat; contraque subditos Zwinglio faventes ab Helveticis pagis monasterii protectoribus auxilium petiit & impetravit. Demum exstinctus est an. 1607.

XLVII. Udalricus Koch de Wyl in Turgovia, vir admodum pius, abdicavit regimen 1613. viginti sex annos superstes.

XLVIII. Eberhardus III. de Bernhausen, natus in castro Wageck prope Campidonam, eligitur abbas 1613. vir in se uno omnium ferme laudes complexus, qui monasterii structuras, sacram ecclesiæ supellectilem, bibliothecam, & ipsos reditus insigniter auxit; diuque congregationis Helveticæ visitator, in diebus suis effulsit in templo Dei.

XLIX. Bernardus de Freyburg nobilis Rhenoviensis regimen auspicatus est anno 1642. quem plures argenteæ statuæ, calices, pyramides, & ipsum meritum abunde laudant. Primitias suas sacerdos quadragenarius iterato celebravit an. 1675. assistente serenissimo ac eminentissimo cardinale Bernardo Gustavo, marchione Badensi & Hochbergensi, qui primis a conversione sua mensibus Rhenovii degens, spiritum Benedictinum hauserat, regulam ipsam paulo post apud Fuldenses professus. Rexit ad annum 1682.

L. Basilius Itten, Tugio-Aquisregiensis, sacræ theologiæ in gymnasio Rotervillano, Schwarzachii & ad S. Trudtpertum professor, mitra Rhenoviensi decoratur anno 1682. fortis & constans, quem prementes undique persecutiones, & etiam priscæ cum Sulzensibus recrudescentes nunquam excutere valuerunt. Sub hoc etiam abbate corpora SS. Deodati & Theodoræ martyrum, quemadmodum sub antecessore proximo corpus S. Blasii martyris, Rhenaugiæ Roma illata sunt.

LI. Geroldus II. Zur-Lauben liber baro de Thurn & Gestelenburg Tuginas, 1697. & adhuc 1730. sacerdos jubilæus, ut loquuntur, qui ecclesiæ, aulæque & conventus ædificia construxit a fundamentis.

N. Dame des Hermites

HEREMUS B. MARIÆ, TEUTONICE *Einsidlen.*

Hoc cœnobium ordin. S. Benedicti apud Helvetios, non procul a Tiguro & Augia situm, in vicinia fluvioli Sylii & in decanatu Lucernensi, varia sortitur vocabula: dicitur enim Eremitorium, Eremitarum cella, *seu* cella Solitariorum, ac Meginradi cella. Et hoc quidem nomen obtinuit a Meginrado Augiensi monacho & martyre, qui hanc primus eremum incoluit, ubi & ejus reliquiæ ab annis pene septingentis asservantur. Martyrio scilicet coronatus an. 863. in Augia primum sepultus est, ibique remansit ad annum usque 1039. quo, pridie nonas mensis Octobris sacræ ipsius exsuviæ ad Heremum translatæ sunt.

Cella vero ad Heremitas, &c. dictum est, quod primum Eremitarum more locum habitaverint Meginradus, deinde Benno Argentinensis canonicus, & postea Metensis episcopus, ac postremo Eberhardus præpositus Argentinensis, vir nobilis, qui huc se contulit anno 934. multiplicatisque discipulis monasterium ex eremitorio fecit, tametsi aliquanto post tempore primum nomen retinuit. Et sicut a Meginrado *Meginradi-cella,* sic ab Eberhardo *Eberhartescella*

A nuncupatum est ab Ottone magno in diplomate anni 961. ad Thietlandum abbatem. Iste, inquam, Eberhardus, adjutante Hermanno Allemanniæ duce consanguineo suo, qui eam solitudinem a comitibus Rapersvillanis redemit, eidem cœnobium adjunxit, & sacellum B. Mariæ a Meginrado conditum, & a Bennone instauratum, majori basilica in honorem S. Mauricii & sociorum inclusit; ac demum loci immunitati consultum volens, rogatu ejusdem Hermanni ducis, ab Ottone magno privilegium impetravit in appendice relatum ex annalibus Heremi, pag. 46. Floret hactenus hoc monasterium, non solum B pietate ac religione, sed etiam studio litterarum, ad quas promovendas insigni etiam typographia instructum est & musica.

Annal. Heremi, pag. 63.

Cl. 1. col. 507.

SERIES ABBATUM.

I. S. EBERHARDUS ex Argentinensi præposito Heremita & hujus loci, quatenus monasterii, præcipuus auctor, eidem præfuit usque ad obitum, qui contigit an. 958. XI. *vel* XIX. cal. Septemb. sic enim habent annales domestici, auctore Christophoro Hartmanno. Sane anno 946. Eberhardus vocatur abbas in diplomate Ottonis regis, quo immunitas ac facultas eligendi C post ejus obitum abbatis conceditur. Quinetiam idem Otto 948. quo anno, XVIII. cal. Octobris facta cœlitus ecclesiæ consecratio dicitur, *Suggestione filii sui Liutolfi ac Herimanni ducis, res quasdam sui juris, in villa Ratiæ, Quadrevedis nominata, concessit S. Dei genitrici Mariæ & S. Mauricio martyri, ac ceteris sanctis, quorum juge obsequium in silva & in loco Meginratescella, ab Eberhardo eremita cum ceteris fratribus in eodem loco monastica religione celebratur.* Eberhardum *B. memoriæ virum illustrem* Otto II. & *sanctum* vocat anonymus scriptor vitæ S. Udalrici episcopi Augustensis. Sepultus est ante sacellum D Deiparæ prope Bennonem, qui ex eremita, ut diximus, factus fuerat episcopus Metensis. Ipsius elogium texuit Mabillonius secul. V. Bened. pag. 241. Cujus etiam ita meminit Contractus ad annum 958. *Eberhardus Argentinensis præpositus cum magno apparatu in cellam S. Meginradi veniens, ibique regularem vitam instituens, post ejus introitum XXV. anno migravit ad Dominum.*

Annal. Heremi, pag. 46.

Ibid. pag. 48.

Ibid. pag. 74. & 81.

II. Thietlandus, Burcardi Alamanniæ ducis frater, jam an. 945. monasterio præfectus abbas dicitur in codice Einsidlensi Hermanni Contracti ad hunc annum, his verbis: *Thietlandus pater venerabilis, primus abbas Eremitarum, qui fecit* E *glosam super epistolas S. Pauli.* Verum Christophorus Hartmannus liquido probat Thietlandum non fuisse primum istius eremi abbatem, sed tantummodo secundum, post Eberhardum scilicet, qui sacræ huic eremo novam formam dedit, exstruendo monasterio, in quo numerosum discipulorum cœtum sub uno rectore congregavit. Thietlandus vero proabbatis officium primitus gessit sub Eberhardo abbate, qui pristino vitæ generi, id est solitariæ amplius addictus erat; nec prius Tietlandi tanquam abbatis occurrit mentio, quam anno 961. in præcepto Ottonis

Ibid. pag. 64. Ottonis imp. Abhinc autem biennio munus abdicavit Thietlandus, eodemque anno 963. v. calend. Junii exstinctus est, quem ante Virginis matris sacellum a latere Eberhardi reposuerunt.

III. S. Gregorius ex Anglorum stirpe nobilissima, & quidem regia, ut plerique volunt, progenitus, juvenis, patria, parentibus ac sponsa clam relictis, primum Romæ in Cœlio-Monte factus est monachus, & diu inclusus; dein omnibus incognitus, Eberhardo abbate ad *monasterium Solitariorum, in Hercinia-silva habitantium*, ait vitæ S. Wolfgangi monachi Einsidlensis scriptor anonymus, *propter arctiorem monasticæ disciplinæ observantiam se recepit, ubi ob egregias virtutes post annos decem omnibus præpositus est*, non tamen an. 959. ut habent annales breves Einsidlenses, tom. 4. veterum analect. Mabillonii, aut 960. uti Contractus tradit; nisi forte, ait annalista, Gregorius administrationem susceperit, Thietlando jam ætate grandi, & tot laboribus & curis minus idoneo, qui adeo præter titulum nihil usurparet dominationis. Ceterum an. 964. Leo pseudo-pontifex consecrationem capellæ B. Mariæ in cœnobio S. Meginradi cœlitus factam, scripto confirmasse dicitur in optima editione Canisiana, qua quidem de re pontificiæ litteræ in annalibus Heremi ad hunc annum referuntur. Gregorius vero adhuc vivens *sanctissimus vir & cunctis virtutibus pollens*, ab Ottone magno & secundo prædicatus est in duobus diplomatis pro libera post ejus obitum eligendi abbatis facultate, datis, altero XV.* cal. Febr. an. 965. ind. VIII. altero 975.* ind. IV. quinto cal. Januarii. Et quidem sub ejus regimine tanta fuit monasterii fama, ut ex illo accersitus sit Wolfgangus ejusdem decanus an. 972. qui Ratisponensem ecclesiam gubernaret, qua in dignitate talem se præbuit, ut post mortem ejusdem episcopatus meruerit esse colique patronus & tutelaris. Tum idem Otto secundus imperator an. 979. XVIII. cal. Febr. ratam habuit commutationem bonorum inter Everhardum quemdam & Gregorium abbatem, & an. seq. IV. cal. Febr. eidem abbati nonnulla donavit. Item an. 984. indict. XIII. sexto cal. Nov. Otto tertius, deprecante venerabili Gregorio abbate, bona monasterii confirmavit; & iterum an. 992. ind. V. nono cal. Febr. rursumque an. 995. V. idus Decembris Otto III. commutationem bonorum inter abbatem Gregorium & Hildebaldum episcopum Vormatiensem suo diplomate roboravit; ac denique rogatu ejusdem abbatis pridie cal. Nov. an. 996. omnia monasterii bona novo rescripto æternum stabilivit. Paulo post vero S. Gregorius ad cœlos migravit, sexto scilicet idus Novembris ejusdem anni 996. regiminis 33. sepultusque est pone S. Mauricii altare, cujus memoriæ Wirandus successor hoc epitaphium posuit:

*Ex Mabill. X. vero ex amal. domesticis. pag. 74.

*Ibid. p. 86.

Abbas Gregorius laudum splendore coruscus,
Flos Anglæ stirpis, præcipuus meritis,
Idibus in senis animam reddendo Novembris;
Spiritui cælum, ossibus hunc tumulum
Promeruit, digna factis mercede repensa,
Nunc fruitur summo lætus ovansque bono, &c.

A Exstat ipsius elogium historicum secul. V. Bened. pag. 841.

IV. Wirandus ex comitibus de Vandelburg suffectus Gregorio VI. cal. Jan. 996. biennio post beneficum experitur Othonem III. imper. Idem anno 1004. Tigurum accessit, ubi tum erat imperator Henricus II. a quo regaliorum & ceterorum bonorum monasterii sui cofirmationem obtinuit XV. cal. Julii indict. 1. iterumque an. 1018. nonis Jan. privilegium accepit Francofurti datum, & IV. nonas Sept. ejusdem anni silvas & montes nonnullos circa monasterium positos ab eodem Henrico impetravit, B *actum in Turego*. Eidem quoque Conradus rex privilegium impertivit, sive 12. mansos sitos in loco Steinebruno in pago Suntgowe concessit an. 1025. idibus Julii; obiitque Wirandus anno seq. præfecturæ sexies-quino, III. idus Febr. ut in ejus epitaphio legitur, in quo sanguine celsus, ingenio clarus, sibi durus, at placidus discipulis, denique Regibus percelebris fuisse perhibetur.

Annal. Heremi, pag. 121.

V. Embricius, nobilis Bavarus, filius Babonis ex baronibus de Abensperg,* regimen subiit IX. cal. Martias an. 1026. antea canonicus Frisingensis, sed tum monachus Einsidlensis, statimque rogatus, coloniam monachorum in Murense C monasterium deduxit; Rhetisque suo Curiensi episcopo defuncto novum ab ipso petentibus, Hartmannum Heremi decanum, ipsum quidem Rhetum & ex baronibus de Plana-terra oriundum, illis episcopum præesse jussit circa 1028. At vero insequens annus amplam ipsius in proprium monasterium studio materiam suppeditavit, incenso videlicet ac funditus absumto, extra sacellum Deiparæ matris, monasterio, cui reparando, quamdiu vixit, totus incubuit; ac primo quidem an. 1031. cum jam habitationes in usum & necessitatem monachorum restituisset, ac simul quæ ad basilicæ fabricam opus erant D præparasset, die 6. Maii primum templi majoris Deiparæ & S. Mauricii, sociorumque lapidem fundamenti deponere solita cæremonia curavit; tandemque an. 1039. perfectam basilicam, invitatis Eberhardo Constantiensi episcopo & Hartmanno Curiensi, III. idus Octobris ejusdem anni consecrari fecit, cum prius eodem anno die 6. Octobris corpus S. Meginradi ab Augiæ-Divitis monachis sibi restitutum fuisset. Idem quoque anno 1041. sancto martyri Gangolfo ædem in campo Bruelensi vicino posuit, quam hoc anno idem Eberhardus Constantiensis episcopus consecravit; cumque, ut uno verbo dicam, E pristinæ formæ ac dignitati monasterium restituisset anno 1051. ait Bruschius, ac etiam hoc anno Rumoldum ex sua heremo assumtum ad Constantiensem episcopatum gratanter vidisset, vita functus est anno seq. VI. idus Februarii.

* *al.* Bagbensberg.

VI. Hermannus ex comitibus Vitoduranis, sive comes de Winthherthur, uti legitur apud Bruschium & Bucelinum, eligitur XV. calend. Martii anno 1052. quo nomine 1055. secundum misit præpositum ad Murense monasterium; & hoc circiter anno infulam & pedum, ceteraque pontificalia ornamenta ab Leone IX.

pontifice impetravit. Anno 1064. obtinuit ab Henrico Cæsare precibus Annonis Coloniensis archiepisc. ut subditi & annexi, sive ministeriales monasterii sui iisdem juribus, legibus & immunitatibus, quibus S. Galli, fruerentur. Denique obiit Hermannus abbas VI. idus Apr. an. 1065.* cum præfuisset annos 13. mensem unum & dies 22.

* *Ex annal. domesticis, & Bruschio*, al. 1066. VII. idus April. *ex Mabill.*

VII. Henricus I. ex comitibus Lupoduni *de Lupffen*, Stulingorum landgraviis in Hermanni locum subrogatus est, sub quo refertur ab annalista Hirsaugiam nobile monasterium a sua reparatione primum suum abbatem nomine Fridericum ex Heremitano monasterio cum aliquot fratribus accepisse an. 1065. pridie nonas Dec. Supremum diem clausit Henricus an. 1070.* XIV. cal. Maii.

* *al.* 1071.

VIII. Selingerus baro de Volhausen, vivente ac volente uxore factus monachus, concordi postea suffragio Henrici successor nominatus est; qui anno præfecturæ suæ tertio 1073. monasterii sui libertatem ab Henrico rege confirmari curavit. Cessit anno 1090. superstes ad annum 1099.* quo mortuus est X. cal. Aprilis.

* 1094. *ex Bruschio*, & *al.* 1100.

IX. Rudolfus I. ex comitibus Rapersvillanis obiit XI. calend. Junii anno 1101. successorem sortitus

X. Geronem ex comitibus de Froburg, qui 1111. privilegium & 1114. sententiam obtinuit ab Henrico V. imperatore adversus Rudolfum & Arnoldum comites & cives de valle *Suites*, qui certos monasterii fines invaserant. Idem quoque divinorum officiorum communionem instituit cum Hugone abbate & monasterio Gengenbacensi in Ortnovia sito, ut supra in Gengenbaco diœcesis Argentin. diximus. Hunc denique annales domestici & Bruschius exstinctum tradunt III. nonas Febr. an. 1122. & alii 1123. pro varia scilicet inchoandi annum ratione, cum tamen interim ex Hirsaugia huc missum fuisse abbatem, Henricum nomine, tempore Brunonis abbatis Hirsaug. Trithemius scribat in suo fusiori chronico Hirsaugiensi.

XI. Wernherus I. ex comitibus Lentzburgi; filius scilicet Arnoldi comitis Lentzburgensis & Chuonissæ baronissæ de Altebura, unde a Bruschio baro de Altpuren nuncupatur, an. 1130. ineunte, beneficio præsertim Lutoldi baronis Regensbergæ, prædium & capellam, cui *Vare* est vocabulum, inter Badam & Tigurum ad Limagum sitam obtinuit, & inde sanctimonialium monasterium ibidem Wernherus abbas condere cœpit, quod modo præposituram Varæ nominant, quia eo mittitur ab Heremo præpositus, ibique hactenus degunt octodecim moniales, sorores conversæ tres, & duo monachi illarum directores. Deinde anno 1135. Lotharius imperator hanc donationem Varæ ratam & inconcussam suo diplomate voluit; ac insuper anno seq. non solum antiqua Heremi privilegia confirmavit, sed etiam advocatis monasterii, quibus tenerentur, leges constituit; itemque duo privilegia Conradus rex annis 1139. & 1140. Wernhero concessit, qui tandem pridie nonas Martii anno 1142. *al.* 1143. diem clausit extremum.

XII. Rudolfus II. ex comitibus Lupoduni *de Lupffen*, in electione sua contrarium habuit Rudolfum comitem Rapersvillensem, quasi nisi se præsente & approbante, ratione advocationis, ea legitima esse non posset. Unde & armata manu monasterium invasit comes, & Rudolfum, eique faventes expulit. Iste vero cum paucis, qui comitis manus evaserant, Constantiam ad Conradum Cæsarem forte illic comitia celebrantem adiit, qui non modo approbavit electionem, sed etiam Theodewino cardinali episcopo Portuensi auctor fuit, accedente Hermanni Constantiæ episcopi petitione, ut eum initiaret. Itaque ad Augiam majorem profectus Theodewinus, pridie idus Aprilis Dominica Palmarum, præsente supradicto episcopo, Rudolfum abbatem inunxit & consecravit. Deinde renovata per Suitios antiqua de limitibus inter se & Heremitas controversia, idem Conradus rex, instante Rudolfo abbate, Henrici avunculi sententiam pro Heremitis suo quoque decreto confirmavit an. 1144. ind. V. octavo idus Julii; sed cum se Rodulfus hac etiam ratione nihil æqui obtinere videret, an. 1151. ab Hermanno Constantiensi episcopo impetravit, ut Suitios & confœderatos communione piorum excluderet. Denique Rudolfus obiit an. 1172. exeunte.

XIII. Wernherus II. Rudolfo calculis fratrum suffectus æmulum habuit Warinum Sangallensem monachum ex comitibus Rapersvillanis a fratre suo Rudolfo comite, monasterii advocato designatum, donec an. 1173. Seckhingum veniret Imperator Fridericus Ænobarbus, qui consilio & assensu principum utrumque abbatem exauctoravit, tertiumque, loci alumnum a sodalibus electum renunciavit cal. Martii

XIV. Wernherum ejus nominis tertium ex comitibus Toggenburgi, filium Alberti, egregia virtute & eruditione juvenem, qui tunc solum diaconus, mox in presbyterum & abbatem Tiguri in basilica sanctimonialium ab Othone Constantiensi episcopo inauguratus est. Præfuit summa modestia & laude annis 19. & quidem in magna satis tranquillitate, dum imperio præfuit Fridericus; at ubi exstinctus est, cum Rudolfus advocatus eum impetere non cessaret, Wernherus tædio affectus abdicavit an. 1191. ex annalibus Heremi, vel 1192. ex Bruschio; quem tamen successor privatam vitam, quam elegerat, vivere non passus, decanum constituit, & ecclesiæ administrationem ei commisit. Denique obiit an. 1210. ex annal. domesticis, sive 1209. ex Bucelino.

XV. Ulricus, *sive* Udalricus I. comes *de Rapersweil*, Rudolfi advocati monasterii consanguineus, eo potissimum agente a sodalibus in abbatem electus est, sed cum sua dignitate hactenus abuteretur, ab iisdem dejectus est anno 1206. & hoc ipso anno migravit ad alteram vitam. Sub hæc tempora inducitur ab auctore status ecclesiastici Allemanniæ typis editi anno 1724. Henricus baro de Arben, simul abbas *de Phefferskmunster** & episcopus Curiensis, mortuus an. 1201. Sed in omnibus catalogis tum hujus

* Fabariensis, ex Bucelino in catalogo Curiensium episc.

loci, tum alterius abbatiæ omittitur.

XVI. Berchtoldus baro de Waldsee cessit an. 1213. pridie cal. Junii & obiit 1214. nonis Aprilis.

XVII. Conradus I. ex comitibus Dunensibus *de Dun*, vel *Thun*, frater Henrici Basileensis episcopi, & Rudolfi Salisburgensis archipræsulis, an. 1217. sui regiminis quinto adfuit compositioni inter se & cives Switenses de limitibus suarum terrarum. Præfuit annis 20. ea laude clarus, quod ecclesiam anno 1226. incendio deformatam, annis sequentibus instauraverit, & absolutam 1230. consecrari fecerit a Conrado episc. Constantiensi. Deinde orbatus oculis cessit an. 1233. & obiit anno seq. III. idus Maii, sepultus ante altare S. Catharinæ virgin. & mart. quod condiderat.

XVIII. Anshelmus ex baronibus de Schwanden successit in annos 33. quo tempore vir magnanimus, doctus, ac disciplinæ monasticæ observantissimus ab Innocentio IV. pontificalem annulum, chirothecas & alia ornamenta accepit. Idem quoque antistes sui temporis præcellentissimus, pontificiæ dignitatis & sui monasterii libertatis defensor acerrimus Feficonem arcem contra Rapersvillensium advocatorum insolentiam & superbiam exstruxit, tanquam frenum, simulque per Suitentia dissidia & bella refugium, & in ea fabrica ultra mille quadringentas argenti libras expendit. Anno 1259. ei Rudolfus baro de Vediswile vini decimas in Meylan acceptis sexaginta tribus argenti marcis restituit Anshelmus tandem vivere desiit an. 1266. pridie, *vel* III. calend. Januarii, ex annal. domesticis, *vel* 1267. ex Bruschio. Valeat ergo Udalricus comes de Kyburg, quem simul episc. Curiensem Bucelinus mortuum tradit an. 1237.

XIX. Ulricus, *sive* Udalricus II. baro de Winiden, antea præpositus Trajecti ad Limagum ex Bruschio, tunc vero monasterii custos ex annal. Heremi, annos decem præfuit, quem interim ex Heremitanis abbatibus primum Rodolfus imperator inter principes imperii adscivit VII. cal. Febr. an. 1274. quæ dos eximia transiit ad successores, ex ipsis annalibus Heremi, quanquam id attribuit D. Claudius Jacquet tertio abbati Gregorio, ex beneficio Ottonis I. imp. in sua hujus monasterii edita historia anno 1699. Moritur autem anno 1277. III. idus Aug. & quidem Novocomi in Insubria, cum pietatis ergo Romam proficisceretur, ut quidam tradunt.

XX. Petrus I. baro de Schwanden Anshelmi abbatis ex fratre nepos, cum tunc esset monasterii custos, regimen abbatiale consecutus est, quod non nisi tribus annis tenuit; cum enim Tugium festo die S. Oswaldi oppidi patroni, ad illam, quæ quotannis fieri solet, magna accolarum frequentia, supplicationem, religionis causa venisset, eaque peracta in Deiparæ matris antiqui oppidi sacello cum multis aliis pietati intenderet, sulfure, fumo & vapore ex tonitru delapso cum pluribus aliis exanimatus est nonis Augusti an. 1280.

A XXI. Henricus II. baro de Guttingen, Henrici baronis ex Elisabetha Nellenburgensi comitissa filius, an. 1291. die Aug. 23. obtinuit a Nicolao IV. pontifice privilegiorum sui monasterii confirmationem. Obiit anno 1298. VIII. idus Nov. & quidem in arce Pfefficonensi, ex qua in monasterium reversus est.

XXII. Johannes I. baro de Schwanden anno 1299. calendis Apr. privilegium obtinuit ab Alberto Romanorum rege. Sæpius autem hic abbas cum Suitensibus veteri super controversia compromisit, sed frustra ob Suitensium malam fidem, qui tandem an. 1314. absente abbate,
B invasere monasterium, ac diripuere, captivosque monachos abduxere, qui non nisi undecima postquam Suitiæ tenebantur hebdomada dimissi sunt. Denique Johannes postquam optimi pastoris munus impleverat, & musicam primus in monasterium induxerat, cessit an. 1326. XIX. cal. Feb. ac eodem decessit, IV. idus Martii.

XXIII. Johannes II. baro de Hazenburg consilio præsertim decessoris, ex monasterii cellerario evasit abbas, quo regente Hermannus baro de Bonstette, tunc monasterii custos in S. Galli abbatem a monachis assumtus est. Johannes demum e vivis excessit XI. cal. Aug.
C an. 1334.

XXIV. Conradus II. baro de Goësgaw in Johannis locum successit, sub quo Thuringus ex baronibus ab Attinghuse Uraniensis, ex monacho Heremitano factus est abbas Disertinus. Obiit autem Conradus sub finem anni 1348. nonis scilicet Novembris.

XXV. Henricus III. baro de Brandis jam an. 1349. plurima monasterii bona impignorata redemit. Anno seq. pacem cum Suitensibus composuit. Tum anno 1353. die 2. Octobris ei Carolus Cæsar regalia confirmavit. Deinde abdicavit 1357. factus hoc anno episcopus Cons-
D tantiensis.

XXVI. Nicolaus baro de Guttenberg, cui Bruschius perperam præponit Marquardum, qui sequitur, animam exhalavit an. 1365. IV. idus Martii.

XXVII. Marquardus baro de Grueninberg, Berchtoldi baronis & equitis filius, antea præpositus Faræ, *seu* Varæ, anno 1369. mense Octobri pridie sancti Galli a Johanne barone de Tenge acquisivit decimas Volruviæ, & quidquid juris & dominii habuit in illum vicum & ejus incolas. Fato functus est an. 1377. XV. cal. Nov.

E XXVIII. Petrus II. baro de Wolhausen nobilis Helvetius, ob vitæ probitatem *pater patrum* vulgo cognominatus, an. 1383. feria tertia post festum S. Michaëlis, mense Octobri perpetuam fundavit missam in honorem S. Mariæ Virginis, SS. apost. SS. Mauricii, Sigismundi, Meginradi & Justi martyrum, Heremi patronorum. Defecit an. 1390. XIII. cal. Julii.

XXIX. Ludovicus I. comes de Thierstein parente Johanne, ac matre Elisabetha ex marchionibus ab Hochberg natus, anno 1391.

præfecturam Frisæ contulit Henrico Verdenbergæ comiti. Inde vero electus Argentinensis episcopus anno 1393. cum Argentinam proficisceretur, Feficonenque usque in arcem ingenti pompa & apparatu pervenisset, nocte, quæ VII. idus Octobris præcessit, repentina morte abreptus est.

XXX. Hugo baro de Rosenneck, quem administratorem monasterii Ludovicus decessor, se absente, constituerat, statim post ejus obitum, magno omnium consensu, in abbatem electus est, & quidem magno cœnobii rerum commodo, quas per Ludovici fastum & prodigalitatem absumtas, simul cum disciplina in pristinum statum restituere studuit. Is porro Johannem Pontificem Constantiam ad concilium generale ingredientem comitatus est cum equis quatuordecim an. 1414. festo die SS. Simonis & Judæ, ac ibidem secundum inter abbates nationis Germanicæ locum obtinuit, Majoris-Augiæ abbate primas tenente. Hugo tandem mortuus est Feficone an. 1418. XVII. cal. Novemb. ingenti sui desiderio relicto.

XXXI. Burchardus de Krenckingen baro de Weissenburg, cum tunc esset S. Geroldi præpositus, proclamatus est abbas loco defuncti Hugonis, cujus cum vestigia premere nunquam non sibi proposuisset, egregia, sicut ille, sui fama & memoria relicta, e vivis excessit die festo S. Thomæ apost. an. 1438.

XXXII. Rudolfus III. comes de Saxo ex Mesauciæ dominis, filius Johannis & Annæ comitissæ Verdenbergensis, ex custode in abbatem electus mense Januario anni 1439. privilegium obtinuit ab Friderico imperatore anno 1442. Sabb. post festum S. Matthæi. Obiit vero 1447. pridie idus Septembris.

XXXIII. Franciscus baro de Hohen-Rechberg decessit an. 1452. XV. cal. Augusti, postquam eodem anno die 25. Apr. exemtionis absolutæ privilegium obtinuisset a Nicolao V. pontifice.

XXXV. Geroldus comes de Saxo, Rudolfi superioris frater, ex præposito S. Geroldi successit in abbatiale munus; quo regente anno 1465. Dominica die *Quasi-modo* incendium fortuitum absumsit monasterium. Naturæ vero debitum solvit an. 1481. Dominica ante festum S. Galli, sepultusque est apud S. Geroldum, cujus præposituram hactenus administraverat, curatore apud Heremum relicto Conrado, qui sequitur.

XXXV. Conradus III. baro de Hohen-Rechberg, erat Francisci superioris ex fratre nepos, sub quo rursus totum pene monasterium incendio periit an. 1509. Hic porro decessoris exemplum secutus, an. 1491. constituit in Heremo curatorem & vicarium Barnabam ex comitibus Saxi, ipseque ad S. Geroldum concessit ob venationem, qua plus æquo delectabatur; cumque interim Barnabas optima sui muneris administratione clarus an. 1501. ex hac vita migrasset Conradus monasterii curam commisit Johanni Ort, quo palatii præfecto & scriba etiam usus erat, ac postremo Theobaldo de Geroldsegk Alsatæ, qui circiter annum 1523. compositiones

A cum Zuinglianis hæreticis molitus, & ideo suis invisus factus, transfuga damnandus abcessit. Denique Conradus obiit an. 1526. nullis post se relictis monachis; quapropter Suitii, jure advocatiæ, e suis curatorem imposuere expræfectum Kriensium, qui una cum Johanne Ort, cujus supra meminimus, Heremi gubernationem aliquandiu exercuit, donec postremo, multis & assiduis reliquorum confœderatorum precibus & admonitionibus, iidem Suitii e S. Gallo Ludovicum, qui sequitur, postulavere.

XXXVI. Ludovicus II. Blaarer de Wartensée, patria Constantiensis, e gremio Sangal-
B lensium monachorum assumtus est, ut esset abbas Heremitanus, quia tunc in Heremo, ut diximus, nulli erant monachi, sed pauci duntaxat seculares sacerdotes, qui divina officia in monasterii sacra æde & Deiparæ sacello curabant. Et sane proximum quinquennium, hoc est ad annum 1531. maximos inter labores, curas & contentiones, angustiasque transegit; sed postquam apud Capellam pugnatum, & cum Zuinglio Geroldseckius occidit, victisque datæ sunt leges, paulo quietius & moderatius omnia se habuere. Tum igitur verso ad restituendam monasticam disciplinam animo, quatuor bonæ-spei adolescentu-
C los in monasterium assumsit, quantumque fuit, probatos, & vestitu cultuque apud S. Gallum usitato, ex iis binos in Sueviam regulari disciplina informandos transmisit, Ochsenhausiam alterum, alterum Hirsaugiam, quibus in monasteriis præcipue adhuc vetera ordinis constituta servabantur; aliosque duos apud se continuit, nec minori cura bonis litteris & moribus imbuit. Deinde mentem adjecit, ut monasterii omnia privilegia confirmarentur, ad quod assequendum, Ratisbonam, ubi tum Carolus imperator comitia regni frequentia celebrabat, e suis unum Johannem ab Amberg cum potestate misit, qui con-
D firmationem hanc peteret, & suis verbis, tanquam Imperii principis, Imperatori obsequium & fidelitatem polliceretur; sicque Imperator, accepto, more solito, ab Johanne, nomine Ludovici, fidei sacramento, monasterii omnia privilegia confirmavit, & Ludovico tanquam vero & legitimo domino, omnes monasterii subditos & annexos obedire jussit, diplomate dato Ratisbonæ V. nonas Julii anno 1532. imperii XII. regnorum XVII. Bullam eodem tempore Ludovicus accepit a Clemente VII. qua episcopalibus eum insignibus exornat, benedicendi populum, cruces, imagines, corpo-
E ralia, campanas, vasa sacris destinata, reconciliandi ecclesias & cœmeteria sibi subjecta, postremo inaugurandi monachos suos charactere clericali, eisque minores ordines conferendi potestatem amplissimam impertit. Sed hæc tam rara privilegia multis etiam partibus Clementis successor Paulus III. auxit & locupletavit. Confirmatis enim & innovatis omnium antecessorum suorum pontificum bullis & decretis, Ludovico & ejus successoribus abbatibus concedit, durantibus in episcopatu Constantiensi hæresibus, omnem illam jurisdictionem & potestatem in suos,

quæ de jure alioquin ad episcopum Constantiensem pertineat, facultatem, scilicet conferendi sacramentum confirmationis, supplendi defectus natalium in suis, & chrisma sacrum petendi ab quolibet episcopo catholico, bulla data Romæ apud S. Petrum die XIII. Decembris an. 1537. pontificatus quarto. Denique obiit Ludovicus an. 1544. IV. cal. Febr. relictis in monasterio quatuor monachis, Rudolfo Brunoldo Rapersvillensi, Joachimo Eichorn Wilensi, Johanne Buocher Heremitano, & Henrico Kindelmann Rapersvillensi.

XXXVII. Joachimus Eichorn Wilensis, omnium natu minimus succedere jussus est ætatis suæ anno 26. feria sexta post Dominicam *Lætare.* Eo præsidente unus & viginti religionis professionem emisere; cujus quidem tanta apud omnes auctoritas erat, ut eum totius Helvetiæ ecclesiasticus ordo dignum præ omnibus judicârit, quem suo nomine ad concilium Tridentinum mitteret anno 1562. quo ipso anno Pius IV. pontifex antecessorum suorum privilegia confirmavit & approbavit, v. idus Febr. sui pontificatus anno quarto; cum jam eidem an. 1559. v. nonas Oct. Ferdinandus I. imperator regalia confirmasset, ac deinde Maximilianus II. anno 1566. nonis Aprilis. Defunctus est Joachimus an. 1569. idibus Junii, ætatis 50. ac principatus 23.

XXXVIII. Adam Heer Rapersvillanus in Joachimi locum suffectus die 26. Junii, Romam non multo post, ut inaugurraretur, se contulit. An. 1577. VIII. cal. Maii feria V.* circiter meridiem vicus & monasterium incendio periere, solo sacello Virgineo & utraque basilica intactis. Quam cladem hinc inde non mediocriter adjutus reparare studuit. At vero interea simultas cum Suitiis oborta eo processit, ut monasterio, Johannis-Francisci Bonhomii episcopi Vercellensis, sedis apost. nuncii auctoritate, relicto, in S. Geroldi præposituram secesserit an. 1579. substituto curatore Udalrico Weitvillero decano; ibique mansit ad sextum usque annum, sua veluti patienta evicturus advocatorum in se conceptam malevolentiam; sed cum id frustra evenisset, cessit tandem an. 1585. in gratiam dicti Ulrici, retenta sibi S. Geroldi præpositura, quam ad annum usque 1610. laudabiliter rexit, mortuus eodem anno die 4. Maii, sacerdos quinquagenarius.

* l. IV.

XXXIX. Udalricus III. Wittweiler Rorschacensis Acronianus, cum jam antea 22. annis Heremi parœciam administrasset, tum vero decanus fuisset annis duobus, ac deinde monasterii curator, absente Adamo, uti jam diximus, sexennio, postremo eidem abdicanti subrogatus est XVI. cal. Novembris anno 1585. ac nono cal. Septemb. a Balthasaro Ascalonensi episcopo, suffraganeo Constantiensis sacram inaugurationem accepit 1586. Principatus autem initio eamdem, quam prius, cum curatorem ageret, reædificandi monasterii curam habuit, magnamque partem perfecit; ac postremo æri alieno dissolvendo, quod antecessores, aut ipse ad mitigandas

A necessitates contraxerant, operam impendit, cum tamen interea augendi conventus & bonarum litterarum haud inferiorem rationem haberet; & ut omnia uno verbo complectar, cum singulari prorsus pietatis, prudentiæ, mansuetudinis & industriæ commendatione annum principatus decimum-quintum implevisset, hanc mortalem vitam cum æterna commutavit an. 1600. VI. idus Octobris.

XL. Augustinus I. Hoffmam Aquensis, *al.* Badensis in Helvetia, ex decano quindecim annis, abbas electus die 15. Octob. ætatis anno 44. & 5. Febr. seq. confirmatus a Clemente

B VIII. pontifice, ac subinde inunctus anno seq. a Johanne episcopo Vegliensi, apostolico nuncio, annales sui monasterii suis maxime auspiciis susceptos an. 1612. idibus Januarii Maximiliano archiduci Austriæ, & Theutonici ordinis summo principi nuncupavit. Defunctus est 1629. die 2. Martii.

XLI. Placidus Reimann electus abbas die 9. Martii an. 1629. ætatis 35. ac inauguratus 25. Nov. ejusdem anni ab archiepiscopo Patracensi Cyriaco Rocci nuncio apostolico in Helvetia; artem typographicam in suo monasterio instituit; & sacrum fœdus cum S. Vitoni congregatione

C pepigit. Diem clausit extremum 1670. 10. Julii.

XLII. Augustinus II. Reding de Biberegg patre Johanne Rodolfo ballivio comitatus Togenburgici, & peditum in Italia præfecto natus 1625. 10. Aug. tum Friburgi in Brisgoia doctoris lauream consecutus, tandem ex decano electus est in abbatem, confirmatus a Clemente X. 1671. & inauguratus ab Odoardo Cibo principe Massensi, tunc in Helvetia nuncio apostolico. Hic in abbatiali ecclesia peregregium illum chorum, qualis hodie cernitur, exstruxit; cum insigni ædificio a dextris chori, & aliis bene multis, quæ brevitatis causa silentio prætermitti-

D mus. Sane vero a Mabillonio illustrissimus abbas & princeps appellatur in elogio Eberhardi I. abbatis, cum an. 1683. in Germaniam rei litterariæ gratia profectus, ibi se cum omni humanitate exceptum scribit. Denique calculi morbo septem annis excruciatus, rebus humanis exemtus est an. 1692.

XLIII. Raphaël de Gottraw, Philippi centurionis in obsequio Christianissimi regis & urbis Solodoræ consiliarii filius, 29. Jul. 1653. Friburgi in Helvetia natus, eligitur abbas die 24. Martii an. 1692. confirmatusque ab Innocentio XII. inauguratur a Marcello d'Ast nuncio apos-

E tolico 28. Decemb. ejusdem anni. Majorem ex argento lampadem ponderis 134. bessium fabricari fecit. Abdicavit 2. Octobris 1698. quo anno S. Meginradi sacellum in monte d'Ezel insigniter renovavit, consecravitque.

XLIV. Maurus baro de Roll electus die 4. Octob. 1698. præerat 1706. obiit 1714. IV. cal. Septemb.

XLV. Thomas-Aquinas; *sive* Angelicus Schencklin de Wyl vota sua emisit an. 1698. sacerdotii primitias celebravit an. 1705. tum in Italiam missus, biennio in Gymnasio Bellizonensi

monasterii proprio philosophiam, ac deinde in ipso monasterio theologiam docuit; Postea novitiis & clericis professis datus est moderator, ac postremo res monasterii temporales curavit, sedebat anno 1724. & adhuc 1729. electus 1714. ætatis anno 33.

S. BLASIUS IN HERCINIA, *seu* NIGRA-SILVA.

DE hoc monasterio instituti Benedictini in decanatu *Waldschuot* plura circunferuntur commenta, unius auctoritate scriptoris seculi XIV. suffulta, cui operi titulus scribitur, *Liber constructionis.* Primum inter alia nobis occurrit fictitia illa eo in loco eremitarum habitatio ante Reginbertum; quam quidem funditus evertit Otonis I. Romanorum imperatoris privilegium, datum Veronæ, an. 963. quod habet: *Notum esse volumus, qualiter nos cellam in silva Schwarzwald*, al. *Schwartzenwald a beato Regenberto eremita noviter constructam, Deo & S. Blasio, cum locis circumjacentibus, &c. eamque eidem sancto viro, qui primus ibi habitare cœperat...... libere & quiete possidendam...... concessimus, &c.* Integrum exstat in appendice nostra. Ch. II. col. 507. Alterum ex multis commentum aures etiam maxime credulorum offendit, cum fingit auctor his eremitis jamjam adunatis, ac inter se quodnam institutum amplecterentur deliberantibus advolasse picam, qua occasione, tanquam divino portento, Benedictinam sibi regulam & habitum elegerint. Quid enim commune cum pica & habitu Benedictino? His non immoror nugis, maxime cum pene constet, vix ullum ibi certum institutum viguisse, antequam sub finem seculi XI. exinde missi aliquot fratres ad Fructuariense monasterium, favore Agnetis imperatricis illinc Benedictinam religionem afferrent. Itaque Reginbertus prædictus hujus monasterii primus auctor censendus est, qui cum esset baro a Seldenburen, Othoni imperatori ab arcanis consiliis, & inter belli pericula fortis, tandem repudiata militari & aulica fortuna se suasque facultates condendo cœnobio penitus addixit anno 945. uti legitur apud Bollandi continuatorem in tomo 1. Maii, pag. 309. Porro situm est in horrido loco Herciniæ silvæ ad amnem Albam, unde *Cellæ-Albæ* nomen habuit aliquando, haud procul, milliari scilicet unico ab oppido Waldtschuott, a quo decanatus Waldtschuotensis, in diœcesi Constantiensi, non autem Basileensi, cui opinioni ansam præbuisse videtur, quod nonnulli episcopi Basileenses hujus olim cœnobii fuerint advocati. Hactenus perseverat hoc monasterium insigne ac locuples, novisque post incendium ædificiis recens instauratum, ait Mabillonius seculo V. Benedict. in vita B. Reginberti, pag. 315. Ceterum abbas hujus loci quatuordecim prælatis, qui ratione cœnobiorum suorum ad circulum Suevicum pertinent, & in ejusdem ordinibus suffragia ferunt, accensetur, non quidem ratione cœnobii sui, sed respectu dynastiæ Bondorf prope Uberlingam, unde in Comitum, non vero prælatorum scamno ei locus est.

ABBATUM SERIES.

I. BERINGERUS baro de Hohenschwanden electus, qui novello gregi præesset circa an. 945. a S. Conrado episcopo Constantiensi, sanctus & ipse nuncupatus, benedictionem percepit. Ad cœlos evolavit an. 974. IV. calend. Aprilis.

II. Ipso; *vel* Yso Engaherr antequam ab episcopo confirmaretur, a fratribus ob insolentiam depositus est. Obiisse dicitur an. 994.

III. Sigeridus, *seu* Sigesridus Grasinger obiit an. 1021. post quem unus vel alter desideratur; nec multo post Conradus imperator, Henrici successor, Adalberonem episcopum Basileensem instituit protectorem & advocatum nascentis abbatiæ S. Blasii in Hercinia, datis Ulmæ litteris 14. Maii an. 1025. Imperii sui primo. Quo jure usi sunt episcopi annis centum, donec tandem post aliquot disceptationes eo se jure abdicarunt ex conventione. Ceterum ex his Conradi litteris conjicere licet vixdum ante hujus tempora locum hunc ad abbatiæ dignitatem provectum fuisse. Et certe in historia quadam Gallico idiomate Heremitani monasterii quidam Bernardus monachus Heremitanus, præpositus ad S. Blasium circa hoc tempus evasisse dicitur.

IV. Wernherus I. ex priore electus abbas 1045. privilegium obtinuit ab Henrico III. imperatore an. 1047. IV. cal. Octob. & alterum ab Henrico IV. 1065. Moritur autem 1068. die 28. Septemb.

V. Giselbertus, vir magnæ apud Principes auctoritatis, an. 1071. die 3. Aprilis privilegium accepit ab Henrico IV. Hic porro favore Agnetis imperatricis ad Fructuariense monasterium fratres aliquot misit, qui Benedictinam religionem edifcerent; indeque postmodum illam rogatu Wernharii comitis in Murense monasterium derivavit, illuc fratribus directis, quibus Priorem Rupertum præfecit an. 1082. ind. V. ac triennio post eum ab officio revocavit. Denique obiit VI. idus Octobris an. 1086.

VI. Udo, *sive* Odo, Utto & Otto, comes de Kiburg, cum tunc prioris officio fungeretur, Giselberto in abbatiali regimine successit, ex appendice Bertholdi Constantiensis ad chronicon Hermanni Contracti. Idem circa 1093. regularem disciplinam instituit in Wiblingensi S. Martini monasterio haud procul ab Ulma Sueviæ præcipua civitate, Wernhero abbate ex suis eidem loco præfecto; quinetiam aliud S. Gregorii cœnobium non multum illinc dissitum informavit, ac insuper ipso die, III. idus Septemb. an. 1094. quo S. Blasii monasterium a fundamentis amplificari cœptum est, ut ex Bertholdo discimus, Hartmannum Priorem suum in Orientale regnum, id-est *n marcham Ungaris collimitaneam*, cum aliis fratribus direxit, *ad novam abbatiam in episcopatu Pdsaviensi*,* *in loco qui Cotewich dicitur, instruendam*; ubi cœnobium erat clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc a domina * Pataviensi.

Papa, & per Papam a proprio eorum episcopo impetrarunt, ut deposito habitu clericali, fierent monachi. Quapropter abbas S. Blasii jussu Papæ & postulatione episcopi fratres illos ad instituendam illic monachorum abbatiam remisit. Hoc autem est Gotwicense monasterium, quod a B. Altmanno Passaviensi antistite conditum fuerat. Denique Utho creditur in monasterio S. Blasii primus induxisse formam alternatim in choro psallendi, ut innuunt hi versus:

Psallere præcepit, normamque tenere canendi,
Utto, & ad alterutrum tendere voce sonum.

Fato functus est cal. Octobris anni 1108. quo B novam basilicam a se ædificatam consecrari curaverat ministerio Gebehardi episcopi Constantiensis, & Hesilonis ejusdem suffraganei. Hæc ipsa est basilica quæ hodie superest.

VII. Rustenus, *al.* Rostannus legitur abbas anno 1120. in quadam compositione ecclesiam inter Basileensem & monachos S. Blasii, Spicil. tom. VIII. pag. 172. Eodem anno privilegium obtinuit ab Henrico imperatore & a Calixto II. pontifice Romano bullam XIV. calendas Aprilis ejusdem anni. Adhuc præerat 1124. quo cum illic præfectus nomine Berchtoldi episcopi Basileensis Adelgotius de Wer omnia pro libitu suo, C contra jus & fas, ipsaque monasterii manifesta privilegia ageret, Rustenus abbas apud Henricum V. de tanta rei indignitate, gravi oratione, ipsomet præsente Berchtoldo, conquestus, id evicit, ut circa natalitias ferias hac super re collatis capitibus, Imperii optimates, ubi rationes utrimque audivissent, Argentorati decernerent, liberum fore abbati cum suis, quem vellent deligere, qui, salvis monasterii privilegiis, jus advocati, seu protectoris, administraret. Ad quod officii genus electus est subinde Conradus a Zeringen Berchtoldi filius, ipso episcopo Berchtoldo subscribente diplomati Henrici V. apud D Argentinam anno 1125. Moritur hoc anno Rustenus senio confectus, XII. *vel* XIII. calend. Oct. postquam pro sacris virginibus cœnobium Beraw excitaverat.

Ex Basilea Sacra.

VIII. Bertholdus I. privilegium obtinuit ab Honorio II. papa & a Lothario Romanorum rege an. 1126. itemque unum & alterum de libera tum abbatis, tum advocati electione ab Innocentio II. annis 1130. & 1140. necnon & a Conrado III. imperatore an. 1138. quo anno Udalricus II. Constantiensis ad Rhenum episcopus, Udalrici I. successor abdicata dignitate monachus in S. Blasii monasterio factus est, sive, ut E habent Sammarthani fratres, ad suum rediit sancti Blasii monasterium. Vita functus est Bertholdus IV. nonas Aug. an. 1141.

IX. Guntherus nobilis ab Andlau postulatus, ait Bucelinus, a Calixto II. episcopus Lugdunensis, sed a suis revocatus, monasterio præficitur an. 1141. Is ab Adriano IV. privilegium accepit de libera tum abbatis, tum advocati electione an. 1157. Morti debitum solvit 21. Jan. an. 1170.

X. Wernherus II. baro de Kussenberg scriptor A egregius, de quo vide Trithemium in catalogo Illustrium Virorum pag. 138. occubuit anno 1174. VI. cal. Junii, *al.* 1175.

XI. Theopertus, *al.* Dietbertus an. 1178. privilegium accepit ab Alexandro III. Obiit 1186. die Febr. 18.

XII. Mangoldus & Magnoldus de Halweil, splendida exortus familia, monasterium paterna ex hereditate plurimum locupletavit. Hic a Cœlestino papa anno ejus pontificatus septimo, VI. idus April. privilegium obtinuit, quo hymnus *Gloria in excelsis* & *sequentia* in festivitatibus B. M. Virg. & S. Blasii etiam post Septuagesimam cantari possent. Fatis concessit an. 1204. XIV. cal. Maii.

XIII. Hermannus I. mortuus an. 1222. XI. cal. Junii, imitanda posteris exempla reliquit, ut in ejus epitaphio legitur.

XIV. Otho dum solummodo monachus esset, continuavit chronicon Othonis Frisingensis ab anno 1146. de expeditione Jerosolymitana sub Eugenio papa usque ad coronationem Otonis IV. factam an. 1209. Is autem factus abbas, post annum regiminis exstinctus est XI. cal. Aug. an. 1223.

XV. Hermannus II. de Loben, privilegia obtinuit ab Honorio III. 1226. VI. cal. April. & ab Henrico Romanorum rege 1228. X. cal. Sept ind. I. ex authentico, aiunt, cum tamen vulgares catalogi Fridericum hoc anno regnasse testentur. Præfuit annis quatuordecim, deinde propter morbum elephantiacum abdicavit an. 1237.

XVI. Henricus I. ob eumdem morbum cessit post triennium 1240.

XVII. Arnoldus I. de Berow electus 1240. eodem anno, die S. Stephani quædam permutavit cum domino de Klingen, qui civitatem nomine *Klingnau* ædificare volebat. Cessit & ipse ob eumdem morbum elephantiacum an. 1247. postquam anno præcedenti privilegio donatus fuisset ab Innocentio IV. dato Lugduni XIII. cal. Jan. pontific. anno quarto.

XVIII. Arnoldus II. baro de Hohenschwanden mortem oppetiit die 28. Julii 1276.

XIX. Henricus II. nobilis de Stadion, vir eruditus, finem vivendi fecit 2. Nov. 1294. qui primus in monasterio S. Blasii festum SS. corporis Christi celebravit.

XX. Bertholdus II. statuit anno 1307. ne plures quam quadraginta in Berovicensi parthenone virgines reciperentur. Moritur anno seq. VI. nonas Maii.

XXI. Henricus III. principem aram cupro deaurato gemmisque ornatam erexit, quæ stetit usque ad an. 1525. Defunctus est 1314. I. die Aprilis.

XXII. Udalricus an. 1319. I. die Aprilis primus a Johanne XXII. infula decoratus, & altero privilegio donatus ab eodem Pontifice an. 1324. IV. nonas Junii, vivere desiit 1334. VI. idus Febr.

XXIII. Petrus I. de Thungen exustum cœnobium anno 1322. calendis Maii, ex integro reædificavit. Decessit an. 1348. V. idus Martii.

XXIV. Henricus IV. ab Eschenz privilegia A obtinuit a Carolo IV. Romanorum rege anno 1353. XV. cal. Nov. & a Leopoldo archiduce Austriæ anno 1370. Sedit annis 43. mortuus 1391. VIII. idus Aprilis, regiminis an. 43.

XXV. Johannes I. doctrina & moribus insignis, musicam primus in monasterium introduxit. Naturæ debitum solvit VIII. cal. Aprilis an. 1413. plurimis interim donatus privilegiis.

XXVI. Johannes II. interfuit concilio Constantiensi an. 1414. Deinde fatis concessit 1429. IV. nonas Septemb. cujus ac decessoris corpora an. 1550. effossa, reperta sunt incorrupta.

XXVII. Nicolaus, vir laudatissimus, interfuit B concilio Basileensi; an. 1436. precum iniit societatem cum Cluniacensibus; præfuit an. 1439. cum aliis abbatibus ordinis capitulo provinciali Nuremburgæ apud S. Egidium celebrato, & alteri rursus ibidem anno 1441. Denatus est 1460. die 20. Octobris, cum præfuisset annis 32. & mensibus quinque.

XXVIII. Petrus II. decimo post mense fato præreptus est 1461.

XXIX. Christophorus nobilis de Grutt, claris ortus natalibus, miræ magnitudinis campanas comparavit an. 1465. magnoque omnium luctu e vita migravit an. 1482. C

XXX. Eberhardus de Reischach obiit 1491. XV. cal. Aprilis.

XXXI. Blasius I. vir modestus e vivis excessit 1493. XIV. cal. Febr.

XXXII. Georgius antea monachus Albersspacensis, deinde San-Blasianus, ætate & moribus venerabilis, animam exhalavit an. 1519. pridie idus Aprilis.

XXXIII. Johannes III. sub quo monasterium bello rustico direptum est annis 1525. & 1526. suum diem obiit 1532. XIII. cal. Aprilis.

XXXIV. Gallus præfuit annis octo, duobusque mensibus, quibus monasterium reædificatum D inhabitari cœpit an. 1537. tum vero consecratum est templum per suffraganeum Constantiensem anno seq. die 18. Maii. Vita defunctus est 1540. VI. cal. Septemb. cum præfuisset annis 8. & mensibus 2.

XXXV. Johannes IV. ante solemnem benedictionem mortuus est 1541. X. cal. Febr.

XXXVI. Gasparus I. rerum gestarum magnitudine nulli antecessorum secundus, præfuit annis 30. obiitque 1571.

XXXVII. Gasparus II. cum sedisset annis 26. migravit ad alteram vitam 19. Sept. an. 1596. De quo hi versus in exteriori bibliothecæ atrio E leguntur:

Hæc nova Gaspari structura est ampla secundi,
Cujus in hoc saxo præsulis arma vides.
Hic musis sedes, illinc somnoque ciboque,
In mediaque patent atria bina domo.

XXXVIII. Martinus Maitzer decessit anno 1625. die 14. Septemb.

XXXIX. Blasius II. Muntzer bis exsulare coactus, vitam cum morte mutavit die 6. mensis Sept. an. 1638.

XL. Franciscus Chullotus præfuit ab anno 1638. ad 1664. quo vivere desiit die 20. Junii, Papæ, Cæsari, aliisque principibus carus.

XLI. Oddo variis strenue obitis legationibus, abbas designatur 1664. moritur autem 1672. die 21. Febr.

XLII. Romanus abbas electus 23. Februarii 1672. obiit de singulis benemeritus 17. Nov. 1695.

XLIII. Augustinus post biduum renuntiatus abbas, monachorum numerum usque ad nonaginta perduxit, hodieque totidem sunt. Mors eum sustulit die 30. Novembris an. 1720.

XLIV. Blasius III. in aula Cæsarea pro patria degens, unanimi fratrum suffragio eligitur die 2. Decemb. an. 1720. Dein comes Palatinus ab Imperatore Carolo nominatus, amplissimam rei gerendæ in pagis Helvetiorum potestatem ab eodem accepit circa annum 1725. Obiit 15. Januarii an. 1727.

XLV. Franciscus, antea præpositus in Berau successit.

FISCHINGEN & VISCHINGEN.

ISTud ordinis S. Benedicti monasterium, non Cisterciensis, ut ait Manlius in Constantiensi chronico, antequam *Fischinga* vocaretur, dictum est primum *Augia S. Mariæ*, ac deinde *Piscina*. Situm est in comitatu Turgoiæ ad Helvetiam pertinente, & in decanatu Wetzikensi, *al.* Fischingensi, fuitque olim duplex, virorum scilicet atque virginum, in quo S. Ida, *sive* Ittha comitissa Tockenburgica, & ejusdem loci sanctimonialis, miraculorum gloria, dum viveret, & post mortem illustrissima colitur. Habuit autem fundatores ipsos S. Idæ majores, sive comites Tockenburgenses, a quibus etiam, ut videtur, sigillum suum accepit hoc monasterium duos pisces in area cærulea, qui scilicet comites supra galeam duos pisces exhibere solebant. Ceterum quod spectat ipsius monasterii rectores, antehac persuasum fuit, & quidem Bucelino, primum per præpositos gubernatum fuisse, sed jam, inquiunt, constat, fuisse abbates eo ipso tempore, quo præpositi memorantur. Jam vero congregationis Helveticæ membrum est, & quidem ordine antepenultimum, sed potentia & viribus tenuissimum.

Series Abbatum.

I. MARQUARDUS abbas, de quo non satis constat quo tempore vixerit, & an primus abbas fuerit, obiit die 4. Martii.

II. Albertus Trungensis vixit circa an. 972. mortuus 18. Maii.

III. Luitholdus Weissenburgensis præfuit an. 981. & obiit 23. Martii.

IV. Burchardus I. vulgo *am Steig* vixit an. 987. defunctus 2. Julii.

V. Wernerus Seedorffensis præfuit anno 1029.

VI. Walterus Morler vivebat an. 1097. qui pie obiit 12. Martii.

VII. Johannes I.

VII. Johannes I. præfuit an. 1100. mortuus A 4. Martii.

VIII. Udalricus Brigantinus obiit 30. Martii; sub cujus tempora monasterium fere ex toto periit.

IX. Waltramnus Castellwarda oriundus, ex Petershusio accitus est ab Udalrico II. Constantiensi episcopo, qui monasterium afflictum pristino splendori restitueret an. 1138. Quod cum egregie præstitisset vivere desiit 2. Aprilis anno 1146. Sub hoc autem abbate prima fit mentio monasterii mulierum, olim contigui monasterio virorum, quod postea incensum an. 1414. suis in ruderibus remansit.

X, Wilhelmus Hillaver vixit an. 1148. pariter exstinctus 2. Aprilis.

XI. Nicolaus I. Sturzenegga oriundus sedit an. 1152.

XII. Rudolfus I. Munchwilensis claruit anno 1159. qui defecit I. Apr.

XIII. Rudolfus II. patria Schaffusanus præerat an. 1162. cujus obitus dies notatur 6. Maii, & annus 1176.

XIV. Cuno floruit 1177. cujus abbatis temporibus vixit S. comitissa Idda Fischingensis cœnobii patrona. Decessit Cuno 17. Maii.

XV. Henricus I. Munchwilensis sedebat annis 1181. & 1183. cujus obitus dies notatur 27. Febr.

XVI. Burchardus II. patria Hunzigkonensis præfuit an. 1203. mortuus 9. Maii.

XVII. Christophorus I. Schwend de Schwanberg floruit an. 1208. obiitque 1209.

XVIII. Diethmarus Reinavia oriundus electus est an. 1209. & animam egit an. 1234. die 13. Junii; quo tempore circa an. 1226. confinis arx Tockenburgum ab abbate S. Galli occupata fuit.

XIX. Johannes II. Herus *Heer* Lutenberga oriundus monasterio præfuit ab an. 1234. usque ad 1244. quo naturæ debitum solvit die XI. Martii.

XX. Conradus I. a Landenberg monasterii præfecturam adeptus an. 1244. tenuit laudatissime annis omnino 34. Defunctus est an. 1278. die 7. Martii.

XXI. Henricus II. patria Creutzlinganus, electus an. 1278. viam universæ carnis ingressus est die 27. Febr. an. 1283.

XXII. Henricus III. Huober Elggensis regere incœpit an. 1283. cumque laudabiliter rexisset, diem suum clausit 10. Novemb. an. 1289.

XXIII. Jacobus I. a Præpositis *de Prevost* sedebat an. 1291. mortuus 5. Febr. 1297.

XXIV. Conradus II. a Glotten electus anno 1297. vivere desiit 1316. 8. Junii.

XXV. Rudolfus III. a Rechberg Conrado successit an. 1316. posteaque fato concessit 21. Maii an. 1339.

XXVI. Eberhardus de Hulsstegg rexit ab an. 1339. ad 1346. quo animam exhalavit 17. Januarii.

XXVII. Nicolaus II. Stezing electus 4. Apr. anno 1346. postquam decem annis præfuit, e medio sublatus est 9. Januarii 1356.

XXVIII. Dietericus, *sive* Theodoricus regimini admotus an. 1356. tenuit ad an. 1370. quo migravit a seculo die 2. Aug.

XXIX. Jacobus II. Babenseur, patria Wilensis, sub quo cœnobium passum est incendium, rebus humanis valedixit 12. Octob. an. 1387.

XXX. Johannes III. Harlin altero * statim die a sepultura Jacobi abbatis, eidem subrogatus, intra regimen 48. annorum emit dominium Landsperg a Johanne Mandach, cum toparchiis Krilberg & Buch an. 1392. ac insuper 1419. dominium Bichelsée cum arce & dynastia Balderschwil & Niderhofen a Beringeris fratribus & B Johanne Rudolfo a Landenberg & Greiffensée; quanquam nihilominus monasterium totaliter exustum an. 1414. 6. Martii, restituit a fundamentis cum ecclesia. Denique cessit ob senium 1435. & anno seq. mortuus est die 5. Aug. sepulcrum nactus haud procul a sacello S. Iddæ.

* *al. tertio*

XXXI. Johannes IV. Mettler Schwiziensis, facta sui decessoris resignatione abbas nominatus 1435. mense Maio, patribus suis appositus est an. 1465. 16. Maii.

XXXII. Henricus IV. Scheuchti Lucernas, postulatus abbas e S. Gallo, regimen auspicatus est anno 1465. cui post annos viginti die 25. C Novembris Albertus a Bonstetten decanus Eremitanus vitam S. Iddæ comitissæ ex pervetustis & exoletis Germanicis exemplaribus, in Latinum ejusdem Henrici precibus translatam dedicavit. Idem etiam abbas sepulcrum S. Iddæ, quo gloriosius esset, ex sectis politisque lapidibus magnifice extulit, prout etiamnum visitur. Rexit autem summa cum laude annis 45. ac tandem senio fessus abdicavit an. 1506. 2. Octobris, titulo abbatiali per quadriennium retento, quo interim Johannes, qui sequitur, cœnobium administravit.

XXXIII. Johannes V. Mayle oriundus Tockenburgo, ex administratore in abbatem, D post obitum Henrici, electus est an. 1510. die 4. Maii, tum anno 1515. societatem precum iniit cum Christiano abbate S. Johannis in Valle Thure; cumque aliquando Udalricum Zwinglium, quem consanguinitate attingebat, se paulopost sacrum habitum cum cuculla exuturum dicentem sibi audisset, zelo domus Dei succensus deprecari & dissuadere non destitit, hortarique hominem per omnia sacra perrexit, ut a nefariis consiliis & sacrilegis novitatibus desisteret, sed frustra. Obiit denique Johannes an. 1523. die 14. Aug.

XXXIV. Henricus V. Stoll & alio cognomento *Seebach*, patria Tigurinus, Johanni suc-E cessor datus eodem anno 1523. præfuit monasterio ut catholicus abbas tribus annis. Sed posteaquam Tigurum & potior pars Turgoiæ in verba Zwinglii juravit, etiam ipse cum suis monachis veram fidem ejuravit. Hinc profanata templa, dejectæ aræ, pessumdatæ sacræ imagines, calcatæ reliquiæ, sacra omnia spreta, contemta, proculcata, aut in profanos ac domesticos usus conversa. Sic igitur Henricus ex pastore lupus effectus in dicto statu apostasiæ firmus & pertinax, nihilominus per sex integros annos Fischingæ dominabatur, donec tandem post

cladem Capellensem ab orthodoxis Helvetiis A pagis abdicatus, & annuo quodam proventu instructus, loco facessere jussus est. Exinde vero cœnobii administratio Andreæ Eggli etiam apostatæ demandata fuit, qui certis conditionibus eo sibi commisso munere per octennium functus est, non tamen omnino pacifice; nam cum an. 1534. monasterium S. Benedicti Constantiæ, *ad Scotos* dictum, facta religionis mutatione, dirutum pariter & solo æquatum fuisset, ejusdem abbati Fischingensis administratio ab Helvetico pago *Schweitz* concredita est; verum ille præfatus Eggli, quasi jure offensus, querelam suam Badenam deportavit, ibidemque tantum effecit, ut dictus abbas B denuo ipsi administrationem cedere jussus fuerit, qui non multo post exsilio suo confectus ærumnosam vitam hic clausit.

Porro quindecim fere annis duravit hæc miseria, & abominatio desolationis in loco sacro, quo tempore nulla ara, nullus Dei cultus erat Fischingæ; cum denuo lux e cœlo affulsit, Andræa Eggli cum certa pecuniæ summa abire jusso, & Marco, qui sequitur, legitime substituto.

XXXV. Marcus Schenckli Wilensis ab inclytis orthodoxis pagis Helveticis per duos a Dietelmo Blarer abbate S. Galli ablegatos postulatus, & exinde monasterio Fischingensi præ- C positus est an. 1540. die 6. Aug. cui etiam ab iisdem inclytis pagis monasterium Thenickense, in quo pariter multo tempore divinus cultus desierat, commissum est, ejusque sedulam habuit curam, donec id an. 1548. Sophiæ de Grutt ex Magdenoviensi parthenone eo postulatæ traditum fuit. Interea vero hic abbas in primo statim gubernationis suæ exordio, aras confractas erexit, ornavitque; selectosque juvenes sacro instituto habiles in locum apostatarum subrogavit; cumque jam tredecim integris annis pro gloria Dei multa tulisset, fecissetque, demum ad præ-
* al. 19. stituta Dei famulis præmia evolavit 29.* Maii D an. 1553. & infra catdedram sepultus est.

XXXVI. Johannes-Rudolfus Rutti, *sive* Ruttimannus, & ipse Wila oriundus, abbas renuntiatus est 14. Junii ejusdem anni, qui vix addúci potuit ut honorem admitteret. Pie defunctus est an. 1556. die 7. Nov.

XXXVII. Henricus VI. Landsperger, patria Raperswillensis, electus abbas 8. Decemb. an. 1556. post novem regiminis annos Berwisii peste exstinctus est an. 1565. 29. Dec. Fischingæ tamen sepultus.

XXXVIII. Henricus VII. Golli, Dubachiensis, solus ex peste superstes cum uno fratre Gas- E pare Egger, primum administrator, electus 15. Julii an. 1566. dein re bene gesta creatus abbas initio anni 1567. præsentibus abbate Eremitano Joachimo & Hieronymo abbate Murensi, paulo post etiam fratre Gaspare mortuo, duos presbyteros seculares sibi adjunxit, donec novitios ad professionem admitteret. Præfuit utiliter annis octo & obiit 3. Martii 1574. non procul a S. Iddæ facello tumulatus.

XXXIX. Christophorus II. Brunner Roschacensis, electus est 1. die Aprilis an. 1574. magno cœnobii commodo, quod scilicet pluribus in locis periculo ruinæ proximum vel restauravit, vel novum ex fundamento erexit; qui etiam non minus ergo spiritualia sollicitus nonnullos cœnobii sui monachos Fuldam ad studia misit. Tum vero pontificia obtinuit a Gregorio XIII. primum quidem duntaxat pro se, postea vero, curante in primis Andrea d'Austriche cardinali & episcopo Constantiensi an. 1593. pro suis posteris. Denique mortalem hanc vitam reliquit 12. Junii an. 1594.

XL. Jacobus III. Walckmeister Roschacensis successit eodem anno 7. Julii, mortuus 7. Jan. an. 1598. non cum multo desiderio.

XLI. Benedictus Rhennhas itidem Roschacensis, electus est 21. Januarii an. 1598. vir strenuus disciplinæ reformator & utilis admodum œconomus, dignus sane, qui longius viveret atque gubernaret. Enim vero mortuus est an. 1604. die 25. Aug. sepultus honorifice in ipso S. Iddæ sacello.

XLII. Mathias Stehelin Fischingensis eodem anno subrogatus gubernavit annis duodecim, quibus ornatu templum instruxit & majus organum fieri curavit. Cessit an. 1616. superstes in monasterio privatus ad an. 1636. quo decessit, & quidem die 25. Junii.

XLIII. Placidus Brunschviller ex Sirnach oriundus, in abbatem electus est die 15. Sept. an. 1616. qui post annos quinquaginta, die 4. Octob. *forte* 5. an. 1666. sacerdotii sui 52. publicum jubilæum, sive secundam missam, coram ingenti multitudine sub dio celebravit, in hac solemnitate archidiaconorum officio fungentibus Gallo S. Galli abbate, & Egidio Murensi, presbyteri vero assistentis Placido Einsidlensi abbate, præsentibusque pontificalibus indutis Bernardo Rhenoviensi, Ignatio Engelbergensi & Fintano Beinwilensi abbatibus. Rexit annos 56. optime de monasterio meritus, qui senio fractus abbatiam libere ac sponte resignavit die 8. Sept. an. 1672. ac paulo post, die videlicet 1. Octobris placidissime obdormivit in Domino, anno memorato 1672. ætatis suæ octogesimo tertio, relictis post se viginti sex monachis, cum essent duntaxat decem, quando regimen auspicatus est.

XLIV. Joachimus Seiler Wilensis, altera statim post Placidi resignationem die 9. Sept. an. 1672. præsentibus Odoardo Cybo nuntio apostolico, Gallo S. Galli abbate, Fridolino Murensi & Bernardo Rhenoviensi in prælatum electus fuit, posteaquam sub antecessore Priorem egerat, & pluribus annis variis ordinis muneribus præclare functus fuerat. Dein haud multo post, die videlicet 3. Nov. in festo S. Iddæ Georgius Sigismundus Heliopolis episcopus & Constantiensis suffraganeus rite ac solemniter eum consecravit. Quantæ vero fuerit existimationis in Helvetica congregatione, ex eo colligere licet, quod cum ab eadem statutum esset, ut ad majorem totius congregationis æqualitatem certa meditandi methodus componeretur, hoc opus ei demandatum sit; & hoc quidem felicissime perfecit, necnon alia deinde composuit opuscula devota,

quæ in praxim redigere in primis studiosus fuit. A Denique maturus cœlo placida morte in Domino quievit an. 1688. die 4. Febr. quem, ut expetierat, ad ingressum sacelli S. Iddæ juxta aram S. Josephi sepelierunt, cum hoc epitaphio, quod ipse sibi decem vel duodecim circiter ante obitum annis incidi lapidi curaverat :

Hic situm est corpus Joachimi abbatis, electi anno MDCLXXII. die IX. Septemb. Vivere & peccare desiit an. 1688. die 4. Febr. Vivant in æternum Jesus, Maria, Joseph ; & recordentur infimi mancipii sui sub hoc lapide resurrectionem exspectantis. Viator, in hoc sepulcro latet sepulcrum dealbatum, plenum ossibus mortuorum & omni spurcitia : Math. 23. *Miserere & ora ut in sanguine agni vere dealbetur.*

XLV. Franciscus Froger Uraniensis, antea philosophiæ ac theologiæ professor, electus est in abbatem die 10. Martii an. 1688. vir sane pius & prudens, & tantæ dexteritatis, ut si nimiæ liberalitati modum posuisset, omnes facile antecessores felicitate superasset. Cultor etiam S. Iddæ ferventissimus, obtinuit apud summum pontificem, ut ejusdem festum per totam diœcesim Constantiensem sub ritu semiduplici celebraretur. Rite tandem omnibus sanctæ ecclesiæ sacramentis munitus, animam Deo reddidit die 30. Apr. an. 1728. ætatis septuagesimo, ac regiminis quadragesimo.

XLVI. Johannes Bapt. Schweger, cum tunc esset œconomus dominiorum Spiegelberg, &c. ac prius etiam Philosophiam & theologiam docuisset, via scrutinii electus est canonice in abbatem die 10. Maii an 1728. præsenibus Sangallensi, & Rhenoviensi abbatibus.

PETRI-DOMUS IMPERIALIS, *seu* PETRHUSIUM, German. *Petershausen.*

SItum est eleganter hoc monasterium, ad Rheni scilicet e lacu Acronio emergentis alveum, in suburbio Constantiæ. Suum agnoscit auctorem S. Gebhardum II. episcopum Constantiensem an. 983. quo templum hujus cœnobii, secundum formam basilicæ S. Petri in Vaticano, in honorem S. Gregorii cœpit exstruere, unde a posteris Petri-Domus nomen accepit, & decem post annos consecravit, sive an. 992. indict. v. quinto cal. Novembris ex Bruschio. Primi vero monachi assumti sunt ex monasterio B. Mariæ Virginis ad Heremitas : sic enim habet MS. liber de rebus gestis S. Gebhardi : *De cella quoque S. Meginradi, quæ dicitur ad solitarios, suos monachos S. Gebhardus normam vivendi & regimen habere decrevit, quoniam monachi illius cœnobii tunc temporis fuerunt religiosissimi.* Denique in Petrhusiensi cœnobio sepeliri voluit fundator olim tam opulento, ut octoginta, *al.* 90. sub Theoderico abbate monachos aleret, & quod etiamnum musica præstans floret sub congregatione Benedictino-Suevica. Abbas autem duodecimo loco recensetur inter prælatos circuli Suevici, qui suffragia ferunt in comitiis Imperii.

SERIES ABBATUM.

I. BEZILINUS, *seu* PEZELINUS, Bruschio secundus abbas, & Bucelino S. Gebhardum fundatorem inter abbates computanti tertius, primus agnoscendus videtur ex codice MS. membraneo, qui sic habet lib. 1. fol. 42. *In hoc initio Bezilinum quemdam habuit abbatem, qui vices sancti præsulis, episcopalibus muniis sæpius occupati, suppleret, cura interim principali residente penes ipsum S. antistitem ;* cui, teste eodem membraneo codice, lib. 2. fol. 50. *anno 996. Lambertus monachus Petrhusianus in episcopatu ;* B

II. *Beringerus vero in regimine monasterii successit.*

III. Erlenboldus an. 1007. donatus est pago Eppendorphensi ab Hedowige Burchardi Suevorum ducis conjuge. Sub hoc tempus inducitur ab auctore status ecclesiastici Alamanniæ typis editi an. 1724. Lambertus monachus & abbas hujus loci, mortuus 1019. qui certe diversus non est a Lamberto monacho, & postea episcopo Constantiensi, de quo supra, sed ipse non fuit abbas, nisi forte quomodo fuit S. Gebhardus.

IV. Waltharius, monachus Heremitanus, an. 1021. præfectus est Petrhusiano monasterio.

V. Sigefridus, monachus itidem Heremitanus.

C VI. Erchenboldus.

VII. Volmarus.

VIII. Albertus, *seu* Adelbertus, Heremitanus monachus, ex annalibus Heremi, pag. 101.

IX. Siggo.

X. Arnoldus.

XI. Meginradus.

XII. Luitholdus.

XIII. Theodoricus ex priore Hirsaugiensi sub S. Willelmo abbate, huc abbas missus est, sub quo vastatum & spoliatum est cœnobium anno 1087. ab Henrico Sacri-montis comite, qui Arnoldum S. Galli monachum, suum fratrem, D vel, ut alibi legimus, cognatum, intrusit episcopum Constantiensem pro Gebhardo canonice electo. Sed hic tandem episcopus, cum 13. annis exsulasset, restitutus in sedem an. 1105. illatas Theodorico ejusque monasterio injurias compensavit, quem & tanti fecit, ut suæ conscientiæ moderatorem elegerit. Tum vero Theodoricus Castellense monasterium in diœcesi Eichtadiensi, fundum præbente friderico nobili viro & pio, ac Ottone ejusdem filio locupletante, cum aliis ejusdem provinciæ proceribus, fundavit, basilicam ædificavit, fratrum congregationem collegit, venerabilem virum Almannum abbatem eis constituit, & ipse cum suis ad E Domum-Petri remeavit. Denique migravit ad Dominum Theodoricus Sutriam pergens, post annos triginta regiminis, Udalrico sedente in cathedra Constantiensi. Huic porro tale proverbium erat familiare : *magister debet esse in capitulo ut leo, in conventu ut pater, ad mensam ut mater.* De quo etiam & Gebhardo III. episcopo Constantiensi, sic habet Bucelinus in chronico Constantiensi ad annum 1105. *Fuit insigne par amicorum, uterque egregia vitæ sanctitate ; fuitque Gebhardo a conscientia & confessionibus Theodoricus,*

alacer in summis tribulationibus, dives in spiritu summa in paupertate, omne solatium quærens in filiis sacris, quos Christo ad omnem instituens perfectionem lucrari satagebat. A

XIV. Bertholdus, *sive* Bertholfus, diutius antea prioris munere functus, eligitur abbas præsente Chunone Weingartensi abbate.

XV. Conradus I.

XVI. Gebehardus I. quo regente totum cœnobium conflagravit an. 1159. indict. VII. 2. Junii feria tertia Pentecostes, quod ipse postea subsidiis cœnobiorum Hirsaugiensis & Zwifaltensis pristino splendori restituit. Ita quidem Bruschius & Bucelinus, sed hoc valde incertum B est, quantum ad hoc quod illa combustio & reparatio attribuitur ætati Gebehardi; certe enim historia MS. ad nos transmissa reparationem illam Conrado acceptam refert, ex quo etiam sequitur in catalogis Bruschii & Bucelini post hunc Gebehardum abundare duos abbates, Henricum & Eberhardum, vel certe extra locum positos esse. Itaque

XVII. Conradus II. sub quo fortasse memoratum incendium contigit, monasterium certe ab illo deformatum reparasse dicitur, & quidem an. 1162. ind. X. XVII. cal. Junii in vigilia Ascensionis primum novæ basilicæ fundamentum posuisse. C

XVIII. Henricus I.

XIX. Eberhardus, hi duo præponuntur Conrado II. uti jam diximus, in catalogis Bruschii & Bucelini.

XX. Udalricus I.

XXI. Henricus II.

XXII. Henricus III.

XXIII. Diethelmus I. baro de Castel Petrhusio præesse cœpit an. 1296. illudque rexit perquam optime usque ad annum 1306. quo translatus est ad Augiæ-Divitis regimen, ubi vide.

XXIV. Udalricus II.

XXV. Conradus III. D

XXVI. Burchardus I.

XXVII. Johannes I.

XXVIII. Johannes II.

XXIX. Henricus IV.

XXX. Burchardus II.

XXXI. Henricus V.

XXXII. Johannes III. Frey præfuit tempore concilii Constantiensis, ubi pontificalium jure donatus est an. 1415. XVI. cal. Sept. idemque an. 1416. cum aliis abbatibus fuit præses, ac thesaurarius capituli provincialis in suo monasterio celebrati.

XXXIII. Johannes IV. Miseldus, *al.* Amfeld E sexdecim tantum mensibus præfuit.

XXXIV. Diethelmus II. Albinus, eligitur an. 1427. superstes ad an. 1433.

XXXV. Johannes V. Hyrus, patricius Constantiensis, electus 1444. memoratur annis 1475. 76. & 78. qui lepra tandem infectus, resignavit.

XXXVI. Nicolaus Roschachius, Constantiensis, obiit an. 1488.

XXXVII. Martinus Brunlinus electus eodem an. 1488. vir non admodum rerum sui monasterii studiosus, abdicavit 1513. obiitque 1518.

XXXVIII. Johannes VI. Merck, Lindaviensis, de quo sic legitur apud Bucelinum in chronico Constantiensi ad an. 1518. *Hugo episcopus noster Petrhusiense monasterium, subito pridem incendii casu pene annullatum, paterna providentia & caritate amantissime fovet, & promoto ad administrationem ejusdem Johanne Merck, viro religiosissimo, tantum efficit, ut haud immerito uterque pro secundis fundatoribus habeatur.* Fuit ergo primum Johannes Merck administrator, sive, ut loquuntur Bruschius & Bucelinus, Martini coadjutor annis septem, & post ejus obitum abbas sex annis; defunctus enim est anno 1524. ad quem sic habet Bucelinus loco citato: *Magnum Constantiæ lumen occidit Johannes Merck abbas Petrhusii meritissimus, Hugonis episcopi unicum solatium, rei catholicæ singulare fulcrum, alter sui cœnobii fundator, quod a fundamentis in magnum splendorem restituit, &c.*

XXXIX. Andreas I. Berlinnus, Constantiensis, fato præreptus est an. 1526.

XL. Gebhardus II. Dornspergerus, Stockachianus, electus an. 1526. expellitur a Constantiensibus omnia in ecclesia immutantibus 1528. superstes ad annum saltem 1548. quo urbs Constantia una cum cœnobio ab Hispano milite incendio vastata fuit, dum clerus Constantiensis die 6. Augusti, defuncti præsulis sui Johannis a Weza exsequias in Augia-majore ad sepulcrum celebraret. Obiit an. 1556.

XLI. Christophorus Funck de Buochenberg, Cæsari a consiliis, an. 1568. cum aliis abbatibus ad instituendam congregationem Suevico-Benedictinam, quæ novem monasteria complectitur, in oppidum Ravenspurg convenit, in cujus dein præsidem fuit electus. Decessit an. 1585.

XLII. Andreas II. Oechslin, patria Zugensis, eligitur abbas 1580. sub quo monasterium S. Georgii in Staina huic Petrhusiensi unitum fuit in perpetuum 17. Junii an. 1597. Cessit an. 1605. & obiit 1610. die 2. Julii.

XLIII. Johannes VII. cognomento *Stephani*, patria Waldseensis, electus an. 1605. abdicat 1608. & ad locum professionis reversus, moritur Clingenzellæ in præpositura, ibique sepelitur an. 1631.

XLIV. Jacobus Rentz de Sauldorff, abbas ex priore 1608. altero mox anno interfuit synodo diœcesanæ. Cessit an. 1621. duobusque post annis defunctus est an. 1623. die 3. Aprilis, in prædio Bulh non procul a Clingenzella dissito, Petrhusii tamen illatus est sepulcro.

XLV. Benedictus Pfeiffer oriundus Merckdorffio, electus 1621. cessit an. 1639. obiitque 1650. die 27. Septemb. ætatis anno 62. Petrhusii sepultus.

XLVI. Guillelmus Rothbach ex Stockach, electus 1639. obiit 1671. die 16. Maii, ætatis anno 68.

XLVII. Wunibaldus cognomento *Saur*, patria Zeilensis, jam an. 1669. administrator constitutus, & an. 1671. abbas ætatis anno 55. piissime obiit an. 1685. die 1. Aprilis, sepultus in basilica prope aram S. Gebhardi.

XLVIII. Franciscus Oëderlin, patria Constantiensis, electus 26. Aprilis an. 1685. obdormivit in Domino an. 1714. 23. Septemb. ætatis anno 84.

XLIX. Placidus Weltin, Immenstadio oriundus, sacræ theologiæ doctor, ac notarius apostolicus, eligitur abbas ex priore an. 1714. die 26. Sept. Hactenus feliciter præest.

MOURY.

MURI.

MURENSE apud Helvetios ordinis S. Benedicti monasterium in provincia Burgundiæ, & in pago Argoviæ, comitatu Rorensi, & Lucernensi decanatu condidit anno 1027. Wernerus, *seu* Wernarius Argentoratensis antistes, filius Radebotonis, non frater, sic enim ille in primario hac de re instrumento loquitur: *Ego Wernherus, Strasburgensis episcopus, & castri, quod dicitur Habesburch, fundator, monasterium in patrimonio meo, in loco, qui Mure dicitur, in pago Argoïa, in comitatu Rore, in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, & S. Dei genitricis Mariæ, omniumque sanctorum construxi, quod titulo B. Martini episcopi in perpetuum dicavi. Cui prædia, quæ hereditario jure mihi contigerant, per manum germani fratris mei Lancelini, qui utpote militiæ cingulo præditus, defensor patrimonii mei exstiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, silvarum, pratorum, montium, omniumque appendicium contradidi.* Tum statuit, ut fratres inibi, *sub monachica norma secundum regulam B. Benedicti viventes,* abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia congregatione libere præstituant: ipse autem abbas, communicato fratrum consilio, advocatum de ejusdem Werneri posteritate, *quæ præfato castro Hasburch dominetur*, qui major natu fuerit, eligat, & deficiente mascula prole, mulier ejusdem generis & castri advocatiam e manu abbatis accipiat, non ut beneficium, *sed ut quamdam monasterii commendationem & tuitionem.* Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo-septimo, ind. x. regnante Conrado imperatore Augusto. Wernero adjungitur Itta comitissa, Radebotonis conjux, quæ monasterii itidem *primaria conditrix* dicitur in necrologio ad diem XXIII. Julii: quæ in libro fundationis perperam Werneri episcopi soror dicitur. Benefactricem dicere præstat, quam conditricem, cum Wernerus ipse testetur, se monasterium condidisse in suo *patrimonio*, quod *hereditario jure* sibi provenerat. Verum & multo minus Radeboto censendus est fundator, quem ipsomet fundationis anno legimus defunctum. Wernarius autem episcopus decessit anno 1029. ex chronico Hildensheimensi, v. calend. Novembris, ex necrologio.

SERIES ABBATUM.

REGINBOLDUS Solodoro oriundus, ex nobili Junkerorum genere, quantum dant conjicere gentilitia ipsius insignia, quæ in area cærulea mortarium flavum exhibent, assumtus est ex monasterio B. M. V. ad Eremitas, cum A religiosa fratrum colonia; ut primus esset hujus loci præpositus, non abbas, anno 1027. vel etiam biennio ante; ipse videlicet non modo monasterium novum religione informavit, sed externam quoque Murorum fabricam erexit; & ut populus illuc ad servitium Dei conveniens inquietudinem fratribus non faceret, pro veteri novam ædificavit ecclesiam (parochialem) quam in honorem S. Soaris confessoris nomis Julii dedicari curavit; sicque uno verbo curavit monasterium, ut quidquid sibi in Eremitano displicuerat, in hoc emendaverit. Qui etiam *pergens circumquaque ad cellas & ad claustra, quidquid* B *acquirere potuit, reportavit, tam reliquias sanctorum, tam libros & vestes sacerdotales & pallas; & summo studio ad obedientiam sibi injunctam invigilavit. Emit etiam huc duo maxima campana in Argentina civitate cum decem talentis Basileæ monetæ, cui & episcopus ejusdem civitatis dedit stolam cum argento factam & cappam ..... alia autem quædam campana hic fundi fecit, & libros scribi.* Huc usque Origines Murenses. Denique obiit Reginboldus an. 1055. idibus Julii, *vir per cuncta laudabilis, cum monasterium perfecisset pene usquedum dedicari debuisset, fenestras quoque ex quadam parte apposuisset,* sepultusque est C in ipso monasterio, in summa parte anguli dexteræ absidis.

ABBATES.

I. BURCHARDUS, cui cognomen *de Gossaw* a natali solo, in Eremitarum cella nutritus a puero, inde accersitus est, qui defuncti loco præpositi munere fungeretur. Is porro monasterii & præsertim basilicæ Murensis fabricam ad eam perfectionem deduxit, ut anno 1064. a Rumoldo Constantiensi episcopo in honorem S. Martini Turonum episcopi dedicata fuerit v. idus Octobris feria secunda & indict. secunda. Tum vero, cum Murenses jus absolutum eligendi abbatem D ex ipso primæ fundationis instrumento sibi competere non ignorarent, communi calculo Burchardum, quem hactenus per decem annos præpositum habuerant, abbatem primum salutarunt anno 1065. qui tandem vivere desiit anno 1073. die 13. Januarii, &, uti petierat, ad fores monasterii sepultus est, ut Dominicis diebus fratres cum processione ipsius tumulum circumirent.

II. Udalricus I. Disertinensis apud Grisones monasterii præpositus, cum a morte Burchardi biennio Muri sine abbate stetissent, solertem interea nacti administratorem Venelonem mo- E nachum, votis tandem concordibus in abbatem electus est an. 1075. Sed nunquam fuit benedictus, carere malens benedictione, quam ab eo benedici (Constantiensi episcopo) quem summa tunc sedes censuris innodatum tenebat. Denique abdicavit, & ad suum prius monasterium reversus est an. 1082. regiminis septimo, ubi etiam obiisse traditur die 13. Maii anno 1090. Dies autem Venelonis obitus notatur in necrol. 17. Martii.

Postquam vero recessit Udalricus, sub quo notatur, ob Imperium divisum, ut etiam, alibi;

ita & in Muris primum disciplinæ fervorem elanguisse, Rupertus S. Blasii monachus huc Prior destinatus est an. 1082. indict. v. quem etiam fratres communi voto in præsulem a Giselberto S. Blasii abbate postularunt, sed hic Rupertum nec abbatem Murensibus concessit, nec Priorem reliquit, quin potius ad se revocavit an. 1085. cujus loco

III. B. Luitfridus de Ebersbach, & ipse monachus S. Blasii, Murensibus abbas præficitur eodem anno 1085. vir admodum religiosus, & monasticæ vitæ institutor probatissimus, qui demum pridie cal. Jan. an. 1096. professionis suæ 30. abbatiæ 12. ad cœlum migravit. Sane hujus B admirandæ sanctitatis plures passim per Germaniam auctores meminere, quos inter Gabriel Bucelinus in calendario Benedictino, Berchtoldus Constantiensis in appendice ad chronicon Hermanni Contracti, Arnoldus Wion in martyrologio monastico, & Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum, quanquam in assignando diem obitus falluntur.

IV. Rupertus Luitfrido successit, qui sub nomine Prioris antecesserat, Murensibus tam carus, ut jam tum abbatiali titulo insignitus fuisset, nisi vetuisset Giselberti abbatis ejus auctoritas, ut supra. Hunc certe Gabriel Bucelinus angelicæ C puritatis antistitem vocat. Sponte vero dimisit abbatiam Rupertus post undecim annorum laudabile regimen, ad S. Blasium reversus anno 1108. de quo sic habent Annales Murenses: *Religiosæ perfectionis exemplo Muros nostros, dum Prior & abbas præsederat, plurimum illustravit. Viam universæ carnis ingressus legitur anno 1110.*

V. Udalricus II. ejus nominis, ac primus abbas e gremio Murensi, eligitur an. 1108. sub initium mensis Novembris, de quo Acta Murensia: *Ruperto ad regimen loci successit Udalricus, istius loci monachus, vir satis strenuus in omni actione.* Ei vero Henricus IV. imperator am- D plissimum privilegium concessit, quo bona & privilegia eidem monasterio hactenus collata confirmantur, anno 1114. IV. nonas Martii. Editum est in Originibus Murensibus, pag. 20. Decessit Udalricus postquam Muros laudabiliter rexisset integro decennio, tribus mensibus, totidem hebdomadis & uno die, 24. Febr. anno 1119.

VI. Ronzelinus, *vir, sive zelum disciplinæ* (verba sunt annalium Murensium) *sive rerum agendarum peritiam spectes, omni ex parte perfectus,* in locum defuncti Udalrici subrogatus est an. 1119. Exinde comparavit ingenti pecuniæ E summa vicum Bollikon infra Basileam Rheno adjacentem, vitibus feracissimum, quas magna cum Murorum utilitate excoluit; & ne jura & possessiones monasterii illa temporum iniquitate distraherentur, sollicitus abbas bullam confirmationis ab Innocentio II. Romano pontifice impetravit an. 1139. idibus Aprilis. Vitam denique exuit mortalem die 4. Jan. an. 1145.

VII. Chuno ex monacho S. Blasii electus abbas Murorum an. 1145. facultatem ab Adriano IV. pontifice impetravit, in communi terræ A interdicto divina officia celebrandi, accepta desuper bulla, jura & privilegia Murensia pariter roborante an. 1159. Postquam vero & litterarum studia nonnihil remissa instauravit, abbatia cessit anno circiter 1166. defunctus postmodum an. 1188. die 2. Novembris.

VIII. Wernherus assumtus in præsulem circa annum 1166. e vivis excessit die 7. Aprilis, anno probabiliter 1177.

IX. Anselmus præerat jam anno saltem 1178. quo Alexander papa III. monasterium, confirmatis juribus, &c. in apostolicam protectionem specialiter assumsit; quod & præstitit Clemens III. an. 1188. Testis etiam memoratur Anselmus an. 1181. in quadam compositione inter Schænesii Rhætiæ antistitam & parochum Volensem Vindonissensium, ab Hermanno Constantiensi præsule facta. Idem anno 1203. cum Henrico Engelbergensi abbate provinciam accepit ab Innocentio III. ut nomine sedis apost. nonnullos ecclesiæ collegiatæ Beronensis invasores a cœptis dehortaretur, addita etiam potestate contumaces ecclesiasticis censuris innodandi. Anselmus denique rebus humanis exemtus est die 9. Maii an. 1210. faustissimi regiminis 32.

X. Petrus, quem fasti Murenses ubique *venerabilem* nuncupant, regimen auspicatus est an. 1210. & quidem hoc ipso anno indict. XIII. testis est in charta permutationis quorumdam bonorum inter Henricum Montis-Angelorum abbatem & Rudolfum comitem de Habesburg Landgravium Alsatiæ. Obiit an. 1227. die 10. Februarii. *Prob. hist. Alsat. pag. 32.*

XI. Arnoldus abbas Murensis, *qui ob singulares animi* dotes (verba sunt annal. Murensium) *ad ardua vicinorum negotia sæpe vocatus, magnum sibi amorem & honorem apud omnes comparavit,* jam an. 1237. XVIII. cal. Septemb. testis est in charta Rudolfi Alsatiæ Landgravii. Diem supremum habuit 13. Martii an. 1243. uti probabile videtur. *Ibid.*

XII. Rudegerus a Luternaw probabiliter an. 1243. in abbatem Murensem cooptatus, anno 1247. speciali bulla Innocentii IV. omnimodam libertatem pro suo monasterio contra quoscumque invasores obtinuit, idemque rursus an. 1254. in exsecutione cujusdam sententiæ in gratiam Beronensium canonicorum primus inter novemdecim testes consignatur. Defunctus tandem legitur die 22. Nov. an. 1258.

XIII. Waltherus Rudegero successit an. 1258. *vir magnæ apud vicinos auctoritatis,* inquiunt annales; obiit autem calendis Januarii an. 1270. regiminis 12. sub quo ad diem 30. Aprilis an. 1260. defuncta memoratur Hedwig comitissa de Kyburg, Adelberti comitis Habsburg, cognomento Sapientis, conjux, & Rudolfi I. imperatoris mater, cujus corpus ad Muros delatum in mausolæo comitum Habsburgicorum reconditur.

XIV. Henricus I. Schenck de Castel abbas electus an. 1270. humanitate sua multos monasterio suo amicos & benefactores conciliavit;

ac demum post 13. annorum felicissimum & auctà re domestica valde proficuum regimen obiisse creditur die 24. Aprilis an. 1283.

XV. Albertus, quem an. 1283. Murenses sibi in abbatem delegerunt, variis monasterii sui vexationibus lacessitus, non cessit, sed viriliter hostibus occurrit, suisque ad legitimum tribunal querimoniis delatis, vicit. Obitum ejus ad diem 12. Septemb. Murense necrologium designat, anno nullibi expresso.

XVI. & XVII. Hartmannus & Huno in abbatum catalogo conjunguntur in fastis Murensibus, & ea quidem ex ratione, quod incendium die XI. Apr. an. 1300. pleraque cum toto cœnobio monumenta absumserit; ut proinde annus certus assignari nequeat, quo duo memorati abbates & regere incœperint & vivere desierint. Id vero extra dubium videtur ambos præfuisse intra annos 1290. & 1303. Attamen longius disjunguntur in catalogo Bucelini, ubi Huno post Wernherum VIII. abbatem ponitur, & assignatur dies obitus XI. Januarii; Hartmannus autem eo ipso loco, cujus videlicet tempore prædictum incendium contigisse tradit, & obitus diem notat 26. Septembris.

XVIII. Rudolfus* de Bossickon an. 1303. ex monasterio S. Blasii ad Murensis regimen evocatus, singulari dignus est laude ob damna nuperrimi incendii feliciter reparata. Dein assumtus in arbitrum controversiæ monachos inter & moniales ad Montem-Angelorum, de missa perpetua, aliisque ab Elisabetha Romanorum imperatrice legatis, tanta dexteritate composuit, ut dignus habitus sit, qui una cum successoribus ad singula triennia visitator ejusdem monasterii constitueretur an. 1307. attamen abbatiam dimisit circa an. 1309. ac nonnisi 1333. defunctus est.

* al. Lutoldus.

XIX. Henricus II. a Schonenwerd creditur abbas electus circa annum 1309. de quo illud memoratu dignum occurrit, eum videlicet multorum liberorum patrem ex jactura filii, quem e summitate arcis delapsum lacus vicinus absorpserat, deserendi seculum ansam sumsisse. Quare tam ipse cum filiis in monasterio Murensi, quam uxor cum filiabus in Hermetisvillano se suaque omnia Deo & S. Martino obtulerunt, sacram professi monasticen. Henricus autem piissimum & bellicos inter turbines quietum regimen perduxisse legitur ad annum 1333. relicto gentilitii sui scuti, quod leonem nigrum in area flava continet, herede conventu Murensi, qui eo etiamnum utitur.

XX. Chunradus I. Henrici successor legitur, quem annales Murenses conjectura satis probabili ex nobili Chriegiorum prosapia natum augurantur, obiit die 4. Martii, postquam utiliter & feliciter monasterium rexisset annis 1350. & 1354. ex duobus catalogis editis.

XXI. Henricus III. comes de Froburg, sub quo vastatum fuit & combustum monasterium ab hostibus Austriæ ducum an. 1363. die 8. *al.* 9. Martii. Obiit Henricus postquam stupenda dexteritate & industria monasterii sui ruinam

A plurimum relevasset, circa annum 1371. die 13. Maii.

XXII. Henricus IV. de Eschenz nobili inter Helvetios prosapia ortus, abbatiam gubernabat; quo tempore Gregorius XI. papa anno 1373. decimas proventuum ecclesiasticorum in subsidium belli sacri undique colligebat. Difficile id primo accidit Henrico extremam Murorum inopiam alleganti, qui nihilominus commune bonum privato præferens, mandato pontificio pro viribus satisfecit. Obtinuit autem anno seq. ab eodem Pontifice confirmationem omnium privilegiorum, a summis hactenus pontificibus concessorum; tandemque obiit die 5. Aprilis anno

B 1380.

XXIII. Conradus II. Brunner ex Muris oriundus, virtute, quam genere clarior fuit. Abbas renuntiatus an. 1380. ab initio regiminis, obtenta ab Henrico episcopo Constantiensi subditas sibi parochias per monachos administrandi facultate suffultus, sumto quoque ex propriis capitularium proventibus subsidio, monasterii restaurationem molitus est; in qua & Leopoldus archidux Austriæ adjuvit Conradum, jure patronatus *in Sursée*, cum decimis concesso. Datum est diploma an. 1399. quod ita incipit: *Nos*

C *memores ingentis damni, quod honorabile monasterium Mure universim nostri causa perpessum est in bellis, &c.* De suis tandem optime meritus Conradus e vita migravit an. 1410. regiminis 30. die 9. Martii.

XXIV. Georgius Russinger e nobili familia in oppido Rapperswyl oriundus, deligitur an. 1410. a zelo disciplinæ nonnihil elanguentis, & œconomiæ, qua reformandæ, qua confirmandæ maxime laudandus. Redux enim a concilio Constantiensi, nulla non tentavit media, ut conceptam novæ reformationis normam exsecutioni mandaret, nec sine optato effectu. Neque

D minus feliciter monasterii bonis temporalibus invigilavit, quando an. 1415. privilegium obtinuit a Sigismundo Romanorum rege, feria IV. ante festum S. Viti; ac insuper, ex Bucelino, Helvetiorum pagorum dominos in protectores monasterii libere & sua sponte elegit an. 1431. Georgius tandem non modo ex nomine, sed reipsa industrius *Agricola* laboribus immoritur an. 1440. 10. Jan. postquam 30. annis agrum sibi commissum ad miram ubertatem haud segniter excoluisset.

XXV. Udalricus III. Holzach in locum antecessoris substituitur an. 1440. cum jam gran-

E dæva canities caput exornaret. Defunctus legitur æque meritis ac annis cumulatus anno 1465. regiminis 25. die 31. Januarii.

XXVI. Hermannus Hurzel Tiguri patritio prognatus sanguine, ob vitæ integritatem in præsulem eligi meruit an. 1465. Reliquit hic in sacristia arcam argenteam pro conservandis sanctorum reliquiis, artificiose elaboratam, quæ hodiedum exstat. Obiit anno 1480. die 28. Julii, optimi regiminis anno 15.

XXVII. Johannes I. Hagnawer, patria itidem Tigurinus, Hermanno successor datus est anno

1480. die 4. Augusti, cujus in gratiam anno A 1485. Otho episc. Constant. ecclesiam *in Wolen* monasterio annexuit. Qui demum variis prædiis, & decimis comparatis cum Muros ditasset, *munere pastorali* (verba sunt annal. Murensium) *utiliter ac religiose peracto, fidelis servus & prudens paterfamilias intravit in gaudium Domini sui* anno 1500. regiminis 20.

XXVIII. Johannes II. Fyrabent ex honesta Bremgartæ familia oriundus, præsul eligitur anno 1500. primus, cui ex gratia Julii II. papæ an. 1507. IV. idus Jul. ad successores quoque transitura, non modo in Muris, sed ubique pontificalibus uti licebat. Obiit plenus meritis die B 16. Septemb. an. 1508.

XXIX. Laurentius de Heydegg prænobili Argoviæ familia oriundus, abbatiali coronatur infula an. 1508. Excelsi animi præsul cum esset, indefesso prorsus studio Romanæ fidei integritatem sartam tectamque ita servavit, ut ex iis, quos Pater sanctus tradidit ipsi, non perdiderit quemquam. Ubique irrepentem Novatorum sectam strenue expugnabat & expungebat; quem etiam in finem binos e monachis suis ad publicam fidei disceptationem Badenæ indictam ablegavit. Adeo zelum Catholicæ Religionis temperare non potuit, ut adversariis extremam sibi, C ni cum suis deficeret, ruinam minitantibus insultare non dubitarit, nec illorum furori prius cesserit, quam armata manu Muros jamjam irrupissent Bernates, quorum vix reliquerunt rudera, an. 1531. ex Bucelino, qui tamen singulari abbatis industria pristinum ad splendorem brevi rediere. Colitur etiamnum inter sacram ecclesiæ supellectilem effigies B. M. V. ex argento affabre elaborata, quam Tiguri Laurentius comparasse memoratur. Tandem cum bonum certamen certasset, cursum consummasset, fidem servasset, post annorum 40. regimen undequaque gloriosum, ad meritam justitiæ coronam evolavit D an. 1549. die 20. Febr.

XXX. Johannes-Christophorus de Gruth; Tiguri nobili oriundus prosapia, patrem habuit Joachimum urbis illius grammathæum, avitæ religionis zelo & doctrinæ fama longe celeberrimum, fortissimum scilicet Udalrici Zuinglii antagonistam & Catholicæ veritatis propugnatorem acerrimum. Abbas Murensis electus est an. 1549. professionis 14. vir, seu œconomica, seu spiritualia spectes, omni laude dignissimus. Hic porro cum Joachimo Einsidlensi abbate, & quivis illorum in solidum, commissarius auctoritate apostolica denominatus est, ad E uniendam monasterio S. Galli abbatiam S. Johannis in Thuræ-valle, quod solemni ritu exsecutioni mandavit anno 1555. Obiit die 23. Sept. an. 1564. cujus hodiedum insignia eminent in altissima turri ab ipso erecta.

XXXI. Hieronymus Frey in oppido Diessenhoffen honesta procreatus parentela, fit abbas, anno 1564. quo dein præsente, anno 1567. administratio Fischingensis monasterii collata est Henrico Galli. Tum vero Hieronymus cum in templo precibus coelum pulsaret, subito fulmine ictus pie obiit an. 1585. die 4. Aug. De quo sic habent annales Murenses: *Nihil non operosum, nihil non sanctum in hoc abbate enituit, cujus memoria sit in æterna benedictione.*

XXXII. Jacobus Meyer patria Lucernensis an. 1563. in Muris Deo & S. Benedicto oblatus est, ubi traducta religiose vita, primo in subpriorem, deinde an. 1585. die 13. Aug. in abbatem assumi meruit, cliens B. M. Virginis & cultor devotissimus. Abdicato regimine an. 1596. secessit in Montem S. Georgii, S. Benedicti monasterium in Tyroli situm, ibique post triennium piissime transactum feliciter obiit an. 1599. die 12. Novembris.

XXXIII. Johannes-Jodocus Singisen in oppido Mellingen honestis procreatus parentibus, ex parocho ecclesiæ Bunzensis Murensi monasterio annexæ, an. 1596. die 4. Aug. in abbatem Murensem communi fratrum suffragio deligitur. Vix autem monasterii clavum apprehendit, cum ecce primævum disciplinæ nitorem restituit & Muros tum sacra, tum profana supellectili adeo locupletavit, ut secundi fundatoris nomine honorari mereretur. Nec solum intra proprium monasterium continuit zelum, sed etiam ad totam provinciam extendit, ut pote qui primarius auctor exstitit Helveto-Benedictinæ congregationis, cum Bernardo S. Galli, Augustino Eremi, & Benedicto Fischingensi abbatibus, an. 1602. Denique hanc vitam cum æterna commutavit anno 1644. sepultus in medio ecclesiæ prope fundatorum mausolæum, cujus sepulcro hæc verba inscripta leguntur: *Hic cum fundatoribus quiescit Ven. D. D. Johan. Jodocus Singisen, & ipse fundator, atque abbas hujus monasterii Muri, qui pie in Domino obiit 2. Nov. an. 1644. ætatis 87. profess. 70. sacerdotii 63. regiminis 49.*

XXXIV. Dominicus Tshudi ex nobili Glaronæ prosapia oriundus, an. 1612. monastico habitu, & 1644. abbatiali mitra investitus, pietate floruit & doctrina, quam in academiis Dilingana & Ingolstadiensi hauserat, sacrorum canonum licentiatus. Utramque, pietatem scilicet, ac doctrinam vivaci adhuc memoria dilaudant amplissima, quæ ad seram transmisit posteritatem volumina; nempe Constitutiones monasticæ Helveto-Benedictinæ, quas in ordinem redegit, & acta ejusdem congregationis, cui a secretis erat, de anno ad annum sub uno volumine compilata; Origines monasterii Murensis; Origines domus Austriacæ; illustre ac scitu dignissimum exemplum de advocatia; libellus in regulam sanctissimi patris Benedicti; Opusculum de virtutibus theologicis; De essentialibus Religionis votis; vitæ quorumdam SS. ordinis Benedictini in Helvetia; & utrum monasteria jure belli sacro ordini ablata, aliisque in posterum Religiosis tradita ordini Benedictino restituenda? Anno 1651. ingenti pretio comparavit arcem & dominium Klingenberg in Turgovia situm, cum jure patronatus parochiæ Homburgensis, parum sollicitus de ære alieno ad hoc contracto, modo religionem catholicam inibi conservaret. Suam quoque spectabilem reddidit pietatem, cum anno 1647.

anno 1647. sacras gloriosissimi martyris Leontii exsuvias Roma impetratas in suum Murense monasterium intulit. Cujus insuper tanta fuit in rebus agendis dexteritas, ut ex plenissimo centum virorum Lucernensis senatus consulto requisitus sit an. 1653. ut subditorum seditionem tam periculosam, quam pertinacem compesceret; tandemque vir per omnia egregius obiit ad Thermas Badenses an. 1654. die 6. Junii, ætatis anno 58.

XXXV. Bonaventura Honegger, ingenuis parentibus ortus in oppido Bremgarten, creatur abbas an. 1654. die 15. Junii. Tanti fecerunt Bonaventuræ solertiam illustrissimi sedis apostolicæ ad Helvetios nuncii Caraffa & Borromæus, ut ejusdem consilio ad gravissimas causas definiendas sæpius uterentur. Et hoc quidem enituit maxime in compositione controversiæ episcopum inter Constantiensem & Augiam-Divitem, pro qua Borromæus prædictus Bonaventuram in portatili secum lectica & itineris comitem & apostolicæ facultatis consortem assumsit. Suspexere non minus hujus abbatis prudentiam Reverendissimi congregationis Helveto-Benedictinæ patres, quem primo statim congressu visitatorem ejusdem congregationis nominarunt. Præmaturo fato abreptus est die XI. Apr. an. 1657. ætatis 48. regiminis 3.

XXXVI. Egidius a Waldkirch claros nactus & in primis religione, natales, cujus scilicet parens civis Schaffusianus, solus cum suis fidem avitam non deseruit, abbas Murensis salutari meruit anno 1657. die 16. Aprilis. Curavit maxime suum Fabariensi monasterio splendorem restituere, quod quidem & alia id genus negotia mortem abbati optimo accelerasse creduntur, anno scilicet 1667. ætatis 47. regiminis 10. die 28. Januarii.

XXXVII. Fridolinus Summerer Badena Helvetiorum oriundus, monasterio primum Fabariensi administrator præficitur an. 1663. ac deinde post quatuor annorum arduos labores in Fabariæ salutem exantlatos, Murensis abbas electus est die 3. Febr. an. 1667. Obiit diutina infirmitate decoctus 18. Aug. an. 1674. ætatis 48. regiminis 8.

XXXVIII. Hieronymus Troger Uraniensis, nobilibus utrimque parentibus natus, ex Priore fit abbas die 22. Augusti an. 1674. Decorem domus Dei in primis dilexit, ad quem ingenti pretio suavem adornavit campanarum harmoniam, necnon ecclesiasticam suppellectilem diversis adauxit ornamentis, & pleraque nihilominus, quæ Muros premebant, debita detersit. Exstinctus est die 9. Martii an. 1684. ætatis 61.

XXXIX. Placidus Zur-Lauben Tugio perillustri oriundus familia, parentes habuit Beatum Jacobum Zur-Lauben L. B. de Thurn & Gestelenburg, &c. tum civili, tum militari gloria inclytum, & Mariam Barbaram Reding a Biberegg. Prodiit in lucem an. 1646. die 14. Martii, quo pariter die postmodum, an. videlicet 1684. in abbatem Murensem electus est. Adolescens litteris ac moribus instituendus Muris committitur, ubi etiam an. 1663. die 17. Junii sacram monasticen solemniter profitetur. Absoluto studiorum cursu, Rethoricæ, philosophiæ ac theologiæ professor, necnon censor morum tyronibus & fratribus professis præficitur; cujus etiamnum profundam non minus scientiam, quam ascesin locuntur libri, *Spiritus duplex humilitatis & obedientiæ per varias exhortationes spirituales præsentatus*, & *conciones panegyrico-morales*, quas insigni cum animarum lucro declamavit, nec minori cum legentium applausu prælo commisit, cum jam Muris abbas præsideret, qui prius Helveto-Benedictinæ congregationis secretarius erat. Fausta vero regiminis exordia duxit a translatione corporis S. Benedicti martyris Romani, quam postridie abbatialis suæ benedictionis solemni pompa adornavit. Dein Monasterium a fundamento novum erexit, una cum basilica prorsus augusta, ubi insignia pietatis suæ monimenta posuit, quæ recensere supersedeo, ut studeam brevitati. Præterea soluto quod reliquum erat ære alieno, varia coëmit dominia, Eppishausen, & Sandegg in Turgovia Helvetiæ, Glatt, Diessen, Dettensée, & Egestal in Suevia. Tum an. 1700. amplissimas jubilæi indulgentias lucraturus Romam advolavit; quem exinde an. 1071. Augustissimus Romanorum imperator Leopoldus, gratia in successores derivanda, allegit in S. R. J. principem, agente in primis excellentissimo D. Francisco Honorio comite de Trautmansdorf ad Helvetos oratore Cæsareo, per quem in frequenti procerum præsentia Placidus abbas ea principali dignitate solemniter inauguratus est die 26. Martii an. 1702. Dignum plane est quod legatur instrumentum ea de re datum. Tandem vero gloriosa canitie omnium Murensium ætatem transgressus, secundas celebravit primitias senior & sacerdos jubilæus, assumto in primarium assistentem germano fratre D. Geroldo monasterii Rhenoviensis abbate die 21. Martii an. 1720. & post tres annos feliciter obiit anno 1723.

XL. Geroldus Haimb electus est in abbatem die 26. Septemb. eodem anno 1723. adhuc præerat 1730.

ISNI, *vel* ISNA.

IMperiale oppidum est in Suevia superiore, intra cujus mœnia, ad ejusdem nominis fluviolum, & in decanatu cognomine situm est monasterium ejusdem etiam nominis, quod Wolfhardus junior, cum sua conjuge Hiltrude, comes de Veringen & arcis ac terræ Drauchburgicæ dominus huic olim villæ adstruere incœpit, & ecclesiam in honorem SS. Jacobi majoris & Georgii martyris consecrari fecit an. 1042. per Eberhardum episcopum Constantiensem. Deinde hanc fundationem Manegoldus Wolfhardi frater & soror ejus vidua Irmengardis adauxerunt, & monasterium perfecerunt circa 1096. & hoc ipso anno monachos introduxerunt. Suffragii vero jus habet abbas in circulo Rhenano Sueviæ, quanquam ei hac de re Truchsesii comites litem sæpius intenderint.

SERIES ABBATUM.

DUos abbates ex Hirsaugia consequenter assumtos tempore S. Willelmi abbatis recenset Trithemius, tom. 1. Hirsaug. chronici fusioris, pag. 269. Erchinboldum scilicet ac Brunonem, de quibus omnino silet historia MS. hujus monasterii ad nos perhumaniter transmissa.

I. MANEGOLDUS ex illustri fundatorum genere ortus, monachus Sangallensis, duodecim monachis ex Hirsaugia huc evocatis præficitur abbas, & post annos quatuor a proprio diacono trucidatur anno 1100. XV. calend. Martii die B Cinerum, superstes tamen ad XII. calendas ejusdem mensis.

II. Landoldus Manegoldo succedere jussus, post viginti tres annos regiminis, in cœlum evolavit an, 1123. III. idus Aug. sub quod tempus in hoc monasterio quinquaginta sanctimoniales separatis ædibus habitabant, qua de re videndus Baronius tom. 2. ad annum Christi 1091.

III. Werinherus I. obiit pridie idus Julii an. 1166.

IV. Marquardus Wernhero suffectus, bellum contra Fridelocum Campidonensem abbatem gessisse traditur, & ipsum ejus cœnobium in C ditionem suam redegisse, sed post sex horas ab eodem abbate cum dedecore inde ejectus fuisse. Tum vero marquardus, Henrici marchionis de Rumsperg rogatu, primum Ursinensi monasterio priorem dedit Werinherum an. 1185. ac tandem obiit IV. nonas Martii an. 1194.

V. Burchardus e vivis excessit 1. Decemb. an. 1215.

VI. Albertus, *sive* Adalbertus mortem oppetiit prima item Decemb. an. 1228.

VII. Bertholdus I. obiit IV. nonas Maii 1240.

VIII. Bertholdus II. vivere desiit calendis Martii 1250.

IX. Conradus I. exstinctus est VII. calend. D Aug. 1261.

X. Rudolfus I. sedisse annis quatuor dicitur.

XI. Henricus I. abdicavit 1267. secundo sui regiminis anno.

XII. Herimannus naturæ debitum solvit 1269.

XIII. Bertholdus III. Becherer, simul abbas Ursinensis, anno 1278. exemtionem parochiæ Rordorffensis, ratione monialium, de quibus supra, illuc transferendarum, renovari curavit per Rudolfum episcopum Constantiensem. Dehinc, eo sedente, oppidum Isnense una cum cœnobio E fortuito incendio consumtum est an. 1284. postquam monasterium a sua perfectione octoginta octo annos supra centum stetisset. Bertholdus vero absque dilatione cœnobium reparare studuit, cujus tandem ecclesiam an. 1288. *al.* 1289. die 19. Febr. per Chunonem episcopum Tullensem consecrari fecit. Denique mortalitatem exuit 1. Febr. 1291.

XIV. Henricus II. cognomento Absburg, vir græce, latine & hebraice, doctus, orator & poëta, obiit 1321. IV. idus Julii, cum præfuisset annis 30.

A XV. Conradus II. Mennet post quindecim annos regiminis decessit IV. *vel* VII. cal. Julii 1336.

XVI. Conradus III. Cufferet cum toto suo conventu legitur peste mortuus an. 1350. & abbas quidem IX. cal. Aprilis.

XVII. Johannes I. Ministri ex parocho Isnensi, ob curam sibi creditis ovibus tempore pestis præclare exhibitam, ab Othone Truchsesio dapifero designatur abbas & veste monastica induitur anno 1350. Vitæ cursum confecit IV. idus Maii 1363.

XVIII. Bertholdus IV. optima clarus administratione cessit an. 1380. eodemque decessit XVIII. cal. Junii.

XIX. Nicolaus Steinegger obiit 1382. die 9.* Decembris. * *f.* 6.

XX. Johannes II. Bolsternang electus in festo sancti Nicolai an. 1382. obiit pridie idus Maii 1398.

XXI. Johannes III. Asnanck anno 1398. primo sui regiminis bullam obtinuit a Bonifacio IX. qua monasterio annectuntur parochiales ecclesiæ S. Nicolai Isnensis, & SS. apost. Petri & Pauli in Trisenhofen. Obiit 1406. XIII. cal. Junii.

XXII. Werinherus II. de Stain, *al.* Seslepi in capitulo generali provinciali celebrato 1417. in monasterio Petri-domus, cum tribus aliis abbatibus deputatur visitator cœnobiorum Curiensis & Constantiensis diœcesium. Cessit an. 1425. mortuus paulopost, eodem scilicet anno 17. Aprilis.

XXIII. Rudolfus II. rexit annos quinque, defunctus 5. Junii 1430.

XXIV. Johannes IV. Mangoldt de Sandeck, vir natalibus clarus, ex monasterio Weingartensi postulatur per modum compromissi, a Campidonensi, Weingartensi, Ochsenhusano, & Major-Augiensi abbatibus 19. Junii 1430. & mox Schaffusam profectus, solemni ritu ab episcopo inauguratur in monasterio Omnium Sanctorum 8. Julii ejusdem anni. Obiit autem 1459. eodem mense, ac pene die, quo fuerat electus, cum utiliter annis 29. præfuisset.

XXV. Georgius I. Weber, *al.* Textor electus 6. Novemb. an. 1459. cessit decrepitus 12. Dec. 1475. ac mortuus est 4. Aprilis 1476.

XXVI. Georgius II. Steudlin, ex vicino Lurckirck oppido parentibus claris oriundus, vir litterarum scientia conspicuus, in sacristia eligitur 12. Dec. 1475. confirmaturque 23. ejusdem mensis. Obiit 6. Maii 1501.

XXVII. Philippus de Stein, *seu* de Lapide; vir nobilis, electus 8. Maii 1501. & confirmatus ab Hugone episcopo 22. Maii ejusdem anni, jus pontificalium obtinuit a Leone X. papa 1513. Diu & strenue præfuit sub quo esus carnium tribus per hebdomadam diebus in monasteriis provinciæ Mog. concessus est a Clemente VII. 1524. Tandem vero contractus & cœcus factus, obiit 14. Aug. 1532.

XXVIII. Ambrosius Horn, patria Phullendorphianus, electus abbas ex subpriore 26. Aug. 1532. luxit anno sequenti VI. idus Julii totum

monasterium ab hæreticiis devastatum; cumque A septem annis præfuisset, vivere desiit 28. Febr. 1538.

XXIX. Helias Frey, patria Isnensis, confirmatur in abbatem 27. Martii 1538. sub quo iterum cives Isnenses an. 1546. in odium religio-catholicæ divino cultu abrogato monasterium diripuere. Moritur senex decrepitus an. 1548. calendis Febr.

XXX. Ulricus Todt, patria Pfullendorfensis, cum esset cœnobii œconomus, in abbatem electus fuit 23. Julii 1548. quo ipso anno Isnenses ablata monasterio restituere Cæsareo decreto coacti sunt, ex quo etiam tempore cultus B catholicus ibidem restitutus est usque ad annum 1552. quo rursum Isnenses principi Mauricio Saxonico ejusque asseclis in Cæsarem & Catholicos arma perfide corripientibus consociati, ac prævalentes, sacra omnia profanarunt. Quas inter miserias obiit Udalricus 21. Aprilis 1557.

XXXI. Bathasarus Zacharias, patria Dilinganus, eligitur die 13. Maii an. 1557. sub quo Gerwicus abbas Weingartensis & Ochsenhusanus an. 1563. 30. Junii monasterium Isnense visitavit; qua in visitatione abbas & conventus Isnensis Gerwico tanquam *patri domus* jurarunt se ejusdem constitutionibus parituros. An. 1568. C cum aliis abbatibus in oppidum Ravenspurg convenit ad instituendam Suevico-Benedictinam congregationem; ac tandem obiit 13. Julii 1573.

XXXII. Sebastianus Mayer, patria Tettnanganus, electus abbas ex priore an. 1573. interiit peste 28. Aug. 1593. cum jam fratres hac illa propter pestem dispersi essent, excepto uno ad parochiæ curam.

XXXIII. Johannes V. Rauch ex œconomo abbas electus, spe aëris & auræ melioris in Herenberg secessit, ubi paucis exactis diebus 17. Septemb. peste similiter absumtus est, & in pa- D rochia Rordorff ad gradus principis altaris in choro tumulatus.

XXXIV. Jacobus I. cognomento *Gull*, electus 1594. cessit an. 1602. & 3. Januarii in Underzaithnau sepultus est.

XXXV. Gasparus Mayer oriundus e loco prope Waldsée, ex sacrista & scholæ magistro electus abbas per viam scrutinii an. 1602. obiit 29. Maii 1605.

XXXVI. Jacobus II. Naff, quem alvi dolores cruciatusque adeo distorserunt, ut usu pedum atque manuum destitutus, an. 1607. in administratorem elegerit Wolfgangum Schmid, & E 21. Junii 1617. regimen abdicarit. Denique fato functus est 12. Sept. 1634.

XXXVII. Wolfgangus Schmid ex insigni per decem annos administratore, an. 1617. per viam scrutinii esse abbas jussus est, vir quidem omni præconio dignissimus, sub quo 1631. die 15. Septemb. flamma in civitate exorta tertiam illius partem una cum monasterio in cineres redegit. Cessit an. 1638. 18. Jan. in monasterio Brigantino Augiæ-majoris, assignata sibi parochia in Underzaithnau, ubi tandem octogenarius 4. Aprilis 1648. obiit & sepultus est.

XXXVIII. Johannes VI. Fyseli electus in monasterio Brigantino, ad quod Isnenses convenerant, mense Januario 1638. obiit 1. Febr. 1650. ætatis anno 66. vir, ait Bucelinus, iis meritis & vitæ puritate, ut admirationi etiam civibus & venerationi esset, quanquam a fide Romana alienissimis.

XXXIX. Dominicus Arzet, Constantiensis, electus 15. Febr. 1650. abdicavit in Underzaithnau 8. Nov. 1661. cum strenue monasterium rexisset annis XI. ac tandem obiit ætatis anno 65. apoplexia suffocatus 3. Sept. 1669.

XL. Theodoricus Locher, Ochsenhusanus monachus & prior, olimque per multos annos vicarius *in Legau*, vir senex ac robustus, pius & doctus, eligitur in Underzaithnau per viam scrutinii ab antiquo abbate, Placido priore, & Benedicto monacho exhibentibus conventum an. 1661. 8. Nov. & Ochsenhusii confirmatur mense Februario. Tum an. 1666. in festo S. Bartholomæi Franciscus Johannes episc. ecclesiam Isnensis cœnobii, quam a fundamento exstruxerat Theodoricus abbas, dedicavit in honorem S. Georgii mart. & S. apostoli Jacobi majoris. Ex apoplexia decessit 22. Sept. 1676.

XLI. Ildefonsus Rem a nobilibus parentibus de Herhen-Embs natus, ab infantia in monasterio tam in studiis, quam in pietate educatus, suos inter sodales tum in philosophicis, tum in theologicis semper lauream tulit. Ex obedientia ad illustrissimum comitem Ernestum *in Dyrmentingen* missus, ibi ultra biennium sacellanum aulicum omni laude dignissimum egit. Domum revocatus, œconomiæ officio decoratur, tanto monasterii commodo, ut ob decrepitam abbatis Theodorici ætatem, jussu reverendorum visitatorum, totius monasterii constitutus sit in temporalibus sedulus administrator. In abbatem electus 13. Octob. 1676. e vivis excessit 13. Dec. 1689.

XLII. Michaël Graff, Altorfensis, *vulgo* Weingartensis, ex vicario in Underzaithnau per viam scrutinii electus in abbatem 9. Januar. 1690. cessit an. 1701. in Underzaithnau regressus, ubi sub umbra Deiparæ matris, cujus maxime cultum promoverat, vitam clausit 26. Jan. 1716.

XLIII. Alfonsus Torelli vir nobilis, & monachus Weingartensis, dum actu sacram theologiam doceret Isnæ, per viam scrutinii postulatus ac electus est abbas 10. Maii 1701. Hactenus feliciter præest, sub quo monasterium antea vergens ad occasum, tam in temporalibus, quam in spiritualibus reflorescit.

WEINGARTENSE MONASTERIUM.

Liberum hoc & imperiale sub patrocinio S. Martini cœnobium, *Vinearum* dictum, seu *Weingarten*, ob vineas olim, ut creditur, loco circumpositas, situm est in decanatu Ravenspurgensi, & quidem vix dimidio a civitate Ravenspurgo milliari. Illud in arce sua, quam

sub annum 1053. conflagrasse tradunt, condidit Guelpho III. Bajoariæ dux, eoque transtulit monachos ex Altorfio Sueviæ cœnobio, quod tunc in parochialem ecclesiam conversum fuit. Hoc autem Altorfium non illud est de quo supra in Argentinensi diœcesi, sed aliud in Suevia positum, quod prius inhabitarunt sanctimoniales, ac deinde monachi illuc translati seculo XI.* ex Alto-monasterio in pago Frisingensi, quod tunc monialibus cessit, sed rursum vetustate collapsum sub finem seculi quinti-decimi restituit princeps Bajoariorum, & in illo viginti quinque monachos ac sexaginta moniales ordinis S. Brigittæ collocavit, ut fidem faciunt litteræ Innocentii VIII. editæ in metropoli Salisburgensi. Ceterum translationem illam monachorum ex Altorfio in Weingartense monasterium, Bucelinus quidem ad annum 1055. refert; sed paulo serius hæc transmigratio facta videtur, quandoquidem Welpho, novi monasterii conditor, anno tantum 1071. dux Bajoariæ factus est, teste Bertholdo. Porro dives hic locus & magnificus, Guelphonum principum sepultura clarus est, quos inter Juditham fundatoris conjugem anno 1094. a Gebehardo Constantiensi episcopo ibidem honorifice conditam fuisse Bertholdus auctor est. Ad abbatem quod attinet, in *Suevico*, quod vocant *Scamno*, a quatuordecim prælatis occupato, qui omnes circulo Suevico annumerantur, secundas tenet, jamque *directorium* inter prælatos Suevicos obtinet cum Urspergensi abbate, & alter quidem cis, alter trans-Ileranus director audit, eoque nomine in comitiis circuli arctioribus, necnon collegialibus, primis sedibus gaudent. Abbatum seriem exhibet Bucelinus, ejusdem loci cœnobita, multis editis libris notissimus, eamque deducit ab Altomonasteriensibus prælatis, nos autem haud altius eam repetemus, quam ex ultima Altorfii abbatissa, & ibidem subsecutis abbatibus, usque ad ultimum, qui primus Weingartensis extitit, & exinde successorum historiam prosequemur.

*sub annum 1056. ex Mabillonio.

ALTORFIUM SUEVIÆ.

FUndatum est olim ab Henrico & Hattha principibus Alamanniæ, Altorfii comitibus ex illustrissima & potentissima Guelphonum familia sub annum Christi 910. & a S. Conrado eorumdem filio, Constantiensium pontifice liberaliter locupletatum, in quo primum, ut supra diximus, Benedictinæ professionis virgines sunt positæ, quibus dein *in Alten-munster* una cum abbatissa sua Hiltrude translatis, inde vicissim Henricus abbas & monachi Altorfium successere; Henricum ibidem excepit in regimine Luitholdus, Hunc Brandiline, sive Branzo, & istum denique Beringerus, idem ultimus Altorfiensis, & primus Weingartensium abbas, cum post illius cœnobii an. 1053. teste Hermanno, incendium Guelpho dux suum abbati & monachis palatium cessisset, quibus tamen diu post Altorfiensium nomen servatum est.

ABBATES WEINGARTENSES.

I. BERITHGERUS, *seu* BERINGERUS; vir illustris generis, sub quo Altorfienses monachi in locum *Vinearum*, seu *Weingarten* commigrarunt, notatur in necrologio III. idus Maii, quem Bruschius perperam dicit abbatem constitutum an. 1094.

II. Adilhelmus princeps Lucelburgius a Bucelino vitam clausisse dicitur an. 1095.

III. Henricus I. ex comitibus de Beienburg; Bucelino vir sanctus, *Herricus abbas* nullo addito dicitur in necrologio, idibus Novembris.

IV. Walicho oriundus ex familia dynastarum de Winterbach, S. Willelmi Hirsaug. abbas discipulus, apud Martinum Crusium Annalium Suevicorum part. 2. Noggerum, primum Zwifaltensem abbatem mortuum 1095. sepeliisse dicitur; quod si certum foret, duobus antecessoribus Adilhelmo & Henrico anteponendus esset. Notatur in necrologio V. cal. Januarii.

V. Chuno dapifer de Waldpurg, comes de Thann, librorum S. Augustini diligens scriptor pro augenda bibliotheca, adfuit electioni Bertholfi in abbatem Petrhusianum post obitum Theodorici, superstes an. 1124.

VI. Godefridus dynasta de Venningen, monachus S. Georgii in Hercinia silva, ex Bucelino, fuit abbas Weingartensis, deinde Admontensis, obiitque III. cal. Julii an. 1165. Omittitur a Bruschio.

VII. Gebhardus comes de Thann, dapifer de Waldpurg, floruit an. 1143.

VIII. Burchardus comes de Matsch, natione Francus, genere nobilis, & vitæ merito clarus, ex Hirsaugia tempore Manegoldi abbatis assumtus, ex Trithemio, Imperii principibus ex Bucelino accensetur a Friderico I. imperatore, quos inter in comitiis ad Roncalias an. 1158 proximus a Campidonensi ante Elvacensem & Weissenburgensem abbates consedisse memoratur; adeo fallitur Bruschius, qui hunc ante annum regiminis completum exauctoratum scribit.

IX. Arnoldus baro de Kuppingen claruit an. 1167. ex Bucelino.

X. Diethmarus comes de Triberg, patria Suevus, ac professione monachus Hirsaugiensis, præfuit & profuit annis 30. ex Bruschio, longe paucioribus ex Bucelino.

XI. Marquardus baro de Dorndorff floruit ex Bucelino an. 1179.

XII. Wernherus mariscallus baro de Marckdorff an. 1182. dedicari templum curavit ab Hermanno Constantiensi præsule.

XIII. Meingosus ex comitibus de Lechsgmundt, quem miraculis clarissimum Bucelinus beatum vocat, Hirsaugiensis monachus, & postea Reichenbacensis abbas ex Bruschio, obiit anno 1200. 22. Aprilis ex Bucelino, *al.* 23. seu IX. cal. Maii.

XIV. Hermannus I. de Pirchtenwyler omissus a Bucelino, obiit 1213. ex Bruschio, sub quo iterum dedicatum est templum an. 1207.* a Conrado II. episcopo Constantiensi, in honorem

*f. 1217.

SS. Trinitatis, sanctæque Crucis, B. Virginis Mariæ, omniumque cœlestium virtutum, ac præcipue in honorem SS. Martini & Oswaldi.

XV. Bertholdus ex comitibus ab Haimburg, vir meritissimus & *beatæ memoriæ* Bucelino, obiit sub annum 1231. sub cujus regimine, ait Bruschius, cœnobium fulmine tactum & combustum est an. 1227. quod ipse tamen præclare iterum instauravit.

XVI. Hugo e familia comitum Mont-fortiorum in Werdenberg e vivis excessit 1242.

XVII. Conradus I. dynasta de Wagenbach mortem oppetiit 1266.

XVIII. Hermannus II. toparcha de Biechtenweiler, idem, ut videtur, quem ex Bruschio supra collocavimus n. XIV. obiit ex Bucelino an. 1299. fundator, inquit, monasterii Tertiariarum in Altorf.

XIX. Fridericus Heller de Hellerstein defecit an. 1315. ex Bucelino.

XX. Conradus II. dynasta de Ibach, cœnobii restaurator magnificus, viam universæ carnis ingressus est an. 1336. ex Bucelino.

XXI. Conradus III. dynasta de Uberlingen moritur an. 1346.

XXII. Henricus II. dynasta de Ibach obiit 1363.

XXIII. Ludovicus de Ibach baro de Haldenberg, de cœnobio benemeritus vivere desit anno 1393.

XXIV. Johannes I. ab Essendorff filius Udalrici & Sophiæ de Pfersheim interfuit concilio Constantiensi, mortuus 1416. ex Bucelino, superstes vero 1418. ex Bruschio.

XXV. Johannes II. Blaarer de Guttingen & Wartensée obiit 1437.

XXVI. Erhardus a Frydang ex primo in Hosen præposito factus abbas Weingartensis, interiit an. 1462.

XXVII. Jodocus Bentelin, Ravenspurgensis, equestri familia ortus, animi dolore exstinctus est 1477. quod hoc anno in festo Ascensionis Domini cœnobium conflagrasset.

XVIII. Gaspar Schiegk, solus genere ignobilis, & ob id multa a suis perpessus, sub quo & antecessore laboratum, ut monachi Elvacensium instar fierent canonici. Obiit Gaspar 1491.

XXIX Hartmannus de Burgaw ex familia equitum de Knoringen defunctus est an. 1520.

XXX. Gerwicus Blaarer de Girsperg, patria Constantiensis, vir doctrina & prudentia tantus, ut summis etiam principibus ab intimis consiliis esset. Primus quoque Vinearum cœnobio mitram intulit, cum decessores abbates pedo tantum antea insigniti fuissent. Obiit abbas simul Oschsenhusanus an. 1567.

XXXI. Johannes III. Hablizel vir splendidus, an. 1568. Ravenspurgum cum aliis abbatibus convenit ad instituendam Suevico-Benedictinam congregationem. Aulam magnificam exstruxit, fato præreptus an. 1575.

XXXII. Johannes-Christophorus Raitner a Kellerberg, Gerwici ex filia fratris pronepos, dignitati nuncium remisit an. 1586.

A XXXIII. Georgius felicissimæ memoriæ antistes, sui & plurimorum cœnobiorum meritissimus reformator, abdicavit regimen an. 1627. ac eodem mortuus est, de quo plura Bucelinus parte 2. annal. Bened. pag. 155.

XXXIV. Franciscus Dieterich, Georgii electi Curiensis episcopi, decani cathedralis ecclesiæ Constantiensis germanus frater, præmatura morte sublatus est an. 1637.

XXXV. Dominicus Layman de Liebenaw, Pauli hujus ex fratre nepos, cujus eruditio toti Christiano orbi innotuit, ejusdem æmulus eruditione & religione præerat adhuc anno 1656.
B quo suam Bucelinus Germaniam sacram in lucem prodidit.

XXXVI. Willibaldus sedebat 1687. & 1699.

ZUIFALTUM & ZUIFALTAHA, *latine* ad DUPLICES-AQUAS.

ID nominis habet a duobus rivis *Aych* cognominatis in ipso monasterio concurrentibus; haud procul a Danubio, Haingum inter & Riedlingam oppida, tribusque supra Ulmam in Alpibus Sueviæ milliaribus, & in decanatu Munderkingensi. Suam vero fundationem, seu potius restau-
C rationem, ut vult Mabillonius, acceptam refert duobus fratribus Luitoldo, *sive* Liutolfo & Chunoni comitibus de Achalm an. 1088. *vel* 1089. pro 12 monachis ex Hirsaugia sumtis; quod etsi inter status circuli Suevici locum non habeat, Imperii tamen ordinibus solet accenseri. Fuit autem monasterium eo nomine duplex, virorum scilicet ac virginum, ex quibus laudat Bucelinus Ælberadem Uracensem comitissam, Lindavii quondam principem, quæ humilis apud Zuifalten conversa, etiam sanctitatis fama meruit celebrari. Ceterum eo in loco ambo fundatores conditi sunt, Liutolfus ex comite monachus, &
D Chuno comes de Ulselingen strenuissimus miles S. Petri, qui diem clausit ultimum idibus Octob. an. 1092.

SERIES ABBATUM.

I. NOTGERUS, *seu* NOTKERUS, antea monachus Heremi, ac deinde Hirsaugiensis, primus illic abbas constituitur a S. Willelmo Hirsaugiensi abbate, cujus paulo post exsequiis an. scilicet 1091. interfuit, quo ipso anno in media Quadragesima, *al.* 1092. & 1088. creatus abbas dicitur. Obiit autem pridie nonas Martii anno 1095. fundationis septimo, cum rexisset
E annis quinque secundum Bruschium.

II. Udalricus I. ipso die sepulturæ, & quinto post obitum Noggeri abbatis, novitius cum aliis duobus a Welichone Weingartensi abbate consecratus, post aliquod tempus, necdum hebdomadis decem in monastica conversatione completis, factus est abbas consilio prædicti Welichonis, Gebhardi Hirsaug. & Azelini Burrhonii abbatum, In primo Rogationum, qui eo anno in calendas Maias inciderat; (*lege* pridie Rogationum) Ita Martinus Crusius parte 2. annal. Suevic. Anno vero ejus præfecturæ tertio, ait

Bucelinus, cœnobium misere conflagravit; cujus postea templum in honorem B. Mariæ Virginis dedicatum est anno 1108. *al.* 1109. v.* idus Septemb. a Gebehardo Constantiensi & Witone Curiensi præsulibus. Denique vita functus est Udalricus an. 1136.

*f. vi. idus

III. Pilegrinus, *seu* Peregrinus novem tantum hebdomadibus regimen tenuit, mortuus 1137.

IV. Haricus, *sive* Henricus, cujus loco nonnulli Bertholdum reponunt, annis sexdecim præfuit, exstinctus an. 1153.

V. B. Ernestus postquam præfuerat annis quinque, a Romano pontifice missus an. 1158. ad seminandum Dei verbum Jerosolymam, & ad alia Palestinæ loca, illic martyrium subiit, & Antiochiæ sepultus est.

VI. Wernherus I. post Ernestum ablegatum a Pontifice, rexit annos quinque.

VII. Godefridus sederat duobus annis, quando mortuus est an. 1165.

VIII. Conradus I. secutus Godefridum in annos 24. dono interim accepit ab Ulrico comite de Bergen Mochentalium arcem, sitam in amœnissimo colle non procul a Danubio, medio fere itinere Zuifaltum inter & Ehingum, quæ mox in præposituram conversa est. Decessit an. 1189.

IX. Wernherus II. obiit 1193.

X. Hermannus migravit a seculo 1205.

XI. Conradus II. Hermanni frater, ex Bucelino decessit an. 1213.

XII. Henricus II. mortem oppetiit 1215.

XIII. Luitholdus & Leotoldus rebus humanis exemtus est 1229.

XIV. Reinhardus occubuit 1234.

XV. Fridericus exuit hominem 1240.

XVI. Arnoldus quinquennio sedit.

XVII. Wernherus III. e vita discessit anno 1251 cum sex annis præfuisset.

XVIII. Conradus III. rexit duobus annis.

XIX. Bertholdus novem annis gubernaculum tenuit, qui scripsisse librum dicitur de origine sui monasterii, quem in testimonium persæpe laudat Martinus Crusius in annalibus Suevicis.

XX. Petrus decem annis præfecturam gessit.

XXI. Ulricus II. quindecim annis gubernavit.

XXII. Eberhardus de Stain, *sive* de Lapide, exactis in officio pastorali annis 44. decessit an. 1331.

XXIII. Ulricus III. ab Hasenweiller post novem annos in ipsa sua domo trucidatur anno 1340.

XXIV. Walherus obiit 1350.

XXV. Johannes I. vivere desiit 1369.

XXVI. Anshelmus e medio sublatus est 1386.

XXVII. Conradus IV. de Stain animam exhalavit 1394.

XXVIII. Johannes II. obiit 1399.

XXIX. Wolfgangus nobilis de Stain, *seu* de Lapide moritur 1422. eodem die, quo germana ejus soror in Urspringen e vivis excessit

XXX. Georgius Ogger defecit an. 1436.

A XXXI. Johannes III. de Stain, *seu* de Lapide, vir nobilis tum genere, tum virtute, ex præposito Gutelsteinensi factus abbas, laudabiliter præfuit 37. annis; diemque supremum obiit 1473.

XXXII. Georgius II. cognomento Piscatoris, ex Pachensi proximo pago natus eligitur in abbatem an. 1473. Hic vir undequaque meritissimus, cœnobium suum de novo reformavit an. 1489. omni ornamentorum genere instruxit; aurea & argentea vasa ad rem sacram parari curavit; utrumque dormitorium, alterum cellarum 17. & alterum decem construxit: domum præterea, in qua S. Stephani sacellum est, & bi-
B bliothecam omni optimorum librorum genere refertam adjecit. Solvit insuper decem millium aureorum debita ab antecessoribus contracta, & omnia pene ædificia vetera renovavit; utque facilius a successoribus ædificari posset, intra cœnobii muros, molendinum *ferrarium*, ut vocant, in quo asseres scindi & aptari solent: domum item, seu tugurium in quo lateres coquantur & conficiantur condidit: quibus omnibus anno 1507. pistrinum etiam adjecit. Inde vero sequenti anno domum, in qua hospites humaniter & commode exciperentur, & frumenta conservarentur, erexit. Mitto alia plurima, ne longior sim, quæ hic
C abbas in sui cœnobii commodum fecit. Cum vero & religione celebris esset, an. 1509. præfuit ordinis capitulo provinciali Erfurdiæ in monasterio sancti Petri celebrato. Qui demum ab Udalrico Wirtenbergensi duce captus, & in castello Nyphen custodiæ mancipatus, non prius abire permissus est, quam præfectura Zuifaltensi cederet, mox tamen ad Augiæ-divitis gubernationem vocatus, ubi vide.

XXXIII. Sebastianus cognomento Molitor, præfecti cujusdam in oppido Wirtenbergensi filius, vir prudens & acer ingenio, anno ætatis suæ tricesimo-tertio subrogatur ad 26. annos,
D quibus fere continuis multa perpessus est a duce Wirtenbergensi, in tantum ut ipse Uberlingam secedere coactus sit. Aliquando vero rem sui cœnobii coram Ferdinando Romanorum rege tam magnanimiter ac strenue egit, præsente etiam Ulrico duce, ut ab ipsis regiis consiliariis secundus monasterii ad extremam jam ruinam vergentis erector ac fundator publice diceretur. Sed perpetuarum tandem litium pertæsus, redeunte in suum ducatum prius ejecto duce, resignavit abbatiam an. 1537. seque Mochentalium recepit, abbas iterum eligendus.

XXXIV. Nicolaus I. Buchnerus, patria Tu-
E bingensis, vir doctus, eligitur an. 1537. cumque annis 12. magna cum laude præfuisset, abdicavit an. 1549. superstes an. 1550. totus litteris deditus.

XXXV. Sebastianus, qui supra, iterum an. 1559. resignante Nicolao, unanimi sodalium voto eligitur abbas.

XXXVI. Nicolaus II. Buchner iterum quoque in abbatem electus, e vivis excessit anno 1562.

XXXVII. Johannes IV. antea coadjutor, an. 1568. in civitatem Ravenspurgum cum aliis

abbatibus convenit ad instituendam Suevico-Benedictinam congregationem. Vitam amisit an. 1577.

XXXVIII. Georgius Rhaw, in quo desinit Martinus Crusius annal. Suevicorum scriptor.

XXXIX. Michaël alia inter egregia merita, basilicam cœnobii miro splendore excoluit, nec minori zelo disciplinam monasticam promovit.

XL. Balthasar Maderus peste interiit.

XLI. Christophorus Rassler e theologica universitatis Benedictinæ Salisburgensis cathedra, ad abbatialem Zuitfaltensem pro eximiis meritis raptus est post medium seculum proxime præteritum.

XLII. Ulricus IV. *sive* Udalricus, præerat an. 1699.

S. PETRUS IN NIGRA-SILVA.

HOC monasterium Benedictinum duobus circiter a Friburgo Brisiacæ milliaribus, & quidem in decanatu Friburgensi, conditum est an. 1093. a Bertholdo II. Zaringiæ, dehinc Alamanniæ duce, collatis eidem loco rebus omnibus alterius monasterii, quod ejus pater in Wilheim ædificaverat. Novum hoc cœnobium ejusdem ducis frater Gebehardus, Constantiensis episcopus & apostolicæ sedis legatus consecravit calendis Augusti, die festo S. Petri ad Vincula, *quorum magnam partem venerandus abbas Sigefridus de cella Salvatoris*, id est Scafusensis eidem loco cum multis aliis reliquiis contulit. Ista vero confirmata est fundatio a Bertholdo III. fundatoris filio & ipsius fratre Conrado an. 1112.

Aliquot abbates.

I. SIGEFRIDUS, Scafusensis abbas regimen & ordinationem hujus loci, qui sedi apostolicæ peculiari jure subjicitur, volente fundatore suscepit.

II. Adelbero, *sive* Adelbertus præfuit an. 1093. cujus obitus dies notatur III. nonas Decemb.

III. Hugo I. abbatem egit sub annum 1100. mortuus idibus Dec. *al.* pridie idus an. 1111.

IV. Eppor, *vel* Eppo memoratur abbas anno 1112. in confirmatione fundationis hujus monasterii facta a filiis fundatoris, & adhuc 1123. ex tomo 1. Vindemiarum litterariarum auctore Schannatio, pagg. 160. & 161. Eidem abbati Pontius archimandrita Cluniacensis an. 1115. XII. cal. Novemb. societatem fraternitatis Cluniacensis concedit. Denique circa annum 1126. Honorius II. papa ei privilegium indulsit, quo immunitates omnes huic cœnobio concessæ ab Urbano II. confirmantur. Obiit calend. Junii an. 1132.

V. Gewardus e vivis excessit V. idus Octob. an. 1135.

VI. Gotzmannus an. 1152. IV. nonas Junii Bertholdum IV. Zaringiæ ducem munificum expertus est. Defecit V. idus Febr. 1154.

VII. Marquardus moritur VIII. idus Octob. an. 1183.

A VIII. Bertholdus I. superstes ad annum 1220.

IX. Henricus I. decessit die 4. Martii 1255.

X. Arnoldus mortem oppetiit XV. cal. Maii 1277.

XI. Walterus I. obiit pridie nonas Februarii 1291.

XII. Eberhardus, exstinctus VIII. idus Julii 1295.

XIII. Gotfridus, *sive* Godefridus de Lotschibach equestri natus familia, præfuit feliciter & utiliter annis 27. & hebdomadis decem, fato functus 26. Septemb. an. 1322.

XIV. Bertholdus II. hominem exuit XII. cal. B Jan. an. 1349. *al.* 1348.

XV. Waltherus II. vitam reliquit an. 1353.

XVI. Johannes I. Immendinger obiit XIII. cal. Novemb. 1372.

XVII. Petrus I. de Thanheim fatis concessit 3. Febr. 1375.

XVIII. Jacobus I. Stanelin mortuus est 1. Jan. 1380.

XIX. Hugo II. ex hac vita migravit 5. Dec. 1382.

XX. Henricus II. a Stein obiit VII. idus Dec. 13 . . .

XXI. Henricus III. Soloti, *sive* Siolotti oc- C cubuit 1392.

XXII. Erhardus decessit IX. cal. Decemb. 1403.

XXIII. Benedictus e vivis abiit 25. Febr. 1405.

XXIV. Johannes II. Cantzler obiit anno 1411.

XXV. Henricus IV. Ettlinger interiit VI. nonas Martii 1414.

XXVI. Henricus V. ab Hornberg mortuus 1420.

XXVII. Johannes III. Tuffer obiit VI. idus Septemb. 1439.

D XXVIII. Jacobus II. Vogt obiit VI. idus Aug. 1443.

XXIX. Conradus de Hofen primus abbas infulatus decessit 8. Aug. 1449.

XXX. Burchardus de Mansberg obiit V. cal. Maii 1453.

XXXI. Johannes IV. Kussenberger vivere desiit V. cal. Martii 1484.

XXXII. Petrus II. Emhardt de Wilheim obiit III. nonas Febr. 1492.

XXXIII. Simon Budner mortalitatem explevit III. nonas Aug. 1496.

XXXIV. Petrus III. Gremmelspach, mortuus E est VII. idus Febr. 1512.

XXXV. Jodocus Kayser rebus humanis exemtus est 1531. X. cal. Septemb.

XXXVI. Adamus Guldin naturæ concessit V. cal. Junii 1554.

XXXVII. Magnus Thuringer, administrator, obiit 1553.

XXXVIII. Johannes V. Erb moritur nonis Julii 1564.

XXXIX. Daniel a Wehingen, Tirolensis vitam cum morte commutavit III. idus Maii 1580.

XL. Joachim Munsinger de Frundeck, ex A equestri familia, primum professus in Denckendorff, hoc cœnobio ab hæreticis occupato, stabilitatem huic loco devovit, cujus deinde abbas, e vivis excessit 13. Martii circa an. 1585.

XLI. Gallus cessit an. 1597. mortuus 28. Febr. 1604.

XLII. Michaël Stucklin, 20. Junii 1601.

WIBLINGUM & BIBLINGUM.

HARTMANNUS comes de Kirchberg & Otto ipsius frater natione Suevi, ex voto quod in terra sancta emiserant, si salvi redirent B in patriam, condituros se monasterium in honorem S. Crucis & S. Martini, istud ordinis S. Benedicti condiderunt sub annum Christi 1099. non longe ab Ulma Sueviæ primaria civitate & quidem in loco, ubi Danubius & Illerus fluvii confluunt, & in decanatu *Laubhaim*. Biblingum vero dictum est, ait Bruschius, a prætereunte fluviolo Bibingo, qui ibi in Illerum cadit; quod Gebehardus Constantiensis episcopus consecravit mense Septembri, & Otto S. Blasii abbas regulari disciplina informavit. Ceterum præter alias sanctorum reliquias gaudet hoc monasterium insigni portione S. Crucis pal- C mo fere in longitudinem extensa, quam fundatores ob præclara in expeditione terræ sanctæ merita ab Jerosolymitano episcopo acceperunt.

SERIES ABBATUM.

I. S. WERNHERUS nobilis ab Ellerbach huic loco primus abbas concessus est ab Ottone S. Blasii abbate an. 1102. eique præfuit ad annum 1126. quo feliciter migravit ad Dominum die 2. Aprilis, ex serie MS. 2. Maii ex histor. MS. S. Blasii, *vel* 4. Junii, ex Bucelino; corpus vero in medio ecclesiæ tumulatum est.

II. Hermannus I. a Bruschio eo ponitur or- D dine, & alter cognominis tertio loco, quem ibidem sequitur

III. Arnoldus, *al.* Lutoldus e S. Blasio accersitus an. 1130. decessit 28. Julii.

IV. Bertholdus a Bucelino & in serie MS. secundo positus loco, in hist. MS. S. Blasii, ex hoc assumtus monasterio dicitur an. 1141.

V. Stephanus moritur 1147. 19. Octob.

VI. Henricus I. sub quo vivebat Wilhelmus de Kirchberg monachus Wiblingensis sub annum 1179. obiit 1194. die 4. Dec. cum rexisset annis 47.

VII. Conradus I. omissus a Bucelino & a E Bruschio transpositus, eo ponitur ordine in quadam serie MS.

VIII. Albertus omittitur a Bruschio & Bucelino.

IX. Hermannus in serie MS. prætermissus, sed in edita Bucelini sexto loco positus, mortalitatem exuit 4. Junii.

X. Richardus vivere desiit ex Bucelino anno 1310.

XI. Henricus II. ex hac vita migravit die 3. Junii an. 1334.

XII. Udalricus I. mortem oppetiit an. 1347. 2. Sept.

XIII. Henricus III. eodem anno 1347. obiit 29. Nov. ex Bucelino.

XIV. Udalricus II. omissus a Bucelino, eo ponitur ordine in serie MS.

XV. Henricus IV. omittitur a Bucelino.

XVI. Henricus V. Mayr obiit anno 1404. 18. Febr.

XVII. Andreas Luntsch ex Wiblingen oriundus, viam universæ carnis ingressus est die 7. Sept. an. 1414.

XVIII. Johannes I. Mayr Altheimensis, extinctus est 8. Martii 1427.

XIX. Erasmus Marschalck Biberacensis, hinc postmodum ad Albersp acense monasterium postulatus, obiit 8. Sept. 1447.

XX. Johannes-Hieronymus Hultzing, itidem hinc postulatus ad Alberspachium, moritur 2. Junii an. 1448.

XXI. Jodocus I. Winckelhofer, in Lorch postulatus, hominem exuit an. 1466. die 8. Septemb.

XXII. Udalricus III. Hablitzel in Weinstetten, disciplinæ monasticæ tam in suo, quam in aliis cœnobiis strenuus ac primus ex omni Suevia reformator, anno 1454. cum aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali apud Seligenstat celebrato. Obiit 9. Nov. 1473. regiminis 43. *al.* 44. e cujus discipulis octo ad diversa monasteria postulati sunt abbates.

XXIII. Melchior de Steinheim, equestri familia natus, legum doctor, & Ludovico Bavariæ duci ab intimis consiliis, abbas quoque S. Ulrici Augustani, defecit an. 1474. 30. Januarii.

XXIV. Georgius I. Schwartz Niderhofensis obiit 9. Sept. 1482. postquam eodem anno Dominica 3. post Pascha provinciali capitulo in monasterio S. Johannis Baptistæ oppidi Blaubeuren apud Suevos celebrato cum aliis abbatibus præfuisset.

XXV. Martinus I. Herting, postulatus in Ahusen, deinde in Eichenbrun, moritur 1487.

XXVI. Johannes II. Balmer Hittesheimensis, disciplinæ monasticæ hinc inde per suos reformator, redituum auctor, privilegiorum conservator, jurium vindex, & plurium MSS. codicum auctor, fuit in congregatione præses, qui tandem ex hac vita discessit 22. Octob. anno 1497. Ita Bucelinus & nostra series MS. sed profecto mendose ex dicendis, nisi forte annos ante decem regimen abdicasse dicatur.

XXVII. Conradus II. Ruch, *al.* Rhue, Veringensis, primus ob celebre regularis observantiæ nomen abbatiali mitra decorari meruit ab Innocentio VIII. quam cum primum gestavit septingentos hospites numeravit. Præfuit anno 1487. Dom. 3. post Pascha provinciali capitulo habito in monasterio S. Jacobi prope Moguntiam, & alteri 1493. Hirsaugiæ celebrato, ex Trithemio. Rexisse vero laudabiliter dicitur annis 21. & clausisse vitam 12. Junii 1504. cujus tumulo inscripti sunt hi versus, auctore Martino Mylio Wengensi apud Ulmenses cœnobita:

Abbatum

Abbatum nervus, monachorum gloria, pulcra
Virtutis specimen, cum gravitate pudor:
Relligionis apex, hujus spes unica claustri,
Hac qui Conradus Rhue tumulatur humo;
Præsulis in Bybling mitram qui fronte bicornem
Primus suscepit, corpore, mente probus.
Tu modo, qui hac transis, pia numina flecte precando,
Ut repetat tanti spiritus astra patris.

XXVIII. Martinus II. Stor, *al.* Abelstor; electus an. 1504. præfuit cum aliis abbatibus capitulo provinciali apud S. Udalricum in Augusta celebrato an. 1506. Amotus est 1508. diuque superstes naturæ tandem debitum solvit an. 1542. die 9. Octob.

XXIX. Georgius II. Hacker ex superiori Wylerio natus, eligitur an. 1508. cumque utiliter annis novem-decim præfuisset, decessit 1527. 8. Nov.

XXX. Henricus VI. Clausius *Claus* de Weissenhorn, vir incomparabilis, relictis aliquot ingenii summæque pietatis monimentis, obiit 13. Aug. anno 1551. regiminis 23. septuagenario major.

XXXI. Othmarus Lauffenberger, Blaubyranus præmatura morte correptus est 18. Febr. 1553.

XXXII. Petrus Nangelin Ehinganus moritur 28. Junii an. 1556.

XXXIII. Jodocus II. Todt Weingartensis, postulatus ex Ochsenhausen mortem oppetiit 18. Junii 1589.

XXXIV. Augustinus Wydemann Ottopuranus, obiit 26. Maii 1590.

XXXV. Urbanus Hafner Aidirnensis, fato concessit 15. Jan. 1606. regiminis 16.

XXXVI. Gotfridus Munding Marchtallensis, vir ingenio, scientia, moribus & auctoritate præpollens, exempli & reformationis gratia postulatus ex Wiblinga ad cellam Marianam, ac deinde ad Scotente monasterium, obiit post 12. annos regiminis, die 30. Julii 1618.

XXXVII. Wilhelmus Schweizer abbas Ossiacensis in Carinthia, obiit 1628. 5. Novemb. ex Bucelino. Omittitur in serie MS.

XXXVIII. Franciscus Schwarz ex Schnirpflingen vir strenuus naturæ concessit 22. Julii 1630. regiminis 12. si fides historiæ MS.

XXXIX. Johannes III. Schlegel Bebenhusanus obiit 17. Julii 1635.

XL. Benedictus Rauch vir summæ eruditionis ac religionis, administrator Reichenbacensis, Cæsaris auctoritate, & exercitus Bavaro-Cæsarei vicarius generalis in spiritualibus, obiit 31. Aug. 1663. non sine fama sanctitatis.

XLI. Ernestus abbatis numeros omnes implevit, sed triennio duntaxat.

XLII. Maurus visitator & præses congregationis Benedictino-Suevicæ, cultum divinum propagavit, sacram supellectilem & bibliothecam ampliavit, jura strenue defendit, patrociniumque pauperum & subditorum suscepit. Exstinctus est 1692. 20. Febr. ætatis anno 52. regiminis 26.

A XLIII. Modestus præfatæ congregationis visitator & præses, necnon S. Cæs. Reg. cath. maj. a consiliis, nullo antecessorum inferior habetur, sub quo non minus disciplina religiosa floruit, quam studiorum omnis generis amor. Hic porro monachorum numerum auxit, ecclesiam variis ornamentis pretiosis & bibliothecam libris ditavit, pagos & villas emit, supremam jurisdictionem & a comitatu Kirchbergensi obtinuit separationem, dumque novum monasterium a fundamentis erigit, moritur sub initium anni 1730.

XLIV. Meinradus valde juvenis ex professore B salutatur abbas 16. Januarii 1730.

BLAUBYRA, BLABYRIUM, BLAUBURNIUM & BURRHONIUM.

NOmen habet ex Bruschio a fonte, seu fontibus propter amplissimum & admirandæ profunditatis fontem vicinum, ex quo Blavus fluvius aërii coloris oritur, pene in ejusdem nominis peramœno oppido, in decanatu cognomine, duobusque ab Ulma Sueviæ metropoli milliaribus; sive, ut ait Bucelinus, conditum est hoc monasterium sub patrocinio S. Johannis-C Bapt. an. 1095. in ducatu Wittenbergico diœcesis Constant. ad Blavi fluvii profundissimos fontes. Burense vero dicitur, *seu* Burrhense in instrumento confirmationis ejusdem fundationis, dato 1099. ab Urbano II. papa, ex quo etiam discimus fundatum fuisse hunc locum ab Henrico & Hugone fratribus, iisdemque comitibus & Adelheide comitissa, cujus ille vir & alter levir exstitit, seu potius ab ejusdem comitissæ socero Anselmo.* *Hæc nimirum ad SS. apostolorum limina veniens Burensem ecclesiam soceri sui studio a fundamentis ædificatam, secundum ipsorum vota, super sacrosanctum B. Petri altare obtulit, &* D *per manum nostram*, inquit Urbanus papa, *in proprium sedis apostolicæ alodium delegavit.* Hine porro emendare licet Bucelinum, qui tres illos fundatores, tacita comitissa, fratres appellat, cum alter eorum sit pater aliorum, quem certe Bruschius Anselmum vocat, cujus & fratres nominat Hugonem & Sigibotonem; & ab hisce tribus, antequam oppidum, aut cœnobium ibi constructum esset, exiguum saltem S. Johannis-Bapt. sacellum conditum fuisse auctor est. Jam vero qui sint illi comites, quod non docet charta memorata, accipimus a Bruschio & Bucelino, qui fuisse Palatinos comites de Tubingen & Ruch, E consentiunt, addit & Gerhausen Bucelinus; qui rursus addit adversa multa perpessum esse hoc monasterium ab advocatis, ipsis fundatorum posteris, de quibus tamen Rudolfus comes Palatinus postea plurimum doluit, binisque datis super hoc litteris 1267. IX. cal. Jan. in alteris juri advocatiæ in compensationem damnorum renuntiavit omnino, simulque alium quemcumque advocatum constitui prohibuit; in alteris suam & majorum suorum detestatus licentiam, multa insuper alia resarciendis damnis liberaliter elargitus est. Sed quandoquidem & hoc monasterium Burense

Ch. III. col. 508.

* ex Bruschio

aliquando dicitur, videndum ne confundatur A cum aliis duobus cognominibus, altero in Bajoaria & diœcesi Frisingensi, & altero in Augustana; & in hoc quidem peccasse Bucelinum colligimus, quod ipse ad hoc diversis temporibus ex Hirsaugia præsides egregios fuisse destinatos asserit, Azelmum scilicet claro natum genere, & Othonem, qui postea Rhenoviensi cœnobio præfuit; hic enim Azelmus haud alius esse videtur, quam Azelinus, cui Urbanus papa superiorem chartam inscripsit, &c.

Series Abbatum.

I. Azelinus, *al.* Anshelmus ex Hirsau- B giensi monasterio accitus est, qui Burensi præesset, an. 1095. Eidem bulla Urbani papæ II. inscribitur, qua monasterii fundationem confirmat an. 1099. Obiit 1101. idem fortasse ac Mazelinus presbyter & abbas Burensis memoratus in necrologio Lauresham. IV. nonas Maii. Ch. III. col. 508.

II. Otho I. ex Hirsaugia similiter assumtus, aliquandiu præfuit monasterio Burensi, & postea Rhenoviensi, ex Trithemio; Bruschius vero Blaubyrensem abbatem post annos 15. regiminis defunctum tradit an. 1116.

III. Rudigerus vivere desiit an. 1122.

IV. Wolpoto I. Rudigero successit, & huic C

V. Otho II. a nonnullis Ezelinus dictus.

VI. Wernherus an. 1159. bullam protectionis accepit ad Adriano IV. & hoc ipso anno decessit.

VII. Eberhardus I. novem-decim annis præfuit, mortuus 1178.

VIII. Fridericus post annos 25. e vivis excessit 1203.

IX. Henricus I. anno 1212. usu oculorum privatus abdicavit.

X. Wolpoto II. migravit a seculo 1219.

XI. Rudolfus amotus est a regimine 1231.

XII. Albertus I. in locum Rudolfi subrogatus, moritur 1245. D

XIII. Mainfridus cessit an. 1247.

XIV. Conradus I. fato functus est 1249.

XV. Hermannus vitam amisit 1263. cum annis 14. præfuisset.

XVI. Eberhardus II. ob infirmam valetudinem regiminis sarcinam deposuit 1269. cujus tempore an. 1267. Rudolfus comes Palatinus de Tubingen juri advocatiæ monasterii nuncium remisit.

XVII. Albertus II. exauctoratur an. 1271.

XVIII. Marquardus obiit an. 1286.

XIX. Conradus II. cognomento *Mirabilis* præfuit annis sex cum dimidio, cujus tempore E cum civis quidam in cœnobii templo vulneratus esset, monasterium secundario dedicatum est, & summum altare in honorem S. Johannis Baptistæ consecratum. Onus regiminis deposuit 1293.

XX. Albertus II. electus an. 1293. mortem oppetiit 1308.

XXI. Godefridus præfuit ac profuit 26. annis, fato functus 1333.

XXII. Albertus III. quo sedente Prior monasterii a Conrado quodam diacono interfectus est an. 1347.

XXIII. Rumboldus a Griffenstein ob affectam valetudinem regimen abdicavit an. 1356. in vigilia SS. apost. Petri & Pauli.

XXIV. Johannes I. Klotzerus, electus anno 1356. præfuit utiliter uno & triginta annis, deinde mortuus est 1387.

XXV. Johannes Hugo Ulmensis, una omnium voce eligitur abbas 1387. vulneratus autem post annos viginti a quodam monacho suo Henrico Fulgmeyer in cella infirmorum, moritur ex eo vulnere die duodecimo, anno 1407.

XXVI. Johannes II. Ungeheir, *al.* Hettelinus obiit an. 1419.

XXVII. Henricus II. Hasenbergius, *al.* Schaffnaburgius, sub quo cœnobium cum vicino oppido ac territorio venditum est comiti Ludovico de Wirtenberg ab Helffensteinensibus comitibus, 40. millibus aureorum mense Martio anni 1447. Postquam vero Henricus annis 36. præfuisset, dignitatem abdicavit an. 1456. ac tandem mortuus est 1466.

XXVIII. Udalricus Kindig, antea secularis sacerdos, eligitur abbas in octava Epiphaniæ anni 1457. hoc est 1456. quo ipso anno præfuisse legitur provinciali capitulo apud S. Petrum in Erfordia celebrato. Cessit an. 1475.

XXIX. Henricus III. Fabri successit in octava Innocentium, primus abbas infulatus, adeo diligens tam spiritualium quam temporalium cœnobii sui rerum curator, omniumque ædificiorum renovator ac illustrator, ut secundus hujus monasterii fundator meruerit prædicari. Hic anno 1476. cum aliis abbatibus præfuit capitulo provinciali Bambergæ in Monte-monachorum celebrato, & alteri 1490. Nurembergæ apud S. Egidium. Aliud etiam capitulum provinciale in hoc Blaubyrensi monasterio habitum est anno 1482. Idem etiam abbas una cum Georgio Hirsaugiensi, Seſſlingense cœnobium puellare an. 1484. Sixti IV. Romani pontificis jussu reformavit. E vivis tandem excessit an. 1495. die S. Ambrosii, sub dominici corporis ædicula tumulatus.

XXX. Gregorius Roesth, Martorfensis, quæ sub antecessore imperfecta remanserant, absolvit, præcipue vero majorem basilicam egregie decoravit. Præfuit annis 27. & aliquot mensibus, ac deinde abbatiam resignavit an. 1523. qui mortuus anno seq. sepelitur in sacello S. Petri cum tali distycho:

Respice qui transis, illo sub marmore dormit
Abbas Gregorius providus atque pius.

XXXI. Ambrosius Rasor, Landavianus, Ulrico Wirtenbergensium principi mutanti ritus ecclesiarum suæ ditionis abbatiam resignavit, splendide interim ac delicate vivens, donec anno Christi 1545. animam exhalavit. Sub ejus regimine translata est an. 1530. ad Blauburnianum hoc monasterium academia Tubingensis, eo quod Tubingæ grassaretur admodum pestis.

XXXII. Christannus, *sive* Christianus, Tubingius, ex Martorffo episcopali oppido natus,

cum jam tribus annis abbatia vacaret, & ipsi monachi ante multos annos e Blauburnio exsules Martorffi commorarentur, ibidem a fratribus in abbatem electus est die 12. Jan. an. 1548. jam tunc ubique fugatis & expulsis monachis, auctoritate Caroli V. imperatoris in sua restitutis. Præerat adhuc 1550. Christianus abbas, vir doctus, proceræ staturæ, & humanitate nemini secundus. Verum haud multo post iterum exsulare cogitur cum suo conventu, acatholicis succedentibus.

XXXIII. Matthæus Aulberus S. theol. doctor Lutheranus.

XXXIV. Alexander Blæsing obiit 1584. Dominica *Oculi*, Lutheranus.

XXXV. Johannes Schoppsius adhuc præerat 1591. Lutheranus. At vero tandem restitutis a Ferdinando II. imperatore Wittenbergiæ cœnobiis, illuc ad breve tempus monachi Benedictini reversi sunt.

XXXVI. Raimundus Remboldt, patricius Augustanus, asceta Weingartensis monasterii, in ipso monasterio Blaubyrano a collegis solemniter electus, ac dein Constantiæ consecratus, post aliquot annos, insurgentibus Germaniæ motibus, denuo ejectus est circa 1640.

ALBERSPACUM & ALPIRSPACUM.

CONdita est ad Rhenum hæc abbatia Benedictina in ducatu Wittenbergensi, & decanatu Rottuveylensi, an. 1095. a Rotmanno de Hausen, *vel* Husin, Adalberto de Zollern & Alwico comite de Sulz, ut liquet ex instrumento fundationis apud Crusium parte 2. lib. 8. cap. 14. fol. 293. Hanc autem Gebhardus Constantiensis episcopus & sedis apostolicæ legatus in honorem S. Crucis, B. M. Virg. S. Benedicti & omnium sanctorum consecravit; eaque postmodum, sola ex diœcesi Constantiensi, accessit ad congregationem Bursfeldensem an. 1482. ex Trithemio.

SERIES ABBATUM.

I. CONO fundationis confirmationem, bullamque protectionis obtinuit an. 1101. a Paschali papa II.

II. Conradus abbas tempore Wernheri abbatis Solitatiorum, *seu* Einsidlensis circa 1130. Idem fortasse Conradus, quem Trithemius auctor est illuc ex Hirsaugia missum fuisse abbatem.

III. Bertholdus congruam sibi jurisdictionem in Dornheim adversus Volmarum de Brandecke coram Ludovico duce de Teckhe propugnavit an. 1251.

IV. Volmarus ab Hermanno comite de Sulz villam Hop-How an. 1278. pretio centum viginti marcarum argenti comparavit.

V. Hugo confirmationem privilegiorum obtinuit a Martino V. bulla data Constantiæ, ejus pontificatus anno primo, pridie nonas Jan. & an. 1424. a Sigismundo imperatore. Idem an. 1429. præfuit cum aliis abbatibus capitulo provinciali ordinis Bambergæ in Monte-monachorum celebrato.

VI. Hieronymus reperitur annis 1488. & 1493.

VII. Gerardus an. 1501. unus fuit ex abbatibus a Philippo comite Palatino & Alberto Argentinæ præsule delectis ad reformandum Gengenbacense monasterium. Adhuc memoratur 1504.

VIII. Alexius e vivis excessit an. 1523. die 23. Januarii.

IX. Udalricus eligitur eodem anno 1523. præsentibus Conrado Schuterano & Laurentio in Etten-munster abbatibus, quo etiam anno ejus decretum electionis Hugoni episcopo Constantiensi exhibitum fuit. Memoratur & in quibusdam actis Germanice conscriptis annis 1525. & 1530.

X. Jacobus præerat an. 1553. & forte 1559. quo Lutherani capto hujus monasterii abbate, e suo loco monachos exturbarunt.

XI. Matthæus Vogelius abbas erat 12. Maii 1589.

XII. Alfonsus Kleinhans Veldkirchensis, ex abbate Albirspacensi electus fuit Ochsenhusanus die 23. Febr. an. 1658.

MONS-ANGELORUM,
German. *Engelberg*.

SIc appellari voluit hoc monasterium Calixtus II. papa cum antea diceretur a monte qui est ad Orientem ob galli formam, Mons-Gallinarius, German. *Hennenberg*. Situm est in valle quadam apud Helvetios decanatus Lucernensis, lata tribus stadiis, totidemque plus minus longa, pagos inter Uraniam, Bernam, & Subsylvaniam superiorem & inferiorem, quam altissimi montes nive perpetua tecti circumvallant. Fundatur autem in honorem B. M. Virginis assumtæ an. 1120. Conrado barone de Seldenburen auctore, qui sub S. Adelhelmo primo abbate monasticen professus, dein obedientiæ martyr exstitit, cum pro juribus ecclesiæ tuendis a suo abbate missus, pro verbo exhortationis, a nefario quodam male mulctatus, bino in utrumque latus accepto vulnere concideret anno Christi 1126. die 2. Maii, multis deinceps miraculis commendatus. Abbatum seriem edidit Bucelinus & post hunc nescio quis auctor an. 1706. Hanc utramque ex historia loci MS. beneficio viri clarissimi domni Ildefonsi Straumeyer bibliothecarii ad nos transmissa facile fuit emendare.

INDEX ABBATUM.

I. B. ADELHELMUS assumtus anno 1120. ut huic loco præesset, ex cœnobio B. M. Virg. ad Heremitas, vel ex S. Blasio, aut ex Hirsaugia, hæc enim tria monasteria hunc sibi suum alumnum vindicant, an. 1124. indict. 2. nonis Apr. Sabbato sancto privilegium confirmationis accepit a Calixto II. pontifice. Migravit ad Dominum 1131. die 25. Februarii. Exinde tres sibi invicem successerunt, Luitfridus, Welfo & Hesso, mercenarii potius dicendi quam pastores, quorum idcirco damnata memoria.

II. B. Frowinus, quem & suum quoque alumnum fuisse San-Blasianum & Heremitanum monasteria decertant, electus est an. 1146. *vir doctissimus, sapientissimus, religiosissimus, qui permultos libros scribi a suis conventualibus fecit, & ipse sua doctrina & ingenio non paucos edidit*, ut loquuntur annales domestici. Denique ad æternas sedes Christus eum vocavit die 27. Martii an. 1178. *al.* 1173. ex historia Gallico idiomate Heremitani monast.

III. Bertholdus B. Frowinum excepit, de quo sic habent annales prædicti: *Vir erat conversatione, scientia & pietate valde venerabilis, qui nullo unquam die presbyteratus sui, imo nec die mortis suæ placidissimum Deo sacrificium missæ offerre omisit.* Complures etiam libros descripsit, & a suis monachis describi sollicitus fuit, quinimo proprio marte aliquos exaravit, quos inter haud minimam meretur existimationem apologia contra errorem Burchardi abbatis S. Johannis in Thurtal. Præfuit autem annis 19. tandemque miraculis clarus migavit ad Dominum 3. Novembris anno 1197.

IV. Henricus I. de Wattenbach nobili oriundus prosapia, vir per omnia laudabilis, an. 1210. indict. XIII. quædam commutavit cum Rudolfo comite de Habspurg & Landgravio Alsatiæ; sub quo etiam fundatum dicitur, anno 1197. ex Bucelino, monasterium Sanctimonialium apud Montem-Angelorum, quod anno 1254. consecratum fuit & sequenti mox die, hoc est idibus Junii, sacro velo ibidem amictæ sunt 42. virgines. E vivis excessit anno 1223. die 29. Decemb. cum 26. annis præfuisset.

V. Henricus II. cognomento *Arnoldus*, vir disciplinæ regularis observantissimus, sub quo fuere monachi 40. & moniales 80. Mortem oppetiit an. 1240.* 14. Octob.

* 1241. ex *Bucelino, & alio incerto auctore.*

VI. Wernherus I. Stauffacher, cujus tempore Arnoldus de Hasenburg suæ habitationis in Hasenburg possessionem & jurisdictionem Engelbergensi monasterio contulit anno 1242. Obiit 1250. 13. Febr.

VII. Walterus I. ab Yberg, nobilis quidem, sed opere negligens, exauctoratus est an. 1267. 2. Januarii.

VIII. Walterus II. nobilis de Chamo, deposito Waltero I. in abbatem subrogatus, Stannensem ecclesiam obtinuit ab Eberhardo episcopo Constant. qua de re in manuscripto quodam homiliarum libro leguntur hi versus:

Abbas Waltherus patiens, humilis, bene verus
De Chamo dictus, & nullo crimine victus,
Auxiliante pia Christi genitrice Maria,
Obtinuit Stannis optatum pluribus annis
Communi mensæ, verbis turbatus & ense.
Hoc opus implevit, quo completo requievit
anno 1276. 3. Febr.

IX. Arnoldus de Wile vir nobilis, obiit an. 1294. 24. Junii, optima clarus administratione, sub cujus regimine comites de Froburg monasterium a vectigalibus suis in terris exemtum voluerunt, aliaque beneficia eidem contulerunt.

X. Udalricus I. de Bernau nobili genere ortus, diem clausit extremum an. 1298. 30. Martii.

XI. Rudolfus I. Schertleib, *seu* Schertlieb abbas renuntiatus an. 1298. spiritualia & temporalia monasterii fideliter dispensavit; ac tandem vitam cum morte commutavit an. 1317. die 4. Febr.

XII. Walterus III. de Clivo, sub quo abbate an. 1325. die 1. Sept. in puellari monasterio Montis-Angelorum, dicto inferiori, 139. virgines, præsente regina quondam Hungarorum Agnete, Alberti imperatoris filia, velatæ sunt, & ecclesia monasterii superioris virorum dedicata fuit. Cessit autem hic abbas an. 1331.

XIII. Willelmus post sexdecim annos regiminis abdicavit & ipse calendis Martii an. 1347. ac mortuus est 1359. 22. Nov. quo regente an. 1345. Dominica, qua cantatur *Ad te levavi*, velatæ sunt 90. virgines ab Henrico archiepisc. Avercensi.

XIV. Henricus III. pedum etiam dimisit an. 1359. sub cujus præfectura an. 1349. intra natalis B. M. Virg. & Epiphaniæ Domini festa, peste obierunt in inferiori monasterio sanctimoniales 116. sacerdotes & scholares 5. sed huc brevi tot confluxere virgines, ut fere nimio excrescente numero, statutum sit, ne plures quam centum reciperentur, an. 1353. 1. Junii, ind. VI. idque Johannes episcopus eodem anno, V. nonas Octob. approbavit.

XV. Nicolaus de Weisehrlen, vir nobilis decessit an. 1360. 25. Augusti.

XVI. Rudolfus II. de Stuelingen, natalibus clarus, sed clarior prudentia & doctrina, in abbatem confirmatur ab Henrico episcopo Constantiensi, ac insuper Augustæ Vindelicorum in conventu omnium abbatum Germaniæ ordin. S. Benedicti in visitatorem ejusdem ordinis deligitur, ob id a quibusdam *gloriosissimus* appellatus. An. 1362. necessitate compulsus curtes in Turego abbati S. Blasii oppignoravit, subrogato pretio redimendas. Tum an. 1364. Henricus episc. triginta virgines, & an. 1366. quinque velavit. Rudolfus demum excessit e vita 9. Febr. an. 1398.

XVII. Walterus IV. Miræus monasterio strenue & utiliter in temporalibus ac spiritualibus præfuit annis 22. qui postmodum animam egit 1420. 12. Novemb.

XVIII. Johannes I. Kupfferschmidt, postulatus abbas e S. Blasio, dum post consecrationem ad suum monasterium Constantia revertitur, in itinere, sceleratorum hominum machinatione, per lotionem pedum ad sordes abstergendas, veneno infectus, exhalare statim animam coactus est an. 1421. calendis Aprilis.

XIX. Johannes II. Kummer, antequam monachus, presbyter ordinis Johannitarum, cum per novem annos præfuisset valde negligenter, an. 1430. Johanni de Wida præposito Lucernensi, quod monasterium Murbacensi subjacet, abbatiam resignavit, non multo post eam repetiturus.

XX. Johannes III. de Wida, vir simplex,

probus & pius, cessione Johannis superioris abbatiam consecutus, biennio post ejusdem fraude, illa non solum privatus est, sed sua etiam præpositura.

XXI. Johannes Kummer, *al.* Kumbar, qui supra, favore ducentorum aureorum obtinuit apud confœderatos Helveticos pagos, ut Johannes de Wida, quem sui loco præfecerat, abbatia privaretur, & ipse simoniacus eamdem rursus arriperet. Illam vero sex annis ea vice gubernavit, seu potius dilapidavit, qua postmodum dimissa, Rhenoviensem an. 1437. invasit; & hac tandem exsul misere obiit Constantiæ XVII. cal. April. anno incerto.

XXII. Rudolfus III. Kauffman oriundus e Balneo-ducis cessit an. 1444. mortuus 1455.

XXIII. Johannes IV. Strine amotus a regimine transfertur ad plebanatum, seu curionatum de Kussnach an. 1451. Sub quo monasterium inferius anno 1449. funditus combustum est, quod tamen intra sex annos fidelium eleemosynis restauratum, nova 1455. 9. Julii consecratione donatum est. Ceterum Johanne exauctorato Rudolfus antecessor restituitur, sed post decem hebdomades iterum abdicavit.

XXIV. Johannes V. am-Buel electus circa an. 1451. deturbatur an. 1457.

XXV. Henricus IV. a Porta, *vel* Portner, expulsus quoque pro meritis fuit & ablegatus ad plebanatum in Briens an. 1478. Quæ dum fierent, ipsis agentibus pagis confœderatis, ipsimet sub specie defensionis ac tuitionis monasterii cyphos argenteos cum pluribus aliis argenteis poculis & duobus calicibus vendiderunt, ac insuper procuratores, seu advocatos substituerunt, qui sua potius quam monasterii quæsiere.

al. Stalder. XXVI. Udalricus II. Stadler * de Berna, successit an. 1478. qui hoc solum præclare gessit, quod electioni consentire noluerit, nisi confœderati abbatiam omnino liberam, secundum ejusdem privilegia redderent; quod & factum est. Sed cum nihilominus abbate segniter agente omnia fere pessumirent, advocati plura quam antea monasterii bona vendiderunt. Denique moritur abbas Udalricus, confirmatus, sed non consecratus, an. 1489. 28. Novembris.* *al. Octob.*

XXVII. Nicolaus Bulman, vulgo *Gratis* appellatus, monachus Hornbacensis, ante suam confirmationem abdicavit, monasterii paupertate deterritus, sed non ante an. 1490. quo sacellum *in Orbis* consecratum legitur in honorem B. M. Virginis, sub Nicolao abbate.

XXVIII. Johannes VI. Ethon, *vel* Edon monachus Hirsaug. cum se nihil proficere videret, prævalente secularium potestate, abdicasse dicitur an. 1496. & abhinc sedes abbatialis vacasse ad an. 1500. quo supradictus Henricus a Porta monasterium gubernandum susceperit.

XXIX. Barnabas Burcki de Alstetten, seu ex oppido Vallis-Rhenanæ, Parisiis eo tempore studiis operam navabat, quando nemine contradicente ad abbatialem evectus est dignitatem anno 1504. Vixit annis 73. religionis catholicæ propugnator acerrimus, & præfuit monasterio A laudabiliter annis 42. siquidem obiit an. 1546. 29. Decembris.

XXX. Johannes VII. Sporlin peste mortuus est an. 1548. circa festum Translationis S. patris nostri Benedicti.

XXXI. Bernardus Ernst oriundus ex pago Suitio, & quidem genere prope humillimo, qui tempore pestis parochum agebat in Kussnach, cum solus ex præsentibus monachis, præter duos scholares, ceteris absumtis, superesset, monasterio præfectus est in annos quinque; nam vivere desiit an. 1553. 20. Aprilis.

XXXII. Jodocus Kramer Lucernensis, electus B abbas 25. Julii anno 1553. fatis concessit anno 1574. 27. Febr.

XXXIII. Rudolfus IV. Gwicht accitus e monasterio Murensi an. 1574. 22. Martii, obiit 19. Martii 1576. vir quidem astronomiæ peritus, doctrina conspicuus, ac titulo equitis Jerosolymitani & S. Catharinæ præfulgens, qui superiorem turris ecclesiæ partem pro horologio construi curavit.

XXXIV. Jacobus Suter ortus e Cella laci inferioris, adhuc solum diaconus in abbatem eligitur an. 1576. Hic varia ædificavit, ac mitræ privilegium obtinuit a summo pont. Gregorio C XIII. quo tempore calendarium renovatum est. Demum peste contabuit anno 1583. die 9. Novemb.

XXXV. Gabriel Blattimann Lucernas, ex priore in abbatem assumitur anno 1584. 25. Januarii; sub cujus regimine, vel etiam antea, debitis ad 6000. florenos contractis, & amandata disciplina monastica, pagi Helvetici defensores monasterii rerum domesticarum curam tradidere cuidam præfecto *ex Stans*, dum interim nuncius apostolicus vicarii munus in utroque statu fratri Jacobo-Benedicto contulit, quo tempore pagi prædicti plurimas monasterii possessio- D nes vendiderunt, moxque fratres omnes professos cum abbate, abduxerunt, relicto solo vicario prædicto. Tum vero Gabriel abbas, novo jam in ejus locum electo, cum Subsylvanis militiam professus est; ubi cum in Sabaudia Sacram Eucharistiam ad infirmos deportaret, in partes modo prorsus horribili dilaniatus fuit, sanctissimumque sacramentum hostium pedibus conculcatum, an. 1593.

XXXVI. Andreas-Hersen Heremi monachus, abductis omnibus Angelo-Montanis, præter Jacobum-Benedictum, ut supra diximus, eligitur abbas 6. Sept. an. 1592. a suffraganeo Cons- E tantiæ, Udalrico abbate Einsidlensi & a pagis Helveticis, ac postridie benedicitur. Vita defunctus est an. 1600. die 2. Junii.

XXXVII. Melchior Rizius, patria Badensis, *sive* Thermopolitanus, salutatus est abbas 18. Junii an. 1600. obiitque 1603. 9. Junii.

XXXVIII. Jacobus-Benedictus Sigerist, de quo supra, Transylvanus Helvetius, institutus abbas a Johanne de Turre nuncio apostolico, ex indulto summi pontificis, an. 1603. 8. Septembris, eo munere se dignissimum præbuit, quamdiu vixit, hoc est ad an. 1619. 10. Martii

quo recte factorum mercedem recepturus ex hac A mortali vita discessit. Sub ejus autem regimine, anno scilicet 1615. 17. Febr. contigit monialium numero sex translatio ex Monte-Angelorum *in Sarnen*, in quo hodie monasterio, quod non secus ac primum subjacet abbati Angelo-Montano, & numero & pietate præ ceteris florent.

XXXIX. Benedictus Keller ex Argovia oriundus, factus abbas 18. Martii 1619. cessit an. 1630. ac decessit 16. Julii 1639.

XL. Placidus I. Knuttel Benedicto cedenti successit an. 1630. die 6. Febr. Obiit 1658. die 30. Augusti.

XLI. Ignatius I. Bettschart nobilis Suitensis, electus 1658. XI. Sept. rexit ad annum 1681. 11. Januarii, suis tam dotibus, quam recte factis, decessoribus omnibus vel superior vel saltem æqualis factus. Jacet illius corpus in sacello S. martyris Eugenii cum hoc epitaphio, aureis litteris marmoreo ac perlongo in lapide inciso ad dexteram partem altaris, quod ei posuit Ignatius II. abbas:

Ignatio I. abbati Reverendissimo
Monasterii restauratori eximio,
Patri optimo, amantissimo,
Honoris ergo amorisque
Hocce parentat filius abbas
Ignatius secundus an. 1688.

XLII. Gregorius Fleischlin Lucernensis patricius, electus est an. 1681. 16. Jan. qui doctus & prudens quinque annis optime præfuit, visitator interim Helveto-Benedictinæ congregationis creatus. Diem clausit extremum an. 1686. die 6. Julii.

XLIII. Ignatius II. Burnoth Uraniensis, nulli antecessorum pietate & doctrina secundus, eligitur an. 1686. 15. Julii, sub quo præsule ædificata sunt bibliotheca, domus sacræ supellectilis, & domus major in loco comitis (ita vocatur locus ad pedem montis) in qua primum pernoctans apoplexia suffocatus obiit an. 1693. 10. Aprilis.

XLIV. Placidus II. Heß Rapersvilanus, electus 20. Apr. 1693. occubuit anno seq. 13. Nov. in plebanatu *Sins* proprio monasterii, & ad ejusdem muros.

XLV. Joachimus Albini ex Madia-valle oriundus, ætatis suæ 28. renuntiatur abbas an. 1694. 23. Novembris, vir tum a pietate, tum a sapientia commendatissimus; qui plurima in monasterio restauravit, antiqua & ruinosa destruxit, & nova ædificavit. Mortuus tandem an. 1724. XI. Julii, sepultus est juxta Ignatium I. in sacello S. Martyris Eugenii, cum hoc epitaphio ad sinistram partem altaris.

Obiit piissimæ memoriæ
Reverendissimus D. Joachimus, abbas hujus
Monasterii vere vigilantissimus,
Religione, prudentia, discretione
Præcipuus, cujus memoria
In benedictione est, quia bene, fortiter,
Prudenter fecit omnia,
Et ipse omnibus in omnibus omnia factus;
Deo meritisque plenus
An. 1724. 11. Julii ætatis 58. regiminis 30.

XLVI. Maurus Rinderlin, Tuginas, regimen adeptus an. 1724. 19. Julii, parochialem domum *in Sins* magnis expensis ædificavit, novamque monasterii fabricam ab antecessore suo inceptam in dies promovet, & utinam ad plures annos; sed heu! nuper apoplexia correptus est.

De cœnobio inferiori, seu monialium ordin. B S. Bened. olim Engelbergæ duobus, tribusve passibus a superiori virorum monasterio, nunc vero *in Sarnen*, & utrobique in honorem S. Andreæ constructo nihil pene superest adjiciendum iis, quæ diximus abbatum superioris monasterii historiam prosequendo. Solus videlicet fundator nominandus restat, Henricus presbyter & parochus Buochsi, in inferiori Subsylvania ad lacum vici, qui constructum & dotatum abbatis superioris monasterii tam quoad spiritualia, quam & temporalia dominio subjecit, ibique sepulturam sibi delegit, quique jam in extremis positus abbate Angelo-Montano suo- C rum omnium tum mobilium, tum immobilium herede constituto, ibidem in monachum suscipi rogavit & impetravit.

OSCHSENHUSIUM;
German. *Ochsenhausen.*

SPectantissimum inter celebriora superioris Germaniæ cœnobium, ac singulare ornamentum Sueviæ, duobus a Memminga & totidem a Biberaco urbibus Imperii milliaribus, ad Rhodium fluviolum, quem mox Danubius recipit, & in decanatu Laubhaim situm, funda- D tores habuit, seu potius instauratores Hatovinum, Conradum & Adalbertum fratres, Wolfhartschwendios barones. Fuit autem ab initio insignis S. Blasii abbatiæ membrum, cui tanquam capiti subjacebat, donec Martinus V. papa ob singularem cultum sibi exibitum, cum adhuc tantum cardinalis in profectione ad Constantiense concilium illic divertisset, libertate atque immunitate illud donavit, & ad abbatiæ dignitatem sublimavit; quod factum est an. 1420. Ceterum abbas hujus loci, tertius inter prælatos, qui in circulo Suevico suffragia ferunt, recensetur.

E

SERIES ABBATUM.

I. NICOLAUS FABER, *seu* FABRI, Biberacensis, ex ultimo loci priore, *seu* præposito electo 1392. factus est primus abbas an. 1420. Cessit autem an. 1422. feria tertia ante festum Corporis Christi propter affectam valetudinem, obiitque 18. Septembris.

II. Henricus Faber, Biberacensis, Nicolao cognato suo successit die Sabb. ante octavam Corporis Christi. Fato functus est an. 1434. die 6. Martii.

III. Michaël Russelius, Ulmensis, electus 10. Martii, & confirmatus 17. Aprilis ejusdem anni 1434. abdicavit die 8. Junii 1468. superstes ad an. 1474. quo mortuus est die 24. Decemb. ex Bruschio, 1469. ex Bucelino.

IV. Johannes I. Crispus *Krauss*, vel *Krus*, Biberacensis, postridie cessionis Michaëlis ei successit, defunctus 1476. die 27. Augusti, ex Bruschio, 21. Septembr. ex Bucelino.

V. Jodocus Broderus, *Bruoder*, Biberacensis, Johanni subrogatur in sex annos, deinde resignavit an. 1482. ac mortuus est 1529. XIV. cal. Junii.

VI. Simon Lengenbergerus, Biberacensis, abbatiæ præfuit sexdecim annis, fato functus die 22. Febr. 1498.

VII. Hieronymus Buchelbergerus ex oppido Dinckelspul eligitur 28. Febr. 1498. Diem suum obiit pridie cal. Octob. an. 1508. ex Bucelino.

VIII. Andreas I. Knittscherus *Kundtscher*, Biberacensis, electus pridie nonas Septemb. anni prædicti, sedit annis 33. hoc est ad an. 1541. quo mortuus est IX. cal. Octob. ex Bruschio, non autem 1533. 18. Aug. ut habet Bucelinus.

IX. Georgius Molitor *Muller*, ex oppido Tettnang, electus 1541. post sex annos regiminis abdicavit in tumultu Germanico 1547. & obiit XI. Octob. 1556.

X. Gerwicus Blaurerus *Blaarer* de Girsperg, Constantiensis, cum jam esset abbas Vinearum Sueviæ, *seu* Weingartensis, unanimi Ochsenhusensium fratrum consensu, in abbatem postulatus est an. 1547. ac utrique loco præfuit usque ad obitum, qui contigit an. 1567. ex Bruschio, sed ex Bucelino usque ad annum duntaxat 1563. quo regimen Ochsenhusanum resignavit, nullo tamen, quamdiu vixit, electo abbate, sed coadjutore tantum.

XI. Andreas II. Sontag ex Hyfringen, electus coadjutor 1563. fit abbas 1567. eoque nomine anno seq. cum aliis abbatibus in oppidum Ravenspurgum convenit ad instituendam Suevico-Benedictinam congregationem. Mortem oppetiit die 3. Octob. 1587.

XII. Johannes II. Ernst natus in Ober-Marchtall, eligitur 1585. quo decessor resignavit; ipse vero similiter abbatiali dignitate cessit an. 1593. mortuus anno seq. 20. Novembris.

XIII. Christophorus Spieff Altorffensis, *seu* Weingartensis, electus an. 1593. munus abdicat 1605. moriturque 1610. die 22. Sept.

XIV. Urbanus Mayer, ex eodem cum decessore oriundus pago, eligitur 1605. vivere desiit 24. Octob. 1613.

XV. Jacobus III. Lang ex Stuben prope Weingarten, electus 1613. die 29. Octobris, e vivis excessit 10. Dec. 1618.

XVI. Bartholomæus Ehinger Lautracensis, electus 15. Decemb. an. 1618. obiit Constantiæ in exsilio præsul dignissimus die 2. Decemb. an. 1632.

XVII. Wunibaldus Waibell ex oppido Marckdorff, Constantiæ in exsilio renunciatus abbas in monasterio Petrhusiano 22. Decemb. 1632. decessit optime meritus XI. Febr. 1658.

XVIII. Alfonsus Kleinhans Veldtkirchensis, ex abbate Albirspacensi, in Ochsenhusanum cooptatus est 22. Feb. an. 1658.

XIX. Placidus sedebat anno circiter 1687.

XX. Franciscus praerat an. 1699.

S. JOHANNES IN THURÆ-VALLE, *seu* VALLIS-TAURINA. Thurtal.

In extrema parte comitatus Doggenburgici, qua Rhætiam Rhenumque Helvetia contingit, sita est vallis ad solis ortum, a Tauro amne dicta vulgari vocabulo *Thurtal*, latine Vallis-Thuræ, *seu* Vallis-Taurina. Ea in valle conditum erat S. Johannis-Baptistæ cœnobium ord. S. Bened. sed auctore & anno incertis; nisi forte traditioni hæreamus, quæ nobilem virum Vezelium, *seu* Wenceslaum a S. Johanne vallis ipsius incolam & herum fundatorem agnoscit. Et certe visitur ibi sepulcrum ejus in dextro majoris templi latere, ad quod hucusque perpetuum lumen adhibetur; sed neque dubitatur monasterium ab illo nomen S. Johannis sortitum fuisse; & quidem olim solum *Baptistæ*, nunc vero & *Evangelistæ*, ex quo scilicet Bernardus Sangallensis abbas monasterium suæ jam dudum abbatiæ unitum, alio transtulit circa 1630. ob incendium & pestem, nempe in aream pristina salubriorem prope pagum Nesslovium, in planitie quadam valde spatiosa, nec minus amœna, & duabus tantum horis a veteri cœnobio distante, eumque novum in locum die S. Agneti sacra solemni processione inducti sunt monachi San-Gallenses, qui hactenus ibidem numero decem vel 12. aut etiam plures sub Priore aut œconomo degunt; non solum addicti choro, verum etiam liberalibus ac humanioribus studiis imbuere soliti studiosam juventutem; quanquam & in veteri cœnobio suis ex ruinis excitato duo S. Galli monachi commorantur animarum curam ibidem gregi catholico impendentes.

SERIES ABBATUM.

I. Anonymus quidam assumtus e monasterio Truoba, *seu* Ementhal.

II. Burchardus e gremio delectus præfuit an. 1152. contra cujus errorem Bertholdus abbas Montis-Angelorum scripsisse apologiam dicitur exeunte seculo XII.

III. Conradus a Tuzenanch vir prudentiæ singularis, nec minoris scientiæ circa an. 1227. adiit Henricum VII. Rom. regem apud Norimbergam, a quo in regiorum capellanorum numerum adscitus fuit, facta constitutione, ut quotiescumque Conradus posterique S. Johannis abbates in curiam ventitarent, cum octo equorum conductu imperialibus sumtibus alerentur; quod ipsum deinde Fridericus imperator, ad quem Conradus Ravenam se se contulerat anno 1231. ratum, firmumque volens, rescripsit se Conradum ejusque successores in regiorum capellanorum album, eorum vero res ac bona in

suam & Imperii propriam tutelam recipere, A velleque, ut quoties pro querimoniis causisque cœnobii S. Johannis regiam adire cogerentur, regiis quoque stipendiis cum octo equorum comitatu fruerentur, & monasterio bona, quæ possideret, salva omnia perpetuo remanerent. Naturæ debitum solvit Conradus anno 1249. cum ultra 20. annos rexisset.

IV. Bertholtus I.

V. Henricus.

VI. Udalricus I.

VII. Conradus II. circa 1270. præfuisse legitur.

VIII. Bertholdus II. 1294.

IX. Johannes I. circa 1302.

X. Conradus III. obiit an. 1380.

XI. Walterus floruit circa an. 1380.

XII. Rudolfus 1399.

XIII. Albertus 1413. sub quod tempus an. 1417. hujus monasterii abbas auctoritate concilii Constant. citatus est cum aliis ad capitulum celebrandum.

XIV. Udalricus II. ab anno circiter 1423. ad 1440.

XV. Nicolaus præerat 1442. quo Fridericus imp. jura monasterii confirmavit.

XVI. Bernardus circa ann. 1470. & 1480. C

XVII. Johannes II. 1489.

XVIII. Conradus IV. 1490. abbatiam obtinuit in multos annos.

XIX. Christianus an. 1515. societatem precum iniit cum abbate Fischingensi.

XX. Johannes III. interfuit electioni Dietelmi abbatis S. Galli an. 1530.

XXI. Conradus V. Stricker obiit 1538.

XXII. Jacobus Zurcher rexit ab an. 1538. ad 1543.

XXIII. Johannes IV. Steiger.

XXIV. Johannes V. Zoller quo prave abbatiam administrante, Diethelmus abbas S. Galli D nominavit administratorem

XXV. Henricum Scilerum S. Galli monachum an. 1548. tandemque Octavianus episc. Terracinensis nuncius apostolicus auctoritate Pauli IV. Pontificis maximi, anno ejus primo, Christi 1555. die 3. Dec. ad Helvetiorum preces, monasterium ipsum Diethelmo abbati, ceu advocato, ac monasterio S. Galli in perpetuum uniri curavit, præsentibus Joachimo Heremitano, & Johanne Chrysostomo Murensi abbatibus; a quo tempore gubernari cœpit per œconomos, seu priores sub auctoritate S. Galli abbatis, qui tametsi potentissimus, obstare non E potuit, quin acatholici monasterium S. Johannis pene ad ultimum excidium perduxerint ab anno 1712. ad 1718. quo tandem pax inter abbatem principem, & Doggios, Tigurinos & Bernates inita fuit & firmata.

CELLA S. MARIÆ.

Cella S. Mariæ in Nigra-silva, diœcesi Constant. & in decanatu Brisach. ex Manlio in chronico, cujus abbati Nicolaus III. papa sui pontificatus anno tertio, Christi 1279. mandatum apostolicum inscribit, quo districte præcipitur omnibus cum laicis tum ecclesiasticis cujuscumque dignitatis, terras, domos, possessiones, aliaque bona immobilia sub annuo censu sive reditu a monasterio Petrhusiano tenentibus, sub pœna excommunicationis, secluso appellationis re- B medio, ut monasterio præstanda præstent, eique ex asse satisfaciant, &c. ex hist. MS. Petrhusiani monasterii.

LINDAVIA & LINDAUGIA. Lindaw.

Ab oppido S. Galli non longe abest lacus Acronius, *seu* Brigantinus, alio nomine *Potamicus* dictus, cujus in adversa peninsula, positum est Lindavia oppidum, in eoque insigne & ducale cœnobium virginum, sub titulo B. M. olim Benedictinarum, nunc nobilium canonicarum in decanatu cognomine. Vulgaris autem traditio fert, Adalbertum comitem, cum fratribus Mangoldo & Udalrico, prima loci fundamenta posuisse, & quidem in ea ipsa peninsula, ubi nunc cœnobium visitur, cujus celebritas condendi circum oppidi cognominis occasionem dederit. Hic porro consulendus est Mabillonius noster, qui prolatis utrinque argumentis æqua lance, ut nunquam non assolet, ponderatis, concludit, eo saltem tempore, nempe circa initia seculi XIII. quo vel interpolatum, vel confictum supponitur præcipuum ea de re instrumentum, hanc obtinuisse traditionem, Adalbertum comitem ejus loci conditorem exstitisse; & quidem *cænobium sanctimonialium*, cui nomen *Lindaugia intra lacum Witsæ* constructum fuisse *in honorem S. Dei genitricis Mariæ*. Sane hoc qualecumque diploma, addit Mabillonius, si non genuinum, saltem valde antiquum fuisse evincit recognitio ejus, ante medium seculum tertium-decimum facta ab Henrico episcopo Constantiensi, qui testatur, *ex inspectione privilegiorum sanctæ memoriæ Ludovici quondam imperatoris,* evidenter sibi constitisse, quod ipse ad petitionem Alberti, quondam sacri palatii comitis, Lindaugiensis monasterii fundatoris, & intercessionem Salomonis antecessoris sui, omnem libertatem & justitiam, quæ Constantiensis ecclesia in omni jure habere cognoscitur, eidem monasterio contulit & concessit; quæ quidem in illo Ludoviciano diplomate diserte exprimuntur. *Datum MCCXLII. XII. cal. Sept. indict. XV.* Imo jam seculo IX. *Linthaugiam* simpliciter appellatum fuisse monasterium probat Hepidannus in libro de vita S. Wiboradæ virginis, ubi Cilia quædam inclusa, invidia tumens contra virginem, Salomonem Constantiensem episcopum hortabatur, *ut eam fecisset Linthaugiæ*, quod in titulo capitis sexti-decimi legitur, supple *sanctimonialem*.

Tom. 2. Annal. Ben. p. 604. &c.

ſanctimonialem. Rem dilucide explicat ejuſdem capitis contextus in quo Cilia his verbis Salomonem alloquitur: *Compertam habeo veſtram ſpiritualem voluntatem erga eamdem puellam, quod eam, ſi vobis occaſio datur, vultis inſerere alicubi choro ſanctimonialium: quatenus tuta a mundiali fluctuatione, liberius in Dei ſervitio poſſit durare. Ad hoc etiam reſcitum habeo veſtrum iter Linthaugiam. Eo loci, ſi vos non alias trahit voluntas, conſiliarer ejus inſertionem: tum quod converſatio ibi valde ſpiritualis eſt; tum quod promtior ei illic pateret ingreſſus. Ibi omnia veſtro nutui parebunt.* Ex his verbis manifeſte intelligitur Wiboradæ tempore, id eſt ſeculo ipſo nono, hoc monaſterium præciſe dictum *Linthaugiam;* tum Ciliam ſuaſiſſe, ut eo loci Wiborada *choro ſanctimonialium insereretur.* Non ergo extra Linthaugiam, uti contendit Conrigius, vir aliunde doctus, ſed in ipſa Linthaugia, primitus ſitum erat cœnobium, imo ipſa Linthaugia, *ſeu* Lindaugia erat, cujus celebritas haud dubie, ut alibi paſſim, condendo circum oppido occaſionem dedit. Nec dubium proinde, quin dominium in oppidum habuerint ſanctimoniales, quarum jugum demum cum avita religione oppidani excuſſerint, obtinuerintque, ut in liberam urbem erigeretur, quod etiam in S. Galli oppido factum eſt. De hoc itaque monaſterio interpretandum, quod in ejuſdem Hepidanni annalibus legitur ad an. 948. *Linthaugia concremata eſt nonis Junii.* Sic Fulda, ſic Corbeia, aliaque ſimilia, non raro ſimpliciter dicuntur illa monaſteria, tametſi adjunctum oppidum habent. Ceterum ex libello de tranſlatione ſanguinis Chriſti Domini in Augienſe monaſterium, qui ante medium decimum ſeculum ſcriptus eſt, diſcimus, quis ſit iſte Adalbertus Lindavienſis cœnobii auctor: hunc ſcilicet eſſe filium Hunfridi comitis, atque Hiſtriæ præfecti, qui Schennenſe in Rætia Curienſi puellare monaſterium condidit: cujus filius Adalbertus Ruotpertum Rætienſis præfecturæ, ex qua ipſum Adalbertum exturbaverat, invaſorem, ex equi lapſu mortuum ſepeliri curavit *in quodam monaſterio, quod Lindowa nominatur.* Id enim conditoris jure feciſſe cuivis facile perſuaſum erit. Cumque hanc præfecturam, Ludovico Auguſto imperante, Ruotpertus occupaverit, ut ex prædicto libello intelligitur, id quoque tempus conditi Lindavienſis parthenonis, ac priſcum vocabulum, ſitumque primarium confirmat. Et certe quod ad tempus attinet, Adalbertus, teſtante Bruſchio, an. 841. decima die Maii occiſus legitur a copiis Ludovici regis Germaniæ & Bavariæ, non procul a lacu Brigantino, dum is a Cæſare Lothario præſidii loco in Rætia poſitus eſſet, ut prohiberet, ne Caroli-Calvi exercitus e Burgundionibus adveniens cum Ludovici fratris agmine jungeretur. Poſtea vero Ludovicus II. imperator, Lotharii filius an. 866. Adalberti fundationem confirmavit, addito etiam hoc privilegio ſingulari, ut abbatiſſa ejus loci cum aliis S. R. J. eccleſiaſticis prælatis princeps eſſet, cui in publicis pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri eſt ſolitus. Templum ipſius cœnobii eſt auguſtum & magnificum, cujus pilæ, ſeu teſtudinem fulcientes columnæ, e ſingulis ſaxis, nec pluribus lapidum juncturis conſtant.

ABBATISSARUM SERIES.

I. OTA & UTA, Ivota dicta in Hermanni editione Piſtoriana, nobilis, prudens ac religioſa vidua, Lindaugienſi ac Buchaugienſi monaſteriis inſtaurandis ab Henrico III. imperatore præficitur an. 1043. Ita Bruſchius, at Hermannus Contractus id refert ad an. 1051.

II. Alberata, quam dicunt Gebhardi Argentinenſis epiſcopi ſororem circa 1136. deinde ſeverioris diſciplinæ amore ad Zuifaltenſe utriuſque ſexus monaſt. ſe contuliſſe.

III. Sigena a Schellenberg præerat anno Domini 1270. quo monialium cœnobium *ad Congregationem* dictum, hodie privati civis amœniſſimum domicilium, & aliud inſtituti Franciſcani ſororum, quas Beghinas vocant, ab incolis *S. Petri navicula* nominatum, ejus conſenſu intra oppidi mœnia conſtructum eſt.

IV. Gutta a Tryſen, altera cœnobii fundatrix, florebat an. 1286.

V. Clara I. 1347.

VI. Catharina I. virgo prudentiſſima aliquot annis ante & poſt annum 1360. ſediſſe legitur.

VII. Agnes a Wolfurt electa in abbatiſſam 1364. obiit an. 1390.

VIII. Clara II. a Wolfurt germana ſoror Burchardi abbatis Fabarienſis, conſtituitur abbatiſſa an. 1392. Deceſſit an. 1410.

IX. Urſula I. a Sigberg Claræ ſucceſſit, & adhuc præerat 1460. quam Sigiſmundus imperator in reformatione ſua non admodum de meliore nota commendat.

X. Urſula II. a Braſberg, dicta præfecta de Summerau, obiit an. 1491.

XXI. Emilia, *ſive* Amalia de Riſchach, *vel* Reiſchach filia Peregrini, *vulgo* Pilgrini & N. de Schinen, *ſive* Schinauw, electa 12. Jan. 1490. hoc eſt 1491. laudabiliter præfuit ad an. 1531. quo deceſſit, die 14. Jan. ætatis ſuæ an. 84. Ea vero ſedente frequens fuit Lindavii Maximilianus imperator, cui in hoc cœnobio, uti loco omnium totius oppidi amœniſſimo peculiare conſtructum eſt conclave, quod hodie adhuc incolæ *Cæſaris conclave* vocant.

XII. Catharina II. de Bodmen, *vel* Bodmann in Hohen-Bodmann filia Johannis Jacobi ex Helena de Schellenberg electa 1532. *al.* 1531. ætatis ſuæ an. 18. die 7. Martii, abbatiali benedictione donatur prima die Maii in cœnobio Comitum Montis-Fortis Langnovienſi. Poſtea 17. Maii furem neci deſtinatum & ſcalis Vitellianis adjudicatum interceſſione ſua e vinculis & morte liberavit. Adhuc præerat 1551. apud Bregantum degens, quò, in bello Germanico, metu tumultuantis illic plebis ſeceſſerat. Jam antea vero plures perpeſſa erat calamitates, cum urbs Lindovienſis religionem mutaſſet, ex ea pulſis canonicabus, & acatholicis eccleſiam occupantibus, donec edito Caroli V. canonicæ reſtituerentur an. 1540. Obiit 1578.

XIII. Barbara de Breitten-Landenberg filia Chriſtophori & Cæciliæ Notthaffin ab Hohenburg, Catharinæ ſucceſſit an. 1578. 10. Maii. Præfuit annis 36. & ipſa plurimas pro catholica religione injurias perpeſſa & calamitates, e vivis exceſſit an. 1614.

XIV. Susanna de Buobenhofen filia Johannis A Christophori ex Barbara de Breyberg præfuit annis 20. mortua 1634.

XV. Anna-Christina Hundtpissin de Waltrams filia Friderici in Schomburg & Margaretæ Hundtpissin in Siggen, sedebat an. 1656. ex Bucelino.

XVI. Maria Rosina nata ex equestri familia Suevica, parentibus Johanne Joachimo Brymsin ab Herblingen & Barbara de Wolfurt, anno circiter 1687. erat liberi secularis collegii Lindaviensis abbatissa.

XVII. Baronissa de Halweil per plures annos laudabiliter & utiliter huic nobili collegio præfuit.

XVIII. Baronissa de Hundbis, sub qua ante tres B annos monasterium cum parte urbis fere ex integro flammis absumtum fuit, vitam clausit an. 1730.

XIX. Baronissa de Gemmingen successit.

BUCHAW. BOCAUGIA, & BUCHAUGIA, *vel* BUCHOVIA.

PUellare ordinis quondam Benedictini monasterium, sub decanatu rurali *Sulgen*, nunc vero nobilium canonicarum in Suevia, ad ejusdem nominis amœnissimum lacum, quem vulgo *Liberum-lacum*, vel *Plumarium lacum* vocant, non procul a Biberaco urbe imperiali in Suevis situm, Hermanno testante, conditur sub finem C seculi noni in Alamanniæ pago *Erichgowe*, seu Erigove, & *Elgow*, qui nunc decanatus caput est in diœcesi Constantiensi, ab Adellinda comitissa, uxore Attonis comitis, eique præficitur prima abbatissa ejusdem Adellindæ filia æquivoca. Ait enim prædictus auctor de hoc cœnobio agens an. 901. Beringerum, Reginolfum & Gerhardum, nobiles germanos fratres, filios Attonis comitis & Adellindæ, *non longe a Buchaugiensi cœnobio virginum a matre per ipsum tempus studiose in honorem S. Cornelii & S. Cypriani martyrum constructo*, cum sororem virginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerent, ab inimicis circumventos & oc- D cisos fuisse, & a matre sua apud ipsum cœnobium sepultos, ubi etiam ipsa, postquam Jerosolymam, aliaque loca sancta causa orationis adiit, & rediit, divinis intenta servitiis & animarum inhians lucris, transacta feliciter vita, condita est, *ipsa filia æquivoca sua abbatissa inibi constituta*, ut legitur in codice Willingensi, in quo cœnobium istud *Buchaugiense* dicitur, non *Duchaugiense*, ut in editis Canisianis. Mabillonius vero non dubitat, quin ipsum sit *Buchowa* cœnobium puellare, in quo S. Udalricus Augustæ-Vindelicorum antistes sororem suam collocaverat: ubi, post lapsum ab ipso severius punita, demum *sanctorum exem-* E *plorum femina* sanctimonialis visa est, testante Ekkehardo. Dehinc an. 1032. ait Hermannus, *Bocaugiense cœnobium pridie idus Januarii incendio flagrat* Abbatissa vero ejusdem loci inter principes S. R. J. annumeratur, cui in celebrioribus pompis liber & nudus gladius anteferri est solitus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ADELLINDA, filia fundatricis, non autem soror S. Hildegardis reginæ, Caroli-Magni conjugis, ut aiunt Bruschius & Bucelinus.

II. Irmentrudis obiisse legitur an. 1021.

III. Abharillis successit ad sex annos.

IV. Hildegardis eidem monasterio præfuit ab an. 1027. ad annum saltem, 1032. quo prædictum incendium accidit.

V. Ota, *sive* Uta, *vel* Ivota, uti appellatur in Hermanni editione Pistoriana, nobilis, prudens, ac religiosa vidua instaurandis Buchaugiensi & Lindaviensi cœnobiis præficitur ab Henrico III. imperatore an. 1043.* Ex hac vita ad immortalem emigrasse legitur an. 1051. In veteri calendario Murensi *IV. idus Octob. Outa abbatissa, Deo, hominibusque digna* obiisse dicitur; forte illa ipsa, de qua hic mentio.

* *Id refertur ad an. 1051. ab Hermanno Contracto.*

VI. Gertrudis baronissa de Bindhaldt Otam excepit.

VII. Machildis de Buewenburg electa 1223. rexit ad annum 1247. quo diem suum obiisse legitur.

VIII. Bechtildis annos intra 1240. & 1250. paciscitur cum Bertholdo Isnensi abbate, ratione villæ Benzweiler, ex hist. MS. Isnensis cœnobii.

IX. Adelheidis I. baronissa a Martorff e vivis excessit an. 1303.

X. Catharina baronissa a Stoffeln, Hegoviensis, præfuit Buchoviensi & Waldkirchensi canonissarum collegiis annis 26. mortua 1329.

XI. Anna I. a Winberg comitissa, electa in abbatissam eodem anno 1329. e vita migravit mense Octobri anni 1353.

XII. Adelhaidis II. comitissa de Lupffen eligitur hoc anno, sed quamdiu præfuerit haud annotatur.

XIII. Anna II. comitissa a Rufeck occubuit an. 1402.

XIV. Anna III. baronissa a Gundelfingen electa 1402. obiit 1410.

XV. Agnes comitissa a Tengen moritur an. 1426. cum præfuisset annis 16.

XVI. Clara comitissa de Monte-forti summa cum laude præfuit annos 23. defuncta 1449.

XVII. Margareta I. comitissa de Werdenberg exactis in abbatiali regimine 47. annis, naturæ debitum solvit 1496. anno ætatis suæ octuagesimo.

XVIII. Anna IV. comitissa de Werdenberg germana soror Margaretæ obiit post septem menses an. 1497.

XIX. Barbara baronissa a Gundelfingen defecit an. 1523. cum laudabiliter præfuisset annos 26.

XX. Elisabetha baronissa de Alto-Geroldisegko electa 1523. expellitur 1525. a seditiosis rusticis, sed brevi dignitati suæ restituitur a Suevico fœdere. Hæc absolvit muros collegii, & alio insigni muro totum amplissimum hortum circumcinxit. Denique cessit e vita 1540.

XXI. Margareta II. comitissa de Monte-forti eligitur an. 1540. & adhuc præerat 1550. quo tempore sex erant duntaxat canonissæ, Margareta scilicet baronissa a Geroldisecko, Claranna comitissa a Furstenberg, Jacoba baronissa de Schwarzenberg & Alto-Landisbergo, Sibilla comitissa Montis-fortis, Wandalbara comitissa, e libera pincernarum a Limburg familia nata, ac Felicitas comitissa de Alta-flamma.

XXI. Maria Jacobea Greyin sedebat anno 1556. in annos 38.

XXII. Catharina Grezlin 1610. in annos 40.

XXIII. Maria Francisca Grezlin de Montfort 1650. in annos 19.

XXIV. Maria Theresia Grezlin comitissa de Sulz, parentibus nata Carolo Ludovico-Ernesto comite de Sulz, & Maria Elisabetha comitissa ab Hohenzollern, circa 1687. erat abbatissa imperialis liberi secularis cœnobii Buchaviensis. Rexit ab an. 1669. in annos 23.

XXV. Maria Francisca Grezlin 1692.

XXVI. Maria Theresia Felicitas Grezlin de Montfort ab an. 1693. ad hunc an. 1731.

URSPRINGUM.

Virginum Benedictinarum nobili genere conspicuarum illustre monasterium, uno milliari ab Ehinga oppido, nec procul a Schelcklinga, ad limpidissimas aquarum scaturigines situm, atque inde cognominatum, fundatur a parentibus S. Udalrici Augustani episcopi, Dillingæ & Kiburgi comitibus, quod dein Rudigerus, Adalbertus & Waltherus barones de Schelcklingen insigniter dotaverunt. Tum vero commendatum fuit an. 1127. curæ & visitationi Wernheri abbatis Sangeorgiani in Nigra-silva monasterii. De cetero tales huic loco præfuerunt magistræ, seu abbatissæ, ex Bruschio, Martino Crusio & Bucelino.

Series Abbatissarum.

I. Irmeltrudis.

II. Irmelaardis.

III. Hiltrudis a Diessen.

IV. Adhelaidis de Stain, *sive* de Lapide.

V. Udilhildis Fulchina a Diessen, præfuit ab an. 1360. obiitque sub an. 1373.

VI. Margareta I. Balholczin sedit duobus annis.

VII. Elisabetha Leudolphin electa 1376. rexit annis 20.

VIII. Anna I. de Stain sedit ab an. 1396. ad 1422. quo defuncta est & quidem ipso die, quo & frater ejus germanus Wolfgangus de Stain abbas Zwifaltensis.

IX. Anna II. de Westernach diem suum obiit an. 1432. cum præfuisset annis decem.

X. Ursula de Stain electa 1432. moritur 1448.

XI. Anna III. dapifera de Bichishausen post regimen annorum 14. decessit 1462.

XII. Gredanna de Freyberg præfuit annis 18. qua sedente monasterium an. 1475. reformatum est. Obiit 1481.

XIII. Helena ab Hirnheim filia Alberti & Ursulæ ab Homburg utiliter præfuit 15. annis, defuncta 1496.

XIV. Chunigundis rexit monasterium annis 14.

XV. Cecilia ab Hirnheim variis cœnobium ædificiis illustravit. Mortem oppetiit post 14. annos regiminis, 1525.

XVI. Magdalena de Berg, *seu* de Monte; Sigismundi Senioris & Dorotheæ de Knoringen filia, adhuc præerat 1551. sub qua erant anno 1547. moniales 40. quas ita in studio Musices profecisse ait Bruschius, ut etiam cum regiis &

A imperatoriis musicis certare potuissent.

XVII. Beatrix Speetin a Zwifalten electa 1552. obiit 1578.

XVIII. Catharina de Werstetten defecit an. 1583.

XIX. Margareta II. de Stain obiit III. nonas Nov. 1622.

XX. Barbara Hundtin de Lauterbach.

CREUTZLINGEN.

Hoc insigne cœnobium ord. S. Augustini canonicorum Regularium prope Constantiam fundatur ab Udalrico Kyburgensi ac Dilligensi

B comite, monacho S. Galli & episcopo Constantiensi sub annum 1120. Quod cum a Suecis an. 1633. die 2. Octob. Constantiam frustra obsidentibus, & intra muros potissimum hujus monasterii sese condentibus, multo bonorum omnium dolore combustum fuisset, splendidius paulo post resurrexit, loco minus urbi periculoso, nec minus commodo suis habitatoribus.

Series Abbatum.

I. Henricus I. moritur an. 1149. die 25. Febr.

II. Mangoldus comes de Buchorn, *vel* de

C Monterforti 1158.

III. Marquardus 1196. defunctus 1198. 19. Martii.

IV. Theodericus obiit 1225. die 16. Julii, cum prius abdicasset.

V. Sifridus 1242. occubuit 1245. die 16. Novemb.

VI. Rivinus 1258.

VII. Gervicus 1291.

VIII. Conradus I. 1303. interiit 1305.

IX. Henricus II. de Summeren fato præreptus est 1309.

X. Henricus III. obiit 1320. die 20. Aug.

D XI. Waltherus vivere desiit 1328. calendis Martii.

XII. Henricus IV. comes de Phulendorff 1340. vita functus 1348. XVI. cal. Julii.

XIII. Hermannus migravit a seculo 1362.

XIV. Berchtoldus Streit, Constantiensis, obdormivit in Domino 1375. die ultima Julii.

XV. Johannes I. Betinger, *vel* Beringer vitam amisit 1383. die 6. Julii.

XVI. Johannes II. Betninger, obiit eodem anno quo præsul designatus 1383. die 27. Sept.

XVII. Johannes III. nobilis de Waldt defecit 1389. 28. Jan.

E XVIII. Johannes IV. Betinger vitam cum morte commutavit an. 1403.

XIX. Erhardus Linder, *al.* Linden, *vel* Linde, Constantiensis, antea cœnobii præpositus, anno 1414. a Johanne summo pontifice, Creutzlingæ in pervigilio SS. Simonis & Judæ hospitio gratanter excepto, die sequenti mitram pretiosam cum aliis abbatialibus privilegiis accepit. De hoc præsule & ejus canonicis in lib. 1. constitutionum concilii Constant. fol. 135. ita statuitur: *ut abbas canonicorum Regularium de Creuzlingen & canonici dicti monasterii in processionibus &*

actibus publicis præcederent abbatem & monachos A *ord. S. Benedicti monasterii ejusdem civitatis, quod dicitur Petri-domus, &c.* Obiit 1417.

XX. Conradus II. Villiger, de Lucern, *al.* Lucerner, patria Villingensis 1433. moritur anno seq. 16. Julii.

XXI. Johannes V. de Sultzberg 1440.

XXII. Johannes VI. Hueber obiit 1457. die 22. Febr.

XXIII. Marcus Reichlin de Meldegg e vita discessit 1465.

XXIV. Christophorus, *al.* Ortholfus Wech, obiit an. 1468. die 3. Maii.

XXV. Conradus III. Wech, *al.* Binder, B Constantiensis, cessit an. 1474. calendis Aprilis.

XXVI. Conradus IV. *al.* Johannes Piscator 1477.

XXVII. Fridericus de Schwarzach obiit 1498.

XXVIII. Ptrus I. de Babenberg, Campidonensis, an. 1529. tumultuante Zwingliana hæresi, cum suo conventu ejicitur ex monasterio, tamdiuque mansit exsul, quoad pace illa publica, vulgo *Landts-Friden* in Turgoia promulgata, restitutus fuit. Cessit an. 1545. ultima Junii, cum rexisset annis 47. & hoc ipso anno animam Deo reddidit.

XXIX. Georgius I. Tschudi de Glaruzs ex C decano abbas electus 1545. obiit 1566.

XXX. Willelmus de Arensperg naturæ debitum solvit 1571.

XXXI. Henricus V. de Gutenberg moritur 1584.

XXXII. Petrus II. Schreiber, Constantiensis, 1588. cessit an. 1598. superstes ad an. 1600.

XXXIII. Petrus III. Haug ex oppido Weyl Turgoiæ abdicavit an. 1604. ac mortuus est 1626.

XXXIV. Georgius II. Strazburger, apoplexia corruit 1. Novemb. 1625.

XXXV. Jacobus Denczinger ex oppido D Schonberg Sueviæ, electus 12. Nov. 1625. & inauguratus anno seq. die festo Epiphaniæ, numerum canonicorum auxit, cœnobium an. 1633. incineratum, paulo ab urbe Constantia longius reædificavit, initio ab ecclesia ducto, in qua res divina ab an. 1653. peragi cœpta est. Denique 1660. 19. Septemb. ætatis anno 73. ac regiminis 35. migravit ad alteram vitam.

XXXVI. Augustinus Gimmi, Constantiensis, obiit 1696.

XXXVII. Melchior Lechner de Mundelheim, electus 1696. adhuc præerat 1706.

XXXVIII. Georgius Fichtel Landsperg. suc- E cessit an. 1707. & obiit 1725. XI. Aug.

XXXIX. Johannes Bapt. Tanegger Rotwilanus, abbas electus 1725. adhuc præerat 1731.

SALEM, SALEMIUM, & SALOMONIS-VILLA, *German.* Salmonsschweiler.

HOC cœnobium omnium Cisterciensis ordinis in Germania facile pulcherrimum, opulentissimumque, situm est in Suevia, uno milliari, *al.* duabus horis ab imperiali civitate Uberlinga ad amnem Aah. Fundatorem primum agnoscit an. 1137. Gunthramum nobilem baronem de Adelsreute, equitem auratum, qui obiit 1138. Deinde vero ab imperatoribus Conrado Suevico anno 1142. & Friderico Barbarossa 1155. ac insuper ab Eberhardo II. de Truchsen archiepiscopo Salisburgensi, (vel ut alii volunt, Burcardo, ac etiam Ruperto) ibidem sepulto, fundatorisque secundi jure nomen adepto circa an. 1200. tot ac tantis auctum est facultatibus, ut anno circiter 1323. illic 285. monachos & conversos habitasse, Lucellensia & Salemitana prodant monumenta. Ceterum alii Bellæ-vallis in comitatu Burgundiæ, alii Lucellæ Salemium filiam dicunt, quod ipsum mox filiam genuit abbatiam *Raitenhasllach* in Bavaria & diœcesi Salisburgensi an. 1143.* & successu temporis alias duas, nempe Maristellam, vulgo *Wettingen* in Helvetia & diœcesi Constant. anno 1227. & Fontem-Regis in circulo Suevico, & in eadem diœcesi an. 1302. quibus deinde accessit Portacœli, vulgo *Tennenbach* in Brisgoia & diœcesi Constant. Denique Salemitanus abbas hos inter prælatos, qui Scamnum, ut aiunt, Suevicum in comitiis Imperii occupant, quarto loco recensetur.

* *al.* 1148.

SERIES ABBATUM.

I. B. FROUVINUS Bellæ-vallis monachus, ac S. Bernardi, dum per Germaniam crucem prædicaret, individuus comes, e monasterio Lucellensi cum aliis 12. fratribus evocatus est, ut primus esset abbas Salemitanus an. 1137. Pie, ut vixerat, devixit an. 1165.* postquam annis 28. laudabiliter præfuisset; de quo Menologium Cisterciense ad diem Febr. 17. ubi vir apostolicus nominatur.

* *VI. cal. Jan. ex hist. MS.*

II. Godefridus rexit ab an. 1165. ad 1168. quo regimen cum vita dimisit pridie cal. Octobris.

III. Erimbertus exacto septem annorum regimine defunctus est an. 1175. *vel* 1176.

IV. Christianus sedit annos 15. *vel* 16. exstinctus 1190. sub cujus regimine Bero Cisterc. ord. episcopus an. 1179. monasterium recens exstructum in honorem B. M. V. cum duobus altaribus, majori scilicet ac S. Crucis dedicavit.

V. B. Eberhardus I. *seu* Everhardus comes de Rordoff electus 1190. memoratur 1203. in litteris Philippi Romanorum regis ad Innocentium III. pontificem, ad quem legatus abiit pro dicto Philippo Sueviæ duce in Romanorum regem electo. An. 1221. jubetur ab Honorio papa, ut Alsatiæ crucesignatos in Orientem trajicere compellat, ex annalibus ordinis ad hunc annum cap. 8. n. 1. Idem anno 1225. adfuit synodis Coloniæ per Conradum cardinalem habitis contra S. Engelberti Coloniensis archiepiscopi interemtorem & ejusdem sceleris conscios. Ipsius quoque memoria occurrit in Decretalibus Gregorii IX. c. *venerabilem 34. de elect. & electi potestate*, & c. *Prælatorum 27. de accusationibus*, ubi Gregorius IX. eidem in Frisigensem episcopum inquirendi negotium commisit. At vero tandem obdormivit in Domino 1240. insertus Menologio Cisterciensi 14. Aprilis.

VI. Bertholdus I. comes de Urach, filius A Eginonis Senioris comitis de Seyne, *al.* de Urach, *vel* Aurach, ex Agnete Bertholdi ultimi Zaringiæ ducis filia, vivente adhuc Eberhardo, ex ejusdem alumno in coadjutorem eligitur anno 1240. Defunctus est anno seq.* quem vide ne confundas cum alio cognomine Tennebacensi abbate.

* al. 1242.

VII. Eberhardus II. de Wolmantingen electus an. 1241. post annos triginta quinque Udalrico abbatiam dimisit 1276. octo annis antequam ex hac mortali vita demigraret. Obiit scilicet 1284. in octava SS. apost. Petri & Pauli.

VIII. Udalricus I. Gretter, Biberacensis, præfuit annis sex, hydropisi defunctus 1282. B

IX. Udalricus II. de Selfingen, *al.* Seelvingen, in abbatem cooptatus mense Julio anni 1282. ædificavit a fundamentis magnificentissimam Salemitani monasterii basilicam ex solido quadrato lapide, in qua viginti octo altaria insignia & duo præclarissima organa posuit. Obiit an. 1311. cum annis 30. minus aliquot diebus, laudabiliter præfuisset, relictis monachis CCCX.

X. Conradus de Eslingen, *seu* Enzlingen, Parisiis, quo studiorum causa missus fuerat, revocatus, rexit ab an. 1311. ad 1337.* quo regimen abdicavit, ex abbate, inquiunt, episcopus.

* al. 1336.

XI. Udalricus III. comes de Sargans electus C an. 1337. moritur 1358.

XII. Bertholdus II. Ducz, *vel* Tuz sacræ theologiæ professor, præfuit ab an. 1358. ad 1373. quo, die 5. Aprilis sibi Guillelmum, qui sequitur, subrogavit.

XIII. Guillelmus Schraylck abbas quondam monasterii Raytenhaslachiani in Bavaria, electus vero Salemitanus an. 1373. primus obtinuit ab Urbano VI. ornamenta pontificalia. Huic loco præfuit annis 23. defunctus 1395. die 21. Maii.

XIV. Jodocus I. Sennerus sedit annos 22. ab anno scilicet 1395. ad 1417. quo præfecturæ nuncium remisit. Fatis concessit 1429. D

XV. Petrus I. Ochserus, *Ochrer,* patria Ravenspurgensis, eligitur anno Christi 1417. tempore concilii Constantiensis. Repentina morte sublatus est in villa Ostern an. 1441.

XVI. Georgius Monachus *Monch,* vel *Munch,* Constantiensis, plura mirabilia construxit. Præfuit ab anno 1441. ad 1459. quo præfecturam abdicavit.

XVII. Ludovicus Oswaldus, Uberlingensis, sacræ theologiæ professor, eligitur an. 1459. & post duos annos resignat, an. scilicet 1471. nec multo post obiit.

XVIII. Johannes I. Stantenat ex Uffholz, E Alsata, Lucellæ cellerarius, & prior Vallis-Rheni, eligitur in abbatem Lucellæ an. 1467. deinde in abbatem Salemitanum 1471. Æstivale refectorium pulcherrimum fecit, tandemque decessit 1495.* memoratus in necrologio Lucellæ, v. idus Febr.

* al. 1496.

XIX. Johannes II. Scharpher, de Mimminhusen vicino pago, electus an. 1495. præfuit annis 16. optimus œconomus. Ædificavit bibliothecam & sacellum sub eadem ornatissimum. Reperitur in tabulario Lucellæ an. 1504. defunctus 1510. die S. Francisci ante prandium.

XX. Jodocus II. Necharus, Uberlingensis, vir eximie doctus & baccalaureus formatus in facultate Parisiensi, abbas eligitur 1510. die S. Dionysii, & cum annis 18. utiliter præfuisset, a seculo migravit die 20. Jan. an. 1529. ætatis suæ 47.

XXI. Amandus Schefferus, Argentoratensis, vir optimus, nec minus ad religionem, quam ad curam domesticam natus, eligitur an. 1529. in profesto B. Virg. Purificatæ, quem an. 1533. reperimus in tabul. Lucellæ. Moritur autem plenus dierum Uberlingæ an. 1534. ibidem sepultus apud Franciscanos. Cœperat ædificare magnificentissimam domum Uberlingensem, quam successor absolvit.

XXII. Johannes III. piscatoris Mimminhusani filius, vir doctus juxta & pius, fratrumque amator, electus an. 1534. circa festum Visitationis, obiit 1543. die 4. Novembris.

XXIII. Johannes IV. Appenzeller, *al.* a Precht Constantiensis, *al.* Tubingensis, electus an. 1543. circa festum S. Martini, adhuc præerat an. 1551. sed obiit 9. Aug. 1553.

XXIV. Johannes V. cognomento *Michel de Neufra,* obiit pastor optimus an. 1558. die 14. Octobris.

XXV. Georgius Keisersperger Wemsdinga ortus, eligitur in festo S. Martini anno 1558. Moritur vero 1575. die festo S. Matthiæ.

XXVI. Matthæus Roth Neufrensis, hydropisi correptus Ratisbonæ inter Imperii negotia, sexagenario major pie decessit die 24. Maii an. 1583. Corpus inde avectum Salemii sepultum quiescit.

XXVII. Vitus Necker Mimmenhusanus, orator, philosophus, theologus, græce & latine doctus, insperata morte præreptus est 1587. XVIII. cal. Decemb.

XXVIII. Johannes VI. Sanquine Bucheleru, patria Neufrensis, obiit 1588. die 24. Maii.

XXIX. Christianus II. Furst Herbertingensis, græce & latine doctissimus, abdicavit regimen anno 1593. v. idus Decemb. indeque reliquo vitæ transacto Kirchbergæ ad littus amœnissimum lacus Acroniani, vivere desiit anno 1605. IV. nonas Martii, ætatis suæ anno quinquagesimo.

XXX. Petrus Miller ex Schellenberg prope Waldsée oriundus, pie obdormivit in Domino 1614. die 10. Decemb.

XXXI. Thomas I. Wun Grasbeurensis, abbas Salemitanus, & congregationis Germaniæ superioris præses an. 1628. cum Lucellensi & Cæsariensi abbatibus delegatur a capitulo generali ad recuperanda ordinis monasteria ab hæreticis usurpata, ex tabul. Lucellæ. Idem an. 1630. die 14. Sept. interfuit cum Cæsareis commissariis, quando monasterii Mulbrunensis solemni ritu possessio recepta est, subditis ad quinque millia circiter hominium præstantibus. Denique Thomas vicarius generalis in superiori Allemannia dicitur 14. Maii an. 1643. Obiit 1647. ætatis 66. regiminis 32. mense quinto, Constantiæ in sacello Salemitano tumulatus.

XXXII. Thomas II. Schwab Bechingæ ad Danubium natus, fuit vicarius generalis congre-

gationis Cisterc. per superiorem Germaniam. Vita functus est post annos regiminis 17. menses 2. & dies 21. an. 1664. A

XXXIII. Anselmus Muotelsée, Tetnangensis, an. 1668. factus est vicarius generalis totius congregationis superioris Allemanniæ ab abbate Cistercii, cum facultate convocandi capitulum nationale. Obiit III. nonas Martii 1680. ætatis suæ 63.

XXXIV. Emmanuel Sulger oriundus Neufra prope Riedlingam, fuit etiam vicarius generalis per superiorem Germaniam. Vivere desiit 9. Maii 1698. pro voto sepultus ad limen, commeantium pedibus calcandus. B

XXXV. Stephanus Jung patria Confluentinus, S. R. J. prælatus, regii & exemti monasterii B. M. Virg. de Salem abbas, ac totius congregationis Cisterc. per superiorem Germaniam vicarius generalis, electus in abbatem die 16. Maii 1698. adhuc præerat 1720. quo anno monasterium alebat 48. sacerdotes, 13. fratres professos, ac decem conversos, quanquam ex integro monasterium incineratum restituisset. Obiit 1725. 15. Aprilis.

XXXVI. Constantinus Muller, Constantiensis, primus ab antecessore in monachum consecratus, eligitur abbas 25. Apr. an. 1725. per omnium officiorum gradus via sibi strata ad hanc amplissimam dignitatem, qua simul & vicariatu generali per superiorem Germaniam hactenus feliciter gaudet. C

S. URBANUS, *seu* B. MARIA AD S. URBANUM.

MAgnificum Helvetiæ in Argoviæ provincia, ordinis Cisterciensis monasterium, in finibus pagi Lucernensis, Aarwangam inter & Arburgum, ad amnem Murgam & fluviolum Rotham, & quidem in territorio Rotha nuncupato, inchoatur an. 1148. a Luitoldo, Wernero & Ulrico fratribus, baronibus de Langenstein, D quorum duo priores in Bella-valle prius professi, ibidem postea monachi fuerunt, & cum altero fratre sepulti sunt. Exinde vero haud dubie annalista ordinis hoc monasterium filiam Bellævallis e linea Morimundi tradit, sed alibi legimus septimam Lucellæ filiam, quare & Conradus abbas Lucellensis novi cœnobii *in Roth* curam gessit, donec illud jam alio translatum, & jam plene perfectum an. 1194. primum abbatem Conradum cum 12. fratribus illuc destinavit. Postmodum igitur Arnoldus de Kapfenberg an. 1191.* cœnobium ad sedem hodiernam non longe a priori, in proprio fundo, transtulit, quod tunc vocatum est *S. Urbanus* a sacello ibidem in honorem ejus posito; primaque monasterii sedes monialibus *in Roth* nuncupatis tradita est, de quo cœnobio supra egimus in veteribus monasteriis. Porro situs novi sancti Urbani cœnobii vallis est amœna & plana, quod ante annos plus centum sub advocatia seu protectione Lucernensis reipublicæ, & pagorum Bernensis & Solodorensis positum, elegantissime nuper ædificatum est. E

* *al.* 1194.

ABBATUM SERIES.

I. CONRADUS I. de Bietherthan postulatus e Lucerna, memoratur 1197. in charta donationis Ludovici militis de Ratolzdorf factæ monasterio Lucellensi. Defunctus est an. 1212.

II. Otto de Salem, sic fortasse dictus a monasterio, ex quo assumtus est 1212.

III. Conradus II. de Tannenberg, *al.* de Tannenbach, fortasse a professionis loco, 1226. sub quo Eberhardus e nobili familia de Gruenenberg factus ibidem monachus suam omnem substantiam monasterio contulit an. 1224.

IV. Marcellinus 1240.

V. Henricus I. 1246.

VI. Udalricus I. de Burgdorff 1249.

VII. Udalricus II. de S. Gallo 1263. sub quo, vel præcedente nobiles de Lutternaw dormitorium fratrum incenderunt.

VIII. Johannes I. de Wangen 1268.

IX. Marquardus 1287.

X. Julianus de Aurora, sic dictus a professionis loco, 1294. cui abbati vel successori an. 1301. nasus abscissus est ab ordinis converso fratre, duobusque famulis, ex annalibus Dominicanorum Colmariensium.

XI. Rudolfus I. de Hawenstein, *vel* Howenstein 1302. sub quo vel successore Ortolfus de Utzingen toparcha vicinus monasterium devastavit.

XII. Udalricus III. de Buttikon 1311.

XIII. Wernerus de Hisswil 1315.

XIV. Henricus II. de Iberg 1322.

XV. Johannes II. de Koffingen 1339.

XVI. Nicolaus I. 1349.

XVII. Conradus III. Zum-Brunnen 1356.

XVIII. Hermannus comes de Foburg 1367.

XIX. Johannes III. Kolb 1375. quo anno dux Cussinus Anglus quasi maternam hereditatem ab Austriacis repetiturus, Brisgoiam invadens, hoc in monasterio castra posuit, expulsis monachis, illudque discedens pene integrum igne consumsit.

XX. Johannes IV. Spariolus 1383.

XXI. Udalricus IV. de S. Gallo 1398.

XXII. Rudolfus II. Fruttinger 1408.

XXIII. Henricus III. Hauptrinus 1420.

XXIV. Johannes V. Marti de Sursée 1440.

XXV. Nicolaus II. de Hellenstein 1480.

XXVI. Johannes VI. Kueffer 1487.

XXVII. Henricus IV. Bartenheim 1501.

XXVIII. Johannes VII. Rentzlinger 1502.

XXIX. Eberhardus Kastler, sub quo incuria coci cœnobium exuritur 1513. obiit 1525.

XXX. Waltherus Thori 1534.

XXXI. Sebastianus Seemann 1551. primus abbas infula decoratus, hoc ad successores privilegio extenso, quod indefesso studio Romanæ fidei integritatem sartam, tectamque non solum in suo monasterio, sed in tota etiam vicinia servaverit; itemque privilegio donatus a summo pontifice pro se & suo proximo successore confirmationis sacramentum conferendi.

XXXII. Jacobus I. Wanger 1558.

XXXIII. Jacobus II. Kundig 1572.

XXXIV. Leodegarius Hoffschurer 1587.

XXXV. Ludovicus de Mettenwyl 1588.

XXXVI. Udalricus V. de Stein, *vel* Amstein 1627.

XXXVII. Beatus Goldlin sedebat anno saltem 1633. ut pote qui Petro Schmid abbati Marisstellæ missam jubilariam in pontificalibus celebranti adfuit cum Johanne Jodoco Syngeisen abbate Murensi. Superstes erat 1640.

XXXVIII. Edmundus Schnider, jam anno 1643. die 16. Julii dicitur abbas & procurator generalis congregationum Alamanniæ, de quo sic legitur in necrologio Lucellæ: *Obiit pie hic* (Lucellæ) *2. die Febr. anni 1677. circa horam 5. pomeridianam Edmundus Schnider abbas S. Urbani, vicarius generalis, qui cum R. D. de Maris-stella venerat ex speciali mandato, tam regio, quam Generalis ordinis nostri, ut resignationi Edmundi Quiqueré hujus loci abbatis vacaret, ac denique novæ electioni præsideret.*

XXXIX. Carolus Dulliker, *al.* de Dillikon vicarius generalis, 1687.

XL. Udalricus VI. Glutz vicarius generalis, 1701.

XLI. Josephus Zur-Gilgen.

XLII. Malachias Glutz nobilis Solodoranus, electus an. 1706. die 9. Augusti, insignem a fundamentis bibliothecam erexit, qualem alibi vix reperire est. Adhuc præerat 1720. sacerdotibus 34. uni professo fratri & sex fratribus conversis.

XLIII. Robertus Balthasar ex illustri patriciorum Lucernensium genere ortus, eligitur abbas an. 1726. superstes 1730.

PORTA-CÆLI, *vulgo* TENNENBACH.

ABbatia virorum ordinis Cisterc. Friburgo Brisgoiæ dissita quatuor horis, nec procul ab arce Hachberg posita, filia primitus Auroræ, seu Friensperg, deinde Salem, ex vetusta traditione hanc habuit originem: *Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1158.* ad laudem Dei omnipotentis ac beatissimæ semper Virginis Mariæ, constructum est monasterium, Porta-cæli, vulgari nomine Tenacbach, hoc fundatore & auctore: Venit in hunc locum, venerabilis D. Hesso, abbas de Friehensperg, cum duodecim monachis, ejusque fundum emerunt, cum multis prædiis adjacentibus & appertinentiis, a nobili viro Cunone de Horwin, in præsentia inclyti ducis Bertholdi & Hermanni marchionis de Hachberg, ipso mediante & sigillo suo confirmante pactum, &c.* Progressu vero temporis, uti jam diximus, abbatis Salemitani visitationi & juri paterno subjecta est, hodieque inter Salemitanas filias recensetur. Et hæc quidem Porta-cæli sedulo distinguenda est ab alia diœcesis Coloniensis, Walkenrodæ filia.

* al. 1157.

ALIQUOT ABBATES.

I. HEsso, prius abbas de Aurora, *seu* de Friensperg, ex supra dictis, primus abbas & fundator hujus cœnobii censendus est ad annum 1158. attamen Jongelinus fundatum asserit an. 1156. prope Friburgum Brisgoiæ in Nigra-silva per Lantgravios de Stulingen & Bar, a quibus comites de Furstenberg & de Friburg prodierunt, quique in hoc cœnobio sua habent reconditoria; & inter alios hic sepultus superbo jacet tumulo Egon III. comes Furstembergius Lantgravius Stulingensis, cum uxore Adelheide comitissa in Nyffen, eorumque filius Conradus comes, qui floruit an. 1240.

II. Udalricus.

III. Conradus I. de Zeringen.

IV. Bertholdus de Urach, *vel* Aurach, frater Conradi abb. Villariensis, Clarævallis & Cistercii, tandemque cardinalis, filius Eginonis comitis ab Aurach, & Bertholi IV. Zaringiæ ducis, ex Anna sorore nepos, circa 1200. Luciscellæ fit monachus, deinde ab abbatiam de Tennenbach expetitus, eidem quindecim annos sancte præfuit, & anno 1221. exeunte, Honorio III. pontifice, Bertholdus dimissa Tennebacensi ad Lucellensem abbatiam vocatus est.

V. S. Rudolfus I. de Zeringen.

VI. Burchardus I. de Zuflingen.

VII. Henricus de Valckenstein.

VIII. Meinwardus I. de Stuelingen.

IX. Meinwardus II. de Minzingen.

X. Johannes I. de Zotenove.

XI. Johannes II. Zenlin de Friburg.

XII. Johannes III. Lepus, Kenzingensis.

XIII. Jacobus Thaner.

XIV. Johannes IV. Mitteler Waldkirchensis.

XV. Rudolfus II. Zoller de Elzach.

XVI. Martinus I.

XVII. Nicolaus I. Rieslin.

XVIII. Burchardus II. Irelin.

XIX. Conradus III. Pheitelin.

XX. Michael Siz, Emendingensis.

XXI. Johannes V. Kuz.

XXII. Johannes VI. Rath, Emendingensis.

XXIII. Sebastianus.

XXIV. Georgius I. Fabri.

XXV. Fridericus Ubsteller, Kenzingensis.

XXVI. Johannes VII. Schirer, Endingensis.

XXVII. Georgius II. Sartorius, Endingensis.

XXVIII. Josephus Weishaar, Waldkirchensis.

XXIX. Martinus II. Schleer, Vilinganus.

XXX. Adamus.

XXXI. Bernardus Stolz Geewilanus anno 1642. adfuit solemni benedictioni Bernardini Buchinger in abbatem Mulbrunensem, factæ 5. Octobris in monasterio Schonental, ubi tunc congregationis capitulum provinciale celebrabatur, a Cæsariensi abbate Georgio, ex indulto Urbani VIII. assistentibus Christophoro Schontalensi & Bernardo Tennebacensi abbatibus.

XXXII. Hugo Burstetter, Waldkirchensis.

XXXIII. Nicolaus II. Goldlin de Keffenaco Maristellanus monachus, deinde an. 1652. parochus in Dietikon, tum a confessionibus in parthenone Fraventhal, anno postmodum 1664. eligitur in abbatem, cumque hic duodecim annis præfuisset, a propriis sodalibus revocatus, Marisstellam gubernavit ab an. 1676. ad 1686.

XXXIV. Robertus Handtman Villingensis.

XXXV. Placidus Wilhelmi, Burgheim.

XXXVI. Martinus Staiger, *vel* Steger Villinganus, per cujus cessionem

XXXVII. Antonius Metz, patria Underbaldingensis, electus est an. 1719. die 25. Oct. sub quo præter Martinum Staiger degebant 17. monachi sacerdotes, tres professi fratres, & quinque conversi.

XXXVIII. Leopoldus Munzer Brisgoio-Friburgensis præest hoc anno 1731.

MARIS-STELLA, *German.* WETTINGEN & BELTHINGEN.

CONDITUR hoc cœnobium in Helvetia, haud procul Badena ad ripam Limagi fluvii, an. 1227. ab Henrico comite de Rapersvilla, mortuo 1246. & ibidem sepulto, ac ipsius conjuge Anna comitissa de Homberg, primo abbate & 12. fratribus ex Salem petitis; quam postea fundationem insigniter auxere tum comites Habspurgii, tum duces Austriæ & barones de Wasserstlez & Regensperg, aliique dynastæ, qui tunc in Helvetia frequentissimi habitabant. Porro in Wettingensi templo Albertus I. Cæsar, a nepote Johanne Sueviæ duce occisus, in loco, ubi cœnobium Konigsfelden postea constructum est, elato tumulo aliquandiu resedit, donec ad commune Cæsarum mausoleum Spiram delatus est.

SERIES ABBATUM.

I. CONRADUS I. ex priore Salemitano primus abbas dicitur in historia MS. ad nos transmissa, ex qua etiam discimus bullam protectionis obtinuisse a Gregorio IX. die 29. Aprilis an. 1231. Fato functus est 1256.

II. Henricus I. junior duodecim fratrum e Salemio ad Maris-stellam cum abbate missorum, an. 1268. die 28. Maii cedendo abbatiam petiit & obtinuit communionem bonorum operum in ordine & gratiam sepulturæ.

III. Udalricus I. Volleb, Uraniensis, rexit ab an. 1268. ad 1278.

IV. Volkerus de Fulach ab an. 1278. ad 1304.

V. Conradus II. de Mulheim ab an. 1304. ad 1316.

VI. Henricus I. von-der Statt Sangallensis ab an. 1316. ad 1324.

VII. Jacobus Hegezi ex Schaffausen ab an. 1324. ad 1335.

VIII. Eberhardus liber baro de Tengen ab an. 1335. ad 1343. sub quo monasterium alebat 50. monachos.

IX. Henricus II. ab an. 1343. ad 1352.

X. Bertholdus Tutz, *al.* Ducz sacræ theologiæ doctor, ex Salem postulatus, non nisi an. 1356. legitimus abbas declaratur ab Innoc. IV. Rexit ad an. 1358. quo Salemitanus abbas evasit.

XI. Albertus I. Huoter ex Mengen ab anno 1358. ad 1379.

XII. Johannes I. Paradyser ab an. 1379. ad 1385.

XIII. Burcardus Wysz ab an. 1385. ad 1407.

XIV. Johannes II. Thur, Basileensis ab an. 1407. ad 1427.

XV. Rudolfus Wulflinger, Tigurinus, æmulum habuit Johannem, qui sequitur ab an. 1427. ad 1434. quo, illo abdicante, sedere cœpit pacifice usque ad an. 1445. jam ante an. 1434. mitram cum annulo sibi & successoribus in perpetuum adeptus, quod Martino V. Basileæ concilium celebrante suam domum Basileensem concilii patribus hospitium præbuisset.

XVI. Johannes III. Schwarzmurer, Tigurinus, jam antea, ut diximus, an. 1427. electus, sed abdicare coactus an. 1434. quo tempore Tigurinæ domus curam suscepit, mortuo tandem Rudolfo iterum electus 1445. sedit ad annum 1455.

XVII. Johannes IV. Wanger, ex oppido Badensi, rexit ab an. 1455. ad 1464. quo in aquis Rheni submersus est.

XVIII. Albertus II. Haas, Rapersvilanus præfuit ab an. 1464. ad 1486.

XIX. Johannes V. Muller ab an. 1486. ad 1521. ac interim restauravit monasterium 1513. quod antea combustum fuerat.

XX. Andreas Wengy ex Turgovia, rexit ab an. 1521. ad 1528.

XXI. Georgius Molitor, Aquensis, sedit ab an. 1528. ad 1531. quo cessit & aufugit ex monasterio, duobus tantum in eo relictis monachis.

XXII. Johannes VI. Schneulin ex Alstetten, rexit ab an. 1531. ad 1539. antea monialibus de Wurmspach a confessionibus.

XXIII. Johannes VII. Nothlich, Brisgoius, Wilhelmita, ex Priore in Sion apud Waldshutum, volentibus pagis Helveticis, sedit ab anno 1539. ad 1551.

XXIV. Petrus I. Cychhorn, ex Wyl, monachus Sangallensis rexit ab an. 1551. ad 1563.

XXV. Christophorus I. Sylbereysen, ex oppido Badensi, eodem anno factus antistes, quo sacerdos, sedit ab an. 1563. ad 1593. quo resignavit, superstes annis 12.

XXVI. Petrus II. Schmid, ex Baar Tugiensis pagi, rexit ab an. 1593. ad 1633.

XXVII. Christophorus II. Bachmann, ex Schneisingen comitatus Badensis humili genere natus, præfuit ab an. 1633. ad 1641.

XXVIII. Nicolaus I. de Rupe, ex Subsylvania, ab an. 1641. ad 1649.

XXIX. Bernardus Keller cessit mensibus novem ante obitum, qui contigit 1659.

XXX. Gerardus Burgisser, ex oppido Bremgartensi, sedit ab an. 1659. ad 1670. interim beneficus in parthenonem Gnadenthalensem.

XXXI. Benedictus Staub, ex pago Tugiensi, præfuit ab an. 1670. ad 1672.

XXXII. Marianus Riser, ex oppido Bremgartensi, ab an. 1672. ad 1676. quo resignavit, post biennium defunctus.

XXXIII. Nicolaus II. Goldlin, ex abbate Tennebacensi per 12. annos, hic præfuit, ab an. 1676. ad 1686. nominatus interim præsulum hujus provinciæ suffragiis vicarius generalis quatuordecim monasteriorum.

XXXIV. Udalricus II. Meyer, ex oppido Mellingen, sedit ab an. 1686. ad 1694.

XXXV. Basilius Reuti, *sive* Reutti, Wylanus, ab an. 1694. ad 1703. interim capituli generalis electus definitor.

XXXVI. Franciscus

A XXXVI. Franciscus Baumgarter, patria Solodoranus, eligitur die 29. Maii an. 1703. simul ord. Cisterc. per Helvetiam, Alsatiam & Brisgoiam vicarius generalis, sub quo militabant in monasterio an. 1720. sacerdotes 33. fratres professi 3. & octo conversi.

XXXVII. Albericus Peutsch, Lucernensis, natus est an. 1682. monasticen professus 1700. sacerdos initiatus 1705. electus tandem fuit abbas an. 1721. 27. Junii, sub quo degebant 1729. 24. sacerdotes, fratres professi octo, novitii tres, & sex fratres conversi.

VALLIS S. CRUCIS, B
German. Heilig-Creutztaal *vel* Heilgen-Creucztal.

Hic parthenon, monialium ord. Cisterc. nobili stemmate ortarum sedes, dictus est olim *Aquarum haustus*, Germanice *Wassenscharpffen*. Positus est ad radices Alpium Suevicarum, Riedlinga, Austriaco ad Danubium oppido, unius horæ intervallo, sub Salemitani abbatis visitatione. Hunc porro tradunt circiter annum 1140. *al.* 1157. conditum fuisse, equite quodam Althano locum fundumque præbente ad sexaginta, *al.* 40. monialium sustentationem; quem postea bellicis C tumultibus eversum Hugo, *vel* Ego Landawensis* comes an. circiter 1204. *al.* 1230. cœpit instaurare. Hactenus integer & illustris perseverat.

* *al.* de Wullentetten & Grumngen.

Series Abbatissarum.

I. Hailwigildis comitissa de Landaw secundi fundatoris soror obiit an. 1240.

II. Bertha baronissa de Justingen vivere desiit cal. Martii an. 1266. cum præfuisset annis 26.

III. Lucia regebat an. 1277.

IV. Adelheidis I. comitissa de Landaw cessit an. 1300.

V. Irmelgardis ab Hettenstein abdicavit & ipsa D 1307.

VI. Elisabetha baronissa de Stoffeln obiit an. 1312.

VII. Helena Murczelerin præerat adhuc 1325. Cessit, *vel.* obiit anno seq.

VIII. Mechtildis I. Grossina, comitissa de Veringen abdicavit an. 1332.

IX. Anna I. comitissa de Sultz præfuit annis 22. defuncta 1354. cujus ad extremam redactæ senectutem coadjutrix fuit Adelheidis ab Hornstein.

X. Bena, *sive* Benedicta Murczelerin adhuc præerat 1359. postea cessit. E

XI. Anna II. ab Hornstein & Hofingen reperitur annis 1363. & 1365.

XII. Mechtildis II. Wildina regebat anno 1367.

XIII. Anna III. ab Andelfingen an. 1369.

XIV. Gertrudis Hertina ab Herdtneck præfuit annis 14. mortua 1384.

XV. Catharina Gerbiniana obiit 1393. cum præfuisset annis novem.

XVI. Margareta Emmerina a Nuyhusen obiit 1419. exactis in abbatiali dignitate 26. annis.

XVII. Adelheidis II. ab Hornstein sedebat tempore concilii Constantiensis, 1417.

XVIII. Mechtildis III. a Schaffhusen præerat an. 1424. deinde abdicavit.

XIX. Agnes ab Hornstein præfuit ab anno 1425. ad 1443. quo regimen abdicavit.

XX. Anna IV. Gremlichina occurrit annis 1446. & 1450. obiit 1480.

XXI. Ursula Besserina, Ulmensis, electa 1480. decessit 1484.

XXII. Anna V. Wildin præerat 1490. postea cessit.

XXIII. Anna VI. Gremlichina de Jungingen obiit an. 1521. cum annis triginta laudabiliter præfuisset.

XXIV. Veronica I. a Rietheim adhuc præerat 1551. septuagenaria, vere secunda hujus cœnobii fundatrix.

XXV. Elisabeth Lutzin obiit an. 1567. post annos sexdecim regiminis.

XXVI. Veronica II. ab Entzberg.

XXVII. Elisabetha Yfflingerin de Graneck filia Hieronymi & Adheleidis Kellerin de Schlatheim.

XXVIII. Maria-Anna de Hobzing, Hochenbalderensis, eligitur abbatissa die 28. Januarii an. 1690. sub qua 1720. degebant 23. professæ chorales, & septem sorores laïcæ.

SILVA-BENEDICTA, *Germanice* Wald.

Sita medias inter silvas, unde & loco nomen, unius horæ spatio a Juliomago oppido imperiali, fundatur an. 1200. a Burkardo equite de Velkenstein Friderici II. imperatoris aulico; qui fundum monasterii hujus, cum ecclesia, omnibusque pertinentiis ab Udalrico de Balbe pretio comparavit, & sorores suas Juditham pro abbatissa, Itham vero pro Priorissa constituit, visitatione abbati Salemitano commissa. Inde vero prima abbatissa cum religiosis sororibus in Lucidam-vallem venit. Porro haud dubie idem est monasterium, quod Manlius in chronico Constantiensi perperam vocat *dominarum canonicarum in Wald* decanatus Mosskirch. Duas solummodo reperimus abbatissas, primam & ultimam.

Juditha soror fundatoris, circa 1200.

Maria-Antonia baronissa de Falkenstein Brisgoio-friburgensis, electa 1709. 28. Febr. præerat adhuc 1720. viginti sex monialibus & 12. sororibus laïcis.

RUBRUM-MONASTERIUM,
German. Rothen-munster.

Hic parthenon semihora ab urbe imperiali Rottwila & quidem in decanatu Rottwilensi, ad Nicrum paucis inde horis scaturientem situs, originem suam refert ad aliud cœnobiolum, seu inclusorium, dictum *Hohenmauren*, prope veterem urbem Rottwilanam, ubi habitabant devotæ quædam virgines sine certa lege & ordine, sub magistra Williburge, femina sanctissima, quæ

divinitus monasterium ad alium locum transferre jussa, paruit, & asino duce ad locum *Holbainesbach* antiquitus dictum, ad sinistrum decurrentis Neccari littus pervenit, eumque a canonicis S. Stephani Constantiæ, ducentis argenti marcis comparavit, annuente Conrado episcopo. Deinde an. 1221. Honorius papa sorores de Rottweil, ut in bulla loquitur, speciali abbatis Salemitani curæ & directioni commisit, ac 1224. monasterium novum in apostolicam protectionem suscepit. Tres nobis occurrunt abbatissæ.

Prima, Williburgis ipsamet fundatrix.

Secunda, Maria-Ursula, quam Jacobus Wilhelmus Im-Hoff in sua Imperii notitia edita 1687. hodiernam abbatissam vocat.

Tertia, Maria-Williburgis, Uberlingana, quæ an. 1687. electa, adhuc præerat 1720. monialibus 17. & sex sororibus laïcis.

GUNTERINA-VALLIS, *seu* VALLIS-GUNTHERI *al.* GUNTERSTALLA.

De hoc puellari cœnobio instituti Cisterciensis hæc leguntur apud Martinum Crusium in annalibus Sueciæ, lib. 1. p. 3. ad an. 1224. *Erat jam hoc tempore cœnobium nobilium feminarum Cisterciense, Gunterina-vallis, amœnissima in valle situm prope Friburgum-Brisgoiæ, sub visitatione Tennebachensi, in episcopatu Constantiensi; cujus altare majus ad honorem gloriosæ virginis Mariæ, atriumque cœmeterii, Constantiensis episcopus Conradus consecravit, eum locum a jurisdictione matricis ecclesiæ, (Henrico plebano Mershusensis ecclesiæ, ad quem locus attinebat, præsente & consentiente) penitus eximendo hoc MCCXXIV. anno. Benefactores hujus parthenonis fuere comites illustres de Friburg & nobiles viri a Keppenbach, itemque nobiles de Blumenek & Klingenberg, aliique, quorum ibi plurima & præclara sunt mausolea.* Subditur ab eodem Crusio brevis abbatissarum hujus monasterii catalogus, quem se ex schedis MSS. Bruschii excerpsisse tradit.

ABBATISSARUM CATALOGUS.

I. ADELEYDIS I. cum laude dicitur præfuisse monasterio sex annos supra quinquaginta, obiisseque anno MCCLXXXI. cum uno ante, præ senio abdicasset.

II. Heintruda.

III. Clara Horenbergerin, *forte* ab Horenberg.

IV. Mechtildis I. Opffingerin obiit an. 1366.

V. Catharina Morserin decessit 1373.

VI. Anna I. Lepina.

VII. Dinanna Mayerin obiit an. 1418.

VIII. Adelheidis Munzingen, ex equestri familia.

IX. Margareta Brennerin.

X. Mechtildis II. de Falckenstein, sub qua monasterium magna inundatione plurimum vastatum fuit an. 1480. mortua est 1482.

XI. Verena Tegelina, *sive* Degelina de Wangen præfuit annis 10. cum semel abdicasset, etiam altera vice, contra voluntatem electa, obiit an. 1492.

XII. Veronica a Mullenheim, *sive* Mulheim, *vulgo* Mulen, soror Conradi abbatis Gengenbacensis moritur an. 1508.

XIII. Anna II. de Tufflingen, patre Waltero, matre Anastasia Munchmaisterin, obiit 1525.

XIV. Kunegunda Roderin de Thiersperg mortalitatem exuit 1530.

XV. Maria Schnebelin, cognomento Berenlippin de Bolschweil, obiit die festo Paschatis 1534.

XVI. Verena Degelin de Wangen præfuit annis sex, deinde amota.

XVII. Maria I. de Rockenbach.

XVIII. Maria II. cognomento Schnevelin de Landech, familia in primis nobili, matre Anna Pfavin a Rippurg, electa 1547. superstes 1553.

XIX. Maria-Rosa baronissa de Neve, Brisgoio-Friburgensis, electa 1716. adhuc præerat 13. monialibus & octo sororibus laïcis an. 1720.

VALLIS-DOMINARUM, *German.* FRAWENTHAL.

Cisterciensium virginum cœnobium in Helvetia, haud procul Tugio, diœc. Constantiensis, sub visitatione abbatis Wettingentis, *seu* Maris-stellæ. Fundatur an. 1231. ab *Udalrico* barone de Schnabelburg, ejusque conjuge Agnete de Eschenbach; quod deinde bello & rapinis vastatum restaurarunt circa an. 1400. nobiles de Rusegg & Hunenberg, secundi fundatores jure dicendi.

MARIA-VERENA, Diethwilana, electa hujus loci abbatissa die 15. Junii anno 1688. adhuc præerat 23. monialibus, & sex sororibus laïcis, an. 1720.

HEGGBACUM, EPPACHIUM, *& olim* HECKENBACHIUM.

Subest hoc monasterium visitationi abbatis Salemitani, medio fere itinere inter Ochsenhusen cœnobium & Biberacum, oppidum imperiale, situm. Est autem inchoatum anno circiter MCCXXXIII. a piis & religiosis duabus Begghinis, quarum una ex nobili familia Rosemburgensi, altera ex Laudenburgensi, fuit nata. Ad has mox aliæ plurimæ accesserunt, atque inter eas, quinque nobiles, quarum parentes ipsis domicilia exstruxerunt. Hactenus Aubertus Miræus in chronico Cisterciensi, ex Gaspare Bruschio. Templum S. Pancratio dicatum dicitur, & monasterium ita fidelium largitionibus excrevisse; ut brevi centum viginti moniales, præter ministros, conversos & capellanos alere potuerit. At vero cum Willelmo imperatore rebus humanis exemto interregnum esset, bellisque civilibus tota fere Germania æstuaret, factum est, ut hoc etiam monasterium incendiis & rapinis devastaretur, & ad tantam redigeretur paupertatem, ut sanctimonialibus ad domum paternam redeundum esset; quæ tamen post viginti annos, pacato Imperii statu, iterum per Rodolfum Habspurgium ad pristinum locum reversæ sunt; collapsumque HECKBACH.

monasterium auxiliis nobilium regulorum a Bonstetten, a Freyburg, Wyler, & Ellerbach, dapiferorum item a Walpurg, aliorumque plurium. qui sepulcra sibi ac posteritati legebant in hoc templo, meliori formæ, quam pristina fuerat, restitutum est. Ab eo tempore ad 1550. præfuerunt abbatissæ, quarum sequuntur nomina, ex Bruschio: hactenus autem perseverat sub abbatissa, 24. sanctimonialibus & undecim sororibus laicis.

SERIES ABBATISSARUM.

I. IRMENGARDIS præerat an. 1280.

II. Elisabeth I. Hofmanin, *al.* Flofmanin successisse legitur Irmengardi, & adhuc sedisse 1350.

III. Clara Strelerin, patria Ulmensis, florebat ann. 1360. & 1364.

IV. Catharina a Stadion, *vel* Stadien, Claram excepit.

V. Anna I. Gretterin de Staffingen Biberacensis, omnia fecisse communia legitur, cum antea cuique sororum suum quodque proprium esset. Cessit e vita 1438.

VI. Agatha de Stadion, nobilis virgo, mortem oppetiit an. 1454. cum sexdecim annis præfuisset.

VII. Elisabeth II. Krollina, patria Lindaviensis, die S. Egidii an. 1467. tametsi gravissimo afflicta morbo, propria manu monasterium clausit, ne sacris virginibus liberum esset exire. Obiit autem an. 1480.

VIII. Anna II. Suterina, ex Bracoduro, *vel* Pfullendorpho, patre consule nata, decessit an. 1509. cum fuisset electa 1480.

IX. Anna III. Koboldina, patria Ulmensis; obiit 1515.

X. Barbara Ellenbogina, Memmingensis; præfuit undecim annis, pie & religiose, uti vixerat, defuncta 1526.

XI. Walburgia Pitterlerin, patria Ulmensis, e vivis excessit 1532.

XII. Margareta Capitanea, patria Constantiensis, defecit an. 1539. ætatis suæ 43.

XIII. Veronica Krollina, de Grimmenstein ex Thettnango Montis-fortis comitum Algovico oppido nata, eligitur unanimi sororum omnium consensu anno 1539. & adhuc præerat quadraginta sex sororibus anno 1550. ætatis annum agens 63.

XIV. Maria-Cecilia a Jacobo Wilhelmo Im-Hoff hodierna dicitur abbatissa in sua Imperii notitia edita 1687.

XV. Maria-Cecilia, Chambensis, electa fuit abbatissa 21. Octob. 1712. & adhuc præerat 1720. monialibus 24. & undecim sororibus laicis.

BAINDT, *latine* HORTUS FLORIDUS.

POUNDUM etiam dicitur a Bruschio in sua monasteriorum Germaniæ chronologia, pag. 101. verso, & a Chrysostomo Henriquez in suis Liliis Cistercii, lib. 2. distinct. XV. cap. 3. pag.

A 239. ubi sic habetur: *Poundum monialium Cisterciensis instituti cœnobium infra Ravenspurgum, civitatem imperialem, & Vineas Suevicas; ad initium silvæ, per quam itur ad oppidum Walsdsech, amœnissimo & fertilissimo loco situm, sic cæpit, ut ex vetustis libellis colligitur:* Anno 1227. convenerant piæ quædam sorores sub Everhardo abbate Salemitano apud Seefeldum, pagum Acroniani lacus; ubi oratorio exstructo sex annis & totidem mensibus vixerunt; postea cum aliis quibusdam sororibus conjunctæ apud Pussium-montem, antiquitus *Suevum-montem* nuncupatum, prope Sulgovium, dapiferorum B Walburgensium oppidum, quinque aliis annis substiterunt; tandemque fautorem nactæ Conradum pincernam de Winterstetten ac dominum in Niffen, an. 1241. die festo SS. Innocentium in Pounduno, haud procul ab imperiali cœnobio Vinearum, *seu* Weingarten, stabilem fixerunt sedem, novo statim cœnobio ab Henrico de Than episcopo Constantiensi, Conradi fundatoris patruo, in octava S. Johannis apostoli consecrato. Ibidem jacet in capitulo Conradus fundator, elapso biennio in vigilia S. Matthiæ apostoli defunctus, cum uxore sua Guta & filia Irmengarde, quæ post obitum mariti sui Conradi C pincernæ Smalnecani, hic facta est monialis & post abbatissa. Porro hanc eamdem abbatissarum seriem Bucelinus profert sub nomine *Baindt*, quam Bruschius & Henriquez sub nomine *Poundi.*

ABBATISSARUM SERIES.

I. TULDECHA, prima sororum prope Bussium, *sive* Pussium montem parens ac gubernatrix, præfuit annis 5. pie defuncta 1232. Sic autem habet Bucelinus: *B. Tudecha apud Seenfeldt primum, ac dein Pussium-montem sacris Deo virginibus præfecta, Baindensium prima fuit* D *antistita, quæ obiit 1232.* inserta Menologio Cisterc. die 24. Aug.

II. Anna I. de Franckenhofen, virgo nobilis, fato concessit an. 1244. cum laudabiliter annis 12. præfuisset; sive, ut ait Bucelinus, *cum prius fuisset Pussii-montis magistra & quidem ultima; Baindensi monasterio præfuit usque ad an 1244. quo, &c.* Recensetur in Menologio Cisterc. die 6. Martii

III. Irmengardis, Conradi & Gutæ fundatorum filia, Conradi vero pincernæ a Smalneck vidua, subrogata fuit Annæ. Notatur in Menologio Cisterc. die 3. mensis Octob. De qua sic habet E Bucelinus: *Irmengarda pincerna de Winterstetten, nata baronissa de Neyffen, Conradi fundatoris vidua, &c.*

IV. Margareta I. a Selinin, qua sedente primum altare Poundiensis cœnobii dedicatum est an. 1275. ab Henrico episcopo Tridentino, in honorem SS. Trinitatis & B. Virginis Mariæ.

V. Christina I. Holbeunin, *sive* Holbeinin claruit sub an. 1280.

VI. Adelheydis I. Apostreutterina junior.

VII. Ursula a Prasberg ex hac vita migrasse legitur an. 1321.

VIII. Adelheydis II. Apoſtreutterina ſenior. A

IX. Catharina comitiſſa de Werdenbergk.

X. Anna II. ex genere pincernarum de Winterſtetten obiit an. 1400.

XI. Anna III. Humpiſin, *ſive* Hundtpiſſin Ravenſpurgenſis deceſſit an. 1401.

XII. Chriſtina II. Schindelina, patritia Ravenſpurgenſis, moritur an. 1434. cum annis 33. præfuiſſet.

XIII. Wandelberga Wylina, nobilis, regimen adepta viginti duobus annis, mortem oppetiit an. 1456.

XIV. Walburgis Euglerina ſedit ad clavum annis 16. mortua 1472. B

XV. Margareta II. de Campo obiit an. 1504. die S. Pantaleonis, poſt regimen annorum 32.

XVI. Verena de Campo præfuit ſexdecim annis, deinde ceſſit e vita 1520.

XVII. Anna IV. Schleybeghin novem annos ſedit, ruſticos interim paſſa ſeditioſos, quibus demum a Suevico furore profligatis, ipſa egregie monaſterium reſtituit, templumque reædificavit. Naturæ debitum ſolvit an. 1529.

XVIII. Margareta III. Brekhina, *ſeu* Brockin, Veldtkirchenſis, præerat an. 1551.

XIX. Maria Barbara memoratur hodierna abbatiſſa in Imperii notitia auctore Jacobo Willelmo C Im-Hoff edita 1687.

XX. Maria-Anna eligitur an. 1688. jubilæa, ſub qua regulariter vivebant quindecim moniales, & ſorores quatuor laïcæ an. 1720.

AUGIA VIRGINUM, *German.* MAGDENAW.

FUndatur hic parthenon ordin. Ciſterc. in comitatu Toggenburgico, & in decanatu S. Galli anno 1244. a Rudolfo de Glattburg, dicto *Giel*, quem pia munificentia ſecuti ſunt illuſtriſſimi S. R. J. principes San-Gallenſes, comites Toggenburgici, Habſpurgii, Kiburgii, D Furſtenbergici, cum pluribus baronibus & nobilibus. Huic loco præfuerunt.

Anna Schenckin a Landegg, cui Albertus a Bonſtetten Einſidlenſis monaſterii decanus ſuum libellum latinum de vita S. Iddæ comitiſſæ Tockenburgenſis & ſanctimonialis Fiſchingenſis ejuſdem loci patronæ in elegantiorem vernaculam linguam tranſlatum die 26. Decemb. an. 1456. dedicavit.

Maria Cecilia, Helveto-Wilana, electa 1719. præerat 1720. viginti monialibus & novem ſororibus laicis.

RATHUSA AD S. GEORGIUM. E

GErmanicè *Rathauſen* virginum ord. Ciſterc. in diœceſi Conſtantienſi & ditione Lucernenſi, ad Ruſam fluvium fundata, & ex arce in monaſterium converſa eſt an. 1245. per Petrum & Henricum barones de Schavenſée & Reichenſée; ſpectabat olim ad viſitationem abbatis Capellenſis, nunc ſubeſt abbati S. Urbani.

Maria-Cecilia Baſiliſſa, Lucernenſis, electa 1702. 24. Aug. adhuc præerat 1720. 46. monialibus, & octo ſororibus laicis.

JUCUNDA-VALLIS, *Germ.* WUNNENTHAL.

FUndatur in Briſgoia extra muros oppidi Auſtriaci Kenzingenſis circa an. 1230. ex collatis dotibus nobilium aliquot puellarum, quod deinceps inſigniter promoverunt benefactores & protectores munifici Rudolfus & Heſſo, Rudolfi ex fratre Burchardo nepos, comites de Yſenburg, Briſgoiæ tunc domini, quorum etiam opera illud ordini Ciſtercienſi aſſociatum eſt an. 1254.

Maria Beatrix, Eichſtettenſis, abbatiſſa electa 1695. adhuc præerat monialibus 14. & ſex ſororibus laicis an. 1720.

VELDBACH, *ſeu* FELDBACH inſigne virginum cœnobium, ad lacum Potamicum & Rhenum infra oppidum Steckboren & quidem in decanatu Steckborenſi, ſitu percommodo, ut eleganti, quod pro virginibus Benedictinis Chuno de Feldbach condidit, arce propria Veldbacenſi in domum Dei converſa an. 1252. cum aſſenſu baronum de Klingen Ulrico & Walthero, qui & ipſi inter fundatores numerantur, quod Chuno cliens illorum eſſet. Ceterum biennio poſt cædem virgines ſacræ Ciſtercienſium reformationi nomen dedere, ſub qua & viſitatione olim Salemitana uſque in hodiernum diem laudabiliter, ait Bucelinus, cum opibus, tum pietate profecere.

Duæ nobis ſuppetunt abbatiſſæ, altera ſcilicet Maria Barbara Laubin quæ abdicato regimine vivebat 1720. altera

Maria Victorina baroniſſa de Liechtenſtein; Nicro-Huſana, electa 1716. die 28. Apr. quæ adhuc 1720. præerat viginti monialibus & ſororibus laicis octo.

VALLIS-LILIORUM, *Germ.* TENNIKON.

ABbatia virginum Ciſtercienſium in præfectura provinciali Turgoiæ fundata eſt anno 1257. ab Eberhardo de Bichelſée & filio cognomine, miniſterialibus illuſtriſſimi aſceterii S. Galli; in cujus fundationis partem venerunt etiam, ambo principalia monaſteria S. Galli & Divitis-Augiæ, comites Toggenburgici, nobiles de Lindenberg & Landenberg, aliique plures. Paruit olim abbati Capellenſi, ſed hodie, Capella ab hæreticis profanata, Mariſtellæ ſubeſt. Deinde vero prima cum duodecim ſororibus educta eſt abbatiſſa ex Michelfelden infra Baſileam Ita de Schonenberg circa 1260. Sed proceſſu temporis cum in hoc Vallis-liliorum cœnobio jam dudum cultus divinus deſiiſſet, commiſſum eſt circa 1540. Marco Schenckli abbati Fiſchingenſi, qui ejus ſedulam habuit curam, donec religioſæ dominæ Sophiæ de Grutt ex Magdenovienſi parthenone eo poſtulatæ anno 1548. traditum fuit.

Altera nobis occurrit abbatiſſa Maria Euphemia *Zurlauben*, baroniſſa de Thurn & Geſtellenburg, patria Tugienſis, quæ die 12. Apr. an. 1707. electa, adhuc præerat 1720. monialibus 21. & novem ſororibus laicis.

CELLA B. MARIÆ, German. WURMSPACH.

Cœnobium in Helvetia prope Raperſvillam ſitum pereleganti loco ad ripam lacus Tigurini, fundatur an. 1259. a Rudolfo IV. comite de Raperſweyl, Henrici fundatoris Mariſtellæ germano, ejuſque conjuge Mechtilde de Vaz. Ita nuperus auctor Ideæ chrono-topographicæ congregationis Ciſterc. S. Bernardi per ſuperiorem Germaniam. De quo etiam monaſterio ſic habet Annaliſta Heremi ad an. 1259. *Rudolfus comes Raperſvillæ advocatus noſter monaſterium ſanctimonialium Ciſterc. ordin. Wurmſbach, quod paulo ante ex caſtro ſupra Raperſvillam ad lacum Tigurinum ejuſdem nominis condiderat, voluntate & conſenſu uxoris Mechtildis & filii Vincentii dotavit IV. idus Octobris.* Hinc Bucelinum emendare licet, qui Wernherum comitem Habſpurgicum Rudolfi I. imperatoris patruelem, cum adjutorio & approbatione Rudolfi fratris ſui epiſcopi Conſtant. fundaſſe hoc monaſterium perhibet. Ceterum an. 1267. aliud ord. Præmonſtr. feminarum *Ober-Bollingen* dictum, fundatum itidem a comitibus Raperſvillanis, eidem auctoritate pontificia & conſenſu Rudolfi comitis Habſpurgici, poſtea imperatoris, fuit unitum.

Duæ reperiuntur abbatiſſæ; prima Maria Scholaſtica Wickin, Helveto-Wilana, ſuperſtes anno 1720. per cujus ceſſionem

Maria-Clara, Raperſvillana, electa 1718. die 18. Aug. adhuc præerat 1720. duodecim monialibus & ſeptem ſororibus laicis.

ESCHENBACUM.

Germanice *Eſchenbach* in diœceſi Conſtant. & territorio Lucernenſi, fundatum eſt a Waltero barone de Eſchenbach, ejuſque filio Berchtoldo an. 1294. Conſtructum erat primitus in loco, dicto ad S. Catharinam, prope Ruſam amnem, ſed poſt luctuoſum incendium ad pagum Ober-Eſchenbach fuit tranſlatum.

Maria-Barbara Franciſca, Lucernenſis, electa 1712. die 3. Aprilis, adhuc præerat 54. monialibus & undecim ſororibus laicis an. 1720.

MONASTERIUM GNADENTALENSE.

Vallis-Gratiarum, Germanicè *Gnadenthal* ad Ruſam amnem inter Bremgartam & Mellingam Helvetiæ oppida, nullum habuit fundatorem, ſed ex collatis patrimoniis primarum loci inquilinarum nullius certi inſtituti, vulgo Beghinarum, excrevit. Circa an. 1371. ſorores iſtæ ordinem Ciſtercienſem amplexæ, benefactores inſignes deinceps expertæ ſunt, Gerardum abbatem Mariſtellanum, nobiles de Walterſweil, de Vohlen & alios.

Maria-Bernarda, patria Lucernenſis, electa eſt abbatiſſa hujus loci an. 1700. 25. Maii, & adhuc præerat 20. monialibus, & ſex ſororibus laicis an. 1720.

A

VILLA-PACIS, German. FRIDENWEYLER.

Hoc cœnobium in ſylva Hercinia prope Leſſingam oppidum Furſtenbergicum fundatum eſt primitus pro virginibus Benedictinis a Johanne abbate ad S. Georgium in ſilva Hercinia barone de Cimbern circa an. 1123. ſed poſtea deſolatum ceſſit monialibus Ciſterc. ord. circa an. 1570. ad preces Henrici comitis Furſtenbergici, abbatiſſa prima ex Lucida-valle vocata.

Maria-Anna-Urſula, Briſgoio-Friburgenſis electa eſt abbatiſſa 1687. jubilæa, quæ adhuc B 1720. præerat 22. monialibus & octo ſororibus laicis.

MONASTERIUM NEIDINGENSE.

Curia B. M. V. prope Neidingam, Germanice *Marien Hoof ben Neidingen* a vicino pago Furſtenbergico, Caroli-Craſſi ex-imperatoris habitatione noto, ita dicta, ad Danubium duabus horis ab ejus fontibus disjuncta, primitus erat incluſorium Beghinarum in vico Almanshoven prope Doneſchingam, ex ipſarum dotibus & patrimoniis conflatum, unde poſtea comitum C Furſtenbergiorum auxilio ad pagum Neidingen moniales ſunt traductæ, & ordini S. Dominici ſubjectæ. Succeſſu temporis & fatorum iniquitate exſtinctis omnibus monialibus, & ordine S. Dominici ſuppreſſo, Henricus comes de Furſtenberg moniales Ciſtercienſes Lavinga a comitibus Palatino-Neoburgicis expulſas, monaſterio huic deſolato immiſit, atque ordini Ciſterc. auctoritate apoſtolica univit an. 1584. ſub viſitatione abbatis Salemitani. Erat in hoc monaſterio ante ditionum partitionem commune Furſtenbergiorum ſepulcretum, cui noviſſimus illatus eſt an. 1702. Carolus Ego comes Furſtenbergius ſacræ D Cæſareæ majeſtatis & circuli Suevici generalis copiarum ductor, a Gallis in acie Fridlingana prope Hunningam globo trajectus.

Unicam habemus abbatiſſam Mariam-Antoniam, patria Conſtantienſem, electam 1699. 25. Apr. quæ 14. monialibus & ſex ſororibus laicis adhuc præerat 1720.

BONA-CELLA, ſeu DEI-CELLA; German. GUTEZELL, vel GOTTESZELL & GUTTENZELL.

Virginum Ciſtercienſium nobile monaſterium, olim ducentarum, nunc pauciorum; E ſub cura & viſitatione abbatis Salemitani, in Suevia ſitum eſt non procul ab Ochſenhuſio, quatuor ab Ulma Sueviæ metropoli milliaribus; & quatuor a Memminga urbe imperiali. Fundatur autem in honorem SS. Coſmæ & Damiani a duabus ſororibus comitiſſis de Schloſberg,* quarum nomina interciderunt, ſicuti etiam ipſe annus primæ fundationis; quod quidem poſtea comites ab Aycham mira liberalitate dotarunt ſub annum Chriſti 1330. Floret etiamnum ſub abbatiſſa, ſororibus choralibus 19. & ſeptem laicis.

* al. Schlueſſelberg.

Series Abbatissarum.

I. MECHTILDIS.

II. Ita.

III. Hiltadis, *sive* Hiltruda.

IV. Loicardis, *sive* Luitgarda. Sub hoc tempus, an. 1283. ind. XI. septimo idus Jan. Rudolfus Romanorum rex erga monasterium munificum se præbuit.

V. Gertrudis præerat an. 1299.

VI. Haylga.

VII. Gutta, *sive* Guota.

VIII. Elisabetha Freyhin.

IX. Otylia Durlacherina, obiit an. 1491.

X. Walburgis I. Gretenna decessit an. 1504.

XI. Walburgis II. Bruglerina, Ravenspurgi natæ, moritur an. 1516.

XII. Catharina Bechtina, Ulmensis, post decem annos regiminis exauctorata 1526. Poundum in aliud Sueviæ vicinum monasterium secessit.

XIII. Barbara a Stotzingen obiit juvencula an. 1528. cum duobus tantum annis præfuisset.

XIV. Magdalena a Freyburg e vivis excessit an. 1542.

XV. Maria de Landenberg, electa 1542. adhuc laudabiliter præerat 1550.

XVI. Maria-Francisca 1682. mense Jan.

XVII. Maria-Bernarda baronissa de Donnersberg, Auwensis, eligitur 1719. 21. Dec. & adhuc præerat 1720. monialibus 19. ac septem sororibus laicis.

ROTUM, *vel* RODIUM, *vulgo* MONACHORUM-ROTHUM, *Munchroth.*

SIc ultimo dictum est hoc Præmonstr. ord. cœnobium ad alterius cujusdam dominarum Rodi in Ostofrancis discrimen. In Suevia positum est duobus a Memmingiaco imperiali civitate milliaribus, in decanatu Diettenhaim, in Haslachii & Rothæ fluviolorum medio concursu, quorum posterior milliari supra Rodum ortus monasterium ipsum perfluit & ei nomen hoc fecit. Fundatur an. 1126. ab Hemma illustris baronis & equitis aurati Henrici de Wildenwergk conjuge. Habuit autem initio præpositos tantum, quorum nomina sic Bucelinus nuda recenset.

Præpositorum Series.

I. BURCHARDUS I. a S. Norberto ordinis fundatore missus felicia hujus loci fundamenta jecit. II. Burchardus II. III. Udalricus I. IV. Anselmus. V. Ulricus. VI. Bruno. VII. Bepeso. VIII. Walcon. IX. Ottho. X. Chunradus I. XI. Henricus I. XII. Hermannus. XIII. Conradus II. XIV. Eberhardus. XV. Anthalmus. XVI. Bertholdus I. XVII. Henricus II. XVIII. Trithmarus. XIX. Bertholdus II. XX. Bertholdus III. XXI. Rhenichardus. XXII. Conradus III. XXIII. Bertholdus IV. XXIV. Wernherus. XXV. Albertus. XXVI. Conradus IV. XXVII. Udalricus II. XXVIII. Waltherus. XXIX. Henricus III. XXX. Gerungus. XXXI. Bertholdus V.

A

Abbates Rothenses.

I. OTHO, baro & dapifer de Waldburg, ex aula comitis Palatini Rheni ad Rothense collegium se conferens, primus dein abbas electus est sub an. 1140. Præfuit annis 41. & plusquam 200. fratres, seu clericos, seu conversos sub suo magisterio continuit, e quibus plures ad diversa recens condita ejusdem ordinis collegia destinavit, nempe ad Wiltaviense in Helvetiis, Lutrense, vulgo *Kheiserslauttern*, Augiense prope Ravenspurgum, an. 1145. Steingadense in Rhetis 1147. & Martalense ad Danubium 1170. B Demum Ottho, *seu* Odino e vivis excessit an. 1182. post quem a Bucelino hi recensentur: II. Nicolaus I. III. Giboldus. IV. Nicolaus II. V. Lucas VI. Fridericus. VII. Petrus. VIII. Conradus I. IX. Marquardus. X. Stephanus. XI. Othmarus. XII. Dietherus. XIII. Gotfridus. XIV. Albertus I. XV. Henricus I. XVI. Bertholdus I. XVII. Albertus II. XVIII. Ernestus. XIX. Geldricus. XX. Jodocus ex Ursperg postulatus. XXI. Leonardus-Johannis Dapiferi filius.

XXII. Conradus II. altare in ecclesia struxit an. 1334.

XXIII. Egolfus, *vel* Eglolfus, ex Lutherach C oriundus utiliter præfuit usque ad an. 1356.

XXIV. Bertholdus II. successit Eglolfo, sepultus in introitu sacelli B. Virginis.

XXV. N. Kurchenwis multum profuit monasterio.

XXVI. Frouvinus.

XXVII. Johannes I. Barner.

XXVIII. Petrus I. natalibus Judæus, & baptismo Christianus.

XXIX. Lucius sedit anno uno.

XXX. Gerundus ex Augia postulatus.

XXXI. Petrus II. Staldinus.

XXXII. Bidermannus e Soretho postulatus.

D XXXIII. Henricus II. Mereln e Martalensi monasterio assumtus est tempore Caroli IV. imperatoris ad menses octodecim.

XXXIV. Martinus I. Hesser, patria Martalensis, & ejusdem loci cœnobita, collapsum monasterium & ad extremam inopiam redactum singulari providentia egregie instauravit. Præfuit annis 30. mortuus an. 1457.

XXXV. Georgius ab Ickhenau, *al.* ab Igenauw electus hoc an. 1457. moritur 1470. die 9. Octob.

XXXVI. Johannes II. Sigk, *al.* Mosheim, Memmingensis post tres annos regiminis decessit E 1473.

XXXVII. Henricus II. Gallinarius, *al.* Kienlein, Lindaviensis, egregius œconomus, eligitur an. 1473. cumque præfuisset 26. annis, obiit 1499. sepultus in sacello, quod ipse an. 1483. erexerat.

XXXVIII. Conradus III. Ehrman senior, ex pago Zell prope Rothum natus, rexit ab anno 1500. ad 1520. interimque majus templum ædificavit, absolvitque an. 1506. itemque sacellum B. Virginis & bibliothecam an. 1502.

XXXIX. Johannes III. Laugingerus, *al.*

Loinger, Biberacensis, ex rectore ecclesiæ Steinbacensis electus abbas 1520. præfuit annis 13. & obiit 1533.

XL. Conradus IV. Ehrman Junior, & ipse Zellensis, senioris Ehrmanni patruelis, eligitur die 2. Maii an. 1533. Præfuit laudabiliter decem annis, quibus exactis vivere desiit die 30. Jan. an. 1543.

XLI. Conradus V. Spleis, Bonstetanus, ex pago prope Biberacum natus, vir humanissimus, electus an. 1543. 9. Febr. exsulavit 1547. apud Uberlingam ob crebras Schmalcadici fœderis in monasterium factas irruptiones, sed a Carolo V. imperatore in suum locum restitutus est in vigilia Epiphaniæ. Obiit in Autumno anni 1549. in Thermis.

XLII. Vitus cognomento *Tector,* Wangensis, ex parocho Osterkirchensi abbas factus est an. 1549. superstes anno seq. & usque ad 1556.

XLIII. Dominicus Freyberger cessit præ senio 1560.

XLIV. Martinus II. Ermann primus abbas infulatus, & per Sueviam vicarius generalis, obiit 1589.

XLV. Martinus III. Schleich defecit anno 1591.

XLVI. Balthasarus Held an. 1592. die 5. Decemb. Mathiam Augiæ-minoris abbatem una cum suis coabbatibus Sueviæ in visitatorem dictæ provinciæ monasteriorum elegit, & scriptis ad abbatem Præmonstrati generalem litteris anno seq. obtinuit confirmari. Senex abdicavit an. 1611.

XLVII. Joachim Gietteler an. circiter 1630. ordinis reformationi collaboravit, ac tandem senio gravis & meritis abdicavit.

XLVIII. Ludovicus Locher præerat circa 1655. quo scribebat Bucelinus.

XLIX. Martinus IV. circa 1687. quo Notitiam Imperii Jacobus Willelmus Im-Hoff prælo submisit.

AUGIA-MINOR, *sive* ALBA-AUGIA-SUEVORUM, *&* ALBUM-PRATUM, *German.* WEISSENAW *&* MINDEROW.

Sedes olim piorum aliquot Eremitarum, postea vero instituti Præmonstrat. magnificum monasterium, prope Ravenspurgum oppidum imperiale, in decanatu *Turingen.* ad Schussium fluviolum, duobus inde milliaribus in Acronium lacum incidentem, positum, fundatur an. 990. aut, ut alii volunt (quod de collapsi aliquando monasterii reparatione, *seu* Præmonstratensibus attributione, potius intelligendum arbitramur) an. 1145. a Gebizone de Wysenburg opulentissimo milite & equite aurato, ejusque sorore Loicarde,* Henrici militis ex Asenhusen conjuge. Legitur autem idem monasterium an. 1282. a Rodolfo Habspurgio Romanorum imperatore, ejusque conjuge Anna comitissa Hohenburgensi, quæ Basileæ in summo templo quiescit, ita esse auctum ac locupletatum, ut ii Minoris-Augiæ secundi fundatores perhibeantur. Ejusdem loci præpositi & abbates ita recensentur a Bruschio & Bucelino.

* *al.* Luitgarde.

SERIES PRÆPOSITORUM.

I. HERMANNUS I. præfuit ab an. 1145. ad 1175. quo mortuus est.

II. Ortolfus nobilis miles de Wysemberg electus an. 1175. regimen abdicavit 1180. futurus iterum præpositus.

III. Albertus eligitur 1180. ac post tres annos resignat.

IV. Udalricus I. de Thann, vir nobilis, dapifer de Waldtpurg, sub quo fundatur Schussenrietum ordinis Præmonstratensis cœnobium, præfecturæ nuncium remisit octo post annis quam acceperat 1191.

V. Ortolfus, idem qui supra, cum iterum summa cum laude annis 12. præfuisset, obiit an. 1203.

VI. Conradus hoc an. 1203. electus, præfuit annis 14. deinde cessit 1217.

VII. Udalricus II. cessit & ipse, cum præfuisset annis 20.

VIII. Hermannus II. electus in præpositum an. 1237. eo se munere abdicavit post annos 20.

SERIES ABBATUM.

I. HENRICUS, ultimus præpositus, eligitur anno 1257. cumque annis novem præfuisset, ac postremo a Clemente IV. Romano pontifice ornamenta pontificalia obtinuisset, præfecturam abdicavit.

II. Waltherus electus an. 1266. sedit annos quatuor ex Bruschio, sed, inquit Bucelinus, exstant litteræ sub ipso scriptæ an. 1273.

III. Henricus I. præfuit ad novem annos, ait Bruschius.

IV. Henricus II. de Anckenrus, *al.* Anckerutin præfecturam quinquennem abdicavit anno 1284.

V. Henricus III. obiit sub an. 1294.

VI. Rudolfus I. electus an. 1294. sedit ad annos tres.

VII. Johannes I. præfuit ab anno 1297. ad 1303.

VIII. Wernherus I. ab hoc an. 1303. sedit annos quinque.

IX. Johannes II. abbas electus 1308. præfuit annis 42.

X. Burcardus Holbinus rexit ab an. 1350. ad novem annos.

XI. Henricus IV. electus an. 1359. præfuit octo annis.

XII. Wernherus II. Ruth, Constantiensis, eligitur an. 1367. ad annos 24.

XIII. Rudolfus II. de Kupferbergo cessit post quinquennium ab an. 1391. inchoatum.

XIV. Gerungus Churwaldensis intra viginti septem annos, quibus præfuit, adfuit concilio Constantiensi; cessit an. 1423.

XV. Johannes III. Fuchs ex Martorffo, Constantiensis præsulis oppido, natus, eligitur an. 1423. a quo præfuit utiliter ac feliciter annis 47. Duos habuit germanos fratres, alterum abbatem Schussenrietensem, alterum præpositum Waldseehensem.

XVI. Nicolaus Hugolinus, Buchornanus, sedit ab an. 1470. ad quatuor annos.

XVII. Johannes IV. Sagittarius ex Alendorffo, baronum Kinsegkensium, oppidulo, natus, electus an. 1474. præfuit annis novem.

XVIII. Johannes V. Geslerus, patria Ravenspurgensis, eligitur an. 1483. & post duodecim annos resignat.

XIX. Johannes VI. Villicus de Umendorffo, sedit ab anno 1495. ad 28. annos.

XX. Jacobus I. Murarius *Murer*, Constantiensis, electus 1523. moritur 1533.

XXI. Udalricus Ephippiarius, *al.* Stattler, Ravenspurgensis, cessit an. 1549.

B

XXII. Andreas Rietman, patria Ulmensis, Ulrico cedenti subrogatur in annos septem.

XXIII. Jacobus II. Hablin, ex oppido Marchdorff oriundus, eligitur 1557. Præfuit annis septem.

XXIV. Michaël I. Hablizel, Ravenspurgensis, sedit ab an. 1563. ad annos 12.

XXV. Martinus Schroff, ex oppido Phulendorff, electus 1575. duobus annis gubernavit.

XXVI. Leonardus Sutter, ex Brochenzel, factus abbas 1577. post sex annos resignavit.

XXVII. Matthias Insenbach, Ravenspurgensis, electus 1582. præfuit annis 13. ex Bucelino, quem interim legimus electum a coabbatibus Sueviæ provinciæ in visitatorem dictæ provinciæ monasteriorum die 5. Dec. an. 1592. eidemque vicariatum generalem in circaria Sueviæ & Bavariæ collatum a Johanne Despruetis ordinis Præmonstrat. generali abbate an. 1593.

C

XXVIII. Christianus Hablizel, Ravenspurgensis, primus abbas infulatus sedit annis tribus.

XXIX. Jacobus III. Mayer ex Hoff prope Ebersperg, creatus abbas 1599. præfuit annis 17. & mensibus quinque.

XXX. Christophorus Herdtlin iis meritis & virtutibus abbas, inquit Bucelinus, quem merito secutura posteritas præcipua grati significatione animi sit veneratura, præfuit annis 38. mensibus 3. ac diebus 16. mortuus 22. Sept. 1654.

D

XXXI. Bartholomæus Eberlin ex oppido Sulgen successit.

XXXII. Michael II. hodiernus abbas recensetur in Imperii Notitia auctore Jacobo Willelmo Im-Hoff edita 1687.

MARCHTALLUM.

INsigne ordin. Præmonstrat. monasterium in ejusdem nominis oppido, ad dextram Danubii fluminis e Suevia defluentis, Riedlingam inter & Ehingam oppida, & in decanatu Munderkingensi, conditum est in firmissima rupe, seu potius ex canonicorum collegio in cœnobium sub titulo SS. Petri & Pauli mutatum est sub annum 1170. ab Hugone III. comite Palatino Tubingensi, primis canonicis ex Rodensi cœnobio assumtis. In eo celebris est sepultura nobilium equitum de Stain, *seu* de Lapide, ut insignia eorum triginta sex tabulis adpicta fidem faciunt. Extat & ibi peculiare sacellum, in quo nobiles viri de Hoheneck suum habent reconditorium. Fuit autem olim præpositura tantum, deinde abbatia ab an. 1546. ex Auberto Miræo in chronico suo ordin. Præmonstr. sed longe antea ex dicendis; cujus abbas totius oppidi dominus audit, & inter prælatos scamni Suevici *directorium* obtinet.

E

Præpositorum Series.

I. EBerhardus obiit xv. cal. Aprilis an. 1178. post regimen annorum septem: sub cujus imagine talis est inscriptio. *Iste plantavit.*

II. Ulricus præfuit totidem annis, mortuus IV. cal. Maii anno 1185. Et hic habet eam inscriptionem: *Iste rigavit.*

III. Gerlocus cessit an. 1187.

IV. Manegoldus obiit an. 1201. postquam sedisset annis 14. cujus inscriptio talis est: *Bonum certamen certavi, quia plus omnibus laboravi.* Huic *Deus incrementum dedit.*

V. Menhardus abdicavit an. 1205.

VI. Henricus I. post annum unum in peregrinas insulas profectus est.

VII. Waltherus I. sedit ab anno 1206. ad 1213. quo præfectura dejectus est.

VIII. Rudigerus similem post duos annos fortunam sortitus est.

IX. Rodolfus rexit prudenter tredecim annis; sed postmodum lepra infectus cessit an. 1228.

X. Waltherus II. præclaris ædificiis monasterium decoravit. Obiit an. 1243. IV. cal. Febr. postquam præfuisset annis 14.

XI. Theodoricus, prudens œconomus, novem annis præfuit, defunctus an. 1252. VIII. calend. Junii.

XII. Fridericus unius anni regimen dimisit; Laurissamque se recepit, ubi spiritum reddidit.

XIII. Henricus II. obiit an. 1268. VII. cal. Decemb. cum ad clavum sedisset annos 14.

XIV. Conradus I. intra sex annos, quibus præfuit, 1273. consilio fratrum, monasterium sororum sub priorissa viventium, quod eidem Martalensi cœnobio conjunctum erat, abrogavit. Obiit anno seq. mense Aprili.

XV. Wernherus I. interiit mense Febr. anni 1283.

XVI. Engelherus post decem menses solummodo, universæ carnis viam ingressus est.

XVII. Bertholdus I. e Rothensi cœnobio postulatus an. 1284. decessit an. 1295.

XVIII. Henricus III. paralysi affectus post decem annos, totidemque hebdomadas cessit an. 1308.

XIX. Burcardus in pace quievit an. 1312.

XX. Sifridus moritur 1317.

XXI. Wernherus II. naturæ debitum solvit 1323.

XXII. Conradus II. cognomento *Wolck*; exuit hominem an. 1328.

XXIII. Bertholdus II. Steinerus defunctus est an. 1337.

XXIV. Conradus III. Gagirus e Rotensi cœnobio assumtus, præfuit annis septem, quo tempore;

tempore, anno scilicet 1344. in vigilia S. Catharinæ, Eberhardus comes de Wirtemberg villam Marchtallensem & omnes monasterii curtes incendio vastavit. A

XXV. Hermannus e vivis excessit an. 1347.

XXVI. Henricus IV. Walch animam exhalavit 1355.

XXVII. Eberhardus Griphius obiit feliciter 1361.

XXVIII. Ludovicus Leo, vir grandis staturæ, obiit 1383. sepultus in medio ecclesiæ.

XXIX. Stephanus Fœnerator præfuit annis duobus cum dimidio.

XXX. Jacobus I. Kupferschmid, Biberacensis, Stephano successit an. 1385. ad 1393. quo defunctus est. B

XXXI. Jacobus II. Klinger ex Riedlinga natus, optimus rector, devixit an. 1408.

Abbates.

I. Henricus I. Meerstéter, Ehingensis, electus fuit ultimus præpositus an. 1408. Deinde an. 1418. in concilio Constantiensi abbatiali dignitate insignitus est ad an. 1434. quo vivere desiit.

II. Albertus Arator, Tubingensis obiit an. 1461.

III. Jodocus Planck, Ehingensis, sedit annos 21. interim captus an. 1470. a satellitibus Eberhardi comitis de Wirtemberg, nec abire permissus, quin aureos mille Rhenenses numeraret. Obiit an. 1482. sepultus in medio ecclesiæ cum hoc epitaphio: C

C. quater, & semel M, duo des ad octuaginta
Vicesima sexta Maii quoque corruit ille
Jodocus abbas jacet hic in pace sepultus.

IV. Simon Gocz, Ehingensis, electus die S. Erasmi an. 1482. omnem ecclesiæ cultum studiose adauxit. Obiit an. 1514. die S. Mariæ Magdalenæ.

V. Johannes I. Haberkhalt, Uberlingensis, vir græcè & latinè non mediocriter doctus, eligitur abbas die S. Hermanni episc. an. 1514. obiitque 1518. D

VI. Henricus II. Stoltzlin electus an. 1518. præfuit laudabiliter annis 20. cumque pulcherrimis ædificiis exornasset monasterium, e medio sublatus est an. 1538.

VII. Johannes II. Gudinus, ex Uthonis villa natus rexit ab an. 1538. ad annum saltem 1550. intereaque pistrinum, infirmariam ædem, turrimque ad campanas capiendas ædificavit.

VIII. Johannes III. an. 1592. die 5. Dec. cum suis coabbatibus Sueviæ Matthiam Augiæminoris abbatem in visitatorem dictæ provinciæ monasteriorum elegit, quem & scriptis ad abbatem Præmonstrati generalem litteris 1593. obtinuit confirmari. E

IX. Nicolaus circa 1687. testante Jacobo Willelmo Im-Hof in Imperii Notitia edita hoc anno.

Quæ hic desiderantur in addendis quærenda sunt, datur enim sperandi locus fore ut intra paucos dies ad nos transmittantur.

ADELBERG.

Ordinis Præmonstratensis monasterium ad Rhenum in ducatu Wittenbergiæ, & in decanatu *Goppingensi* conditur anno 1181. a Volcknando barone de Stowfen & Ebersperg auspiciis Friderici I. imperatoris, qui hoc ipsum eodem anno in suam protectionem recepit, & cum fundatore decrevit ut ejusdem loci præpositus pontifici Romano daret aureum unum in signum & memoriam, quod illud claustrum defendi deberet & adjuvari ab ipso Pontifice, & ab illo qui futurus esset dominus de Stowfen, insuperque voluit, ut nullum haberet advocatum præter illum, qui tunc erat vel futurus esset dominus de Stowfen, nullumque subadvocatum, nisi quem præpositus & conventus de Adelberg eligeret. Hæc constant ex charta Friderici nostra in appendice relata; quibus sat concinit Bucelinus, dum ait fundatoris posteros jus advocatiæ certis conditionibus retinuisse; certis, inquam conditionibus, non absolute; nam uti legimus, cum ipse Volcknandus nomen advocati sibi voluisset adscribi & jus patronatus reservari, sicque famulos Dei tributarios fieri, canonici Præmonstratenses, quos ex Rothensi Sueviæ cœnobio ad inhabitandum conditum monasterium acciverat, maluere, neglecta tam onerosa & privilegiis ac praxi ordinis contraria donatione, ad Rothense cœnobium redire, quam jurisdictioni seculari subesse. Quo facto, ne pia fundatoris intentio intercideret, ex monasterio Roggenburgensi acciti sunt canonici Præmonstratenses: sed nec ii locum & donationem accipere voluere, nisi Wolcknandus ea quæ recte obtulisset, recte etiam divideret, & juri suo, quod in fundis ac bonis eidem cœnobio a se fundato collatis habebat, adeoque jurisdictioni renunciaret. Et certe post exstinctos Stowfenses barones, qui fuit advocatus, comes Wittenbergensis Eberardus promittit defensionem monasterii absque ulla exactione, vel gravi servitiorum extorsione, fateturque pro se & successoribus nullum sibi competere in prædictam ecclesiam jus advocatiæ, seu jurisdictionem, litteris datis 1291. XIV. cal. Septembris. Porro hujus monasterii immunitates confirmavere summi pontifices, Alexander III. an. 1181. & Urbanus V. 1365. Itemque Fredericus dux Sueviæ 1189. Henricus VII. imperator 1228. Adolfus imperator 1293. ac denique Albertus Romanorum rex an. 1300. Primi vero monasterii rectores, quemadmodum & in aliis plerisque ejusdem ordinis, solo præpositorum nomine donati sunt, abbates postmodum nuncupati.

Ch. xx. col. 479.

Aliquot abbates.

I. Ettelerus creatus abbas an. 1423. laudabiliter præfuit annis 20. defunctus anno 1443.

II. Theobaldus Lieher sedit annis 25. & obiit an. 1468.

III. Berchtoldus Dyrr abbas monasterii S. Udalrici in Adelberg, an. 1466. *forte* 1469. a

A gravaminibus sibi ab Ulrico Wittenbergensi comite illatis ad Paulum II. pontificem appellavit. Tum vero iidem abbas & comes ex hoc ipso loco sanctimoniales numero septemdecim, una cum abbatissa Ulrici prædictis comitis sorore in monasterium Zum-Lauffen ad Neccarum transtulere an. 1477. Obiit autem prædicta domina abbatissa, nomine Catharina an. 1497. cujus corpus ex Lauffen dioec. Herbipolensis Adelbergam translatum est. Sedit Berchtoldus annis 33. ac mortuus est 1501.

IV. Leonardus Dyrr juris utriusque doctor, monasterii præclarus pene a fundamentis restitutor, præfuit annis 37. obiitque 1538. post cujus B decessum cœnobium ab hæreticis vastatum fuit, ascetisque huc illuc dispersis, decennio vacavit sedes abbatialis.

V. Ludovicus Wernher an. 1547. confirmatus abbas a Carolo V. moritur die 5. Januarii anno 1565. quo exstincto pulsi denuo sunt monachi, novusque Augustanæ confessionis abbas intrusus.

VI. Christophorus Binder, primus ejusdem loci Augustanæ confessionis abbas constituitur, ejectis, qui pontificiam religionem retinebant; cui deinde alii & alii fanatica religione pares successerunt usque ad an. 1630. quo demum quasi C nova lux catholicis affulgere visa est per totam non solum Wirtenbergiam, sed & universam superiorem Germaniam; dum scilicet, prævalente Augustissimo imperatore Ferdinando II. ecclesiæ & monasteria superiori durante seculo ab hæreticis iniquissime subtracta & fraudulenter occupata, passim fuere in integrum restituta; utinam taliter in ævum duratura: sed heu! non multo post illa rursum eripuit famosa pax illa Westphalica *seu* Monasteriensis Cæsarem inter & Suecum anno 1648. stabilita; vigore cujus celeberrimum hoc Adelbergense cœnobium cum ceteris omnibus in toto ducatu Wirtenbergico constitutis suo D Principi manet in usus profanos adjudicatum; sive mutatum in ducale gymnasium, uti testatur Iselin in suo lexico universali. Ex quibus patet hoc inter vetera reponendum fuisse monasteria.

SORETHUM, *vulgo* SCHUSSENRIETUM.

HOc postremo nomine appellatur monasterium ordin. Præmonstratentis a Schussio præterfluente fluvio, qui prope Ereskirchium in lacum Acronium influit. Situm est in Suevia prope Alendorphum, arcem baronum de Khinngseck, uno milliari ab oppido Biberaco, in de- E canatu *Sulgen.* fuitque fundatum, & ex arce in monasterium conversum an. 1188. in honorem S. Mariæ Virg. ac S. Magni confessoris, a Berengario & Conrado baronibus de Schussenriedt equitibus auratis, quorum prior monachus etiam conversus ejusdem cœnobii sui factus esse legitur. Primi vero monachi ex Alba seu Minore-Augia missi sunt ab Ulrico de Thannen Augiensi præposito quarto.

SERIES PRÆPOSITORUM.

I. FRIDERICUS cum Berengario altero ex fundatoribus in uno tumulo positus est.

II. Mangoldus ex Rodensi cœnobio assumtus; Friderico successit; sub cujus regimine post obitum baronum de Schussenriedt vastatum est cœnobium & concrematum a Conrado quodam de Wartenberg, qui cum uxorem duxisset fundatorum sine masculis heredibus obeuntium sororem, bona cœnobio annexa ad se magis quam ad monachos hujus loci pertinere arbitrabatur. Mangoldus vero post quatuor annos præfecturæ, ad suum prius monasterium reversus est.

III. Menfridus ex Rockenburgo evocatus; tandem etiam illuc remeavit.

IV. Luitherus vir bonus & simplex, cum ad gubernandum cœnobium parum idoneus esset, mox a præpositurae clavo amotus est.

V. Burchardus ex Biberaco natus, doctrina conspicuus, ex hac præpositura ad Urspergensem transiit an. 1215. ac post decem annos & aliquot menses e vivis excessit an. 1226.

VI. Conradus I. patria Ulmensis, ex Rodo accitus, post tres annos decessit 1218.

VII. Menfridus, idem qui supra, præfuit iterum ac profuit annis duobus, tum cessit, ac tandem obiit 1224. Schussenriedi sepultus.

VIII. Rudolfus ex Augia-Minore, *seu* Weissenauw assumtus, negligenter præfuit duobus annis, & idcirco dejicitur an. 1222.

IX. Conradus II. ex Martalensi cœnobio accitus, vir prudens & admodum religiosus, cœnobium instauravit & ampliavit an. 1229. dejecto penitus veteri castro, quod baronum a Schussenried ac Wartemberg domicilium fuerat.

X. Hilbrandus, *sive* Hildebrandus Wilyn de Michelwynada, nobili genere natus.

XI. Albertus.

XII. Johannes I. Feserus, *seu* Fetzerus; vir nobilis.

XIII. Johannes II. cognomento Rubei-oris *Rottmundt*, e vivis excessit an. 1438.

XIV. Ortholphus Schorppius, *vel* Scharppius, optimus œconomus, efflavit animam an. 1441. cum tribus annis præfuisset.

ABBATES.

I. CONRADUS RAUBER ultimus præpositus electus an. 1441. interfuit concilio Basileensi, ubi consecutus est abbatis privilegia & ornamenta pontificalia. Rexit cum laude annis 34. defunctus 1475.

II. Petrus Fuchsius ex Martorffo, nobili Constantiensis episcopatus oppido, natus, successit Conrado secundus abbas, cumque annis sex præfuisset, obiit 1481.

III. Henricus Austrius, *al.* Oesterreicher, decretorum doctor post annos 25. regiminis, & dies decem, quo tempore novam a fundamentis basilicam exstruxit, quam & argentea supellectile insigniter locupletavit, hominem exuit an. 1505. 18. Aprilis.

IV. Johannes Wytmayer ex Mengensi oppido

Sueviæ natus, præfuit cum laude 39. annis, ac deinde senio confectus magistratu sese abdicavit an. 1544. post biennium defunctus XVI. cal. Augusti.

V. Gallus Molitorius *Muller*, patria Morsemburgius, *seu* Marispurgensis ad lacum Acronium, eligitur an. 1544. præmatura morte sublatus an. 1545. die festo S. Benedicti.

VI. Jacobus Rengerus ex Ravenspurgo, imperiali in Suevis civitate, natus, præfuit annis novem.

VII. Benedictus Wahl ex oppido Phulendorff.

VIII. Oswaldus Ascher ex oppido *Engen*, rexit annis 7. subita morte correptus 1582.

IX. Ludovicus Mangold ex pago Ruppetschweyler oriundus rexit laudabiliter annis 22. quo tempore una cum suis coabbatibus Sueviæ Matthiam Augiæ-Minoris abbatem in visitatorem monasteriorum Sueviæ elegit an. 1592. die 5. Dec. scriptisque litteris ad abbatem Præmonstrati generalem 1593. confirmari petiit & obtinuit. Ipsemet vero cum abbate Rothensi paulo antea provicarium ejusdem provinciæ egerat pro Martino Erman Augiæ-Minoris abbate vicario generali. Obiit 1604.

X. Christophorus Muller, Marispurgensis præfuit decem & octo mensibus.

XI. Martinus Dieterich, ex oppido Ehingen, electus 1606. 17. Maii, senio gravis resignavit, annis octo superstes, ad annum scilicet 1629.

XII. Matthæus Rorer, Biberacensis, electus anno ætatis suæ 26. novum a fundamentis conventum exstruxit. Exsul tandem cum suis, cogente bello Suecico, præfectura cessit. Quo tempore per Suecum & Gallum militem monasterii facta est desolatio an. 1632. die 13. Apr. sub quodam comite de Horn generali militiæ duce. Et hoc quidem monachorum exsilium per annos ferme 20. duravit, ut in suo itinerario testatur Augustinus tunc religiosus privatus, hujus & sequentis tragædiæ in pluribus testis oculatus, qui deinde fuit abbas.

XIII. Matthias Binder, Rothweilensis, jam sexagenarius, abbas creatus, præfuit annos duos, & menses tres, mortuus 17. Jan. 1656.

XIV. Augustus Arzet, Constantiensis, protonotarius apostolicus, in exsilio substitit privatus religiosus ab an. 1632. per annos ferme viginti, ut supra diximus, quo tempore cum duobus domicellis, sub cura sua positis primo in Italiam, tum in Lotharingiam & Galliam, ac demum in Hispaniam profectus est; usquedum pace publica restituta cœnobium repetiit; indeque Biberacum a magistratu postulatus, eo in oppido imperiali pastorem animarum agens, per aliquot annos summo cum fructu prædicavit. At vero paulo post in abbatem eligitur, sub quo monasterium, quod paulo ante insigniter exstructum erat, funesto incendio in cineres abiit die 13. Januar. 1657. Sed mox ille suo muneri intentus, rem domesticam ita paulatim in temporalibus & spiritualibus restituit, ut alter cœnobii fundator appellari meruerit. Obiit die 1. Julii an. 1666. ætatis suæ 62. regiminis abbatialis 10. cum dimidio, vicariatus per Sueviam, Alsatiam & Grysoniam septimo. Jacet in domo capitulari; cujus monumento honorificum epitaphium appositum est.

XV. Bernardus Henlin ex Steinhausen prope Sorethum oriundus, antea parochus in Stafflangen, ac tempore belli Suecici in exercitu Regis catholici præco campestris per 15. annos, salutatur abbas die 5. Julii an. 1666. vir in suos omnino beneficus, qui tandem plenus dierum obdormivit in Domino die 14. Maii 1673. sepultusque est in loco capitulari prope abbatem Augustinum.

XVI. Vincentius Schwab, Constantiensis, & ipse ante electionem parochus in Stafflangen, præfuit decem annis; longiorisque pertæsus regiminis resignavit die 10. Maii an. 1683.

XVII. Tiberius Mangold, Hangensis, ex fratre pronepos Ludovici, hujus ecclesiæ abbatis, electus est eodem die & anno, quo decessor abdicavit. Fuit antea subprior, ætate, professione & sacerdotio in toto conventu novissimus, sed vitæ probitate & scientiæ splendore, ceterisque dotibus præ omnibus maxime idoneus. Præfecturam nihilominus, quam 27. annis maxima cum laude administravit, libere dimisit an. 1710. die 27. Octob. ac demum sexto post anno animam efflavit in Eggmansried die 24. Maii 1716. ætatis suæ 61. sepultus Sorethi in loco capitulari.

XVIII. Innocentius Faber, Reichenbacensis, e territorio Sorethano, eodem die & anno, quo decessor ejus resignavit, in abbatem eligitur, cum esset annorum prope 63. Ecclesiam Sorethanam novis & perpulcris altaribus exornavit, odeoque & sedilibus decentissimis instruxit; sacristiam quoque vasis argenteis, ornamentis, ceterisque mobilibus, ac pretiosa supellectile locupletavit; atque ut erat eximio in S. Vincentium martyrem affectu, ejus venerationi augendæ, sacrum ejus corpus pretiosa hierotheca ex auro, gemmisque fulgente vestiri curavit. Bibliothecam optimis quibusque libris auxit, ædes parochiales in Ogelzhausen & Otterschwang a fundamentis excitavit & ecclesiam B. V. Mariæ novam & insignem in Eberhardtzell ædificavit. Senio tandem confectus obiit die 25. Sept. an. 1719. ætatis suæ 72. regiminis nono, sepultusque est in loco capitulari.

XIX. Didacus Strobele, Biberacensis, vir præstantissimus, successit, & hactenus feliciter præest.

RUTI, *sive* RUTTI.

ORD. Præm. cœnobium in agro Tigurino & in decanatu Wetzighaim, una hora distans ab urbe Raperswil, fundatur circa 1208. a Luitoldo barone de Regensberg, Grueningæ domino, quod postea locupletarunt comites Toggenburgenses, qui sepulturam illic suam elegerunt, aliique plures nobiles, ex annalibus Heremi. Anno vero 1525. profanatum est, & ab eo tempore ab Ambtmanno Tigurino administratur; & anno demum 1706. die 3. Dec. flammis absumtum est. Ita Iselin in lexico suo universali

Basileæ 1727. Germanice typis impresso; ex quibus intelligas hoc inter vetera reponendum fuisse monasteria.

Hujus abbas monasterii Reutensis Godefridus anno 1421. fuit exsecutor bullæ Martini V. in gratiam monasterii Maris-stellæ.

Hic adtexere visum est unam veterem abbatiam omissam in diœcesi Moguntina, nempe

S. BLASII IN NORTHEIM

A FUndatam in honorem S. Salvatoris, & ejusdem matris, necnon S. Blasii episcopi & mart. an. 1050. ab Othone Magno Saxoniæ & Bavariæ duce, comite Northeimensi & uxore ejus Richenza Henrici III. imper. filia: quam abbatiam cum an. 1128. per Adolfum comitem de Dassel hostiliter combusta fuisset, Sigfridus fundatoris nepos comes de Boumeneburg, Henrici ducis Saxoniæ frater de novo struxit, & innovationem fundationis ac privilegiorum apud Marcolfum archiepisc. Mogunt. impetravit. Præfatus etiam Adolfus pœnitentia ductus, templum restauravit B & plumbo texit. Obiit Otho fundator III. idus Jan. an. 1083. Deinde hoc monasterium accessit an. 1464. ad congregationem Bursfeldensem; sed, heu! jam an. 1570. plurimum patiebatur, donec tandem ad seculares transiit.

Series Abbatum.

I. WARAMUNDUS I. obiit 1086.
II. Otgarius mœrore exstinctus est post incendium an. 1128.
III. Waramundus II. ob. 1147.
IV. Wicelinus moritur 1154.
V. Beringerus ob. 1161.
VI. Regenhardus ob. 1168.
VII. Hadamarus ob. 1176.
VIII. Egilo ob. 1178.
IX. Knothardus ob. 1192.
X. Udalricus ob. 1197.
XI. Henricus I. ob. 1200.
XII. Adolfus ob. 1202.
XIII. Hermannus I. ob. 1210.
XIV. Richardus ob. 1214.
XV. Bartholdus I. ob. 1217.
XVI. Hermannus II. ob. 1221.
XVII. Ernestus I. ob. 1224.
XVIII. Alexander ob. 1245.
XIX. Everhardus ob. 1253.
XX. Henricus II. ob. 1268.
XXI. Theodoricus I. ob. 1295.
XXII. Bartholdus II. ob. 1301.
XXIII. Albertus ob. 1303.
XXIV. Bartholdus III. ob. 1313.
XXV. Henricus III. eodem anno exstinctus.
XXVI. Ernestus II. an. 1325.
XXVII. Henricus IV. ob. 1337.
XXVIII. Hermannus III. ob. 1344.
XXIX. Eckbertus ob. 1351.
XXX. Henricus V. ob. 1389.
XXXI. Johannes I. ob. 1399.
XXXII. Johannes II. ob. 1407.
XXXIII. Theodoricus II. ob. 1415.
XXXIV. Johannes III. ob. 1418.
XXXV. Theodoricus III. patria Mundensis an. 1424. præfuit cum aliis abbatibus ordinis capitulo provinciali in monasterio S. Stephani apud Herbipolim celebrato, ex Trithemio. Obiit vero 1432.
XXXVI. Wasmodus ob. 1443.
XXXVII. Henricus VI. ob. 1457.
XXXVIII. Johannes IV. ob. 1463.
XXXIX. Henricus VII. ob. 1477.
XL. Wernherus ob. 1480.
XLI. Bernardus an. 1496. præfuit cum aliis abbatibus capitulo provinciali apud Seligenstat; quem Trithemius memoriæ prodit alchimiæ deditum ante sex fere annos, monasterium suum in decem florenorum millibus obligatum reliquisse. Decessit hoc anno 1496.
XLII. Bartholdus IV. ob. 1506.
XLIII. Henricus VIII. ob. 1523.
XLIV. Bartholdus V. ob. 1530.
XLV. Henricus IX. ob. 1548.
XLVI. Johannes V. Beckmann, sub cujus C regimine Ericus dux Brunsvicensis monasterium senatui Northeimensi oppignoravit pro septem millibus talerorum Joachimicorum, unde abbas relictis aliquot fratribus cedere coactus fuit; & Hildesii exsulans anno 1570. postulatur ad monasterium Clusense, ubi abbas anno 1572. decessit.
XLVII. Jacobus Bruns anno 1575. abbas electus & ipse ob nimias persecutiones cedere coactus in monasterio S. Michaëlis Hildesiano delituit, ubi etiam senex vitam finivit an. 1616. Vacavit deinceps abbatia, donec Ferdinandus II. D imp. edito promulgato de restitutione bonorum ecclesiasticorum, alia inter, hoc etiam monasterium an. 1629. die 9. Septemb. recuperaretur. Unde & eodem anno, 4. Octob. per deputatos ordinis & congregationis Bursfeldensis eligitur & ex monasterio S. Godehardi Hildesiano postulatur
XLVIII. Franciscus Molitor, qui obtenta licet Imperatoris protectione & archiepisc. Moguntinensis confirmatione, turbato imperio, post publicæ pacis Monasteriensis instrumentum, ad suum professionis monasterium redire coactus, ibidem superstes an. 1662. morabatur.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA AD TOMUM V. GALLIÆ CHRISTIANÆ IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ, SPECTANTIA.

QUÆ PERTINENT AD PROVINCIAM MECHLINIENSEM.

Ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis instrumenta.

I.

Miraei nova edit. pag. 151. *Diploma Balduini Pii seu Insulani Flandriæ comitis, quo Einhamensem abbatiam ad Scaldim prope Aldenardam Flandriæ oppidum fundat, seu potius restaurat an. 1063.*

1063. BALDUINUS gratia Dei Flandrensium princeps Walberto abbati, & successoribus ejus, salutem in Domino. Rerum omnium principium & auctor Deus est, & unus verè princeps & dominator. Is æterno consilio & altissima providentia ita rempublicam ordinavit suam, ut etiam in cælestibus angelis alii præsint aliis, & inter terrenos mortales alii principentur, subjecti sint alii.

Nempe invisibilem sui arbitrii deliberationem per visibilia administrat officia principum, qui ejus vel placito, vel permissu ordinantur ad potestatem, secundum sacram divinæ scripturæ doctrinam. Ad hoc leges institutæ, jura, vindictæ & auctoritates, quarum rerum aut copia populi feliciter reguntur, aut inopia misere pessumdantur.

Cum igitur nostra nihil horum nobis comparaverint merita, ordinante tamen divina gratia, imperii principatum sortiti sumus Flandriarum, & horum qui in circuitu sunt finium, atque ne secundum nostræ mediocritatis modum auctori vitæ nostræ & perfunctionis ingrati reperiamur, tum ceteris ecclesiis, tum & ei cui te præfecimus legaliter, sicut abbates constituere jus est & mos, consulentes, sedulo providemus, ut quod facimus ratum sit & firmum, ô dilecte & fidelis noster Walberte.

Damus igitur tibi tum abbatiam de Eiham, tum etiam res, quæ infra dicentur, solemni dono, & hac pariter scriptura investimus, ut post geminam investituram nihil sit, quod infirmare possit, & chartæ hujus auctoritas sit tibi & successoribus tuis, & abbatiæ tuæ validissimum munimen, & defensio adversus omnem vel manum vel linguam, in omni nostra terra & ditione, & ubique nunc, & ultra.

Damus porro tibi, & scripto confirmamus Eiham antiquum castellum, sicut nos recepimus de manu Herimanni comitis, & sicut nos hactenus quiete & solide tenemus, & aquam totam cum toto teloneo, & cum sex mansis de terra arabili, sicut sunt siti & positi vel pariter vel separatim, pertinent tamen ad ipsum alodium: pasturam etiam totius clivi, id est, devexi montis; quod ab Orientali plaga, post æquidium autumnale, ipsas ecclesias respicit, & extensum porrigitur in austrum, & cæsuram, ubi fruteta occurrunt ruricolis, ad ædificandas sepes; dimidiam quoque decimam de ecclesia S. Vedasti de inferiori Eiham; ad Duysbekam tria curtilia vestita, &

A tres mansos de terra arabili, & dimidium; ad Marcam duo curtilia vestita, & octodecim bunarios de terra, & partem prati de eleemosyna Arnulphi; ad Swalmam unum curtile vestitum & octo bunarios terræ, cum dimidia aqua & dimidio molendino; ad *Eppingenhem* unum curtile vestitum & sex bunarios terræ; ad Busmarias quatuor curtilia, & quindecim bunaria inter terram & pratum cum terra Machelmi, quam tenet de eleemosyna uxoris meæ Adelæ: in Flandris quatuor ovilia instaurata pascuis, in loco videlicet qui Paradisus nuncupatur, nunc *Provise* dictus, quem claudit Fledum, quod dicunt Holdfledum; in Pago Atrebatensi ecclesiam de Asilogiis, cum omni decima, quæ ad ipsam

B ecclesiam pertinet, excepta ea, quæ altare sequitur; item de eleemosyna conjugis meæ.

Ex auctoritate igitur potestatis nostræ præcipimus per omnem terram nostram & ditionem, ne quisquam de his omnibus tibi aut sancto loco quidquam detrahere præsumat, vel sibi ullatenus mancipare. Et hoc itidem per bannum nostrum interminamus: quod si quisquam contra Deum & bannum nostrum facere præsumpserit, pro banno, vel mihi, vel heredi meo duodecim marcas auri persolvet, restituens sancto loco, & tibi, vel successori tuo capitale; insuper pro suo commisso decem libris additis. Actum apud Insulam in præsentia magnatum nostrorum.

C *Abbatum.* Erckenbaldi Atrebatensis, Fulconis Corbeiensis, Bovonis de S. Bertino.

Nobilium. Hugonis & Arnulphi de Aldenarda, Raingodi de Ganda, & Gerardi, & aliorum, anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo sexagesimo tertio, indictione prima, regnante Philippo annis jam duobus.

II.

Gerardus II. Camerac. episc. altare de Huneghem cum appenditiis, dat abbatiæ de Declivio Gerardimontem translatæ. Extat apud Miraeum nova edit. pag. 513.

D IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gerardus secundus humilis Cameracensium episcopus 1081. cunctis fidelibus utriusque vitæ. Officii nostri dictatione & prædecessorum nostrorum monemur auctoritate ecclesiarum incrementis pastorali cura invigilare; eapropter abbatiæ de Declivio in Gerardimontem translatæ propter indigentiam loci, altare de Huneghem cum appendiciis suis eodem scilicet Gerardimonte & Boulario liberum sine persona & obsoniis, petitionibus Roberti junioris comitis Flandriæ & Stephani de Boular acquiescentes tradidimus, ita sane ut abbatia in præfato Gerardimonte sita omnimodam libertatem cuilibet abbatiæ congruentem habeat, ibique quicquid juris

parrochialis tam in sepultura quam in baptisterio & reconciliationibus a parrochiali sacerdote celebretur. Ut autem hæc nostra donatio inconvulsa & rata in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione, anathematis percussione, & fidelium attestatione firmamus:

S. GUATERI BRACHBATENSIS archidiac.

S. THEODORICI archidiaconi.

S. DERLEBOLDI præpositi.

SS. GALTERI & ADAM abbatum.

SS. ROBERTI comitis, BALDUINI, GERBODI & STEPHANI DE BOULAR.

Actum in eodem oppido anno Verbi Incarnati M. LXXXI. indictione IV.

III.

Diploma Henrici III. Brabantiæ comitis pro Affligemiensi cœnobio.

1086. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Divina propitiante clementia Brachbatensis patriæ comes & advocatus, omnibus tam præsentibus quam futuris fidelibus. Notum vobis facimus, qualiter miles quidam meus Gerardus nomine, cum aliis quibusdam, quos æque Divina gratia & prævenit & subsecuta est, balteo militari deposito, ut meliorem invenirent hereditatem, militiam Jesu Christi professi sunt, & in comitatu meo, loco ab antiquis Hafflingem vocato, modo autem Novo-monasterio appellato, habitationem saltuosam adhuc & desertam elegerunt, ut quanto amplius remoti a secularibus, tanto sub regula beati Benedicti Deo servirent familiarius. Erexerunt autem ecclesiam in honore B. Petri Apostolorum principis, ut ubi antea erat spelunca latronum, habitatio inciperet tandem rectè viventium; & qui erat locus rapinæ & homicidii, mutaretur in possessionem pacis & fructus eleemosynarum. Quoniam vero locus ipse ad comitatum nostrum hereditario jure videbatur pertinere, ego fraterque meus Godefridus, ab eisdem exorati fratribus, de allodio nostro, quod ibi juxta in villa, quæ dicitur Asca, tenuimus, XX. mansos usui nostro subtraximus & pro remedio animarum nostrarum, omniumque antecessorum nostrorum, legitimè & ex toto liberè, ad altare ipsius ecclesiæ tradidimus. Præterea quoniam sæpissimè probata valdè nobis placuerit militaris eorum industria, tam pro seculari eorum amicitia, quam pro remuneratione Divina, de eodem alodio adjacente, & ad servitium nostrum remanente, in silvis & pratis, in campis & pascuis, in piscationibus & venationibus omnem eis usum habere nobiscum.* Ut autem per amplius beneficium, majus ad Dei servitium cresceret eis desiderium, capellam nostram liberam in Wuavera subteriùs sitam, cum tota decimatione superioris ecclesiæ, cum debita instituendi presbyteri subjectione, cum terris insuper aliquibus nostræ culturæ subsistentibus, cum teloneo & maceria, cum molendinis, & curribus ad nos in eadem villa pertinentibus huic traditioni legitimè addidimus. Quod si, ut verè de misericordia Dei præsumimus, ad meritum eorum accesserit & numerus, abbatem eligere, baculumque super altare positum ipsi committere, nullo principe, nullo episcopo contradicente, in eorum erit potestate, quatenus secundum eorum regulam eligatur, qui eligendus est, & per ostium Jesu Christi ingrediatur qui ordinatus est, remota omni aliena contradictione, & suspecta occasione. Nos vero de aliqua sibi illata injuria, si appellare voluerint, quasi pro animabus nostris, pro eis nos exponemus, nec quicquam aliud de loco illo nisi orationes fratrum, & Dei retributionem accipere volumus. Et ut hæc nostra traditio vel conditio omnibus retro fæculis rata & inconvulsa permaneat, carta & atramento rem uti est, notamus & roboramus. Ante omnia Dominum omnipotentem & sanctos ejus citamus, & fideles nostros, qui huic traditioni interfuerunt, idoneos testes subterfignamus. Steppo Brussellensis, & frater ejus Valterus, Balduinus de Alost, Gerardus de Cumbersaca, Adalbertus Snakart, Theodericus de Budengem, Anselmus de Erpe, Sigerus frater ejus, Herebrand de Hordingoschen, Folcardus & Godescalcus filii ejus, Ingelbertus Kalvarstert, Sigerus Anderlechtensis, Onulfus de Milverschem, Gislebertus de Laca, Arnulfus & Obertus de Ordengehem, Henricus Cameracensis ecclesiæ canonicus, &c. Actum est hoc anno ab Incarnat. Dom. M. LXXXVI. regni vero Henrici regis XXXV.* præsulatus Gerardi episc. X. *Exstat apud Miræum, novæ editionis, pag. 73.*

* deest *indulsimus* vel quid simile.

* *melius* XXXIII. Is erat Henricus IV. anno 1054. mense Junio Rex coronatus Aquisgrani.

IV.

Diploma Godefridi Barbati, quo fundat, dotatque anno Christi 1129. Parchense cœnobium.

Mir. nova edit. p. 90.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia nova quæ veteribus succedunt ipsa vetustatis facta oblivisci nos faciunt: notum volumus fieri tam præsentibus, quam futuris, quod Godefridus dux Lotharingiæ, idem & marchio & comes, tam pro salute sua quam suorum, silvulam in australi parte Lovaniæ sitam, quam fossato, & vallo clausam ferali lustro deputaverat, Deo inspirante, in meliores usus volens convertere, annuentibus filiis suis G. & H. fratri Galtero abbati ecclesiæ B. Martini de suburbio Laudun. civitatis, & fratribus suis secundum regulam B. Augustini viventibus, ad construendam in ea ecclesiam, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, perpetuo possidendam donaverit, hoc etiam impetrante Tietdelino villico cum uxore sua, qui omnia quæ infra ejusdem loci ambitum possidebat, scilicet tam molendinum, quam terras adjacentes, ad opus eorumdem fratrum annuentibus heredibus suis, in manu Ducis reddidit, hoc interposito, quod quandiu ipse, & uxor ejus superessent, beneficia quædam, si vellent, in usus suos retinerent, sic tamen ut post obitum utriusque, fratres ecclesiæ sanctæ Mariæ nulli ex heredibus suis aliquid de omnibus, quæ infra prædicti loci terminum continentur, rependerent. Hoc autem factum est assensu domini Alexandri Leodiensis episcopi, qui eundem locum, per decanum suum aquæ benedictæ aspersione visitavit, & prædicto abbati & fratribus suis basilicam in honore sanctæ Dei genitricis ibidem ædificandi licentiam dedit. Deinde vero ut præfatus locus ab omni parochiali jure liber esset, & fratres qui pro salute animarum suarum ad eam convenerint in libertate filiorum, soli Deo vacarent, canonicos S. Petri Lovan. ecclesiæ, & fratres ecclesiæ sanctæ Mariæ, ipse Dux perpetua pace composuit. Nam pro decima termini Lovaniensis parochiæ, qui claudebatur hoc præcinctu, & pro decima omnium, quæ ibi haberentur, ecclesiæ Lovaniensi singulis annis de suo allodio in villa quæ dicitur Hulsebeeck, tres solidos & sex denarios contulit, hoc apposito, ut neque fratres sui aliquem de parochianis Lovaniensis ecclesiæ, postquam inciderit in lectum ægritudinis, sive aliquem de mortuis ejusdem ecclesiæ sepeliendum acciperent, vel aliquid sibi usurparent de jure præfatæ ecclesiæ, nisi ex consensu præpositi, sive canonicorum, vel parochialis sacerdotis, ad quos parochiale pertinet beneficium. Ut autem inter utraque monasteria charitas intemerata permaneret, fratres ecclesiæ S. Petri & fratres cœnobii S. Mariæ, hoc debitæ charitatis se vinculo invicem conjunxerunt, ut quicumque canonicus alterius loci mortis debitum solveret, fratres loci alterius pro illo eadem quæ pro uno suorum fratre tam in vigiliis, quam in missarum solemniis celebrarent officia. Hæc autem fuit conditio inter ducem & præfatum abbatem S. Martini de prædicto loco, dum annuente Deo, & beatæ virginis prosperantibus meritis, idem locus conventum duodecim canonicorum sustinere poterit, fratres ibidem permansuri abbatem de professione Laudunensis ecclesiæ canonice eligent, & postea ab obedientia abbatis S. Martini erunt soluti, nisi forte instigante diabolo, abbas ecclesiæ

ecclesiæ S. Mariæ a regulæ suæ tramite, vel consuetudine Laudunensis cœnobii deviaverit, habebit eum abbas Laudunensis secundum institutionem ordinis sui corrigere. Post liberam vero, & canonicam abbatis sui electionem fratres ecclesiæ S. Mariæ gratuitum ducis Lovaniensis postulabunt assensum; deinde vero abbas electus virgam pastoralem ab altari ecclesiæ S. Mariæ accipiet, & a fratribus suis episcopo Leodiensi consecrandus præsentabitur. Hæc itaque facta sunt Lovaniæ, & confirmata anno Incarnationis Domini M. C. XXIX. indictione VII. his, quorum nomina subscripta sunt testibus. Signum Sigeri præpositi, S. Onekini presbyteri, S. magistri Rekesonis, S. Rodulphi capellani, S. Regenbaldi presbyteri, S. Walteri subdiaconi, S. Everardi subdiaconi, S. magistri Menisonis, S. Henrici castellani, S. Arnulphi Grimbergensis, S. Gerardi Grimbergensis, S. Gosuini de Heverle, S. Arnulphi dapiferi, & fratrum suorum Wilhelmi, Walteri, S. Reysonis, S. Henrici, S. Tietdelini villici, S. Gilleberti, S. Ronulfi, S. Franconis castellani.

Hanc chartam Alexander episc. Leod. confirmavit anno 1131.

V.

Exordium ecclesiæ Ninivensis.

1137. ANno Domini M. C. XXXVII. in festo S. Martini episcopi, tres canonici in oppido Ninivensi vestem veterem, vestem secularem in vestem religionis mutantes, Præmonstratensis ordinis habitum induerunt. Erat autem hoc tempore oppidi Niniv. advocatus Gerardus vir nobilis, cognomento Constabularius, Amelrici Flandriæ constabularii filius, qui similem sibi in generositate sortitus est uxorem nomine Gislam, & de ea duas genuit filias, Mathildem de Ninive & Ermengardem de Voma; at eadem Gisla susceptis hæredibus, mortifera correpta infirmitate morti appropinquabat, quam abbatissa de Ghileghem visitans, cognata sua, ut ibi post mortem sepelienda deferretur, obnixe postulabat. Gisla vero jam mortua, abbatissæ postulatio penitus cassatur: nam domino Gerardo potissimum placuit ecclesiam suam & uxoris honorare tumulo ac liberalitatis suæ sublevare beneficio, quo intuitu, cum in eadem ecclesia tres essent canonici, quartum superaddere disposuit; ejus illico præbendæ ob æternam suæ uxoris habendam memoriam, decimam de Herlinchove assignans, & ecclesiæ Ninivensi in perpetuam eleemosynam condonans, sed Dei disponente providentia, quia eo tempore tertius canonicus morte fortuito subtractus erat, & ejus præbenda cum quarta nuper instaurata adhuc vacabat, cœpit unus canonicus nomine Balduinus, cognomento Wala, nam alter Oiptus dicebatur, sæpe dicto Gerardo persuadere quatenus fundandæ intenderet abbatiæ, maxime cum duabus vacantibus, suam paratus esset præbendam adhibere, quibus in hoc sancto proposito devote concordantibus, placuit fratres Præmonstratensis ordinis esse advocandos, quorum suavissima conversationis opinio grata Deo, & plurimum commendabilis videbatur mundo; missa itaque legatione, Parcensem abbatem nomine Symonem advocarunt, qui omnia parata inveniens, & locum videns canonicis regularibus aptum, in spiritu exultationis domum reversus, sanctuarium sanctæ congregationis septiformi gratia sancti Spiritus confovendum in septenario fratrum numero transmisit anno M. C. XXXVII. in festo sancti Martini, ut dixi, quibus ex unanimi omnium consensu domnus Gislebertus Laudunensis canonicus religione, scientia & moribus plurimum adornatus, in conversione sancti Pauli primus abbas constituitur. Hujus abbatis tempore fundata est curia nostra de Rubrouc, ubi sæpe dictus Gerardus, qui jam fratribus relaxaverat sextam gerbam de omni terra quam in parochia de Herlinchove quoquo pacto possent acquirere, etiam septem bonaria terræ adjecit, cum in eo tempore domnus Woltemus Jettensis & Liedelkerkensis ecclesiæ abbas vir opinatissimus defunctus esset, Joannes de Aloft apud Liedelkerkam tunc temporis dominium obtinens, accersito domino G. nostro abbate Liederkerkensem ecclesiam & decimam de Meys cum cæteris appendiciis suis, videlicet Lombeke & Strithem nobis in eleemosynam tradidit, & episcopali auctoritate confirmari obtinuit, nempe tam Liedkerkensi quam Jetthensi ecclesia existente libera, neutra alteri subjecta erat.

Anno Domini M. C. XXXVIII. Nicolaus Cameracensis episcopus, episcopatus sui anno secundo abbati nostro omnino remittit & successoribus suis quidquid obsequii ad honorem suæ dignitatis attinebat, excepto quod semel in anno, si tamen præmonitus fuerit, ad synodum venire curabit; talem quoque libertatem ecclesiæ nostræ concedit, quatenus abbas electus ad consecrandum iturus, baculum pastoralem super altari propria manu acciperet. Quatuor vero piscatorias in Tenera tendiculas quas vulgo Gueren nominamus, & alodium de Roeslaer sua nobis auctoritate confirmat cum cæteris cunque eleemosynis a prædicto domino Gerardo nobis traditis.

Anno Domini M. C. XLI. apud Ninivem ad conversionem venit celebris memoriæ dominus Arnoldus septem liberalibus artibus adprime imbutus, imo in omni scientia tam seculari quam divina plane melioribus præferendus: de quo verissime dicitur plusquam laudatur, est quod laudetur in ipso qui in sancta religione fere cunctis mortalibus præferendus post conversionis annum prioratum adipiscitur, quem probabiliter per XLV. annos rexit, & ad meliorem statum provexit, donec vocem sibi dicentem audivit, amice ascende superius, hunc cum pluribus amicis secuti sunt ad conversionem una soror & duo fratres quorum alter Damianus nomine, adeo in litteratura & præcipue in musica clarus effulsit, ut sanctorum cantus ab ipso compositi, raptim a vicinis ecclesiis peterentur, & præ suavitate melodiæ usque in præsens ab ipsis inexplebili aviditate frequententur; sanctorum quoque patronorum nostrorum Cornelii videlicet & Cypriani proprium cantum composuit, quem usque in hodiernum diem in conventu recolentes, ejus suavitatem omni laude complectendam & admiratione dignam judicamus.

Explicit exordium Ninivense.

VI.

Confirmatio fundationis Ninoviensis ab episcopo Cameracensi.

Ex chartul. Ninovensi.

1139. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Nicolaus Dei gratia Cameracensis ecclesiæ episcopus, quia propitiante Domino, pontificali cathedræ licet indigni præsidemus: etsi omnibus in communi nostræ diœceseos fidelibus generalem curam debemus; illis tamen qui felici naufragio abjecta seculari sarcina de mundi hujus fluctuante pelago, ad tranquillum & placidum contemplationis portum enataverunt, speciali dilectionis & sollicitudinis necessitudine obligamur, ut & ex nostris eis prodesse & aliorum erga eos liberalitatum libertatem approbare & firmare studeamus, quatenus pia vicissitudine de orationibus eorum aliquod imperfectioni nostræ subsidium comparemus. Igitur tam præsentibus quam futuris notum facimus, quod ecclesiæ de Ninive quam cum altari & atrio atque omnibus appenditiis suis piæ memoriæ prædecessor noster Burchardus Amelrici constabularii Flandrensis cæterorumque participantium devotissima petitione liberam & ab omnimoda exactione quietam effecerat, quicquid in futurum concessione principum, oblatione fidelium, sive aliis quibuscunque justis modis canonice poterit adipisci possidere gratanter annuimus; porro quoniam jacula prævisa minus lædunt, præfatæ fratres ecclesiæ, secundum apostolicam institutionem atque tenorem Præmonstrati ordinis degentes, ne deinceps posterorum infestatione, sive quorumcunque sacrilega cavillatione inquietari, requietionis suæ

amœnitate priventur, non inconsulte decernimus quædam beneficia privilegio commendari, quæ nullatenus ab ecclesiastico jure convenit alienari; siquidem Gerardus liberalis vir, supra memorati Amelrici filius, in omnibus aquis, quas ipse proprie & libere possidet, exceptis solummodo vivariis suis gratuita largitate fratribus piscationem perpetualiter concessit; addidit etiam idem Gerardus piscatorias tendiculas, quatuor quas vulgo Vieria nominamus, curtim quoque de Nederwiic & circumjacentia ejus, quæ post decessum cujusdam dominæ ipsi Gerardo & participantibus ejus jure propinquitatis debebantur, ipse & participes sui devotissima voluntate prædictæ ecclesiæ contulerunt. Interea quæ jam diximus, prænominatus Gerardus duas partes totius decimæ apud villam quæ Herlinchof dicitur, quam hæreditarie possidebat, sedem quoque molendini subter præfatam villam & pratum secus Teneram, territorium de Wintresdala & adjacentia ejus, pratum videlicet & nemus & alodium de Roeselaer, eidem dedit ecclesiæ solo supernæ remunerationis intuitu. Manifestum autem fieri volumus quod quædam venerabilis femina nomine Ermentrudis, absque ullo transitoriæ commutationis respectu, benivolo assensu liberorum suorum dimidiam partem molendini, quod prope atrium ecclesiæ Ninivensis constructum est, & quinque mansos contiguos atrio, alodium quoque de Roeselaer totiens dictæ ecclesiæ cum nemusculo de Steinbeca donavit. Nos vero de statu religionis & ordinis integritate quamplurimum gratulantes, ne claustralium pacem turbare potius, quam nutrire videamur, domino Gilberto abbati Ninivensi & successoribus ejus quicquid obsequii nostræ dignitatis ad honorem attinet omnino remittimus, excepto quod semel in anno, si tamen præmonitus fuerit ad synodum venire curabit; item ecclesiæ beatorum martyrum Christi Cornelii & Cypriani hujusmodi libertatem concedimus, quatenus abbas electus ad consecrandum iturus, baculum pastoralem super altari propria manu accipiat. Contigit aliquotiens ut alicui infirmitate detento & volenti converti prohibitio presbyteri sui obviaret: quod quia contrarium beati Augustini regulæ videtur dicenti, suscipite infirmos, omnibus infra nostri episcopatus terminos simile quærentibus benigne concedimus ut ad ecclesiam Ninivensem indubitanter se transferant. Si autem principis provinciæ sive cujuscumque forefacto regio fuerit imbanita, remotis excommunicatis divinum in ecclesia permittimus officium celebrari; nos quidem ex injuncto nobis officio quicquid reverendissimi patres nostri Honorius atque Innocentius religiose decreverunt, viva voce prædicare debemus. Interdicimus itaque ex apostolica auctoritate, ne in ecclesia Ninivensi in qua fratres vitam canonicam professi degunt, ulli omnino hominum liceat secundum beati Augustini regulam ibidem constitutam commutare, nullus etiam episcoporum futuris temporibus audeat inde fratrem abducere, nec professus quisquam ex eadem ecclesia aut claustro præsumat sine communi congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus episcoporum, nullus abbatum, nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipere. Statuimus etiam ut nulli liceat eandem ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur regularium fratrum & pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona alienare ab ecclesia quidquam, quod legitime possidet, præsumpserit, si non satisfactione secundo tertiove commonita congrue emendaverit, in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eidem ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Sancimus etiam ut pro Gerardo ejusdem ecclesiæ fundatore & constructore in eadem ecclesia jugis memoria in orationibus perpetualiter habeatur. Signum Theoderici ejusdem abbatiæ archidiaconi, sig. Alardi, Theoderici archidiaconorum, sig. Guidonis præpositi, sig. Gerardi decani & archidiaconi, Guidonis, Valterii, Guirimboldi, item Guirimboldi, Hugonis, item Hugonis, Bartholomæi, Eustachii, Erivaldi, Radulfi canonicorum. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXIX. ind. prima* præsulatus domni Nicolai secundo.* Ego Guirimboldus cancellarius recensui. *2. *3.

Hæc charta contractior exstat apud Miræum notit. eccles. Belgii, pag. 374.

VII.

Nicolaus episc. Cameracensis dat ecclesiæ Gerardimontis altare de Berga & confirmat ejusdem monasterii omnes possessiones. *Ex chronic. monasterii.*

NICOLAUS Dei gratia Cameracensium episc. tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Officii nostri dictatione compellimur, ut ecclesiarum incrementis pastorali sollicitudine invigilemus. Sed cum ille unus cogitatur qui nec excogitari potest Deus deorum, quis hanc sollicitudinem digne habeat! quis usque ad satis impleat! nos autem in iis quæ ex parte sunt Deo placere cupientes, ut cum ea evacuabuntur ad perfectum pertingamus, bonorum virorum in cœnobiis degentium jejuniis, vigiliis & orationibus Divina miseratione adlaborabimus. Igitur prædecessorum nostrorum exemplis confortati, venerabilis filii nostri Gerardimontensis ecclesiæ abbatis Gerbodonis petitionibus acquiescentes, tam sibi quam fratribus inibi servientibus in subsidium altare de Berga liberum ac sine persona, salvis tamen nostris nostrorumque monasteriorum debitis, in perpetuum possidendum contradidimus. Ut vero tam hæc nostra donatio quam etiam & ea, quæ eidem ecclesiæ a prædecessoribus nostris, sive principibus ceterisque fidelibus ante collata cognovimus, rata in perpetuum permaneant, sigilli nostri impressione ac fidelium nostrorum fideli attestatione confirmamus. Altaria scilicet quæ ei venerabilis ecclesiæ nostræ episcopus Gerardus secundus contulit, altare de Echouten cum appenditiis suis Heldreghen & Ildreghen, altare de Ocherghen, altare de Tournicourt, cujus obsonium per singulos sunt quatuor denarii, altaria, quæ Manasses ejus successor contulit, altare de Lergin, altare de Emelvorde, item de Getoldinghen, quod Odo episcopus contradidit, quod etiam Burchardus tradidit altare de Asplar cum appenditio suo Hallut, sed & libertatem quam supra memorati pontifices Gerardus & Manasses ei concesserunt & confirmarunt, ut in altaribus suis nullus ministrorum nostrorum synodum celebrare, nisi vocatus ab abbate, auderet, ipse etiam abbas malefactores suos excommunicare, satisque facientes absolvere, nisi prius conquestus fuerit episcopo, licentiam haberet, & altare de Huneghen cum appenditiis suis Gerardimonte & Boular ab omni obsonio liberum quod iidem pontifices concesserunt, concedimus & confirmamus. Confirmamus etiam terras, quas pius Robertus Flandrensis comes, procinctum ecclesiæ scilicet & duos dominicos mansos super Teneram fluvium cum prato suo, & terras arabiles de monasterii fonte, cum pratis & sylvis sive decimis ab omni jure suo liberrimas dedit. Terras etiam quas dedit Stephanus de Boular in Lergin, terras de Holthem, terras de Bacraghen, terras de Hindelbeka, dimidium villæ de Spineghen cum pratis & sylvis, Morenghem cum sylvis & pratis, quartam partem villæ Tournicourt cum sylvis & pratis, terras quas eadem ecclesia a S. Waldetrude censualiter in Bleijenberga & Morbeka tenet, terras de Guatzonis cum curte, sylvis & pratis, terras de Ubasterebba cum pratis, minutiasque terrarum quas ubi & ubi fideles contulerunt. Ut vero hæc carta indissolubiliter permaneat, sigilli nostri imaginatione firmata est; custodientes eam in perpetuum benedictione ditati, infringentes eam anathematis gladio sint fauciati. Actum anno Incarnati Verbi M. C. XLII. 1142.

VIII.

Uliederbecense monasterium diœcesis Mechliniensis in abbatiam erectum.

1173. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Arnulfus Dei gratia Haffligeniensis ecclesiæ abbas omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Christus qui secundum apostolum est pax nostra, qui facit utraque unum, ad passionem iturus, pacem & charitatem specialiter & præcipue filiis pacis commendavit, & sic per passionem consummatus ovem centesimam, quæ erraverat, ad pacem & concordiam angelorum, pretio sanguinis sui interveniente redemit. Unde nos filii pacis notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, B quatenus petitione multarum religiosarum ac secularium personarum, ducis quoque Godefridi & heredum ejus, ecclesiæ Uliederbecensi abbatem habere communi consilio concessimus, & quali conditione discordiæ fomitem in vinculo pacis, spiritu consilii mediante, terminavimus. Si placuerit abbati Haffligemiensi ecclesiam Uliederbecensem visitare, abbas Uliederbecensis in choro locum suum deferet, cum abbas Haffligemiensis intrabit. Si capitulum tenere voluerit, locum abbatis obtinebit; assensu & consilio Uliederbecensis abbatis quæ agenda sunt tractabit. Abbas Uliederbecensis, si non amplius, saltem ad vincula S. Petri, ecclesiæ Haffligemiensi, nisi certa necessitate præpediente, se repræsentabit: aureum denarium annui census & Lovaniensis monetæ in testimonium subjectionis ipso die solvere curabit. C Abbas vero Affligemiensis & conventus debitam professo abbati reverentiam exhibebit. Item si abbas Affligemiensis abbatem Uliederbecensem in aliquo negotio secum ducere, vel in aliqua legatione mittere voluerit, Uliederbecensis ex debito parebit Haffligemiensis sumtibus. Econtra si abbas Uliederbecensis abbatem Haffligemiensem negotiis suis interesse rogaverit, sumtus ei, ut dignum est, providebit. Obeunte abbate Uliederbecensi, conventui ipsius non alterum quam professum Haffligemiensis ecclesiæ præsente Haffligemiensi abbate eligere licebit: ita tamen ut si inter eos idonea fuerit persona nobis non professa, quam eligere voluerint, Haffligem veniens profiteatur, & sic in electione confirmetur. Ut igitur hæc rata & inconvulsa permaneant, scripto mandari, sigillorum impressione & testium astipulatione D placuit roborari, scilicet Philippi abbatis de Parco, magistri Giselberti notarii de Lovanio, conventus utriusque ecclesiæ Haffligemiensis & Uliederbecensis. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. M. C. LXXIII. ind. VI.

IX.

De dedicatione ecclesiæ Averbodiensis cum indulgentiis eidem concessis & tempore dedicationis.

1194. ANno Incarnationis M. C. XCIV. indictione XII. epacta XXVI. dedicata est ecclesia Averbodiensis a domino Walchero Rothomagensi archiepiscopo in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctique Johannis Baptistæ & omnium sanctorum. Hic itaque dominus E Metropolitanus omnibus ad præfatam ecclesiam infra quadraginta dies dedicationis ejusdem ob remissionem peccatorum venientibus, largam indulgentiæ pietatem concessit, omnibus quippe a viginti quinque annis & supra, qui pro criminalibus peccatis pœnitentiam septem annorum injunctam sibi suscepissent unam carinam, quadraginta dies pœnitentiæ indulsit; a viginti autem annis usque ad annos viginti quinque, annis quibus publica itidem injuncta fuisset pœnitentia, viginti dies relaxavit. A viginti quinque & infra, cujuscumque essent ætatis, & de perpetratis peccatis pœnitentiam agerent, decem dies ignovit. Videns vero prædictam ecclesiam eleemosynis fidelium esse constructam, & adhuc prævidens construendam, auctoritate S. Petri, apostolica quoque licentia & sua statuit, ut hæc eadem solemnis indulgentia singulis annis per septem dies dedicationis, quibusque fidelibus eamdem ecclesiam visitantibus concederetur; & hoc ipsum ad notitiam posterorum scripto confirmaretur, ut eo devotius illuc fideles properarent, quo salutare remedium se adepturos sperarent. Offensas quoque patrum & matrum, absque injectione dumtaxat manuum, neglectasque culpas & oblivioni traditas ignovit.

X.

Fundatio B. Mariæ de Camera ordinis Cisterciensis diœcesis Mechlin. Ex archivo domestico.

Extant hæ chartæ apud Miræum notit. eccl. Belgii. pag. 512;

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia dux Lotharingiæ, omnibus præsentibus & futuris in perpetuum. *Quoniam redemptio animæ viri propriæ divitiæ*, de multis bonis quæ præstitit mihi Deus necessarium duxi aliqua in opus pietatis, hoc est, 1201. Divini cultus pro ejus amore expendere; inde est quod Prov. 13. 8. pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, assensu & voluntate dilectæ consortis meæ Machtildis ducissæ contuli religiosæ sorori Gillæ, locum juxta Bruxellam, qui vocatur Pennebeke, ad construendum inibi cœnobium sanctimonialium, in honore Dei & beatæ Mariæ semper virginis, contuli etiam eidem sorori, juxta prædictum locum, tres mansos terræ incultæ & nemoris de meo proprio, ab omni jure seculari liberrimos, & partem meam decimæ de Ruscebroech, & viginti bonaria terræ cum censu quem prædicta Gisla emit a Waltero Kibus. Prædictum itaque locum & quæ cum eo in præsenti contulimus, vel quæ in posterum nostra aut quorumlibet fidelium liberalitate conferentur, potestate nobis a Deo concessa cœnobio construendo in perpetuum confirmamus, sub nostra & posterorum nostrorum cura & protectione suscipimus, auxilium & defensionem in necessitate promittimus. Quod ut ratum & immobile apud posteros habeatur, præsentem paginam sigilli nostri impressione signavimus, & testium probabilium subscriptione munivimus, quorum ista sunt nomina; Sigerus archidiaconus, magister Michael, Arnoldus notarius, Godefridus castellanus. Actum anno Incarnationis Domini M. CC. I.

XI.

Confirmatio fundationis. Ex eodem archivo.

1202.

JOHANNES Dei gratia Cameracensis episcopus, dilectis in Christo filiabus Gertrudi abbatissæ, & monialibus de Pennebeke observantiam ordinis Cisterciensis professis in perpetuum. Sicut suscepti regiminis necessitate constringimur ad exemplum prophetæ & imitationem sanctorum patrum, de agro Dominico spinas heresum & tribulos vitiorum succrescentes, manu prædicationis evellere, & ne iterum radicem mittant in altum, sarculo correctionis prorsus destruere; ita ecclesiam Dei rectæ fidei fundamento tenemur construere, & in longitudine spei & charitatis latitudine sacram religionem plantare. Eapropter charissimæ in Christo filiæ, devotionis vestræ precibus grato concurrentes assensu, locum ipsum in quo secundum instituta beati Benedicti & professionem Cisterciensis ordinis divino mancipatæ estis obsequio, sub beatissimæ Dei genitricis Mariæ, nostra & successorum nostrorum perpetua protectione suscipimus, pontificali auctoritate statuentes, ut bona quæ vobis inpræsentiarum ab illustri viro Henrico duce Lotharingiæ cum assensu & voluntate serenissimæ consortis suæ Machtildis ducissæ collata sunt, sive quæcumque in perpetuum, annuente Domino, largitione prælatorum vel principum, seu eleemosynis fidelium justis modis poteritis adipisci, firma vobis & posteris ibidem Domino servituris, quieta & illibata permaneant, usibus & necessitatibus vestri collegii profutura. Ad hæc libertatem vobis a prædicto duce concessam cum bonis vestris

quæ nunc pacifice possidetis, vobis præsentis scripti patrocinio confirmamus. Ut igitur humilitatis vestræ plantatio in sanctæ meditationis otio possit quiescere ab incursu & turbine secularis tumultus, & desuper rorem contemplationis accipiat, & in conversatione terrena abundantia bonæ actionis pinguescat, sub anathemate & interminatione divini judicii prohibemus, ne quis temere quietem vestram turbare, aut concutere vel excutere possessiones vestras, & infringere libertatem præsumat. Actum anno gratiæ M. CC. II.

XII.

Hugo episcopus Leodiensis potestatem facit abbati Averbodiensi sacramenta conferendi comiti Lossensi & familiæ ejus.

1213. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Hugo Dei gratia Leodiensis episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Licet totius commissi nobis gregis Dominici ex officio pastorali curam gerere debeamus, speciali tamen diligentia in eorum cautela & quietis provisione necesse habemus invigilare, aliorum erga eos liberalitatem approbare, qui fluctibus sæculi calcatis ad tranquillum placidæ conversationis portum enataverunt. Inde est quod nos ad instantiam viri inclyti Ludovici comitis de Los dilectissimo nostro abbati Averbodiensi in perpetuum commisimus vices nostras in conferendis spiritualibus eidem comiti & suis successoribus & suæ familiæ, in recipienda confessione, viatico porrigendo, unctione sacra & sepultura ministranda, eo quod ipsum abbatem sibi & suis elegit in perpetuum capellanum. Quod ut ratum permaneat, præsentibus litteris confirmamus. Datum anno M. CC. XIII.

XIII.

Charta fundationis Belli-prati monialium ordin. Cisterc.

Extat apud Miræum notit. ecclesi. Belgii pag. 560.

1228. EGO ALEIDIS domina de Boular notum facio per hanc chartam præsentibus & futuris, quod felici commercio commutare affectans celestia pro terrenis, pia deliberatione providi in justa possessione mea locum quemdam juxta Gremenghem ad religiosum cenobium instaurandum in quo sanctæ mulieres sub regimine abbatissæ secundum Cisterciensis ordinis observantias Domino famulentur, & tam pro me quam pro meis heredibus assiduas Domino preces fundant. In perpetuam itaque eleemosynam ad hoc dedi de assensu omnium liberorum meorum quinque bonaria in prato & nemore in loco prædicto ad ipsum monasterium construendum. Item sex bonaria nemoris ibi prope ad aisentias ejusdem religiosi collegii, prout sibi viderit expedire, in omnibus faciendas. Addidi quoque ad eleemosynam antedictam totum jus patronatus ecclesiæ de Grimenghem quod ad me pertinebat, & omnes proventus ad personatum & presbyteratum ejusdem ecclesiæ pertinentes, ita quod abbatissa & collegium dicti loci, qui dicitur Bellum-pratum, provideat & præstet præsbyterum instituendum ibidem, sicut ego & antecessores mei facere solebamus. Superaddidi etiam redditum sex modiorum duri bladi & decem modiorum avenæ ad mensuram de Genules, quem habebam in villa prædicta, locum autem prædictum & omnes eleemosynas, prout dictum est, ecclesiæ collatas ab omni exactione, servitio, & justitia seculari volui & firmavi liberas esse in perpetuum & exemptas, nec mihi vel successoribus meis aliquod in his dominium vel dangerium dereliqui, sed omnia ipsis libera & quieta omnibus decrevi temporibus permanere. Concessi similiter ut aisentias communes & pascua libere habeant aut animalia dictæ domus, sicut habent ceteri homines terræ meæ. Specialiter tamen eis concedens ut si forsitan bannum fiat de animalibus quæ fuerint ad damnum inventa in silvis aut pratis, ipsæ pro suis animalibus damnum tantummodo restituant, & ad nullum aliud forefactum vel bannum propter hoc teneantur. Desiderans insuper ut omnimoda quantum ad me pertinet, gaudeant libertate, liberaliter & benigne concessi ut per totam terram meam & filiorum meorum, propriæ vecturæ suæ sivæ quælibet res earum ab omni pedagio, thelonio, sive aliis quibuscumque angariis aut consuetudinibus sint exemptæ, ut tanto devotius pro me & liberis meis Deum deprecentur, quanto sibi uberius senserunt me & ipsos fuisse in pluribus beneficiis liberales. Ut autem effectus propositi tam salubris nulla possit malignitate dissolvi, sed ad meam & heredum meorum salutem permaneat in futurum, cartam istam proprio signavi sigillo. Ego vero Michaël constabularius, ego Philippus de Boular, ego Osto de Trasenies, ego Ægidius Niger heredes præfatæ A. charissimæ matris nostræ omnia prænotata favorabiliter approbantes, ea nostro consensu firmavimus nostrorum testimonio sigillorum, ut fructum salutis & eleemosynæ consequamur cum eadem charissima matre nostra; & quia ego Raso proprium sigillum non habeo, usus sum sigillo abbatis Geraldi-montis prædicta omnia fideliter approbans & contestans. Ego quoque Gosvinus de Scendelbeka maritus filiæ prædictæ dominæ, meum apposui sigillum, pleno favore omnia prænotata confirmans. Actum anno Incarnationis Domini M. CC. XXVIII.

XIV.

Augmentum dotis monasterii B. Mariæ de Bello-prato ord. Cisterciensis juxta Grimenghem.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Valterus plebanus de Santberghen dictus decanus de Hal notum facio tam præsentibus quam futuris, quod obtentu salutis meæ, illi novellæ plantationi videlicet monialibus in loco illo qui dicitur Bellum pratum juxta Grimenghem Deo ministraturis, libere & absolute contulimus omnia quæ comparavimus ad opus capellaniæ quam proposuimus apud Santberghen instituere, videlicet novem modios & dimidium tam siliginis quam avenæ, tria etiam bonaria terræ & L. capones & 7. anseres, quindecim solidos & unum hominium, quæ omnia comparavimus ab Ægidio de Loch de consensu domini Valteri de A. insuper duo bonaria partim nemoris, partim terræ arabilis ab Pupino & uxore sua titulo emptionis comparata, dimidium etiam bonarium tam nemoris quam prati a Sigero Cater de Dilbeke comparatum, jornarium etiam terræ arabilis ab Hildegarde & sorore ejus emptum, jornarium etiam & dimidium terræ ab Gehersvende in eleemosynam collatum, sex etiam Jornalia ab Lutha comparata & ejus comparticipibus & ab Odilia Majorana. Dimidium etiam prati emptum a prædicta Odilia & comparticipibus suis. Jornarium etiam terræ datum in eleemosynam a Lauretha, dimidium etiam bonarium datum a Sophia & fratre ejus in eleemosynam, Jornarium etiam quod contulit Johannes de Brucho in eleemosynam, dimidium etiam bonarium prati quod tenui a domina de Boular, Jornarium etiam emptum ab Ægidio Ragenbode, dimidium etiam bonarium prati quod tenui a domino de A. mansionem etiam meam cum omnibus ædificiis & compertinentiis, de omnibus etiam bonis meis residuis mobilibus & immobilibus dedi in manus magistri Nicolai Eiamensis & magistrorum Johannis & Wilhelmi de Herines, ratum habitum quidquid inde ordinaverint. Ut autem donatio prænotata firma in perpetuum habeatur & inconcussa, præsentem paginam sigilli nostri appensione munitam præfatis sanctimonialibus contulimus in testimonium. Actum anno Dom. M. CC. XXVIII. mense Septembri. 1228.

Præsentem chartam diplomate confirmavit Valterus Miles de A. an. 1231.

A

XV.

Confirmatio ejusdem cœnobii per Godefridum episcopum Cameracensem.

1229. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Godefridus Dei gratia Cameracensis episcopus universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Filias & sequaces Judith quæ misticum Holofernem, mundum scilicet & ejus superbiam superant & occidunt, modernis temporibus per Domini gratiam multiplicatas gaudemus, & in sexu femineo virilem miramur constantiam eminere, unde nostri officii ratione monemur easdem in tam sanctæ devotionis profectu pro nostræ auctoritatis solatio confirmare, ut & non solum proposito virgines sed etiam virtute viragines perseverent. Quum igitur quædam Christi ancillæ in loco qui dicitur Bellum-pratum juxta fluvium Tenre cooperantibus quibusdam fidelibus & maxime Valtero presbytero de Samberghem & nobili muliere Aleide domina de Boular, elegerunt sibi sedem ut ibidem in sponsi celestis amplexibus delectentur, & in semper florentibus patriæ sanctæ pratis agnum immaculatum sequantur, nos sanctum earum propositum, quod ultra fragilitatem femineam, masculini animi fortitudine assumpserunt, diligentius roborare & etiam promovere volentes, locum ipsum in quo sunt ad divinum servitium congregatæ, privilegio ecclesiasticæ libertatis esse voluimus & sanximus perpetuo insignitum, districtius inhibentes ne quis locum prædictum sacræ religioni ascriptum quacumque protervia violare præsumat vel irrumpere quoquomodo, ad aliquam violentiam faciendam. Decernimus itaque ut ordo Cisterciensis, cui se devotæ mulieres propter vitæ perpetuæ desiderium devoverunt, ibidem perpetuo inviolabiliter observetur, ac præsit præfato conventui electa canonice & secundum statuta præfati ordinis abbatissa, quæ a nobis & successoribus nostris, benedictionem recipiat ex more solemnem. Porro bona omnia sæpe dictis sororibus a præfatis Valtero præsbytero de Samberghen qui omnia bona sua tam mobilia quam immobilia in manus meas ad opus earumdem resignavit, & a domina A. de Boular aliisque fidelibus propter Deum collata vel in posterum legitime conferenda, firma eis decernimus permanere usibus & commoditatibus earumdem in perpetuum profutura. Quia vero processui tam solemni & sancto solenne testimonium deesse non debet, ut semper erectus ibidem appareat titulus sanctitis, scriptum præsens in perpetuam præmissorum memoriam nostro duximus muniendum sigillo, sub districtione anathematis inhibendo, ne quis ausu quocunque sponsas Christi turbare vel locum in quo tanquam in thalamo nuptiali cum Domino requiescunt aliquatenus temerare sive res pertinentes ad eas distrahere vel auferre præsumat. Datum anno Domini M. CC. XXIX. mense Augusto.

XVI.

Donatio quædam facta monast. Vallis S. Bernardi Diestensis, diœcesis Mechliniensis.

1235. UNiversis præsentes litteras inspecturis, Arnoldus vir nobilis dominus de Diest salutem in Domino. Noveritis universi & singuli, quod vivente nobili muliere Oda uxore mea, nulla tamen ex ea prole suscepta concessi in remedium animæ meæ & antecessorum meorum abbatissæ & conventui Vallis S. Bernardi Cisterciensis ordinis sex bonaria terræ, in quibus ipsum claustrum situm est, & quæ frater Paulus conversus ejusdem conventus a me quondam tenuerat in feudum, allodialiter possidenda. Et ut dicta concessio a me & a meis posteris in perpetuum rata permaneat & immobiliter observetur, dictis abbatissæ & conventui contuli præsentes litteras sigilli mei munimine roboratas. Actum & datum anno Domini M. CC. XXXV. feria VI. ante festum B. Johan. Baptistæ.

XVII.

Monasterium Rosæ B. Mariæ in Brabantia ord. Cisterc. aggregatur & ponitur sub jurisdictione Alnensis abbatis.

FRater G. dictus abbas Cisterciensis totusque conventus abbatum capituli generalis universis præsentes litteras inspecturis, salutem in spiritu Salutaris. Vestræ notum facimus universitati quod ad petitionem illustris viri domini ducis Burgundiæ per gratiam Dei, domus quæ vocatur Rosa beatæ Mariæ in Brabantia associata est, & incorporata nostro ordini, & assignatus est & datus eidem domui pater perpetuus abbas Alnensis auctoritate capituli generalis, cui prædicta domus subjecta erit perpetuo in omnibus tanquam filia specialis. Datum apud Cistercium anno gratiæ M. CC. XXXV. tempore capituli generalis. 1235.

B

XVIII.

Dotatio monasterii Rosæ B. Mariæ prope Alostum ordinis Cisterciensis.

UNiversis præsens scriptum visuris, frater J. dictus abbas de Bodelo, & soror Juta dicta abbatissa de Rosa beatæ Mariæ ordinis Cisterciensis æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod dominus Raso de Fontinella miles, Oliverius, Daniel & Raso filii dicti militis in præsentia nostra constituti, divinæ remunerationis intuitu, omnia quæ possidebant in terris, sylvis, pratis, reditibus, decimis, sive rebus mobilibus, in parrochiis de Alost, de Morsele, de Bardenghem, de Masenzele, de Brugghem & de Hardineshem & de Wiese, sive in aliis locis dominæ abbatissæ Jutæ nomine de Rosa beatæ Mariæ ordinis Cisterciensis, in eleemosynam contulerunt, libere & pacifice sine omni contumelia in perpetuum possidenda tali conditione, quod dicta abbatissa, in loco qui Fontinella nominatur, monasterium debeat ædificare, ubi magis dictæ abbatissæ & conventui ejus visum fuerit expedire: ita tamen quod dictum monasterium de loco qui Fontinella dicitur, non debeat vel possit aliquatenus removeri, nisi de consensu prædictorum. Testes Balduinus castellanus de Alost, Henricus presbyter de Morsele, Gerardus dictus Canis, Johannes clericus de Bardenghem, Johannes clericus de Morsele, Johannes dictus Stultus, Sigerius de curia, magister Simon de Alost, Bernardus de Walsebosch, frater Gerardus clericus & soror Marguarita ejusdem domus, & soror Mathildis de Rameia monialis. Ut autem hoc firmum & inconcussum permaneat, præsentes litteras sigillo domini Claravallensis abbatis & sigillis nostris duximus muniendas. Actum anno Domini M. CC. XXXIX. 1239.

C

D

XIX.

Abbas de Bodelo petit confirmationem possessionum hujus monasterii a comitibus Flandriæ.

E

ILlustri domino suo Th. Flandriæ & Hannoniæ comiti, illustrique dominæ suæ J. Flandriæ & Hannoniæ comitissæ, frater Jacobus dictus abbas de Bodelo salutem & orationis suæ suffragium salutare. Serenitati vestræ notum facio quod dominus Raso miles de Fontinella, Oliverius, Daniel & Raso filii dicti militis in præsentia mea constituti, divinæ remunerationis intuitu, omnia quæ possidebant in terris, sylvis, pratis de Morsele & de Bardenghem, de Masenzele, de Brugghem de Hardineshem, de Wiese, sive in locis aliis dominæ Jutæ abbatissæ de Rosa beatæ Mariæ ordinis Cisterciensis, in eleemosynam contulerunt, libere & pacifice sine omni calumnia in perpetuum possidenda tali conditione, quod dicta abbatissa in loco qui Fontinella nominatur, monasterium debeat ædificare, ubi magis dictæ abbatissæ 1240.

& conventui ejus visum fuerit expedire : ita quod dicto militi & filio ejus Oliverio quædam portio victualium unde quoad viverent sustentari debeant consilio proborum virorum esset assignata. Sicque factum est ut prædicta abbatissa sit in possessionem prædictorum, & auctoritate episcopi Cameracensis ibidem divina celebrentur; nunc autem Oliverius filius prædicti militis pœnitentia ductus, a proposito resilire & præmissa pariter ac promissa conatur infringere. Unde precor eminentiam vestram, ut divinæ miserationis intuitu prædictam conditionem tam mature factam debita firmitate faciatis observari, remota illius Oliverii calumnia, ut domus illa divinis officiis mancipata promissa possit pace gaudere. Datum anno M. CC. XL. kal. Junii.

XX.

Fundatio quorumdam beneficiorum in ecclesia Mechliniensi S. Rumoldi.

1250. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis amen. Ego Arnoldus de Zellaer, scholasticus Mechliniensis, sanus & incolumis ac mentis meæ compos, firmam spem fiduciamque in Jesum Christum habens, nullo præsentis periculi metu perterritus, sed sola spe æternæ retributionis, quædam beneficia, ad laudem & honorem beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, de possessionibus meis & reditibus instituere decrevi. Lego igitur & in primis assigno triginta libras Lovanienses, quas viri venerabiles abbas & conventus de Flierbeke, de voluntate & ordinatione mea solvere tenentur... Insuper & omnia bona quæ habeo in Havera, cum omnibus pertinentiis suis, duodecim capellanis, ut deserviant in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, pro beneficiis beati Rumoldi in Mechlinia, recepturis de prædictis reditibus, singulis pariter & universis tamquam inter se portionem. Sed capellanus beatæ Mariæ in novo opere amplius habebit aliis capellanis, de prædictis reditibus, triginta solidos Lovanienses ad lampadem ante altare beatæ Mariæ in novo opere, quæ luminis beneficium jugiter, tam die quam nocte, præstabit ibidem; expensas autem hujus lampadis, procurabit capellanus dicti novi operis cum tanta diligentia, ut lumine nunquam careat, & si quidquam super eaidem expensas superesse contigerit, hoc dictus capellanus convertet in usus ornamenti altaris sui meliorandi... Capellani autem qui dictis beneficiis deservient, sive sacerdotes fuerint, sive clerici, tali modo ipsis deservient, quod horis canonicis tamquam canonici interesse tenebuntur, & nisi residentes Mechliniæ, istis beneficiis personaliter deservierint, nihil omnino de reditibus ad ea assignatis percipient, nec habebunt; capellanus vero beatæ Mariæ de novo opere, qui cum prædictis duodecim connumeratus est, missam qualibet die tenebitur celebrare. Ut autem hæc omnia & singula prædicta robur habeant perpetuum, & ut ab aliquo in posterum irritari non valeant vel infringi, ego sigillo meo proprio una cum sigillo venerabilis patris domini, D. episcopi Longuensis & abbatis Loci sancti Bernardi, testamenti mei executoris, præsentem paginam duxi roborandam. Actum anno Domini M. CC. L.

XXI.

Confirmatio possessionum monasterii de Rosis prope Alostum.

1258. MARGUARETA Flandrorum & Haynoniæ comitissa, & Guido filius ejus comes Flandriæ, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Cum carissima domina nostra claræ memoriæ Johanna Flandriæ & Hannoniæ comitissa, monasterium de Rosis prope Alost Cistercienfis ordinis veraciter dilexerit, sicut ex ejus piis operibus comprobatur, nos & filius noster supradictus pia ipsius opera, sicut dignum est pro posse nostro promovere volentes, omnes & eleemosynas & A beneficia quæ prædicto monasterio concessit & misericorditer indulsit, tanta volumus firmitate permanere, ut nullius malitia auferri, aut avaritia minui, seu potentia valeant perturbari, & non solum possessiones & bona illa quæ dictum monasterium ex pia largitione dictæ dominæ nostræ Johannæ quondam Flandriæ & Haynoniæ comitissæ, nunc possidet, verum etiam omnes possessiones & omnia bona quæ dictum monasterium justo titulo acquisitionis a quacumque persona venditionis seu eleemosynæ, vel alio justo modo in terra nostra possidere noscitur & habere. Eapropter prædicta omnia quæ dictum monasterium infra terram nostram nunc possidet, pro salute animarum nostrarum ac prædecessorum nostrorum memorato monasterio præsentis scripti patrocinio confirmamus, & ad removendum omnis ambiguitatis obstaculum, possessiones seu bona dicto monasterio de Rosis a nobis confirmata, propriis volumus vocabulis B explanare. In primis omnem terram quam Oliverius, frater Daniel presbyter & frater Rasso filii domini Rassonis militis dicti de Bornekin, secum in sua conversione ad dictum monasterium attulerunt, scilicet locum ipsum in quo præfatum monasterium nunc situm est apud Bornekin in parrochia de Alost, qui locus continet sex bonaria terræ vel circiter, quæ pro animarum nostrarum, prædecessorum successorumque nostrorum salute, absolvimus ab omni onere tam census quam servitii feodalis, tali modo, quod censum æquivalentem qui nobis debebatur ratione illorum sex bonariorum terræ vel circiter, recipere debemus ad illa sex bonaria terræ in qua earum prius monasterium situm erat. Volumus etiam quod abbatissa & conventus de Rosis præfata sex C bonaria terræ in qua nunc eorum monasterium constructum est, sub eadem libertate teneant & possideant qua aliæ domus Cisterciensis ordinis terram sui ambitus in terra nostra & dominio possident & utuntur. Confirmamus etiam eis illa sex bonaria terræ in qua prius habitaverunt a qua se transtulerunt : ita quod hæreditatem dictorum sex bonariorum terræ quæ quondam dicebantur Milebeke, nunc apellatur apud Rosas, eo quod dictæ moniales aliquanto tempore ibi habitaverunt, libere habeant & possideant; censum tamen, ut superius dictum est, solvent de illis sex bonariis terræ, in qua terra omnimodam justitiam altam & bassam nobis & nostris successoribus comitibus Flandriæ in perpetuum retinemus. Confirmamus etiam dictis monialibus viam quæ extenditur a loco primæ habitationis suæ, usque ad lo- D cum apud Bornekin ubi nunc morantur; item confirmamus eis cum loco in quo dictum monasterium situm est, circiter sex bonaria terræ, sicut superius dictum est, quinquaginta duo bonaria vel circiter ibi prope jacentia tam in terris, pratis, sylvis & ortis & quinque dictis prati apud Milebeke, quæ quinquaginta duo bonaria vel circiter cum quinque dictis prati a nobis tenentur ad censum. Quæ quidem quinquaginta duo bonaria habent ex collatione Oliverii, Danielis, Rassonis fratrum prædictorum; in qua terra similiter habemus justitiam altam & bassam: item confirmamus eis quatuor bonaria mori cum fundo jacentia juxta morum monachorum de Baudelo versus occidentem, quæ ipsis contulimus ad annuum censum duorum denariorum solvendorum quolibet anno, ad festum beati Remigii, ad brevia nostra de Waisia, E salva nobis & successoribus nostris omnimoda justitia in dictis bonariis terræ, vel circiter jacentia apud Quademare quæ eis carissima domina nostra Johanna quondam Flandriæ & Haynoniæ comitissa noscitur contulisse; salva nobis omni justitia alta & bassa in bonariis supradictis. Hæc omnia prædicta ut superius sunt expressa, & a dicto monasterio habita nunc & possessa & rata habentes & grata, auctoritate præsentium confirmamus, inhibentes, ne quis super prædictis auctoritate nostra confirmatis, ac sigillorum nostrorum munimine roboratis dictum monasterium audeat aliquatenus perturbare. Actum Insulis anno M. CC. LVIII. mense Martio.

XXII.

A

XXII.

Petrus episc. Cameracensis potestatem facit cuilibet episcopo catholico consecrandi ecclesiam B. Rumoldi & duo altaria, in urbe Mechlinia.

1311. REverendis in Christo patribus, ac dominis universis ac singulis Dei gratia archiepiscopis & episcopis catholicis, & ecclesiæ Romanæ devotis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Petrus miseratione Divina Cameracensis episcopus salutem in Domino sempiternam. Ad parochialem ecclesiam beati Rumoldi Mechliniæ nostræ diœcesis non valentes accedere de præsenti, pluribus arduis nostræ ecclesiæ Cameracensis negotiis impediti, paternitates vestras attente rogamus & requirimus, quatenus præfatam ecclesiam, beati Rumoldi, si sit perfecta, cum duobus altaribus exstantibus in eadem, consecrare dignetur primus vestrum qui super hoc fuerit requisitus, vobis enim & vestrum cuilibet munus consecrationis cum plenitudine indulgentiarum, quæ ad honorem omnipotentis Dei in consecrationibus ecclesiarum dari solent, vere pœnitentibus & confessis, eidem ecclesiæ & prædictis duobus altaribus impendendi, adhibitis solemnitatibus, quæ consueverunt in talibus adhiberi, tenore præsentium committimus potestatem. Datum sub sigillo nostro quo in talibus utimur, in castro nostro de Mala-domo, prima die mensis Septembris, anno Domini M. CCC. XI.

XXIII.

Consecratio ejusdem ecclesiæ facta per Guidonem episcopum Elenensem suffraganeum Leodiensem.

1312. FRater Guido Cisterciensis, Dei gratia Elenensis episcopus, vicem gerens reverendi patris & domini Theobaldi divina providentia Leodiensis episcopi, universis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino & subscriptorum cognoscere veritatem. Universitati vestræ tenore præsentis cartulæ, quæ reverendi patris ac domini Petri Dei gratia Cameracensis episcopi litteris est affixa, facimus manifestum, nos de concessione & beneplacito dicti reverendi patris ac domini Petri Cameracensis episcopi, feria sexta post festum beati Marci Evangelistæ, ecclesiam parochialem beati Rumoldi cum duobus altaribus Cameracensis diœcesis dedicasse in honore sanctæ Trinitatis, beatæ Mariæ virginis & beati Rumoldi martyris atque pontificis, ponentes dies anniversarios dedicationis prædictæ singulis octavis festi sanctæ Trinitatis. Præterea omnibus vere pœnitentibus & confessis, de prædicti reverendi patris ac D. D. Petri Cameracensis episcopi auctoritate, unum annum singulis diebus, & quadraginta dies, a die consecrationis prædictæ, usque ad unum annum singulis diebus & extunc in antea, prædicta auctoritate, perpetuo singulis annis, in die dedicationis prædictæ & per octavas, unum annum indulgentiarum, vere pœnitentibus & confessis, dictam ecclesiam devote visitantibus elargimur, in die quoque dedicationis & per octavas prædictas, quadraginta dies indulgentiarum, dummodo reverendus pater ac dominus Cameracensis episcopus prædictus assensum his adhibere dignetur, auctoritate nostra conferimus vere pœnitentibus & confessis, dictam ecclesiam devote visitantibus. Datum anno Domini M. CCC. XII. feria sexta post festum sancti Marci Evangelistæ prædicta.

XXIV.

Bulla summi pontificis Clementis VIII. de fundatione abbatiæ Assumptionis B. M. Bruxellis, monialium Anglarum ordinis S. Benedicti.

VEnerabiles fratres salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, nonnullæ virgines catholicæ Anglæ, quæ a regno Angliæ in oppidum Bruxellas Mechliniensis diœcesis se receperunt, religionis zelo ductæ, & ut alias virgines catholicas dicti regni earum exemplo trahant, unum monasterium monialium sub regula sancti Benedicti in eodem oppido erigere, seque in eodem monasterio sub regulari habitu Dei obsequiis dicare proposuerint, & eæ virgines quæ jam in dicto oppido sunt, summam circiter decem millium scutorum promptam habeant, & aliæ virgines quæ ex Anglia expectantur, alias summas, ut confidunt, allaturæ sint, ex quibus omnibus monasterium extrui, & aliqui reditus annui pro earum sustentatione constitui poterunt, nos earum pio desiderio benigne annuere ac illas ad catholicæ fidei & religionis propagationem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, fraternitatibus vestris aut alteri vestrum monasterium præfatum in loco commodo & decenti clausura muniendo erigendi, ac in illud virgines Anglas Deo se dicare volentes usque ad numerum arbitrio vestro constituendum quæ ex reditibus pro eodem monasterio comparandis congrue sustentari valeant, ad habitum monachalem sub regula sancti Benedicti recipiendi & admittendi, eisdemque sic pro tempore receptis monialibus, ut omnibus gratiis, privilegiis & indultis atque indulgentiis quibus aliæ præfati ordinis moniales utuntur, fruuntur & gaudent, uti, frui & gaudere possint & valeant, dummodo sub ordinarii obedientia permaneant, concedendi & indulgendi, ac pecunias per dictas virgines erogandas quæ ex expensis fabricæ monasterii supererint in censuum aut aliorum redditiuum perpetuorum emptionem convertendi, eidemque monasterio perpetuo applicandi, necnon pro ejusdem monasterii illiusque futurarum monialium prospero regimine, quæcumque statuta licita tamen & honesta ac sacris canonibus & concilii Tridentini decretis necnon constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti ordinis institutis conformia edendi ac observari præcipiendi ac alia quæcumque in præmissis & circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi & exequendi plenam & liberam auctoritate apostolica, tenore præsentium facultatem concedimus & impartimur, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XXXI. Martii M. D. XCIX. Pontificatus nostri anno VIII. 1599.

Sic erat subscriptum M. VESTRIUS BARBIANUS.

A tergo sic scriptum erat.

Venerabilibus fratribus Octavio episc. Tricaricensi nostro & apostolicæ sedis in partibus Germaniæ inferioris nuncio, & archiepiscopo Mechliniensi, cum annulo Piscatoris a tergo impresso ceræ rubeæ.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ ANTVERPIENSIS.

I.

Extat apud Miræum, notit. eccles. Belgii, pag. 318. & seq.

1124.

Charta donationis ecclesiæ S. Michaëlis Antverp. factæ Præmonstratensibus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hildolfus præpositus sancti Michaëlis in Antverpia, tam futuris quam præsentibus in perpetuum, qualiter præfata ecclesia nostra ad usus canonicorum Præmonstratensis ordinis transierit, & qua de causa assensu capituli nostri data fuit, præsentis scripti attestatione notificamus. Cum in diebus nostris quidam hæreticus Tanchelinus nomine, in partibus nostris advenisset, & venenoso sermone a fide & a sacramentis plurimos avertisset; hac de causa, ut illa hæresis quæ provinciam nostram occupaverat funditus extingueretur, consilio domini Burchardi episcopi & totius populi & assensu capituli nostri dominum Norbertum, virum nostris temporibus spectabilis religionis accersiri curavimus, eique ac suis fratribus regulam beati Augustini servantibus, suamque institutionem exequentibus, supra dictam ecclesiam cum capellis in ejus cœmeterio fundatis & tribus curtilibus & jugero terræ eidem cœmeterio adjacentibus cum quatuor præbendis per manus memorati episcopi tradidimus, circumspectione vigiles, digneque perpendentes quod eorum saginaremur orationibus & bonis spiritualibus, si eos sustentaremus beneficiis temporalibus. Nos igitur prius numero duodecim, numerum nostrum in octo terminavimus præbendis, & cum his & præpositturæ nostræ integritate in ecclesia B. Mariæ transtulimus. Ceteras vero quatuor præbendas per omnia eis consimiliter participantes proprio nostro arbitrio dedimus, excepto quod allodia & mancipia, quæ usque ad hæc tempora ecclesia illa possederat, in nostros singulariter usus segregavimus. Baptismus vero celeberrimi temporis, videlicet Paschæ & Pentecostes, in illa ecclesia observabitur, reliquo autem tempore parochianus noster baptizandis providebit; infirmos autem visitare & communicare, oleoque inungere, confessiones audire, mortuos sepelire, omnibus hæc ab eis quærentibus libere concessimus. Ut autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus inviolatum inter nos & ipsos semper permaneat, hoc diffinitum est, ut quodcumque munus infirmus & moriens parochianus, sive in terra, sive in alia substantia cuivis ecclesiæ aliquid obtulerit, aut pro se offerri instituerit, per medium dividatur. Quod vero alienus sanus vel infirmus, aut parochianus incolumis dederit, ecclesia cui hoc datum fuerit absque partitione possideat. Ipsæ vero ecclesiæ sedulo in invicem juges sibi debebunt fraternæ charitatis orationes, in omnibus necessitatibus se se supportantes. Pro commemoratione vero suæ libertatis utraque ecclesia persolvet Cameracensi præsuli aureum nummum Antverpiensis monetæ & ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, nostri sigilli impressione, & testium subscriptione qui interfuerunt, & hoc donum dederunt annotari curavimus. Ego Hildolfus præpositus sanctæ Mariæ, Anselmus canonicus, Bernardus canonicus, Giselbertus Boreas* Raduardus canonicus, Ovo canonicus, Raduardus scriptor, Rogerius canonicus, Hilduinus parochianus. Actum est hoc anno Verbi Incarnati M. C. XXIV. indictione 2. epacta tertia.

*al. Porcus.

II.

Apud Mir. ibid.

1124.

Burchardus episcopus Camerac. ecclesiam Antverp. libertate donat, & confirmat cessionem Hildolphi & aliorum canonicorum.

IN nomine Patris & Filii, qui est veritas & Spiritus sancti, qui est amborum charitas. Burchardus Divina miseratione Cameracensium episc. tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Pontificalis sollicitudinis, & compensativæ dispensationis est, a nobis, seu ab aliis bene gesta, quando oportunum fuerit, altius promovere, & promota ut permaneant firma sanctione solidare. Eapropter Antverpiensem ecclesiam, qualiter ad usus duodecim canonicorum libertate donavimus, & postmodum ad altius per divinam inspirationem sublimavimus, præsentis paginæ attestatione notificamus. Sane prioris fundationis & libertatis privilegium hujusmodi est: cum in ecclesiastico scriptum sit, *si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa*; nobis, qui in specula positi sumus, obnixius est perpendendum, ne erogationis nostræ gratia, illicita largitione irrogetur. Igitur ecclesiis, quibus præsumus, in posterum providentes, personarum nostrarum consilio, hortatu etiam & petitione domini Godefridi gloriosi Lotharingiæ ducis, ecclesiam sancti Michaëlis, quæ est Antverpiæ, hactenus unius personæ investitione, & parrochialis presbyteri servitio contentam, cum appenditiis suis, capella scilicet S. Walburgis, quæ est in eodem burgo & capella de Linlo & Berendrecht & Orthoren, & omnibus, quæ infra ambitum præfatæ parochiæ continentur, ad usus canonicorum in eadem servientium manumittimus.

Eccli. 12. 1.

Personarum quoque substitutiones & quaslibet exactiones (soluto quotannis in festivitate S. Lucæ, nobis seu successoribus nostris S. Mariæ Cameracensis ecclesiæ episcopis, canonico substitutis, a præfata ecclesia, pro libertatis suæ memoria, nummo auri Bisantii) exclusо certo pontificiali debito interdicimus: eo quidem tenore, ut præpositus cum duodecim canonicis ibidem in præsenti statuatur. Nos vero ecclesiæ nostræ dignitatem canonice conservantes, decernimus ut a canonicis præpositus canonice electus, nobisque seu successoribus nostris præsentatus, curam canonicorum de manu nostra suscipiat, & nobis more præpositorum præfatæ Cameracensis ecclesiæ, debitam obedientiam impendat. Ad hanc ergo canonicorum institutionem perpetuo muniendam, eandem ligandi atque solvendi potestatem, quam mater nostra Cameracensis ecclesia in pervasores suos habet, sæpefatæ S. Michaëlis ecclesiæ in malefactores suos concedimus, & ut presbyteri parochiales a præposito & canonicis substituti, curam a nobis seu ministris nostris recipiant, decernimus.

Ut autem libertate a nobis tradita canonici inibi substitui possent, præfatus dux duas partes manipulorum decimæ, quæ ad Antverpiam & ejus ambitum pertinent, quas a prædecessore suo illustris memoriæ Godefrido duce & postea Hierosolymitano rege, S. Michaëlis ecclesiæ traditas, injuste subtraxerat, eidem ecclesiæ recognovit & concessit, & ut nostri decreti auctoritate firmarentur, impetravit.

Evoluto autem non multo tempore, clerici præfatæ ecclesiæ S. Michaëlis multa circumspectione vigiles, digneque perpendentes, quod eos, quorum sustentarentur carnalibus, saginare debent spiritualibus (nam eos hæresiarchæ Tanselini venenosus sermo infecerat) ad se, fratrem Norbertum virum nostris temporibus spectabilis religionis, accersere curaverunt, eique ac suis fratribus regulam B. Augustini servantibus, suamque

institutionem exequentibus, per nostras manus ecclesiam supradictam, quam a nobis susceperant, cum capellis in ejus cœmeterio fundatis, & tribus curtilibus & jugero terræ, eidem cœmeterio adjacentibus, contradiderunt. Ipsi vero prius numero duodecim, numerum suum in octo terminarunt, & se cum octo præbendis & præpositura sua integritate, ad ecclesiam B. Mariæ transtulerunt, reliquas vero quatuor præbendas, per omnia suis consimiliter participantes, sub nostræ auctoritatis confirmatione tradiderunt: excepto quod allodia & mancipia, quæ usque ad hæc tempora ecclesia illa possederat, in suos usus singulariter segregaverunt.

Baptismus vero celeberrimi temporis videlicet Paschæ & Pentecostes in utraque servabitur ecclesia: reliquo autem parochianus sacerdos S. Mariæ baptisandis providebit; sepeliri quoque defunctos in utriusque ecclesiæ cœmeterio licebit. Ut autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus inviolatum inter ipsos semper permaneat, hoc definitum est, ut quodcumque infirmus & moriens parochianus, sive in terra, sive in alia substantia cuivis ecclesiæ obtulerit, aut pro se offerendum instituerit, per medium dividatur; quod vero alienus, sanus vel infirmus, aut parochianus incolumis dederit, ecclesia cui hoc datum fuerit absque partitione possideat. Nec minus utramque ecclesiam integra & parili libertate donamus, ipsæ vero ecclesiæ, seclusa invicem omni exactione, juges sibi debebunt fraternæ caritatis orationes, in omnibus necessitatibus se se supportantes: pro commemoratione vero suæ libertatis, utraque ecclesia persolvet Cameracensi canonico & catholico præsuli aureum nummum Antverpiensis monetæ & ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ, priori dimisso debito.

Quæcumque igitur pontificum seu principum largitione, imo quorumlibet catholicorum collatione memoratis ecclesiis oblata sunt, vel ulterius conferentur, hujus nostri decreti munimento, eisdem ad usus, ut dictum est, canonicorum assignamus. Ne qua vero canonica secularisve persona, processu temporum in hanc decreti nostri paginam spiritu calumniæ moveatur, collata conservatoribus pace, in pervasores quoad resipuerint, anathematis exterminium promulgamus atque nostra subsigillatione & canonica adstipulatione confirmamus. Signum Erleboldi præp. S. Widonis. S. Roberti. S. Radulphi archidiac. S. Johannis archid. S. Oilardi decani. S. Anselmi. S. Gerardi capellani. S. Anselmi archidiac. S. Hugonis, S. Heriberti canonicorum. Actum est hoc anno Incarnationis Verbi M. C. XXIV. indict. 2. epacta 3. præsulatus D. Burchardi 9. Ego Werembaldus cancellarius scripsi & recensui.

III.

Dotatio monasterii de Nazareth ordinis Cisterc. diœcesis Antverpiensis.

1220. HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ & marchio omnibus hoc scriptum videntibus, salutem. Noverint universi quod ego in remedium animæ meæ, cœnobio sanctimonialium de Nazareth Cisterciensis ordinis, allodium meum continens quinquaginta & quatuor bonaria in terris, pascuis & nemoribus, situm intra duas Nitas* prope Lyram, in eleemosynam pure propter Deum contuli possidendum. Ut autem hæc donatio rata sit & firma, præsens scriptum sigillo meo duxi roborandum. Actum anno gratiæ M. CC. XX. feria IV. post festum S. Jacobi apostoli.

* Neethas.

IV.

Diploma Henrici II. Brabantiæ ducis fundatoris monasterii Loci S. Bernardi ad Schaldim in diœcesi Antverpiensi.

1233. HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ universis in Domino salutem. Ad universitatis vestræ notitiam pervenire volumus, quod nos ad construendum monasterium monachorum ordinis Cisterciensis contulimus in manus abbatis de Villari, Leodiensis diœcesis, Westmalle cum omni allodio ad eamdem villam pertinente, & quidquid ibidem nostri juris est in decimis, pratis, aquis, pascuis, sylvis & sylva totali, quæ vocatur Hoodonc, cum omnibus pertinentiis suis. Facta sunt hæc in præsentia fratris Willelmi abbatis Villariensis, Godefridi cellerarii ejusdem loci, Franconis personæ de Contiaco, G. sacerdotis, capellani nostri, G. cantoris B. Petri in Lovanio, G. militis de Winenghem, G. Sculteti de Herentals, Hugonis Nose de Antuerpia, Egidii Sculteti Antverpiensis, Theobaldi scabini Antverpiensis & aliorum plurimorum. Ut autem præmissa omnia firma & inconcussa perpetuo perseverent, præsentem chartam nostri appositione sigilli duximus roborandam. Actum apud Lovanium M. CC. XXXIII. in festo sancti Bernardi abbatis.

V.

Charta de translatione monasterii de Nazareth.

H. Dei gratia dux Lotharingiæ omnibus præsens scriptum intuentibus in perpetuum. Noverint universi quod divinum volentes amplificare cultum pro peccatorum nostrorum remedio, prædecessorum & successorum nostrorum, terram quam Egidius de Porta tenebat in loco qui dicitur Tenvekene, tam in humidis quam in siccis continentem circiter septem bonaria, paulo plus vel minus, liberaliter contulimus ad construendum in ea novum monasterium dominarum ordinis Cisterciensis. Eam absolvimus ab omni exactione injuriosa, firmiter inhibentes ne quis inhabitatores vel nuncios earumdem dominarum cum ibidem ædificaverint, perturbare audeat minus juste. Datum apud Lyram anno gratiæ M. CC. XXXV. 1235.

VI.

Henricus dux Lothar. confirmat donationem Ægidii Bertout factam monast. Loci S. Bernardi.

HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod nos eleemosynam quam contulit vir nobilis Ægidius Bertout, quæ continet quidquid juris habebat idem Ægidius in Vrinde, Millenghem, Brochem & Ouden in manus abbatis Villariensis ad opus novi monasterii monachorum ordinis Cisterciensis (sicut eam vir nobilis Walterus Bertout, a quo præfatus Ægidius ipsam tenebat in feodum, in manus nostras tanquam domini superioris reportavit) ratam habemus. Testes Walterus Bertout, Arnoldus de Dist, Gerardus frater ejus, viri nobiles Henricus de Attenhoven, Walterus Clutinc, Walterus de Huldeberges & plures alii. Actum M. CC. XXXV. mense Martio. 1235.

VII.

Alterum diploma ejusdem Henrici ducis pro eodem cœnobio.

HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ. Noveritis quod nos omne allodium de villa nostra Westmalle cum omnibus decimis, sylvis, pratis, terris & totali sylva, quæ vocatur Hodunc, in eleemosynam contulimus ad construendum novum monasterium Cisterciensis ordinis, quod locus sancti Bernardi vocabitur, in manus domini abbatis de Villari. Testes Godefridus de Perves, Walterus Bertout, Arnoldus de Westmale, Arnoldus dapifer de Rotselare, Henricus de Attenhove, Carolus de Arschot, Valterus de Haacht, Remboldus de Thunis, Gerardus de Iska & plures alii. Datum M. CC. XXXV. mense Martio. 1235.

VIII.

Diploma præfati ducis quo dotem hujus monasterii auget.

1243. EGO HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ & Brabantiæ omnibus cognoscere veritatem. Noverit universitas vestra, quod Gosvinus miles dictus Bock, totum feodum, quod de nobis tenebat in territorio de Heimicsem, ad opus abbatis & conventus de loco sancti Bernardi Cisterciensis ordinis (qui ab ipso Gosvino præfatum feodum titulo emptionis juste acquisierunt) in manus nostras quasi veri domini & superioris ipsius feodi reportavit atque Werpivit. Nos vero dictum feodum præfatis abbati & conventui in purum contulimus allodium, nihil juris nobis vel posteris nostris, præter tres articulos altæ justitiæ, scilicet manifestam sanguinis effusionem, membrorum mutilationem & vitæ ablationem, in ipso allodio reservando. Huic autem facto interfuerunt Arnoldus abbas Villariensis, abbas de Hellenchines, Willelmus de Grimberges, Arnoldus dapifer de Rochelar, Gerardus de Isca, Willelmus & Hugo fratres dicti Noise & alii. Actum M. CC. XLIII. feria III. post festum beati Petri ad vincula.

IX.

Ejusdem ducis diploma pro translatione abbatiæ datum.

1245. HENRICUS Dei gratia dux Lotharingiæ & Brabantiæ. Noveritis quod vir nobilis Lodewicus de Berlar dictus Bertout, eleemosynam in villis de Vrimde, Millenghem, Brugheem & Ouden, quam piæ memoriæ vir nobilis Ægidius Bertout ipsius germanus jamdudum legaverat ad fundandum novum monasterium ordinis Cisterciensis, quod nunc fundatum, locus sancti Bernardi vocatur, ratam habuit & acceptam, sicque ad preces nostras concessit ut dicti fratres ad locum magis sibi congruum suam transferant abbatiam: ita quod capella infra terminos dictæ eleemosynæ remaneat. Testes interfuerunt hi, Walterus Bertout dominus ipsius Lodewici, Henricus Bertout, Godefridus frater noster, Willelmus de Grimberges, Arnoldus de Rochelar dapifer: nobiles, Henricus de Attenhoven, Gerardus de Isca dapifer noster, Gosvinus dictus Boc, Walterus de Hacht, Walterus Clutinc, Remboldus de Thunis, Henricus de Hemsbroeck, Alexander de Hemmincsem, Daniel castellanus de Geneppia, Godefridus de Bruel, Simon capellanus noster, Willelmus clericus noster & multi alii. Actum M. CC. XLV. mense Septembri apud Russenberge.

X.

Consensus Hugonis pastoris in Hemixem circa hanc translationem.

1245. UNiversis in Christo fidelibus præsens scriptum inspecturis, Hugo presbyter curatus perpetuus ecclesiæ de Hemixem salutem, & omnibus cognoscere veritatem. Noverint universi quod ego Hugo presbyter de voluntatis meæ arbitrio, & proborum ac religiosorum adhibito consilio, concessi & plenarie licentiavi, ut viri religiosi abbas & conventus loci sancti Bernardi, facta nobis prius abundanti recompensatione juris parochiæ meæ de Hemixem, suam possint transferre abbatiam. Et quia hæc compromissio & satisfactio coram me Samuele de Burne decano Christianitatis Antverpiensis & multis aliis viris honestis & fide dignis, scilicet Ægidio presbytero de Schelle, Henrico presbytero de Castleelle & multis aliis ecclesiasticis & laïcis, cum magna deliberatione facta fuit, ad submovendam in posterum omnis dubietatis super præmissis quæstionem, rogatus ab utraque parte, præsentem paginam sigilli mei munimine una cum sigillo prædicti Hugonis curati de Hemixem contuli roboratam. Actum anno M. CC. XLV. feria tertia post *Invocavit me.*

XI.

Consensus Nicolai de Fontanis episcopi Camerac. circa prædictam translationem.

NICOLAUS Dei gratia Cameracensis episcopus, universis præsentes litteras visuris, in Domino salutem. 1251.
Noverit universitas vestra, quod nos consentimus & assensum nostrum præbemus, quantum in nobis est, quod viri religiosi abbas & conventus monasterii loci sancti Bernardi Cisterciensis ordinis, Cameracensis diœcesis, monasterium suum ad alium locum, qui tamen, in Cameracensi diœcesi consistat, transferant, prout utilitati monasterii & personarum viderint expedire. Datum anno Domini M. CC. LI. in vigilia divisionis Apostolorum.

XII.

Bulla Pii IV. papæ, pro dotatione episcopatus Antverpiensis & limitibus diœcesis.

PIUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam 1560.
rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium noviter erectarum decori ac venustati, ac illis præsidentium & aliarum personarum statui & opportunæ subventioni, cum divini cultus augmento, & animarum Christi fidelium salute, valeat salubriter provideri. Ac desuper etiam ea, quæ a prædecessoribus nostris consulte gesta fuerint, ex saniori consilio, immutando disponimus, prout locorum & temporis qualitas exigit, & ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster provide considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico hæreditario jure subjecta erat, paucos habere episcopos, nullumque metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo & frequentissimorum oppidorum celebritas ac longe lateque dissitorum castrorum & pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant, iisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei catholicæ succurrere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem & Tornacensem ecclesias, civitates & diœceses a Remensi & Coloniensi provinciis, ac Mechliniense & Antverpiense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ regionis a sua quoque diœcesi & provincia perpetuo segregaverat ac diviserat; necnon Mechliniense, Antverpiense & reliqua oppida prædicta sic divisa in civitates.

Cameracensem vero & Trajectensem tunc episcopales sedes, ac olim collegiatam ecclesiam sancti Rumoldi Mechliniensem in metropolitanas, & B. Mariæ Antverpiensem, ceterasque aliorum oppidorum in civitates erectorum prædictorum ecclesias, in cathedrales ecclesias, pro totidem archiepiscopis & episcopis, qui suæ quisque ecclesiæ præessent, necnon Mechliniensi & Antverpiensi ecclesiis civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua cujusque diœcesi perpetuo concesserat, necnon ecclesiæ Mechliniensi prædictæ ecclesiam, civitatem & diœcesim Antverpiensem hujusmodi inter alias pro sua provincia adjunxerat.

Præfato quoque Philippo regi ejusque successoribus

qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac aliis certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Antverpiensem & alias ecclesias erectas prædictas, tam a primæva erectione ejusmodi, quam extunc & deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eumdem pontificem in archiepiscopos & episcopos, ad nominationem hujusmodi, ordinandos in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo & deinde per alias suas in forma brevis litteras, venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusinensi, suo & Apostolicæ sedis nuntio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas quæ dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua, deputaret.

Dilectus filius noster Antonius S.R.E. presbyter cardinalis, tunc episcopus Atrebat. & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi, substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes quod per dismembrationes bonorum a monasteriis & præposituris præfatis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa monasteria & præposituras mensis prædictis, pro dote ecclesiarum suarum, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse unienda, ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in non nullis partibus ipsarum diœcesium, commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur, necnon constitutiones & assignationes dotium; & denique numerum personarum ac dignitatum, præbendarum, beneficiorum & officiorum, statum quoque & formam in præfatis ecclesiis, etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illorum parte processus, & scripturas, serio digestis rebus omnibus, formandos curaverint; prout in illis ac singulis litteris prædictis plenius continetur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper monasterium sancti Bernardi Cisterciensis ordinis, Antverpiensis diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, mensæ episcopali Antverpiensi, pro dotis nomine, perpetuo univimus, annexuimus & incorporavimus, attendentes quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus optimisque præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresum dogmata, quibus religio Christiana passim laceratur atque affligitur, haud ita violenter invasissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda & exstirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus prædecessor nulla alia magis opportuna remedia potuerit adhibere, quam supradicta, ut illa juxta cordis sui atque nostri desiderium, promptos ac felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare & promovere volentes, ac mensæ episcopalis Antverpiensis & canonicatus & præbendæ illi uniendorum infra scriptorum veros annuos valores, ac litterarum, processuum & aliarum scripturarum hujusmodi veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis, & pró salute dictorum populorum enixe prosequentis excitati, motu proprio & ex scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum subdelegatorum in dictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras prædecessoris hujusmodi factas, quoad infra scripta immutando, omnia & singula oppida, castra, villas, pagos & loca infra scripta videlicet,

Antverpiam, Liram, Herentals, Bergen-op-zoom, Steenbergen, Bredam, Turnhout, Hooghstratem, S. Willebord, Duem, Wynegen, Womelghem, Immersel, Ranst, Oeleghem, Massenhoven, Viersel, Voorschooten, Berchem, Borsbeke, Millegem, Broechem, Luythagen, Hoboken, Morsele, Vremde, Emmelen, Wylriik, S. Bernard, Heymsem, Eyghem, Hove, Bochaut, Schelle, Nazareth, Artzelare, Contick, Nyle, Reedt, Waerloos, Rumst, Duffele, Hoyck, Heyst, Berselen, Hulshout, Boyschot, Meerbeke, Herssélt, Anderstadt, Gestel, Itenghem, Balluer, Hallaer, Reyel, Werlem, Vorst, Eynhout, Meerhout, Olmen, Welden, Eel, Ravels, Kessel, Tenhout, Soerle, Oisterhout, Merckhoven, Herentaut, Dongen prope Bredam, Nielen, Noorderwyck, Bauwel, Oelen, Ten-Ryen, Gilse, Alphen, Eiche, Barle, Lichtaert, Castel, Tielen, Santhoven, Grobbendonck, Voerseler, Poederle, Falle, Pulderbosch, Pulden, Sgravenwesel, Lille, Schilden, Int-Goor, Soersel, Gierle, Westmal, Oistmal, Vlimmeren, Berse, Vosselare, Brecht, S. Lenderts, Ryckevorsel, Ontterhout, Merexem, Oosterweel, Wilmerdonck, Oerdam, Ekeren, Schooten, Orderen, Brexscaten, Lillo, Hove, Berentrecht, Capelle, Stabroeck, Sentvliet, Putten, Ossendrecht, Brecht, Calmthout, Achterbroek, West-wesel, Loenhout, Woendrecht, Meerl, Ginneken, Huybergen, Nieumoer, Hoogerheyde, Emaus, Sundert, Hilderniś, Borchvliet, Nispen, Rosendael, Wouda, Haerle, Polder, Halsteren, Cruyslant, Gastel, Oudenbosch, Cahem, Intkaem, Sprundel, Hoeven, Cleynsundert, Etten, Terboden, Rysbergen, Galder, Haghe, Ter-Heyden, Tenhout, Minderhout, Mera, Mersel, Tetergingem, Marxhlas, Wortel, Bavel.

In posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cùm ecclesiis parochialibus, monasteriis, collegiis etiam canonicorum, capellis, hospitalibus, & beneficiis, locis & personis ac officiis ecclesiasticis, secularibus, & regularibus, ac populis & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ ecclesiæ Antverpiensi, pro sua diœcesi, juxta designationem illi per prædictos subdelegatos factam hujusmodi, auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuo concedimus & assignamus.

Et ut episcopus Antverpiensis pro tempore existens statum suum, juxta pontificalis dignitatis exigentiam, decentius tenere, ac onera, præsertim in ea amplissima civitate, in qua propter frequentiam populi, & continuas negotiationes magno vivitur, commodius perferre, & quam episcopum decet, hospitalitatem exercere valeat, a S. Mariæ Villariensis olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis diœcesis, Antuerpiæ vicinioribus & sedi episcopali Antverpiensi commodioribus, usque ad quingentorum, & a S. Michaelis Antverpiensis Monasteriis, seu eorum mensis abbatialibus, proprietates & bona etiam in decimis consistentia, usque ad aliorum quingentorum, ducatorum auri de camera, proventus annui, summas, cum primum monasteria ipsa per cessum vel decessum illorum modernorum abbatum seu commendatariorum, aut aliis quibusvis modis, & ex quorumcumque personis vacaverint, ex nunc prout ex tunc, & è contra, perpetuo segregamus & dividimus, illaque sic segregata & divisa præfatæ mensæ Antverpiensi etiam perpetuo applicamus & appropriamus.

Necnon archidiaconatum Antverpiensem in dicta ecclesia Cameracensi, qui inibi dignitas, non tamen major, post pontificalem existit, similiter cùm per primum cessum vel decessum moderni archidiaconi Antverpiensis in dicta ecclesia Cameracensi etiam apud sedem eamdem vel alias vacaverit, etiam si actu nunc quovis modo vacet, ac specialiter vel generaliter reservatus

existat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum; super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis ad præfatam ecclesiam Antverpiensem similiter ex nunc prout ex tunc, & è contra (ita quod archidiaconus Antverpiensis pro tempore existens, post cessum vel decessum dicti moderni archidiaconi, in eadem ecclesia Antverpiensi, prout olim in dicta ecclesia Cameracensi, residere ad jurisdictionem per universam diœcesim Antverpiensem præfatam, ad instar aliorum, qui nunc sunt in ulla parte ejusdem diœcesis Antverpiensis, omnino habere, eamque perpetuo exercere debeat) transferimus.

Ac in eadem ecclesia Antverpiensi, unum archipresbyteratum civitatensem, pro uno archipresbytero civitatensi, qui curam rectorum parochialium ecclesiarum, sacramentorum & verbi Dei per civitatem: ac unam pœnitentiariam diœcesanam, nuncupandas dignitates inibi, non tamen post pontificalem majores pro uno pœnitentiario diœcesano nuncupandis, qui curam conscientiarum populi per universam diœcesim Antverpiensem hujusmodi habeant, perpetuo erigimus & instituimus.

Et ut idem episcopus Antverpiensis pro tempore existens ecclesiam suam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam jugiterque decoratam habeat perpetuo, statuimus & ordinamus, quod ex omnibus canonicatibus & præbendis dictæ ecclesiæ Antverpiensis, qui multi & pingues existunt, decem, quos primo per cessum & ex caussa permutationis, vel decessum, aut quavis alia dimissione vel amissione modernorum ipsius ecclesiæ canonicorum, vel aliis quibusvis modis, & ex aliorum quorumcumque personis, etiam apud sedem prædictam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum dispositio nobis aut Romano pontifici pro tempore existenti, per constitutiones apostolicas vel curiæ apostolicæ regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia & indulta reservata exstitit seu fuerit, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu non vacent, & tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii, ad sedem apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservati & sacerdotales exstant, ac super his inter aliquos lis cujus statum in præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, sic perpetuo affecti remaneant, quod idem episcopus unum vel unam, omnium primo vacaturos tamquam mensæ episcopali perpetuo unitos (& quos nos similiter ex nunc prout ex tunc, & è contra, ipsi mensæ perpetuo unimus, annectimus & incorporamus) obtinere, illorumque ratione persona capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in capitulo super decanum canonicos habere:

Reliqui vero novem canonicatus & præbendæ prædictæ tribus magistris aut licentiatis in theologia, & tribus aliis doctoribus decretorum seu in eis licentiatis, ac tribus aliis nobilibus ejus diœcesis, etiam in jure vel theologia saltem gradu licentiaturæ in famosa quapiam universitate studii generalis, secundùm tenorem primo dictarum litterarum promotis, ordine in dicta designatione expresso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant;

Quodque ad sex priores tam nobiles quam alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem canonicatibus & præbendis hujusmodi nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint; ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi præbendarum, consilium & operam in negotio ecclesiæ & religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus quoties ab episcopo suo requisiti fuerint, tam

A conjunctim quam divisim, præstare teneantur.

Ac unus archidiaconus ad archidiaconatum, & alius archipresbyter ad archipresbyteratum, necnon reliquus ex dictis graduatis pœnitentiarius ad pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem episcopi dicti assumi, & omnium primi post episcopum vacaturos canonicatus & præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem ecclesiæ Dei, accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & novem præbendæ hac prima vice, per præfatum episcopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus juris sive

B momenti, quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc episcopi suffragium paritatem dirimat.

Quodque posthac ipsi novem canonicatus & novem præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore juris clausis, necnon exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & alias disponendo, primariis precibus nuncupatis, vel aliis gratiis præventivis, per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes, & sedem apostolicam prædictam, vel ejus legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, ducum & aliorum principum, aut ejusdem S. R. E. cardinalium, & ex quacumque caussa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis

C comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud sedem eamdem, aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex caussa permutationis, apud sedem camdem pro tempore occurrentem, per Romanum pontificem aut sedem hujusmodi, de illis provideri, aut alias quoquomodo disponi possit; sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque caussa infringi debeat.

Quodque unus ex novem canonicis præfatis, magister vel licentiatus in theologia, & alter decretorum doctor seu etiam licentiatus, seniores ratione suarum præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Antverpiensem prædictam ab episcopo & inquirendi. Cæteri vero canonici graduati prædicti quan-

D documque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis senioribus canonicis præfatis duo in theologia, & unus in jure canonico graduati, ut præfertur, una cum prædicto archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines, & admittendos ad curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento, promittentem admittentes.

Et quoniam impia hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si canonici graduati prædicti ab ecclesia sua, nisi ab episcopo seu capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant, & capitulo cedant.

E Ac omnes proventus singularum præbendarum dictæ ecclesiæ in duas partes æquales dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui Divinis officiis in choro deservierint & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis caussa, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione vel alio privilegio apostolico quacumque caussa impetrata vel concesso, se se a residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ ecclesiæ civitatis sub cura dicti archipresbyteri civitatensis, extra vero eam in diœcesi Antverpiensi existentes vel sub suis decanatibus aliisve jurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliore modo, arbitrio episcopi, distribui, ipsorumque decanatuum

decani, salvo dicti episcopi moderamine, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus cæterisque locorum ordinariis, necnon conventuum superioribus & personis, illisque vel illis, ad quem vel ad quos, archidiaconatus, ac decem canonicatuum & præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio & quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, & quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris aliisque sententiis, censuris & pœnis, necnon privationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de archidiaconatu ac decem canonicatibus & præbendis præfatis, si vacant, aut vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere aut alias disponere, seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quocumque modo impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant.

Ac decernentes exnunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito ac annali & triennali possessione, necnon privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenarie uti, potiri & gaudere, ac decem canonicatus & decem præbendæ affecti prædicti, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum & indultorum, etiam juxta concordata nationis Germanicæ, exspectativarum & quarumcumque aliarum gratiarum quoquomodo acceptari non posse, & nihilominus quascumque acceptiones, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, & alias dispositiones de iisdem aut eorum aliquo, etiam per nos & sedem præfatam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidenti tribui posse, ac concessiones, assignationes, divisiones, segregationes, applicationes, appropriationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem & incorporationem ac cætera præmissa, ac præsentes litteras exnunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, ac sub quibusvis revocationibus, iterationibus, suspensionibus, vel limitationibus etiam unionum, annexionum & incorporationum, suppressionum, extinctionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minime includi.

Sed illis non obstantibus in suis vigore, robore & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, ac de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quacumque ratione vel causa, vocari posse, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, & præfatos cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis vel eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & finiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi & episcopo Namurcensi, ac dilecto filio decano ecclesiæ Lirensis, Antverpiensis diœcesis, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras, & in his contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit ac quoties, pro parte moderni & pro tempore existentis episcopi Antverpiensis, & aliorum quorum interest, aut quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra episcopum Antverpiensem & alios præfatis concessionibus, assignationibus, segregationibus, divisione, applicatione, appropriatione, translatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, unione, annexione & incorporatione, & litteris ac aliis in eis contentis prædictis pacifice gaudere, ac litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari; non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo necnon legitimis super his habitis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstante nostra voluntate priori, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & concilii generalis de duabus, non tamen tribus dietis aliisque apostolicis constitutionibus & ordinationibus etiam in corpore juris clausis, necnon dictæ cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem ordinariorum & alias in contrarium quomodolibet editis & edendis.

Necnon monasteriorum & ordinum, & ecclesiarum & collegiorum & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon quibusvis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, exspectativis & aliis gratiis etiam in canonicorum creationibus, aliis unionibus & perpetuis, absque consensu coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus & regressus, facultatibus, mandatis, litteris & concessionibus quibuscumque, personis cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus ac prælatis domesticis, necnon Romanæ curiæ officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu etiam Imperatoris, Regum, ducum & aliorum principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis etiam irritantibus, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientia similibus & aliis quomodocumque concessis; quas & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnia, omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse neque debere decernimus.

Necnon privilegiis, indultis & litteris apostolicis illis & aliis quibusvis, per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, & sedem præfatam, etiam per viam generalis legis & statuti perpetui, necnon initi & stipulati contractus, seu quasi etiam alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter ac alias quomodocumque, qualitercumque & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum,

non autem per clausulas generales, idem importantes, A mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis late extendenda in supra apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqua apostolica præfata vel alia quavis auctoritate, in dicta ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus & præbendis, Antverpiensis ac B dignitatibus Cameracensis ecclesiarum hujusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque, ad archidiaconatum & decem canonicatus & præbendas hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem canonicatuum & præbendarum, ac dignitatum vel beneficiorum aliorum, præjudicium generari, aut si pro tempore existentibus episcopis & dilectis filiis capituli Cameracensis & Antverpiensis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, aut in futurum indulgeri contingat; quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apo- C stolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, segregationis, divisionis, applicationis, appropriationis, translationis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis mandati, suspensionis, decreti, derogationis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare D præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini M. D. LX. V. idus Martii, pontificatus nostri anno II.

Suscriptum erat: CÆSAR GLORIERIUS.
A. DE ALEXIIS.

XIII.

Transactio inter episc. Antverpiensem & monasterium Loci S. Bernardi pro dote mensæ episcopalis Antverpiensis.

1636. COmparuerunt coram nobis Johanne Jacobæo & E Jacobo Vanden Hussel notariis publicis, per consilium curiæ Brabantiæ admissis, Antverpiæ residentibus, & testibus infra scriptis, perillustris & reverendissimus dominus Gaspar Nemius episcopus Antverpiensis, ac reverendi admodum domini Aubertus Miræus decanus, Franciscus Vande Zype archidiaconus, Franciscus Dinghens thesaurarius, Petrus Coens nuper sede vacante, œconomus episcopatus Antverpiensis, & Aubertus Vanden Eede actuarius capituli, canonici cathedralis ecclesiæ Antverpiensis deputati ex parte capituli juxta actam hic retro insertam ex una, necnon reverendus admodum dominus Henricus Vander Heyden abbas Villariensis, pater abbas seu immediate superior monasterii S. Bernardi ad Scaldim, venerabiles domini Judocus Gillis prior, Petrus ab Issche, confessarius monasterii D. Mariæ sub Vinea Lovanii & Guilielmus Adiers pastor in Edeghem, religiosi & deputati a conventu dicti monasterii S. Bernardi per litteras sub sigillo ejusdem conventus expeditas vigesima mensis Octobris M. DC. XXXVI. hic etiam retro insertas ex altera partibus, & declararunt quod cum pro religionis orthodoxæ conservatione visum esset felicis recordationis Paulo IV. summo pontifici, & Philippo II. regi Hispaniarum, Belgii principi, erigere novas in Belgio sedes episcopales, cum dote trium millium ducatorum auri de camera, ex dignitatibus ac beneficiis ecclesiasticis dismembranda, & in executione illius dismembrationis variæ exortæ essent difficultates, postea occurrente vacatione abbatiæ sancti Bernardi ad Schaldim sub nova diœcesi Antverpiensi, placuit tum potius pro promptiori dotis provisione iisdem Pontifici & Regi, mensæ episcopali Antverpiensi prædictum monasterium S. Bernardi, nomine abbatiæ extincto, unire, annectere atque incorporare, ac deinde post executionis per aliquot annos suspensionem, episcopi Antverpienses successive prædictum monasterium ejusque proventus diversimode administrarunt, & super dote sua alios singuli atque alios tractatus inierunt, ac de ejusdem unionis dissolutione sæpius tractarunt atque aliquando convenerunt, rege etiam Catholico in dissolutionem consentiente, & summo pontifice illius promotionem suo nuncio demandante.

Ac denique anno millesimo sexcentesimo sub beneplacito suæ Sanctitatis & serenissimorum principum Alberti & Isabellæ, reverendissimus dominus Guilielmus a Bergis tunc episcopus Antverpiensis, ac deinde archiepiscopus Cameracensis, assentiente capitulo Antverpiensi cum religiosis ejusdem monasterii sancti Bernardi, cum simili assensu reverendi admodum domini abbatis Villariensis patris abbatis, seu immediate quondam superioris ejusdem monasterii, super dissolutione ejusdem unionis, & bonorum separatione, atque perpetua dote episcopatus Antverpiensis convenerat atque transegerat, & iidem serenissimi principes bonorum separationem assignationemque approbarunt, sed absolutam unionis dissolutionem pro eo tempore nondum convenire judicarunt: quippe templo reliquisque omnibus monasterii ædificiis sub ruina adhuc jacentibus, prout etiam diversa rerum & temporum mutatione secuta, bonorum etiam prædicta separatio in alios contractus per episcopos sequentes est conversa, & demum faventibus, parte templi & ædificiorum monasticorum restaurata, religiosi postliminio ad locum sancti Bernardi sunt reducti, ac denique major ædificiorum pars est refecta, totumque tandem templum contectum.

Et reverendissimus dominus Gaspar Nemius ad episcopatum Antverpiensem promotus, interpellantibus etiam religiosis super dicta unionis dissolutione, serio cogitare cœpit, atque imprimis an salva congrua dote mensæ episcopalis Antverpiensis, seu fine ob quem priora tempora incorporationem fieri suasissent, satius non esset, isti ecclesiæ dari prælatum, qui cultum divinum & disciplinam monasticam præsens continuo exactius posset curare, & temporalem œconomiam, quæque sibi deinceps tanquam magis propria diligentius administraret, ac denique religiosi sub prælato suæ professionis promptioribus animis, vocationis suæ stadium decurrerent, & annon propiùs ea ratio ad priorum fundatorum intentionem accederet.

Et postquam super eo negotio cum pluribus viris piis atque eruditis deliberasset, in eam sententiam inclinavit, qua & mensæ episcopali debite provideretur, & monasterium cæteroquin in pristinum statum restitueretur; & habitis diversis communicationibus super eo & bonorum separandorum, & mensæ episcopali Antverpiensi reservandorum quantitate & designatione tam cum reverendo admodum domino prælato Villariensi quam venerabilibus dominis priore & religiosis a conventu deputatis, quam cum RR. admodum DD. decano

decano & capitulo Antverpiensi seu ab eo deputatis, eorumque in capitulo facta relatione die octava & nona, iisdemque deputatis facta, nomine ejusdem capituli in quantum ad illud spectat, authoritate ad concludendum, decima Decembris anno M. DC. XXXVI. tandem præfati perillustris ac reverendissimus dominus episcopus & reverendi admodum & venerabiles domini comparentes qualitatibus prædictis, convenerunt, concordarunt, & transegerunt, sub beneplacito sedis apostolicæ, & Regiæ Catholicæ majestatis, in modum qui sequitur.

Imprimis quod prædicta unio, annexio & incorporatio ejusdem monasterii S. Bernardi dissolvetur, idemque monasterium in pristinum statum restituetur sub modo tamen, forma & restrictionibus sequentibus.

Imprimis quod episcopus Antverpiensis perpetuis futuris temporibus remanebit proprius episcopus S. Bernardi conventus ac religiosorum, etiamsi forte contingeret eos ob bellorum, temporumve injuriam, ut jam pluribus accidit, seu aliam quamcumque causam extra diœcesim migrare, aut alio transferri.

Retinebit etiam episcopus pro tempore futurus, superintendentiam super eodem monasterio, qualem habet super aliis monasteriis sui episcopatus ejusdem ordinis, ejusdem forte migratione aut translatione non obstante, ac semper præerit, vacatione occurrente, electioni novi prælati aut superioris.

Episcopo pro tempore futuro reservatur omne jus, quod ad quæcumque beneficia ecclesiastica extra monasterium sita hactenus competiit abbatibus S. Bernardi, exceptis pastoratibus de Woude, Gastel, Oudenbosch, Hoeven, Loenhout, & Capelle, in quibus prælatus S. Bernardi juxta tenorem bullarum incorporationum eorumdem pastoratuum retinebit jus præsentandi, seu deputandi aliquos ex suis religiosis, quibus episcopus, si eos per examen reperierit idoneos, tenebitur ad formam dictarum bullarum providere.

Si porro contingat quacumque ex causa, prælatum nolle præsentare aliquem sui monasterii religiosum, poterit episcopus pro ista vice alteri providere pleno jure, quem magis judicabit idoneum, si autem præsentatus repertus fuerit non idoneus, illo rejecto poterit prælatus alium sui monasterii religiosum præsentare qui sit idoneus: quod si talem exinde non præsentaverit, poterit episcopus similiter pro ista vice alteri providere. Si qui autem recte provisi ob senectutem seu aliam causam judicio episcopi forte inhabiles fiant, tenebitur prælatus illis amotis alios idoneos præsentare, & eis episcopus providere.

Antverpiæ remanebit episcopo palatium, quod nunc est episcopale, auctum per plures emptiones, prout inpræsentiarum est cum omnibus domibus adjacentibus, tam in platea dicta Cæmeterii, quam S. Bernardi: Bruxellæ autem eidem episcopo cedent tres domus contiguæ, in platea dicta Wolffgracht, cum porta, area & stabulis usque ad antiqua mœnia exclusivè, ubi ostium, quod per illa transitum præbet, obturabitur.

Liræ, Mechliniæ, & in Coolhem, domus quæ servantur pro hospitio prælati & religiosorum, quamquam remaneant monasterio, poterit tamen episcopus in eis jure & sumptu suo hospitari: habebitque in domo Lirana unum granarium, ubi grana sua conserventur, ac aliam loci commoditatem, ubi aliæ provisiones, quibus in eo loco opus habebit, reponantur, quæ omnia inquilinus tenebitur curare, iisdem legibus, quibus grana & provisiones ejusdem monasterii, quare & inquilinum prælatus in illa domo constituet episcopo gratum. Si porro contingat eodem episcopum & prælatum convenire, cedat prælatus episcopo locum principalem magisque commodum.

Episcopali mensæ ulterius in perpetuum annexa atque incorporata remanebunt bona, decimæ, villæ, terræ, prata, feuda, emphyteuses, & census, ut sequuntur:

Sub Brouchem, villa ten Bogaerde, villa in t'loo-ter vlast, villa in t'loo Blyegem, villa ter Hofstadt, villa Beygem, item silva dicta den Langen Steert-bosch

A achter den Beygenhoeve, sub Emblehem, villa Besseren, villa prima te Weerbloke, villa secunda te Weerbloke, una tertia in tribus bonariis C. LIV. virgis ex Munickenbemde, sub Vremde, villa Leyten-zeele cum quatuor bonariis & tribus tertiis, silvæ ibidem sub Womelghem villa Godtsmagele, sub Millegem, villa & Domustadium in 't Groenenbroeck, sub Ranst, tertia pars decimarum, sub Alier, villa dicta Combusta, cum quatuor & dimidio bonariis terræ, & uno cum dimidio bonario prati, ab eadem villa nunc separatim elocatis cum silva ibidem, sub Massenhoven, villa Schagen, villa secunda & villa tertia cum silva in Schagenhoeve, sub Oelegem, villa Creyervelt, villa Ginnegeen & villa juxta ecclesiam, cum parvo prato dicto Mersben, sub Santhoven, villa Meyndelaer, villa aende Molenheyde, B duæ tertiæ decimarum, liber censualis ibidem & silvæ Mindelaers, Bosschen, het Dyck Bosch, het Heyligh Geestbosch.

Sub Viersel, villa ten Goore, decima ibidem, sub Halle tertia pars tertiæ decimarum ibidem, sub Thielen decimæ ibidem, sub Lichtert decimæ ibidem, sub Zeilen duo districtus decimarum ibidem, unus districtus juxta ecclesiam, alter Heze dictus, prata Jansbempden & terræ arabiles ibidem, sub Gheele villa Spykerhoeve cum domistadio Groentente, villa ten Elsen, prata Speechbemdem & tertia pars decimarum, sub parochia S. Willibrordi diversæ petiæ terræ omnes, quas habuit ibidem monasterium.

Sub Eeckeren villa ten Calenaerde, liber censualis, decimæ de Geest & Leyerwyck, Biest, Bracxschate metter micker kaerde, Hoogkboom met de Oudegracht, C Eerbrant, Meusiebroeck, Essenhout, d'Oudelandt, sub Moesch het Nieubroeck & Binnendyck, sub S. Amandi septemdecim bonaria terræ arabilis, & pascua, sub Eerdegem decimæ, primus districtus sub Otterghem, secundus districtus sub Otterghem, primus districtus juxta ecclesiam, secundus districtus juxta ecclesiam, cum fundo veteris horrei dicto de thiende Lochtinck.

Sub Basel octuaginta septem cum dimidia mensura terræ, sub Cruybeke centum triginta sex cum media mensura siliginis & septuaginta & una cum media mensura Gandavensi avenæ, & terræ arabiles ibidem, sub Vracene quinque mensuræ & quinquaginta quinque virgæ, sub Hoeven omnes decimæ, terræ, prata, domus de Bovendonck, villæ, totumque dominium de Hoevis, cum jurisdictione, mola, censibus, miricis & qualibus- D cumque juribus, appendentibus & dependentibus.

Sub Etten, mola, quæ vento & altera quæ equo agitatur cum domistadio octo mensurarum, liber censualis & Hautwasschen, sub Breda liber censualis, sub Sevenberghen census unus, sub Lachene & Contick silvæ dictæ den Grooten Haeck, cum medio bonario ibi juxta, item den cleynen Haeck, item silva juxta d'Asbroeck, cum den Voorwasch in via, item t'hoogh Bosch cum duabus petiis dictis den Neerenbosch, item het Calverenbosch cum eo quod ad Belsleers aert, & petia aenden Zyp, sub Aertselaer het bosch inde Halsstract.

Quæ omnia bona supra dicta cum omnibus suis juribus activis & passivis, fructibus, proventibus, emolumentis, appenditiis & dependentiis, gravaminibus atque oneribus iisdem incumbentibus, remanebunt annexa & E incorporata mensæ episcopali Antverpiensi, perpetuis futuris temporibus, prout eadem bona latiùs specificata sunt cum sua quantitate, limitibus, singulorumque fundorum designatione, & nominibus, aliisque circumstantiis, in scripto Teutonico sigillo ejusdem reverendissimi domini & capituli Antverpiensis & conventus monasterii S. Bernardi munito, & subsignato vigesima tertia Martii M. DC. XXXVII. monimentaque omnia ad illa quomodolibet spectantia transferentur ad archivum dicti episcopatus: reliqua vero bona cujuscumque conditionis aut qualitatis superius non expressa, perpetuo remanebunt monasterio S. Bernardi, cum omnibus suis juribus, activis & passivis, fructibus, proventibus, emolumentis, appenditiis, & dependentiis, gravaminibus

atque oneribus iisdem incumbentibus, & munimentis A similiter ad illa spectantibus.

Onera porro, ut dictum est, realia utrimque rem sequentur, sed & imponenda forsan rebus aut bonis feret respective episcopus & monasterium, prout singulis respectivè imponi continget, onera vero precariarum, ut vocant, regiarum imposita hactenus monasterio & quæ ad illius rationem per status Brabantiæ impostèrum fortè imponentur, subventionum etiam, subsidiorum aut alio quovis nomine, feret episcopus unam tertiam, duas reliquas monasterium, prout etiam episcopus feret annuos census relictos super ædibus ab opificio sartorum emptis & palatio episcopali applicatis: antiqua vero debita monasterii, si quæ sint, & qualescumque aliorum adversus illud prætentiones monasterio incumbent, illudque episcopum semper indemnem servabit.

Quod si contingat aliquando aliqua ex bonis mo- B nasterio relictis quacumque ex causa & quocumque modo alienari, habebit episcopus pro episcopatu jus retractus & præferentiæ præ omnibus aliis, sicut & vicissim prælatus S. Bernardi pro suo monasterio, si quid similiter contingat alienari ex bonis episcopatui annexis, quod etiam intelligitur non tantum si ex miricis, aut aliis sterilibus terris episcopatui aut monasterio competentibus aliquid contingat dari in emphyteusim perpetuam vel temporalem similem contractum, sed etiam si quæ terræ inundatæ aut etiam (quod Deus avertat) inundandæ, episcopo aut prælato nolente facere sumptum aggerum ponendorum, habeantur pro relictis, aliis aut sumptum facturis quocumque contractu temporali aut perpetuo concedantur.

Denique sumptus omnes occasione impetrandæ separationis in aula pontificia aut regia, aut alias faciendi, solventur a prædicto monasterio, penitus exonerato ab C iisdem episcopo, qui tamen eamdem quantum in se erit promovebit & procurabit, iisque conditionibus mediantibus renuntiant partes utrimque bonis omnibus cujuscumque conditionis hinc atque inde respective relictis & assignatis ut supra, promittentes nullam deinceps actionem aut molestiam alterutris movere in casum pontificii & regii beneplaciti.

Actum Antverpiæ in palatio episcopali die decima Decembris anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, præsentibus RR. DD. Theodoro vooght S. T. L. & Arnoldo Carpentier S. T. baccalaureo, presbyteris, uti testibus ad præmissa vocatis, & rogatis. Subsignatum: Gaspar episcopus Antverpiensis, Henricus abbas Villariensis, Aubertus Miræus decanus, F. vande Zype archidiaconus, Fr. Judocus Gillis prior S. Bernardi, F. Dingens, P. Coens canonicus, Aub. vanden Eede, Fr. Petrus van Issche, Fr. Guillelmus Addiers, T. vooghts, D Arn. Carpentier testis: quod attestor J. Jacobæus notarius, J. van Huffel notarius.

XIV.

Erectio prioratus S. Salvatoris Antverpiensis ord. Cisterc. in abbatiam.

1652. NOs frater Claudius Vaussin abbas Cistercii, in Cabilonensi diœcesi, sacræ Theologiæ in facultate Parisiensi doctor, Christianissimi regis in supremo Burgundiæ senatu primus consiliarius, universi Cisterciensis ordinis caput ac superior generalis, ejusdemque capituli generalis plenaria potestate fungentes, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in auctore salutis. Quæ majori divinæ gloriæ accessioni, nostrique sacri Cisterciensis ordinis decori & incremento apprime conducunt, ea gratiosis lubenter prosequimur favoribus. Cum igitur conventualis prioratus sancti Salvatoris præfati ordinis nostri in urbe Antverpiensi, fundatus anno Domini 1433. a generoso piæ memoriæ domino Petro Pots equite aurato, ad hæc usque tempora sub regulari nostri instituti observantia permanserit, ac maximopere tam facultatibus temporalibus, quam religiosorum numero excreverit, spesque non mediocris affulgeat fore ut ad ulteriorem splendorem, nostrique ordinis amplius ornamentum deducatur, si in abbatiam erigatur: propterea venerabiles omnes religiosi conventum prædicti monasterii sancti Salvatoris constituentes, supplice libello porrecto nobis supplicarunt, quatenus ad prædicti ordinis nostri splendorem ac decus, majoremque Dei gloriam, antedictum prioratum erigere, priorique moderno & successoribus ejus, usum pedi pastoralis ac privilegia abbatialia concedere dignaremur. Nos attendentes quod sanctus Stephanus tertius abbas nostri Cistercii prædecessor noster, sanctum Benedictum legislatorem nostrum in fundandis abbatiis imitatus, in primordiis ordinis nostri miserit venerabilem Bertrandum ad Firmitatensem, beatum Hugonem ad Pontigniacensem, sanctum Bernardum ad Clarevallensem, & patrem Arnoldum ad Morimundensem abbatias, Cistercii quatuor primarias filias erigendas, singulos abbates cum duodecim Cistercii alumnis conventum facientes, quod idem eorum successores passim in ordine, in abbatiarum erectione servarunt: perpendentes etiam, quod supradictus prioratus sancti Salvatoris sufficientes habeat proventus temporales ad alendos viginti quatuor religiosos, & ad sustinendam dignitatem abbatialem; supradictas ob causas supplicationi admodum reverendi coabbatis nostri de Dunis, nostri per Belgium vicarii generalis, & præfatorum conventualium religiosorum prædicti monasterii sancti Salvatoris nobis in hac parte porrectæ benigne annuentes, sæpedictum prioratum sancti Salvatoris de nostra paterna & plenaria sacri Cisterciensis ordinis nostri & capituli generalis ejusdem, qua fungimur auctoritate, in abbatiam præsentium serie, convertimus & erigimus, adeo ut suppressis prioratus & prioris nominibus, in posterum perpetuis futuris temporibus abbatia, & modernus prior illiusquè successores dicti loci superiores, abbates nominentur & sint, possintque benedictionis abbatialis munus accipere, uti musceto, pedo pastorali, annulo aliisque insigniis abbatialibus (mitra excepta) necnon denique dictum monasterium seu abbatia sancti Salvatoris, ipsiusque loci superior seu abbas modernus & successores, omnibus & singulis juribus, privilegiis, gratiis, honoribus, titulis & gradibus, nunc & futuris perpetuis temporibus frui & gaudere valeant quibus abbatiæ & abbates nostri ordinis sine mitra, uti, frui & gaudere solent & debent. Mandamus propterea omnibus & singulis ordinis nostri regularibus personis & nobis juridicis, quacumque dignitate fulgentibus, ut præfatam abbatiam S. Salvatoris illiusque abbates, modernum ac successores, hujusmodi privilegii nostræque suprascriptæ concessionis beneficio gaudere & tranquille uti sinant, iisdemque abbatiæ & abbatis nomen & titulum attribuant. Datum Cistercii sub nostra subscriptione, majoris nostri sigilli appensione, & nostri secretarii chirographo, die septimo mensis Novembris, anno Domini supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo secundo. Subsignatum erat Fr. Claudius abbas Cisterciensis generalis. Fr. Bougeret secretarius, & sigillo dependenti præfati D. generalis in cera alba.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ GANDAVENSIS.

I.

Privilegium Roberti marchionis Flandriæ de ecclesia Trunchinensi.

1087. IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Ego Robertus marchio Flandriæ, filius Roberti marchionis cognomento Frisonis, Spiritus sancti gratia illuminante atque exhortante commonitus, ut in exordio principatus nostri quæ Dei sunt primum quærerem, ut ea quæ mundi sunt divina gratia mihi adderentur : cum ecclesiam Christi quæ est Truncinis in honore beatæ Mariæ fundatam, ab exordio fundamenti sui in manu antecessorum meorum atque ita in mea sine ullo respectu vel potestate episcopi reperissem, animadvertens non recte neque legitimum esse, ut seculari potestate sine clericali capite ecclesia dispensaretur, ecclesiasticis personis interpellantibus ac principibus potestati nostræ faventibus, ab omni potestate nostra & subditorum nostrorum & posterorum nostrorum & subditorum illorum liberam & absolutam feci, condonans in perpetuum quicquid comitatus & advocationis & redditus ex more antecessorum meorum in rebus vel possessionibus præfatæ ecclesiæ habebam, nihil juris vel potestatis in ea absque ulla contradictione mihi reservans, nisi hoc tantum ut ego & posteri mei præposituram daremus & episcopus Noviomensis curam animarum det, cui marchio Flandriæ præposituram dabit, & ut nulla ambiguitas esset in posterum, subscripsimus res ecclesiæ. Omnis decimatio novæ terræ & veteris totius parrochiæ Trunchinensis, cum omnibus suis qualibuscumque oblationibus; similiter omnis decimatio novæ terræ & veteris totius parrochiæ Landenghemensis ecclesiæ cum omnibus suis oblationibus, & bodium Reflensis parrochiæ novæ & veteris terræ & juxta eamdem ecclesiam propria mansio fratrum ad congregandam annonam. Insuper terra cujus modo quisque fratrum suam tenet particulam, & thelonearia, servitia in nativitate B. M. & census de familia sanctæ Mariæ præfatæ ecclesiæ: hæc autem sunt pertinentia ad præposituram de supradictis, Vorslariensis ecclesia cum omnibus novæ terræ & veteris cum oblationibus suis & mansum terræ & decimatio de Hasleth, & advocatio de familia sanctæ Mariæ præter censum, qui est fratrum. Ut autem in perpetuum maneret ratum & inconvulsum hoc nostrum statutum, testes idoneos adhibuimus. Signum Walteri archidiaconi, sig. Letberti capellani, sig. Baldevini de Warchembeka, sig. Roberti pincernæ, sig. Roberti castellani Brugensis, sig. Tetboldi de Ypra, sig. Wlrici filii ejus, sig. Fromoldi fratris ejus, sig. Lamberti Nigri, sig. Remgoti castellani, sig. Hodekini capellani Duacensis. Actum in ecclesia Hissensi pridie nonas Julii anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVII. epacta XIV. indict. X. concurrente IV. regnante Philippo Francorum rege an. XXVIII. episcopante Radbodo Noviomensis ecclesiæ antistite anno XX. anno principatus nostri primo feliciter.

II.

Privilegium Simonis episc. Tornacensis de institutione Præmonstratensium, in ecclesia Trunchinensi.

1138. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Simon Dei gratia Tornacensis episcopus, quia pontificali cathedræ Deo auctore, licet indigni præsidemus, etsi omnibus nostræ diœceseos fidelibus, prout facultas suppetit, prodesse debemus : circa illos tamen qui abjecta mundi sarcina, felici navigatione ad placidum atque tranquillum portum contemplationis enatarunt, præcipue vigilare decrevimus, quatenus pia vicissitudine eorum ora-

A tionibus aliquod nostræ imperfectioni subsidium comparemus. Notum igitur fieri volumus tam præsentibus quam futuris, qualiter Theodoricus Flandrensis comes assentiente & petente Ywano illustri viro, necnon & Ogero præposito, Trunchinensem ecclesiam cum omnibus appenditiis suis fratri Gosvino abbati per manum nostram tradidit, ut in ea cum subjectis sibi fratribus secundum regulam sancti Augustini ad tenorem Laudunensis monasterii vivat; ita ut quod prædicto Gosvino abbati comes Theodericus sive Ywanus in loco, qui Salchem dicitur contulerunt, cum omni accessione sua Trunchinensi ecclesiæ tanquam matri suæ deinceps appendeat. Si vero abbas Trunchinensis ab ordine & consuetudine Laudunensis monasterii deviarit, abbas sancti Martini super correctione sua bis tertiove cum commo-

B nebit, quod si incorrigibilis apparuerit, episcopus Tornacensis sub præsentia & testificatione abbatis sancti Martini & duorum ejusdem ordinis coabbatum in ecclesia Tornacensi absque dilatione ordinis sui transgressorem deponet, & depositum ad ecclesiam S. Martini remittet, aliumque idoneum canonica fratrum electione & abbatis Laudunensis consilio e vestigio subrogabit. Abbas vero S. Martini de quo prædictus locus religionis hujus sumpsit exordium, ut ordo inibi vigeat invigilabit, & laboris sui mercedem juges ibidem orationes habebit : ut autem fratres qui ad eumdem locum pro salute animæ suæ convenerint, quiete soli Deo vacare possint, ab omni exactione tam nostra quam ministrorum illum liberum esse statuimus. Canonicam vero abbatum professionem

C & filialem obedientiam & loci ac fratrum ordinationem & assiduas orationes tam nobis quam successoribus nostris in eodem loco retinemus; præterea de decimatione omnium novalium suorum tertiam partem, quæ juris nostri esse debebat, in perpetuum eis remittimus, & quod Ywanus in villa Trunchinensi de feodo comitis, ipso comite assentiente eis donavit, videlicet singulis annis valens marcham argenti, præsentis paginæ adstipulatione perpetua confirmamus : decernentes universa quæ nunc inibi fratres commanentes possident, vel quæcumque in futurum concessione ecclesiastica, largitione principum, vel oblatione fidelium juste & canonice poterunt adipisci, firma illis illorumque successoribus in perpetuum & illibata permaneant. Ut autem hæc rationabiliter concessa, rata & inconvulsa permaneant, privilegium hoc

D fieri jussimus, ipsumque sigilli nostri impressione & testium subscriptione firmari fecimus, in eos qui hæc temere infringere præsumpserint, anathematis sententiam propalantes. Signum Simonis episcopi, sig. Roberti archidiaconi, sig. Gualterii decani, sig. Theoderici præpositi, sig. Walterii cantoris, sig. Monini, sig. Rabodi, sig. Emerardi canonicorum, sig. Walterii abbatis S. Martini Laudunensis, sig. Absalonis abbatis S. Amandi, sig. Walterii abbatis S. Martini Tornacensis, sig. Ogeri abbatis S. Medardi Tornacensis, sig. Gilleberti abbatis S. Petri Gandensis, sig. Everdei abbatis S. Bavonis, sig. Bartholomæi abbatis Amensis, sig. Guiniberti presbyteri, sig. Rogeri, sig. Gualberti diaconorum, sig. Radulfi

E de Hilli. Actum apud Clarivillam, quæ sita est juxta Peronam Viromandense castrum; anno Incarnationis Domini M. C. XXXVIII. ind. I. epacta VII. concurrente V. regnante Ludovico, Ludovici filio, episcopatus nostri anno XVI. Ego Hugo cancellarius scripsi.

Idem Simon episcopus alias donationes Truncinensi monasterio confirmat anno 1140. subscribunt Absalon abbas S. Amandi, Walterius abbas S. Martini Tornacensis, Gerardus abbas S. Nicolai, Sicherus abbas S. Petri Gandensis, Everdeus abbas S. Bavonis, Theodoricus præpositus & Willelmus decanus.

III.

Confirmatio fundationis B. M. de Bodelo.

1203. STEPHANUS Dei permissione Tornacensis ecclesiæ humilis minister, universis ad quos litteræ istæ pervenerint in Domino salutem. Si eam ad quam tenemur ex nostræ amministrationis officio diligenter attendere velimus sollicitudinem, illa præcipue promovere debemus, quæ ad honorem Dei & religionis augmentum credimus inchoata, & quæ secundum laudabilem sui æstimationem principii, quam plurimum Domino cooperante proficient in futurum. Eapropter nos attendentes strenuitatem cujusdam viri Balduini nomine quondam monachi S. Petri Gandensis, qui ab abbate suo absolutus, sicut per ejusdem abbatis litteras innotescit, in quodam silvestri loco vastæ solitudinis in Wasia videlicet diœcesis nostræ, qui Bodelo nuncupatur, tandiu commendabiliter apud Deum & apud homines solitarie noscitur conversatus, quod fideles aliquot zelo imitandæ religionis convenire ad ipsum voluerint, consimilem vitam cum eo & sub eo agere cupientes, & vir nobilis Balduinus Flandriæ & Hannoniæ comes divino tantum, ut credimus, instinctu motus, religiosa ejus conversatione audita, quasdam possessiones contulerit in agris, pratis, in nemoribus & quibusdam aliis constitutis, sicut in ejusdem comitis rescripto inde confecto plenius continetur, tam adeo commendabilis initium conversationis ejus, in futurum sicut speramus adjuvante Domino plurimum profecturæ, quam etiam memoratam dicti comitis donationem, sicut rationabiliter & canonice facta est, laudamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus, eorum qui huic confirmationi interfuerunt nomina subnotantes. Signum Gossuini archidiaconi, S. Dionysii magistri scholarum. S. magistri Terrici canonicorum Tornacensium. Datum Tornaci per manum magistri Giselini cancellarii nostri, anno Dominicæ Incarnationis M. CC. III. mense Maio.

IV.

Epistola congratulatoria Gosvini Tornacensis episcopi de augmento loci de Bodelo & mandatum ejusdem de erigendo ipso in abbatiam.

1204. GOSVINUS Dei gratia Tornacensis episcopus, dilecto filio Balduino monacho de Bodelo & confratribus suis in Domino salutem & perseverantiam in bono. Audientes, locum & religionem vestram plurimum multiplicari in Domino, tam facultate rerum quam numero personarum, gratias ei agimus, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, spem habentes in ipso, magnam ibi per eum futuram esse famulantium sibi devote congregationem servorum, & ipse qui cœpit perficiet, consummabit, solidabitque: unde ut in ipso constructa ædificatio vestra melius proficere possit per gratiam Conditoris ejusdem, mandamus tibi Balduine & fratribus tuis atque in virtute obedientiæ districte præcipimus, ut quam cito sufficientes vobis Deus dederit facultates, unde duodecim litterati monachi congrue valeant sustentari, sine dilatione pro posse vestro detis operam ut locus vester fiat abbatia, & sit membrum ecclesiæ Tornacensis; sciatis enim quod quidquid poterimus consilii & auxilii vobis ad promotionem vestram, adjuvante Domino nos promittimus impensuros. Datum Tornaci per manum magistri Ghiselini cancellarii nostri anno gratiæ M. CC. IV. II. cal. Octobris.

V.

Abbatia Nonnenbosci suscipitur in ordine Cisterciensi, sub Clara-valle. Ex chartul. B. Mariæ de Bosco.

FRater A. dictus abbas Cisterciensis, omnibus præsentem paginam inspecturis æternam in Domino gratiam & salutem. 1215. Universitati vestræ notum facimus, quod nos sorores constitutas in loco, qui dicitur Locus sanctæ Mariæ, de auctoritate capituli generalis ordini nostro incorporavimus, & abbati Clarævallis eam domum in filiam concessimus. Actum an. Dom. M. CC. XV.

VI.

Privilegium Valteri episc. Tornac. pro parthenone de Nonnenbosco.

VALTERUS divina miseratione episcopus Tornacensis, omnibus Christi fidelibus litteras has inspecturis, salutem in Domino. 1220. Cum religiosam domum de Bosco a venerabili prædecessore nostro G. bonæ memoriæ quondam episcopo Tornacensi, in honore gloriosæ Virginis inchoatam, tanquam novellam plantationem fovere modis omnibus debeamus, concedimus ut moniales ibidem existentes terras hactenus incultas, quas habent sub jure patronatus nostri in parochia de Lokerne, usque ad centum & quinquaginta bonaria de cætero faciant excoli per colonos extraneos, & sumptibus alienis, ita quod earumdem terrarum decimæ salvæ remaneant monialibus memoratis. Ut hæc autem nostra concessio in perpetuum rata permaneat, & posteris innotescat, præsens scriptum sigillo nostro fecimus roborari. Actum apud . . . . . anno Domini M. CC. XX. feria VI. ante purificationem beatæ Mariæ virginis.

VII.

Robertus de Bethunia confirmat trajectum super Teneram liberum monasterio de Bodelo.

EGO ROBERTUS de Bethunia Tenremundensis terræ dominus, universis tam præsentibus quam futuris, 1225. quibus præsens scriptum videre contingerit notum facio, quod Gertrudis & Ingelramus filius ejusdem, qui passagium Tenremundensis castri de me tenent in feodum jure hæreditario, meo assensu fratribus monasterii beatæ Mariæ de Bodelo Cisterciensis ordinis divinæ remunerationis intuitu in perpetuum contulerunt, quod ipsi & posteri eorum prædictos fratres & nuntios eorumdem cum rebus suis euntes sive redeuntes sine aliqua exactione nauticæ mercedis libere transvehent & indilate, quod ut ratum & firmum permaneat in futurum, sigilli mei appensione confirmavi. Actum anno Domini M. CC. XXV. mense Aprili.

VIII.

De exordio monasterii Portus beatæ Mariæ juxta Gandavum & de ejus ordini Cisterciensi associatione.

VEnerabili & in Christo dilecto coabbati suo de Bodelo Fr. R. dictus abbas Clarevallensis, salutem & 1228. sinceram in Domino caritatem. Mandamus vobis benigne rogantes quatenus cum expedire videritis ad monasterium de Bosco ex parte nostra personaliter accedatis & accipiatis inde, prout vobis visum fuerit, aliquas moniales, mittentes eas ad monasterium nuper ordini nostro incorporatum, quod vir illustris F. Flandriæ & Hannoniæ comes & nobilis mulier J. comitissa uxor ejus extra Gandavum inchoari fecerunt, quod & nos ad instantiam eorumdem nobilium tam per litteras quam viva voce super hoc nos affectuose rogantium, tandem recepimus in filiam & ad suggestionem ipsorum Portum

B. Mariæ duximus appellandum. Vos quoque prædic- A tum locum ex parte nostra, quotiescumque necesse fuerit, visitetis & abbatissam instituatis in eo quando videritis expedire; devotionem vero vestram affectuose rogamus in Domino, quatenus promotioni & regimini dictæ domus taliter invigilare curetis, ut possitis in hoc gloriam Domini promereri, & nos simus erga personam vestram specialius obligati. Datum an. Dom. M. CC. XXVIII. in die apostolorum Simonis & Judæ.

IX.

Quod monasterium de Gandavo vocetur Portus B. Mariæ & quod filia sit abbatis Claræ-vallensis.

1228. F. Flandriæ & Hannoniæ comes & J. comitissa uxor B ejus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra quod nos monasterium monialium quod inchoari fecimus extra Gandavum, in loco qui ab antiquo vocari consuevit Portus monialium, de cætero Portum B. Mariæ duximus nominandum, idemque monasterium, quod ad preces nostras nuper ordini Cisterciensi incorporatum est tempore capituli generalis, volumus esse filiam domini Clarevallensis abbatis. In hujus ergo rei testimonium præsentes litteras scribi fecimus & sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum an. Domini M. CC. XXVIII. mense Octobri.

X.

Consensus W. episcopi Tornacensis pro institutione C ejusdem monasterii & hospitalis, &c.

1228. W. Dei gratia Tornacensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod venerabili viro abbate S. Bavonis & presbyteris parochialibus S. Martini de Eckerghem assensum suum solemniter adhibentibus benigne concessimus, ut extra Gandavum infra parochiam de Eckerghem, monasterium monialium Cisterciensis ordinis fundaretur, salvo jure ecclesiæ S. Bavonis & salvo jure parochialium sacerdotum, prout in litteris nostris super hoc editis plenius continetur; ordinavimus insuper ut bona infirmorum & pauperum quæ spectabant hactenus ad domum quamdam de Gandavo, quæ per manum nostram nunc collata est fratribus ordinis D Prædicatorum in perpetuam mansionem, de cætero pertinebunt ad hospitale quod construitur juxta monasterium memoratum: ita quod ipsum hospitale cum omnibus ad illud pertinentibus semper sit membrum de corpore præfati monasterii, & bona ejusdem hospitalis in perpetuum ipsius monasterii provisione regantur & distribuantur in necessitates infirmorum & pauperum, quorum usibus assignata noscuntur. Decrevimus autem ut dictum monasterium duarum marcharum redditum præfatis presbyteris de Eckerghem competenter assignet pro recompensatione juris eorum, pro minutis decimis & pro oblationibus, quæ in eodem monasterio offerentur, tam in ecclesia monialium, quam in capella prædicti hospitalis pauperum, seu ad quæcumque altaria infra ambitum ejusdem monasterii juxta Cisterciensis ordinis consuetudinem construenda; memorato namque monasterio easdem consuetudines approbatas habere concedimus, quæ in aliis domibus ejusdem ordinis observantur. Locum igitur monasterii sæpefati & universa ad illud pertinentia ordini Cisterciensi in perpetuum pacifice possidenda, concedimus & auctoritate dioecesana eidem ordini confirmamus in usus monialium & in necessitates infirmorum pauperum perpetuo convertenda. Ut hæc autem firma permaneant & ab hominum memoria non recedant, præsentes litteras scribi fecimus & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno Domini M. CC. XXVIII. mense Decembri.

XI.

Littera Præmonstratensis capituli de inchoatione ejusdem monasterii.

Illustri & carissimo in Christo domino F. Dei gratia Flandriæ & Hannoniæ comiti & nobili dominæ J. uxori suæ Fr. C. Præmonst. abbas & abbatum ejusdem ordinis capitulum generale, salutem & cum orationibus devotam ad obsequia voluntatem. Cum quoddam monasterium monialium in honore beatæ Virginis extra Gandavum feceritis inchoari, petiistis satis humiliter & devote quatenus opus ipsum ratum habeamus pariter & acceptum, cum ex eo nulli damnum, sicut dicitis, inferre velitis. Quoniam igitur vestræ voluntati per omnia parere volumus & debemus in hiis maxime quæ ordinis non derogant honestati, vel eidem nullum præjudicium generare noscuntur, nobilitati vestræ præsentium serie significamus, quod nos totum negotium venerabili fratri nostro abbati Truncinensi commisimus ordinandum, prout in litteris quas sibi super hoc transmisimus videbitis plenius contineri: ad hæc quoniam humiliter petiistis ut vos in nostris orationibus habeamus specialiter commendatos, scire vos volumus quod præter generalitatem illam, qua participes estis orationum & omnium spiritualium benefactorum ordinis nostri, orationes pro vobis fecimus fieri speciales, ut Dominus vos in prosperitate & pace custodiat, & conservet ad honorem patriæ & animarum salutem. Valete bene & diu in Domino. Datum Præmonstrati in capitulo generali anno gratiæ M. CC. XXIX. 1229.

XII.

De societate & mutua caritate servanda inter monasteria loci B. M. in Bosco & Portum B. Mariæ juxta Gandavum.

Soror C. dicta abbatissa de loco B. Mariæ in Bosco, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ut inter domum nostram & inter monasterium ordinis & hospitale B. virginis de Gandavo, familiaritas specialis & caritatis mutuæ devotus affectus in posterum firmius perseverent, tam præsentibus quam futuris nota fore volumus quæ inferius continentur. Noverint igitur universi, quod domus nostra sumpsit initium de præfato hospitali; personæ namque manentes in hospitali, quæ de suis facultatibus ipsum construxerant hospitale, ob conservationem & regimen hospitalis, tandem nostrum monasterium de propriis facultatibus inchoare cœperunt, pro negotiis domus nostræ diu fideliter & efficaciter laborantes, unde fatemur merito, quod nos & quæ nobis succedent, speciali devotione debemus ipsum hospitale diligere & ad commodum & utilitatem ipsius attentius laborare. Tandem vero videbatur merito formidandum, quod propter periculum aliquod, quod ex hoc posset ordini lapsu temporis provenire, diu durare non posset, quod abbatissa de Bosco regeret hospitale Gandense & quod visitatores nostri diu nullatenus sustinerent, quod abbatissa domus nostræ sorores suas & personas ordinis apud Gandavum propter regimen hospi- E talis mitteret ad morandum in tumultu & in medio mundi extra claustrum & extra ordinis disciplinam: quod si forsan eveniret, periclitaretur plurimum vel destrueretur penitus hospitale. Quapropter ad ampliandum cultum Domini, ad perpetuam firmitatem hospitalis prædicti, personæ hospitalis studuerunt efficaciter laborare, quatenus extra Gandavum juxta idem hospitale monasterium quoque nostri ordinis de nostris monialibus fundaretur: ita quod ipsum hospitale cum omnibus pertinentiis suis semper esset membrum de corpore ejusdem monasterii Gandavensis & bona hospitalis in perpetuum provisione ac ministerio ipsius monasterii regerentur & distribuerentur in necessitates infirmorum & pauperum, quorum usibus deputata noscuntur. Notum sit etiam 1229.

universis quod memoratæ personæ quæ construxerunt hospitale; possessiones quoque pro majori parte, quas ipsum hospitale nunc habet, eidem in eleemosynam distribuendas juxta proborum virorum consilium contulerunt & nunc tandem construere inceperunt præfatum monasterium Gandavense pro conservatione specialiter & regimine hospitalis: scilicet ut ipsum hospitale de cætero sit in eodem monasterio infirmitorium pauperum & bona quæ fuerint hactenus hospitalis, semper de cætero in eodem infirmitorio in usus infirmorum pauperum convertentur. Verum personæ quæ inchoaverant loca prædicta, præcipuum & summum habebant desiderium, quod nobis reliquerunt quasi perpetuum & firmissimum testamentum, super quo frequenter ab eis facta est ad nos studiosa monitio & affectuosa supplicatio, quatenus inter nos & præfatum monasterium Gandavense semper vigeat devotus amor & specialis affectio, officiosa caritas & omnimoda secundum Deum familiaritas; ita quod cum omni affectu & devotione studeamus nos invicem mutuis semper obsequiis prævenire, & sicut eosdem inchoatores habuimus & quasi unum principium: ita summopere satagamus in una semper manere concordia & habere cor unum ad conservationem & promotionem hospitalis, studium & omnem diligentiam adhibendo. Confidimus enim in Domino quod melius se habebit utrumque monasterium, si hospitale secundum Deum fuerit procuratum. Ut hæc autem firma permaneant & ab hominum memoria non recedant, præsentes litteras scribi fecimus & sigilli nostri appensione signari. Venerabilis quoque pater domnus abbas de Bodelo tam nostri quam Gandensis monasterii visitator præsentibus litteris sigillum suum apposuit, in memoriam prædictorum; sæpefatum insuper monasterium Gandavense eisdem litteris sigillum suum tenebitur apponere, cum ipsum contigerit habere abbatissam. Datum anno Domini M. CC. XXIX.

XIII.

De divisione bonorum Loci B. Mariæ in Bosco & alterius cœnobii Gandavensis dicti Portus B. Mariæ necnon hospitalis.

1234. JOHANNA Flandriæ & Haynoniæ comitissa, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Ad ampliandum cultum Domini & gloriosæ virginis matris Dei, monasterium de loco B. Mariæ in Bosco ac monasterium de Portu B. Mariæ Gandavensis in fundo nostro fecimus inchoari, & in subsidium egenorum dominus comes F. felicis memoriæ quondam maritus noster carissimus & nos hospitale quoddam pauperum nostris manibus inchoavimus infra ambitum ejusdem monasterii Gandavensis, loca vero prædicta eosdem procuratores ac provisores diutius habuerunt, & possessiones etiam plures eorumdem locorum communes aliquanto tempore & permixtæ fuerunt. Ne vero super hiis inter posteros ambiguitas oriatur, nos a prædictis monasteriis requisitæ, præsenti scripto decrevimus declarare ad quæ loca earumdem possessionum proprietas debeat pertinere. Noverint igitur universi quod sicut ab eisdem monasteriis intelleximus & in eorum patentibus litteris vidimus contineri, possessiones quæ hic proximo exprimuntur, sunt monasterii præfati de Bosco, videlicet locus in quo idem monasterium situm est cum Wastinis adjacentibus collatis in eleemosynam sive comparatis, curtis quoque quæ est in territorio quod dicitur Scara, & octoginta circiter bonaria terrarum in quatuor officiis jacentium; decimæ quoque in officio de Hasnede, quæ fuerunt domini Bernardi de Weneberchies militis & fratrum suorum, ac decimæ quædam acquisitæ in officio de Bochoute, quæ fuerunt Simonis Harop & Hugonis filii Henrici militis: sicut autem in eisdem litteris vidimus contineri, hæ possessiones quæ sequuntur inferius, sunt præfati monasterii Gandavensis & prædicti hospitalis Gandavensis: decima scilicet de Bassevelde, quæ fuit domini Gilberti de Sottenghem, & decimæ quædam parvæ jacentes in parochiis de Rasenghem lewerghem & in confinibus parochiis, ac curtis de Eka cum Wastinis ad eandem curtim pertinentibus sunt totaliter ejusdem monasterii Gandavensis, excepto quod in acquisitione earumdem Wastinarum centum libræ erant positæ de pecunia hospitalis; habet insuper idem monasterium decimam quandam apud Wevelswale, quæ fuit Willelmi filii Petri & circiter septuaginta bonaria terrarum in quatuor officiis jacentia, cujus decimæ & quarum terrarum medietas specialiter ad usus monasterii & alia medietas ad usus pertinet hospitalis. Præter prædictas vero terras idem monasterium habet curtim unam in Samslacht cum terris ad ipsam pertinentibus, & quandam parvam decimam in parochia de Hasnede in territorio quod dicitur Haghe: habet etiam curtim unam cum terris & moro & quibusdam redditibus ad eandem curtim de Haghe pertinentibus, sed dicta curtis de Samslacht & terræ ad eandem curtim pertinentes spectant specialiter ad usus hospitalis, præter decem bonaria, quæ de bonis monasterii comparata fuerunt, eademque curtis de Haghe, terræ & morus ad ipsam pertinentes ad usus hospitalis totaliter pertinent, excepto quod idem monasterium ibidem triginta bonaria comparavit, quæ fuerunt Balduini filii Liardæ. Dominus quoque comes & nos decem librarum redditus juxta eandem curtim in eleemosynam contulimus eidem monasterio Gandavensi, fundus etiam ejusdem monasterii continens circiter viginti duo bonaria in terris, pratis & montibus, ædificia quoque terræ & redditus de Gandavo præter modicos & circiter quatuor bonaria prati juxta Capenberghe: redditus quoque circiter trium librarum in Porthacker, & viginti duo solidorum apud Merendre, ac viginti solidorum apud Otverdenghem ad idem totaliter pertinent hospitale. Ipsum vero monasterium Gandavense prædictas possessiones hospitalis diligenter ut proprias regere semper ac procurare debebit, & tam de suis propriis, quam de hospitalis possessionibus viginti quinque monialibus in monasterio & quanto pluribus potest infirmis & pauperibus in hospitali tenebitur necessaria providere. Ut hæc igitur in posterum firmiter observentur, & nulla dissensio super eisdem possessionibus oriatur, præsentes litteras scribi fecimus & sigilli nostri munimine roborari. Datum an. Dom. M. CC. XXXIV.

XIV.

Theodericus abbas de Baudelo testatur & recognoscit se esse sub jure abbatis Camberonensis. *Ex archivo Camberon.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis, frater Theodericus dictus abbas de Baudelo & ejusdem ecclesiæ conventus, salutem in omni Salutari. 1235. Quoniam super genealogia domus nostræ nonnunquam apud quosdam quæstio scrupula personuit, ac si venisset in dubium cujus abbatis vel abbatiæ domus nostra de Baudelo dici vel esse filia potissimum debuisset, nos super re tam certa nolentes de cætero dubietatem aliquam sive calumniam renovari, veritatem a vicinis abbatibus & senioribus nostris virisque fidelibus diligentius inquisitam redigi fecimus in scripturam. Præsentium igitur testimonio notum facimus universis, quod, sicut certa relatione fidelium didicimus, & domus nostra de novo, Cisterciensi ordini per generale capitulum incorporata fuisset, & ab abbate & conventu Clarævallis, conventus de monachis Clarævallis in domum nostram commorandi gratia destinatus, ibidem propter rerum omnium penuriam & defectum competenter sustentari nequiret; domini Clarævallis licentia & permissu ad domum Clarævallis de qua venerant, sunt reversi: exinde domnus Conradus abbas qui tunc temporis monasterio præerat Clarævallis, domus nostræ cura nolens diutius onerari, domno Balduino tunc temporis abbati de Camberone, per seniorum Clarævallis consilium & per conventus dictæ domus, sicut intelleximus, beneplacitum & consensum, domum

nostram dedit in filiam, ut eam tam ipse quam sui successores paternitatis jure regerent, & tanquam suam domusque suæ filiam perpetuo visitarent. Cum igitur ex tunc per abbates Camberonenses fuerimus regulariter visitati, domusque Camberonensis nos cum domo nostra filii, & esse meruerimus, & vocari; sicut abbati & ecclesiæ Camberonensi paternitatis in nobis attribuimus principatum, abbatiamque de Camberone matrem nostram immediate & absolute fatemur: sic alterius abbatis cujuslibet vel abbatum filios esse tam pro præsentibus nobis, quam pro aliis post futuris, ore rotundo, vel voce libera denegamus. Utque hæc attestatio & denegatio modernorum transeat ad futuros, præsentibus litteris sigillum nostrum de communi consensu censuimus apponendum. Datum anno Verbi Incarnati M. CC. XXXV. in octavis purificationis B. Mariæ semper virginis.

XV.

De augendo numero monialium Portus B. M. in Biloka usque ad quadraginta.

1243. VEnerabili in Christo carissimo domno Claraevallis abbati, J. Flandriæ & Hannoniæ comitissa, salutem & cum dilectione sincera paratam ad beneplacita voluntatem. Quoniam erga hospitale de Portu beatæ Mariæ Gandensis in Biloke & erga monasterium vestri ordinis infra ambitum ejusdem hospitalis positum specialem devotionem semper habuimus, promotionem utriusque loci in Domino plurimum affectamus. Intelleximus autem quod viginti quinque moniales in eodem monasterio existentes, quamvis fere omnes juniores sint & in suo majori robore constitutæ, non sufficiunt tantum servitium ecclesiæ secundum usum ordinis decantare: unde videtur nobis quod non solum evidens requirat utilitas, sed urgens exposcit necessitas ut præfatus numerus monialium secundum discretionis vestræ moderamen augeatur usque ad numerum quadraginta, secundum quod bona monasterii Dominus multiplicaverit: ita quod hoc fiat sine detrimento hospitalis, & intelleximus quod hæc est voluntas abbatissæ & conventus monasterii supradicti. Prædictus quoque numerus quadraginta ita transgressibilis habeatur, quod nisi per vos & hoc dispensative propter utilitatem vel necessitatem urgentem in numero modico augeatur ad tempus. Vestræ igitur discretioni affectuosius supplico, quatenus honestum istud & utile negotium promovere velitis, sicut ad honorem Dei & ordinis, & ad utilitatem sæpedicti monasterii & sui hospitalis noveritis expedire. Datum an. Dom. M. CC. XLIII. mense Maio.

Similes exstant litteræ W. episcopi Tornacensis ad abbatem Claraevallis de eodem negotio.

Sequuntur litteræ Stephani abbatis Claraevallis 1246. permittens ut numerus monialium ascendat ad XL.

XVI.

Secularisatio abbatiæ S. Bavonis Gandavensis a Paulo III. summo pont. facta.

an. 1536. PAULUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, superna dispositione præsidentes, ex commissi nobis pastoralis officii debito, ad singulas ecclesias & monasteria dirigentes circumspectæ considerationis intuitum, illorum ac in eis Altissimo famulantium personarum statum interdum alteramus & commutamus ac desuper disponimus & ordinamus, prout Catholicorum principum vota exposcunt, & rationabiles causæ persuadent, ac locorum & temporum conditionibus diligenter pensatis, ad divini cultus augmentum, ac pro ecclesiarum & monasteriorum eorumdem decore & venustate conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper augustus, qui etiam comes

A Flandriæ existit, nobis exponi fecit, quod licet monasterium sancti Bavonis situm juxta oppidum Gandavense ordinis sancti Benedicti, Tornacensis diœcesis, sedi Apostolicæ immediate subjectum, olim per præfatum sanctum Bavonem Hasbaniæ comitem fundatum & successu temporis, per comites Flandriæ, ipsius Caroli Imperatoris & comitis prædecessores dotatum, notabile & insigne, ac in eo ultra abbatialem illius dignitatem, unus prioratus, & unus præpositatus, ac una præpositura sancti Amandi nuncupata, & una thesauraria, necnon una eleemosynaria, una pitantiaria, una infirmaria & una hospitalaria, ac forsan alia officia inibi claustralia per illius monachos ordinem ipsum expresse professos, etiam una cum ipsius monasterii monachalibus portionibus obtineri solita, ac plures monachales portiones fore dinoscantur, & ab eodem monasterio præpositura in Papin-
B gloo ordinis & diœcesis prædictorum, in qua per abbatem ipsius monasterii pro tempore existentem unus ex illius monachis amovibilis deputari consuevit, dependeat, ac plura beneficia ecclesiastica ad præsentationem & collationem ejusdem abbatis pertineant; cum tamen dictum oppidum, quod ortum natalibus ipsius Caroli Imperatoris dedit, plurimum insigne & famosum, dictique comitatus principale & præcipuum, ac in eodem oppido unum aliud etiam opulentum monasterium ejusdem ordinis sub invocatione sancti Petri dicatum, & nulla cathedralis aut collegiata secularis existat præter unam tenuem,* vetustam ac depauperatam sub invocatione S. Pharaildis, cujus (causantibus inundationibus maris, quæ ante centum & tredecim annos evenerunt) tam fructus præbendarum, quarum aliquæ valorem duorum du-
C catorum auri communis æstimationis non excedunt, quam distributiones adeo tenues existunt, ut ad præsens non sit ibidem canonicus, qui ex fructibus suæ præbendæ se decenter sustentare possit: si in dicto monasterio sancti Bavonis nomen & titulus monasterii ac dignitas abbatialis & conventualitas, necnon ordo S. Benedicti ac omnis status & omnis dependentia regularis, necnon prioratus & præpositatus, ac sancti Amandi ac in Papingloo præpositurae, eleemosynaria, pitanciaria, infirmaria, hospitalaria, necnon thesauraria & alia officia, ac singulæ monachales portiones penitus & omnino perpetuo supprimerentur & extinguerentur, ac ecclesia monasterii sancti Bavonis hujusmodi in collegiatam ecclesiam secularem, ac in eo, loco dictæ abbatialis dignitatis, una præpositura secularis dignitas inibi principalis pro uno præ-
D posito seculari; & loco prioratus, unus decanatus pro uno decano; ac loco præpositatus, una cantoria pro uno cantore; necnon una thesauraria secularis loco thesaurariæ regularis; ac loco præpositurae in Papingloo, una scholastria, quæ non principales inibi dignitates, necnon viginti quatuor canonicatus & totidem præbendæ perpetuo erigerentur & instituerentur, profecto feliciori statui ecclesiæ monasterii S. Bavonis hujusmodi consuleretur, & tam illa, quam oppidum ipsum magis decoraretur ac venustiora redderentur, divinusque cultus in eadem ecclesia & ad illam Christi fidelium devotio cum illorum spirituali consolatione & animarum salute non parum augeretur. Quare præfatus Carolus imperator nobis humiliter supplicari fecit, ut in dicto monasterio S. Bavonis, nomen & titulum monasterii ac
E dignitatem abbatialem & conventualitatem, necnon ordinem prædictum ac omnem statum & omnem dependentiam regulares, necnon singula officia ac monachales portiones hujusmodi perpetuo supprimere & exstinguere, ac illius ecclesiam prædictam in secularem & collegiatam, ut præfertur, erigere & instituere, aliasque in præmissis opportune providere benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum æstimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique ecclesiarum & monasteriorum

* al. tantum.

quorumlibet ac illorum personarum prosperum statum, & in illis Divini cultus augmentum sinceris desideramus affectibus, monasterii ac singulorum officiorum & monachalium portionum prædictorum, fructuum, redditunm & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, cum ad hoc dilecti filii Lucæ * Munnich moderni abbatis per dilectum filium magistrum Andræam Castello scriptorem familiarem nostrum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum accedat, etsi etiam dilectorum filiorum conventus dicti monasterii S. Bavonis accesserit assensus, ad Omnipotentis Dei laudem & militantis ecclesiæ exaltationem ac monasterii S. Bavonis & ecclesiæ prædictorum filiorum successum, in ipso monasterio S. Bavonis nomen & titulum monasterii ac dignitatem abbatialem & conventualitatem, necnon ordinem prædictum, omnemque statum & dependentiam regulares, ac prioratum & præpositatum, necnon S. Amandi & in Papingloo præposituras, ac thesaurariam, eleemosynariam, pittanciariam, infirmariam & hospitalariam ac alia officia prædicta, illorum qualitates & denominationes, ita ut de cetero prioratus, præpositatus, præposituræ, thesauraria, eleemosynaria, pittanciaria, infirmaria, hospitalaria & officia dici, nominari & censeri non possint, ac singulas portiones monachales hujusmodi auctoritate apostolica tenore præsentium, perpetuo, penitus & omnino supprimimus & extinguimus, ac in ecclesia monasterii S. Bavonis hujusmodi statum regularem in statum canonicorum & presbyterorum ac clericorum secularium immutamus & ad statum secularem illam reducimus, ipsamque ecclesiam in secularem & collegiatam, ac in ea capitulum seculare cum mensa capitulari, sigillo & arca communibus, aliisque collegialibus insigniis, necnon loco suppressæ abbatialis dignitatis, unam præposituram, quæ principalis pro uno præposito seculari, qui similem jurisdictionem, potestatem, auctoritatem & præeminentiam, etiam quoad pontificalium usum & exercitium, ac solemnis benedictionis elargitionem habeat, prout abbas dicti monasterii habere consueverat; necnon loco prioratus, unum decanatum pro uno decano, ac loco præpositatus, unam cantoriam pro uno cantore, ac loco thesaurariæ regularis, unam thesaurariam secularem pro uno thesaurario; & loco præposituræ in Papingloo unam scholastriam, dignitates inibi non principales, necnon viginti quatuor canonicatus & totidem præbendas pro viginti quatuor canonicis, qui cum præposito, decano, cantore, thesaurario & scholastico præfatis, capitulum ipsius ecclesiæ faciant & constituant, & qui omnes horas canonicas diurnas pariter & nocturnas ac missas & alia divina officia secundum usum, ritum, & observationem Romanæ seu Tornacensis ecclesiæ recitare possint, perpetuo erigimus & instituimus, necnon eidem sic erectæ ecclesiæ seu illius capitulari mensæ pro ejus, seu præposituræ, decanatus, cantoriæ, thesaurariæ, canonicatuum & præbendarum prædictarum dote omnia & singula bona & fructus monasterii & suppressorum prioratus, præpositatus, præposituratum, thesaurariæ, eleemosynariæ, pittanciariæ, infirmariæ, hospitalariæ & portionum monachalium prædictorum, absque præjudicio ipsius moderni abbatis, qui de cetero quoad vixerit, præpositus, vel si maluerit, abbas nuncupetur, ac omnibus & singulis præminentiis, honoribus, dominiis, officiorum secularium deputationibus, collationibus, & præsentationibus beneficiorum, necnon fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis universis, quibus ante hujusmodi suppressionem & erectionem prædictas utebatur, possidebat & gaudebat, utatur, potiatur & gaudeat, necnon monachis ejusdem monasterii aut eorum aliquibus decedentibus, aliis canonicis secularibus in locum decedentium monachorum recipiendis, vita sibi comite, præter monachalem portionem, quam ipsi monachi hactenus habuerunt, aliquid nisi ex ejus libito dare teneatur; ac dignitates necnon canonicatus & præbendas prædictos ex bonis monasterii hujusmodi perpetuo dotare, illisque ex nunc, prout post ejus decessum & è contra, dotem prout sibi videbitur assignare possit, ac per eum faciendæ dotatio & assignatio hujusmodi, cum factæ fuerint, apostolica auctoritate approbatæ & confirmatæ censeantur, ita quod liceat præposito & capitulo ejusdem erectæ ecclesiæ, per se vel alium seu alios eorum nomine corporalem possessionem bonorum suppressorum abbatialis dignitatis post decessum ipsius moderni abbatis, ac ex nunc prioratus, præpositatus, præposituratum, thesaurariæ, eleemosynariæ, pittanciariæ, infirmariæ, hospitalariæ & aliorum officiorum, monachaliumque portionum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere: ac illorum & alios eorumdem suppressorum, dignitatum, officiorum & monachalium portionum fructus, redditus & proventus percipere, ac in suos usus & utilitatem convertere, diœcesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, auctoritate & tenore prædictis perpetuo applicamus & appropriamus. Necnon modernum abbatem & omnes & singulos ipsius monasterii S. Bavonis monachos, etiam illius officia prædicta obtinentes, ordinem ipsum inibi vel alibi tacitè vel expressè professos ab observantia constitutionum, ordinationum, statutorum & consuetudinum regularium monasterii S. Bavonis & ordinis prædictorum, necnon quorumcumque per eos in eorum professione emissorum votorum, obedientiæ & castitatis votis duntaxat exceptis, & a regula S. Benedicti & secundum illam Divini officii recitatione, ita ut ipse abbas & monachi nunc regulares, de cetero præpositus, decanus, cantor, thesaurarius, scholasticus & canonici seculares ipsius ecclesiæ existant, & pro talibus habeantur & reputentur, ac de cetero habitum regularem dicti ordinis gestare, & illius regularia instituta, diffinitiones, ritus & mores, etiam quoad divinorum celebrationem, jejunia, victum, & ciborum usum ac indumentorum, aut alia quæcumque, ad quæ dicti ordinis seu professionis occasione tenebantur, in futurum observare minime teneantur, sed in habitu, cæremoniis, ritu, incessu, moribus & vita quoad omnia secularibus canonicis aliarum collegiatarum ecclesiarum se omnino & ubique absque alicujus apostasiæ nota seu censuræ incursu conformare. Et præsentium vigore modernus abbas loco dictæ suppressæ abbatialis dignitatis præposituram secularem, ac modernus prior decanatum, & modernus præpositus cantoriam, ac modernus thesaurarius regularis thesaurariam secularem, necnon modernus præpositus in Papingloo scholastriam erectos, ac singuli monachi præfati unum ex canonicatibus & unam ex præbendis erectis hujusmodi, absque alia provisione eis de illis respectivè facienda retinere possint; ipseque modernus abbas dictæ erectæ ecclesiæ præpositus, ut de quibusvis bonis suis mobilibus & immobilibus quomodolibet tacitè, etiam intuitu ecclesiæ acquisitis & acquirendis, libere & licite in vita & in morte testari & disponere valeat, sed spolia quæ nunc sunt & pro tempore erunt ejusdem erectæ ecclesiæ monachorum decedentium, ad mensam capitularem erectæ ecclesiæ hujusmodi pertineant, ac præposito & dignitates obtinentibus necnon canonicis & personis ejusdem erectæ ecclesiæ ab intestato decedentibus, etiamsi consanguineos habuerint, nihilominus capitulum præfatis, quoad bona intuitu ecclesiæ acquisita fabricæ ipsius erectæ ecclesiæ applicanda, succedant; sic tamen quod nunc præsentes monachi, qui habitum regularem & regulam sancti Benedicti dimittere noluerint, in illis quandiu voluerint, remanere possint, & nihilominus divinis in dicta ecclesia deserviendo, tantum percipiant, quantum unus ex aliis canonicis dictæ erectæ ecclesiæ, ac sedeant & incedant, vocemque activam & passivam habeant inter alios canonicos secundum ordinem pristinum, dummodo in divinis & aliis ecclesiasticis officiis in superiori habitu aliis canonicis se conforment, auctoritate prædicta earumdemque tenore præsentium absolvimus & liberamus: & insuper quod dicta erecta ecclesia

* al. Muenich.

ecclesia & illius præpositus, dignitates obtinentes, canonici & personæ pro tempore existentes, prout dictum monasterium ac illius abbas & monachi ante hujusmodi suppressionem & erectionem exemti & dictæ sedi immediate subjecti erant, pari modo exemti ac eidem sedi immediate subjecti sint & esse censeantur, & quod jus patronatus & præsentandi personas idoneas tam ad præposituram quam ad duodecim canonicatus & præbendas, hac prima vice duntaxat excepta, pro tempore, quibusvis modis & ex quorumcumque personis etiam apud sedem Apostolicam vacantes, ad præfatum Carolum Imperatorem & pro tempore existentem comitem Flandriæ Romano pontifici pro tempore existenti, electio vero personarum idonearum ad decanatum, cantoriam, thesaurariam & scholastriam erectos ad præpositum, decanum & capitulum ejusdem ecclesiæ erectæ, institutio autem personarum sic per eos pro tempore electarum, necnon collatio & provisio aliorum duodecim canonicatuum, præbendarum & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam hac prima vice ad ipsum solum præpositum pro tempore existentem, ac collatio & præsentatio omnium & singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ ad collationem & præsentationem ipsius abbatis pertinebant, etiam de cætero ad eumdem solum præpositum pertineant, nec ordinarius loci in collatione dictorum canonicatuum & præbendarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum se quoquomodo immiscere possit; & dicto moderno abbate decedente ex omnibus dicti monasterii bonis eidem mensæ capitulari applicatis, seu illorum fructibus, redditibus & proventibus, præpositus pro tempore existens quantum quatuor, una cum domibus & dominiis dicti olim monasterii per eum eligendis & eidem præposituræ applicandis, ac singuli ex decano, cantore, thesaurario & scholastico præfatis æquales portiones cum aliis canonicis pro rata una cum, quota pecuniaria vel portione bonorum monasterii hujusmodi per dictum modernum abbatem eis & eorum cuilibet ratione dictarum dignitatum ad suum libitum deputanda & consignanda percipiant, nisi idem modernus abbas vita sibi comite juxta facultatem sibi per præsentes concessam, aliter quam ut præfertur, disposuerit. Et præpositus pro tempore præsentatus & institutus, solus officiarios justitiæ, videlicet baillivum, schulterum, scabinos & similes cum omni jurisdictione, prout ad præsens dictus modernus abbas habet tam in dicto monasterio sancti Bavonis, quam dominiis ejusdem: cæteros vero officiales ac receptores bonorum dictæ erectæ ecclesiæ, præpositus cum capitulo deputare possit & debeat, eisdem auctoritate & tenore perpetuo statuimus & ordinamus; ac eidem moderno abbati futuro præposito, canonicis & aliis personis dictæ erectæ ecclesiæ domos & mansiones deputandi & assignandi necnon præposito pro tempore existenti & capitulo præfatis, tam circa divinorum officiorum celebrationem, quam bonorum & rerum dictæ erectæ ecclesiæ conservationem & augmentum ac fructuum distributionem, quæcumque statuta & ordinationes licita & honesta ac sacris canonibus non contraria condendi, & condita prout qualitas temporum exegerit, reformandi & mutandi ac alia de novo faciendi, quæ postquam condita, reformata, immutata, ac de novo edita fuerint, apostolica auctoritate prædicta etiam firmata sint & esse censeantur, ac firmiter observari debeant, plenam & liberam facultatem concedimus, & nihilominus eidem ecclesiæ & illius præposito, decano, cantori, & thesaurario, scholastico, capitulo, canonicis & personis pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, franchisiis, prærogativis, facultatibus, gratiis, concessionibus & indultis eidem monasterio ac illius abbati & personis, tam apostolica quam ordinaria auctoritatibus, seu etiam per quoscumque Romanos pontifices, ac Imperatores, Reges, duces, comites, comitissas, marchiones & quoscumque alios superiores quomodolibet concessis, quibus per præmissa nullatenus præjudicatum censeatur, sed illis ut prius, & aliis quibus aliæ ecclesiæ

A collegiatæ seculares illarum partium ac illarum dignitates, canonici & personæ quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad delationem almutiarum pariformiter & absque ulla differentia uti, potiri & gaudere possint & debeant, indulgemus. Præterea abbatem & monachos præfatos ac eorum singulos, qui propter institutorum regularium prædictorum transgressionem, aliquam apostasiæ notam aut irregularitatem seu inhabilitatem incurrerint, ab hujusmodi excessibus necnon apostasia & quibusvis excommunicationibus, & aliis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas præmissorum occasione forsan quomodolibet incurrerint, auctoritate & tenore supradictis absolvimus, ac cum eis super irregularitate, si quam censuris hujusmodi ligati
B Missas ac alia divina officia celebrando, aut illis se immiscendo contraxerint, quodque quæcumque, quotcumque & qualiacumque cum cura & sine cura secularia, alias se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus & metropolitanis post pontificales majores, seu collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa & instituantur in eis post suppressionem & reductionem hujusmodi, recipere & retinere, illaque simul vel successive, simpliciter, vel ex causa permutationis, quo-
C ties eis placuerit, dimittere, & loco dimissi vel dimissorum, aliud vel alia, simile vel dissimile, similia vel dissimilia, beneficium seu beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, quæcumque, quotcumque & qualiacumque cum cura & sine cura se invicem compatientia similiter recipere, & ut præfertur, retinere libere & licite valeant auctoritate & tenore supradictis de specialis dono gratiæ dispensamus, abolentes omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per eos præmissorum occasione quomodolibet contractam. Quocirca dilectis filiis sancti Donatiani Brugensis dictæ diœcesis, & sanctæ Pharaildis ejusdem Gandavensis oppidorum ecclesiarum præpositis ac officiali Tornacensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta
D quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte præpositi & capituli prædictorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra suppressionem, exstinctionem, erectionem, institutionem, immutationem, reductionem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, concessionem, indultum, decretum & alia præmissa firmiter observari, ipsosque, Carolum & pro tempore existentem Flandriæ comitem, ac præpositum & capitulum, illos, necnon eosdem abbatem & monachos possessione seu quasi absolutionis, liberationis, dispensationis & abolitionis prædictarum pacifice gaudere: non permittentes eos desuper per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet impediri, molestari vel per-
E turbari, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, non obstantibus præmissis ac priori voluntate nostra prædicta, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac monasterii sancti Bavonis & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon privilegiis & indultis apostolicis, eidem monasterio sancti Bavonis & ordini sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque aliis decretis concessis, approbatis &

innovatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum mentio etiam juris dispositione fieri deberet, tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de monachalibus portionibus ac officiis hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per eosdem & inde secuta quæcumque ad loca & monachales portiones necnon officia suppressa hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem locorum & monachalium portionum ac officiorum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi & excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, exstinctionis, immutationis, reductionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, absolutionis, liberationis, statuti, ordinationis, concessionis, indulti, dispensationis, abolitionis, derogationis, mandati & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum* anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo sexto, nono calendas Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

* al. Marcum.

XVII.

Alexander Farnesius S. R. E. card. & legatus a latere decernit transferendum capitulum S. Bavonis ad ecclesiam parochialem S. Johannis Gandav. anno M. D. XL.

ALEXANDER miseratione Divina S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis, de Farnesio nuncupatus, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius, ad Hispaniæ & Franciæ regna, necnon quæcumque alia loca & provincias ad quæ nos declinare contigerit, Domini nostri papæ & apostolicæ sedis de latere legatus ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis ab apostolica sede nunciaturæ officio, Imperatorum & Regum votis præsertim suorum dominiorum pacem ac subditorum publicam, & evidentem necessitatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte devotissimi dictæ sedis filii Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti & Hispaniarum regis Catholici nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper ipse ad civium oppidi Gandavi Tornacensis diœcesis sub debitis fidelitate & obedientia animos continendos ac inter eos & totam patrium & comitatum Flandriæ, cujus ipse Carolus etiam & comes existit, pacem & tranquillitatem perpetuo fovendam & conservandam, aliisque necessariis & urgentissimis causis animum suum moventibus impulsus, unam munitam arcem seu fortalitium in collegiata ecclesia S. Bavonis ipsius oppidi loco ad id congruentiori constituere & ædificare incœpit. Et quia sicut eadem expositio subjungebat, pro arce seu fortalitio hujusmodi perficiendo totam dictam ecclesiam seu ejus majorem partem demoliri oportet, a nobis instanter petiit, ut ecclesiam collegiatam præfatam in totum supprimere, necnon ad parochialem ecclesiam S. Johannis ejusdem oppidi, ad quam ipse Carolus imperator singularem gerit devotionis affectum, & in qua Baptismatis sacramentum accepit, transferre, & etiam ab ipsa parochiali ecclesia invocationem S. Johannis delere, illamque in collegiatam ecclesiam sub invocatione dicti S. Bavonis erigere, aliasque in præmissis opportune providere dignaremur. Nos igitur ad infra scripta per dictæ sedis litteras, quas juxta indultum nobis in eis concessum inserere non tenemur, sufficienti facultate muniti, precibus ipsius Caroli imperatoris in hac parte inclinati, auctoritate apostolica nobis concessa* qua fungimur in hac parte, tenore præsentium, collegiatam ecclesiam S. Bavonis, necnon in dicta parochiali ecclesia invocationem S. Johannis perpetuo supprimimus, eamdemque parochialem in collegiatam ecclesiam sub invocatione dicti S. Bavonis cum capitulo, claustro & aliis collegialibus insigniis perpetuo erigimus & instituimus, ac eandem de novo erectam collegiatam S. Bavonis abbatiam sive præposituram principalem, necnon reliquas dignitates, canonicatus & præbendas, capellanias & beneficia dictæ demoliendæ ecclesiæ cum anniversariis, fundationibus, provisionibus, collationibus, patronatu & funeralibus ac aliis juribus, jurisdictionibus, censibus, fructibus, redditibus & proventibus, necnon tam personalibus quam realibus privilegiis, immunitatibus & exemtionibus, præeminentiis, honoribus, franchisiis & gratiis, lampadibusque, sanctorum corporum reliquiis, reliquiariis, campanis, libris, calicibus, crucibus, ornamentis, feretris, clenodiis, aliisque mobilibus & immobilibus ac se moventibus bonis transferimus, illaque omnia eidem de novo erectæ collegiatæ ecclesiæ perpetuo applicamus & appropriamus: ac eidem Carolo imperatori collegiatam ecclesiam præfatam pro dicta arce seu fortalitio construendo, seu partem ex ea necessariam absque aliquo conscientiæ scrupulo demoliendi licentiam & facultatem concedimus, necnon reverendo in Christo patri episcopo Tornacensi seu ejus suffraganeo aut cuicumque alii prælato vel in dignitate ecclesiastica constitutæ personæ translationem ipsam cum solemnitatibus & cæremoniis in similibus necessariis & opportunis, ac adhiberi solitis faciendi potestatem impartimur, non obstantibus apostolicis ac provincialibus & synodalibus constitutionibus & ordinationibus, statutisque & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum in dicto oppido Gandavi anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, quinto idus Maii, pontificatus sanctissimi domini nostri Pauli Divina providentia papæ tertii anno sexto. Sub plica A. cardinalis de Farnesio legatus, N. Marsican. Antonius Helius; super plicam vero A. de Basseta, & a tergo registrata, Ludovicus Alemannus.

* & commissa.

Porro hanc suppressionem, translationem, & erectionem ecclesiæ S. Johannis in collegiatam sub invocatione S. Bavonis confirmavit Paulus III. papa anno 1541.

XVIII.

Bulla erectionis episcopatus Gandavensis in qua dos episcopi & limites diœcesis definiuntur.

Ex tabul. episcopatus Gandavensis.

1561.

PIUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis ecclesiæ, disponente Domino præsidentes, pro ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium noviter erectarum, illisque præsidentium & in divinis servientium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti pastoralis officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendi-

mus, & ad ea per quæ ecclesiarum ipsarum dotationi, decori & honestati, suorumque præsulum, capitulorum & aliarum personarum divinis ibi laudibus insistentium statui & opportunæ subventioni cum divini cultus augmento & animarum Christi fidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac alias super his, & nonnulla, quæ a prædecessoribus nostris licet consulto gesta fuerunt, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum personarumque qualitas exigit, & ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet, & in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque alias postquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster, providi pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta celeberrimorum oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeo paucas ecclesias cathedrales habebat, ut illarum episcopi, ea qua opus erat diligentia, tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque nonnullis eorum hoc erat difficilius, quod diœcesani sui vulgari idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad sedem episcopalem non liceret evocare; ita ut nec fidei doctrina, & pie vivendi præceptis commode instrui, nec si qui deliquissent, facile corrigi ab episcopis suis possent, ac ob assiduas hæreticorum & schismaticorum, a quibus eadem regio omni fere ex parte cincta erat, insidias pestiferasque doctrinas, illic fides Catholica & animarum salus in maximo discrimine versabantur.

His aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi regis hoc illi supplicantis precibus pioque desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, deque apostolicæ potestatis plenitudine, Cameracensem civitatem & diœcesim a Remensi provincia, cui tunc erant metropolitico jure subjecta; ac Gandavense olim Tornacensis diœcesis, & diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ regionis cum omnibus & singulis suis terminis, territoriis, clericis, populis, personis, monasteriis, beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura, secularibus, quorumvis ordinum regularibus, & aliis piis locis, a suis quodlibet diœcesi & provincia perpetuo segregaverat, diviserat, & separaverat; ac Gandavense & reliqua oppida prædicta sic divisa in civitates, sedem vero Cameracensem tunc episcopalem in metropolitanam, ac olim collegiatam S. Bavonis Gandavensis certasque alias aliorum oppidorum in civitates erectorum prædictorum ecclesias in cathedrales pro totidem episcopis creandis, qui suæ quisque ecclesiæ præessent: ac Gandavensi aliisque ecclesiis & civitatibus præfatis certos districtus, per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua diœcesi perpetuo concesserat; necnon Gandavensem prædictam & certas alias tunc expressas ecclesias, civitates, & diœceses ecclesiæ Mechliniensi hujusmodi pro sua provincia, subjecerat, singulisque Gandavensis & aliarum noviter erectarum cathedralium ecclesiarum mensis episcopalibus annuum redditum trium millium ducatorum auri de camera ex certis decimis & bonis ac fructibus, redditibus & proventibus ecclesiasticis per dictum nuntium specificandis & repartiendis ex tunc, prout ex ea die & econtra, postquam specificati, & repartiti ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ forent & non ultra, cuilibet ex prædictis mensis pro earum dote alium annuum redditum mille & quingentorum ducatorum similium per ipsum Philippum regem, ex redditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipiebat, Gandavensi, aliisque noviter institutis episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio & repartitio præfatæ factæ essent, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integre & proportionaliter persolvendum perpetuo applicaverat & appropriaverat; ac eidem Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici personas idoneas ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Gandavensem & alias cathedrales ecclesias sic erectas, tam a primæva illarum erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, Romano pontifici, qui pro tempore foret, per eum in episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo & deinde per alias suas in forma Brevis litteras venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusino, suo & apostolicæ sedis in partibus illis nuntio dederat in mandatis, ut personas idoneas quæ dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret. Dilectus filius noster Antonius S. R. E. presbyter cardinalis Granvellanus nuncupatus, tunc episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia & probitate insignes viri, quos ad id ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interim de medio sublato, vigore seu prætextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari possent: facta nihilominus per quam diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod si passim de dotibus ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes bonorum a monasteriis & præposituris prædictis provideretur, cultus monasticus non mediocriter læderetur: quin potius ipsa monasteria & præposituras, vel eorum aliqua, mensis prædictis pro dote suarum ecclesiarum, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, esse unienda; ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuebantur fore prævidentes, idcirco assignationes dotium, numerumque personarum ac dignitatum, præbendarum, beneficiorum & officiorum in eisdem ecclesiis, statum etiam & formam per hujusmodi suppressiones & applicationes, aliasque in universum accommodas rationes habendas censuerunt; ac eidem ecclesiæ & pro tempore existenti episcopo Gandavensi, pro sua diœcesi, oppida, castra, pagos & loca infra scripta videlicet. Gandavum, Teneramundam, Oudenardum, Hulst, Tielt, Axellam, Desseldonck, Loo-Christi, Mendonck, Saffelaere, Sevenecke, Winkele, Dackanam, Exaerde, Everghem Sleedinghem, Wondelghem, Vinderhaut, Marie-Kercke, Baerle, Nevele, S. Martens-Leeme, Vosselaere, Meyeghem, S. Jans-leeme, Bachten, Lovendeghem, Merender, Landeghem, Pousele, Vinst, Deynse, Aersele, Zeverett, Thielt, Ten-hoven, Contelghem, Gramene, Maerloop, Denterghem, Gotthem, Markeghem, Meulebeke, Emelghem, Wackene, Oesclghem, Gentbrugghe, Assene, S. Denys, Lathem, Swynaerde, Duerle, Oodonck, Severghem, Astene, Messene, Peteghem, Nazareth, Eecke, Machelen, Gavere, Olsene, Asperen, Sulte, Cruys-Hautem, Huyse, Auweghem, Singhem, Ten-dale, Capelle, S. Eloys-Vive, Nokeren, Wanneghem, Lede, Suierne, Mullen, Waereghem, Oike, Woerteghem, Moreghem, Beveren, Ghyselbrechteghem, Elseghem, Roesbeke, S. Baefs-Vive, Wiesbeke, Desselberghe, Huesdene, Laerne, Moussche, Uytberghe, Beerlaere, Grimberghen, Vlassenbrouck, Calckene, Baerdonck, Cappelle, Zele, Lokeren, S. Anne, Liesdonck, Elversele, Tielrode, Belsele, Rupelmonde, Sinay, S. Nicolaes, Verdehost, Baesele, S. Pauls, Nieukerke, Haesdonck, Ruyselede, Ursele, Oost-Winckele, Hansbeke, Moursele, Bornem, Cruybeke, Steken, Kemseke, S. Gillis,

Vracten, Beveren, Beveren-Casteel, Verhoutehost, Borcht, Melsene, Swyndrecht, S. Jans-steene, Verrebrouck, t'Hofivan-Maelstede, Calloo, Nieldrecht, Triniteyt, Casuwele, S. Pauwels-Poldere, Heynsdyck, Loo-ten Hulle, Bellem, Caudehost, Hontenesse, Audtbontenesse, Ossene, Haeltere, Knesselaere, Somerghem, Wettere, Basseroede, Hingene, Polder van Namen, S. Laurens, Weele, Saeftinghem, Aendick, Moeten, Saemslagh, Ronsele, Waerschoot, Stoppeldycke, Roosenblyde, Overmeere, Moerbeke, Oostekeloo, Cluysse, Wachtebeke, Eertvelde, Selsaeten, Bassevelde, Zuytdorp, Westerdorp, Bouchaute, Eertighem, Steenhaut, Peersomme, Willemskercke, Vremdyck, Schellebelle, Lebbeke, Marie-Kercke, cum suis districtibus & territoriis assignanda censuerunt; ac super majori illorum parte processus, rebus omnibus serie digestis formandos curaverunt, prout in illis ac singulis litteris prædictis ac forsan aliis scripturis desuper confectis plenius continetur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset & quod litteræ reservationis vel assignationis & motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non possent, nisi de consensu illius, qui pensionem hujusmodi persolvere tunc haberet, partitionem & ordinationem per eosdem subdelegatos, quantum ad ecclesiam, civitatem vel dioecesim Gandavensem attinet, accurate perspectas, prudenter examinatas, & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes; ac partitionis & ordinationis subdelegatorum hujusmodi scripturarumque desuper confectarum & inde secutorum tenores & numerum canonicatuum & præbendarum ipsius ecclesiæ Gandavensis, eorumque singulorum fructuum, redditum & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem & divisionem aliaque præmissa quoad ecclesiam, civitatem & dioecesim Gandavensem, sicut præmittitur gesta, rata & grata habentes, ac Apostolicæ confirmationis robore harum serie munientes, omnesque juris & facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplentes, ac illis in hac parte inhærentes, litterasque dicti prædecessoris quoad illa, cæteraque infrascripta ab eisdem litteris discrepantia dumtaxat permutantes, & pium & laudabile dicti prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum eidem mensæ Gandavensi de congrua dote providere volentes, motu proprio & ex certa scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in præpositura ecclesiæ olim ex monasterio sancti Johannis vel sancti Bavonis, sancti Benedicti vel alterius ordinis, ordine ipso, utriusque statu regulari ac etiam dignitate abbatiali post dilectorum filiorum moderni abbatis & illius coadjutoris decessum ibi suppressis, in secularem & collegiatam redactæ & deinde in cathedralem, ut præmittitur erectæ, dignitate ex ipsa abbatia sic suppressa olim inibi principali, cujus & illi forsan annexorum fructus, redditus & proventus trium millium ducatorum auri similium secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt; cum primum illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem ipsorum modernorum abbatis & ejus in olim abbatialis dignitatis nunc vero præposituræ hujusmodi regimine & administratione coadjutoris, aut alias quomodolibet, etiam apud sedem Apostolicam vacare contigerit, etsi actu nunc, ut præfertur, vel alias vacet, ac tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque præpositura dispositioni apostolicæ specialiter, vel quia dignitas principalis est, ut præfertur, aut alias generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique cura & jurisdictio immineat animarum, ac super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc prout ex tunc & econtra, nomen tantum & denominationem præposituræ dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus & exstinguimus; illiusque & annexorum eorumdem fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta & bona quæcumque quovis nomine nuncupata, una cum ejus præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus & administrationibus universis, dictæ mensæ episcopali Gandavensi, ita quod hujusmodi vacatione occurrente, liceat episcopo Gandavensi pro tempore existenti, per se vel alium seu alios corporalem possessionem, seu quasi, fructuum, redditum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum & aliorum bonorum præposituræ hujusmodi propria auctoritate libere apprehendere & retinere, illaque percipere, exigere & levare, ac in suos & dictæ mensæ usus & utilitatem convertere, necnon omnia & singula, prioratus, præposituras, præpositatus, canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, administrationes & officia cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia & quorumvis ordinum regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem olim abbatis monasterii & nunc præpositi ecclesiæ S. Bavonis hujusmodi communiter vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare & eligere, & præsentatas vel electas instituere & confirmare, aliasque de illis libere disponere, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria & opportuna, & quæ eorumdem monasterii abbas & ecclesiæ præpositus hactenus facere & exsequi potuit & debuit, facere & exsequi, cujusvis licentia desuper minime requisita, dicta apostolica auctoritate & perpetuo applicamus & appropriamus: necnon suppressionem, exstinctionem, applicationem, appropriationem & alia præmissa sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similium vel dissimilium suppressionum, exstinctionum, applicationum & appropriationum aliarumque universarum per nos & sedem prædictam sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus & derogationibus hujusmodi minime comprehendantur, ex nunc vere & non ficte plenarium & integrum effectum sortitas, suppressionemque & exstinctionem, applicationem & appropriationem præfatas de non vacatura sed de vacante præpositura hujusmodi factas, per illas ex nunc eisdem mensæ episcopali & episcopo Gandavensi pro tempore existenti jus in re vere & non ficte quæsitum existere, ac præsentium litterarum suspensiones, revocationes, derogationes & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus & restitutionibus haberi & censeri decernimus: necnon dilectis filiis capitulo ecclesiæ S. Bavonis hujusmodi aliisque quibusvis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, necnon privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa & alia in posterum obtinenda, poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem seu postulationem in præpositum dictæ ecclesiæ, cum præpositura ipsa vacabit, etiamsi nunc vacet, ut præfertur, procedere vel aliud in præmissis, vel eorum aliquo quoquomodo attentare aut illis refragari præsumant districtius inhibemus, & nihilominus quascumque electiones seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes vel admissiones, necnon provisiones, præfectiones, commendas, quas de cætero etiam per sedem prædictam de dicta præpositura quomodocumque fieri contigerit, nullas & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore decernimus.

Ut autem idem episcopus Gandavensis suam ecclesiam personis, ut insignem decet cathedralem, circumspectis & eruditis & ad jurisdictionem inibi exercendam

cæteraque munera ecclesiastica obeunda idoneis, debite instructam habeat, quod ex omnibus canonicatibus & præbendis ipsius ecclesiæ decem canonicatus & totidem præbendæ, quinque videlicet ex præposituræ, nempe sinistri, & reliqui quinque ex Regis seu dextri lateris partibus ejusdem ecclesiæ, quos primo loco, postquam eidem ecclesiæ de episcopo canonice provisum fuerit, per cessum & ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis via amissionem quorumlibet decem canonicorum ejusdem ecclesiæ aut alias vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, ac devoluti & litigiosi sint, ut præmittitur, unus & una vacantia episcopo, ratione quorum sit capitularis, ita quod habeat locum & vocem super decanum & reliquos canonicos confratres suos etiam in capitulo, ac tres alii tribus magistris aut licentiatis in theologia, & tres alii tribus doctoribus decretorum seu in eis licentiatis & reliqui tres canonicatus & totidem præbendæ hujusmodi tribus nobilibus ejusdem diœcesis etiam in jure vel theologia, saltem ad gradum licentiaturæ in famosa quapiam universitate studii generalis cum rigoroso examine promotis, ordine servato, in perpetuum concedi & assignari debeant. Quodque dictæ ecclesiæ archidiaconus unum & unam ex sex prioribus canonicatibus & præbendis perpetuo habeat & percipiat, ipsiusque ecclesiæ canonicus existat, & ad alios quinque priores tam nobiles quam non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem canonicatibus & præbendis hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint, ac archidiaconus ipse post tamen moderni seu modernorum ejusdem ecclesiæ archidiaconorum cessum, vel decessum, plenariam jurisdictionem archidiaconalem in universa diœcesi Gandavensi, quam cæteri cathedralium ecclesiarum partium illarum archidiaconi de jure vel consuetudine habent & habere debent, habeat. Unus vero sit archipresbyter Civitatensis nuncupandus, qui specialem pastorum seu rectorum parochianorum & concionatorum in eadem civitate curam habeat; alius autem ex tribus prioribus canonicis doctoribus pœnitentiarius diœcesanus existat, qui conscientiarum populi per universam diœcesim Gandavensem curam habeat: præterea apud alios duos doctores vel licentiatos seniores, unum videlicet theologiæ professorem, alterum vero jurisperitum, potestatem totam diœcesim Gandavensem, ipsius episcopi vice, vel quoties ipse id eis mandaverit, visitandi; quibus etiam reliqui graduati, quoties ad id requisiti fuerint, assistere debeant: apud archidiaconum vero & tres alios ex graduatis hujusmodi, duos videlicet theologos & unum jurisperitum prædictos, clericos ad ordines sacros promovendi & rectores parochianos quacumque auctoritate provisos ad curæ pastoralis exercitium admittendi, potestas permaneat; ita ut ipsi nullos nisi idoneos, & quantum ad animarum curam pertinet, quod personalem facient residentiam, expresse juratos admittere valeant: ac ut in universa diœcesi prædicta tot archipresbyteri vel decani rurales deputentur, quot esse conveniet, & illi, qui nunc sunt, in officio suo cum solitis emolumentis, salva tamen ipsius episcopi moderatione, remaneant; ac tam archidiaconus, archipresbyter & pœnitentiarius, quam reliqui septem canonici, ratione suarum præbendarum hujusmodi consilium & operam in negotiis ecclesiæ & religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando & quoties ab eodem episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim fideliter præstare teneantur, eisdem auctoritate & tenore perpetuo statuimus & ordinamus.

Et si eidem episcopo videbitur, ex nunc archidiaconatum, archipresbyteratum, & pœnitentiariam in dicta ecclesia, in dignitates in ipsa Gandavensi ecclesia, non tamen post pontificalem majores & seu personatus, cum solitis eorum privilegiis & prærogativis juribusque & pertinentiis, eisdem auctoritate & tenore, perpetuo erigimus & instituimus: & insuper ut idem Ganda-

A vensis episcopus in dicta sua civitate, quæ caput Flandriæ existens, amplitudine celebritateque nulli partium illarum civitati cedere dignoscitur, unde statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam commodius sustentet, habeat, eidem mensæ unam mille ab omni decima, subsidio, & alio quovis ordinario & extraordinario onere: ex quavis causa etiam pro Cruciata sancta & defensione patriæ pro tempore impositis, liberam, immunem & exemtam; necnon archidiacono, archiepresbytero, pœnitentiario, reliquisque septem canonicis præfatis pro tempore existentibus aliam quingentorum ducatorum similium, eorum singulis videlicet quinquaginta ducatorum pensiones annuas & perpetuas, super fundis & decimis ceterisque fructibus, redditibusque & proventibus monasterii S. Petri Gandavensis, ejusdem S. Benedicti seu alterius ordinis, quorum

B medietatem pensiones hujusmodi insimul, ut etiam jam accepimus, non excedunt, episcopo seu præsuli Gandavensi, ac archidiacono, archipresbytero, & pœnitentiario, reliquisque septem canonicis præfatis pro tempore existentibus, vel procuratoribus suis ad id ab eis speciale mandatum habentibus respective, per dilecti filii moderni abbatis ejusdem monasterii S. Petri successores monasterium ipsum in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, annis singulis, pro una videlicet in Domini nostri Jesu proximi, ab ipsius moderni abbatis proxime sequente incipiendo, & altera medietatibus pensionum hujusmodi in S. Johannis Baptistæ Nativitatum festivitatibus, in civitate Gandavensi, litteris præsentibus, pro tempore existenti abbati monasterii S. Petri hujusmodi intimatis, integre persolven-

C das, & quoad ipsam pensionem mille ducatorum per eundem episcopum etiam una cum ipsa ecclesia Gandavensi percipiendam, auctoritate & tenore præmissis, perpetuo reservamus, constituimus & assignamus. Decernentes, ipsius moderni abbatis successores prædictos ad integram solutionem pensionum hujusmodi, episcopo seu præsuli Gandavensi, ac archidiacono, archipresbytero, pœnitentiario & reliquis septem canonicis pro tempore existentibus prædictis faciendam, juxta reservationis, constitutionis & assignationis prædictarum tenorem, efficaciter & perpetuo obligatos fore; ac volentes & eadem auctoritate statuentes, quod ille ex successoribus prædictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes, pensiones hujusmodi per eum tunc debitas

D non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat; a qua donec episcopo vel præsuli Gandavensi, ac archidiacono, archipresbytero, pœnitentiario & reliquis septem canonicis vel eorum procuratoribus præfatis de pensionibus hujusmodi tunc debitis respective integre satisfactum aut alias cum ipsis super eo amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Si vero sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc, effluxis mensibus ipsis, regimine & administratione dicti monasterii S. Petri perpetuo privatus existat, ipsumque monasterium vacare

E censeatur eo ipso. Et ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi decem canonicatus & totidem præbendæ hac prima vice per episcopum dumtaxat, qui illos eisdem graduatis & nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde illi, quoties eos futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum prædictorum superstitum omnino pertinentes, per eos conferantur; ita quod in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus juris sive momenti quam cujusvis graduatorum eorumdem habeat; nisi vocum paritate occurrente; quo in casu tunc iteratum episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat: quodque posthac iidem decem canonicatus & decem præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus etiam

mentalibus reservationibus, affectationibus, etiam in corpore juris clausis, necnon exspectativis coadjutoriis, deputationibus, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & alias disponendo, primariis vel aliis precibus & aliis præventivis gratiis per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes, & dictam sedem vel ejus legatos & consideratione, contemplatione, & intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, ducum & aliorum principum, ac S. R. E. cardinalium & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur; nec etiam tanquam vacantes apud sedem præfatam aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem & ex causa permutationis apud sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum pontificem aut sedem eandem de illis B provideri aut alias quoquomodo disponi possit. Et quoniam impia hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si canonici graduati prædicti ab eadem ecclesia, nisi ab episcopo vel capitulo præfatis missi, per duos menses abfuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus eidem capitulo cedant; ac omnes fructus singularum præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solum, qui divinis officiis in choro deservierint & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis causa, permanserint, ministrari debeat; nec quisquam ulla dispensatione vel privilegio apostolico quacumque causa impetrato vel concesso sese a residentia hujusmodi eximere possit. Jus omne decem canonicatus & decem præbendas prædictos conferendi & de C illis disponendi, vel ad alios eligendi seu nominandi ab episcopo seu præposito & capitulo prædictis, necnon civitatem & diœcesim Gandavensem prædictas, ac omnia & singula, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia & quorumvis ordinum regularia & alia pia loca in illis consistentia, necnon jus illa conferendi & de illis providendi, ac alias quomodolibet disponendi, necnon visitandi, corrigendi, puniendi, aliaque jura fructus, redditus & proventus, res & bona quæcumque per quoscumque archiepiscopos ac episcopos in eisdem civitate & diœcesi Gandavensi ordinario jure haberi & percipi solita, ab illis eorumque diœcesi & mensis archiepiscopalibus & episcopalibus, ita quod ipsi se deinceps in illis aliquatenus intromittere, ullamve actio- D nem prætendere nequeant, aliisque ad quos spectat, post promotionem primi episcopi Gandavensis hujusmodi, perpetuo auferentes & amoventes; ac jus decem canonicatuum & præbendarum conferendarum in præmissum electionis modum immutantes, ac ad episcopum & novem canonicos graduatos præfatos, reliqua vero abdicata & amota præmissa ad eosdem episcopum Gandavensem ejusque mensam transferentes, ac abdicata, amota, immutata & translata esse; sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque judices, ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari E contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi, & Atrebatensi & Feltrensi episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte episcopi, archidiaconi, archipresbyteri, pœnitentiarii, canonicorum & aliorum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos, suppressione, exstinctione, applicatione, appropriatione,

A statuto, ordinatione aliisque præmissis pacifice frui & gaudere, ac easdem præsentes & in eis contenta quæcumque firmiter observari; necnon pensiones prædictas episcopo vel præsuli Gandavensi, ac archidiacono, archipresbytero, pœnitentiario & aliis septem canonicis respective vel eorum procuratoribus prædictis, juxta reservationis, constitutionis & assignationis, ac decreti prædictorum continentiam & tenorem integre persolvi; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri aut inquietari, & nihilominus quemlibet ex abbatis monasterii sancti Petri successoribus prædictis, quem hujusmodi excommunicationis sententiam eis incurrisse constiterit, quoties super hoc pro parte episcopi sive præsulis ac archidiaconi, archipresbyteri, pœnitentiarii & canonicorum prædictorum fuerint requisiti, tandiu Dominicis & aliis festivis diebus in ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publice nuntient & faciant ab aliis nuntiari ac ab omnibus arctius evitari, donec episcopo seu præsuli ac archidiacono, archipresbytero, pœnitentiario & canonicis præfatis, de pensionibus hujusmodi tunc debitis respective fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab excommunicationis sententia hujusmodi absolutionis beneficium meruerit obtinere: contradictores quoslibet & rebelles ac præsentibus non parentes quoad reliqua præmissa, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa & alia in posterum obtinenda, ita quod beneficia & officia hujusmodi tanquam per privationem legitime & canonice factam vacantia ab aliis impetrari, & per locorum ordinarios conferri possint, aliasque sententias, censuras & pœnas tam ecclesiasticas quam pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his hujusmodi servatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus voluntate ac statuto & ordinatione nostris prioribus & aliis præmissis ac alia nostra de non tollendo jus quæsitum, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede Apostolica deputati extra civitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant; & de duabus dietis, in concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis tenore præsentium ad judicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac monasterii, ordinis, & ecclesiæ Gandavensis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus: necnon concordatis dudum inter sedem prædictam & nationem Germanicam desuper initis, privilegiis quoque, indultis & litteris apostolicis ecclesiæ, monasterio & ordini prædictis, eorum superioribus, capitulo, conventui, personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis clausulis irritantibusque & aliis decretis & super electionibus faciendis, ac alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis: necnon quibusvis specialibus & generalibus reservationibus, exspectativis, & aliis gratiis & in canonicos creationibus, aliisque unionibus & perpetuis absque consensu coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, indultis & concessionibus, quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus &

conditionis existentibus, etiam cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus & continuis commensalibus ac prælatis domesticis, necnon Romanæ curiæ officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis quantumlibet grandi causa, consideratione, intuitu vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum principum contemplatione, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis, etiam irritantibus & clausulis derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientia similibus ac alias quomodolibet concessis; quos & quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnino suspendimus & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus; illisque, necnon privilegiis, indultis & litteris apostolicis, illis & aliis quibusvis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos sedemque prædictam, etiam per viam generalis legis & statuti perpetui, necnon initi & stipulati contractus seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, & consistorialibus ac alias quomodocumque, qualitercumque & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis & innovandis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse motu simili derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui de dignitatibus ecclesiæ Gandavensis speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus per eosdem habitos, & inde secuta quæcumque ad præposituram hujusmodi volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dignitatum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, aut si abbati & conventui ac capitulo prædictis vel quibusvis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad præsentationem vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus ecclesiæ Gandavensis hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, exstinctionis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, statuti, ordinationis, erectionis, institutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, voluntatis, abdicationis, amotionis, immutationis, translationis, mandati, suspensionis, & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis A autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo primo, septimo idus Augusti, pontificatus nostri anno secundo. Sic signatum a dextro latere, FREDERICUS cardinalis CÆSIUS, a sinistro, CÆSAR GLORIERIUS, & inferius A. DE ALEXIIS.

Promulgata fuit hæc bulla pontificia per Franciscum Richardot episcopum Atrebat. judicem & exsecutorem delegatum, Duaci anno Dom. M. D. LXVIII. XXVI. Octobris.

XIX.

B *Erectio novæ præposituræ in ecclesia Gandavensi facta anno 1570.* *Ex cathed. eccles. Gandav.*

PIUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiarum quarumlibet præsertim cathedralium, statui & directioni sollicitis studiis intendentes, ad illa libenter deflectimus, per quæ ipsarum ecclesiarum decori & venustati salubriter consulitur, & in eis divinus cultus suscipit incrementum.

Sanè charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus, qui etiam Flandriæ comes existit, tam suo quam venerabilis fratris Cornelii episcopi Gandavensis & dilecti filii nostri Viglii a Zuychem præpositi ecclesiæ Gandavensis notarii nostri nominibus, nuper exponi fecit, quod alias Cornelius episcopus C & qui cancellarius ordinis Velleris Aurei, necnon consiliarius status & primarius præses secreti consilii dicti Philippi regis existit Viglius prædicti, visis & diligenter discussis per eos litteris felicis recordationis Pauli III. & Pauli IV. ac Pii etiam IV. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, tam reductionis ecclesiæ sancti Bavonis Gandavensis ex regulari in collegiatam, quam etiam illius erectionis in cathedralem ecclesiam, cum illius dotatione è bonis & fructibus præposituræ ejusdem ecclesiæ, quam dictus Viglius obtinet, post decessum tamen ipsius Viglii desumenda; visum eis fuit, ut pro decore dictæ ecclesiæ, ac memoria pristinæ dignitatis, ac juxta aliarum cathedralium ecclesiarum in præsentibus consuetudinem, dictæ præposituræ titulus & dignitas, post dicti Viglii decessum retineatur, eademD que præpositura, cum primum per obitum Viglii hujusmodi vacaverit, alicui ex canonicis ipsius ecclesiæ cum duarum præbendarum proventibus conferatur, præsertim cùm alia bona ipsius præposituræ abundè pro dote dictæ ecclesiæ suffectura sint: & propterea inter alia sub beneplacito nostro ad certorum articulorum conceptum devenerunt sub ejusmodi tenore; videlicet visa bulla dotationis episcopatus Gandavensis, nonnulla occurrunt non satis animadversa, & quæ merito emendationem, si Apostolicæ sedi suggerantur, accipere possent; nam quantum ad eam partem attinet, quæ ex decem affectis canonicatibus & præbendis ecclesiæ divi Bavonis, unum & unam episcopo tribuunt, ratione quorum capitularis esset, atque locum & vocem super decanum & reliquos canonicos confratres suos etiam in E capitulo habiturus esset; certum est sanctissimum dominum nostrum felicis recordationis Pium IV. & deputatos in præfata bulla memoratos ignorasse, abbati sive præposito ecclesiæ per Paulum III. in prima erectione ecclesiæ divi Bavonis ex regulari & monachali in secularem & collegiatam assignatas fuisse quatuor præbendas, quarum ratione præpositus capitularis esset, ac duas voces haberet, alioquin esset absurdum, quod supra quatuor, episcopus quintum canonicatum & præbendam consequeretur, præsertim cum bene dotatum habiturus sit episcopatum.

Itaque salvo meliori judicio, videretur rationi & æquitati magis congruum, si loco decem canonicatuum & præbendarum, novem tantum graduatis afficerentur;

episcopus ex quatuor in prima erectione abbati sive præposito assignatis, duas præbendas post moderni decessum præpositi obtineat, quarum vigore canonicus capitularis esset & vocem super decanum & reliquos canonicos haberet : deinde videretur omnino consultum, ut præpositi dignitas pro temporalium conservatione, quemadmodum in plerisque aliis cathedralibus ecclesiis, atque etiam ante dictam erectionem in abbatia S. Bavonis usitatum fuit, maneat, eaque post pontificalem major habeatur, ad quam aliquis de gremio capituli & qualificatus ab Regia majestate, retenta præbenda sive affecta, sive non, quam antea habuit, pro sustinenda dicta dignitate nominaretur, sed prædicta dignitas in primævo suo honore quodammodo conservaretur : nihil tamen præpositus administrabit, nisi ab episcopo jussus & requisitus, neque jus aliquod prætendet in jurisdictione, vel bonis, ac collatione beneficiorum ac officiorum moderno præposito competentibus, quæ post ejus decessum dicto episcopo & suis successoribus cedent : & quoniam episcopus Gandavensis juxta bullam sui episcopatus canonicatum & præbendam jam consecutus sit, ac eorum ratione jam capitularis effectus, æquitas exigit, ut cum plenam dotem sui episcopatus, quæ ceteris luculentior futura est, assecutus fuerit, quæ duas è quatuor in prima erectione præposito assignatis, præbendas complectetur, dictos canonicatum & præbendam illico dimittat alicui ex novem Graduatis, ad canonicatus dictæ ecclesiæ assumendis, & alias, prout in instrumento desuper confecto plenius continetur.

Quare idem Philippus rex nominibus prædictis, nobis humiliter supplicari fecit, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum decorem & honorem, ac Divini cultus personarumque ecclesiasticarum augmentum summis desideramus affectibus, prædictos Philippum regem

A & Cornelium episcopum, ac Viglium a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac conceptum hujusmodi in prædictis articulis gratiose admittentes ac ratum & gratum habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, illum ac singulos articulos prædictos, omniaque & singula, quæ eos concernunt, licita tamen & honesta, ex nunc si sint, alioquin ex tunc prout ex nunc & econtra, postquam fuerint sortita effectum, apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inconcussæ firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus inviolabiliter observari
B debere volumus, & ad hoc ut suum debitum sortiantur & sortiri debeant effectum, desuper statuimus, ordinamus & decernimus, in omnibus & per omnia juxta dictorum articulorum tenorem; ac ex nunc irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dictæ ecclesiæ juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, admissionis, rati ac grati-habitionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, suppletionis, statuti, ordinationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
C præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXX. septimo idus Septemb. pontificatus nostri anno quinto.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BRUGENSIS.

I.

Ex Miræo in cod. don. piarum, pag. 64.

Ebo Remorum archiepiscopus Balduino Ferreo Flandriæ comiti, mittit corpus S. Donatiani.

circa annum 842.

EGO EBO indignus Remorum archiepiscopus, hunc thesaurum, super gemmas & aurum pretiosum, tibi gloriose Marchio Balduine, nostrorum consilio clericorum, transmitto, Donatianum scilicet, septimum nostræ sedis episcopum, miræ sanctitatis virum, pium exauditorem, & promptissimum apud Deum intercessorem, tam sæcularibus angustiis occupatis, quam peccatorum sceleribus detentis. Quod nostris & antecessorum nostrorum temporibus satis evidenter comprobatum est.

Ejus sanctique Remigii, ac innumerabilium sanctorum vitæ scripta, Wandalorum vastatione scias esse deleta. Hunc attestatione divina tuæ fidei committo, quatenus eum divino servitio, in quantum vales, honorifices, & sæcularibus dites. Vale dilectissime in Domino.

II.

Ex codice donat. piarum Miræi, pag. 136.

Arnulfus Magnus Flandriæ comes dotat ecclesiam Brugensem S. Donatiani, quæ nunc est cathedralis.

961.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Ego Arnulfus dictus Magnus, Balduini Calvi genitus, per Dei misericordiam Flandriæ marchio, considerans quod non habemus hîc manentem mansionem, sed futuram exspectamus in Domino, providens mei ac illustris Athalæ meæ conjugis & consortis mei corporis animabus, ut per hoc salutem perpetuam, & remedium nostrorum peccaminum invenire possimus, capellam in honorem gloriosæ Virginis
D & Domini nostri Jesu Christi genitricis Mariæ & sancti Donatiani archiepiscopi, a Balduino avo meo, zelo divini amoris accenso, constitutam, & ab antiquo tempore fundatam, magnificare volens, de consensu & voluntate sanctissimorum patrum & dominorum N. Tornacensis & N. Morinensis episcoporum, duodecim præbendarum numerum in ipsa ecclesia statuo : & volo quod duodecim canonici ibidem præbendati in eadem capella, ad honorem Dei & ejusdem beatæ Virginis & S. Donatiani, pro remedio animæ meæ, dictæque conjugis meæ, ac avorum & cæterorum parentum nostrorum necnon & successorum nostrorum, die noctuque horis congruis, horas canonicas, pro vivis & defunctis devotè celebrent, & sacrificia offerant.

Cui capellæ, de prædictorum episcoporum ordina-
E tione ac consilio, quasdam decimas de iis, quas mihi & prædecessoribus meis, in comitatu seu marchionatu Flandriæ, de terris cultis & incultis sanctissimi patres papæ Romani, pro adjutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum, pro expugnatione & resistentia contra Wandalos, qui Flandriam & alias terras vicinas, cum ecclesiis in ipsis constructis, crudeliter & damnabiliter devastabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt, necnon & quædam alia bona in eodem comitatu, pro eorumdem canonicorum vita, & aliis ejusdem capellæ expensis, dono, trado & præsenti chartâ concedo.

Locorum verò in quibus decimæ ac bona ipsa sita, sunt hæc;

Scilicet

Scilicet ecclesia sancti Michaëlis in villa Wemebriga, cum omnibus appenditiis, decimis, pratis, agris, mancipiis, vectigalibus, excepto regio fisco.

Capella S. Crucis, in villa quæ dicitur Gera, cum omnibus decimis & terris adjacentibus.

Capella de Wara & quæ dicitur Ridevorda, cum omnibus decimis & terris sibi attinentibus.

Capella S. Christophori juxta forum, ecclesia de Widisgatis, & ecclesia de Kenilis, cum omnibus terris quæ ad nos pertinent ibidem.

Bodium de Thicabusca, bodium de Formesela, bodium de Ypris, ecclesia de Esna cum capellis suis, Dicasmutha & Clare.

In parochia Oostkercka apud Budansflit, unum aratrum, & pars alterius & grex unus ovium cum terra tota;

In parochia Redenburg terra tota: item in eadem parochia Oostkercka 8. *pisæ caseorum, & denarii de vitulis, de terra Herradi, pisæ caseorum & omnes denarii de vitulis, de terra Ostet 7. pisæ caseorum, & denarii de vitulis.

*f. pecia.

De terra Vulfras 7. pisæ caseorum & 15. arietes & 30. vellera agnorum & 15. vellera arietum.

De terra Frobbine 3. pisæ caseorum, & denarii de vitulis.

De terra Werenbaldi 2. pisæ caseorum & 5. arietes & 10. vellera agnorum, & 5. vellera unius agni & 10. agnorum.

De terra Herradi 5. pisæ casei, & 12. arietes & 24. vellera agnorum & 12. vellera arietum.

De terra Tanchradi 1. pisa casei.

De terra Everbaldi & Wulfildis 2. pisæ caseorum.

In parochia Holtawe terra in Wegha circiter 40. mensur. diurn.

In parochia Utkercke de terra Blidase 10. pisæ caseorum.

In parochia Oostkerck terra Tanchradi 50. diurn. mensur.

In parochia S. Mariæ, terra pratorum 32. mensur. diurn.

In parochia Madkercka, terra, quæ dicitur Haddiggaband.

Volo etiam quod prædicti canonici caput sibi habeant, & Maiorem, qui nominetur Præpositus, quem sibi libere ipsi possint eligere: & isti præposito hæc bona similiter do, trado, & concedo, quorum primum est.

Ecclesia Oorscamp, cum omnibus decimis, & terra ibi sita.

Bodium in villa Sarra, cum 14. bonariis, & 17. mensur. diurn.

In Liswega 62. mensur. diurn.

In Vutkercke 79. mensur. diurn.

In Dudzela 55. mensur. diurn.

In Michem 13. mensur. diurn.

In parochia S. Crucis 45. mensur. diurn. & 1. curtile.

In Wulpis circiter 500. & quinque mensur. diurn.

In Oostkercka centum triginta oves, cum terra.

In Artrica 1. curtile: apud Dicasmuta 200. oves, cum terra.

In parochia Lo, 10. mensur. diurn.

Apud Busarica 120. mensur. diurn.

In Jabeca 30. mensur. diurn.

In Zarkenghem 10. mensur.

In Lisweg 16. mensur. in Riedsela 9. mensur.

In parochia S. Mariæ Brugensis 4. curtilia & 1. pratum.

In parochia S. Salvatoris, in castello forinseco 2. curtilia.

Rogo insuper & jubeo atque mando, ut nullus prædictæ meæ donationi contradicat, vel dictam capellam B. Mariæ & S. Donatiani impetat, sive impediat super bonis prædictis. Si quis tamen iis in aliquo contraire vel contradicere voluerit, quingentas libras auri persolvat, & si fuerit heres meus (quod absit) exheres sit, & maledictionem Dei & B. virginis matris

A ejus, & S. Donatiani, & Omnium sanctorum, & meam incurrat. Si vero donatarius sit ingratus, & dono meo careat & meorum, & privetur a meis heredibus, ut ingratus.

Actum Brugis 2. calend. Augusti, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo primo.

III.

Charta donationis ecclesiæ S. Mariæ Brugensis a Radbodo episcopo Noviomensi sanctimonialibus factæ.

Ex chartul. Noviomensi.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Radbodus minimus episcoporum Noviomensium seu Tornacensium. Notum esse volo generationi omnium fidelium tam præsentibus, quam eis qui succedent in posterum, ecclesiæ S. Mariæ quæ Brugis est libertatis me hujusmodi concessisse privilegium: Bernerus siquidem clericus & Gummarus, qui altare illud diu sub personatu habuerant, divinæ admodum gratiæ respectu compuncti, per Gualterium tunc temporis archidiaconum ceterosque clericos infatigabili me precum instantia interpellarunt, quatenus altare illud de manibus eorum reciperem libere, ab omni exactione sæculari libere absolverem, & de reditibus ejusdem altaris & aliis quæ ob remissionem peccatorum suorum voverant, sanctimoniales ad serviendum inibi ordinarem. Quorum benevolæ petitioni aurem benevolam accommodans, prædictum S. Mariæ altare sicut petierant, libere recepi, sanctimonialibus inibi constituendis canonice abbatissam suam eligendi potestatem concessi, cui episcopus curam committeret spiritualem, & providentiam substantiæ temporalis. Ipsa quoque abbatissa ab episcopo utramque suscipiens prælationem, in utraque canonicam & debitam episcopo exhiberet subjectionem, atque a sanctimonialibus electa, canoniceque ab episcopo substituta, canonice præbendas disponendi facultatem haberet; & unoquoque anno in festivitate sanctorum apostolorum Simonis & Judæ 5. solidos episcopo pro respectu ecclesiæ solveret. Quia vero in dominio episcopi prædicta manet ecclesia, confratrum nostrorum consilio altius quiddam ei subscripsi, malefactores scilicet ecclesiæ illius & canonice excommunicandi eisque absolvendi potestatem concessi, ea tamen conditione ut si per ministros episcopi excommunicatio confirmata fuerit, episcopo & ministris ejus emendatio solvatur excommunicationis. Ut autem hoc hujus concessionis privilegium amodo non possit dissolvi, cartam hanc sub testimonio sacerdotum & clericorum sigillo nostro jussi confirmari S. domni Radbodi episcopi, S. Galterii archidiaconi, S. Petri decani, S. Herimari Noviomensis decani, S. Herimanni præpositi, S. Sigeri cantoris, S. Elberti, S. Tetberti, S. Lamberti. 1094.

Actum Tornaci anno Dominicæ Incarn. M. XCIV. indictione 2. regnante rege Philippo anno XXXV. domno R. episcopante XXVI. Ego Wido cancellarius subter firmavi.

Hæc donatio sanctimonialibus facta effectu caruit, & eadem ecclesia postmodum in collegiatam erecta est.

IV.

Erectio collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Brugensis confirmatur.

Ex chartario ecclesiæ Tornacensis; circa 1105.

PASCALIS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gummaro S. & A. B. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu sollicitos esse, & quæ recte statuta sunt stabilire. Quamobrem tuis precibus annuentes concessionem fratris nostri Baldrici Tornacensis episcopi, qui parochiali ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ apud Brugense oppidum est, te petente concessit, nos quoque præsentis decreti auctoritate

firmamus. Stabilimus enim ut illud altare B. Mariæ ab A omni seculari exactione liberum conservetur, canonici illic constituti prælatum suum eligendi potestatem habeant, cui episcopus canonicorum curam commendet spiritualem, providentiam quoque substantiæ temporalis & prælatus ipse ab episcopo utramque prælationem suscipiat & in utroque canonicam & debitam episcopo exhibeat subjectionem. Ipsi quoque prælato electo a canonicis & canonice ab episcopo constituto canonice præbendas disponendi facultas permaneat, & uno quoque anno in festivitate sanctorum apostolorum Simonis & Judæ quinque solidos pro respectu ecclesiæ solvat. Porro fratres ipsi, malefactores ecclesiæ ipsius canonice excommunicandi absolvendique potestate utantur. Quæcumque vero in præsenti eadem ecclesia possidet vel in futurum largiente Domino legaliter possidere contigerit, illic Domino servientibus quieta semper & integra conserventur. Ut autem hæc omnia perpetua stabilitate consistant, Spiritus sancti judicio & apostolicæ auctoritatis sanctione sancimus. Datum Lateranis VI. idus Aprilis indictione XIII.

V.

Exstat apud Miræum notitia eccles. Belgii, pag. 282.

Charta Baldrici Tornacensis atque Noviomensis episc. fundationem S. Andreæ Brugensis approbantis.

1105. EGO BALDRICUS Tornacensium atque Noviomensium episcopus, omnibus in æternum gaudere. Nulli penè fidelium in universo orbe terrarum constat esse incognitum, Robertum juniorem Flandrensium marchionem, in Jerosolymitano exercitu, præ cæteris omnibus ducem & signiferum Christianorum extitisse, & ad laudem & gloriam nominis Christi contra paganos fideliter & viriliter dimicasse. Hic cùm per varia bellorum pericula Antiochiam pervenisset, & inibi una cum cæteris Christi fidelibus ab innumerabili supervenientium paganorum multitudine obsessus fuisset, Divini Spiritus inflammatus igne & B. Andreæ apostoli succensus amore, (per ipsum enim visitavit, ut aiunt, & liberavit eos Dominus) vovit ilico in quodam monasterio, prope Brugis sito, in honore ejusdem apostoli consecrato, in ipsius veneratione monachos se instituturum. Cognito itaque, ejusmodi votum absque nostro assensu se adimplere non posse, conjugi suæ Clementiæ comitissæ legatos direxit, & litteras continentes, ut sua ex parte pastoralitatis nostræ providentiam consuleret, & altare supradicti monasterii a nobis (ad nostram enim diœcesim pertinebat) postularet, in quo monachos constituere posset. Audita igitur prædicti militis Christi Roberti Flandrensium marchionis, viri sui legatione, comitissa Clementia præsentiam nostram adiit, & ad complendam viri sui voluntatem altare de Betferkerca (hoc enim nomen prædicti loci antiquitus dicebatur) devotè postulavit. Cujus devotionem considerans, supradicto altari jus libertatis condonavi, ea conditione quod monachi inibi constituantur. His ita peractis, postquam prædictus comes Robertus rediit, me annuente supradictum locum abbati Affligemensis ecclesiæ ea lege commendavit, ut monachos ex cœnobio suo inibi constitueret, & secundum incrementum exterioris substantiæ, monachorum quoque numerum suppleret, & regimen loci ipsius tam ipse, quam posteri ejus, perpetuo jure obtinerent. Signum Baldrici episc. S. Lamberti archidiac. S. Desiderii dec. S. Bertulphi præp. S. Conradi, &c. Actum Brugis anno M. C. V. indict. XIII. regnante rege Philippo, episcopante domino Baldrico, Roberto juniore principante cum uxore sua Clementia.

VI.

Dotatio abbatiæ Aldenburgensis facta a Carolo Bono Flandriæ comite, ejusque pincerna Waltero & fratre ipsius Conone.

KAROLUS Dei gratia Flandrensium comes, tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Collatos 1119. reditus, tempore nostri principatus, beati Petri principis Apostolorum Aldenborgensi ecclesiæ præsenti schedulæ decrevimus inserere. Notum igitur sit omnibus, quod Walterus Buticularius & frater suus Conon, tertiam partem decimæ de omni annona totius Aldenborgensis parochiæ, in perpetuos usus fratrum ibi Deo B servientium, liberam ab omni exactione contradiderunt. Sanè huic donationi manum nostram tanquam supremam contradentes, quidquid nostri juris erat in ea, apposuimus: quoniam eos nobiscum tam sanctæ donationis participes esse voluimus. Præterea ecclesiam sanctæ Mariæ in Aldenborg* sitam, cum alia tertia parte decimæ, & cum universa minuta decima totius parochiæ, & octo mensuris terræ, sub hæreditario censu & perpetuo, prædicti fratres in perpetuos usus fratrum prædictæ ecclesiæ contradiderunt: ea videlicet conditione, ut abbas sancti Petri Aldenborgensis seu fratres ecclesiæ præfatis fratribus, aut eorum successoribus, quotannis novem libras denariorum Flandrensis monetæ persolvant; retentis tamen novem solidis ex novem libris, quibus synodale debitum abbas & fratres sui annuatim episcopo persolvant: cui donationi secundæ C etiam manum nostram addidimus, sicut in prima fecimus.

* Oudenborg.

Signum Karoli comitis filii regis Danorum, sig. Walteri buticularii & fratris ejus Cononis, sig. Bertulfi Brugensis præpositi, Willelmi Malet, Roberti fratris Wilhelmi, sig. Gozvini, sig. Desiderii Haket castellani, Lamberti Nappni, Thancmari de Straten, Theoderici de Dicasmutha, Berenvoldi de Stratan. Actum Brugis in domo præpositi XVI. kal. Augusti anno M. C. XIX. Indict. XII. regnante Ludovico rege Francorum, filio Philippi, anno XII. quo anno dominus Guido Vienn. archiepiscopus in Romanum pontificem levatus est.

VII.

Ex ipso autographo in archiv. Dunensium servato.

Fundatio monasterii de Thosan vulgo de Doest ord. Cisterciensis prope Brugas monasterio Dunensi jam dudum incorporati.

D IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Evrardus divinæ largitatis beneficio Tornacensis episcopus, universis sanctæ matris ecclesiæ filiis in perpetuum. 1174. Superni rectoris ex regula novimus institutum, ut qui in ecclesia ad culmen regiminis essent assumpti, Christo servire volentibus piæ opitulationis manum porrigerent, & ex copia locupletum, eorum qui sua pro Domino reliquissent inopia suppleretur; hujus itaque regulæ decretis edocti, aliqua Christi pauperibus nostræ liberalitatis impendia volumus impertiri, & mundum cum suis deliciis fugientibus, cum panibus sustentationis occurrere festinamus: hinc est quod locum qui E dicitur Thosan, cui nostrum est providere, ut in monasterium quandoque consurgat, cum omnibus suis appenditiis fratribus Cisterciensis ordinis Deo inibi sub regulari professione perpetuò servituris, pro nostris omniumque Tornacensium pontificum reatibus diluendis, legitima donatione libere possidendum contradimus, eumque perpetuis eorum usibus cessurum, præsenti pagina confirmamus, ipsos etiam cum omnibus quæ vel impræsentiarum possident, vel in posterum qualicumque titulo canonice sunt possessuri, ab omni potestate personæ secularis, vel etiam ecclesiasticæ nobis inferioris, exemptos, in nostræ protectionis gremium suscipimus confovendos, canonica Torn. ecclesiæ reverentia conservata. Si quis autem hoc infringere voluerit, & contra

statutum nostrum eisdem fratribus violentiam fecerit, nisi ad satisfactionem venerit, anathema sit, amen. Ut autem hoc in perpetuum conservetur, sigillum nostrum & ecclesiæ nostræ cum subscriptis testibus apponi fecimus. Signum domni Everardi Tornacensis episcopi, sig. Letberti decani, sig. Rotberti archidiaconi, sig. Simonis, Thomæ & Henrici presbyterorum, sig. Reineri, Walteri, Lamberti diaconorum, sig. magistri Gilleberti, Henrici, Absalonis, Johannis, magistri Gosvini, Danielis, Valteri, Guinomari subdiaconorum, sig. Letberti, Hugonis, Gunteri, Goscelini, Thomæ acolitorum. Actum Tornaci an. incarnati Verbi M. C. LXXIV. ordinationis nostræ 3. III. cal. Aprilis. Ego Letbertus cancellarius legi & subtersignavi.

VIII.

Ex autogr. *Everardus episc. Tornacensis acquirit ab abbate & monachis S. Richarii quicquid juris habebant in capella de Thosan.*

1177. IN nomine S. & individuæ Trinitatis, amen. Everardus Dei gratia Tornacensis episcopus universis fidelibus in perpetuum. Cum eleemosynarum muneribus divinam nobis volumus conciliare elementiam, curandum est ut ipsa devotionis oblatio cum omni puritate dirigatur ad Dominum, ne modici acredo fermenti totam bonorum operum corrumpat dulcedinem: ideo & nos cum locum qui dicitur Thosan, cujus dispositio de nostra pendebat providentia, cum suis appenditiis fratribus Cisterciensis ordinis, ad monasterium construendum donare vellemus, ut securam haberemus conscientiam, quod omni nævo nostra careret donatio, monachis etiam sancti Ricarii in præfato loco se aliquid juris habere dicentibus, causas de nobis conquerendi voluimus omnimodis amputare: igitur ex venerabilis domini & coepiscopi nostri Desiderii Morinensis arbitratu, quem & nos & ipsi communiter elegimus decisorem, numeratæ pecuniæ septuaginta libras de Blanchez præfato sancti Ricarii monasterio semel contulimus; & tres marcas assignavimus annuo redditu persolvendas, sed quia idem redditus longo terrarum interstitio a jam dicto distabat monasterio, magis eligentes monachi sancti Ricarii circa se positos redditus suos impignoratos redimere, quam remotis acquirendis insistere, acceptis a nobis pro ipso redditu quadraginta marcis argenti, si quid juris in supra memorato loco Thosan habuerant, totum id fratribus Cisterciensis ordinis, scripto interveniente, resignaverunt: quod ne posteris venire possit in dubium, si a memoria fuerit elapsum cum tempore, scripto mandari & sigillo nostro sub testimonio religiosarum personarum quæ ex diversis partibus convocatæ convenerant, fecimus communiri. Signum domni Everardi Tornacensis episcopi, sig. Radulphi Attrebatensis archidiaconi, sig. Walteri abbatis de Dunes, Petri abbatis Caricampi, Gerardi abbatis Balantiarum, Wilhelmi prioris de Claromaresc; sig. Tirrici Condatensis decani, sig. Gunteri Christianorum decani. Actum anno Incarnationis Dom. M. C. LXXVII.

IX.

Ex autogr. *Laurentius abbas S. Richarii & ejusdem loci conventus cedunt abbati de Doest quicquid juris habebant in capella de Thosan.*

1177. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Ego Laurentius Dei gratia abbas S. Richarii & communis capituli assensu, notum fieri volumus & præsentibus & futuris, quod querelam quæ inter nos & dominum Tornacensem vertebatur super capella de Thosan, omnino dimisimus, & eandem capellam cum omnibus ad eam pertinentibus, consilio domini Ambianensis & domini Attrebatensis, quibus dominus Papa eandem causam audiendam & terminandam commiserat, & aliorum

A religiosorum virorum, monachis Cisterciensis ordinis ibidem Deo servientibus liberè & quietè perpetuo possidendam concessimus & donavimus: ita ut monachi nostri singillatim interrogati, omnes se assentire singillatim profiterentur. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, scripto commendavimus, & sigilli nostri impressione firmavimus, & nomina testium subtus annotavimus. Walterus prior, Walterus de Vallibus, Wido cantor, Arnulfus, Robertus, Herbertus, Ingelrannus, Eustachius, Rainerus, Johannes, Thomas, item Thomas presbyteri, Bartholomæus, Hugo, Walterus, Arnaldus, Arnulphus, Walterus, Wido, Gerardus, Robertus, Walterus de Colunvileir, Simon major, monachi sancti Richarii; item Walterus abbas de Dunis, Gerardus abbas Balantiarum, Petrus abbas Caricampi,
B Wilhelmus prior de Claromaresch, Guffridus & Gerardus monachi de Caro-campo. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXVII. in capitulo sancti Richarii in octavis Assumptionis sanctæ Mariæ.

Gerulfus decanus S. Donatiani anno 1177. ratam habet & confirmat cessionem Laurentii abbatis sancti Richarii factam monachis de Thosan X. cal. Octobris.

X.

Arnoldus vicecomes Gistellensis benefacit monasterio Aldenburgensi, probante Philippo Alsatio Flandriæ comite. *Ex notitia eccl. Belgii.*

PHILIPPUS favente Deo, tam Flandriæ quam Viromandiæ comes, universis ecclesiæ filiis in perpe- 1180.
C tuum. Præsenti pagina curavi insinuare tam futurorum quam præsentium memoriæ, quod Arnoldus vicecomes de Gistella cum uxore sua Agnete omnem decimam, quam in parochia de Erneghem & Westkerca & Roxem & Bekenghem, inter Pita & Watervalla a me in feodo habebat, in manus meas resignavit; & ego eandem decimam ecclesiæ S. Petri de Aldenburg perpetuis usibus contradidi: ipse vero Arnoldus cum uxore sua Agnete, quandam decimam, quam in confinio præfatæ decimæ ab ecclesia S. Nicolai de Ribelmund, sub annua dimidii *Firtonis* solutione, hereditario jure possidebat, eidem S. Petri ecclesiæ, sub eodem pensionis canone, perpetuo possidendam juris sui loco concessit. Huic donationi interfuerunt Gerardus præpositus Insulanus, Walterus capellanus comitis de Winendala, Gerardus
D vicecomes de Aldenburg, Boidin de Ravenscota, Christianus de Gistella, Theodericus Damhoudera, Weitin de Jabbeca, & fratres ejus, Henricus de Paskendala, Henricus de Schirvelda, Daniel de Thorholt, Haket de Ridervoorda. Datum Furnis anno M. C. LXXX. indict. XIII. epacta XVII.

XI.

Charta Godescalci Affligemiensis abbatis, qua monasterium S. Andreæ prope Brugas in abbatiam erectum emancipat atque absolvit a sua obedientia.

GODESCALCUS Dei gratia Affligemiensis monasterii abbas totusque conventus, universis Christi circa 1188.
E fidelibus in perpetuum. Notum sit tam futuris quam præsentibus, quod dominus Baldricus Tornacensis & Noviomensis episcopus & Robertus nobilissimus comes Flandriæ ecclesiam S. Andreæ prope Brugas sitam abbati & conventui nostro Affligemiensi assignaverunt, ut in prædicta B. Andreæ ecclesia suos monachos instituerent & de jure prælationis res illius ecclesiæ tam temporales quam spirituales cum omni libertate disponerent & ordinarent. Hujus autem prælationis & libertatis, dispositionis & ordinationis cum per longa annorum curricula, debita cum integritate & quiete ad nos devenissent, attendentes quod jam dicta B. Andreæ ecclesia tam in temporalibus quam spiritualibus ad tantam profecisset amplitudinem, quod abbatem habere posset & ad re-

A gendam femetipfam fub proprii abbatis providentia fufficeret, omnimodæ libertati eam emancipavimus, & abbatem qui in nullo nobis in posterum obnoxius tenebitur, illuc instituí concessimus, ipsumque & omnes ejusdem ecclesiæ fratres sibi assignatos ab omni jure quo nobis tenebantur, absolvimus & in perpetuum liberos dimisimus. Ne igitur libertas eorum post hanc emancipationem aliquam posset incurrere calumniam reclamationis, præsentis scripti testimonio eam roborantes sigillorum nostrorum authoritate confirmamus, statuentes & sub anathematis interminatione decernentes, ut nullus tam succedentium quam præsentium fratrum nostrorum hanc nostræ paginam confirmationis audeat infringere vel temere contra eam venire. Ego Godescalcus abbas Affligemiensis sig. Ego Arnulfus prior sig. Ego Gosvinus supprior sig. Ego Theodoricus tertius B prior sig. Ego Wigerus quondam abbas Flicterbecensis, nunc autem monachus Affligemiensis sig. Actum anno Dominicæ Incarnat. M. C. LXXXVIII. ind. VI. Data per manum Joseph armarii nostri.

XII.

Philippus Flandriæ & Viromanduorum comes confirmat exemptionem abbatiæ S. Andreæ Brugensis a jurisdictione Affighemiensis.

circa 1188. PHILIPPUS tam Flandriæ quam Viromandiæ comes universis fidelibus in perpetuum. Ut me sanctæ matris ecclesiæ filium recognoscam, ecclesiarum Dei futuræ quieti & paci præcipue desidero insudare. Hac igitur intentione præhabita, ea quæ in meæ auctoritatis C præsentia utiliter & provide sunt peracta, tam valido veritatis robore non vacillare curavi, ne in posterum oblivionis aut convulsionis nota valeant infirmari. Noverit ergo successura posteritas quod Godescalcus abbas Affligemiensis de communi & voluntario totius capituli sui assensu ecclesiam S. Andreæ in vicinia Brugensi constructam cum suis appendiciis in manus meas, ut de cella in monasterium deberet exurgere resignavit, & eam ab omni consuetudine & jure quod in ea se dixerat habuisse plenissima libertate absolvit. Porro ego tam salubri gaudens proposito, eamdem ecclesiam cum ea libertate, qua eam de manu præfati abbatis acceperam, Hugoni jam eidem ecclesiæ in abbatem canonice electo ac ordinato cum fratribus inibi Deo perpetuo servituris quieta & absoluta possessione obtinendam contradidi. D Quia ergo ista donatio per me in præsentia multorum baronum meorum solemniter est celebrata, litteris eam mandari decrevi & sigilli mei patrocinio communiri Fixum sit, amen. . . .

XIII.

Epistola Hugonis abbatis S. Andreæ Brugensis ad Willelmum archiep. Remensem, qua ipsum rogat ut se excusatum habere velit, quod Insulas non venerit.

circa annum 1188. REverendissimo domno ac patri suo Willelmo Dei gratia Remensi archiepiscopo & Apostolicæ sedis legato, &c. suus Hugo dictus abbas sancti Andreæ salutem. Mandatum à vobis accepimus quod nos cum abbate de Oudenburch proxima feria V. Insulis assisteremus E ad præparandam vobis refectionem: quod tanto nobis accideret pergratum, quanto constat quod honorem & familiaritatem vestram altius diligimus & patrocinio vestro semper indigemus, nisi illud domus nostræ paupertas non modica excusare potuisset. Quia vero hæc nostra excusatio in multis poterit argumentis comprobari, cum videlicet ornamenta ecclesiæ nostræ calices, casulæ & cætera quæque sint ad usuram exposita, tum pro annona post Pascha nobis deficiente, tum pro quadraginta marchis argenti, de quibus vobis vix duobus annis præteritis servivimus, & pro quinque libris quas in proximo anno vobis administravimus. Cum itaque hæc sint, humillimis precibus misericordiam vestram attentius exoramus, quatenus eorum quæ a nobis dicta sunt veritatem diligentius inquirentes, nobis intuitu divinæ retributionis ad tempus deseratis patienter & benigne exspectantes: hoc etiam pietatem vestram non lateat, quod quosdam de fratribus nostris, licet nobiscum pauci sint, pro raritate victus ad aliena pascua transmittemus.

XIV.

Innocentius papa tertius confirmat fundationem monasterii B. Mariæ de Sparmalia in Honkeuliet. Ex chartul.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Gelæ, salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere: eapropter dilecta in Christo filia tuis justis postulationibus annuentes, capellam quam in honore beati Petri de assensu venerabilis fratris nostri episcopi Tornacensis, in cujus diœcesi sita est, propriis expensis de novo fundasti; in qua proposuisti relicto mundanæ vanitatis errore, sub religionis habitu Domino famulari cum omnibus bonis quæ inpræsentiarum eadem capella rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Nulli ergo omnino hominum licitum sit, hanc nostræ paginam protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani II. nonas Augusti, pontificatus nostri anno III. circa 1200.

XV.

J. Flandriæ comitissa suum consensum præbet ut construatur abbatia monialium in Hunkeuliet apud Slipen. Ex chartul.

J. Flandriæ ac Haynoniæ comitissa universis præsentibus & futuris præsentes litteras inspecturis salutem. 1235. Quia omnis potestas a Domino Deo tribuitur, & naturale jus exigit, ut omnis potestas in ejus servitio a quo potestatem assequitur se exerceat, dignum est ut religiosam vitam eligentibus nostro occurramus præsidio; ne alicujus temeritatis incursus eos aut a proposito revocet, aut robur, quod absit, sanctæ religionis infringat: hinc est quod locum qui dicitur Hunkeuliet in Slipen in dominio nostro jacentem cum personis & bonis omnibus ad locum ipsum jam pertinentibus, vel in posterum pertinendis, sub nostra protectione suscipimus & tutela, & ad ædificandum ibidem monasterium monialium ordinis Cisterciensis nostrum liberaliter & benigne præbemus assensum & ipsum monasterium ab omni servitute quitum & liberum dimittentes, omnibus libertatibus quas de communi beneficio Cisterciensis ordinis consequi potest, libere concedimus in perpetuum gaudere: salva tamen nobis omni justitia, quam habemus vel habere debemus in terris, quas dictæ moniales habent, vel habere poterunt in locis prædictis. In hujus igitur rei robur & testimonium, præsentem paginam præfato monasterio contulimus sigilli nostri munimine roboratam. Actum apud Malam, an. Domini M. CC. XXXV. mense Maio.

XVI.

Conventio facta inter abbatissam de Nova Jerusalem quæ hodie Spartmalia dicitur & abbatem de Dunis antequam ordini incorporaretur. Ex chartul. Dunensi.

UNiversis præsentibus & futuris præsens scriptum inspecturis, fratres B. de Camberone, W. de Laude dicti abbates, æternam in Domino salutem. Universitati vestræ notum esse volumus, quod cum nos de 1235.

mandato capituli generalis ad Novam terram sanctæ Mariæ in Slipis monasterium monialium venissemus, locum ipsum incorporaturi, & abbatissam secundum formam ordinis facturi : abbas de Dunis occasione grangiæ suæ de Hem, eo quod abbatia ipsa nimis prope ipsam grangiam construi videbatur, reclamationem faciens, rogavit ut inter se & moniales illas talis divisio fieret terminorum : ne propter nimiam vicinitatem terrarum seu possessionum, damnum vel injuria alteri ab altera inferretur ecclesia, vel discordia aliqua inter ipsas, quæ caritatis glutino debent esse conjunctæ, in posterum aliqua occasione oriretur. Nos igitur diligenter consideratis his quæ ad pacis caritatisque custodiam spectare possunt in posterum, aquam illam quæ dicitur Isera, utrique abbatiæ terminum posuimus, ne videlicet moniales ultra aquam illam versus occidentem infra duas leugas undique, terras aliquas vel possessionem acquirant; & monachi similiter versus orientem ultra dictam aquam infra duas leugas circumquaque, terras vel possessiones non possint acquirere, salvis nihilominus utrinque constitutionibus de distantia grangiarum vel abbatiarum, & de non acquirendis terris infra terminos ab ordine constitutos. Si autem monachi de Dunis terras aliquas infra terminos sibi interdictos acquisierint, vel in eleemosynam receperint : monialibus de Nova terra debent eas vendere, taxato justo pretio, & ipsæ si voluerint ement eas, vel æquipollentes si habuerint loco competenti, tradent, similiter moniales monachis debent facere de terris quas exquisierint, vel in eleemosynas receperint infra terminos sibi interdictos : alioquin si vel monachi vel moniales noluerint emere terras, ut jam dictum est, illi sive monachi, sive moniales quorum fuerint terræ, poterunt secularibus si voluerint vendere, vel sub annuo censu tradere excolendas; quia igitur utraque pars divisionem & ordinationem præfatam approbavit, & in perpetuum ratam esse voluit, præsentem paginam tam nostris quam ipsarum partium sigillis duximus roborandam. Actum an. Domini M. CC. XXXV. mense Aug.

XVII.

Charta fundationis parthenonis B. Mariæ Vallis-Cœli.

1237. UNiversis præsentes litteras inspecturis, Elizabeth relicta Balduini de Steinfort, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod ego & duæ filiæ meæ Margareta & Alcidis omnia quæ habemus tam in terris & redditibus, quam in aliis rebus in manus dominæ abbatissæ de Reclinatorio beatæ Virginis, ad opus cujusdam monasterii Cisterciensis, quod construere intendimus; integre posuimus & dedimus & quidquid nobis contingat vel de morte vel de vita, dicta abbatissa faciat & disponat, quidquid melius viderit ordinandum : ita tamen quod de rebus prædictis in suos usus vel alienos, nisi tantum in opus monasterii præfati, ei aliquid convertere licebit, & nos in domo sua conventum tenemur accipere quem nobis concesserit liberaliter & benigne : huic autem donationi præsentes fuerunt D. Heluinus capellanus, priorissa, celleraria & domina Mathildis ejusdem domus & domnus Philippus clericus. In cujus testimonium & munimen, præsenti scripto sigillum nostrum cum sigillo prædicti Philippi duximus apponi. Actum anno Dom. M. CC. XXXVII. mense Decembri.

XVIII.

Charta Thomæ Flandrensis comitis de translatione monialium de Honkeuliet ad Spermaliam.

1239. UNiversis Christi fidelibus, Thomas Flandriæ & Haynoniæ comes & Johanna ejus uxor Flandriæ & Haynoniæ comitissa, salutem in Domino. Quia quod ecclesiæ Dei, cui ordo Cisterciensis maxime invigilat, confertur, cedit ad honoris augmentum & animarum salutem. Nos attendentes pium desiderium dilecti & fidelis clerici nostri domini Ægidii canonici Brugensis, quod habet ad dictum ordinem, ratam habemus & firmam donationem quam fecit abbatissæ & monialibus de Honkeuliet Cisterciensis ordinis de domo & manso suo de Spermaelgen cum terris, pratis & arboribus & de prato quod fuit Eustachii de Riustum, & de terra quam comparavit ab Heine de Fivia & hæredibus suis & eam prout in litteris suis plenius continetur, præsentium testimonio approbamus : ita ut ad dictum locum se transferant, & ut ibi sit caput abbatiæ, prædictum mansum cum omnibus terris prædictis ab omni servitio feodali & servitute absolvimus & quittamus, & reditum quinque solidorum qui de dicta terra de Spermaelgen ad brevia domini Boidini de Arsebroct quittamus eidem, ad majorem notitiam exprimentes, quod dictus Ægidius coram nobis plane & aperte protestatus, tam ante donationem quam in dicta donatione facienda, quod in omnibus prædictis terris, arboribus & pratis & in aquis usumfructum quandiu vixerit, debeat retinere pro voluntate sua. In cujus rei testimonium & munimen, præsentem cartam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum anno Domini M. CC. XXXIX. mense Julio.

XIX.

Guillelmus abbas Cistercii indulget ob aëris intemperiem sororibus in grangia Honkeuliet degentibus usum carnium instante necessitate & aliorum ciborum indigentia. Ex chartul.

FRATER GUILLELMUS abbas Cistercii & definitores capituli generalis, religiosæ in Christo dilectæ sibi filiæ abbatissæ de Spaermaelgen prope Brugas, salutem & sinceram in Domino caritatem. Quoniam vestra nobis oblata petitio continebat, ut moniales & conversæ vestræ in curte vestra de Honkeuliet, ubi primò fundata fuit abbatia, & in loco adjacenti commorantes, propter aëris intemperiem, atque corruptionem ipsius ibi nimium regnantem, uti possent carnibus necessitatis tempore in prædicta curte, & non alibi : ex dispensatione capituli generalis, præcipue cum dictus locus sit nimis remotus a vestro monasterio & quasi inaccessibilis tempore hyemali : nos complexioni sexus feminei compatientes, venerabili coabbati nostro de Dunis contulimus, quatenus cum prædictis monialibus & conversabus vestris in prædicto casu, eo modo quo sibi secundum Deum & conscientiam visum fuerit expediens, earumdem necessitate pensata, auctoritate præfati generalis capituli valeat misericorditer dispensare. Datum sub sigillo quo communiter utimur, an. Dom. M. CCC. XXI. tempore capituli generalis. 1321.

XX.

Bulla Pii papæ IV. pro dotatione episcopatus Brugensis & limitibus diœcesis. Ex tabular. episcopatus Brugensis.

1560. PIUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium noviter erectarum decori ac venustati & illis præsidentium statui & opportunæ subventioni, cum divini cultus augmento, & animarum Christi fidelium salute valeat salubriter provideri : ac desuper etiam ea quæ a prædecessoribus nostris consulte gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster provide considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico, hæreditario jure etiam tunc sub-

jecta erat, paucos habere episcopos, nullum metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo & frequentissimorum oppidorum celebritas, ac longè latèque dissitorum castrorum pagorumque suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ab hæreticis conditio expostulabant, iisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi regis satisfacere: habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Attrebatensem, & Tornacensem ecclesias, civitates & diœceses à Remensi & Coloniensi provinciis, ac Mechliniense & Brugense diversaque alia oppida insignia hujusmodi regionis a sua quodque diœcesi & provincia perpetuò segregaverat & diviserat: necnon Mechliniense, Brugense & reliqua oppida prædicta sic divisa in civitates; Cameracensem vero & Trajectensem tunc episcopales sedes, ac olim sancti Rumoldi Mechliniensem in metropolitanas, & sancti Donatiani Brugensem collegiatam, cæterasque alias oppidorum in civitates erectorum prædictorum ecclesias, in cathedrales ecclesias, pro totidem archiepiscopis & episcopis, qui suæ quisque ecclesiæ præessent, necnon Mechliniensi & Brugensi ecclesiis & civitatibus prædictis, certos tunc expressos districtus per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos pro sua diœcesi cuique perpetuo concesserat, necnon ecclesiæ Mechliniensi prædictæ, ecclesiam, civitatem & diœcesim Brugensem hujusmodi inter alias pro sua provincia adjunxerat: præfato quoque Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Brugensem & alias ecclesias erectas, tam a primæva erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eumdem pontificem in archiepiscopos & episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis litteras, venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusino, suo ac Apostolicæ sedis nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputaret; dilectus filius noster Antonius S. R. E. presbyter cardinalis tunc episcopus Attrebatensis, & quatuor alii probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat; licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes quod per dismembrationes bonorum a monasteriis & præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa monasteria mensis prædictis pro dote suarum ecclesiarum, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse unienda, ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium commodiores illis, quæ per primò dictas litteras statuuntur, necnon constitutiones & assignationes dotium & denique numerum personarum ac dignitatum, præbendarum, beneficiorum & officiorum, statum quoque & formam in prædictis ecclesiis etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, ac alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt; ac super majori illorum

A parte processus & scripturas, seriò digestis rebus omnibus formandos curaverunt, prout in illis ac singulis litteris prædictis seu scripturis plenius continetur.

Nos, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique nuper monasterium de Doest Cisterciensis ordinis, olim Tornacensis nunc vero Brugensis diœcesis, cum primum illud per cessum vel decessum moderni illius abbatis, aut alias quovismodo vacare contingeret, mensæ episcopali Brugensi ex tunc prout ex ea die & econtra perpetuo univimus, annexuimus & incorporavimus; attendentes, quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus, optimisque B præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresum dogmata, quibus religio Christiana passim laceratur atque affligitur, haud ita violenter invaluissent: nunc autem cum ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus prædecessor nulla alia æque opportuna remedia, quam supradicta potuerit adhibere, ut ea juxta cordis sui atque nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes, ac mensæ episcopalis Brugensis & illi uniendorum canonicatus & præbendæ, necnon applicandorum & assignandorum fructuum, redditRuum & proventuum, ac bonorum & aliorum infra scriptorum, quorum valor annuus non est C expressus, veros annuos valores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis, id pro salute dictorum populorum enixe prosequentis excitati, motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras prædecessoris hujusmodi factas quoad infra scripta immutando, omnia & singula oppida, castra, pagos, villas & loca infra scripta, videlicet Brugas, Dam, Biervliet, Middelborgh, Sluys, Ardenborgh, Audenborgh, Ostende, Oostborgh, Houcke, Munckere, Blanckenberghe, Lombaertsyde, Westende, Willekinskercke Wiltzavensf- D syde, Mariekerke, Steene, S. Catelyne, Santvoorde, Breedene, Klemskercke, Vlisseghem, Houtave, Stalhille, Nieumunster, Wenduyne, S. Pieter-opdendyck, Meerkercke, Koolkercke, S. Jans-opden dyck, Vutkercke, Dudzeele, Terdoest, Oostkercke, Lisseweghe, Westcapelle, Ramscapelle, Heyst, Cnocke, Stamperhouck, Lapschurre, Cadsant, Wulphen, Nieuwliet, Tergrouwen, Nieukercke, Ormanscapelle, Schoondicke, Gaternesse, Breskins, Coxie, S. Catelyne, S. Marguerite, S. Cruys, Heinckerwerve, Watervliet, S. Jans ten Aermen, Bentillecapelle, Lestbyn, S. Lauwereyns, Caprycke, Eeckeloo, Lembeecke, Moerkercke, Brodsende, Maldeghem, Adeghem, S. Cruys, Male, S. Catelyne, Assembrouck, Rabbauwenborgh, Syseele, Oelem, Beernem, Leffinghe, Snaerkercke, E Slyppe, S. Godelieve, Sevecote, Mannekinsvere, Scoore, S. Peeters-Capelle, Sande, Leke, Keyem, Beerst, Vlaedsloo, Moere, Hansaine, Cortemarcke, Bovekercke, Wynendale, Capelle, Coeckelaere, Ichteghem, Eerneghem, Aertricke, Seedelghem, Loppem, Oorscamp, Ghistelle, Westkercke, Bekeghem, Roxem, Etelghem, Jabbeke, Varssenare, Serckeghem, Tilleghem, S. Michiels, Zarne, Hooghlede, Ghidts, Beveren, Hardoye, Cooliecamp, Lichtervelde, Zuevezeele, Heeghem, Putthem, Wynghene, Poucques, Rousselaere, Rombeke, Houckene, Woeslyne, Nieukercke, Roosebeecke, S. Jooris, Tendistelle, Meerberghe, Ruddervoorde, Waerdamme, Staen, Stadt, Caecten, in posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi

comprehensa, cum ecclesiis etiam parochialibus, monasteriis, collegiis canonicorum, capellis, hospitalibus & beneficiis, locis & personis ac officiis ecclesiasticis secularibus & regularibus, ac populis & quibuscumque aliis sub eis comprehensis præfatæ ecclesiæ Brugensi juxta designationem illi per prædictos subdelegatos factam hujusmodi, perpetuo concedimus & assignamus; & insuper præposituram ecclesiæ Brugensis prædictæ, quæ tempore illius erectionis hujusmodi dignitas inibi principalis erat, & cujus fructus, redditus & proventus mille ducatorum auri de camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus non excedunt, cum primum illam per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem dilecti filii moderni illius præpositi, aut alias quovis modo ex cujuscumque persona, etiam apud sedem apostolicam, aut etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum dispositio nobis aut Romano pontifici pro tempore existenti, per constitutiones apostolicas vel cancellariæ apostolicæ regulas, seu litteras alternativarum aut alia privilegia, & indulta reservata existit seu fuerit, vacare contigerit, vel etiamsi actu vacet & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem prædictam legitime devoluta, illaque dispositioni apostolicæ specialiter, vel ex quavis causa etiam dispositive exprimenda, generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc & econtra supprimimus & exstinguimus; necnon archidiaconatum Brugensem in ecclesia Tornacensi, quæ inibi dignitas, non tamen major post pontificalem existit, similiter cum primum ille per cessum vel decessum illam obtinentis, etiam apud sedem eandem aut alias vacare contigerit, vel etiamsi vacet, ac specialiter vel generaliter reservatus, curatus, & litigiosus existat, ut præfertur, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis ad prædictam ecclesiam Brugensem similiter ex nunc prout ex tunc & econtra; ita quod archidiaconus Brugensis pro tempore existens, post obitum moderni archidiaconi, in eadem ecclesia Brugensi, prout olim in dicta ecclesia Tornacensi residere, ac jurisdictionem per universam diœcesim Brugensem adinstar aliorum, qui nunc sunt in illa parte ejusdem diœcesis, habere, illamque exercere debeat, transferimus; ac in eadem ecclesia Brugensi unum archipresbyterum civitatensem pro uno archipresbytero civitatensi, qui curam rectorum parochialium ecclesiarum, verbi Dei, & sacramentorum per civitatem; & unam pœnitentiariam diœcesanam nuncupandas dignitates inibi, non tamen majores post pontificalem, pro uno pœnitentiario diœcesano nuncupandis, qui curam conscientiarum populi per diœcesim Brugensem habeant, perpetuo erigimus & instituimus: necnon a monasterio S. Bertini Audomarensis prædicti vel alterius ordinis, seu mensa abbatiali bona & proprietates sita in districtu Brugensi, ad monasterium seu mensam abbatialem hujusmodi legitime pertinentia, quorum proventus annui una cum fructibus, redditibus & proventibus dicti monasterii de Doest, residuum trium millium ducatorum pro dote dictæ mensæ episcopalis Brugensis, supportatis oneribus, complere dicuntur, post cessum vel decessum moderni abbatis ejusdem monasterii S. Bertini, similiter ex nunc prout ex tunc & econtra perpetuo segregamus & dividimus; ac illa, necnon domum, omniaque & singula alia, proprietates, bona, jura, jurisdictiones, census, fructus, redditus, proventus & emolumenta dictæ præposituræ sic suppressæ, etiam ex nunc prout ex tunc & econtra, eidem mensæ episcopali Brugensi pro ejus dote, ita quod liceat episcopo Brugensi pro tempore existenti, illorum omnium corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere & per-

A petuo retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in suos & dictæ mensæ usus & utilitatem convertere, ac de omnibus & singulis dignitatibus, canonicatibus, præbendis, beneficiis & officiis cum cura, & sine cura ad collationem, provisionem, præsentationem & quamcumque aliam dispositionem præfati præpositi tam conjunctim quam divisim pertinentibus libere disponere, cujusvis licentia desuper minime requisita perpetuo applicamus & appropriamus.

Et ut episcopus Brugensis pro tempore existens ecclesiam suam personis eruditis & ad jurisdictionem inibi exercendam cæteraque munera obeunda idoneis debite instructam jugiterque decoratam habeat, perpetuò statuimus & ordinamus, quod ex omnibus canonicatibus & præbendis dictæ ecclesiæ Brugensis, qui multi & pingues existunt, & ad collationem præpositi forsan pertinent, decem quos primo per cessum vel decessum, B etiam apud sedem præfatam, aut alias vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent ac devoluti, affecti, sacerdotales & litigiosi existant, ut præfertur, ita perpetuò affecti remaneant, quod idem episcopus unum & unam primo vacaturos, tanquam mensæ suæ episcopali perpetuò unitos, & quos nos similiter ex nunc prout ex tunc & econtra ipsi mensæ perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, obtinere, illorumque ratione capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in capitulo, super decanum & canonicos habere, reliqui verò novem canonicatus & præbendæ prædicti, tribus magistris aut licentiatis in theologia, & tribus doctoribus decretorum, seu in eis licentiatis, ac tribus aliis nobilibus ejusdem diœcesis, etiam in jure vel theologia saltem gradu licentiaturæ in famosa quapiam universi- C tate studii generalis secundum tenorem primo dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant; quodque ad sex priores tam nobiles quam alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem canonicatibus & præbendis hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint: ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi præbendarum consilium & operam in negotio ecclesiæ & religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim præstare teneantur, ac unus archidiaconus ad archidiaconatum, & alius archipresbyter ad archipresbyteratum, necnon D reliquus ex dictis graduatis pœnitentiarius ad pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem dicti episcopi assumi & omnium primi post episcopum vacaturos canonicatus & præbendas prædictos simili ordine consequi debeant; ut autem de viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & novem præbendæ hac prima vice per prædictum episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus juris sive momenti quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tunc iteratum ad hoc episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat, quodque E posthac ipsi novem canonicatus & novem præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore juris clausis, necnon exspectativis coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & alias disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis præventivis, per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes, & ipsam sedem Apostolicam vel ejus legatos etiam consideratione seu contemplatione aut intuitu vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum aut aliorum Principum ac S. R. E. cardinalium & ex quacumque causa quantumlibet urgente pro tempore factis & concessis comprehendantur; nec etiam tanquam vacantes apud sedem Apostolicam prædictam aut ulla alia ratione

generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam causa permutationis, etiam apud sedem candem pro tempore occurrente, per Romanum pontificem aut sedem hujusmodi de illis provideri aut alias quoquomodo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari nullaque causa infringi debeat. Quodque unus ex novem canonicis prædictis magister seu licentiatus in theologia, & alter decretorum doctor seu etiam licentiatus seniores, ratione suarum præbendarum facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Brugensem prædictam, quoties ab episcopo Brugensi, cæteri vero canonici graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus canonicis prædictis, duo in theologia & unus in Jure canonico graduati, ut præfertur, una cum archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines & admittendos ad curas animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum medio juramento promittentem admittendo.

Et quoniam ipsa hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si canonici graduati prædicti ab ecclesia sua, nisi ab episcopo vel capitulo missi, per duos menses absuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant & capitulo cedant; & omnes proventus singularum præbendarum dictæ ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis qui divinis officiis in choro deservierint & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis causa, permanserint, ministrari debeant; nec quisquam ulla dispensatione vel alio privilegio apostolico, quacumque causa impetrato vel concesso, sese a residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterùm ecclesiæ civitatis sub cura dicti archipresbyteri civitatensis, extra vero eam & in diœcesi Brugensi existentes sub suis decanatibus seu archipresbyteratibus aut aliis jurisdictionibus prout hactenus remaneant, vel meliori modo arbitrio episcopi distribui ipsorumque decanatuum seu archipresbyteratuum decani & archipresbyteri, salva dicti episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint, districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, cæterisque locorum ordinariis, necnon conventibus, superioribus & personis, illique vel illis ad quem seu quos præpositure & archidiaconatus ac decem canonicatuum & præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, præsentatio & alia dispositio, communiter vel divisim pertinet, necnon quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis majoris aliisque sententiis, censuris & pœnis, necnon privationis omnium dignitatum, personatuum, administrationum & officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de illis, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere aut alias disponere, seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quantumlibet modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant. Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito ac annali & triennali possessione, necnon privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri & plenariè gaudere; ac decem canonicatus & decem præbendæ affecti prædicti per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata prædicta, exspectativarum & quarumcumque aliarum gratiarum quoquomodo acceptari non posse, & nihilominus quascumque acceptationes, collationes, commendas, uniones etiam perpetuas, & alias dispositiones de eisdem aut eorum aliquo, per nos & sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, dismembrationem, separationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem & cætera præmissa, ac præsentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, & sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus vel limitationibus, etiam unionum & suppressionum, applicationum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minime includi, sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam quacumque ratione vel causa vocari posse: sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores & cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane decernimus, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi, & episcopo Camerino ac dilecto filio archidiacono ecclesiæ Brugensis per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni & pro tempore existentis episcopi Brugensis & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra episcopum Brugensem & alios præfatos, concessione, assignatione, translatione, erectione, unione, annexione, incorporatione & applicatione, ac litteris & aliis in eis contentis prædictis pacifice gaudere, ac alias litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; nonobstantibus voluntate priori & aliis præmissis, & nostris de valore, tam in impetrationibus, quam aliis gratiis etiam motu simili factis exprimendo, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una & concilii generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque apostolicis constitutionibus & ordinationibus etiam reservatoriis, etiam in corpore juris clausis, necnon cancellariæ apostolicæ regulis, etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem ordinariorum, & alias in contrarium quomodolibet editis & edendis, necnon monasteriorum & ordinum ac ecclesiarum & collegiorum ac locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon quibusvis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, exspectativis & aliis gratiis, etiam in canonicos

canonicos creationibus, aliis unionibus etiam perpetuis absque consensu coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, litteris & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac prælatis domesticis, necnon Romanæ curiæ officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu vel respectu etiam Imperatoris, Regum, ducum & aliorum principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis, etiam irritantibus & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu & scientia similibus & alias quomodocumque concessis, quas & quæ, ac illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnia omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus; necnon privilegiis, indultis & litteris apostolicis, illis & aliis quibusvis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem prædictam etiam per viam generalis legis ac statuti perpetui, necnon initi & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter ac alias quomodocumque, qualitercumque & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa; ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissime extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque: aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ac canonicatibus & præbendis ipsarum ecclesiarum speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque, ad præposituram & archidiaconatum ac canonicatus & præbendas hujusmodi volumus non extendi, sed nullum hoc eis quoad assecutionem dignitatum, ac canonicatuum & præbendarum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari; aut si pro tempore existenti episcopo & dilectis filiis capitulo Brugensi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede sit indultum, aut in futurum indulgeri contigerit, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, segregationis, divisionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. LX. V. Idus Martii, pontificatus nostri anno secundo. Erat signatum CÆSAR GLORIERIUS, & super plicam A. DE ALEXIIS.

Hæc bulla solemniter publicata fuit Bruxellæ per cardinalem ANTONIUM GRANVELLANUM archiepiscopum Mechliniensem judicem & exsecutorem a sede apostolica deputatum anno 1562. 10. Sept.

XXI.

Processus verbalis de inventione corporis B. Idesbaldi abbatis Dunensis, tempore Bernardi Campmans abbatis Dunensis.

ANno Domini M. DC. XXIV. mensis Aprilis die XXI. Dominica II. post Pascha. R. in Christo pater ac dominus D. Antonius de Hennin Dei & Apostolicæ sedis gratia, episcopus Iprensis ad instantiam reverendi in Christo patris ac domini D. Bernardi Campmans abbatis monasterii B. Mariæ de Dunis ordinis Cisterciensis, & conventus ejusdem, præsentibus etiam reverendis in Christo patribus domino Carolo ab Argenteau abbate monasterii S. Winoci in oppido Bergensi ordinis S. Benedicti, domino Christiano Dreuve abbate monasterii S. Nicolai in oppido Furnensi ordinis Præmonstratensis, domino Remigio Zaman abbate monasterii SS. Petri & Pauli in oppido Loensi in agro Furnensi ordinis canonicorum regularium S. Augustini, & reverendis dominis, domino Francisco Vander Eecke decano & canonico ecclesiæ cathedralis Iprensis, domino Guilielmo Zilof sacræ theologiæ licentiato, archidiacono & canonico ejusdem ecclesiæ cathedralis, D. Judoco Dixmude similiter canonico, venerabilibus fratribus Antonio Andries priore, Antonio Salé, Paschasio Dujardin, Philippo Bonte, Benedicto Vandervinck, Nicolao Desbuissons, Venantio de Bailly, Petro du Caron suppriore, Roberto Warlop, Ægidio de Raedt, Guilielmo Dacisede, Matthæo Salé, Leone Gheux, Cornelio Queval, Petro de Crequy, Johanne Bernardi, Guilielmo de Jonghe, Carolo de Visch, Adriano Meuleman presbyteris, Bernardo Joannis diacono, Hieronymo de Guize subdiacono, Jacobo Molin, Francisco Gheusere, Ambrosio Mystere & Gregorio Jex religiosis conventum monasterii Dunensis præfati constituentibus, celebrato prius Missæ officio in pontificalibus paramentis, aperuit loculum quemdam plumbeum, in quo erat integrum corpus, quod è veteri monasterio jam destructo, præfatus D. Bernardus abbas exhumari & adferri jusserat 23. Novembris 1623. ad chorum moderni monasterii: quod corpus (ut cognoverunt tam ex sepulchrali titulo, quam annalium domus indicio, & continua seniorum monasterii traditione) erat B. Idesbaldi tertii abbatis præfati monasterii de Dunis, cum summa sanctitatis opinione defuncti anno 1167. eratque idem corpus vestitum veste religiosa alba inferiori, & nigra superiori, adhuc prorsus firmis & integris (quæ tamen scissæ fuerunt ad inspectionem capiendam) cum herbis odoriferis diversi generis, Rosmarino, Absinthio, calicibus rosarum, & aliis quæ ex forma 1624.

optimè nosci poterant : ac præterea uno magno involucro ex tela cerata, omnino forti, ligato funibus cannabinis, qui (quod essent omnino integri & firmi) scissi fuerunt ad inspectionem ut supra; ex qua inspectione deprehensum est caput integrum adhuc munitum capillis, inter quos eminebat corona religionis, frons integra, oculi suis tecti palpebris & ornati superciliis, nasus aliquantulum fractus violento quodam ictu, quo, ut dicebant, & prælatus testabatur, in eum impegerant, ejus integritatem exploratam non habentes, dum funem brunum * cum linteo quo involutus erat, frustra vi in partes distrahere tentarent. Genæ integræ, labia integra coloris aliquantulum lividi, os parum patens, ita ut duo aut tres dentes in ipso aliqua sui parte videri possent, barba valdè, quam quis ab octo aut novem diebus rasam judicasset, ita tamen firma, ut præsentibus nobis, fortiter pili à chirurgo tractim avelli non possent, tota vultus constitutio tanquam dormientis in sinistrum latus versa, collum adhuc ductile prorsus integrum, humeri & brachia omnino integra sicut & manus, in quarum dextera adhuc parvi vulneris vestigium apparebat, pectus adhuc valdè crinitum & integrum, venter prætereà cum coxis, genibus & tibiis prorsus integris & pilosis, ipsis etiam musculis prominentibus, pes sinister integer & justæ magnitudinis, dexter vero sicut & dextra manus paulò contractior, ita ut videretur adhuc in vivis existens, paralisi, spasmo, aut apoplexiæ malo laborasse, tibialia omnino integra, ita ut etiam suturæ omnes dignoscerentur : insuper detulerunt præfati religiosi plumbeum loculum cruce, circulis & ansulis ferreis deargentatis decoratum, nulla sui parte corruptum aut exesum fuisse; cum tamen vicinus alter loculus æque plumbeus diversis in partibus exesus, ossaque aliorum inibi sepultorum magna sui ex parte corrupta, & in pulverem redacta inventa fuerint. Qua inspectione facta, curavit idem reverendissimus dominus loculum præfatum decenter claudi. In quorum omnium prædictorum fidem & testimonium, præsentes litteras per secretarium suum signari & majoris sui sigilli jussit & fecit appensione muniri anno, mense & die prædictis. Subsignatæ de mandato R. domini episcopi Iprensis prædicti, Oudardus Loste secretarius, & sigillatæ præfato sigillo.

* al. cannabinum.

XXII.

Conventio inter R. dominum Dionysium episcopum Brugensem ex una parte & R. Admodum D. D. Bernardum abbatem Dunensem ex altera circa dismembrationem & separationem abbatiæ Thosanæ a mensa episcopatus Brugensis.

1624. IMprimis R. D. abbas Dunensis relinquit R. D. episcopo Brugensi, ejusque successoribus jus ad omnia & quæcumque bona & jura spectantia ad abbatiam Thosanam sita in Zelandia, per ordines hujus Provinciæ quondam alienata, ac consequenter jus ad redditum quatuor millium florenorum, quem præfati ordines in compensationem dictæ alienationis toto tempore præteritarum induciarum prædecessoribus RR. domini solverunt, eique de novo ejusdem solutionis continuationem promiserunt ad octennium, a nona die Aprilis anni 1621. inchoandam.

Item superaddet eidem episcopo & successoribus ejus in perpetuum, redditum duorum millium & quadringentorum florenorum solvendum in duobus terminis mediatim, videlicet in Nativitate Domini, & Nativitate sancti Johannis Baptistæ : quod si contingat solutionem supradictorum quatuor millium florenorum non continuari, tunc R. dominus abbas solvet R. domino episcopo Brugensi ejusque successoribus, redditum quinque millium florenorum annue in duobus terminis, ut supra, donec iterum dicta solutio quatuor millium florenorum reviviscat.

A • Item si contingat supradicta bona in Zelandia constituta, aliquando episcopatui per pacem, inducias vel bellum restitui : ita ut episcopus ea pacifice possideat, quam tamen possessionem non tenebitur suis sumptibus prosequi, tunc episcopus pro tempore existens, tenebitur illa reddere abbati etiam pro tempore existenti, dictusque abbas ejusque successores tenebuntur in perpetuum solvere episcopo redditum sex millium & quadringentorum florenorum in duobus etiam terminis, ut supra, pro quibus R. dominus episcopus vicissim cedit reverendo domino abbati monasterium præfatum, cum omnibus suis bonis, proventibus, juribus, obventionibus & præeminentiis quibuscumque, exceptis iis quæ supra primo articulo comprehenduntur; sub oneribus tamen eidem abbatiæ incumbentibus, tam alendi religiosos, reædificandi, vel restaurandi monasterium Thosanum, vel B aliud ejus loco in civitate extruendi, & solvendi redditus passivos ejusdem monasterii; quam aliis quibuscumque gravaminibus, nullis exceptis; a quibus omnibus, per hanc conventionem R R. dominus ejusque successores de cetero omnino liberabuntur.

Prædicta autem omnia bona, & jura dicto domino abbati per prædictum RR. dominum episcopum cessa, manebunt in perpetuum reverendissimo domino episcopo Brugensi obligata, tanquam hypoteca pro solutione annua supradictorum redditUum, ita ut defectu dictæ solutionis possit episcopus fructus dictorum bonorum apprehendere, & levare, & in commodum sui sibi applicare, sine aliqua solemnitate juris.

Quantum attinet ad primum terminum solutionis, conventum est in hunc qui sequitur modum : scilicet, C quod si contingat confirmationem sedis apostolicæ & Regiæ majestatis impetrari ante festum S. Bavonis anni 1625. messis ejusdem anni cadet domino abbati; idemque solvet omnia onera casura post festum S. Johannis Baptistæ ejusdem anni, quemadmodum & supradictum redditum duorum millium & 400. florenorum, sin autem; manebit eadem messis RR. domino episcopo cum oneribus, & sic consequenter quotannis, donec eadem confirmatio fuerit impetrata & plene executa. Actum Brugis 2. Nov. anno Domini 1624. Dionysius episcopus Brugensis. Bernardus abbas Dunensis; anno 1624. mensis Novembris 21. prædictam conventionem confirmavit capitulum S. Donatiani, & capitulum monachorum Dunensium 3. Dec. 1624.

D

XXIII.

Philippus rex suis litteris confirmat initam conventionem inter episcopum Brugensem & abbatem Dunensium de incorporanda abbatia Thosana, hactenus mensæ episcopali Brugensi unita, abbatiæ Dunensi.

PHILIPPE par la grace de Dieu, Roy de Castille, d'Arragon, de Leon, des deux Siciles, de Jerusalem, de Portugal, de Navarre, de Grenade, de Tolede, de Valence, de Gallice, des Majorques, de Seville, de Sardaigne, de Cordube, de Corsique, de Murcie, &c. A tous ceux qui ces presentes verront, SALUT. Sçavoir faisons, Nous avoir reçû l'humble supplication & requeste de reverend pere en Dieu nostre tres cher & bien E amé abbé & convent de Nostre-Dame des Dunes en Flandres, contenant que devant les derniers troubles de ces Pays-bas, leurs predecesseurs considerant l'apparente future ruine de leurs monasteres par l'accablement des sablons & arenes de mer, au milieu desquels il avoit esté fondé & rebati par deux fois dés l'an mil cent & sept, & connoissant qu'ils ne se pouvoient remettre sus en ces lieux ni quartiers a l'avenir : ils auroient depuis l'an 1478. par diverses fois, en divers temps, cherché & fait tout devoir pour trouver quelque bonne ville close, là, où du lieu des susdites Dunes, ils eussent pu transporter ledit monastere, pour avoir une plus asseurée residence, afin de servir Dieu selon leur vocation, & plus grand repos, & tranquilité; ce 1626.

que temoignent assez les devoirs faits par divers prelats, & nommement que ont fait en cette affaire l'abbé Robert le Clerq en l'an 1541. & l'abbé Antoine Widoot en l'an 1565. tous deux pour transporter ledit monastere a Bruges, & l'unir avec celui d'Echoute, comme leidits remonstrans disoient apparoir, par les copies des traitez & accords faits avec les religieux d'icelui monastere, a cette fin; lesquels accords & devoirs n'auroient toutesfois eu effet, tant pour avoir esté interrompus par la mort des susdits prelats, que retardez par l'opposition des magistrats de nostre ville & chastellenie de Furnes; alleguant le dangier & peril du sablon n'estre pas si grand, qu'iceux des Dunes le figuroient; là où toutesfois l'accablement & totale ruine succedée par aprés, a évidemment montré le contraire: en sorte que depuis l'an 1577. qu'icelui monastere a esté ruiné & détruit par les heretiques & rebels; les religieux susdits ont esté forcez, aprés leurs retour en ces Pays-bas, aller comme errans par la Flandre, tantost a Hulst, puis a Bruges, de là a Nieuport, & enfin en une leur cense située au voisinage de Furnes, cherchant commodité asseurée pour y bastir un nouveau monastere, a cause que les ruines & place du vieil bastiment estoient desja toutes couvertes des grandes montagnes de sablon, & renduës inaccessibles pour a jamais. Et comme par les ordonnances du saint concile de Trente, il est porté que les monasteres, a bastir a l'avenir, se constituroient en villes clauses, pour pourvoir a tous inconveniens; & que par l'accord fait avec l'evesque de Bruges, touchant la dismembration & separation de la ruinée abbaye de Doest, de sa table episcopale, presentement par Nous confirmé, lesdits supplians trouveroient en nostre ville de Bruges au refuge de la susdite abbaye, aucune commodité pour y assembler les ruines des deux places, ce que ne semble hors de raison, comme ils disoient, attendu que qu'icelle de Doest est procedée des Dunes, & qu'on ne pourroit recouvrer les moyens pour autrement la retablir & remettre sus; si est-il, qu'iceux remontrans ont suppliez tres humblement qu'il Nous plust leur permettre de réünir ces deux corps, lesquels pour cause du grand nombre des religieux audit monastere des Dunes ont depuis l'an 1175. estez separez; pour ce est-il, que Nous ce que dit est, consideré & veu en nostre Conseil privé les raisons d'opposition sur ce alleguées de la part bourgmestres, landhouders & echevins . . . . . . de nostre ville & chastellenie de Furnes, avons au susdit abbé & convent des Dunes supplians, permis & consenti, permettons & consentons de grace especiale par cette, qu'ils puissent, & pourront réünir leur monastere avec celuy de Doest susdit, & retenant le nom de Nostre-Dame des Dunes, & retablir en la maison ou bien refuge dudit Doest, en nostre ville de Bruges, pour y vivre & servir Dieu selon leurs regles & institutions, avec les mesmes franchises, exemptions & privileges dont ils ont toûjours joüy & joüissent encore a present; recevant a cet effet lesdits supplians en nostre protection & sauvegarde especiale. Si donnons en mandement a nos tres chers & feaux les chief, president & gens de nos Royaume & grand Conseils, præsident & gens de nostre Conseil provincial en Flandres, & a tous autres nos justiciers, officiers & subjets, comme ce peut ou pourra toucher & regarder, que de nostre presente grace, permission & octroy, en la forme & maniere que dit est, ils fassent, souffrent & laissent les susdits remontrants, ensemble leur successeurs, plainement joüir & user, cessans tous empeschements au contraire: car ainsi nous plaist-il, en temoin de ce, Nous avons fait mettre nostre sceel a ces presentes. Donné en nostre ville de Bruxelles le 24. jour du mois de Novembre, l'an de grace 1626. de nostre regne 5.

PAR LE ROY en son Conseil.

E. DE BERTI.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ IPRENSIS.

I.

Ex codice donat. piarum Miræi.

Philippus Francorum rex confirmat possessiones & prædia monasterio Messinensi collata.

1066. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Philippus Francorum rex, notum fieri volo cunctis Christianæ religionis cultoribus, tam futuris quam præsentibus, quod comes Baldewinus conjuxque Adela Flandriæ comitissa, unaque nobilissima Roberti Francorum regis filia, majestatis nostræ serenitatem adiere, cum humilitate maxima obnixe deprecantes quatenus ecclesiæ Messinensi libertatem, quam facere disposuerat pater meus Henricus in vita sua, facerem ego pro ejus anima, parentumque meorum perenni memoria.

Quorum supplicationibus condescendens humillime, qui non eram filius ancillæ sed filius liberæ, libertatem, quam comes Baldewinus Adelaque uxor illius expetiere nolui denegare. Verum ne irrita foret libertas sanctæ Dei ecclesiæ, chartam istam sigilli mei corroboravi impressione, meisque fidelibus, hujus libertatis testimonium, adscriptis eorum nominibus, jussi perhibere.

Sic autem ecclesiæ supradictæ libertatem tribui, ut terras & alodia cum pratis & molendinis ceterisque beneficiis ad eamdem sanctam Dei ecclesiam pertinentibus, nullo contradicente vel injuriam faciente, salva sororum suarum fidelitate, abbatissa atque canonici ejusdem ecclesiæ, sicut idem comes & comitissa in usus necessarios illis disposuerunt, & chartæ nostræ series diffinit, ab omni potestate sive dominatione cujusque personæ, libere possideant, seu quos prædictæ abbatissæ atque canonicorum constituerit benevolentia.

Hæc sunt autem, quæ possederit abbatissa, ecclesiam ejusdem loci & altare, vicum & terras intra Rosebecum & Duniam, in territorio Furnensi, octo berquerias, quæ sexdecim mansis continentur, apud Furnes mansum unum Drusloni, apud Eches in Mempisco septem mansa terræ, apud Wideschat viginti octo mansa terræ, altare de Warneston, apud Ferlinghem dimidiam vacceriam, in villa, quam appellamus Duplices Montes curiam & molendina, & duodecim mansa terræ & portam aquæ, villam quandam Crucicolas nominatam situm juxta S. Pauli oppidum, duo mansa terræ apud Lambrene, apud Duacum terram, quæ dividitur in duodecim particulas, quam Waldricus dedit S. Mariæ, tunc temporis ejusdem ecclesiæ præpositus.

Hæc sunt vero quæ canonici possederint, decimam ipsius villæ Messinensis, in territorio Furnensi duas berquerias in eodem territorio, apud Affringhem septem mansa terræ continentia centum vaccas, apud Wideschat tredecim hortos, apud Ipram decem libras denariorum de censu, apud Ferlinghem duo pensa caseorum, apud Duplices Montes, centum solidos, apud Bruges alodium persolvens duodecim solidos, apud Asewangne unum mansum terræ, ecclesiam S. Richarii, apud Wideschat mansum unum, tam monialibus quam canonicis datum a Manechino, juxta Rosebecam mansum unum decano habendum, cum viginti solidis de censu rusticorum ejusdem villæ Messinensis.

Huic legitimæ libertati atque diffinitioni faciendæ hi legitimi testes interfuerunt, tam de parte Regis & Baldewini comitis, quam de parte comitissæ. Baldewinus

comes de Montibus filius Baldewini comitis, Ingelramnus magister Regis, Frericus de Curbulo, Hugo de Bleis, Ingelramnus de Villers, Robertus filius Gisardi. Robertus Burgundigena comes de Gisnes, Radulfus de Tornay, Robertus de Peronia. A

Actum Furnis publice anno ab Incarnatione Domini M. LXVI. indictione IV. regnante Rege Philippo anno post obitum patris sui Henrici sexto.

Huic vero chartæ si quis, quod absit, contradicere voluerit, persolvat Regi trecentas libras auri & postea ejus calumnia irrita maneat, & ipse sit anathema.

Ego Gofridus gratia Dei Parisiorum episcopus & eodem tempore Regis cancellarius relegi & relegendo subscripsi. S. Baldewini comitis.

II.

Brevis notitia Fundationis B. Mariæ de Zonnebeck ordinis canonicorum regularium S. Augustini.

1072. FULBOLDUS pro animæ suæ salute, & Ramburgis uxoris, filiorum, aliorumque antecessorum suorum, de concessione Drogonis Morinorum episcopi, ad perpetuam memoriam in villa Zunnebeck tres canonicos statuit, ad quæ liberius agenda de proprietate sua viginti quatuor mensuras terræ, decimas villæ de Norschotes, servos & ancillas triginta, aliosque redditus ad vivendi necessarios usus tradidit: idemque Drogo ecclesiam Zunnebeckanam ab omni debito liberam reddidit & absolvit, excepto quod singulis annis in Cœna Domini duos solidos ecclesiæ Tarvannensi persolvat; idem episcopus decimam & oblationes ad hanc ecclesiam pertinentes ad supplementum victus canonicorum pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum attribuit, & ad instantiam Fulboldi constituit ut tertius canonicorum curam pastoralem habeat super cæteros aliosque parochianos, hoc modo, ut quando subditorum sibi contigerit alterum mori, cum consilio residui locum ac beneficium restauret defuncti: illoque, hoc est, præposito humanis rebus migrante, quem elegerint canonici pastorem, huic ipse vel quicumque successor ejus fuerit, absque alicujus generis pretio regimen daturus sit pastoralis officii, & præposituram totius boni ad ecclesiam pertinentis. Actum hoc fuit anno ab Incarnatione Domini M. LXXII. episcopatus ipsius Drogonis XL. regnante rege Philippo in Francia, Roberto in Flandria. Hujus vero privilegii firmati ab episcopo Drogone sunt testes Hubertus, Arnulfus archidiaconi ejusdem ecclesiæ, Geroldus decanus, Grimelandus cantor, Jodo canonicus, Herluinus canonicus, Wilbertus decanus parochiæ ejusdem, Gerardus Furnensis decanus, Gerardus de Loto, Wolmarus, Hunfridus, Sermerus, Lozo, Hugo, Guido, Willelmus, Robertus vicecomes, præterea tota synodus ad hoc convocata, &c.

III.

Ex autogr. *Primarium instrumentum Parthenonis Nonnenboschi Ipram translati.*

1123. NOtum sit omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quia ego Carolus Dei gratia Flandrensium comes cuidam ecclesiæ in honore sanctæ Mariæ dicatæ, in orientali parte Ipræ sitæ, ac sanctimonialibus inibi Deo jugiter militantibus, terram circa eandem ecclesiam jacentem duodecim bunarum cum comitatu & cum universis quæ mei juris erant, ob salutem animæ meæ ac prædecessorum meorum, Roberti avunculi mei & filii ejus Balduini comitum, libere in perpetuum possidendam dedi. Actum est hoc anno 1123. in ecclesia Iprensi, & corroboratum astantibus & videntibus multis idoneis testibus, scilicet Frumaldo castellano & filio ejus Frumaldo, Erlebaldo, Dirolfo, Folberto, Aluvoldo cæterisque fidelibus.

IV.

Adelidis Peronensium comitissa confirmat ecclesiæ sancti Petri de Warneston & canonicis ibidem degentibus omnia quæ fuerant concessa a predecessoribus & multa adjicit. Ex autogr.

(SAnctorum patrum exemplis docemur, & eorum qui nobis verbum salutis annuntiant ammonitionibus exhortamur, ecclesiis Dei benefacere, & unde servientes earum sustententur, prout facultates suppetunt, largiri, & eis modis quibus possumus proficere; quapropter) ego Athelidis Perronensium & Garnestonensium domina, saluti animæ meæ providens, ea quæ prædecessores mei ecclesiæ sancti Petri de Garneston ad usus canonicorum Deo & beato Petro ibidem servientium contulerunt, insuper & ea quæ ego & frater meus Odo præfatæ ecclesiæ largiti sumus, libere tenenda in perpetuum concedo; duas partes decimæ totius villæ de Garneston, quadraginta solidos de theloneo, maheriam præfatæ villæ, & terram Almari & cæteras possessiones ecclesiæ, familiam quoque Bescelæ & ipsam Bescelam quam præfatus frater meus Odo eidem ecclesiæ pro salute animæ suæ dederat, (ipsam ecclesiam ad usus canonicorum liberam tenere) similiter in perpetuum concedo Gerbodonem filium ipsius Bescelæ, Mathildem sororem ejus, filium ipsius Mathildis, Andream & filias* ejus, Julianam, Elisabeth, Susannam, Oginam* quoque filiam ipsius Bescelæ & filios & filias ejus, Galterum, Alardum, Wilhelmum, Mathildem & filiam ejus Oginam*, Agnetem, Auxiliam, Helleuvridem* filios quoque Gerbodonis & filias, Remigium, Melianam, Heillevidim, Immam: hæc autem familia & ex ea descendentes in passione apostolorum Petri & Pauli duos nummos canonicis persolvent, & quando nuptias contrahent duodecim nummos, similiter & in morte duodecim. Hæc autem omnia ut rata & firma permaneant, sigilli nostri impressione signamus, & his testibus corroboramus. Sigerus canonicus ejusdem loci, Odo sacerdos & canonicus sancti Leodegarii, Stephanus clericus, Radulphus clericus, Hugo clericus, Alardus de Garneston, Odo Cameracensis, Galterus Scherdel, Ansellus, Hugo filius Richeri, Robertus præpositus, Isaac, Haimericus & filius ejus Gerardus & complures alii: præterea tota familia dominæ Athelidis. Actum est autem anno Incarnati Verbi M. C. XXVI.

1126. Quæ inter parenthesim, desunt in meteria eccles. Belgii, pag. 328.

Idem, pag. 328.

* filiam.
* Ogivam.
* Ogivam.
* Hellemiridem.

B C D

V.

Introductio canonicorum regularium in ecclesiam Warnestonensis oppidi inter Ipras & Insulam. Ex autogr.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Piæ petitio voluntatis effectu debet, merito prosequente, compleri; hujus rei gratia ego Theodericus sacræ religionis cultum & habitum in terra mea propagari desiderans, piæ postulationi domini & patris nostri Milonis Dei gratia Morinorum episcopi, de ordinanda ecclesia Varnestonensi libens assensum præbeo, & quidquid ibidem juris aut potestatis habere visus sum, & ipsam ecclesiam cum redditibus suis, in manum ipsius episcopi libere concedo: ita videlicet ut ibidem abbas cum fratribus constituatur, ac juxta ordinem & consuetudines ecclesiæ beati Nicolai de Aridagamantia, sacræ religionis cultus & habitus in perpetuum observetur, & aliquid eorum orationibus imperfectionis nostræ subsidium comparetur, assensum quoque dominæ Adelidis de Peronna & clericorum secularium qui præfatæ ecclesiæ hactenus ministraverunt, ab hac nostræ paginæ sententia non discrepantem, ea qua præsum potestate, jure & auctoritate approbo atque confirmo; atque hoc ipsum auctoritate domini Milonis episcopi sub anathematis districtione confirmari volo & postulo. Actum est hoc anno Incar- 1138. E

nationis Christi M. C. XXXVIII. Affuerunt autem Alvisus Attrebatensis episcopus, Philippus & Milo Tervannensis ecclesiæ archidiaconi, Lonius * abbas ecclesiæ sancti Bertini, laici vero Gisslebertus Bergensis, Anselmus Iprensis.

* Leonius.

VI.

Charta Athelidis dom. Peronnensis & Warnestonensis, partem montis Dodelim canonicis regularibus concedentis.

1139. IN nomine Patris & Flii & Spiritus Sancti. Ego Athelidis Peronensium & Garnestonensium domina, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Cum inter cætera quæ mihi a prædecessoribus meis hæreditario jure relicta fuerant in Garnestonensi comitatu, partem cujusdam montis quem montem Dodelim vocant, in manu mea tenerem, sæpius petitionibus religiosorum virorum pulsata, quatenus pauperibus fratribus in Garnestonensi ecclesia, Deo & beato Petro sub regula sancti Augustini secundum institutionem sancti Nicolai de Aridagamantia famulantibus, concederem, placuit mihi & salubre consilium esse duxi petitionibus & voluntati eorum acquiescere. Illam itaque quam præfata sum partem montis, pro salute animæ meæ & prædecessorum meorum præfatis fratribus perpetuò liberè tenendam & ab omni exactione absolutam concedo, excepto quod in nativitate beati Johannis, tres solidos mihi & successoribus meis persolvent, mansuram quoque quam filii Rogeri custodis Willelmus videlicet & Alardus a patre suo Rogero & avo suo Litberto sibi hæreditario jure relictam tenuerunt, & supradictis fratribus dederunt, liberam eis concedo, ita dumtaxat quod in natali Domini mihi & successoribus meis obliam sicut cæteræ mansuræ persolvant. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, sigilli nostri impressione roboramus cum testium subscriptione, qui huic concessioni interfuerunt. Signum Athelidis, sig. Hugonis fratris ipsius Athelidis, sig. Odonis capellani, sig. Simonis, sig. Gidonis presbyterorum, sig. Odonis Cameracensis, sig. Anselmi dapiferi & aliorum plurimorum testium. Actum est autem Peronæ anno ab Incarnatione Domini M. C. XXXIX.

VII.

Privilegium Milonis episcopi Tarvanensis Gualterio abbati Warnestonensi omnes monasterii possessiones confirmantis.

1142. EGO MILO Dei gratia Morinorum episcopus, dilecto filio Gualtero abbati de Guamestum suisque successoribus canonice substituendis in perpetuum. (Cum in sede æquitatis residere dinoscimur, omnium utilitati & eorum perpetuæ pacis tranquillitati, maxime eorum qui ad portum securitatis ac religionis enataverunt, fraterna ac debita charitate providere constringimur. Sicut enim injusta desiderantibus nullus est tribuendus effectus: ita recta postulantibus nullo modo negandus est assensus.) Tuis itaque dilecte frater Gualtere abbas de Guarnestum ac fratrum tuorum desideriis juste annuentes, quæcumque inpræsentiarum canonice possidetis, aut in futurum juste adipisci poteritis, vobis vestrisque successoribus sub regula beati Augustini Christo militantibus perpetuo concedimus, & ut vobis inconvulsa permaneant, auctoritate episcopali qua cæteris præsidemus & sigilli nostri impressione confirmamus: in quibus hæc propriis duximus notificanda vocabulis, quicquid juris domina Adhelidis & canonici seculares in ecclesia de Guarneston possederunt, quod eadem Adhelidis & comes Flandriæ Theodericus in manu nostra liberum reddiderunt; duas partes decimæ tam minutæ quam magnæ præfatæ villæ, dimidietatem oblationum & tertiam partem candelarum & quadraginta solidos de thelonio & totam Maherium, mansiones canonicorum

Quæ inter parenthesim, desunt apud Miræum, pag. 373.

omnino liberas, terram ultra Doviam & terram de * Haia quam Folcherus tenuit & pratum, terram in Broco quam Giraldus ad lumen ecclesiæ dedit, terram Folpandi * quam ipse & uxor ejus & filii & filiæ ejus dederunt, terram Almari, terram Hunonis presbyteri, montem, quem præfata Adhelidis dedit, bonariam prati quam Alardus dedit, mansuram quam Gualterius de Dovia dedit, mansuram quam filii Rogeri custodis vendiderunt, mansuram juxta atrium, tres solidos ad lampadem sanctæ Mariæ, & duos solidos ad cereos quos Alardus dedit, modium avenæ de decima prati ultra Leia, altare de Hardinfrot, altare de Wluringehem, liberam quoque abbatis electionem, salvo tamen jure Tervannensis ecclesiæ. Si quis igitur concessionis hujus nostræ paginam sciens, ei temere obviare præsumpserit, donec errorem suum satisfactione correxerit, anathema sit, & in extremo examine ultioni subjaceat divinæ: cunctis autem vobis vestra jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, amen. Actum est hoc anno Domini M. C. XLII. indictione V. coram his testibus; Philippo, Milone archidiaconis, Hermanno decano, Gualtero custode, Gerbodone cantore, Errembaldo presbytero, Nicolao, Balduino, Udelmo Tervannensis ecclesiæ canonicis, Balduino de S. Wlmaro, Gilleberto de Blangi, Manasse Watiniensi, Isaac Formosellensi, Henrico de Lisques abbatibus, Balduino Bergensi, Arnoldo Furnensi, Johanne Iprensi decanis, aliisque multis.

* de Leia.

* Tolpaldi.

VIII.

Robertus de Bethunia advocatus Bethuniæ confirmat canonicis regularibus Warnestonii quidquid ab antecessoribus ipsis collatum fuerat.

Ex autogr.

1177. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Robertus de Betunia Attrebatensis advocatus, notum facio omnibus tam futuris quam præsentibus, quod antecessores mei fundaverunt ecclesiam de Warneston, qui etiam divino instinctu animati statuerunt, quod canonici regulares in eadem ecclesia omni die Deo militarent; quibus etiam dederunt in eleemosynam tam decimas, quam terram etiam, redditus, & alia multimoda beneficia vitæ necessaria, de quibus longum est singula per se enumerare: eapropter volo sciat universus fidelis, quod ego Robertus summus advocatus de Warneston, & Adhelis uxor mea, etiam filii mei Robertus, Wilhelmus, Baldevinus, quicquid præfata ecclesia sancti Petri de Warneston in eadem villa sive a nobis, sive ab antecessoribus meis, vel etiam ab hominibus nostris, in eleemosynam tenet nunc, hæreditario jure teneat, & hoc Gilleberto abbati & successoribus suis toto caritatis affectu concedimus, & manumittimus; & ut in perpetuum libere possideant, sigilli nostri confirmatione roboramus. Actum est hoc anno Incarnationis Domini M. C. LXXVII. indictione X. concurrente V. hujus rei sunt testes Balduinus de Rabeca, Johannes de Anesin, Ibertus de Dovia.

IX.

Qualiscumque notitia fundationis abbatiæ de Ponte Rohardi, desumta ex necrologio ejusdem monasterii.

circa 1230. QUarto decimo cal. Februarii, ipso die anniversarium duplex illustris & nobis dilectæ & sororis nostræ ad succurrendum Elizabeth dominæ de Ponte-Rohardi, quæ ob dilectionem & amorem præcipuum quem ad nos & ordinem nostrum præ aliis ordinibus habebat, a Primiacensi ecclesia per venerabilem patrem Petrum Dei gratia Morin. episcopum, sex sorores Deo devotas & zelo religionis ac justitiæ plenas advocari in hujus erectione niduli procuravit, quas per triginta quinque annos verbis dulcisonis & consolationibus assiduis nutriendo, adversus omnes in earum defensione

quasi murum se viriliter erigebat. Hæc autem lucerna A patriæ, noverca malitiæ, extirpatrix malorum, consolatrix miserorum, devota Deo quasi Anna altera in ætate adhuc senili, fastidio non vexata, jejuniis & obsecrationibus aliisque bonis operibus intenta, Domino sedulum obsequium exhibebat: & quia omnia & singula bona per ipsam tam in vita quam in morte nobis facta, difficile esset omnia enarrare, tum pro constructione novellæ ecclesiæ nostræ & dormitorii nostri, tum pro reparatione officinarum nostrarum, cum viginti sex libris & tredecim sofidis quos nobis in territorio Brugensi hæreditario acquisivit, circa mille & quingentas libras in sicca & numerata pecunia nobis liberaliter erogavit. Hujus autem anniversarium, quanto potest solemnius fiat, & commendatio ante Missam ab omnibus dicatur, habeantque sorores pro plenaria refectione quadraginta B solidos ad redditum nostrum in Brugensi territorio assignatos.

Idibus Aprilis anniversarium solemne dilecti & familiarissimi nobis domini Nicolai quondam sancti Martini Bergensis ecclesiæ presbyteri, qui ob amorem quem ad ordinem nostrum, in honestate habitus, aliisque observantiis & diversis institutionibus, præ quibusdam aliis ordinibus præferendum habebat, virum nobilem dominum Guillelmum de Bethunia, una cum illustri domina Elizabeth uxore sua domina de Ponte-rohardi, exhortationibus, monitionibus consiliisque salubribus ad hoc induxit, ut per venerabilem patrem Petrum Dei gratia Morinensem episcopum, a Primiacensi ecclesia Cameracensis diœcesis sorores gratia plenas, honestate commendabiles, spiritu ferventes, zelum ordinis habentes, ad regimen hujus niduli nostri affectu quo potuerat, C nimio peterent cum effectu; & ut cætera ejus beneficia totiens nobis facta transeamus, in pecunia numerata trecentas libras, & amplius in terris, pratis, redditibus ac decimis acquisitas, positas recepimus, dum adhuc viveret, ab eodem.

X.

Bulla Pii papæ IV. qua definiuntur limites diœcesis Iprensis & dos episcopi assignatur.

1560. PIUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. De statu ecclesiarum omnium, præsertim cathedralium insignium noviter erectarum prospere & feliciter dirigendo, attentius cogitantes, ad D ea libenter intendimus per quæ illarum conservationi, decori & venustati ac profectui, & illis præsidentium commoditati, ac aliarum in eis divinis obsequiis vacantium personarum opportunæ subventioni consulatur, & interdum ea quæ a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus super his consulte gesta fuerunt, ex saniori consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout rerum & temporum ac personarum & regionum qualitatibus pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut accepimus alias postquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster, providi vigilisque pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta E oppidorum celeberrimorum frequentia, locorumque suorum multitudine adeo paucas ecclesias cathedrales habebat, ut earum episcopi ea qua opus erat diligentia tantam animarum multitudinem minime regere poterant, idque quibusdam hoc erat difficilius, quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate institutisque differebant, & quidam eorum ejusmodi privilegia habebant ut ipsos ad sedem episcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrina & pie vivendi præceptis commode instrui, nec si quid deliquissent facile corrigi ab episcopis suis possent; ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos & in officio suo continendos, nulla in tota illa regione ecclesia erat metropolitana, sed archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes, propter multa & varia impedimenta nulli suffraganeis suis usui jam pridem erant, & propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum & schismaticorum a quibus eadem regio omni fere ex parte cincta atque obsessa erat, catholica illic fides & animarum salus in maximo discrimine & periculo versabantur; his & aliis gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi regis precibus annuere, tamque pio ejus desiderio satisfacere, habita sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem ecclesias, civitates, & diœceses a Remensi & Coloniensi provinciis, quibus tunc erant metropolitico jure subjectæ, ac Mechliniensem, Iprensem, Audomarensem, & diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ regionis a sua quodque diœcesi & provincia, necnon ab ecclesia Morinensi eam partem diœcesis Morinensis, quæ in Arthesiæ & Flandriæ comitatibus ditionis præfati Philippi regis erat, cum omnibus & singulis suis terminis, territoriis, cleris, populis, personis, monasteriis, & piis locis ac beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus, & quorumvis ordinum regularibus perpetuo segregaverat, diviserat, & separaverat, necnon Mechliniense, Iprense, Audomarense, & reliqua oppida præfata sic divisa, in civitates, Cameracensem vero & Trajectensem tunc episcopales sedes, ac olim collegiatam sancti Rumoldi Mechliniensem ecclesias, in metropolitanas, ac olim monasterii S. Martini Iprensem ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, necnon sancti Audomari Audomarensem, & certas alias aliorum oppidorum in civitates erectorum præfatorum ecclesias in cathedrales pro totidem episcopis creandis, qui suæ quisque ecclesiæ præessent, ac Iprensi & Audomarensi ecclesiis, & civitatibus præfatis certos districtus per nuncium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos pro sua diœcesi perpetuo concesserat, necnon Iprensem, Mechliniensi, Audomarensem vero & Atrebatensem ecclesias civitates & diœceses antedictas ecclesiis hujusmodi pro sua provincia subjecerat; singulisque Iprensi & Audomarensi mensis episcopalibus annuum redditum trium millium ducatorum auri de camera ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis per dictum nuncium specificandis & repartiendis ex tunc prout ex ea die, & econtra, postquam specificati & repartiti, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis mensis pro earum dote alium annuum redditum mille & quingentorum ducatorum similium per ipsum Philippum regem ex redditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipiebat, Iprensi & Audomarensi episcopis pro tempore existentibus, singulis annis quousque specificatio & repartitio præfatæ, ac pro ea tantum parte quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integre & proportionabiliter persolvendum, perpetuo applicaverat & appropriaverat, eidemque Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici personas idoneas ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad dictas Iprensem & Audomarensem ac alias cathedrales ecclesias sic erectas tam a primæva erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, eidem prædecessori & Romano pontifici, qui pro tempore foret per eum in archiepiscopos & episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis litteras venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusino, suo & apostolicæ sedis nuncio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas qui dictas provincias & diœceses distinguerent &

limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret. Dilectus filius noster Antonius S. R. E. presbyter cardinalis Atrebatensis nuncupatus, tunc episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus & nuncius, dicto prædecessore interim de medio sublato, vigore seu pretextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari poterant, facta nihilominus per eos diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes bonorum in monasteriis & præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa monasteria & præposituras mensis prædictis pro dote suarum ecclesiarum, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse unienda ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur, necnon constitutiones & assignationes dotium & denique numerum personarum ac dignitatum, præbendarum, beneficiorum, & officiorum, statum quoque & formam in præfatis ecclesiis etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones & alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt, & super majori illorum parte processus serio digestis rebus omnibus formandos curaverunt; & inter alia dictæ ecclesiæ Iprensi & pro tempore episcopo Iprensi districtus parochialium ecclesiarum, videlicet: In archipresbyteratu civitatensi, sancti Martini Iprensis, S. Mariæ de Brila, S. Petri Iprensis, S. Jacobi Iprensis, S. Nicolai Iprensis, S. Johannis apud Ipram. In decanatu Warnestonensi, Warneston, Poolecap, Paeschendale, Moorle, Bunderva, Bekelare, Legem, Dadizeele, Geluwe, Kemmele, Witschate, Messines, Wulverghem, Zillebeke, Elverdinghe, Steenvercke, Langhemarck, Dickebusch, Nova-ecclesia, Bixschote, Santvoorde, Vlamertinghe, Boesinghe, Locre. In decanatu Balliolensi, parochia Balliolensis, Meternes, Meires, S. Johannis capella, Eecke, Caestre, Canisvilla, Borra, Straceele, Waloncapelle, Hazebrouck, Niepe, Capelle. In decanatu Poperingensi, Dominæ nostræ de Poperingis, S. Johannis de Poperinga, sancti Bertini, Dranoutre, Westoutre, Oost, Vleterne, Godefridi campus, Berthene, Crombeque, Provenda, West-vleterne, Watove, Beverne, Stavele, Houtkercke, Haringhe, Oostene, Boesclieppe, Reninghelst. In decanatu Furnensi, S. Nicolai de Furnis, S. Dionysii Furnensis, S. Walburgis Furnensis, Hogestaede, Adinkercke, Oeren, S. Richarii, Pollinckhove, Avencapella, Vinckem, Houthem, Wulveringhem, Wulpem, Lenisselles, Bulscamp, Steenkercke, Isenberghe, Alveringhem, Coxida, Ghirrinckove, Godefridi capella. In decanatu Casletensi, Dominæ nostræ Casletensis, S. Nicolai Casletensis, Segeri-capella, Bullesele, Peene, Rybroucke, Oostzeele, Zuytpeene, Bavinckhove, Staple, Volckerinckhove, S. Mariæ capella, Terdinghem, Steenvoorde, Winnesele, Hildewardi capella, Hardifort, Winnemari capella, Zerinzeele, Oxelaere. In decanatu Winochy-bergensi, sancti Petri Bergensis, S. Martini Bergensis, Duynkercke, Steen, West-capella, Wormout, Killem, Teteghem, Hondtschoote, Coudekercke, Rexpoede, S. Nicolai capella, sive Oostcapelle, Lostrinckhoucke, Givelde, Wildre, Ekelsbeke, Crochte, Uxem, Berzelle, Ledringhem, Warhem, Arembaldi capella, Bambeke, Quaet-ypre, Arembaldi templum, Bissezele, Bierne, Zuutesle, Chocx. In decanatu Dixmudensi, parochia Dixmuden, Esscne, Clarckem, S. Jacobi capella, Woma, Merckem, Zuytschote, Renynghem, Vetus capella, Noorschoote, Oostkercke, Lampernesse, Caeskinkercke, Parvisia,

A Noen capelle. In decanatu de Neupoort, Dominæ nostræ de Neupoort, Ramscaple, Oost-duinkercke, S. Georgii, in nova terra, Zoutenay, S. Catharinæ capella, sancti Guillelmi capella, Bendtshouche, pro sua diœcesi designaverunt, prout in processibus & scripturis, ac singulis litteris prædictis plenius continetur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper cathedralem ecclesiam Morinensem certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam ac sedem illius episcopalem, & in eis omnia & singula episcopalia jura, & cathedralis ecclesiæ insignia, pro eo quod alias per conditiones pacis inter ipsum Philippum & claræ memoriæ Henricum Francorum reges firmatæ, sub dictæ sedis beneplacito decretum fuerat, quod civitas Morinensis tunc solo æquata non restauraretur, sed illius ecclesia & diœcesis
B præfatæ ac beneficia, beneficiorum collationes & proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciæ, altera vero inferioris Germaniæ esset, penitus suppressimus & extinximus, & diœcesim Morinen. ac omnia & singula sub ea & in decreto prædicto comprehensa, in duas partes, quarum una Franciæ, altera vero inferioris Germaniæ hujusmodi juxta dictum decretum esset, & ulterius illam diœcesis Morinensis partem in inferiori Germania hujusmodi extantem cum bonis, censibus, feudis, decimis aliisque proventibus sub ea comprehensis, qui valorem annuum duorum millium ducatorum auri de camera, secundum communem æstimationem constituunt, in duas alias æquales partes, & duas alias diœceses divisimus & separavimus, ac Iprensi unam, Audomaren. vero ecclesiis ac mensis episcopa-
C libus reliquam, partes & diœceses subdivisas hujusmodi pro sua quaque diœcesi, & parte dotis perpetuò applicavimus, attendentes, quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus optimisque præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresum dogmata quibus religio Christiana passim laceratur & affligitur, haud ita violenter invaluissent; nunc autem cum ad illa arcenda & exstirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus prædecessor nulla alia æque opportuna remedia potuerit adhibere, quam supradicta, ut ea juxta cordis sui atque nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, etiam nostri ministerii partes præmissis adjicere, ac illa omnibus aliis quibus possumus rationibus juvare & promo-
D vere volentes, necnon bonorum dignitatibus ac canonicatibus & præbendis infra dictis per præsentes applicandorum, fructuum, redditiuum & proventuum veros annuos valores, necnon singularum litterarum, processuum & scripturarum prædictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio, & ex certa scientia ac etiam de apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus & distributionibus subdelegatorum hujusmodi, in dictis processibus specificatis tanquam in melius reformatis inhærendo, ac priores litteras hujusmodi quoad infra scripta immutando omnia & singula supradicta oppida, castra, villas, loca, jurisdictiones, dis-
E trictus & jura in posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa cum ecclesiis, monasteriis, collegiis & locis ecclesiasticis, ac secularibus & regularibus, aliisque personis ac populis cæterisque sub eis comprehensis præfatæ ecclesiæ Iprensi juxta posteriorem designationem hujusmodi, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuò concedimus & assignamus, necnon in monasterio S. Martini præfato, cujus ecclesia in cathedralem ecclesiam Iprensem erecta exstitit, ut præfertur, etiamsi de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, nomen tantum & denominationem abbatis seu præpositi ac dignitatem abbatialem seu præpositurae statumque, essentiam & ordinem regulares, necnon cum primum illos ac monasterium seu præposituram sancti

Martini hujusmodi per cessum vel decessum illa nunc A obtinentium etiam apud sedem eandem aut alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio, nobis aut Romano pontifici pro tempore existenti per constitutiones Apostolicas, vel cancellariæ apostolicæ regulas, seu litteras alternativarum aut alia privilegia & indulta reservata existit seu fuerit, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vacent, & tanto tempore vacaverint, quod illorum collatio & ejusdem monasterii sancti Martini provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem ipsam legitime devoluta illique dispositioni apostolicæ specialiter vel genelariter reservati existant, ac ipsius monasterii S. Martini provisio ad sedem eandem specialiter vel generaliter pertineat. & ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; monasterium sancti Martini, seu illius ac ecclesiæ Furnensis olim Morinensis diœcesis præpositúras etiam principales, ac qui pro parte dicti Philippi regis juxta conditiones hujusmodi relicti sunt, decanatum forsan majorem, necnon pœnitentiariam, cantoriam, scholastriam, thesaurariam non majores post pontificalem dignitates, necnon quinque canonicatus & quinque præbendas ex pluribus aliis suppressæ Morinensis ecclesiæ hujusmodi, pro parte dicti Philippi regis per conditiones pacis hujusmodi inter alia etiam relictos penitus supprimimus & extinguimus, ac ex dicta ecclesia Morinensi archidiaconatum Flandriæ, dignitatem inibi non tamen post pontificalem majorem, & ex quindecim capellaniis in ipsa ecclesia Morinensi, octo capellanias per prædictos subdelegatos specificatas, ac decem ejusdem ecclesiæ Morinensis pro parte dicti Philippi regis, juxta conditiones præfatas relictos & ex ipsa ecclesia Furnensi in qua triginta canonicatus & triginta præbendæ cum decanatu existunt, decem alios canonicatus & decem præbendas similiter, quos primo per cessum vel decessum illos obtinentium, vel alias simul vel successive vacare contigerit, aut etiamsi ad præsens vacent, & etiam tanto tempore vacaverint quod similiter eorum collatio juxta eadem Lateran. statuta concilii ad sedem eandem legitime devoluta, ipsique archidiaconatus & capellaniæ ac canonicatus & præbendæ eidem dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super eis inter aliquos lis cujus statum similiter præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ad dictam ecclesiam Iprensem, pro uno archidiacono & totidem canonicis & capellanis in dicta ecclesia Iprensi transferimus, ac in eadem ecclesia Iprensi unum archipresbyteratum civitatensem pro uno archipresbytero civitatensi qui curam rectorum parochialium ecclesiarum ac verbi Dei & sacramentorum per civitatem, & unam pœnitentiariam diœcesanam nuncupandas dignitates inibi non tamen post pontificalem majores, pro uno pœnitentiario diœcesano nuncupandis, qui curam conscientiarum populi per diœcesim Iprensem habeant; & ulterius in ecclesia Iprensi hujusmodi unum decanatum dignitatem inibi majorem post pontificalem, ad suffragia omnium canonicorum ejusdem ecclesiæ electivum pro præposito ipsius ecclesiæ Iprensis deinceps decano, loco suppressæ præpositūræ hujusmodi, qui duplicem distributionem in choro percipiat, & unam cantoriam pro uno cantore, ac unam scholastriam pro uno scholastico & unam thesaurariam etiam dignitates inibi, non tamen post pontificalem majores, pro uno thesaurario, ac duodecim alios canonicatus & duodecim alias præbendas pro duodecim aliis canonicis ejusdem ecclesiæ Iprensis perpetuo erigimus & instituimus, ac unum & unam ex decem canonicatibus & decem præbendis ex ecclesia Morinensi ad ecclesiam Iprensem, ut præfertur, translatis mensæ Iprensi hujusmodi similiter perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod episcopus Iprensis illorum ratione persona capitularis esse, ac vocem, auctoritatem & præeminentiam etiam in capitulo supra decanum & alias dignitates ac canonicatus & præbendas inibi obtinentes habere debeat, liceatque sibi illorum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in suos & suæ mensæ hujusmodi usus & utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita; & ulterius eidem mensæ Iprensi pro sua dote hujusmodi bona & proventus trium ex quinque suppressis canonicatibus & præbendis ecclesiæ Morinensis hujusmodi, ac jus præbendæ Insulensis * nuncupatæ B ad episcopum Morinensem pro tempore existentem pertinens, sub dictis conditionibus comprehensum, quorum insimul septingentorum & quinquaginta ac similiter omnia & singula bona suppressæ præpositūræ ecclesiæ Furnensis, ac tot ex bonis & proprietatibus monasterii, seu præpositūræ sancti Martini hujusmodi, quot una cum bonis suppressæ præpositūræ ecclesiæ Furnensis hujusmodi valorem annuum mille constituant, & valorem annuum trium millium ducatorum similium pro dote mensæ episcopalis Iprensis hujusmodi una cum prædictis complebunt; necnon archipresbyteratui, pœnitentiariæ, cantoriæ, scholastriæ & thesaurariæ similiter medietatem æquis portionibus dividendam bonorum & proventuum cantoriæ, scholastriæ, & thesaurariæ suppressarum prædictarum, ac singulis duodecim canonicatibus & duodecim præbendis C ut præfertur erectis prædictis, tot ex reliquis monasterii seu præpositūræ sancti Martini proventibus hujusmodi, quot pro competenti dote illorum ad æquivalentiam proventuum aliorum canonicatuum & præbendarum ecclesiæ Iprensis hujusmodi opus fuerit, post obitum tamen religiosorum ejusdem, seu postquam illis aliunde provisum exstiterit, eisdem interim sub cura decani ecclesiæ Iprensis hujusmodi remanentibus; præterea decanatui medietatem proventuum decanatus ecclesiæ Morinensis similiter pro parte dicti Regis relictorum, ac præbendam & domum per decanum monasterii sancti Martini prædicti haberi & possideri solitas, & tam illi quam archidiaconatui Flandriæ hujusmodi unam, archipresbyteratui vero, pœnitentiariæ, cantoriæ, scholastriæ & thesaurariæ præfatis sic erectis ac graduatis in- D frascriptis affectis novem canonicatibus & novem præbendis ecclesiæ Iprensis hujusmodi, reliquam medietatem bonorum & proventuum reliquorum duorum canonicatuum & præbendarum suppressorum prædictorum similiter ex nunc prout ex tunc, & econtra, pro dotis nomine perpetuo applicamus & appropriamus, necnon episcopo Iprensi domum monasterii seu præpositūræ sancti Martini hujusmodi cum hortis & pertinentiis suis circumstantibus pro sua habitatione, ac illas ipsas quas episcopus Morinensis pro tempore existens in eisdem Iprensi ecclesia, civitate, & diœcesi prout sibi per divisiones hujusmodi contingit, & insuper quas abbas seu præpositus S. Martini monasterii seu præpositūræ & præpositus ecclesiæ Furnensis hujusmodi olim quomodolibet habebant, collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamcumque aliam E dispositionem omnium & singulorum prioratuum, dignitatum, personatuum, (etiam exceptis infrascriptis affectis) canonicatuum & præbendarum, administrationum & officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura & sine cura secularium prædictorum & quorumvis aliorum ordinum regularium per eum & futuros præsules Iprenses, vel alium seu alios eorum nominibus libere faciendas etiam perpetuo reservamus, concedimus & assignamus; & ut ipse episcopus Iprensis suam ecclesiam personis eruditis & ad jurisdictionem inibi exercendam cæteraque munera ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam jugiterque decoratam

* al. in salutem.

decoratam habeat; similiter perpetuo statuimus & ordinamus, quod novem canonicatus & præbendæ ex ecclesia Morinensi ad ecclesiam Iprensem translati hujusmodi, quos suppressioni, applicationi & unioni aliorum trium canonicatuum & præbendarum mensæ episcopali Iprensi hujusmodi, loco facto per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum apud sedem præfatam, aut alias vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent ac dispositioni apostolicæ specialiter vel generaliter reservati ac sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus etiam haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, tribus magistris aut licentiatis in theologia, & tribus doctoribus decretorum seu in eis licentiatis, & tribus nobilibus ejus diœcesis etiam in jure vel theologia saltem gradu licentiaturæ in famosa quapiam universitate studii generalis secundum tenorem primo dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato in B perpetuum concedi & assignari debeant, quodque ad sex priores tam nobiles quam non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem canonicatibus & totidem præbendis hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint; ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi præbendarum consilium & operam in negotio ecclesiæ & religionis cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quotiens ab episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim præstare teneantur, & archidiaconus, (nisi præbenda archidiaconatui suo annexa sit) archipresbyter, pœnitentiarius, cantor, scholasticus, & thesaurarius præfati ex dictis novem graduatis ad nominationem C episcopi Iprensis assumi, & omnium primi post episcopum vacaturos novem canonicatus & præbendas affectos hujusmodi ordine in dicta designatione expresso servato, consequi debeant, & ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & novem præbendæ hac prima vice per episcopum duntaxat & deinde quotiens illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus juris seu momenti quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat, quodque posthac ipsi novem canonicatus & D novem præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus etiam in corpore juris clausis, necnon expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & alias disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes, & dictam sedem apostolicam vel ejus legatos, etiam consideratione, contemplatione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum principum, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud sedem apostolicam præfatam aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resigna- E tionem etiam ex causa permutationis apud sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum pontificem aut sedem eandem de illis provideri aut alias quoquomodo disponi possit, sed forma electionis præmissa omni tempore servari nullaque causa refringi debeat, quodque unus ex novem canonicis prædictis magister seu licentiatus in theologia, & alter decretorum doctor seu etiam licentiatus seniores ratione suarum præbendarum facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Iprensem prædictam, quotiens ab episcopo Iprensi, cæteri vero canonici graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus canonicis præfatis duo in theologia & unus

A in jure canonico graduati, ut præfertur, una cum archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines & admittendos ad curam animarum, quacumque autoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum seque personaliter residentiam facturum medio juramento promittentem admittendo; & quoniam impia hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, *quod si canonici graduati prædicti ab ecclesia sua, nisi ab episcopo missi, per duos menses absuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant & capitulo cedant, & omnes proventus singularum præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis qui Divinis officiis in choro deservierint, & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis causa permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione vel alio privilegio apostolico quacumque causa impetrato vel concesso sese a residentia hujusmodi eximere possit;* cæterum ecclesiæ civitatis sub cura dicti archipresbyteri Civitatensis, extra vero eam & in diœcesi Iprensi existentes, vel sub suis decanatibus seu archipresbyteratibus aliisque jurisdictionibus prout hactenus remaneant, vel meliori modo arbitrio episcopi distribui, ipsorumque decanatuum decani, salva dicti episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint, quodque archidiaconus Flandriæ in ipsa ecclesia Iprensi institutus post cessum vel decessum præsentis possessoris, talem in dicta diœcesi Iprensi jurisdictionem qualis ibidem ab antiquis archidiaconis haberi & exerceri consuevit, obtinere & exercere debeat, districtius inhibentes universis & singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis abbatibus cæterisque locorum ordinariis ac conventibus, superioribus & personis, necnon illi vel illis ad quem vel ad quos suppressorum & translatorum præpositurarum, decanatus, archidiaconatus, cantoriæ, pœnitentiariæ, scholastriæ & thesaurariæ, ac canonicatuum, præbendarum & capellaniarum aliorumque beneficiorum prædictorum collatio, provisio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, & quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, necnon privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum suorum ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de illis si vacant aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere aut alias disponere seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant, ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito ac de annuali & triennali possessore, necnon privilegiis omnibus quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenarie uti, potiri & gaudere debere, ac novem canonicatus & novem præbendas ejusdem ecclesiæ Iprensis sic affectos prædictos, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata nationis Germanicæ, exspectativarum & quarumcumque aliarum gratiarum quoquomodo minime acceptari posse, & nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem & eorum aliquibus etiam per nos & sedem præfatam quomodolibet factas & faciendas nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, suppressionem, extinctionem, translationem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, inhibitionem, decretum cæteraque præmissa ac præsentes

litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus similium vel dissimilium unionum, annexionum, suppressionum, extinctionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel successores nostros tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis quocumque tempore fient includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore & efficacia persistere, & quotiens illæ emanabunt, totiens in pristinum statum restituta & de novo concessa, eisque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de surreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam quacumque ratione vel causa vocari posse, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores & ejusdem ac Romanæ ecclesiæ cardinales in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & diffiniri debere, ac ex nunc irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi & episcopo Amerinensi, ac dilecto filio decano ecclesiæ sancti Petri Casletensis, Iprensis diœcesis, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte moderni & pro tempore existentis episcopi Iprensis & aliorum, quorum interest & quomodolibet intererit in futurum, requisiti fuerint, seu eorum aliquis fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra episcopum Iprensem & alios prædictos concessionibus, assignationibus, suppressione, extinctione, translatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, decreto ac præsentibus litteris & in eis contentis hujusmodi pacifice frui & gaudere, ac alias litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, non permittentes illos seu eorum aliquem desuper per supradictos aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus voluntate nostra prædicta, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, etiam de una & concilii generalis de duabus non tamen tribus dietis, aliisque apostolicis constitutionibus & ordinationibus etiam in corpore juris clausis, ac alias reservatoriis dictæ cancellariæ apostolicæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem ordinariorum & alias in contrarium quomodolibet editis & edendis, necnon singularum ecclesiarum ac monasterii & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus & litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus, superioribus, ordinariis aliisque collatoribus & personis præfatis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros ac nos & sedem præfatam etiam per viam generalis legis & statuti perpetui; necnon initi & stipulati contractus, seu quasi & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque

A & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam supradictorum & quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter & alias quomodocumque ac quotiescumque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis ac concedendis, necnon quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus etiam mentalibus, exspectativis & aliis gratiis, unionibus, annexionibus & incorporationibus perpetuis vel temporalibus absque consensu coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, litteris, mandatis, concessionibus & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus & aliis dispositionibus etiam cardinalibus ac etiam nostris antiquis & descriptis familiaribus, etiam Imperatoris,
B Regum, ducum, aut aliorum principum contemplatione vel intuitu seu in eorum aut ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut ob remunerationem laborum nobis & sedi præfatæ impensorum, aut in recompensam jurium cessorum vel ablatorum aut alias quomodolibet etiam motu proprio & ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis etiam attestativis mentis nostræ de illis non revocandis aut suspendendis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie de monasteriis, præposituris, decanatibus, archidiaconatibus, cantoria, pœnitentiaria, scholastria, thesauraria, ac canonicatibus & præbendis etiam translatis, unitis, & suppressis, ac capellaniis & aliis beneficiis hujusmodi
C concessis hactenus & in posterum concedendis; quas & quæ illorumque omnium vim & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in monasteriis, præposituris, decanatu, archidiaconatu, cantoria, pœnitentiaria, scholastria, thesauraria, ac canonicatibus & præbendis, capellaniis & aliis beneficiis hujusmodi effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus, illisque ac statutis, privilegiis, indultis, & litteris supradictis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa ac de verbo ad verbum non autem per litteras generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes; illis alias
D in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque: aut si aliqui in Morinensi & Furnensi ecclesiis præfatis in canonicos sint recepti vel ut recipiantur instant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus & præbendis, ac dignitatibus ipsarum ecclesiarum ac hujusmodi specialès vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque ad monasterium, præposituras, decanatum, archidiaconatum, pœnitentiariam, cantoriam, scholastriam, thesaurariam, ac canonicatus, & præbendas, ac capellanias, & alia beneficia volumus non
E extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum & præbendarum ac dignitatum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis, & litteris apostolicis, generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti,

mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto idus Martii, pontificatus nostri anno secundo. Subsignatum erat, FREDERICUS cardinalis CÆSIUS, CÆSAR GLORIERIUS, A. DE ALEXIIS, & exterius supra cooperculum habebatur, registrata apud

· CÆSAREM secretarium.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ RURÆMUNDENSIS.

I.

Ex histor. eccl. ducatus Geldriæ.

Diploma fundationis vel dotationis abbatiæ vulgo dictæ Het Munster monialium ordinis Cisterc. in civitate Ruræmundensi.

1224. IN nomine Christi & individuæ Trinitatis, amen. Ego Gerardus comes Gelrensis omnibus hoc scriptum inspecturis salutem in eo, qui est omnium salus. Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, poni solent sub lingua testium & scripturæ memoria perennari.

Ideo siquidem notum esse cupio tam præsentibus quam futuris, quod cum venerabilis mater mea Richardis nomine, secularibus negotiis fastidita, S. Spiritus inspirante gratia veterem hominem exuere & novum videlicet Cistercienss ordinis habitum induere decrevisset, extra fines proprios in partes extraneas proposuit declinare; vidimus non modica correpti tristitia, cum amicorum meorum una mecum instantia, ab hoc tandem proposito vix fuerat reclinata, ipsam enim in propriis pacifice malebamus prædiis degere sub ordine desiderato, quam in alienis partibus prædicto modo conversari; igitur ego Gerardus & Margareta conjux mea una cum filio nostro Ottone pium ejus desiderium studentes promovere, supplicatu nostro cum personis Cisterciensibus tam fratrum quam sanctimonialium Cisterciensis ordinis provide deputatis in oppidum nostrum Ruremundæ honorifice perduximus, & ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis ibidem in prædio nostro constructam cum omni jure suo, quod nobis dignoscebatur attinere, & præterea quadraginta areas circumjacentes & tres areas quas contulit quidam Hermannus cum Anca dictus, cum omnibus attinentiis suis atque bona alia, quæ in præsenti pagina consequenter inveniuntur expressa, in remedium animarum nostrarum, parentum ac prædecessorum nostrorum donavimus & beatæ Mariæ perpetuæ virgini obtulimus, conferentes ea venerabili matri nostræ in eadem ecclesia abbatissæ, ac conventui ibidem Domino deservienti perpetuo possidenda; jus quoque patronatus ecclesiarum Gelren, videlicet novæ & veteris cum totali decima & sylvis ac attinentiis suis, patronatum ecclesiæ Wettenæ cum totali decima & sylvis & cæteris attinentiis suis; patronatum ecclesiæ Rhode cum totali decima & sylvis atque aliis attinentiis suis, decimam tamen earumdem ecclesiarum statuimus sicut nunc esse permanendam, & sylvas sine consensu nostro nec vastandas omnino, nec in novalia redigendas; statuimus quoque easdem ecclesias nulli clerico seculari, sed fratribus prædicti cœnobii conferendas, & si præfatus conventus fratrum defectum patitur, seculares clericos tanquam vicarios instituat: præterea unam marcham ad luminaria prædictæ ecclesiæ de fermento cerevitiæ, quod vulgo Grut nuncupatur annuatim exsolvendam, & tantum ejusdem fermenti quantum sæpedictus conventus ad cerevisiam necesse habuerit ordinavimus ipsi perpetuo administrandum. Quidam autem nomine Godefridus de Millare, dimidium mansum in Hamme, qui quatuor solidos Leodiensis monetæ singulis annis solvit, a nobis jure feudatali tenuit, quem cuidam nomine Siberto de Biersbecke, simili jure, quo tenuerat, concessit, qui quoque quemdam Winandum nomine, hæreditario peracto in præfatam terram videlicet prædictorum solidorum instituit, quam vero terram consensu prænominatorum virorum comparavit supra nominati loci conventus. Nos igitur ut nihil de contingentibus omitteretur, sæpedictos solidos in reverentiam Matris misericordiæ eidem conventui perpetuo donavimus, item unum molendinum in Rura, & quartam partem unius jugeris juxta curiam Muckenbruke prælibato conventui contradidimus in perpetuum possidendam; præterea nulla bona nobis attinentia, præfato conventui sine nostro consensu liceat comparare, tali vero conditione interveniente bona superius memorata cum attinentiis suis sæpedicto conventui contulimus, ut si casu eumdem conventum de loco in quo nunc est, in alium locum sine nostro consensu transferri contigerit in posterum, supradicta bona ad nos libere redeant possidenda; præterea ne aliquis successorum nostrorum repletus invidia sæpedicta bona prænominato conventui minuere valeat, aut omnino auferre, præsentem paginam nostri sigilli munimine roboravimus. Testes vero; vir nobilis Henricus de Monte & Walterus de Eyle, quoque Gerardus de Baersdunc & Henricus frater suus & Arnoldus de Wachtendunca, Gerardus de Rothem, Theodericus advocatus in Ruremunde & Nicolaus scriptor & alii quamplures. Datum Trajecti anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXIV. XVI. calendas Julii. Inferius originalis pendebat sigillum in rubra cera impressum in uno viridi serico linteo.

II.

Ex histor. eccles. Ruræmundensi in Geldria.

Diploma Reinaldi ducis Geldriæ quo permittit translationem canonicorum ex monte S. Odiliæ in ecclesiam S. Spiritus postea in cathedralem erectam in oppido Ruræmundensi.

IN nomine Dei, amen. Nos Reinaldus Dei gratia dux Geldriæ & comes Zutphaniæ, universis præsentem paginam inspecturis, salutem in Christo & rei gestæ cognoscere veritatem. 1361. Coram nostra præsentia comitali venerabiles ac discreti viri canonici ecclesiæ collegiatæ montis Odiliæ Leodiensis diœcesis, lacrymabiliter sunt conquesti, quod cum dicta ecclesia in nostro ducatu ac dominio de Monfort sit in loco deserto, nemoroso & solitario situata, ibidem & in locis circumjacentibus sæpius & quasi continuæ consueverunt discordiæ & guerræ graves suboriri, verum etiam quod plures malitiosi prædones nocturni & occulti, Deum & ecclesiam præ oculis non habentes, dictis canonicis & eorum bonis insidiantes, per rapinas, furta, incendia nocturna, diffidationes, deprædationes, invasionesque quamplurimas, & alia pericula gravia ipsos invaserint & adhuc occulte & hostiliter invadere nituntur minus juste. Quapropter dicti canonici hujusmodi pericula & defectus bonorum temporalium, quibus a malignorum incursibus sæpius sunt prædati, amplius sufferre non valentes, metu justo & legitimo cogente, qui merito cadere posset in quemlibet virum constantem, ad oppidum nostrum Ruræmundense, tanquam ad locum defensionis & refugii effugerunt, & ad capellam sancti Spiritus intra dictum oppidum sitam, apud quam est locus aptus, & sufficiens pro domibus claustralibus & aliis necessariis procurandis, suum collegium transferri desiderant, ut divinus cultus, qui propter pericula prætacta sæpius est diminutus & frequenter diminuitur, augeri valeat, &

ipsi canonici in pacis tranquillitate & mentis devotione Domino valeant famulari, nostrum consensum & assensum ad dictam translationem faciendam, tanquam ab eorum domino temporali humillimis precibus postulaverunt.

Nos igitur præmissis dictis canonicis illata ad mentis aciem dirigentes, & eorum humilibus precibus & evidentibus necessitatibus compati fraterna affectione volentes, ad præmissam translationem faciendam sæpedictis canonicis nostrum consensum & assensum & favorem in Dei nomine conferre volumus; & propter præmemorata pericula & divini cultus augmentum aliasque causas rationabiles & justas nobis ab eisdem expressas, nostri sigilli munimine conferimus, & libera voluntate in Dei nomine duximus impertiri. Datum an. Domini M. CCC. LXI. ipsa die beatæ Gertrudis virginis.

III.

Johannes episcopus Ultrajectinus eidem translationi consentit sub certis modo & forma.

1361. JOHANNES Dei gratia episcopus Ultrajectensis, necnon Hugo Wustinck canonicus Trajectensis ac præpositus montis Odiliæ Leodiensis diœcesis, universis & singulis præsentes litteras inspecturis facimus manifestum, quod nos de consensu capituli ecclesiæ nostræ Trajectensis translationi ecclesiæ montis Odiliæ collegiatæ, Leodiensis diœcesis, ad oppidum Ruremundense ejusdem diœcesis, & ad capellam sancti Spiritus ibidem per reverendissimum in Christo patrem D. Engelbertum episcopum Leodiensem factæ aut faciendæ ex certis & legitimis causis dictum reverendissimum patrem & nos moventibus, nostrum consensum adhibuimus & assensum, prout in his præsentibus consentimus sub modo & forma infrascriptis: imprimis, quod ad nos episcopum Trajectensem prædictum & nostros in perpetuum successores, præpositura dicti loci de Ruremunde, seu capellæ ibidem,& ad nos præpositum & nostros pro tempore successores, canonicatuum & præbendarum omnium & singularum, aliorumque beneficiorum ejusdem capellæ pro tempore vacantium provisio & collatio pertinebit, & pertinere debeat pleno jure, prout hactenus ad nos pertinuit & pertinere consuevit in loco montis Odiliæ prælibato, & quod privilegia quæcumque præsertim donatio montis Odiliæ prædicti a Christianissimo imperatore Lothario facta ecclesiæ nostræ Trajectensi, ecclesiæ montis Odiliæ prædictis & nobis competentia salva & in suo robore permaneant perpetuis temporibus duratura, & quod omnibus & singulis hujusmodi privilegiis, libertatibus, statutis & consuetudinibus & aliis juribus universis nobis in loco montis Odiliæ communiter vel divisim competentibus utamur & uti, frui liceat pacifice & quiete in oppido Ruremundensi prælibato, salvo nobis jure nostro ecclesiæ in loco montis Odiliæ sæpedictis: in cujus rei testimonium nos episcopus Trajectensis necnon Hugo Wustinck præpositus montis Odiliæ prædicti, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum anno Dom. M. CCC. LXI. mensis Aprilis die XX.

IV.

Engelbertus episcopus Leodiensis loci montis Odiliæ diœcesanus translationem prædictam exsequitur.

1361. IN nomine Domini, amen. Universis præsentem paginam inspecturis, Engelbertus Dei gratia ecclesiæ Leodiensis episcopus salutem in eo, qui de terris ascensurus ad cœlum pacem nobis reliquit. Inter curas innumeras, quibus ex nostri pontificalis officii debito assidue perurgemur, illa potissimum insidet cordi nostro, ut ecclesiæ nostræ vigilantiæ commissæ debitis non fraudentur obsequiis, & earum personæ cultui deputatæ divino pacis tranquillitate vigeant, scimus enim quod non nisi pacis in tempore bene colitur pacis auctor. Pridem igitur nobis in Christo dilecti, capitulum singularesque canonici ecclesiæ S. Petri montis Odiliæ nostræ diœcesis auditui nostro reserarunt, quod dicta eorum ecclesia in loco deserto, nemoroso & ab hominibus remoto, omnique carente defensionis præsidio situata, ac illius canonici ad Divinum officium in ea peragendum ordinati, per malignorum prædonum sive raptorum Dei timorem non habentium incursus, a multis retroactis temporibus facta sacrilegia, incendia, deprædationes, nocturnos egressus, rapinas, diffidationes, & invasiones corporum & bonorum, aliaque grandia pericula & varia dispendia sæpius sustinuerint & de die in diem miserabiliter patiantur, adeo quod ipsa ecclesia calicibus, ornamentis perpetuis privata, ipsiusque canonici plerumque bonis suis spoliati fuerint, nonnumquam etiam propter diffidationes, invasiones & insultus eis factos in ipso loco habitare & de suis habitationibus ab ecclesia plurimum distantibus ad ecclesiam ipsam pro divinis in ea celebrandis accedere, ob mortis & cruciatus corporis periculum evitandum, ac suorum corporum metum, qui in quemlibet virum constantem non immerito cadere poterat & potest, nequaquam ausi fuerunt, prout nec etiam audent in præsenti, propter quæ dicta ecclesia pluries hactenus Divinis officiis defraudata extitit, ac de die in diem defraudatur. Verum cum invalescentibus, pacis æmulo procurante, in partibus ducatus Geldriæ, in quo dicta ecclesia consistit, plus solito guerris & discordiis, locus & tempus pacis dictis canonicis ad serviendum in ipsa ecclesia Domino virtutum, nequaquam provenire speretur, nobis humiliter supplicarunt, quatenus dictam ipsorum ecclesiam, ac ipsos & eorum collegium ad oppidum Ruræmundense præfatæ nostræ diœcesis, ipsi ecclesiæ satis vicinum, plurimumque populosum, murorum, mœnium & turrium præsidio circumdatum, a nobis & ecclesia nostra Leodiensi descendens in feudum, & ad capellam S. Spiritus in eodem oppido constructam, circa quam domus claustrales ædificare, & habere ac pacifice, cessantibus dictis rapinis & insultibus habitare, necnon pacis auctori servire secure poterunt, transferre, dictamque capellam eisdem tradere & assignare & in ecclesiam collegiatam erigere & constituere dignaremur, præsertim cum ad hoc accederent voluntas & consensus venerabilis viri præpositi ejusdem ecclesiæ montis Odiliæ, canonicatuum & præbendarum ipsius ecclesiæ ordinarii collatoris, ac venerabilis patris domini Trajectensis episcopi, ad quem spectat præposituræ ipsius collatio; necnon illustris principis domini Reinaldi Dei gratia Geldriæ ducis, sub & in cujus jurisdictione locus uterque consistit, & nobilis Eduardi fratris ejus consanguineorum nostrorum, & insuper honesti viri Godefridi d'Elmpt investiti parochialis ecclesiæ Ruræmundensis ipsius capellæ patroni, in cujus parochia dicta capella consistit, reverendissimique in Christo patris ac domini D. R. de Ursinis Divina providentia S. Adriani diaconi cardinalis & archidiaconi de Campinia in ecclesia nostra Leodiensi, in cujus archidiaconatu eadem capella situatur. Nos autem super his cum debita maturitate procedere volentes, de præmissis inquiri fecimus diligenter veritatem & per inquisitionem eandem invenimus suggesta nobis pro parte dictorum capituli & canonicorum fuisse vera; volentes igitur ecclesiam ipsam collegiatam ac personas illius a memoratis tribulationibus, persecutionibus & oppressionibus intolerabilibus stipare ac in loco pacis in quo Domino devotum valeant impendere famulatum collocare; & certiores redditi de ipsius loci ad quem se transferre desiderant, idoneitate ac bona devotione, quam populus ipsius oppidi erga Deum & sanctam ejus ecclesiam habet, capitulum, canonicos, collegium & præposituram montis Odiliæ cum omnibus privilegiis, juribus, honoribus, bonis, decimis & rebus aliis ad eos & dictam ipsorum ecclesiam quomodolibet spectantibus, de consilio & assensu venerabilis capituli nostri Leodiensis, necnon

de dominorum Trajectensis episcopi, ducis Eduardi, A præpositi, archidiaconi & investiti prædictorum ac honorabilium virorum judicis, scabinorum, magistrorum civium, consulum, totiusque civitatis dicti oppidi Ruremundensis speciali assensu, in Dei nomine, auctoritate nostra ordinaria, ad ipsum oppidum Ruræmundense, & capellam S. Spiritus in illo sitam transferimus, ipsamque capellam cum suis juribus & pertinentiis universis ex nunc, dictis præposito & capitulo donamus & eandem in collegiatam ecclesiam erigimus, facimus & constituimus; statuentes ut dicti canonici ex nunc in ipsa ecclesia S. Spiritus conventualiter ac perpetualiter horas canonicas nocturnas & diurnas, ac cetera Divina officia celebrent, residentiamque faciant in ea personalem, prout hactenus in ipsa ecclesia montis Odiliæ facere tenebantur & consueverunt, ac domos claustrales circa eam sibi procurent, seu ædificent, in B quibus ipsi canonici eorumque successores, incolarum dicti oppidi protecti munimine, valeant tanquam in tabernaculo fiduciæ & pulchritudine pacis & opulenta requie perpetuis temporibus habitare.

Damus insuper dicto capitulo & canonicis per nos, ut præmittitur, translatis, liberam facultatem, licentiam & auctoritatem, reliquias, ornamenta, libros, calices, campanas, altaria, sedesque chorales sive stalla chori & res alias dictæ ecclesiæ montis Odiliæ spirituales & temporales, de quibus ipsis expedire videbitur, ad dictam ecclesiam S. Spiritus transferendi, ac ipsam ecclesiam S. Spiritus si & cum opus fuerit, augmentandi & contra illam cœmeterium construendi, consecrarique faciendi, ac in ipsa capella & oppido Ruræmundensi, quantum ad personas collegii eorumdem C utendi omnibus & singulis juribus, libertatibus, franchisiis, privilegiis, immunitatibus & consuetudinibus licitis & honestis, quibus hactenus in dicta ecclesia montis Odiliæ usi sunt & gavisi, eisdemque canonicis & capitulo vi horum concedimus in dicta ecclesia S. Spiritus & ejus cœmeterio sepulturam, salvo semper jure parochialis ecclesiæ, a qua corpora sepelienda continget assumi.

Decernimus insuper domos claustrales antedictas, postquam ad habitationem ipsorum canonicorum fuerint perpetuo deputatæ, illa libertate gaudere, qua gaudent domus claustrales canonicorum ecclesiarum collegiatarum nostræ diœcesis: & ut præsens nostra translatio nemini paret præjudicium, sed unicuique jura sua conserventur illæsa, volumus & ordinamus, quod collatio D præpositurae ecclesiæ prædictæ S. Spiritus, quæ hactenus ecclesia montis Odiliæ dicebatur, & canonicis ecclesiæ Trajectensis, per dominum Trajectensem episcopum pro tempore existentem, dumtaxat assignari consuevit, ad ipsum dominum Trajectensem episcopum pertineat, & canonicis Trajectensibus duntaxat per eum, quoties vacaverit, conferatur; quodque præpositus ipsius ecclesiæ S. Spiritus canonicatuum & præbendarum per nos de ipsa ecclesia montis Odiliæ ad dictam ecclesiam S. Spiritus translatarum, patronus & collator permaneat, ac omnimodum jus habeat in dicta ecclesia S. Spiritus, quod hactenus in ipsa ecclesia montis Odiliæ habere consueverat, donatione loci montis Odiliæ a divæ memoriæ Lothario Romanorum Imperatore ecclesiæ Trajectensi facta, cum ceteris juri- E bus, libertatibus, privilegiis, exemtionibus, statutis & consuetudinibus eidem ecclesiæ Trajectensi in ipsa ecclesia montis Odiliæ tempore translationis hujusmodi competentibus, de quibus legitime constare poterit, ipsi ecclesiæ Trajectensi perpetuo salvis remanentibus & illæsis; nobisque placet quod illis, quantum jura patientur sine nostro & ecclesiæ Leodiensis præjudicio, in ipsa ecclesia S. Spiritus uti valeant, quemadmodum illi in dicta ecclesia montis Odiliæ ante præsentem translationem utebantur. Præterea ne dicta ecclesia montis Odiliæ ac capella B. Mariæ ipsi contigua, desolatæ penitus remaneant, ac divinis omnino defraudentur officiis, volumus & ordinamus, quod in ipsis ecclesia & capella præfatis hi remaneant sacerdotes, videlicet investitus ejusdem ecclesiæ parochialis ac capellanus altaris B. Catharinæ necnon altaris B. Mariæ Magdalenæ in ipsis ecclesia & capella montis Odiliæ situatorum, una cum matriculario ipsius ecclesiæ parochialis: quodque ipsis ecclesiasticis montis Odiliæ omnia ministrent dicti canonici, quæ ante præsentem translationem, eisdem ministrare tenebantur & consueverunt: per præsentes autem translationem, donationem, concessionem, ordinationem, constitutionem, voluntatem ac erectionem non intendimus in aliquo juri & jurisdictioni nobis & ecclesiæ nostræ in ipsis ecclesiis montis Odiliæ ac S. Spiritus necnon personis earum antea competentibus, quinimo nec dicto domino archidiacono, quoad institutionem & admissionem capellani, qui in dicta ecclesia S. Spiritus ante præsentem translationem existebat, perceptionemque fructuum beneficii ejusdem tempore vacationis illius provenientium, hactenus sibi competentes in aliquo præjudicare, quinimo volumus, quod nobis & nostris successoribus episcopis ac ecclesiæ Leodiensi, necnon quoad præmissa specialiter reservata dicto domino archidiacono, jura nostra & ipsius archidiaconi perpetuo intacta permaneant & conserventur illæsa, ipsius capituli per nos translati juribus, privilegiis, jurisdictionibus & consuetudinibus in iisdem ecclesiis ac ipsorum personis quoad omnia & singula alia, nihilominus semper salvis. Ordinamus insuper, quod dictus capellanus ipsius ecclesiæ S. Spiritus cum dictis canonicis horas canonicas nocturnas & diurnas continuo frequentare decantareque teneatur, illisque subsit & pareat in licitis & honestis, ac cum illis distributiones quotidianas percipiat, veluti dicti capellani montis Odiliæ facere ac subesse consueverunt.

Nulli ergo, horum præsentium sive futurorum liceat præmissis in aliquo contraire; si quis autem ausu temerario hæc attentare præsumpserit, indignationem S. Spiritus ac beatæ intemeratæque Virginis Mariæ, beatique Lamberti martyris, cujus sumus in regimine Leodiensis ecclesiæ, licet immeriti, successores, ad quorum laudem, gloriam & honorem præmissa facimus, ac nostram poterit procul dubio formidare. Quidquid insuper contrarium actum fuerit, irritum decernimus & inane; in quorum omnium testimonium, robur & munimen, litteris præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum; & nos vicedecanus, archidiaconus & capitulum Leodiense præmissa de nostro consilio & assensu salubriter facta & ordinata fuisse protestamur, ac eisdem nostrum consensum sive præsentiam impertimur. In quorum testimonium ipsis litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Dominicæ Nativitatis M. CCC. LXI. mensis Maii die XII.

V.

Pius papa IV. ecclesiam S. Spiritus Ruræmundæ in cathedralem erigit & dotem episcopo necnon diœcesi limites assignat. Ex tabulario episcopali Ruræmund.

PIUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis ecclesiæ disponente Domino præsidentes, pro ecclesiarum quarumlibet præsertim noviter erectarum, illisque præsidentium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti pastoralis officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea per quæ ecclesiarum ipsarum dotationi, decori & venustati, suorumque præsulum, capitulorum & aliarum personarum divinis ibi laudibus insistentium opportunæ subventioni cum divini cultus augmento & animarum Christi fidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac alias super his etiam nonnulla quæ a prædecessoribus nostris, licet consulte gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque quali- 1561.

tate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque alias postquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster ut providi pastoris debitum exigebat, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico hæreditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum, quæ illic exstant oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeo paucas ecclesias cathedrales inesse considerans, ut illarum episcopi, ea qua opus erat diligentia, tantam animarum multitudinem regere non possent, idque quibusdam eo difficilius esse, quod homines sui diœcesani vulgari idiomate institutisque differebant, & quidam eorum, etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad episcopalem sedem evocare non liceret, unde præfati episcopi nec fidei Catholicæ doctrinam, ac rectam vivendi rationem populos suos docere, nec in delinquentes animadvertere commode quibant; fidesque & animarum salus ibidem ob multiplices hæreticorum & schismaticorum, quibus ipsa regio undique circumdata erat, insidias, pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur, his aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi regis hoc illi humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in ea parte satisfacere, habita, sicut tanta res postulabat cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, matura deliberatione, de eorum consilio deque apostolicæ potestatis plenitudine, Mechliniense, & quod in ducatu Geldriæ & diœcesi Leodiensi consistebat, Ruræmundense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ regionis cum omnibus & singulis conterminis territoriis, cleris, populis, personis, monasteriis & beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus & quorumvis ordinum regularibus aliisque piis locis, a suis quodque diœcesi & provincia perpetuo segregaverat, diviserat & separaverat, ac Mechliniense, Ruræmundense reliquaque oppida prædicta sic divisa in civitates, sedem vero Mechliniensem in metropolitanam, ac collegiatam sancti Spiritus Ruræmundensem certasque alias aliorum oppidorum in civitates erectorum hujusmodi ecclesias, in cathedrales pro totidem episcopis erectas, qui suis quique præessent ecclesiæ, ac Ruræmundensi aliisque ecclesiis & civitatibus præfatis certos districtus per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos pro sua diœcesi perpetuo concesserat: necnon Ruræmundensem & certas alias tunc expressas ecclesias, civitates & diœceses dictæ ecclesiæ Mechliniensi pro sua provincia subjecerat, singulisque Ruræmundensis & aliarum noviter erectarum cathedralium ecclesiarum mensis episcopalibus annuum redditum trium millium ducatorum auri de camera ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus & proventibus ecclesiasticis per dictum nuntium specificandis & repartiendis ex tunc, prout ex ea die & econtra, postquam specificati & repartiti ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ, ac effectum sortitæ forent & non ultra, cuilibet ex prædictis mensis pro earum dote alium annuum redditum mille & quingentorum ducatorum similium per ipsum Philippum regem ex redditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipiebat, cuilibet ex Ruræmundensi aliisque noviter institutis episcopis pro tempore existentibus, annis singulis, quousque specificatio & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret nec ultra, integre & proportionaliter persolvendum perpetuo applicaverat & appropriaverat; ac eidem Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent jus nominandi Romano pontifici personas idoneas ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas ad Ruræmundensem & alias cathedrales ecclesias sic erectas tam a primæva illarum erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, Romano pontifici, qui pro tempore foret per eum in episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo & deinde per alias suas in forma Brevis litteras; venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusino & apostolicæ sedis in partibus illis nuntio, dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis, prioratibus & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret. Dilectus filius noster Antonius titulo sancti Bartholemæi in Insula presbyter cardinalis Granvellanus nuncupatus tunc epicopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia & probitate insignes viri, quos ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interim de medio sublato, vigore seu prætextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari possent, facta nihilominus per eos quam diligenti rerum indagine ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod si passim de dotibus ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes bonorum a monasteriis & præposituris præfatis provideretur, cultus monasticus non mediocriter læderetur, quin potius præstare nonnullos ex præposituris & prioratibus hujusmodi supprimi, illorumque fructus, redditus & proventus Ruræmundensi, aliisque tam episcopalibus, quam capitularibus mensis ecclesiarum earumdem applicari, ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuebantur, fore prævidentes; idcirco assignationes dotium, numerum denique personarum ac dignitatum, præbendarum, officiorum & beneficiorum in iisdem ecclesiis statum & formam etiam per hujusmodi suppressiones & applicationes aliasque in universum accommodas rationes habendas, ac ipsam Ruræmundensem diœcesim ita partiendam ut totum Geldriæ tractum a flumine Vael usque ad Echt, Roesteren & Opbicht, Niestadt, Erkelens inclusive, qui dividitur in duas quartas dicti ducatus Ruræmundensis & Nimmagensis, cum comitatu de Horn & dominiis seu territoriis de Beckte, Thoreh, Fantrenbergh, Civeta & Rossel, cum oppidis, terris, castris, pagis & locis sub eis consistentibus.

In quarta Ruræmundensi, Ruræmunda, Venloo, Gelre, Stralen, Wachtendonck, Erckelins, Elsen, Nieustadt, Opbycht, Roesteren, Echt, S. Joost, Posterholdt, Maesbracht, Montfort, Vlodorp, Linne, Delenburgh, Harten, Dalenbrouck, Niell, Erckenbois, Hellenrayd, Asselt, Keuckhoven, Swanenbergh, Tussenbroeck, Geckbergh, Avermucht, Neder-Cruchten, Swalmen, Aldenborch, Eelmpt, Biesselen, Belfelt, Loedt, Pauwels, Viersſen, Rayd, Zuchtelen, Lobbrecht, Ingenbockholdt, Hynsbeeck, Krieckenbeeck, Greefrayd, Holtmeulen, Tegelen, Herringes, Lingendonck, sint-Niclaes, Langenfeldt, Ude, Velden, Bergh, sint Aanthonis, Schaephuysen, Vanckum, Intraedt, Intbrouck, Batterwerdt, Aldekerck, Vlasraedt, Walbeeck, Ray, Nieukerck, Averdt, Zevelaer, Pont, Diessendonck, Arssen, Twistede, Veerdt, Ingenhaegh, Geysbergh, Gestelen, Oppenwinckel, Wetten, Kevelaer.

In dominio de Kessel, Kessel, Meyell, Helden, Barlo, Brey, Blerick, Grebben, Zevenum, Vorst-Lottum, Zeveren, Kastenray, Broeckhuysen, Blitterswick, Maressel, Oirlo, Mierlo, Venrayd, Wanssum, Huis, Hoghe, Gheesteren, Leghehus, Well, die Bylden, Aeyen, Bergen, Afferden, Blyenbeeck. In quarta Noviomagensi, Noviomagum, Op-Millingare, Oeye, Opburgh, Beeck, Groesbeck, Hoemen, Malden, Overasselt, Hatert, Hees, Vurd, Neer-asselt, Balgoyen, Wycken, Nysterick, Luer, Batenburgh, Hemen, Appelteren, Burgharen, Houmeer, Maeshomell, Oyen, Alfen, Drumel, Puselyck, Wammel, Leuwen, Offerden, Druten, Midlaer, Dest, Winssen, Venetgen, Eewyck, Oelenburg, Dodendael, Boninghe, Blanckenborgh. In dominio Kuickensi, Gravia,

Kuick, Linden, Graffell, Eferen, Catwyck, Beers, S. Agatha, Offel, Haeps, Mill, S. Hubert, Wanray, Boxmeer, Bueghem, Meer, Opleecke, Sambeeck, S. Antonis, Groeningen, Oploo, Mullen, Vierlinxbeeck, Mackom, Loon, Maeshees: In comitatu Hornensi, Weerdt, Wessem, Nederweerdt, Keyserbosch, Roggel, Ghoor, Nuenhem, S. Elisabeth, Heythuysen, Haelen, Oell, Leveroy, Baxen, Buggenum, Swardtbroeck, Heel, Gratem, Beeghdem, Hunsel, Stampray, Ittervoldt, Thoren, Amroo, Neer-Ittel, Kessingen, Ophoven, S. Stevensweert. In dominio de Falckenbergh, Voerendale, Wynandtsrode, Merckelbeeck, Spaubeeck, Gode, Nuuts, Merssen, Audtvalckembergh, Nersbecke, Climmen, Herle, Falckembergh, Hoensbroeck, Bingenrode, Jabeke, Huysberghe, Opgeleen, Haeren, Castro, Itteren, S. Gertrude, Beraelen, Eeysden, Brunshem, Schinnen, Beecke, Houtem, eisdem ecclesiæ & episcopo Ruræmundensi, pro sua diœcesi assignanda esse censuerint, ac super majore illarum parte processus, rebus omnibus serio digestis, formandos curaverint, prout in illis ac singulis litteris prædictis ac forsan aliis scripturis desuper confectis plenius continetur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, quique partitionem & ordinationem per eosdem subdelegatos quantum ad ecclesiam, civitatem & diœcesim Ruræmundensem attinet, accurate perspectas, prudenter examinatas & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes, ac partitionis & ordinationis omnimode subdelegatorum hujusmodi, scripturarumque desuper confectarum & inde secutorum tenores, necnon fructuum, redditiuum & proventuum mensæ episcopalis ac decanatus & scholasteriæ singulorumque canonicatuum & præbendarum olim sancti Spiritus ecclesiæ hujusmodi, veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem & divisionem aliaque præmissa quoad ecclesiam, civitatem & diœcesim Ruræmundensem, sicut præmittitur, gesta, rata & grata habentes, ac eis apostolicæ confirmationis robur adjicientes, omnesque juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplentes ac illis in hac parte inhærentes, litterasque dicti prædecessoris quoad illa ceteraque infra scripta ab eisdem litteris discrepantia dumtaxat immutantes, & nihilominus laudabile ejusdem prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum tam episcopali mensæ, quam etiam infra scriptis novem affectis præbendis ecclesiæ Ruræmundensis prædictæ de congrua dote providere volentes, motu proprio & ex certa scientia nostris, ac apostolicæ potestatis plenitudine, monasterium sancti Hieronymi Ruræmundensis ordinis S. Augustini nuper combustum, & nondum plene reparatum, & dictæ ecclesiæ S. Spiritus in cathedralem Ruræmundensem erectæ dignitatem inibi principalem, ac etiam forsan conventualem sancti Remigii Remensis in Merssen ordinis S. Benedicti antea Leodiensis, necnon S. Ursulæ & undecim millium virginum in Kessel, antea Coloniensis & sancti Nicolai in Alevois antea Trajectensis, nunc vero Ruræmundensis diœcesis, Præmonstratensis ordinis, conventu carentes præposituras, ac qui conventualis non est, cuique, ut asseritur, aliud onus quam unius Missæ in anno non incumbit, prioratum sancti Walrici Cisterciensis ordinis ejusdem diœcesis, quorum insimul & illis forsan respective annexorum fructus, redditus & proventus trium millium ducatorum auri de camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus non excedunt, cum primum illos per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamlibet aliam dimissionem vel amissionem dilectorum filiorum moderni abbatis monasterii, ac præposituras & prioratum hujusmodi quovis modo obtinentium, aut alias quomodolibet, & apud sedem apostolicam vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vel alias vacent & tanto tempore vacaverint, quod monasterii provisio

A ac prioratus & præpositurarum hujusmodi collatio juxta Lateranensis statuta Concilii aut alias canonicas sanctiones ad sedem præfatam legitime devoluta, ac prioratus & præpositure præfati dispositioni apostolicæ specialiter vel ex quavis causa etiam dispositione exprimenda generaliter reservati existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, & de dicto monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat: necnon in eisdem monasterio, præposituris regularibus, & prioratu, dignitatem abbatialem ac ordines, omnemque statum & dependentiam regulares, ex nunc prout ex tunc & econtra, dicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo supprimimus & exstinguimus, & quoniam in civitate Ruræmunda B prope dictam ejus ecclesiam cathedralem nullus est locus episcopali habitationi commodior quam fundus monasterii præfati, fundum ipsum cum ædificiis in eo instauratis episcopo Ruræmundensi pro domo episcopali & habitatione sua assignamus, ac sancti Remigii & ecclesiæ sancti Spiritus præpositurarum & prioratus, mensæ episcopali, monasterii vero, ac in Kessel, & sancti Nicolai præpositurarum prædictorum, illisque annexorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta ac alia bona quæcumque, quovis nomine nuncupata, quadraginta Vor. decanatui, ac tantumdem vel tot ducatorum auri similium, quot ad constituendam infra scriptarum affectarum præbendarum æquivalentiam necesse erit, portiones annuas exinde primitus assumendas, scholasteriæ dictæ ecclesiæ Ruræmundensis, re- C liqua vero, novem canonicatibus & totidem præbendis ejusdem ecclesiæ, qui canonicis graduatis affecti erunt, ita quod ad Missarum & memoriarum defunctorum celebrationem & manutentionem ac eleemosynarum in monasterio ac in Kessel & sancti Nicolai præposituris prædictis fundatarum & institutarum præstationem teneantur, illorumque & annexorum eorumdem fructus, redditus ac proventus, jura, obventiones & emolumenta & bona quæcumque quovis nomine nuncupata, una cum eorum præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus & administrationibus universis, ita quod hujusmodi vacatione occurrente, liceat episcopo Ruræmundensi, ac decano, scholastico & novem graduatis canonicis supradictis pro tempore existentibus per se vel alium seu alios corporalem possessionem seu D quasi, jurium & pertinentiarum ac fructuum, redditiuum, proventuum, obventionum, emolumentorum & aliorum bonorum Monasterii, præpositurarum & prioratus prædictorum propria auctoritate, libere apprehendere & retinere, illaque percipere, exigere & levare, ac in suos usus & episcopalis mensæ, necnon decanatus, scholasteriæ, ac novem canonicatuum, & præbendarum prædictorum usus & utilitates convertere: necnon omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, etiam quorumvis ordinum regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium præpositurarum præpositorum & prioratus priorum monasterii prædictorum abbatis, communiter vel divisim quomodolibet E spectantia, personis idoneis respective conferre & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare vel eligere ac præsentatas & electas instituere ac confirmare & alias de illis libere disponere, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria & opportuna, & quæ eorumdem monasterii abbates, præpositurarumque & prioratus præpositi & prior, hactenus facere & exsequi & debuerunt facere & exsequi, cujusvis licentia desuper minime requisita, dicta auctoritate etiam perpetuo applicamus & appropriamus statuentes, quod dilecti filii canonici regulares, & alii religiosi monasterii & qui sunt præpositure sancti Remigii prædictorum, cum honesta & sufficienti recompensa vitalis & annuæ pensionis ad alia sui ordinis partium illarum monasteria, quorum

plurima religiosis indigere noscuntur, aut virginum conventus, ut inibi Missas & alia Divina officia celebrent, vel etiam si ad id sufficientes reperti fuerint, ad curas pastorales exercendas, juxta providam ipsius episcopi ordinationem transferantur, ac illos transferri debere, præsentesque litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus vel derogationibus similium vel dissimilium suppressionum, applicationum & appropriationum per nos & sedem præfatam sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis minime comprehendi: sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus & derogationibus hujusmodi minime comprehendantur, ex nunc vere & non ficte suum plenarium & integrum effectum sortitas, applicationesque & appropriationes de non vacaturorum, sed de vacantium monasterii, præpositurarum & prioratus fructibus, redditibus & proventibus hujusmodi factas & per illas ex nunc mensæ episcopali ac episcopo Ruræmundensi necnon decano, scholastico & novem graduatis canonicis prædictis pro tempore existentibus jus in re quæsitum existere, ac earundem litterarum suspensiones, revocationes, derogationes & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus & restitutionibus haberi & censeri decernimus. Dilectis filiis capitulo ecclesiæ olim S. Spiritus, & monasterii ac præpositura S. Remigii prædictorum conventibus, aliisque quibusvis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, necnon privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa in posterum obtinenda, pœnis per contra facientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem seu postulationem in monasterii abbatem, aut præpositos ecclesiæ Ruræmundensis & S. Remigii præpositurarum hujusmodi dum illa vacabunt, etiamsi nunc vacent, ut præfertur, procedere vel aliud in præmissis, seu eorum aliquo quoquo modo attentare aut illis refragari præsumant, districtius inhibentes ac decernentes quascumque electiones seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes vel admissiones, necnon provisiones, præfectiones, commendas, aliasque dispositiones, quas de cetero etiam per sedem prædictam, de dictis monasterio, præposituris & prioratu quomodocumque fieri contigerit, nullas & invalidas nulliusque fore valoris vel momenti.

Ut autem idem episcopus Ruræmundensis suam ecclesiam personis, ut insignem decet cathedralem, circumspectis & eruditis ac ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munera ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam habeat, quod ex omnibus canonicatibus & præbendis ipsius ecclesiæ olim S. Spiritus, quorum numerum ac singulorum illorum fructuum, reddituum & proventuum veros annuos valores haberi volumus pro expressis, decem canonicatus & totidem præbendæ, quorum primo loco postquam eidem ecclesiæ de episcopo canonice provisum fuerit, per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis via amissionem quorumlibet decem canonicorum ejusdem ecclesiæ aut alias vacare contigerit, unus & una præfato episcopo, qui illorum ratione sit capitularis ac locum & vocem super decanum ac reliquos canonicos ejusdem ecclesiæ etiam in capitulo habeat; ac alii & aliæ tres tribus in theologia; necnon alii & aliæ tres aliis tribus decretorum doctoribus, seu in eis licentiatis, ac reliqui & reliquæ tres canonicatus & totidem præbendæ, reliquis tribus nobilibus etiam in theologia vel decretis, vel saltem ad gradum licentiaturæ hujusmodi in famosa quapiam universitate studii generalis cum rigore examinis promotis ordine servato in perpetuum concedi & assignari debeant. Quodque ad sex post episcopum priores, tam nobiles quam ignobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & præbendas ex reliquis novem canonicatibus & præbendis hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint. Præterea quod in eadem ecclesia sit unus archiaconus ex graduatis ipsis juxta episcopi designationem, post tamen dilecti seu dilectorum filiorum moderni, seu modernorum ecclesiæ Leodiensis archidiaconorum cessum vel decessum, qui etiam plenariam jurisdictionem archidiaconalem in universa diœcesi Ruræmundensi habeat, quam metropolitanæ prædictæ ceterique cathedralium ecclesiarum partium illarum archidiaconi de jure vel de consuetudine habent & habere debent; alius vero sit archipresbyter civitatensis nuncupatus, qui specialem curam pastorum seu rectorum parochianorum & concionatorum in eadem civitate habeat, alius autem ex tribus prioribus canonicis doctoribus pœnitentiarius diœcesanus existat, qui conscientiarum populi per universam diœcesim Ruræmundensem curam specialiter habeat; in ipsa ecclesia archidiaconatum, archipresbyteratum, scholastriam & pœnitentiariam in dignitates inibi non tamen post pontificalem majores, quatenus erecti non sunt, eisdem auctoritate & tenore erigentes & instituentes, & insuper quod apud alios duos doctores vel licentiatos seniores, unum vero theologiæ professorem, alterum vero jurisperitum potestas totam diœcesim Ruræmundensem ipsius episcopi loco, & quoties id eis ipse mandaverit, visitandi, quibus etiam reliqui graduati quotiescumque similiter requisiti fuerint, assistere debeant. Apud tres vero ex præfatis graduatis viris duos theologos & unum jurisperitum cum archidiacono potestas clericos ad ordines sacros promovendos, & rectores parochianos quacumque etiam auctoritate apostolica provisos ad curæ pastoralis exercitium admittendi sit & permaneat: ita quod ipsi nullos prorsus nisi idoneos & quantum ad animarum curam pertinet, quod personalem facient residentiam expresse juratos admittere valeant; ac tam archidiaconus quam archipresbyter & pœnitentiarius, quam scholasticus & canonici ratione præbendarum suarum hujusmodi consilium & operam in negotiis ecclesiæ & religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus eidem episcopo, quando & quoties ad id ab eo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim fideliter præstare teneantur, & ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem ejusdem ecclesiæ accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & præbendæ graduatis affecti pro prima vice per ipsum episcopum viris nobilibus & graduatis alternatis vicibus pleno jure, & deinceps quoties illos futuris temporibus vacare contigerit, ut præfertur, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus ponderis sive momenti, quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo casu iteratum episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat. Quodque posthac decem canonicatus & decem præbendæ episcopo & graduatis affecti hujusmodi sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus etiam in corpore juris clausis, necnon exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & alias disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis præventivis per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes, ad dictam sedem vel ejus legatos etiam consideratione vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum principum ac S. R. E. cardinalium & ex quacumque causa quantumlibet urgente pro tempore factis & concessis comprehendantur: nec etiam tanquam vacantes apud sedem præfatam aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione etiam per resignationem, etiam ex causa permutationis, etiam apud sedem eamdem pro tempore occurrente, per Romanos pontifices aut sedem præfatam de illis provideri, aut alias quoquomodo disponi possit. Et quoniam impia hæreticorum studia ac hujusce temporis malitia

malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patitur, quod si canonici graduati prædicti ab eadem ecclesia, nisi ab episcopo, vel capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant, illique capitulo cedant: ac omnes proventus singularum præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solum, qui divinis officiis in choro deservierint, & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis causa, permanserint administrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio apostolico quacumque causa impetrato vel concesso, se se a residentia hujusmodi eximere possit. Eisdem auctoritate & tenore perpetuo statuimus & ordinamus jus omne decem canonicatus & decem præbendas affectos præfatos conferendi & de illis disponendi vel ad illos eligendi seu nominandi a præposito & capitulo ecclesiæ Ruræmundensis hujusmodi, necnon civitatem & diœcesim Ruræmundensem prædictas omniaque & singula, ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, præpositatus, cæteraque beneficia ecclesiastica, beneficia cum cura & sine cura secularia, & quorumvis ordinum regularia & alia pia loca in illis consistentia visitandi & jus illa conferendi & de illis providendi, ac alias quomodolibet disponendi, necnon personas corrigendi, aliaque jura, fructus, redditus, proventus, res & bona quæcumque per quosvis archiepiscopos & episcopos in eisdem civitate, diœcesi Ruræmundensi, ordinario jure haberi & percipi solita ab illis eorumque diœcesibus & mensis archiepiscopalibus ac episcopalibus & quibusvis aliis; ita quod ipsi se deinceps in illis aliquatenus intromittere, ullamque actionem prætendere nequeant, post promotionem primi episcopi Ruræmundensis hujusmodi perpetuo abdicantes, & amoventes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, ac ad episcopum & ejus mensam & novem canonicos præfatos respective transferentes, & abdicata, amota, immutata vel translata esse, sicque per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, & ejusdem S. R. E. cardinales in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi ac Attrebatensi & Antverpiensi episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte episcopi ac capituli Ruræmundensis, necnon archidiaconi, archipresbyteri, pœnitentiarii, scholastici, singulorumque canonicorum prædictorum & aliorum quorum interest & intererit quomodolibet in futurum, requisiti solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos omnes & singulos confirmatione, approbatione, suppletione, suppressione, exstinctione, applicatione, appropriatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, separatione, aliisque omnibus & singulis præmissis pacifice frui & gaudere; ac hujusmodi litteras & in eis contenta firmiter observari, contradictores quoslibet & rebelles ac præsentibus non parentes, etiam per excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum quorumcumque sæcularium & quorumvis ordinum regularium & inhabilitatis ad illa, aliaque in posterum obtinenda, ita quod beneficia & officia per contradictores obtenta tanquam per privationem legitime & canonice factam vacent, ac ab illis impetrari & per ordinarios collatores libere conferri possint: necnon pecuniarias pœnas arbitrio suo imponendas, moderandas & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis A super his habendis servatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus voluntate nostra priori & aliis præmissis necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel diœcesim, nisi in certis tunc exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, neve judices a sede præfata deputati, extra civitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant: & de duabus dietis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres dietas aliquis tenore præsentium ad judicium non B trahatur, & nostra de non tollendo jus quæsitum, aliisque apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac ecclesiæ, monasterii, præposituræ & ordinum prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ac fundationibus si quæ sint: necnon concordatis dudum inter sedem præfatam & nationem Germanicam desuper initis, privilegiis quoque, indultis & litteris apostolicis ecclesiæ, monasterio, præposituris, & ordinibus prædictis, eorumque superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis, etiam super C electionibus faciendis, ac alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis; necnon quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus etiam mentalibus, unionibus & annexionibus, & incorporationibus, etiam similibus suppressionibus & exstinctionibus, facultatibus, mandatis, indultis & aliis gratiis quibusvis personis etiam S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, etiam motu simili seu consistorialiter ac alias quomodolibet concessis & in posterum concedendis, quas, & quæ illorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum quoad præmissa omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare non posse decernimus: ac tam eis, quam statutis, con-D suetudinibus, concordatis, fundationibus, privilegiis, indultis, & litteris prædictis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso & forma in illis tradita observata inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, sufficienter suspensa, illisque derogatum esse decernimus contrariis quibuscumque: aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de præposituris & prioratibus hujusmodi speciales, E vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque, ad præposituras & prioratum suppressos præfatos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem præposituraram aut prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, aut si dilectis filiis conventui & vassallis dicti monasterii vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto

hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, exstinctionis, applicationis, appropriationis, assignationis, statuti, decreti, inhibitionis, erectionis, institutionis, ordinationis, abdicationis, amotionis, immutationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXI. septimo Idus Augusti pontificatus nostri anno secundo.

Erat signatum FREDERICUS cardinalis CÆSIUS & CÆSAR GLORIERIUS, & inferius A. DE ALEXIIS.

VI.

Instrumentum translationis sedis cathedralis Ruræmundensis ex ecclesia S. Spiritus, ad ecclesiam parochialem S. Christophori in eadem civitate.

1659. IN nomine Domini amen. Sedente Alexandro VII. pontifice optimo, maximo, regnante Philippo IV. Hispaniarum Indiarumque monarcha, &c. Cum nihil sit tantæ ædificationis & exempli, quam seculares pariter potestates ac magistratus cum ecclesiæ prælatis eodem plane conatu concurrere ad majorem Dei gloriam, ampliorem domus Domini decorem, luculentioremque cultus ac officii divini splendorem; hinc est, quod illustrissimus ac reverendissimus dominus Eugenius Albertus d'Allamont, electus ac confirmatus episcopus Ruræmundensis, communicatis prius cum capitulo suo consiliis de cathedra sua cum dicto capitulo è templo sancti Spiritus, (quod nimis exile & inconcinnum videbatur, ac insufficiens capiendo commode clero ac populo in majoribus solemnitatibus) ad parochiale divi Christophori hujus civitatis tutelaris, quod longe augustius ac in conspicuo amplius loco eminet, transferenda, quo nimirum tam laudabili ac pio prorsus opere ecclesiæ suæ regimen tanto felicius auspicaretur, ultima Junii proxime elapsi, litteras zelo hoc suo dignas scripserit supremo ducatus hujus Geldriæ senatui, quibus assensum desuper Regis postulavit, ac sine ulla prorsus difficultate in petitione tam sancta, ac multi fructus prænuntia obtinuit; postquam assistentibus amplissimis dominis consiliariis Guillelmo de Blitterswyck, Martino de Wermont itidem majestatis suæ fisco & Gerardo de Lom in hanc rem ab eodem senatu deputatis, admodum reverendi ac venerabiles domini Jacobus ab Oeveren decanus ac vicarius generalis hujus diœcesis, Johannes Cox canonicus & scholasticus, Henricus Dilsen canonicus & officialis, hocque absente, Gerardus Huberti itidem canonicus capituli cathedralis mandatarii ex una, & clarissimi spectabilesque viri Johannes van-Winde consul primarius, necnon Franciscus Pollart primus scabinus & exconsul & Henricus Goris scabinus, dictæ ecclesiæ parochialis provisores, ejusdemque ædiles Petrus Walters & Petrus van Wessem, qui & senatores civitatis a magistratu commissi ex altera partibus, in sequentes articulos convenissent.

Primo, quod ornamenta utriusque ecclesiæ ad summum altare conferentur, communia erunt, & paribus expensis restaurabuntur, cum albis sive lineis sacerdotum vestibus cæterisque huc pertinentibus.

Secundo, quod fiet fractio trium annorum, quibus hic sedit illustrissimus ac reverendissimus dominus Andreas Cruesen modo Mechliniensis archiepiscopus ac Belgii primas, & quantum unus ex tribus eo calculo deductus annus capitulo cathedrali constiterit in procurandis hostiis, vino, cereis, thure reliquisque similibus ad officium divinum requisitis, tantumdem etiamnum contribuet, residuo supplendo ab ecclesia parochiali, ex quibus etiam omnibus sacerdotibus ecclesiæ cathedralis celebrare volentibus providebuntur hostiæ, vinum, candelæ & cetera sacrificio Missæ necessaria.

Tertio, quod chorales utrimque eodem numero assumentur communibus expensis, ac rubeis togis vestientur, emolumentis paribus gaudebunt, augebiturque vel minuetur eorum numerus consensu utriusque partis; non augebitur vero ultra octonarium.

Quarto, quod capitulum conficienda curabit stalla sive sedilia inferiora vicariis ac sacellanis utriusque ecclesiæ, quæ cum superioribus reficientur deinde communibus expensis; libri quoque clero necessarii in unum conferentur, ac deinceps capituli expensis conservabuntur ac procurabuntur novi, dum iis opus erit.

Quinto quod illustrissimus episcopus, & pastor ejusdem parochiæ conscribant regulam æditituis sive custodibus templi, præsertim quantum ad pulsum campanarum, reservatis tamen utrique custodi respective suis juribus ordinariis ac consuetis, sed ornamenta servabuntur a sacrista constituendo a capitulo, a quo & ei stipendium persolvetur; quodque rursum fiet fractio, uti supradictum est, pro expensis lotionis linteorum ecclesiæ.

Sexto, quod quartam partem sumptuum refundendarum campanarum subministrabit capitulum, reliquis ab ipsa parochia procurandis; idem & fiet de funibus aliisque impensis circa campanas erogandis, sed ubi materia refundendis campanis deficiet, colligentur eum in finem per civitatem eleemosynæ, uti pridem fieri assuevit.

Septimo, quod utrimque ex æquo feretur stipendium organistæ, qui & parebit utrique parti, nisi capitulum forte malit in se postmodum sumere totum stipendium, quo casu & organista stabit ad nutum solius capituli, tenebitur tamen etiam tunc communitati deservire in suis officiis, uti antehac.

Octavo, organum majus ac superius si reficiatur, fiet id communibus expensis, instructio item choralium in cantu, & phonascus assumetur utriusque partis consensu, quo munere perget fungi, qui nunc est cantus magister.

Nono, quod musici utriusque ecclesiæ conjungentur, quorum numerus stipendio aletur, augebitur vel minuetur ex arbitrio & consensu ambarum partium.

Decimo, quod capitulum non curabit funera, nisi principum & gubernatorum provinciæ, aut personarum similis vel majoris dignitatis: deinde quod præsentiarum jura vel distributiones fient uti hactenus, & supplicationes utriusque ecclesiæ fient conjunctim per utriusque clerum, exceptis iis, quæ fiunt post laudes venerabilis Sacramenti & ad divam Virginem in Arena, ad quas capitulum non obligabitur.

Undecimo, quod quæcumque nova opera jubebit fieri capitulum, ea & fient ejus sumptibus, reliqua vero curabuntur uti hactenus ab ipsis provisoribus & ædilibus ejusdem ecclesiæ (assumendis semper uti jampridem a magistratu) ea tamen lege ut sive ea fiant, vel capituli, magistratus, ecclesiæ, vel aliorum expensis, nonnisi consulto prius illustrissimo episcopo, præscribantur & fiant, & quod in omnibus servabitur concilium Tridentinum nominatim, Sess. 22, cap. 8. & 9. de reformatione.

Duodecimo, quod scholæ triviales ac ludimagistri pendebunt, uti antehac ex nutu & imperio capituli & magistratus respective.

Decimo tertio, quod capitulum sartam tectam servabit ecclesiam sancti Spiritus & procurabit ut in ea quotidie unum aut plura fiant sacra, donec de ea aliter statuatur, quodque in ea fient in posterum cathechismi.

Decimo quarto, quod in conventibus publicis consilium Regium consedebit a latere cathedræ episcopalis, & magistratus ex adversa parte.

Decimo quinto, quod conciones fient hora & loco consuetis, nisi illustrissimo aliud videatur.

Decimo sexto, quod circa sodalitates, beneficia, officia, ac opificia nihil immutabitur, nisi forte circa recitationem horarum canonicarum, quæ, si opus fuerit, poterunt transferri in aliud tempus opportunum, absque tamen ullius incommodo aut præjudicio.

Decimo septimo, quod sacristiæ venerabilis Sacramenti & divæ Virginis pertinebunt, uti hucusque ad sodalitates unius & alterius respective, sed si capitulum necessarium ducat sacristiam majoris altaris augere vel novam ædificare, fiet id ejus expensis, ad usum tamen utriusque cleri, quod si vero statuat sacellum divi Michaëlis convertere in locum capituli, procurabit alium locum idoneum asservandis templi impedimentis, reliquoque instrumento. Reliqua omnia, quorum superius nulla mentio facta est, manebunt in antiquo suo statu, exceptis horis parochiæ, concionibus, ceterisque muniis ecclesiasticis, de quibus illustrissimus episcopus disponet pro meliore Divini cultus decore ac ordine & populi commoditate, servabunturque parochiæ cuncta sua jura ac eleemosynæ ad usum fabricæ, servitium populi, &c.

Ultimo, quod hinc per capitulum, illinc per magistratum sopientur difficultates, quæ forsitan, de quo minime timetur, possent oriri super sensu & interpretatione prædictorum articulorum.

Hisce igitur per supra nominatos capituli cathedralis, consilii supremi Regii, ac magistratus deputatos conclusis, & per principales suos committentes approbatis, adstipulantibus quoque ecclesiæ Divi Cristophori rectore domino Johanne Gerardo Brants, ejusdemque pastoratus generoso domino Johanne Guillelmo de Cortenbach civitatis Ruræmundensis advocato hereditario, quo præsentationem sibi factam de erigendo corpore pastoratus in præbendam sive canonicatum acceptante, erectio ista canonice facta est per illustrissimum episcopum, qua in perpetuum nova hæc præbenda affecta erit curæ animarum, & possessores ejusdem intererunt omnibus actibus capitularibus, exceptis duobus casibus, nimirum quando agetur de conferenda aliqua præbenda veteris fundationis vel pastoratus, cujus collatio ad solos capitulares antiqui corporis spectat, & quando deliberabitur super administratione bonorum & præsentiarum ejusdem veteris fundationis, servatis etiam novo huic canonico & pastori suis, quibus hucusque gavisus est, præsentiis & propriorum bonorum administratione, uti & ejus successoribus. Acta sunt hæc omnia mense Junio anni M. DC. LIX. Eugenius Albertus episcopus Ruræmundensis. Jac. Oeveren. J. G. Cortenbach. *Ersvocht.* H. van Dillen. J. G. Brants pastor. Jo. Cox. G. Blitterswyck. M. Wermont. G. Lom. F. Pollart. Henr. Goris. Jo. van Winden. Peter Wauters. Peter van Wessem.

VII.

Sententia sanctioris consilii Hispaniarum regis Bruxellis lata, qua jurisdictio episcopi Ruræmundensis asseritur adversus ordines Geldriæ, Regium ibidem consilium, & qui Regis jura tuetur, Mamburnum, Gallico idiomate concepta.

1663. PHILIPPE par la grace de Dieu, Roy de Castille, de Leon, d'Arragon, des deux Siciles, de Jerusalem; de Portugal, de Navarre, de Grenade, &c. A tous ceux qui ces presentes Lettres verront, SALUT. Sçavoir faisons, qu'Eugene Albert, evesque de Ruremonde, Nous a remontré en nostre Conseil privé, que pour satisfaire aux soins & obligations de sa charge, se persuadant qu'il n'y pourroit réüssir plus efficacement, que par les moyens prescrits au concile de Trente session 24. *de reformatione, cap.* 2. conforme aux conciles anterieurs, comme celui tenu a Basle, chapitre 15. & le Toletain celebré sous Sixte IV. il auroit conçeu quelques points necessaires pour faire renaitre une observance rigoureuse & generale, de ce qu'est requis pour la reformation des mœurs pervers, & extirpation des abus & exces, avec imposition de quelques peines & amendes pecuniaires aux articles & cas, dont autrement l'ordonnance seroit frivole & demeureroit infructueuse a faute d'execution; & ensuite auroit esté trouvé convenir, que pour la faciliter, le tout seroit mis és mains du chancelier de nostre Conseil en Gueldre, lequel en en ayant donné ouverture a ceux du mesme Conseil, & le Mambour ayant esté deputé pour examiner ladite ordonnance, & rapporter si en icelle il n'y avoit rien de prejudiciable a nos droits & prééminences; difficulté se seroit premierement meue sur lesdites amendes pecuniares, soutenant ledit Mambour, qu'audit evesque ne compete l'auctorité de semblable constitution a charge des personnes laïques, & qu'en tout cas le proufit en devroit estre a nostre fisque. Lequel soutenu seroit choquant les ordonnances & edits des princes nos predecesseurs, proprietaires de ce pays, & de leurs lieutenants & gouverneurs generaux, ensemble a la possession, coutume & pratique, ayant pris origine avec l'evesque mesme, comme aussi aux synodes & constitutions, canonique doctrine d'un nombre presque infini de docteurs, & a l'usage general és autres eveschés, nommement en celui du remontrant, lequel a ces fins Nous supplioit tres humblement de vouloir prendre reflexion a une lettre écrite par Don Loüis de Requesens nostre lieutenant & gouverneur general de ces pays, en date du vingt-neuviéme de Janvier quinze cens septante-quatre, sur ce exhibée, faisant mention des plaintes des estats de nostredit pays de Gueldres, de ce que les evesques s'avançoient journellement d'attirer en justice, & actionner indistinctement les suppots de leur diocese, surquoi leur auroit esté mandé que l'on ne pouvoit empescher aux evesques l'exercice de la jurisdiction qui leur compete, tant de droit civil que canon, avec ordonnance a l'evesque de Ruremonde de continuer sa jurisdiction ordinaire & competente, &c.

Hic plurima litis instrumenta proferuntur, quæ brevitatis studio missa facimus.

Sententiæ conclusio.

LEquel procés ayant ensuite, avec toutes les pieces que dessus, depuis esté veu & meurement examiné en nostredit Conseil privé, a l'intervention desdits trois conseillers de nostre Grand Conseil, & deux de celui en Brabant, respectivement a ce denommés. Sçavoir faisons, que Nous faisant droit, avons declaré & declarons par cesdites presentes, que (sans prendre égard a la requeste du susdit evesque du treizieme de ce mois, dont il n'auroit eu besoin, & rejettant celle desdits estats.) Nous avons gardé & maintenu ledit evesque de Ruremonde en l'exercice & possession de ses auctorités & droits episcopaux, a l'effect de pouvoir connoistre a charge de toutes personne laïques des crimes & delicts estans purement ecclesiastiques, & par prevention de tous autres communement nommez *mixti fori*, & de les punir par les peines usitées és tribunaux d'église, & aussi par *mulctes & amendes pecuniaires* selon l'exigence du cas, a appliquer au prouffit des pauvres, ou lieux pieux, a exprimer par les sentences, en taxant neanmoins lesdites mulctes & amendes avec la moderation qu'il convient. Si condemnons lesdits estats au depens dudit different a dûë taxation: en temoignage de quoy avons fait mettre nostre grand seel a cesdites presentes données en nostre ville de Bruxelles, le sixiéme de Juillet, l'an de grace mil six cens soixante trois, & de nos regnes le quarante-quattriéme. Paraphé V. Piet. v.t A costé estoit écrit, Par le Roy en son Conseil; & plus bas, *Visa.* Signé, P. van Achelen, & y estoit appendant le grand seel de Sa Majesté en cire rouge.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BUSCODUCENSIS seu SILVÆDUCENSIS.

I.

Burchardus Camerac. episc. Tongerloensem ecclesiam libertate donat & Præmonstratenses in ea collocat ad petitionem S. Bernardi abbatis Claræ-vallensis.

1133. IN nomine sanctæ Trinitatis & individuæ unitatis. Notum sit tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impartiri suffragium. Ego itaque Burchardus Cameracensium episcopus, petitionem religiosorum virorum Waltmanni videlicet Antverpiensium abbatis & Bernardi Clarevallensis approbandam existimavi, supplicantium ut ecclesiam de Tungerlo libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonstratensis ordinis sub regula B. Augustini degentes libere & quiete Deo famulari valeant: quam petitionem bonam judicans, ideoque benigne exaudiens, prædictam ecclesiam beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ ab omni exactione debitisque obsoniis, ad sustentandos canonicos in ea Deo sanctæque ejus genitrici servientes, liberam facio. Deinde ut canonicum & justum est, libens constituo ut, in statuendo abbate, sanior pars conventus liberam potestatem habeat; electus vero Cameracensi episcopo præsentetur, ut ab eo sine ulla contradictione vel cujuslibet personæ aliqua exactione consecratus, in parochia sua jus synodale libere obtineat: fratribus autem ejusdem loci auctoritate Dei & mea prohibeo ne post factam obedientiam aliquid proprium, secundum communis vitæ professionem, liceat habere, neque sine ejusdem abbatis licentia & assensu congregationis discedere. Si vero per inobedientiam aliquis discesserit, & a qualibet ecclesia vel persona ignoranter vel scienter receptus fuerit, postquam abbatis querimonia quocumque modo retentori innotuerit, nisi illum sine dilatione dimiserit, sit retentor cum retento in sententia excommunicationis; si autem clausis quoque januis hæc cantet ecclesia . . . . abbas quoque ad synodum non cogatur, nisi sigillatis episcopi litteris fuerit evocatus. Quid autem hæc ecclesia possessionum habeat, huic chartæ inserere necessarium judicavimus: duas partes decimæ ejusdem ecclesiæ & dominicaturam, videlicet quadraginta bonarios cum molendino uno, terram in eadem parochia solventem annuatim undeviginti sextaria brasii, cum decem vasculis hordei, terram insuper ibidem solventem duodecim solidos & denarium unum cum cæteris terræ debitis & manso uno solvente manipulum quartum; & insuper mansum unum, Wimple-mansum solventem quinque solidos cum suis debitis, Vele terram solventem tres solidos & dimidium cum reliquis debitis. Quicumque autem ista infringere aut auferre, vel huic nostræ paginæ sigillo nostro signatæ contraire præsumpserit, in extremo examine cruciandus æternaliter Diabolo tradatur. Pax igitur & benedictio conservatores protegat, dissipatores vero ultio ignis æterni cum Diabolo feriat. Ut autem hoc ratum omni tempore habeatur, atque a nullo præsumptore maligno violetur, quoscumque dissipatores hujus mei beneficii a gremio matris ecclesiæ ejectos publice excommunicavi, nisi ad emendationem & satisfactionem venerint. Signum mei ipsius Burchardi episc. S. Johannis archidiaconi, S. Theodorici archidiac. S. Rudolphi archidiac. S. Parvini abbatis S. Sepulchri, S. Walteri abbatis S. Auberti, S. Hugonis decani, S. Eustachii scholastici, S. Waltmanni Antverpiensis, sancti Bernardi Claravallensis. Acta sunt hæc Cameraci, anno Dominicæ Incarnat. M. C. XXXIII.[a] regnante * Conrado semper augusto.

[a] Hæc chronica nota falsi arguitur ex his, quæ diximus in Camerac. episc. non enim tunc temporis sedebat Burchardus sed Lietardus II.

* Lothario II.

II.

Diploma Andreæ Cuyckensis episcopi Ultrajectini, quo probat fundationem abbatiæ Bernensis a Folcoldo Bernæ domino factam.

Ex Miræi diplom. Belgic. lib. III. cap. 53. novæ editionis.

IN nomine Domini, amen. Andreas misericordia Dei, qui vocat ea, quæ non sunt, ecclesiæ Trajectensis episcopus. Quo studio, quave sollicitudine sit invigilandum his, qui sibi nihil reliquerunt, ut nudi sequerentur nudum Christum, pietas fidelium novit, quæ pelles animalium tanquam potestates sublimes, ad excipiendas tempestates tabernaculo supposuit, quatenus infra tabernaculum purpura contemplativorum tranquilla pace respondeat * & lumen honestæ vitæ circumquaque diffundat. Et nos igitur pro posse nostro, hoc æmulantes præsenti scripto, præsentibus & posteris edicimus, quod Fokoldus de Berna vir liber & dives, sed & uxor ejus Bessella inspiratione Dei, sane intelligentes cedros Libani, quas plantavit Dominus, nidum habere passeribus, ad honorem Dei & Theotocos beatæ virginis Mariæ, abbati Roberto de Insula ejusdem beatæ matris, ipsam Bernam cum omnibus suis appertinentiis, Maesmond quoque cum omnibus suis attinentiis necnon & Erthepe, quæ est in Tassandria, cum omnibus suis attinentiis, sed & Altsurge cum omnibus suis attinentiis, item etiam Mersbergh cum omnibus usibus suis, quos in sæculo viventes inibi jure obtinuerunt, per manus nostras tradiderunt. 1134.

* *f. resplendeat.*

Abbas autem prænominatus ex canonicis suis abbatem idoneum excipiens, superadditis ei conservis & commilitonibus Dei, prædictæ Bernæ per manus nostras imposuit, ecclesiamque illam ab omni sua vel successorum suorum obedientia, & commodo temporali penitus absolutam, nostro regimini & obedientiæ substituit, nihil juris aut respectus in ecclesia sibi prædicta reservans, præterquam si minus ordinate quid egerint, coadjuvante tunc loci præsente abbate, commonitione fraterna, secundum tenorem matricis ecclesiæ, corripiat & emendet. Nos item prædictam ecclesiam, ab omni tam nostra, quam fidelium nostrorum exactione liberam ex hoc nunc edicimus & facimus, nihil excipientes præter orationes & obedientiam filialem: sepulturam etiam & inunctionem infirmorum suorum tantum, sed & ipsum oleum, secundum quod ecclesiæ de Insula prædicta concessimus, concedimus & isti. Absque consensu vero aut conductu sacerdotum comprovincialium, nullum ex ipsorum parochianis excipient mortuum vel sepelient.

Et ne quid contractum legibus hæc inscriptio minus habeat, tempus ac testes assignavimus, & sigilli nostri impressione firmavimus, multiplicationem in omni benedictione, qui ad prædictam ecclesiam ea quæ justa sunt custodiunt: invasoribus autem manus anathematis & æternæ damnationis obtendentes. Et hæc quidem gesta sunt unigeniti Æterni an. Incarnat. M. C. XXXIV. indictione XII. Anno vero Lotharii X. imperii secundo ejusdem, episcopatus autem mei septimo, præsentibus testibus subscriptis.

Harberto majoris ecclesiæ præposito,
Luberto ejusdem ecclesiæ decano,
Hermanno præposito sancti Bonifacii,
Luberto decano de sancto Petro.

CANONICIS.
Ottone, Afcellino, Alardo,
Conrado, Alberone, Chriftantho,
Blitero, Guillelmo,

LIBERIS HOMINIBUS.
Arnoldo juvene comite de Clive,
Gerundo de Afper,
Guillelmo filio comitis Guillelmi.

MINISTERIALIBUS.
Hereboldo, Rutherico, Gifelberto,
Alphardo fculteto, Arnoldo caftellano.

III.

Ex Miræi notitia eccles. Belgii.

Notitia de origine ac fundatione abbatiæ Poftulenfis.

1173. NOtum fit Chrifti fidelibus, quod dominus Faftradus de Vutwicht tertiam partem prædii, in quo ecclefia in Poftula fundata eft in honore Dei genitricis Mariæ, Floreffienfi ecclefiæ dedit; poftea idem Faftradus habitum religionis induit, & tertiam partem prædii ecclefiæ de Rofelo cœnobio, quod eft in Poftula dedit: & ut ratum haberetur, primus abbas de Oftbruch, cujus prænominatus Faftradus obediens fuit, teftimonio figilli fui confirmavit & protectioni Leodienfis epifcopi Alberonis commifit; fextam vero partem allodii de Rofelo & jus patronatus Arnoldus cognomen habens Brabant, communi confilio filiorum fuorum, Bernerí, Ottonis, Arnoldi, ecclefiæ prædictæ dedit, & omne jus quod in prædicto prædio habuit, refignavit, & jure civili dominus Walterus Bertoldus fufcepit; & ut omnium hæredum fuccedentium querela ceffaret, prænominatus Arnoldus filiam fuam Ivettam fponfam Chrifti in prædicto cœnobio fecit, & prædium idem in dotem ecclefiæ & filiæ dedit; aliam fextam partem ejufdem prædii nobilis matrona Berta de Blartheim confenfu filiæ fuæ Billæ & illius filiorum confenfu, quorum unus erat Alardus comes de Megena, alter Theodericus, tertius Rogerus Scademule, qui omnes juri fuo renuntiantes, proprietatem prædii, quod eft in Blartheim refignaverunt, & Engelbertus de Bavele fufcepit coram multis teftibus, & Rogerus Scademule in plenum teftimonium renuntiationis a fratre Rodulfo pro emendo cultello, in Bremith ecclefia fufcepit. Utque hæc omnia rata habeantur, domina Billa & ejufdem filia, in præfentia fratrum & fororum in Poftula, jus hæreditatis & proprietatis in altari Deo obtulerunt. Aliam fextam partem prædii domina Didradis de Rieftel, omnium confenfu filiorum, Henrici videlicet & Balduini & filiæ Sibyllæ prædictæ ecclefiæ dedit. Acta funt hæc tefte domino Anfelmo de Dil & teftimonio Huberti cognomento Cocre, & Wigeri qui Blanc dicitur, & multorum aliorum.

Anno Incarnationis Dominicæ M. C. LXXIII. Hermannus abbas Floreffienfis allodium, quod in Elmeth, a domino de Herlarh empturus, conventionem fecit, hoc fine claufit, ut pro viginti octo marcis dominus Theodoricus omne jus advocatiæ fuæ, & proprietatem illius allodii refignaret & Poftulenfi ecclefiæ conferret: & dominus abbas interferuit ut dominus Theodoricus pro eodem pretio omnem interpellationem querelæ fuæ de allodio Poftulenfi poftponeret, & fororem fuam & omnes cohæredes fucceffioni hujus hæreditatis renuntiare faceret.

Hanc conventionem a domino abbate inchoatam frater Rudolphus confummavit & viginti octo marcas domino Theodorico dedit: dominus vero Theodoricus jus advocatiæ fuæ, proprietatem totius allodii de Elmeth & omnem querelam terrarum, quas fibi, ut ipfe dicebat, pro fexta parte totius allodii de Poftula vindicabat, exfeftucavit, in manus domini Walteri Bertoldi & domini Henrici advocati de Molle refignavit, in dominium & proprietatem ecclefiæ de Poftula tradidit, & fratres ejufdem loci in poffeffionem mifit; in hac conventione & compofitione teftes extiterunt Henricus de Breda,
A Theodoricus de Altena, Gerardus de Bueftel & frater fuus Willelmus, Arnoldus de Hofden, Herbertus de Hefe & alii quamplures; poft obitum vero matris domini Theodorici, quæ vocabatur Udehilt, foror præfati Theodorici, & vir ejus Florentius de Worne, in judicium & confilium dividendæ hæreditatis convenerunt. Dominus Theodoricus, quia ratum habuit, quod fide data & miniftralium fuorum Brufteni videlicet & Theodorici Stempel & Amilii fide interpofita promiferat, pro recompenfatione venditæ hæreditatis, allodium, quod eft Gerdingen, & in villa quæ dicitur Baftwilre forori fuæ & illius hæredibus dedit, his omnibus ita peractis ecclefia Poftulenfis poffeffionem fuam quiete poffedit. Qui, hæc rationabiliter gefta, infregerit, anathema fit.

Noverint etiam præfentes & futuri, quod Verungus & Vorelinus fratres, manfum unum in quo domus
B noftra Verfele primo ædificata eft, ecclefiæ Poftulenfi contulerint & omnem proprietatem duodecim jornalium in manus Sigeberti de Geftelle ad ufum ejufdem ecclefiæ pro tribus marcis & dimidia refignaverint: quartam quoque partem decimæ in Bladele & agros de quibus duodecim folidi & quatuor denarii Daventrenfes folvuntur, & fylvam, quæ eis adjacet, nobilis quædam matrona Berta de Brecle, æquali poteftate utilitatis & dominii, cum domino Wilhelmo de Uctene poffedit. Hæc videlicet Berta monialis in Euven & domini Huberti Tongerloenfis abbatis obediens facta, partem fuam; id eft medietatem prædicti allodii ecclefiæ Tongerloenfi dedit, dominus vero Hubertus Tongerloenfis abbas, ut in utiliores ufus fibi verteret, partem ecclefiæ fuæ datam pro decem marcis ecclefiæ Poftulenfi vendi-
C dit & fratres ejufdem loci in poffeffionem mifit: dominus Wilhelmus de Uctene aliam medietatem prædicti allodii de Bladel pro decem marcis eidem ecclefiæ Poftulenfi vendidit & in manus domini Hermanni & fratris fui Udonis de Alphein ad ufus præfatæ ecclefiæ refignavit. Hæc omnia cum teftimonio Chrifti fidelium facta ecclefiæ noftræ figillo munivimus.

IV.

Epifcopatus Silvæ-ducenfis feu Bufcoducenfis erectio cum dote epifcopi ac diœcefis limitibus.

PIus epifcopus fervus fervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. De ftatu omnium ecclefiarum præ- 1560.
D fertim cathedralium infignium noviter erectarum profpere & feliciter dirigendo, attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum confervationi, decori ac venuftati, ac præfertim & illis præfidentium commoditati, ac aliorum in eis divinis officiis vacantium opportunæ fubventioni confulatur: & interdum ea, quæ a prædecefforibus noftris Romanis pontificibus fuper his confulto gefta fuerunt, ex faniori confilio immutamus ac defuper difponimus, prout & temporum ac perfonarum & regionum qualitatibus diligenter confideratis, confpicimus in domino falubriter expedire.

Cum itaque (ficut fide digna relatione accepimus) poftquam felicis recordationis Paulus papa prædeceffor nofter provide confiderans eam partem inferioris Germaniæ, quæ chariffimo in Chrifto filio noftro Hifpa-
E niarum regi Catholico hæreditario jure etiam tunc fubjecta erat, paucos habere epifcopos, nullumque metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo & frequentiffimorum oppidorum celebritas, ac longe lateque diffitorum caftrorum & pagorum fuorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma & vitæ inftitutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expoftulabant: hifque & aliis gravibus caufis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ fuccurrere, pioque defiderio dicti Philippi regis fatisfacere, habita, ficut rei magnitudo poftulabat, cum fratribus fuis de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum confilio & apoftolicæ poteftatis plenitudine Cameracenfem, Traje-

tensem, Atrebatensem & Tornacensem ecclesias, civitates & diœceses a Remensi & Coloniensi provinciis, quibus tunc erant metropolitano jure subjectæ, ac Mechliniense & Buscoducense ac diversa alia tunc expressa oppida insignia hujusmodi regionis a sua quæque diœcesi & provincia perpetuo segregaverat & diviserat, necnon Mechliniense & Buscoducense & reliqua oppida prædicta sic divisa in civitates, Cameracensem & Trajectensem tunc episcopales sedes, ac olim collegiatam sancti Rumoldi Mechliniensem in metropolitanas, & sancti Johannis Buscoducensem, certasque aliorum oppidorum in civitates erectorum prædictorum ecclesias, in cathedrales ecclesias, pro totidem archiepiscopis & episcopis, qui suæ quisque ecclesiæ præessent, necnon Mechliniensi & Buscoducensi ecclesiis, civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus, per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua cujusque diœcesi perpetuo concesserat, necnon ecclesiæ Mechliniensi prædictæ ecclesiam, civitatem & diœcesim Buscoducensem hujusmodi, inter alias pro sua provincia adjunxerat, præfato quoque Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ipsius regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici pro tempore existenti personas idoneas, & aliis certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Buscoducensem & alias ecclesias erectas prædictas, tam a primæva earum erectione hujusmodi, quam ex tunc & deinceps quotiescumque illas vacare contigerit, per eundem pontificem in archiepiscopos & episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, deinde per alias suas in forma Brevis litteras, venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusinensi suo & Apostolicæ sedis nuntio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret.

Dilectus filius noster Antonius S. R. E. presbyter cardinalis, tunc episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interea de medio sublato, prætextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes bonorum a monasteriis & præposituris præfatis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa monasteria & præposituras mensis ecclesiarum prædictarum pro earum dote, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse uniendā, ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium, commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur, necnon constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum ac dignitatum & præbendarum, beneficiorum & officiorum, statum quoque & formam in prædictis ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illarum parte processus & scripturas, serio digestis rebus omnibus, formandos curaverint, & inter alia dictæ ecclesiæ Buscoducensi & pro tempore existenti episc. Buscod. Buscumducis, Bommelia, Sevenbergen, Helmondt, Endovia, Heusden, Worcomium, Mons S. Gertrudis, Meghem, Ravesteyn, Oss. *oppida:* necnon Roda S. Odæ, Oosterwick, Boxtel, Oirschot, Oirle, Loonop, t'Sandt, Reusel, Duysel, Knechsel, Velthove, Eerssel, Steenssel, Rithoven, Dommelen, Postel, Bergheyck, Westerhoven, Berchem, Druynen, Waelewick, Berckel, Enschot, Tilborgh, Dessehel, Goirle, Poppele, Baelen, Loemel, Mol, Samael, Oisterloe, Oevel, Geel, Tongerloe cum cura pastorali annexa, & omnibus suis villis & mansionibus atque agris sibi contiguis, Westerloe, Bomberge, Corsendonck Arendonck, Berlicum, Roesmalen, Orten, Empel, S. Aneborgh, Alem, Vucht, Cromvoirt, Haren, Dungen, Gestel, Gemmundt, Schyndel, Hoeydonck, Bruegel, Gerwen, Beeck, Aerle, Lieshoudt, Nederwetten, Nueven, Croy, Stiphout, Binderen, Soetbeeck, Mierloe, Aelst, Geldrop, Soemeren, Waelre, Heeze, Leendt, Sonne, Disterbersse, Opacht, Gestel, Hilvarenbeeck, Diessen, Middelbeerse, Westerbersse, Woensel, Leegemierde, Hulsel, Casteren, Vessem, Stryp, Hoogemierde, Blaedel, Happaert, Wintelren, Gestel, Zeelst, Blaethem, Hoogheloon, Merefelt, Kessel, Maeren, Lith, Littoyen, Oeyen, Macharen, Essche, Demen, Langel, Tiffelen, Dorne, Loon, Derenberch, Huesselinghen, Borchem, Herpen, Velp, Schayck, Gesson, Heessche, Nukmt, Nestelroy, Zeelandt, Heeswyck, Uden, Boeckel, Dienther, Vechel, Erp, Gemert, Bakel, Doorne, Rixtel, Liesel, Asten, de Swaluwe, Druymelen, Steelhoven, Ramsdonck, Waesbeeck, s'Grevenmoer, Sprang, Capelle, Besoyen, Outheusden, Baerdwyck, Doeveren, Donck, Cuyck, Engelen, Vliemen, Borkhoeven, Hontsoort, Beeck, Huysen, Horpe, Hemert Beern, Werckent, Werckendam, Sleewyck, Ghysen, Ryswyck, Neerael, Opael, Altenae, Veen, Driel, Almkerck, Broeck, Ecten, Wyck, Alborgh, Meeuwe, Dussen Lovesteyn, Braeckel, Herwerden, Zuilichem, Poerogen, Aelst, Nieuwaelen, Gameren, Heel, Bruckem, Wel, Amelroy, Herwyck, Herwynen, Rossem, Craendonck, villagia seu pagos pro sua diœcesi designaverunt, prout in processibus & scripturis ac singulis litteris prædictis plenius continetur.

A B C (margin letters A at "lewick", B at "Lith", C at "elen")

Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum ad minus valorem secundum communem æstimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret, vocatis quorum interesset, quique nuper monasterium beatæ Mariæ Tongerloense Præmonstratensis ordinis, Buscoducensis diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, mensæ episcopali Buscoducensi auctoritate apostolica univimus, annexuimus & incorporavimus; attendentes, quod si priscis temporibus, dum populi ejusdem regionis sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus, optimisque præsulibus oportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresum dogmata, quibus religio Christiana passim laceratur atque affligitur, haud ita violenter invaluissent. Nunc autem cum ad illa, arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus prædecessor nulla alia quam supradicta magis oportuna remedia potuerit adhibere, ut illa juxta cordis sui atque nostri desiderium, promptos & felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes adjicere præmissis, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes, necnon mensæ episcopalis Buscoducensis ac decem canonicatuum & præbendarum, ac decimarum, infra scriptorum fructuum, redditudum ac proventuum veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis, id pro salute dictorum populorum enixe prosequentis excitati, motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de simili apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras prædecessoris nostri hujusmodi factas, quarum veriores tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quoad infra scripta immutando, omnia & singula oppida & pagos & villagia in posteriori

(margin letters D at "poravimus", E at "bendarum")

designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa cum toto eorum districtu ac universis eorum castris, locis, ecclesiis, monasteriis, collegiis, parochiis, hospitalibus, capellis, officiis & personis ecclesiasticis, secularibus & regularibus, ac populis & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ ecclesiæ Buscoducensi, juxta designationem illi per præfatos subdelegatos factam hujusmodi, dicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus & assignamus, & insuper a parochiis de Gillen & Marters alias in de Haghe olim Leodiensis, nunc vero Antverpiensis diœcesis, quarum collatio seu alia dispositio ad pro tempore existentem abbatissam monasterii de Thoren asseritur pertinere, ac a de Gerwen prope Helmont ejusdem vel alterius diœcesis, parochialibus ecclesiis, cum primum illas per cessum vel decessum modernorum illas obtinentium aut alias quovismodo & ex cujuscumque persona vacare contigerit, omnes & singulas decimas quæ in siligine ut plurimum consistunt; ita tamen quod pro singulis rectoribus ipsarum parochialium ecclesiarum viginti modii siliginis annuatim detrahantur, & ipsis rectoribus assignentur, cum quibus ipsi cum aliis emolumentis earumdem ecclesiarum se honeste sustentare poterunt, ex nunc prout ex tunc & econtra, auctoritate & tenore prædictis perpetuo dismembramus.

Et ut episcopus Buscoducensis pro tempore existens ecclesiam suam dignitatibus, officiis & personis ecclesiasticis litterarum scientia præditis jugiter decoratam habeat, ac in dicta diœcesi Buscoducensi uniformis justitiæ ministrandæ usus existat, in eadem ecclesia Buscoducensi unum archidiaconatum pro uno archidiacono, qui post cessum vel decessum eorum, qui nunc sunt in illa parte diœcesis Buscoducensis, talem habeat jurisdictionem & administrationem, qualem hactenus habuit archidiaconus Bruxellensis in diœcesi Cameracensi, servando concordiam, quam cum episcopo hactenus servavit & exinde cum archiepiscopo suo Mechlin. perpetuo servaturus est. Ac unum archipresbyteratum civitatensem pro uno archipresbytero, qui curam habeat rectorum parochialium ecclesiarum & sacramentorum & verbi Dei in dicta civitate Buscoducensi, & unam pœnitentiariam diœcesanam nuncupandas dignitates inibi, pro uno pœnitentiario diœcesano nuncupando, qui curam conscientiarum populi per universam diœcesim Buscoducensem specialiter habeant, quatenus ibidem erecti non sint, etiam perpetuo erigimus & instituimus. Præterea statuimus & ordinamus, quod ex triginta canonicatibus & triginta præbendis aut circiter dictæ ecclesiæ Buscoducensis, decem, quos primo per cessum vel decessum illos obtinentium, apud sedem Apostolicam prædictam, aut alias vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent & devoluti, affecti, sacerdotales vel litigiosi existant, idem episcopus unum & unam illorum primo vacaturos, tanquam mensæ suæ episcopali perpetuo unitos, & quos nos similiter ex nunc prout ex tunc & econtra, dicta auctoritate apostolica ipsi mensæ perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, obtinere, illorumque ratione persona capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in capitulo super decanum & canonicos habere, reliqui vero novem canonicatus & præbendæ prædicti tribus magistris aut licentiatis in theologia & tribus doctoribus decretorum seu in eis licentiatis, ac tribus aliis nobilibus ejusdem diœcesis, & in jure canonico vel theologia doctoratu aut gradu licentiaturæ in eis in famosa quapiam universitate studii generalis, secundum tenorem primo dictarum litterarum promotis, quibus dicti decem canonicatus & præbendæ perpetuo affecti permaneant, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant: quodque ad sex priores tam nobiles quam alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem canonicatibus & præbendis hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint; ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi præbendarum, consilium & operam in negotio ecclesiæ & religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim, præstare teneantur: ac unus archidiaconus ad archidiaconatum, & alius archipresbyter ad archipresbyteratum, necnon reliquus ex dictis graduatis pœnitentiarius ad pœnitentiariam hujusmodi, ad nominationem dicti episcopi assumi, & omnium primi post episcopum vacaturos canonicatus & præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectabilis doctrinæ & probitatis ad ædificationem ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & novem præbendæ hac prima vice per præfatum episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem episcopi & aliorum graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium episcopi non plus juris sive momenti, quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat: quodque posthac ipsi novem canonicatus & novem præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore juris clausis, necnon exspectativis, mandatis facultatibus, indultis de providendo, commendando ac alias disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis præventivis per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes & sedem prædictam, vel ejus legatos, etiam consideratione, vel intuitu Imperatoris, Regum, ac ejusdem S. R. E. cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur: nec etiam tanquam vacantes apud sedem apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, apud sedem prædictam pro tempore occurrentem, per Romanum pontificem aut sedem hujusmodi, de illis provideri, aut alias quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem canonicis prædictis magister seu licentiatus in theologia, & alter decretorum doctor, seu etiam licentiatus seniores ratione suarum præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Buscoducensem prædictam ab episcopo, cæteri vero canonici graduati prædicti quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus canonicis prædictis, duo in theologia ac unus in jure canonico graduati, ut præfertur, una cum archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines & admittendos ad curas animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento promittentem admittendo: & quoniam impia hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si canonici graduati prædicti ab ecclesia sua, nisi ab episcopo vel capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant & eidem capitulo cedant. Ac omnes proventus singularum præbendarum dictæ ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis officiis in choro deservierint & inibi a principio usque ad finem, necessitatis causa excepta, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione vel alio privilegio apostolico quacumque causa impetrato vel concesso, se se a residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum ecclesiæ civitatis sub cura dicti archipresbyteri civitatensis, extra vero eam & in diœcesi Buscoducensi hujusmodi existentes, vel sub suis decanatibus, prout hactenus, remaneant, vel meliore modo arbitrio episcopi distribui, ipsorumque decanatuum decani, salva dicti episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Districtius inhibentes archiepiscopis, episcopis, ab- A batibus cæterisque locorum ordinariis, necnon conventuum superioribus & personis, illisque vel illis ad quem seu quos decem canonicatuum & præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio & alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis cujuscumque conditionis, dignitatis, status & ordinis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, necnon privationis omnium dignitatum & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de decem canonicatibus & præbendis prædictis, si vacant aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere aut alias disponere, seu præmissorum effectum & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant. Ac decernentes ex nunc plenum jus B in præmissis eisdem episcopo & graduatis omnino acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, necnon privilegiis omnibus, quibus diutumi possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenarie uti, potiri & gaudere; ac decem canonicatus & decem præbendas affectos prædictos, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, indultorum, etiam juxta concordata prædicta, exspectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquomodo acceptari non posse, & nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, & alias dispositiones de eisdem aut eorum aliquo, etiam per nos & sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas C nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eos cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, divisiones ac dismembrationes, separationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, applicationem, appropriationem, & cætera præmissa, ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, ac sub quibusvis revocationibus vel limitationibus etiam unionum & suppressionum, applicationum, appropriationum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam aliis quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minime includi; sed illis non obstantibus, in suis vigore D & robore & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta & de novo concessa existere; sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse & esse, ac ipsas præsentes nullo unquam tempore de surreptione vel obreptione aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in jus vel in controversiam, quacumque causa vel ratione vocari posse; sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii auditores & prædictos S. R. E. cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; & ex nunc irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. E

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi & episcopo Cameracensi, ac dilecto filio decano collegiatæ ecclesiæ oppidi Beekensis, Buscoducensis diœcesis, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, vel unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni & pro tempore existentis episcopi Buscoducensis & aliorum, quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra episcopum Buscoducensem & alios prædictos concessione, assignatione, unione, annexione, incorporatione, & applicatione ac litteris, & in eis contentis prædictis pacifice gaudere, ac litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari; non permittentes illos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: nonobstante piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri voluntate, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede deputati prædicta, extra civitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant; & de duabus dietis in concilio generali edito, dummodo ultra tres dietas auctoritate præsentium ad judicium non trahatur; aliisque apostolicis constitutionibus & ordinationibus, etiam reservatoriis, necnon cancellariæ apostolicæ regulis etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem ordinariorum, ac alias in contrarium quomodolibet editis & edendis. Necnon Buscoducensis & aliarum ecclesiarum, monasteriorum & aliorum collegiorum prædictorum, ac ejusdem præmonstratensis, & aliorum ordinum, quorum monasteria hujusmodi existent, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris apostolicis, illis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem prædictam etiam per viam generalis legis ac statuti perpetui, necnon initi & stipulati contractus seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter ac alias quomodocumque, qualitercumque & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis; necnon quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus etiam mentalibus, exspectativis & aliis gratiis, unionibus, annexionibus & incorporationibus perpetuis vel temporalibus, absque consensu coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, litteris, concessionibus & indultis, provisionibus & aliis dispositionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus & conditionis existentibus, etiam cardinalatus honore fungentibus, ac etiam nostris antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus ac prælatis domesticis, necnon Romanæ curiæ officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, ac etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum principum contemplatione vel intuitu, seu in eorum vel ecclesiarum, monasteriorum, aut aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, vel etiam in nullius favorem aut remunerationem laborum nobis & sedi apostolicæ prædictæ impensorum, aut in recompensam jurium cessorum, aut alias quomodolibet, etiam motu proprio & ex certa scientia & de apostolicæ potestatis plenitudine, necnon quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac cæteris attestationibus mentis nostræ de illis non revocandis aut suspendendis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel nominatim & in specie, de dictis canonicatu & præbenda concessis hactenus & in posterum concedendis.

Quas & quæ illorumque omnium vim & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in dictis canonicatibus & præbendis effectum sortiri aut locum sibi vendicare

vendicare non posse neque debere decernimus, illisque ac statutis, privilegiis, indultis & litteris supradictis, etiamsi de illis pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, dismembrationis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. D. LX. V. idus Martii pontificatus nostri anno 2. Sic subscriptum erat FREDERICUS card. CÆSIUS; deinde sic, CÆSAR GLORIERIUS. A. DE ALEXIIS.

V.

Bulla incorporationis abbatiæ Tongerloensis cum episcopatu Buscoducensi.

1560. PIUS episcopus servus servorum Dei, &c. Sacrosancta Romana ecclesia, quæ super universas orbis ecclesias obtinet divina institutione principatum, circa statum ecclesiarum præsertim cathedralium & monasteriorum omnium, eorumque personarum, velut pia & provida mater de filiorum necessitate sollicita, vigilanter excogitat & prudenter intendit, ut ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi statui & augmento etiam quandoque per ministerium unionis commode valeat ac efficaciter provideri, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum ecclesiarum & monasteriorum utilitas persuadet, & id in Domino conspicit salubriter expedire. Cum itaque alias felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster, animadvertens eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico etiam tunc hæreditario jure subjecta erat, paucos habere episcopos, qui eam regerent, prout illius amplitudo & frequentissimorum oppidorum celebritas, ac longe lateque dissitorum castrorum & pagorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant, his & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi regis satisfacere, inter alia Buscoducense etiam oppidum Leodiensis diœcesis a dicta diœcesi & provincia sua perpetuo segregaverit, ac illud in civitatem necnon sancti Johannis Evangelistæ illius ecclesiam in cathedralem ecclesiam pro uno episcopo qui illi præesset, cum mensa episcopali & aliis cathedralis ecclesiæ insigniis etiam perpetuo erexerit & instituerit, ac eisdem ecclesiæ & civitati certos districtus per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos pro sua diœcesi concesserit & assignaverit; necnon dictæ mensæ pro ejus dote numerum trium millium ducatorum auri de camera, ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus & proventibus ecclesiasticis per dictum nuntium specificandis & repartiendis ex tunc prout ex ea die & econtra, postquam illi specificati & repartiti forent, etiam perpetuo, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ existerent & non ultra, aliorum mille & quingentorum ducatorum similium redditus annuos per eundem Philippum regem, ex redditibus & proventibus, quos idem Philippus rex ex hujusmodi regione percipiebat, episcopo Buscoducensi pro tempore existenti, annis singulis, sub certis modo & forma tunc expressis persolvendos, applicaverit & appropriaverit per quasdam sub plumbo & deinde per alias in forma Brevis litteras: similiter inter alia, certas dismembrationes bonorum a certo monasterio seu certis monasteriis & præpositura vel præposituris, sub dicta ecclesia consistente seu consistentibus, pro illius dote fieri mandaverit, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, volentes pium & laudabile institutum prædecessoris hujusmodi prosequi atque confovere, ac dictæ mensæ de congrua dote, ac simul eidem episcopo de loco opportuno in quem devotionis vel quietis causa interdum secedere possit, commodius providere: ac considerantes quod per dismembrationes hujusmodi cultus monasticus tractu temporis læderetur, per unionem vero unius monasterii sub eadem ecclesia consistentis eidem mensæ loco dismembrationum hujusmodi, si fieret, præfatus episcopus illius curam sedulius gereret; continuis precibus præfati Philippi regis id enixe prosequentis inducti, monasterium beatæ Mariæ Tongerloense Præmonstratensis vel alterius ordinis olim Cameracensis, nunc vero Buscoducensis diœcesis, cui bonæ memoriæ Arnoldus ipsius monasterii abbas dum viveret, præsidebat, per obitum dicti Arnoldi abbatis extra Romanam curiam defuncti, abbatis regimine destitutum, sive præmisso sive alio quovismodo, quem etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam cessionem dicti Arnoldi abbatis, vel cujusvis alterius de illius regimine & administratione in dicta curia, vel extra eam & coram notario publico & testibus sponte facta vacet; etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, & illa ex quavis causa, ad sedem eandem specialiter vel generaliter pertineat, & super eo inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, membris, ac dignitate abbatiali inibi penitus suppressis & extinctis, mensæ præfatæ Buscoducensi unimus: ita quod ex nunc & deinceps dilecti filii conventus dicti monasterii, ac singulares illius personæ, præfato episcopo Buscoducensi pro tempore existenti tanquam abbati & eorum patri & pastori in omnibus & per omnia subsint, eique promittant & præstent obedientiam & reverentiam, prout olim ipsi abbati præstare tenebantur; liceatque eidem episcopo pro tempore existenti corporalem possessionem ejusdem monasterii per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque ac eorumdem annexorum & membrorum fructus, in suos ac monasterii & mensæ hujusmodi usus & utilitatem convertere, ac omnia & singula, prioratus, præposituras, dignitates, administrationes, officia & beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura secularia & regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentis abbatis dicti monasterii pertinentia conferre, & de illis etiam providere, priorem, ipsumque monasterium per priorem seu præpositum ejusdem ordinis juxta illius ritus & mores dirigere, ac his, quæ ad honestum vitæ usum & consuetas ejusdem monasterii eleemosynas, ac divini cultus & dictorum conventus conservationem & sustentationem solitas & consuetas ac debitas pertinent, prospicere, patris abbatis

ejusdem ordinis, aut cujusvis alterius licentia desuper A minime requisita, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; curam dicti monasterii, ac hujusmodi regimen & administrationem prædicto episcopo pro tempore existenti, in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, bonaque necnon fructus, redditus & proventus monasterii hujusmodi pro dote dictæ mensæ Buscoducensis constituendo & assignando: districtius inhibentes præfatis conventui & quibuscumque aliis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, necnon privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda pœnis, ne ad electionem seu postulationem in abbatem seu præpositum dicti monasterii quoquomodo procedere, seu ipsum episcopum Buscoducensem in præmissis, vel eorum aliquo impedire præsumant: & nihilominus decernentes ex nunc quascumque electiones seu postulationes earumque confirmationes, vel admissiones aut provisiones, præfectiones, commendas aliasve dispositiones, quæ ex nunc de cætero etiam per sedem prædictam quoquomodo fieri, ac quidquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irrita & inania nulliusque roboris vel momenti fore; non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure expressis fieri prohibentis, necnon piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus, ac monasterii & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, C vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris apostolicis monasterio & ordini ac patri abbati prædictis, illorumque superioribus & aliis personis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros ac forsan nos & sedem eandem, etiam iteratis vicibus, etiam consistorialiter concessis, approbatis & innovatis.

Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse, quod eis nullatenus censeatur derogatum, nisi dum & quoties eis sub certis modo & forma, ac verborum conceptione contingeret derogari; tenores hujusmodi ac si de verbo D ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod propter unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi, divinus cultus, ac solitus canonicorum & ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, sed ejus ac conventus prædictorum congrue supportentur onera consueta; quodque antequam dictus episcopus regimini & administrationi dicti monasterii se in aliquo immisceat, in manibus venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Mechliniensis & episcopi Brugensis seu alterius eorum, E fidelitatis debitæ solitum præstet juramentum juxta formam præsentibus annotatam; quibus & eorum cuilibet tenore præsentium mandamus, ut ipsi vel eorum alter ab eodem episcopo Buscoducensi, nostro & Romanæ ecclesiæ nomine hujusmodi, recipiant seu recipiat juramentum, ac quod dictus episcopus Buscoducensis, formam juramenti quod ipse præstabit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinari procuret.

Quocirca eidem episcopo Buscoducensi per apostolica scripta mandamus, quatenus curam, regimen & administrationem hujusmodi sic sollicite gerat & fideliter prosequatur, quod monasterium ipsum gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissum; ipseque episcopus Buscoducensis, præter æternæ retributionis præmium, nostram & dictæ sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi mereatur, & dictis conventui ac dilectis filiis universis vassallis ejusdem monasterii ac conventus, eidem episcopo Buscoducensi tanquam patri & pastori animarum suarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ejus salubria monita & mandata suscipiant humiliter & efficaciter adimplere procurent.

Vassalli vero prædicti eumdem episcopum Buscoducensem devote suscipientes, & debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam & consueta servitia & jura sibi ab eis debita integre exhibere studeant; alioquin sententiam sive pœnam, quam idem episcopus Buscoducensis respective rite tulerit seu statuerit in rebelles, B ratam habebimus & faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque & hortamur attente præfatum Philippum regem, quatenus eundem episcopum Buscoducensem & præfatum monasterium suæ curæ commissum habens pro nostra & ejusdem sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis & conservandis juribus suis sic eos benigno favoris auxilio prosequatur, quod idem episcopus Buscoducensis suo fultus præsidio, in commisso sibi ejusdem monasterii regimine se possit utilius exercere, ac eidem Philippo regi a Deo speremus vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Forma autem juramenti, quod idem episcopus præstabit, talis est:

Ego N. episcopus Buscoducensis, ab hac hora in antea fidelis & obediens Deo, beato Petro sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, & domino nostro Pio papæ IV. suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ eis inferantur quovis quæsito colore, consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum papatum contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ ecclesiæ & domini nostri Papæ & successorum prædictorum conservare, defendere, augere & promovere curabo; nec ero in consilio vel facto, seu tractatu in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status & potestatis eorum machinentur, & si alia a quibuscumque tractari novero, vel procurari, impediam hoc pro posse & quanto citius potero, commode significabo eidem domino nostro, vel alteri per quem ad ipsius notitiam pervenire possit. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, provisiones, reservationes, & mandata apostolica totis viribus observabo & faciam ab aliis observari. Hæreticos & schismaticos ac rebelles Domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar & impugnabo; vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione, possessiones vero ad mensam monasterii mihi commissi pertinentes non vendam, nec impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, derogationis, voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, sexto idus Martii, pontificatus nostri anno secundo, supra plicam signatum, A. DE ALEXIIS.

VI.

Tongerloenses canonici potestatem faciunt quibusdam ex suis transigendi cum episcopo Buscoducensi super divisione bonorum monasterii, & congrua dote episcopo assignanda.

1589. ANno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo nono mensis Novembris die vigesima septima, in mei notarii publici testiumque infra scriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præsentia personaliter constituti, venerabiles & religiosi viri domini ac fratres Dionysius Drooghen prior, Johannes Jacobus supprior, Dionysius Berze, Marcellus Loon, Gerardus Balen, Johannes Veris sacrista, Jacobus Brouwers pitantiarius, Matthias Vos pistrini præfectus, Godescalcus de Nova-domo cellarius, Theodoricus Zweens curator, Adrianus Mudtsaerts, Michael Verlensis cantor, Adrianus Diessen, Petrus Balen succentor, presbyteri, Ghisbertus Beeck & Henricus Oosterwick, diaconi, religiosi professi ac conventuales monasterii beatæ Mariæ Tongerloensis, conventum ejusdem monasterii facientes & repræsentantes, in eorum loco capitulari congregati, non vi, dolo, metu, fraude aut aliqua alia sinistra machinatione seducti aut circumventi, sed ex certis eorum scientiis animisque bene præmeditatis & deliberatis (uti asseruerunt) omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma quibus melius & efficacius sciverunt & potuerunt, irrevocabiliter constituerunt, nominaverunt & solemniter deputaverunt suos veros & legitimos syndicos sive procuratores, venerabiles & religiosos viros dominos Walterum a Corswarem dicti monasterii administratorem, Nicolaum Mudtsaers ecclesiæ Tilburgensis & Gerardum Drunen ecclesiæ Rethensis respective pastores, dicti monasterii religiosos & professos, necnon Johannem Wouters, & quemlibet eorum in solidum; ita tamen quod non sit potior conditio primitus occupantis neque deterior subsequentis, sed quod unus eorum inceperit, id alius eorundem prosequi poterit mediate, terminare pariter & finire cum effectu specialiter & expresse ad ipsorum dominorum constituentium nominibus & pro eis, coram clarissimis circumspectisque viris dominis Antonio de Ittere & Philippo Bocxorn consiliariis ordinariis commissariis, & Cornelio Wytflict secretario Regiæ majestatis in suo senatu Brabantiæ adjuncto, per Regiam majestatem deputatis ad comparendum ac cum reverendissimo domino episcopo Buscoducensi ejusque deputatis agendum & tractandum super divisione bonorum dicti monasterii ejusque effectu, per partes apud Regiam majestatem supplicata & optata per prædictas partes, ac desuper cum dicto domino reverendissimo agendum, pertractandum & concludendum prout & quemadmodum dictis dominis syndicis in rem dicti monasterii videbitur expediens & magis opportunum, tam super qualitate bonorum dicto domino reverendissimo adscribendorum, quam super quantitate & æstimatione granorum & aliarum specierum applicandarum, cæteraque omnia alia & singula faciendum, proponendum, gerendum & exercendum, quæ ipsimet domini constituentes (si omnibus & singulis præsentes & personaliter interessent) facerent, proponerent, gererent, & exercerent, etiamsi talia forent, quæ mandatum (quoad actum præsentem) exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum, & majora forent prænarratis, unum quoque vel plures, syndicum vel syndicos, qui similem habeant potestatem loco eorum & cujuslibet ipsorum substituendum.

Promittentes dicti domini constituentes sese habere & perpetuo habituros, ratum, gratum, stabile atque firmum totum id & quicquid per dictos suos syndicos seu procuratores constitutos, necnon substituendum ab eisdem & ipsorum quemlibet, actum, dictum, factum, gestumve fuerit in præmissis seu alias quomodolibet procuratum, eosque & eorum quemlibet relevare & indemnes conservare ab omni onere præmissorum occasione ipsis quomodolibet incumbente, sub hypotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum suorum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum; cumque & sub omni juris & facti renuntiatione ad hæc necessaria pariter & cautela: de & super quibus præmissis omnibus & singulis antedicti domini constituentes, ipsis a me notario publico subscripto, unum vel plura, publicum seu publica fieri, confici atque tradi petierunt instrumentum & instrumenta.

Acta fuerunt & sunt hæc sub anno, mense, die & loco præscriptis, præsentibus ibidem honestis Judoco Wynants Loemelensi clerico Buscoducensis diœcesis & Petro Lueckermans testibus fide dignis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Sic subscriptum a me Cornelio Willems de Beecka publico, sacris apostolica & imperiali auctoritatibus, perque consilium Brabantiæ de novo admisso notario;

Et erat sigillatum instrumentum sigillo abbatiæ Tongerloensis ad causas in cera viridi: infra habebatur. Collatione facta cum suo originali procuratorio, præsens copia concordat, quod attestor infrascriptus Regiæ majestatis secretarius. Et erat signatum, C. WYTFLICT.

Concordantiam testor cum authentica ÆGIDIUS Denique notarius Apostolicus.

Transactio prædicta reipsa peracta est anno sequenti 1590. & unio abbatiæ cum episcopatu dissoluta, Romano pontifice & Hispaniarum rege annuentibus, bona itaque distracta fuere ab abbatia ad summam octo millium florenorum annui redditus & mensæ episcopali Buscoducensi attributa in perpetuum, sicque jus eligendi abbatis de gremio denuo receperunt Tongerloenses. Instrumentum autem transactionis, ut pote lingua Teutonica conceptum, hic inserere omittimus.

VII.

Libellus supplex Postulensium canonicorum Hispaniarum regi porrectus pro exemtione a quibusdam oneribus.

CAusæ & rationes, quare domus Postulana vulgariter nuncupata, fundata in honorem beatæ Mariæ 1600.
virginis ord. Præmonstratensis, gravari non debeat aliqua pensione annua, multo minus incorporari, sunt infra scriptæ.

In primis est sciendum, quod dicta domus sit sita in medio miricæ, ad duo milliaria Germanica nullis pagis sive villis cincta, omnibus transeuntibus aperta, una cum adjacenti hospitali pauperum, quæ siquidem domus, primæva sua fundatione tenetur recipere omnes & singulos exteros hospites tam nobiles, quam ignobiles, pauperes & divites & promiscuas personas, illasque cibo & potu pro qualitate status personarum ibidem confluentium, reficere & tractare.

Primitus dabatur pauperibus transeuntibus unus panis cum poculo cerevisiæ, postquam vero aucta fuerunt bona, tam per pias personas, quam per industriam provisorum dictæ domus bene regentium, eo est deventum, quod omnes transeuntes recipiuntur & tractantur pro qualitate status & conditionis eorum.

Ultra præmissa, pro tempore dicta domus tenetur recipere & reficere omnes & quoscumque pauperes, tam viros, quam mulieres, proles & infantes, necnon quascumque miserabiles personas transeuntes, sive, uti communiter vocant, *passantes*, ad dictam domum sic ad duo milliaria extra omnes pagos & vicos sitam, ordinarie recurrentes, & unicuique unum panem unius cum dimidia libræ & partem carnis cum poculo cerevisiæ pro eleemosyna administrare, quales eo recurrunt

singulis septimanis aliquando mille, quandoque plus, quandoque minus, absque equitibus Regis, qui subinde numero centum plus minus ibidem accurrunt, quorum equis havenam & fœnum administrare tenentur & equitibus pro eorum conditione & qualitate.

Ultra præmissa ordinaria onera, ex antiqua hactenus observata consuetudine, catervatim ad dictam domum Postulanam confluunt ter in hebdomada, nempe diebus Mercurii, Veneris & Sabbati innumerabiles pauperes & miserabiles personæ, numero communiter trecenti sive quadringenti, plus minus, qui omnes eisdem diebus (*Speen-dagken*) vulgariter nuncupatis ibidem reficiuntur pane. . . . . & cerevisia ad sustentationem unius diei sufficientibus, qui. . . . . . . hac extrema caritate annonæ, plus solito augentur, & expensæ propter frumenti, & omnium rerum caristiam triplicantur.

Insuper etiam ex prænarrata laudabili consuetudine, bis in anno, nempe ante initium & in fine Quadragesimæ, ex eadem fundatione, ad eandem domum confluere consueverunt, & adhuc confluunt circiter quatuor, quinque, plus millia pauperum, quibus singulis tunc distribuuntur duo panes ponderis trium librarum, una libra lardi, & in Quadragesima loco lardi, duo haleces, una cum poculo cerevisiæ, & aliquibus discalceatis paria calceorum.

Sciendum quoque est, quod eadem domus his novissimis patriæ commotionibus, per rebelles Regiæ majestatis fuit omnibus utensilibus, suppellectili, & bonis mobilibus spoliata, provisio victualium, quæ pro pauperibus, pro sustentatione unius anni imposita erat, consumpta, & dissipata, ornamenta & jocalia ecclesiæ ablata, stabula & plurima ædificia combusta, pavimenta ecclesiæ eruta, vitra confracta, campanæ avectæ & infinita damna domui & ædificiis illata, provisor sive magister domus, ter, ex ipsius correligiosis duo, una cum aliquibus servitoribus domus etiam ab inimicis capti fuerunt & postea magnis impensis redempti; ita ut metu iterativæ captivitatis provisor & religiosi cogantur refugere ad locum securiorem, & eorum domum Postulanam ad tempus relinquere; quam ut conservare possint a tali ruina & incendio comminato, coguntur inimicis per singulos menses solvere quadraginta florenos Renenses, præter infinitas exactiones & contributiones, quas tam ipse provisor, quam ipsius domus coloni coguntur exsolvere ad sustentationem Regii militis & ad redimendas ab inimicis ab incendio eorum colonias, molendina, & alia ejusdem domus ædificia.

Præterea est dicta domus gravata plurimis redditibus vitalibus, ascendentibus fere ad trecentos modios siliginis annuatim, diversis personis reservatis, item onerata multis redditibus annuis fundariis erga Regiam Catholicam majestatem, tanquam ducem Brabantiæ & particularibus personis permultis, etiam diversis redditibus annuis excedentibus summam trecentorum florenorum, quas articulatim enumerare personas brevitatis causa omittimus. Et pastoribus diversis & multis singulis annis magnam frumenti & siliginis copiam in dotationem pastoratus sive curæ eorum numerare & persolvere astringitur, quæ copia ascendit ad minimum ad summam ducentorum viginti modiorum siliginis annue & ultra.

Insuper dicta domus, quæ a monasterio Floreffiensi dependet & cujus membrum esse dignoscitur, solvit annuatim religiosis dicti monasterii, ratione vestiariæ ipsorum, ducentos florenos & quatuor boves pingues, necnon & alia jura, ascendentes ad quingentos florenos annue, ex eo quod idem monasterium multa bona contulit eidem domui, in sustentationem transeuntium & pauperum ad eandem domum confluentium: dicta etiam domus Postulana uti membrum monasterii Floreffiensis, quod in sustentationem dotis episcopatus Namurcensis gravatum est pensione annua mille florenorum, solvit in sublevamen ejusdem pensionis medietatem, nempe quingentos florenos annuos.

Præter præmissa onera, & infinitas exactiones in dies occurrentes, ne quidem suppetit provisori dictæ domus se suosque tenuiter alendi, sed coactus fuit a multo tempore ingens & alienum æs contrahere, & redditibus etiam annuis dictam suam domum onerare, ut eleemosynas & onera dictæ domus posset continuare, & in dies magis se gravare cogetur, si intestina ista bella diutius (quod verendum est) durent.

Fit etiam in eadem domo Divinum officium, & horæ canonicæ in singulos dies decantantur, juxta ordinem Præmonstratensem, & alia Divina, prout religioso loco decet, administrantur.

Si itaque hæc domus gravari debeat aliqua pensione annua, vel (uti hic secreto susurratur) ab aliquo collegio, sive universitate incorporari & domus supprimi & exstingui, hoc indubie cederet in præjudicium & detrimentum pauperum, miserabilium personarum, & hospitum undequaque ad dictam domum confluentium; in quorum sustentationem & hospitalitatem eadem domus dignoscitur esse fundata; fundatores quoque eorum piis fundationibus fraudarentur, Divinum officium diminueretur, quod Deus ter Optimus Maximus avertat, &c.

Postulense cœnobium a Floreffiensi separatum fuit anno 1622. & in abbatiam erectum.

VIII.

Status controversiæ inter abbatem & religiosos Postulenses, & præpotentes ordines Belgii fœderati super situ & dominio ejusdem abbatiæ. *Ex tabular. abbatiæ Postulensis.*

ANno 1648. conclusa & signata fuerat pax Monasteriensis, cujus articulus XLIII. sic habet verbotenus, *Quod attinet bona ecclesiarum, collegiorum & aliorum locorum piorum sita in provinciis unitis, quæ membra erant dependentia ab ecclesiis, beneficiis & collegiis quæ subsunt nutui & imperio dicti domini Regis, quidquid ante conclusionem præsentis tractatus non fuerit divenditum iisdem reddetur & restituetur, venientque in possessionem eorundem, etiam propria auctoritate absque adminiculo judicis, ut istis gaudeant & utantur, &c.* 1648.

Post conclusam hanc pacem, Ordines fœderati (seu potius eorum quæstor) in dubium traxerunt, an abbatia Postulensis etiam non esset membrum sive pars majoratus Sylvæ-ducensis, quæ civitas cum toto suo territorio statibus Hollandiæ vigore dictæ pacis cesserat.

Quod dubium, cum juxta pacta conventa remittendum foret ad judicium cameræ bipartitæ Mechliniæ & interim lite pendente nihil innovandum, longe tamen aliter factum est; nam paulo post, Hollandi via facti omnia bona monasterii Postulensis in Majoratu sita sibi approprriarunt, sed & ipsam abbatiam invasit an. 1651. die 1. Septembris eorundem ordinum quæstor stipatus caterva 25. sclopetariorum.

Huic violentiæ generose se opposuit Leopoldus archidux Belgii gubernator, qui missa copiosa militum cohorte (prævio mandato cassatario cancellariæ Brabantiæ) præfatum receptorem cum suis inde recedere coegit 14. Octobris subsequentis.

Nihilominus Postulenses privati manserunt, & hodie manent omnibus suis decimis, villis, prædiis &c. in Majoratu sitis, ac partem longe potiorem redditum dicti cœnobii constituentibus; hinc anno 1654. coram judicibus delegatis cameræ bipartitæ Mechliniæ residentibus, operosam litem instituerunt Postulenses contra altipotentes Ordines; in eaque causa replicatum, duplicatum, scriptum per memorialia, &c. donec causa producta fuisset ad statum judicandi; sed iisdem Ordinibus novas quotidie remoras adjicientibus & prohibentibus ne in hac causa sententia pronuntiaretur, tandem ad mandatum fœderatorum Ordinum, commissarii sive judices cameræ bipartitæ revocati sunt, & camera dissoluta est re hac infecta.

Abrogato hoc tribunali, religiosi Postulenses omni A via excogitabili, labore, patientia & sumptu ineffabilibus sine intermissione conati sunt bona sua recuperare; cumque in finem majestas Catholica, gubernatores Belgii, &c. per suos legatos & oratores in curia Hagæ Comitanæ permultos libellos aliaque scripta exhibuerunt: sed irrito hactenus conatu.

Quin potius anno 1715. eo ipso tempore quo plenipotentiarii suæ Cæsareæ & Catholicæ majestatis cum plenipotentiariis altipotentium Ordinum Antverpiæ conferebant, octo aut decem villæ ad Postellam spectantes subhastatæ ac divenditæ sunt: non obstantibus querelis ipsorum plenipotentiariorum & legatorum Cæsareorum, & argumentis peremptoriis Postulensium, quorum hæc sunt præcipua:

I. Fundus abbatiæ Postulensis situs est sub pago de B Mol districtus Antverpiensis seu Turnauthani, qui pagus Postellæ conterminus est; constat ex eo, quod Theodoricus de Vytwicht fundator abbatiæ cedens partem prædii sive fundi (qui ipse locus est, in quo exstructa fuit ecclesia Postulensis) agnoverit Henricum dominum de Mol tanquam dominum fundi territorialem, & ab illo tempore, ex eoque capite dominus de Mol, item dux Brabantiæ, sibi semper reservarunt census dominicales super fundo de Postel, uti constat ex eorum libris censualibus:

II. Si domus Postulensis fuerit pars Majoratus, vel a prima sua fundatione fuit civitati Sylvæ-ducensi subjecta, vel postmodum Majoratui velut membrum accessit, sed prius manifeste est erroneum, cum Postella fundata jam esset anno 1173. civitas autem Sylvæducensis demum condita est a Godefrido III. Brabantiæ C duce cognomento de Cunis anno 1184. neque etiam Postella postmodum Majoratui subjecta vel adjecta; quia juxta varias declarationes specificas ducum Brabantiæ, bona abbatiæ Postulensis fuerunt in eleemosynam data, amortisata, libera, immunia, & extra hominum commercium posita: adeoque dictum monasterium tanquam Deo dicatum, exemptum & plane separatum & independens semper fuit a jurisdictione seculari. Hisce privilegiis nixa Postella, solvit precarias duci Brabantiæ, sub statu prælatorum ab omni ævo, nunquam vero sub statu seculari, cum quo nihil habuit commune, adeoque nihil habere potuit commune cum majoratu Sylvæducensi, ut pote statibus secularibus subdito.

III. Exstat diploma Johannæ ducissæ Brabantiæ, anno 1384. editum hac ratione. Conquesti fuerant abbas D Floreffiensis & magister hospitalis de Postula, quod prætor Campiniæ (quæ constituit unum de quarteriis majoratus Sylvæ-ducensis) attentasset in dicto hospitali exercere jurisdictionem: hoc præsertim fundamento, quasi prædictum hospitale esset pars Majoriæ: declarat autem memorata Ducissa, id esse contra immemorialem possessionem & privilegia exemptionis a prædicta Majoria, cum prædictum hospitale annexum fuerit marchionatui S. R. J. ita ut nemo possit ibidem cognitionem capere præter drossardum Brabantiæ, & prætorem Antverpiæ. *Dictum diploma ex ipsis archivis abbatiæ Postulensis hic exhibemus.*

Diploma Johannæ ducissæ Brabantiæ anno 1384.

JOHANNA Dei gratia ducissa Lutsemburgi, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi & marchionissa S. R. J.

. . . .

Notum facimus omnibus, quod dilectus nobis in Christo abbas Floreffiensis, & magister hospitalis nostri de Postele, nobis conquesti sunt, quod noster prætor Campiniæ attentasset vi visitare cadaver....quod sibi vim intulerat intra portas nostri prædicti hospitalis, quasi prædictum hospitale pars esset majoriæ Sylvæ-ducensis, contra immemorialem possessionem & privilegia exemptionis a prædicta Majoria, cum annexum fuerit & ad marchionatum sacri Imperii .... ita ut nemo possit ibidem ullam cognitionem capere, quam noster drossardus Brabantiæ & noster prætor Antverpiæ: cumque debeamus omnia nostra hospitalia tueri & defendere contra vim & violentiam .... hinc est quod interdicamus & diligenter præcipiamus omnibus nostris prætoribus Sylvæ-ducis, Campiniæ, Peelandiæ, Maeslandiæ, & de Oisterwick omnibusque aliis nostris hominibus, Ambactis, judicibus & ministris nostræ prædictæ majoriæ Sylvæ-ducensis eorumque locum tenentibus, præsentibus & futuris, ac unicuique eorum in particulari, ne attentent talia amplius agere, & tenemus nostrum præfatum hospitale de Postele tanquam locum inclavatum. Datum in civitate nostra Bruxellensi sex diebus in Septembri anno Domini nostri 1384.

IV. Constat, quod variis casibus & verbis expressis ipsi celsi Ordines generales abbatiam Postulensem declaraverint esse sitam extra majoriam Sylvæ-ducensem sub Antverpia, signanter dum anno 1689. prædicta abbatia emisset toparchiam de Lieshout ab abbatia Floreffiensi: item dum illi anno 1702. concesserunt litteras protectionis & salvagardiæ (ut vocant) tanquam sitæ in Brabantia & terra hostili sub onere contributionis 160. florenorum singulis bimestribus solvendæ.

V. Certum est, quotiescumque majoratus Sylvæducensis gravatus fuit oneribus, taxis pecuniariis, angariis, &c. ad has operas vel impensas neque comparuerunt Postulenses, neque citati sunt.

VI. Tantum abest (quod prætendunt adversarii) Postellam undique cinctam esse pagis Majoriæ eorumque limitibus inclavatam, quin potius ab Oriente habet pagum de Luyex-Gestel, qui subest Leodio; a Meridie habet Balen, Mol, Desschel, qui omnes subsunt Antverpiæ; ab Occidente habet Rethy & Arendonck, qui eidem capitali subjacent; a Septentrione habet Reusel & Bladel, de quibus quæstio; circa Orientem habet Duyssel, Ersel, Bergeyck & Loemel, qui soli pagi sunt Majoriæ, adeoque male dicitur Postellam circumquaque cinctam esse pagis Majoriæ.

VII. Quod attinet ad pagos de Reusel & Bladel, qui subsunt curiæ spirituali abbatis Postulensis, exstant acta Johannæ ducissæ Brabantiæ anno 1400. his verbis, quod dux Johannes dederit iis de Bladel, prout etiam iis de Reusel & de Arendonck, ut futuri sint separati a majoratu Sylvæ-ducensi, & quod uniti manebunt *ammaniæ* Antverpiæ, sub ambachto de Herentals, &c.

Hæc & plura æque fortia Postulensium argumenta deducta fuerunt latius in actis litis ipsorum contra fœderatos Belgii ordines, quæ nondum decisa est.

APPENDIX AD INSTRUMENTA ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MECHLINIENSIS.

I.

Ex tabular. archiepisc. Mechlin.

Bulla Pii papæ IV. pro dote mensæ archiepiscopalis & diœcesis limitibus.

1560. PIUS episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsidentium & aliarum personarum in eis divinis laudibus insistentium statui & opportunæ subventioni, cum Divini cultus augmento & animarum Christi fidelium salute, valeat salubriter provideri; ac desuper etiam ea quæ a prædecessoribus nostris consulte gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, & ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet & id in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus papa quartus prædecessor noster providi vigilisque pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico hereditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta oppidorum suorum celeberrimorum frequentia, locorumque multitudine, adeo paucas cathedrales ecclesias habebat, ut earum episcopi, ea qua opus erat diligentia, tantam animarum multitudinem minime regere poterant; idque quibusdam eorum erat difficilius, quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate institutisque differebant, & quidam eorum etiam hujusmodi privilegia habebant ut eos ad sedem episcopalem non liceret evocare; ita ut nec fidei doctrina, nec pie vivendi præceptis commode instrui, nec si quid deliquissent facile corrigi ab episcopis suis possent; ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos & in officio continendos, nulla in tota illa regione ecclesia erat metropolitana: sed archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes, propter multa & varia impedimenta nulli suffraganeis suis usui jam pridem erant, & propter assiduas insidias & dolos pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum & schismaticorum, quibus eadem regio omni fere ex parte cincta atque obsessa erat, catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine versabantur.

His & aliis gravibus causis impulsus, volens etiam precibus annuere, tamque pio desiderio satisfacere ipsius Philippi regis, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine, Mechliniense olim Cameracensis diœcesis, ac Antverpiense, Gandavense, Buscoducense, Brugense, Iprense, Ruremundense & certa alia tunc expressa oppida dictæ regionis a suis tunc diœcesibus & provinciis diviserat & exemerat, illaque in civitates, & S. Rumoldi Mechliniensem, necnon Cameracensem & Trajectensem in metropolitanas pro archiepiscopis, & ceteras alias Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem & Ruremundensem, aliorumque oppidorum prædictorum ecclesias, in cathedrales ecclesias, pro episcopis, qui inibi respective præsiderent, cum mensis archiepiscopalibus aliisque metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum insigniis, erexerat & instituerat, necnon ecclesiæ & civitati Mechliniensi certum tunc expressum districtum per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandum pro sua diœcesi; ipsique Mechliniensi ecclesiæ Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem & Ruræmundensem ecclesias, & qui pro tempore essent, illarum episcopos pro suffraganeis, necnon clerum & populos pro provincialibus suis perpetuo concesserat & assignaverat: prædictæ quoque mensæ Mechliniensi annuum redditum quinque millium ducatorum auri de camera ex certis decimis & bonis ac fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis per dictum nuntium specificandis & repartiendis ex tunc, prout ex illa die, &
A econtra, postquam specificati & repartiti forent, ac donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ essent, nec ultra; alium etiam annuum redditum trium millium ducatorum similium per dictum Philippum regem de proventibus, quos ex dicta regione percipiebat, archiepiscopo Mechliniensi pro tempore existenti, annis singulis, quousque specificatio & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, integre persolvendum pro illius dote perpetuo applicaverat & appropriaverat: eidem quoque Philippo regi ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent, jus nominandi Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam, ac
B alias certis tunc expressis modo & forma qualificatam, ad dictam ecclesiam Mechliniensem, etiam a primæva illius erectione hujusmodi, ac quotiescumque illam pro tempore vacare contingeret, per eundem pontificem, in archiepiscopum ad nominationem hujusmodi promovendum, reservaverat per quasdam sub plumbo & deinde per alias suas in forma Brevis, litteras; venerabili fratri nostro tunc suo, Salvatori episcopo Clusino & apostolicæ sedis nuntio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent; ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis & præposituris sub illis consistentibus dismenbrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputaret.

Dilectus noster Antonius S. R. E. presbyter cardi-
C nalis, tunc episcopus Atrebatensis & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus & nuntius, dicto prædecessore interea de medio sublato, vigore seu pretextu mandati & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, qui ad id canonice subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes bonorum in monasteriis & præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsaque monasteria & præposituras mensis prædictis pro dote suarum ecclesiarum, adhoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse unienda; ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque ac distributiones oppidorum
D & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum diœcesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur; necnon constitutiones dotium, & deinde numerum personarum ac dignitatum, præbendarum, beneficiorum & officiorum, statum quoque & formam in prædictis ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones & alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt; ac super illorum parte processus & scripturas, serio digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, prout illis ac singulis litteris prædictis plenius continetur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, cumque nuper monasterium SS. Petri & Pauli Affligemiense ord. S. Bened.

olim Cameracensis, nunc vero dictæ Mechliniensis, cum primum illud per cessum vel decessum moderni illius abbatis seu commendatarii, aut alias quovis modo vacare contigerit, mensæ archiepiscopali Mechliniensi ex tunc prout ex ea die & econtra, de fratrum nostrorum consilio pro dotis nomine perpetuo univimus, annexuimus & incorporavimus; considerantes, quod si priscis temporibus dum dicti populi sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus optimisque præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresum dogmata, quibus religio Christiana illic passim laceratur atque affligitur, haud ita violenter invaluissent: nunc autem cum ad illa arcenda & exstirpanda; ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus prædecessor nulla alia magis opportuna remedia, quam supradicta potuerit adhibere, ut illa juxta cordis sui atque nostri desiderium, promptos & felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes, ac litterarum, processuum, & scripturarum prædictorum veriores tenores, necnon mensæ archiepiscopalis Mechliniensis, ac illi uniendorum infra scriptorum canonicatus & præbendæ, fructuum, redditUum, & proventuum veros annuos-valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes; continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis id pro salute dictorum populorum enixe prosequentis excitati, motu proprio & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, ac distributionibus dictorum subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras prædecessoris hujusmodi factas, quoad infra scripta immutando, omnia & singula oppida, castra, pagos, villas, & loca infra;

Videlicet, Mechlinia, Bruxella, Lovanium, Vilvordia, Arschotum, Diest, Thenæ, Alostum, Ninive, Gerardimons, Landen, Sichene, Halen, Leeuw,

Vueren, Asche, Merchtem, Grimbergen, Rotselaer, (1) Battel, Waelhem, (2) Roosendael, Wavre S. Catherine, Waver-Onse-Lieve-Wrauwe, (3) Neckerspoel, Boyenheyde, Schrieck, Rymenam, Keerbergen, (4) Nynden, Wechter, (5) Veldonck, Betekom, Langdorp, (6) Thysselt, Schaften, (7) Mynten, Hever, Elewyt, Bortmeerbeke, Eppegem, Campenhout, (8) Ten-Troost, Perckt, Berghe, Neerockerseel, (9) Neeraxel, Pueti, Melsbroeck, Steynockerseele, Quaderebbe, S. Gertruyden Mechelen, (10) Heymelgem, Erps, Haecht, Wackeseel, Welpelaer, Tieldonck, (11) Wyckmael, Veltom, (12) Villen, Herent, Wincxele, Messelbroeck, (13) Zeelhem, (14) Donck, Linthout, (15) Luimen, Rillaer, (16) Wedde, Nieuwenrode, Zellecke, Hauwaert, Beevoort, (17) Tassem, Houchem, Wesemael, S. Peeters-Rode, (18) Vrauwe-perck, Onse-Lieve Vrauwe-Tielt, (19) Versbeke, Cortryke, (20) Thielt, Winge, Waenroo, Holsbeke, Molebeke, Beets, Cortenaken, (21) Ghempe, Lynden, (22) Kiesken, Meensele, Miskem, (23) Bosch, Buinghem, (24) Geteroy, (25) Suerbeke, Wesere, (26) Lebbeke, Binckem, (27) Capelle, Kersbeke, Ruysbroeck, Willebroeck, Puers, (28) Calfvoort, (29) Heyendonck, Blaesvelt, Heffen, Lippeloo, Liesel, (30) Tysselt, Leest, (31) Leliendael, (32) Hauthem, Hombeeck, Raemsdonck, Capellen, Londerseel, Semps, Steenuffel, (33) Ympde, Humbeeck, Weerde, (34) Rossem, Wolverthem, Beyghem, Buggenhout, Maldere, Opwyk, Baerdeghem, Masele, Meusegem, Meldert, Mollem, Meyse, Bruysegem, Ballebeke, (35) Relegem, Wemmele, Hekelgem, Ossele, Strombeke, Cobbeghem, Neerhembeeck, Eschenen, Hamme, Overheembeke, Lombeke-S. Catherine, (36) Nat, (37) Wilryk, Capelle, Beeckerseel, Zelleke, Wambeke, (38) Bugen, (39) Bigarden, (40) Ganshoren, Laken, (41) Strythem, Dielbeke, Berchem, (42) Scheuten, (43) Schepdaele, (44) S. Gertruyde-Pee, Itterbeke, Anderlecht, Onse-Vrauwe-Lombeeck, S. Martens-Lennick, Vlesenbeeck, Bygarden, Gaesbeeck, Ruysbroeck, Goyke, Audenaken, (45) Laeckt, Vleteringen, Eysingen, (46) Beerle, Bogaerde, (47) Lembeke, (48) Tubeeke, Diegem, Meerbeke, Savelthom, Cortemberge, Oversteecke, Elingen, Everbeke, Meerbeke, Haren, Nossegem, Eygenhoven, (49) Gaere, S. Stevens-Woluwe, (50) Vos-Cappel, Berthem, Scarenbeeck, Sterrebeeck, Leefdael, Corbeke-over-Dyl, Crayenhem, Wesembeke, Vossem, (51) Elsene, t'Etterbeeck, (52) Cameren, Op-Woluwe, Duysborch, (53) Loenbeke, S. Jooris-Weerde, (54) Voest, (55) Auwegem, S. Peeters Woluwe, (56) Beau, Eedewater, Watermale, (57) Droogenbosch, Huldenberge, S. Achtenrode, Linckebeeck, Ottenberge, Rosieres, Arkenes, Beersele, Hollaer, Overyssche, Huysingen, Roo, Businghem, Halsenberg, Donxe, (58) Steenborren, Hulpen, Pellenberg, Kerckem, Wewere, Holede, Leeuwe, Corbeek-overloy, (59) Lovenel, Bauters-

(1) Battel, appendix sub Mechlinia.
(2) Roosendael, abbatia virginum ord. Cisterc.
(3) Neckerspoel, appendix sub Mechlinia.
(4) Nynden & (5) Veldonck, appendices de Werchter.
(6) Thysselt, alias Tesselt.
(7) Mynten, alias Muysen.
(8) Ten-Troost, monasterium virginum Camelitanarum hodie in Vilvordia.
(9) Neeraxel, alias Neerassent, appendix de Bueken.
(10) Heymelgem, alias Hummelgem.
(11) Wycmael, appendix sub Herent.
(12) Wilsen, alias Wilsel.
(13) Zeelhem, pagus est hodieque sub diœcesi Leodiensi, ubi & monasterium est Carthusianorum.
(14) Donck, & (15) Luimen, alias Lummen, pagi prope Diestenium, qui hodieque manent sub diœcesi Leodiensi.
(16) Wedde, forsitan Webbecom.
(17) Tassem & Houchem, appendices pagorum prope Diesthemium.
(18) Wrauwe-perck, abbatia virginum ord. Cisterc.
(19) Versbeke, alias Wersbeecke.
(20) Thielt, id est, Sinte Peeters Thielt.
(21) Ghempe, præpositura virginum ord. Præmonstrat.
(22) Kieskem, alias Kiesecom.
(23) Bosch, appendix sub Bungen.
(24) Geteroy, alias Aterode.
(25) Suerbeke, alias Suerbempde.
(26) Lebbeke, alias Lubbeeck.
(27) Capelle, alias Nieuw-Capelle.
(28) Calevoort, appendix sub Puers.
(29) Heyendonck, appendix sub Heffen.
(30) Tysselt, appendix sub Willebroeck.
(31) Leliendael, præpositura monialium Præmonstratensium. olim sub parochia de Hombeeck, nunc Mechliniæ.
(32) Hautem, appendix oppidi Vilvordiensis.
(33) Ympde, appendix sub Musegem.
(34) Rossem, appendix de Wolverthem.
(35) Releghem, appendix de Wemmel.
(36) Nat, alias de Ter-Nath.
(37) Capelle, alias Sint-Ulrycks-Capelle.
(38) Bugen, alias Bodegem, vulgo Beugem.
(39) Bigarden, est abbatia nobilium Benedictinarum juxta Bruxellam.
(40) Ganshoren, appendix de Jette.
(41) Streythem, appendix de Burg-Grave Lombeke.
(42) Scheuten, appendix parochiæ de Anderlecht, ubi quondam sita erat Carthusia Bruxellensis.
(43) Schepdaele, appendix sub parochia de Sinte-Mertens-Lennick.
(44) Ste Gertruyde-Poé, appendix de Ste Mertens-Lennick.
(45) Laeckt, appendix sub Leeuwa sancti Petri.
(46) Beerle, lege Beerthe.
(47) Lembeke, hic pagus prope Hallas situs, in civilibus nullius est juris; in spiritualibus vero semper mansit sub diœcesi Camer.
(48) Tubecke, alias Tubize.
(49) Gaere, lege Hevere.
(50) Vos-Capelle, appendix sub Nosseghem.
(51) Elsene, appendix sub Bruxella.
(52) Cameren, abbatia virginum ord. Cisterc. juxta Bruxellam.
(53) Loenbeke, appendix sub Neer-yssche.
(54) Voest, lege Vorst, ubi est abbatia nobilium Benedictinarum.
(55) Auweghem, vel Auderghem, monasterium virginum ordinis sancti Dominici.
(56) Beau, Eedewater, loca hæc ignorantur.
(57) Drooghem-Bosch, appendix sub Uckel.
(58) Steenborren, alias Sevenborren, monasterium canonicorum regularium juxta Bruxellam.
(59) Lovenel, lege Lovenjoul.

hem, (60) Clabbeke, Bunsbeke, Neer-Linter, Heelen, (61) Betsenvove, Hout-Hever, Bierbeke, Vertryk, Vissenaken, Hauthem Guessenhoven, Wemmersem, (62) Halle, (63) Roelbeke, (64) Breissem, Greymde, Haeckendouvre, Orsmael, Neer-Dormael, Neer-Hespen, Dormael, (65) Walmusen, Willebringen, Cumptich, Oirbeke, (66) Overlae, (67) Bost, Over-Hespen, Neer-Velpe, (68) Holxem, (69) Ast, Meer, Neer-Wynde, Esemael, Middewinde, Neerlanden, Nethene, (70) Wys, Hamme, Op-Velpe, Meldert, Autgarde, Goitshoven, Over-Wynde, (71) Remsdorp, Hellesem, Lare, Wange, (72) Attenhove, (73) Florival, (74) Doorne, Benkom, (75) Sluyse, (76) Hugarden, (77) Littart, Nodebaix, (78) Linnen, Op-heylissem, Raitshoven, S. Geertruyt-Bossuyt, (79) S. Laurens-Capelle, (80) Meylan, Noduwez, (81) Liptain, Lissemeau, Waelmont, (82) Haeckdonck, (83) Viese, (84) Herdergem, (85) Ter-Alfine, Liekercke, Pamele, (86) Lombeke, (87) Nuytgen, Liefringe, Pollare, (88) Wierbeke, (89) Eygem, Santberge, Grimmingem, Wiendeke, Nieuwenhove, Waerbeke, (90) Beaupre, Okeseel, (91) Onkseele, Meerbeke, Appels, Auwergem, Mespelaer, (92) Tonan, Gilegem (93) Castenbeke, Lede, Impe, Hoslta, Erpe, Eerdegem, Nieuwkerke, Sonnegem, Meere, Burst, Wichele, Sescamp, Wannesele, Smettels, Oordegem, Bavegem, (94) Papegem, Capelle, (95) Vlierse, Letterhauthem, Molle, Masseme, Goutrode, (96) Lombergen, Westrem, (97) Lantshautre, Schelderode, Bottelaere, Moorsele, Oostersele, Vorste, Munte, Wyndick, (98) Waesene, Baygem, Dickelvene, Berleghem, Alderheyligem, (99) Cotten, (100) Vorsbeke, (101) Hindelgem, Balegem, Reesegem, Aygem, Capelle, Hombergen, Welle, Welden, (102) Vellebeeck, Eelden, Aygem, (103) Hattert, Leuwe, Heldergem, Heersele, (104) Hautbrechtegem, Kerckem, Eeregem, (105) Steenhamme (106) Neerhamme, (107) Nysboek, Borst, Strype, Sottegem, Gotverdegem, Aspelaer, Denderhautem, S. Jooris-Ertegem (108) Audenhove, Hillegem, Esche, S. Tentelins, Matere, (109) Bliesboeck, Roosbeeck, Steenhuyse, Voorde, Cornelis-Horebeke, Miegelbeke, (110) Marienodenhove, (111) Asselt, Appelter, Marie-orebeeck, (112) Clare, (113) Lubbegem, Marcke, Etichove, Melde, Schorisse, Hemelverdeghem, Neerbrakel, Martenlierde, Elst, Marielierde, (114) Vleuseghem, Smerebbe, Volkegem, (115) Kesselaer, (116) Liesse, Schendelbeeck, (117) Eygem, (118) Overbrade, Sulseke, (119) Kerkhove, Berchem, Quarmont, Nukerke, Segelsem, (120) Ten-Bosche, (121) Dolaere, Geertsberghe, Overboelaer,

In posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum ecclesiis etiam parochialibus, monasteriis, collegiis, etiam canonicatibus, capellis, hospitalibus & beneficiis, locis & personis ac officiis ecclesiasticis, secularibus & regularibus & populis quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ ecclesiæ Mechliniensi pro sua diœcesi juxta designationem illi per præfatos subdelegatos factam hujusmodi, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo concedimus & assignamus; ac decimas majores nuncupatas parochialis ecclesiæ de Willebringhe prope Thenas aut Hoxem olim Leodiensis diœcesis, ad centum modios tritici vel circa ascendentes; sexdecim modiis similibus rectori dictæ ecclesiæ pro honesta illius sustentatione quotannis remanentibus; ab eademque parochiali & a personatu de Hal olim Cameracensis, nunc Mechliniensis diœcesis prædictæ, proventum annuum centum ducatorum auri de camera, postquam ipsi personatus & parochialis ecclesia vacabunt & non antea, ex nunc prout ex tunc, & econtra, etiam perpetuo dismembramus & separamus: necnon præposituram ecclesiæ Mechliniensis prædictæ, quæ tempore illius erectionis in metropolitanam ecclesiam hujusmodi, dignitas inibi principalis existebat, cujus fructus, redditus & proventus centum viginti ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt; cum primum illam per cessum vel decessum, etiam apud sedem apostolicam prædictam, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem nunc illam obtinentis, aut alias quovismodo, & ex cujuscumque persona, etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum dispositio nobis aut Romano pontifici pro tempore existenti, per constitutiones apostolicas vel cancellariæ apostolicæ regulas reservata existit seu fuerit, seu ordinariis collatoribus, etiam per easdem constitutiones, litteras alternativarum, aut concordata Germaniæ, seu alia privilegia & indulta, illis quomodolibet concessa & concedenda vacare

(60) Clabeke, lege Glabbeeck.
(61) Betsenhove, alias Eegenhoven, appendix de Hout-Hevere.
(62) Halle, appendix sub Goetsenhove.
(63) Roelbeke, lege Roosbeeck.
(64) Breissem, alias Brasem appendix sub Cumptich.
(65) Walmusen, alias Wallbergen.
(66) Overlae, alias Overlaer, pagus sub diœcesi Leodiensi.
(67) Bost, appendix de Overlaer in diœcesi Leodiensi.
(68) Holxem, alias Hoxem, pagus hodie diœcesis Leodiensis.
(69) Ast & Meer, appendices sub Goitsenhove.
(70) Wys, alias Wez, appendix sub Nethene.
(71) Remsdorp, alias Rumsdorp.
(72) Attenhove, pagus sub diœcesi Leodiensi.
(73) Florival, abbatia virginum ord. Cisterc.
(74) Doorne, &
(75) Sluyse, appendices sub Meldert.
(76) Hugarden municipium patriæ ac diœcesis Leodiensis; Brabantiæ inclusum.
(77) Littart, alias Zittart, sive Zetru, &
(78) Linnen, alias Lummen vel Lumay, pagi sub diœcesi Namurcensi.
(79) S. Laurens-Capelle, alias Laurent fart, appendix sub Bossuyt.
(80) Meylam, alias Melain.
(81) Liptain, alias Linsain & Lissemeau, appendices sub Noduwez.
(82) Haeckdonck, lege Haesdonck.
(83) Viese, alias Wiese.
(84) Herderghem, alias Herdessem.
(85) Ter-Alfine, alias Ter-Alphen, sive Elst.
(86) Lombeke, alias Burg-Grave-Lombeeck.
(87) Nuytgen, lege Neyghem.
(88) Wierbeecke, lege Meerbeke.
(89) Eyghem, appendix parochiæ de Appelterre.
(90) Beaupré, abbatia virginum ord. Cisterc.
(91) Meerbeke, lege Moerbeke.
(92) Tonan, alias Schoonaerde, capella sub parochia de Wichelen.
(93) Castenbeke, lege Tusschenbeke, præpositura virginum ord. Præmonstratensis in parochia de Lede juxta Alostum.
(94) Papegem, fuit olim capella sub parochia de Vlierseele, nunc diruta.
(95) Vlierse, lege Vlierseele.
(96) Lomberge, lege Lemberghe.
(97) Lantshautre, lege Landscautere.
(98) Waesene, appendix parochiæ de Schelderode, olim pagus.
(99) Cottem, appendix parochiæ de Hilleghem.
(100) Vorsbeke, lege Borsbek.
(101) Handelghem, lege Hundelghem.
(102) Vellebeeck, lege Vellycke.
(103) Hattert, lege Halter.
(104) Hautbrechteghem, lege Woubrechteghem.
(105) Steenhamme, lege Eenhaeme ubi abbatia Benedictinorum.
(106) Neerhamme, lege Neer-Eenhaeme.
(107) Nysboek, alias Sinte-Denys-Boucle.
(108) Audenhove, idest, Sinte-Guerix-Audenhove.
(109) Bliesboeck, lege Blauboucle.
(110) Marienodenhove, lege Sinte-Marie-Audenhove.
(111) Asselt, lege Op-Hasselt.
(112) Clare, lege Edelaere.
(113) Lubbeghem, lege Leupeghem.
(114) Vleuseghem, alias Vloeseghem.
(115) Kesselaer, idest, capella beatæ Mariæ Kersselaer sub parochia de Edelaer.
(116) Liesse, hic locus est ignotus.
(117) Eygem, idest, Leghem.
(118) Overbrade, lege Over-Braeckel.
(119) Kerckhove, parochia, quæ semper remansit sub diœcesi Tornacensi.
(120) Ten-Bosche, vulgo Sinte-Mertens-Bosch, appendix parochiæ de Ste-Mertens-Lierde ubi Carthusia visitur.
(121) Dolaere, lege Boulaere, alias Boulers.

Hæ notæ adjectæ sunt ad distinctionem locorum, qui in bulla relati sunt, quorum nomina vel sunt infuscata vel penitus immutata.

contigerit,

contigerit, etiamsi actu nunc vacet & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam prædictam legitime devoluta, ipsaque præpositura dispositioni apostolicæ speciali vel generali reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi; eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum; super ea quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; etiam ex nunc prout ex tunc & econtra, suppressis & exstinctis illius præpositi nomine & titulo, unum archidiaconatum pro uno archidiacono, qui post cessum vel decessum eorum, qui nunc sunt archidiaconi in illa parte diœcesis Mechliniensis, talem habeat jurisdictionem, qualem archidiaconus Bruxellensis hactenus habuit; necnon in ipsa ecclesia Mechliniensi unum archipresbyteratum civitatensem nuncupandum, pro uno archipresbytero civitatensi, qui curam rectorum ecclesiarum parochialium, verbi Dei & sacramentorum civitatis Mechliniensis: & unam pœnitentiariam diœcesanam, nuncupandas dignitates inibi, pro uno pœnitentiario, qui curam conscientiarum populi per diœcesim universam Mechliniensem specialiter habeant, similiter erigimus & instituimus.

Et ut archiepiscopus Mechliniensis pro tempore existens speciali quadam prærogativa decoretur, & ecclesiam suam, quæ in meditullio dictæ ditionis existit, personis eruditis & ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munia ecclesiastica obeunda idoneis debite instructam jugiterque decoratam habeat; perpetuo statuimus & ordinamus, quod ecclesia ipsa Mechliniensis, ante Cameracensem & Trajectensem ecclesias prima sit, & illius pro tempore archiepiscopus primum locum in conciliis generalibus vel specialibus, sessionibus aliisque actibus super Cameracensem & Trajectensem archiepiscopos habeat; quodque ex omnibus canonicatibus & præbendis majoribus dictæ ecclesiæ Mechliniensis, decem, quos primo per cessum vel decessum etiam apud sedem apostolicam prædictam, aut alias vacare contigerit, etiamsi actu nunc vacent, ut præfertur, ita affecti remaneant, quod ipse archiepiscopus unum & unam primo vacaturos, tanquam mensæ suæ archiepiscopali perpetuo unitos, & quos nos similiter nunc, prout ex tunc & econtra, ipsi mensæ perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, obtinere, illorumque ratione persona capitularis esse, vocemque & auctoritatem, etiam in capitulo super decanum & canonicos habere; reliqui vero novem canonicatus & præbendæ prædicti tribus magistris aut licentiatis in theologia & tribus doctoribus decretorum seu in eis licentiatis, & tribus aliis nobilibus ejus diœcesis, etiam in jure vel theologia, saltem gradu licentiaturæ, in famosa quapiam universitate studii generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum promotis, ordine in dicta designatione expresso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant. Quodque ad sex priores, tam nobiles, quam alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus & tres præbendas ex reliquis novem hujusmodi, nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint: ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi præbendarum, consilium & operam in negotio ecclesiæ & religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab archiepiscopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim præstare teneantur. Ac unus archidiaconus ad archidiaconatum & alius archipresbyter ad archipresbyteratum, necnon reliquus ex dictis graduatis pœnitentiarius ad pœnitentiariam hujusmodi, ad nominationem dicti archiepiscopi assumi, & omnium primi post archiepiscopum vacaturos canonicatus & præbendas prædictos ordine præmisso consequi valeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus & novem præbendæ hac prima vice per prædictum archiepiscopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus, ut præfertur, A vacaverint, ad electionem archiepiscopi & aliorum graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium archiepiscopi non plus juris seu momenti, quam cujusvis ceterorum canonicorum graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc archiepiscopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat: quodque posthac ipsi novem canonicatus & novem præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus affectionibus, etiam in corpore juris clausis, necnon expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & alias disponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis, etiam per nos aut Romanos pontifices pro tempore existentes & dictam sedem apostolicam vel ejus legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, B Regum aut aliorum principum, ac ejusdem S. R. E. cardinalium, & ex quacumque causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur; nec etiam tanquam vacantes apud sedem apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam ex causa permutationis pro tempore occurrente, per Romanum pontificem aut sedem eandem de illis provideri, vel alias quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque causa infringi debeat; quodque unus ex novem canonicis prædictis magister seu licentiatus in theologia & alter decretorum doctor, seu etiam licentiatus, seniores ratione suarum præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Mechliniensem C prædictam ab archiepiscopo; ceteri vero canonici graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur; ac ex reliquis senioribus canonicis prædictis duo in theologia & unus in jure canonico graduati, ut præfertur, una cum archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines & admittendos ad curas animarum quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento, promittentem admittendo: & quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur; quod si canonici graduati prædicti ab ecclesia sua, nisi ab archiepiscopo vel capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ præbendæ fructus illius anni amittant & capitulo cedant; D ac omnes proventus singularum præbendarum dictæ ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui Divinis officiis in choro deservierint, & inibi a principio usque ad finem, excepta necessitatis causa, permanserint, ministrari debeat; nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio apostolico, quacumque causa impetrato vel concesso, se se a residentia hujusmodi eximere possit.

Ceteræ ecclesiæ civitatis sub cura dicti archipresbyteri civitatensis, extra vero eam in diœcesi Mechliniensi existentes, vel sub suis decanatibus seu archipresbyteratibus, aliisque jurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliori modo arbitrio dicti archiepiscopi distribui, ipsorumque decanatuum decani, salva dicti archiepiscopi moderatione, emolumenta hactenus percipi E solita percipere possint. Verum quia fructus & proventus dictorum decem canonicatuum & præbendarum tenuiores sunt, quam conveniat pro sustentatione virorum doctorum & gravium, qui munera præmissa obire velint, decimas ab ecclesia parochiali de Willebringa, & proventum annuum centum ducatorum a personatu de Hall, hujusmodi dismembratum, ut præfertur, eisdem decem canonicatibus & præbendis primo vacaturis, per archiepiscopum & singulos novem canonicos prædictos æquis portionibus percipiendos, perpetuo applicamus & appropriamus: necnon collationem, præsentationem, provisionem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem omnium & singulorum dignitatum, personatuum, administra-

tionum, & officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, secularium, & quorumvis ordinum regularium qualitercumque qualificatorum, ad collationem, provisionem præfati olim præpositi quomodolibet pertinentium & spectantium, archiepiscopo Mechliniensi pro tempore existenti, ita quod ipse ex nunc de cetero, de illis, prout præpositus poterat, libere & licite disponere valeat, etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus, suæque ordinariæ collationi & dispositioni adjungimus. Districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, ac dilectis filiis abbatibus, ceterisque locorum ordinariis, necnon conventibus, superioribus & personis, illique vel illis, ad quem, vel ad quos, præpositurae, personatus, & parochialis ecclesiæ ac canonicatuum, præbendarum & aliorum beneficiorum prædictorum, collatio, provisio, & quævis alia dispositio, communiter vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, necnon privationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de illis si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut alias disponere, seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant. Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, necnon privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenarie uti, potiri & gaudere debere; ac præposituram ad hoc ut de cetero de illa quoquomodo disponi valeat, de cetero vacare, & eandem & affectos decem canonicatus & decem præbendas prædictos, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum etiam juxta concordata prædicta, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquomodo acceptari non posse, & nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per nos & sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse: ac suppressionem, exstinctionem, dismembrationem, separationem, erectionem, institutionem, statutorum ordinationem, unionem, annexionem & incorporationem, applicationem, appropriationem, reservationem, concessiones & assignationes, ceteraque præmissa, ac præsentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus & limitationibus unionum & suppressionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel successores nostros tam in crastinum assumtionis cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minime includi; sed illis nonobstantibus, in suis vigore, robore & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta & de novo concessa, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac præsentes litteras hujusmodi nullo unquam tempore de subreptionis & obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quacumque ratione vel causa, vocari posse; sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores & cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cameracensi & episcopo Amerinensi, ac dilecto filio præposito Ariensi, Audomarensis seu alterius diœcesis, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni & pro tempore existentis archiepiscopi Mechliniensis, & aliorum quorum interest, vel quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra archiepiscopum Mechliniensem & alios præfatos, dismembratione, separatione, statuto, ordinatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, reservatione, concessionibus & assignationibus, & litteris & aliis in eis contentis prædictis pacifice gaudere, ac alias litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari: non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus voluntate priori, ac etiam nostra de valore tam in impetrationibus, quam aliis gratiis etiam motu simili factis exprimendo, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri probibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una & concilii generalis de duabus non tamen tribus dietis, aliisque constitutionibus & ordinationibus etiam in corpore juris clausis, vel etiam reservatoriis; necnon dictæ cancellariæ regulis etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem ordinariorum, ac alias in contrarium quomodolibet editis & edendis; necnon ecclesiarum Mechliniensium, juramento, confirmatione apostolica seu quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, necnon quibusvis specialibus & generalibus reservationibus, exspectativis & aliis gratiis, absque consensu coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus & conditionis existentibus, etiam cardinalatus honore fungentibus; ac nostris etiam antiquis ac descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac prælatis domesticis, necnon Romanæ curiæ officialibus etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu etiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis etiam irritantibus & clausulis etiam derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientia similibus, & alias quomodocumque concessis. Quas & quæ, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum quoad præmissa omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus: necnon privilegiis, indultis, exemtionibus, conservatoriis, & litteris apostolicis, ordinariis, aliisque collatoribus & personis per quoscumque Romanos pontifices & prædecessores nostros, & nos ac sedem præfatam, & per vim generalis legis & statuti perpetui, necnon initi & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritan-

tibusque & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumvis aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter, aut alias qualitercumque, quomodocumque & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis. Quibus omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita & observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissime extendenda, in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur; nihilominus in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliqua apostolica præfata, vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia Mechliniensi in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis in canonicatibus & præbendis ac dignitatibus ecclesiæ Mechliniensis hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis, vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque, ad archidiaconatum, & præposituram, & decem canonicatus, & præbendas, & alia beneficia hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum, & præbendarum aodignitatum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ dismembrationis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionum, assignationum, adjunctionis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LX. quinto idus Martii, pontificatus nostri anno secundo. Sic subscriptum: FREDERICUS cardinalis CÆSIUS, & signum A. DE ALEXIIS.

II.

Pius papa IV. unit & annectit abbatiam Affligemiensem ord. S. Benedicti cum archiepiscopatu Mechliniensi, in dotem mensæ archiepiscopalis.

1560. PIUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex, cui, ex suscepti officii debito, ecclesiarum & monasteriorum omnium cura imminet generalis, ipsarum ecclesiarum, & præsertim metropolitanarum, eisque præsidentium personarum, quas in partem sollicitudinis Altissimus evocavit, necessitatibus, ne illas debita sustentationis ope destitutas in temporalibus & spiritualibus plura pati incommoda contingat, per opportunæ subventionis præsidia providenter occurrit, & de monasteriis iisdem, interdum

A etiam antequam vacent, disponit, prout locorum & temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, alias felicis recordationis Paulus papa IV. prædecessor noster considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico etiam tunc hereditario jure subjecta erat, paucos habere episcopos, nullumque metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, ac longe lateque dissitorum castrorum & pagorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma & vitæ institutum, assiduæque hæreticorum, a quibus illa undique fere cincta atque obsessa erat, insidiæ expostulabant: his & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis

B fidei succurrere, pioque desiderio dicti Philippi regis satisfacere, Mechliniam olim oppidum diœcesis Cameracensis, a sua diœcesi & provincia diviserit & exemerit, illudque in civitatem, ac S. Rumoldi illius ecclesiam in metropolitanam ecclesiam pro uno archiepiscopo, cum mensa archiepiscopali, & aliis metropolitanæ ecclesiæ insigniis erexerit & instituerit; ac dictæ mensæ pro ejus dote annuum redditum quinque millium ducatorum auri de camera ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis per nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum specificandis & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & econtra, postquam specificati & repartiti forent, etiam perpetuo applicaverit & appropriaverit per quasdam sub plumbo, & deinde per alias in forma Brevis litte-

C ras suas, dotem ipsam a certis monasteriis & præposituris dismembrari mandaverit, prout in singulis litteris plenius continetur. Nos cupientes mensæ prædictæ de congrua dote providere, piumque & laudabile institutum prædecessoris hujusmodi prosequi atque confovere, animadvertentesque quod per dismembrationes hujusmodi, inveteratus cultus monastiicus læderetur; per unionem vero alicujus ex ipsis monasteriis eidem mensæ, loco dismembrationum hujusmodi, si fieret, archiepiscopus præfatus monasterii sic uniti curam sedulo gereret, & in illud devotionis vel quietis causa interdum secedere posset, monasterium sanctorum Petri & Pauli Affligemiense ordinis S. Benedicti, olim Cameracensis, nunc vero Mechliniensis diœcesis hujusmodi, cujus abbas pro tempore existens, primus præ-

D latus in ducatu Brabantiæ habetur; cum primum illud per cessum vel decessum dilecti filii moderni illius abbatis, etiam apud sedem apostolicam, aut alias quovismodo & ex cujuscumque persona vacare contigerit, vel etiam si nunc, ut præfertur, vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem eamdem legitime devoluta existat, & illa ex quavis causa ad sedem eamdem specialiter & generaliter pertineat, ac super dicti monasterii regimine & administratione inter aliquos lis, aut super illorum possessorio, vel quasi, molestia, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis, ex nunc prout ex tunc, & econtra, mensæ prædictæ, ita quod ex tunc & deinceps dilecti filii conventus dicti mona-

E sterii, & singulares illius personæ archiepiscopo Mechliniensi pro tempore existenti sicuti abbati in omnibus & per omnia subsint, eique promittant & præstent obedientiam, prout olim ipsi abbati præstare tenebantur; liceatque eidem archiepiscopo per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem, seu quasi, regiminis & administrationis, ac bonorum ejusdem monasterii propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus in suos ac mensæ & monasterii prædictorum usus & utilitatem convertere; necnon omnia & singula, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, & officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura,

sæcularia & quorumvis ordinum regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentis abbatis dicti monasterii communiter vel divisim quomodolibet spectantia, illorum pro tempore occurrente vacatione, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, ac similes personas ad illa præsentare & eligere, præsentatasque & electas in illis instituere & confirmare, ac alias de illis libere disponere, monasteriumque & conventum, hujusmodi sub præposito reformato in reformatione facta in capitulo generali Bursfeldensi nuncupato dicti ordinis ab annis fere quadraginta in ipso monasterio recepta dirigere; ac his, quæ ad honestum vitæ usum & ejusdem monasterii eleemosynas, ac Divini cultus in eo & conventus ipsius conservationem & sustentationem solitas & consuetas ac debitas pertinent, prospicere, cujusvis licentia desuper minime requisita, de fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; curam dicti monasterii ac hujusmodi regimen & administrationem eidem archiepiscopo in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, bonaque, necnon fructus, redditus & proventus monasterii hujusmodi, dictæ mensæ pro

A illius dote constituendo & assignando: non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis; necnon felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. etiam prædecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus, ac monasterii & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, divinus cultus & solitus monachorum & ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, sed ejus & conventus eorumdem congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ unionis, annexionis, incorporationis & vo-
B luntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dom. M. D. LX. sexto idus Martii, pontificatus nostri anno secundo. Erat signatum: CÆSAR GLORIERIUS, & in plica A. DE ALEXIIS; sub plica vero FREDERICUS cardinalis CÆSIUS.

INSTRUMENTA
AD
PROVINCIAM MOGUNTINENSEM
PERTINENTIA.

QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM MOGUNTINAM.

I.

Circa 750. Ex Mir. nov. edit. pag. 640.

S. Bonifacii Moguntini archiepiscopi epistola, ad Zachariam papam circa an. 750. scripta de Monasterio Fuldensi, quod construxerat.

REverentissimo patri, dilectissimo domino, cum timore & honore venerando magistro, Apostolici honoris privilegio prædito, pontificatus infula apostolicæ sedis sublimato, Zachariæ, Bonifacius exiguus servus vester, licet indignus & ultimus, tamen legatus Germanicus devotissimus, optabilem in Christo immarcessibilis caritatis salutem. Est locus silvaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo monasterium construentes monachos constituimus sub regula S. patris Benedicti viventes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum supradictum, per viros religiosos & Deum timentes, maxime Carolomannum quondam principem Francorum, justo labore acquisivi, & in honore S. Salvatoris dedicavi. In quo loco, cum consensu pietatis vestræ, proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem jacere. Quatuor enim populi, quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci hujus habitare dinoscuntur, quibus, cum vestra intercessione, quandiu vivo vel sapio, utilis esse possum.

Cupio enim vestris orationibus, comitante gratia, in familiaritate Romanæ ecclesiæ & vestro servitio, inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare & præcepto vestro obedire.

II.

Ex veteri membrana an. 751. inquit, Schannatius in Hierarchia Fuld. pag. 233.

Privilegium Zachariæ Pontificis, quo monasterium Fuldense simul cum locis ac rebus universis ad idem spectantibus, in proximam sanctæ sedis apostolicæ protectionem suscipit, necnon ab omni alia jurisdictione liberum declarat.

ZACHARIAS papa Bonifacio episcopo, & per eum in monasterio ab eo constructo, successim [a] abbatibus in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni [b] conditoris piæ constructionis auctoritas [c] in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium Salvatoris a te constructum [d] in loco, qui vocatur *Boconia* [e] erga ripam fluminis Vultaha, [f] privilegii sedis apostolicæ insulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ,

[a] Successuris, *ex Miræo novæ edit. t. 1. p. 640.* [b] devotio, *ibid.* [c] oraculo, *ibid.* [d] situm in loco, *ibid.* [e] Buchonia, *ibid.* [f] Fuldæ, *ibid.*

A cui Domino [g] auctore deservimus, ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus [h] submittatur; pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate, id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, aut [i] auctoritatem, præter sedem apostolicam prohibemus: Ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino [k] celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum [l] apostolicæ sedi firmitate privilegii consistere inconcusse dotatum permaneat, locis & rebus tam eis quas moderno

B tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis & oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur, &c. Data pridie nonas Novembris, imperante domino Augusto Constantino, anno XXXII. imperii ejus, indictione V.

[g] Deo, *ibid.* [h] ditionibus, *ibid.* [i] hac auctoritate, *ibid.* [k] omnimodo, *ibid.* [l] subjecti apostolicis privilegiis consistunt, inconcusse locus dotatus permaneat. *Hic explicit.*

III.

Circa an. 751. ex Mir. novæ edit. pag. 641.

Zachariæ papæ epistola ad S. Bonifacium archiep. qua Moguntinam sedem in metropolim erigit,

C *& quinque civitates, videlicet Tungrensem, Coloniensem, Wormatiensem, Spirensem & Ultrajectensem eidem subjicit.*

REverentissimo & sanctissimo fratri Bonifacio coepiscopo, Zacharias, servus servorum Dei. Qualiter Dominus Deus noster sanctæ Ecclesiæ propitiatus sit, & laboribus sanctissimæ fraternitatis tuæ cooperator extiterit, per singula edicere longum est: tamen ut hæc quæ objicimus confirmemus, quæ ex parte, te narrante, perspeximus, enarramus. Igitur dum in Germania provincia, tua fraterna sanctitas ad prædicandum fuisset directa a sanctæ recordationis prædecessore nostro domno Gregorio papa, & post inchoatum opus, & aliqua ex parte spiritaliter ædificatum, Romam reversus, ab eo

D episcopus ordinatus, & illic ad prædicandum denuo remissus es, & elaborasti, Deo prævio, nunc usque per annos XXV. in eadem prædicatione, ex quo episcopatum suscepisti. Sed & in provincia Francorum nostra vice concilium egisti, & juxta Canonum Instituta, Deo eis annuente, omnes flexi sunt obedire. Et dum in his piis operibus occupata esset tua fraternitas, nunc usque cathedralem sedem minime sibi vindicavit. At vero ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, ut tibi cathedralem ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem filiorum Francorum petitionem. Et idcirco B. Petri apostoli auctoritate sancimus, ut supradicta ecclesia Moguntina perpetuis

temporibus tibi, & successoribus tuis, in metropolim sit confirmata, habens sub se has quinque civitates, id est, Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam, & Trectis*, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit. His a nobis definitis, per hujus confirmationis paginam, in tua ecclesia perpetuis temporibus pro tui confirmatione conservandam esse mandamus. Bene valete. Data pridie nonas Novembris, imperante domino piissimo Augusto Constantino magno, imperatore anno XXXII. P. C. ejus anno XI. indictione V.

* Trajectum ad Rhenum.

IV.

Ex autographo an. 755.

Pippini regis præceptum, quo fundationem monasterii Fuldensis a Carolomanno fratre inchoatam, ac ejusdem immunitates, secundum Zachariæ Pontificis decretum iterato confirmat.

PIPPINUS rex Francorum vir inluster Bonifacio archiepiscopo & legato Germanico, ab apostolica sede directo. Quia paternitas tua nostram Excellentiam postulavit pro monasterio, quod a te noviter constructum est in solitudine Boconia, juxta fluvium Vuldaha, in loco, quem beatæ memoriæ Carlomannus germanus noster legitima donatione tibi concessit, ut sicut ex auctoritate S. Petri principis apostolorum, pro quo legatione fungeris, privilegio sanctæ sedis apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis præcepto roboretur, placuit nobis petitionibus tuis assensum præbere, & ideo hanc nostræ præceptionis seriem ob honorem Dei & venerationem S. Petri conscribi jussimus, per quam privilegium sanctæ sedis apostolicæ a beato papa Zacharia tibi collatum, cum consensu episcoporum, ceterorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus, præcipientes, ut nullus sacerdotum in regno nostro divinitus nobis concesso in præfato monasterio ditionem aliquam sibi vindicet præter sedem apostolicam; ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia quisquam celebrare præsumat, sed juxta id quod subjectum constat apostolicæ sedi, firmitate privilegii inconcusse roboratum permaneat, locis & rebus, tam eis, quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus, juri ipsius monasterii divina pietas augere voluerit, ex donis & oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur: si autem quispiam huic nostræ auctoritatis præcepto repugnare voluerit, sententiam apostolicæ districtionis, quæ in privilegio est, experiatur, & tamen hoc, quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri nostra auctoritate firmavimus, stabile permaneat manu nostra roboratum, & tam anuli nostri impressione, quam fidelium nostrorum adstipulatione subnixum. ✠ Signum Pippini gloriosissimi regis. ✠ Signum Bonifacii archiepiscopi, &c. In Dei nomine Badilo recognovit & scripsit. Data mense Junio, anno primo regni nostri. Actum Astiniaco palatio publico in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Diploma Henrici IV. imp. quo fundationem & privilegia Reinhartsbornensis cœnobii confirmat.

1089. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Henricus, Divina clementia Romanorum imperator Augustus, omnibus tam præsentibus quam futuri temporis fidelibus notum esse volumus, quod in regno nostro regulare quoddam monasterium situm est in confinio Loibæ silvæ *Reginherisbrunno* nuncupatum, in honore sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, sanctique Johannis Evangelistæ constructum honorifice a Ludovico, religioso comite, ejusque conjuge Adelheida primum ob spem & præmium vitæ æternæ, ob remissionem omnium peccatorum, ob salutem corporum, & sempiternam requiem animarum, ob memoriam quotidianam sui suorumque omnium, regum quoque & episcoporum, principum & omnium, ejusdem loci statum & honorem diligentium & defendentium, cunctorumque Christi fidelium, & ut cunctis Christi pauperibus beneficum illic semper pro posse pateat receptaculum. Igitur ex propriis prædiorum impensis, idem monasterium centum quinquaginta mansis inde circumquaque adjacentibus cum mancipiis utriusque sexus quamplurimis dotando ditavit, prænominata conjuge, ipsius filiis & filiabus in hoc sibi omnino consentaneis, & ne unquam a posteris suis Dei servitium deinceps illic deseri possit, constituit, eandem cellam cum omnibus suis pertinentiis, non subdi, nec subesse jugo alicujus terrenæ personæ vel potestatis, sed liberam a nobis sanctæ Romanæ adscribi ecclesiæ, sanctorumque Petri & Pauli habere gubernationem, necnon Romani pontificis defensionem, Romæ quoque per quinquennium Lateranensi palatio ad luminaria concinnanda, decem solidos persolvere, sicque eam totius libertatis jure & privilegio adaugens omni proprietate & servitio, cum conjuge, filiis & filiabus omnino & fideliter abdicavit, & abbati Gisilberto ejusque successoribus in dispositionem liberam fratribus Deo sub regula monastica inibi servientibus contradidit ad utilitatem: ad hæc etiam, ut fratres cœnobii ipsius nunc inibi congregati & adhuc in Christo congregandi, tutius ac liberius Domino Deo servire possint, hujusmodi eos libertatis munere donavit, ut quandocunque patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam S. Benedicti inter se, & undecunque opus fuerit, abbatem sui ordinis sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi, advocati tutela, quando & ipsa videtur eis necessaria, prædictus comes, sicut ab eisdem fratribus est electus advocatus, quandiu vixerit, permanebit & ex posteris ejus, qui idoneus huic dignitati fuerit; nullus tamen unquam advocatus esse præsumat, nisi quem fratres communi consilio providerint eligendum, qui si illorum & monasterii per omnia studeat commoditatibus, diligatur: sin autem avarus, nec illorum commoda, sed sua quærens lucra, habeant potestatem alium sibi eligere, & hunc ex auctoritate Petri & Pauli reprobare: hic itaque, abbate petente, a Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si necesse fuerit, ubicunque vel quando abbati placuerit, invitatus ab illo veniat, & ibi placitum justum pro necessitatibus & causis monasterii rite peragat, nullum vero aliud servitium, jus, aut beneficium sibi per hoc concedi cognoscat, nisi tertium bannum & consuetudinariam justitiam, videlicet super fures, proterviam & cetera talia, magisque inde, quod præcipuum est, æternam omnipotentiam Dei speret retributionem, nullomodo, nisi abbate volente & advocante, bona & loca monasterii suis frequentiis temerariis & sine causa adeat vel attingat, nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet vel pernoctandi licentiam habeat, nec subadvocatum pro se faciat, nec omnino aliquam calumniam seu pervasionem monasterio aut familia faciat.

Nos quoque petitioni præfati comitis & abbatis Gisilberti, qui nunc eidem cellæ Reginherisbrunn præest, annuentes, firmiter statuimus, quod si quispiam posterorum suorum, vel quicumque homo personarum unam, vineam, unum mansum, vel saltem unum mancipium, sive tale aliquid a supra dicta cella temerarius injuste abstulerit, Regia auctoritate coactus tria auri talenta ad ærarium nostrum persolvat, primitus reddito ecclesiæ, quod invaserat; si vero quilibet eorum (quod absit) curtim vel aliquam villam inde idem violentus quocumque ingenio abalienaverit, vel hoc testamentum pervertere vel infringere attemptaverit, decem auri libras ad regiam idem persolvat cameram, primitus reddito, quod ablatum fuerat. Super hæc omnia comes sæpe dictus apostolicum privilegium acquisivit, ut libertatis istius

& traditionis statuta tanto firmiora permaneant. Ut autem prædictæ traditionis & libertatis status & omnia prædicta statuta ea ratione, qua Deo & sanctis ejus destinata sunt, ab hac die & omni ævo in Christo rata & inconvulsa permaneant, hanc chartam testamentariam, prædicti comitis, abbatisque rogatu inde conscribi, manuque propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Hunbertus cancellarius, vice Rudhardi archichancellarii recognovi. Data V. idus Aug. anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIX. indict. XII. anno Domini Henrici III. imperat. imperii VI. regni autem XXIII. Actum Moguntiæ in Christo feliciter. Amen.

Editum est a Schannatio lib. cui titulus Vindemiæ litterariæ, pag. 106.

VI.

Ex chron. Sponheim.

Confirmatio fundationis abbatiæ Sponheimensis.

1124. IN nomine S. & individuæ Trinitatis: Ego Adelbertus Dei misericordia hujus sanctæ Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus, notum esse cupimus omnibus tam futuræ, quam præsentis ætatis fidelibus, quomodo dominus Megenhardus de Sponheim, & uxor ejus Machthildis, comes Rudolfus, & uxor ejus Reggat (Richardis) divinæ inspirationis instinctu, spontanei ad altare S. Martini accesserunt, & pro se, suorumque incolumitate, & ob spem æternæ retributionis, ecclesiam in Sponheim, cum omni proprietate & justitia, quam hereditario jure usque in illam diem possederant, pia devotione ecclesiæ Moguntinæ in perpetuam proprietatem contulerunt: sub hac scilicet conditione, ut monachi secundum regulam S. Benedicti ibidem constituerentur, per quos juges Deo laudes & pro ipsis supplicationes in eadem ecclesia frequentarentur. Hæc autem sunt beneficia & prædia ad prædictam ecclesiam pertinentia: decima ejusdem villæ cum familia & dominicali terra, in agris, vineis, hortis, pratis, pascuis, silvis, cultis, incultis, colendis, viis & inviis. In Petersheim duo mansi & duo jugera vinearum. In Dromersheim dimidius mansus & quatuor vineæ. In Mannendal mansus. In Bogenaw duo; in Awen quatuor & quarta pars. In Montzechaarea cum ædificiis, & XII. jugera vinearum. In Wergesbach duo mansi. In Escelbrunnen VIII maldra tritici, & XVI. siliginis, de manso qui vocatur Eberhardi. Hæc autem sunt, quæ prædictus Megenhardus pro se & eamdem ecclesiam pro beneficio tradidit. Novem mansi in Husen & in Slirscheit, cum dominicali terra & sylva, quam ibi possederat. In Dalen XL. mansi, in agris, areis, vineis, pratis & sylvis. Addidit etiam prædictis bonis præfata domina Riggart pratum unum & hortum oleribus plantandum accommodatum, cum duobus agris eidem prato contiguis. Facta autem a supra nominatis viris sine omni contradictione, nos eam banni nostri obligatione firmavimus. Insuper præfatam ecclesiam eadem libertate, honore & justitia donavimus, qua & ceteræ in episcopatu nostro utuntur abbatiæ & monasteria, scilicet ut solum episcopum respiciat, & ut fratres Deo ibidem militantes, spirituali patre orbati, inter se alium, si tantum idoneum invenerint, eligant. Quod si idoneam ad id officii personam inter se non habuerint, libertatem habeant eligendi alium suæ vitæ & institutionis, de quacumque voluerint congregatione, intra nostram tamen diœcesim. Præterea solutionem ejusdem ecclesiæ, quæ nos contingebat, rogatu dominorum supra nominatorum in perpetuum eis remisimus, & ut parochianus presbyter ad abbatem respiceret in hunc modum; videlicet ut ab ipso, beneficio ecclesiæ, a minori vero præposito altaris dono investiretur, statuimus. Hoc etiam utrimque odictum vel collaudatum est, ut senior de cognatione illa advocatus sit ejusdem ecclesiæ; qui si nominis & officii sui immemor, ecclesiam, vel possessiones eas, quibus tutator & conservator præordinatus est, versa vice dissipaverit, in nostra vel successoris nostri sit potestate eum corrigere ac ad emendationem cogere. Ut autem hæc omnia rata & inconvulsa sequenti ævo permaneant, hanc chartam conscribi & sigillo nostro insigniri fecimus. Hujus rei testes affuerunt Buggo Wormatiensis episcopus, Dudo major præpositus, Richardus præpositus, Volbertus abbas S. Albani, Werenboldus abbas S. Jacobi, Adelhun abbas S. Disipodi, Henricus præpos. S. Victoris, Cuno decanus de Domo, Thurinbertus magister, Anshelmus præpositus, Hartmannus præpositus, Henricus Bingensis præpositus, Arnoldus præpositus, & alii quamplures ex clero. De laicis autem, Arnoldus urbis præfectus, comes Goswinus & filius ejus Gerardus, & frater ejus Emicho: Arnoldus & frater ejus Rupertus de Luremburck, comes Fridericus Bertolfus, & frater ejus Sigefridus Henricus de Catzenelenbogen, &c. Suscepta est autem donatio per manus advocati comitis Gozwini, anno Dom. Incarn. MCXXIV. indict. secunda, regnante Henrico imperatore hujus nominis quarto, Arnoldo urbis præfecto, Ernesto sculteto. Data per manus Godescalci capellani, VII. idus Junii.

VII.

Ex chron. Sponheim.

Charta Henrici V. imperatoris fundationem Sponheimensis abbatiæ confirmantis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Henricus divina favente clementia Romanorum imperator 1125.
Augustus, omnibus Christi & nostri fidelibus tam futuris, quam præsentibus notum esse volumus, qualiter Megenhardus comes de Sponheim, assentiente & cooperante Mechtilde uxore sua, superna aspiratione motus, pro sua suorumque salute & incolumitate, monasterium in suo comitatu fundavit in honorem S. Mariæ virginis & S. Martini episcopi, quod de suo patrimonio legitime dotavit, instituens in eo viros religiosos, qui sub regula S. Benedicti & abbate, omnipotentem Deum perpetuis futurisque temporibus collaudarent, & pro ipso & pro genitoribus suis preces funderent devotas: jus etiam advocati, quo eos post mortem suam voluit esse liberos ab omni servitio, exactione, precaria, & quibuslibet aliis oneribus & gravaminibus, fecit conscribi & suo sigillo communiri, tradiditque abbati & fratribus ejusdem monasterii, quod etiam dicitur *Sponheim*. Quæ omnia Adelbertus archiepisc. Mogunt. in cujus parochia monasterium ipsum constructum est, banno suo confirmavit. Unde præfatus comes Megenhardus ad majoris stabilitatis augmentum a nobis postulavit, opus tam sanctum & pium, nostra imperiali auctoritate confirmari, ne qua malevolentia posterorum queat infirmari; eo quod sæpe benefacta majorum mutantur, succedentium juniorum pravitate, si non fuerint imperiali majestate confirmata. Et quia nos divina miseratio ad regni solium provexit, ut ecclesiis ac monasteriis in regno nostro constitutis regali provisione consulamus, eorumque jura & possessiones ab omni injuria tueamur, eamdem ecclesiam, seu monasterium in Sponheim, cum omnibus rebus, possessionibus, juribus ac proprietatibus, sub tutela ac protectione regiæ defensionis nostræ & Romani imperii perpetuæ suscipimus; districte inhibentes tam præsentibus, quam futuris, sub pœna criminis læsæ-majestatis imperialis, ne quis molestiam, injuriam, vel damnum aliquod inferat dictæ abbatiæ de Sponheim, quam omni libertate gaudere volumus, qua & ceteræ abbatiæ in regno nostro gaudere noscuntur, in rebus, personis, familia, proprietate, donationibus factis seu in futuris rite faciendis. Advocatus autem, qui pro tempore fuerit, si legem sibi a sæpe dicto comite Megenhardo constitutam temere transgressus fuerit, usque tertio admonitus per archiepisc. Moguntinum, abbate contra eum querelam faciente, si non emendaverit, tali honore

privetur, & alius, qui utilis sit ecclesiæ, de consilio & assensu abbatis & fratrum subrogetur in locum ejus. Ut autem hæc charta perpetuo inconvulsa permaneat, neque cujusdam temeritas labefactare præsumat, imperiali auctoritate & banno nostro eam roboravimus, manuque nostra notatam sigilli nostri impressione munivimus. Datum VI. cal. Martii anno Dom. Incarn. 1125. ind. tertia, anno XXVI. ordinationis domini Henrici quinti regis Romanorum, regni autem XIX. imperii vero ejus XV. Actum est Moguntiæ, in nomine Domini. Amen. A

VIII.

Ex chron. Sponheim.

Altera fundationis ejusdem monasterii confirmatio.

1125. IN nomine S. & individuæ Trinitatis: Ego Megenhardus Dei gratia comes de Sponheim, notum esse cupio omnibus Christi fidelibus tam præsentibus, quam & futuris: quod cum genitor noster Stephanus comes de Sponheim ecclesiam suam in Monte-campi juxta villam Sponheim positam in monasterium erigere statuisset, ac morte præventus, opere imperfecto, mihi illud perficere committeret; Ego accedente ad hoc consensu Mechtildis uxoris meæ & fratris mei comitis Rodolfi, pro remedio animæ meæ, inchoatum a patre opus perfeci, monachos illic secundum regulam S. Benedicti posui, quibus de victu ex patrimonio meo providi, ipsumque locum cum omnibus bonis suis liberum, perpetuo in manus domini mei Adelberti archiepiscopi Moguntinensis, legati apostolicæ sedis, tradidi ad altare S. Martini. Advocatum vero, quamdiu vixero, ejusdem monasterii non alium, quam meipsum esse volui. Post mortem vero meam, senior ex filiis meis, qui dominus fuerit in Creutzenacht, & post eum semper senior de cognatione mea comes de Sponheim & dominus de Creutzenacht, advocatiam præfati monasterii gerat. Qui si nominis & officii sui oblitus, bona monasterii vel personas, quibus tutor & defensor esse debuerat, invadere, molestare, vel dissipare voluerit, abbas cum fratribus deferat querelam contra eum ad examen archiepiscopi Moguntini, qui habet eum corrigere & emendare. Quod si tertio ab archiepiscopo præmonitus non emendaverit, satisfaciens pro damno & injuriis monasterio factis, potestatem habeat idem archiepiscopus, de consensu ac voluntate abbatis & fratrum, illum amovere, & eis alium dare advocatum, quem ipsi elegerint. Et hoc totiens faciat, quotiens necessarium abbati & fratribus visum fuerit; semper talem instituens, qui potentia & benignitate & tuendi oportunitate magis idoneus est. Caveat autem advocatus, ne ecclesiam in bonis, seu familia aliquando gravet, neque servitia vel exactiones aliquas, seu precarias exigat, sed omnino liberos conservet. Ad placitum publicum in terminis monasterii non sedebit, nisi ab abbate fuerit invitatus. Cum autem invitatus venerit, sic ei serviatur, ut & honori ejus sit congruum & pati possit a fratribus, ne nimia comitiva aut sumptuum magnitudine ipsi fratres, Deo servientes contristentur. Ita ergo in omnibus agat, tam pium, benignum, & modestum, familiæ & rebus monasterii se præbens, ut suo dignus sit nomine & pro officio propter Deum fideliter impleto, mercedem ab ipso recipiat vitam æternam. Ut autem hæc omnia rata & inconvulsa omni ævo permaneant, chartam hanc inde conscribi feci & eam sigilli mei impressione communivi. Testes hujus voluntatis meæ præsentes fuerunt dominus meus Adelbertus Moguntinensis, Bruno episcopus Argentinensis, Berinhelmus abbas præfati monasterii & tota congregatio, Adelhun abbas S. Disipodi, Hermannus præpositus de Schwabenheim, Goswinus de Lurburck, Dudo comes, Ernestus vicedominus, Adelbertus Warmundus scultetus, Henricus Udalricus de Stein, & complures alii. Acta sunt hæc anno Dom. Incarn. MCXXV. ind. III. XII. cal. Septembris.

IX.

Bulla, seu diploma Honorii II. papæ quo fundationem abbatiæ Sponheimensis confirmat.

Ex chron. Sponheim.

HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bernhelmo abbati monasterii sancti Martini in Sponheim, ord. S. Bened. Moguntinensis diœcesis, ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. 1127. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum. Eapropter, dilecte fili, tuis, fratrumque tuorum justis postulationibus annuentes, præfatum monasterium Sponheimense, cui, auctore Deo, præsides, sub apostolicæ sedis tutela & protectione suscipimus, B atque præsentis scripti pagina communivimus, decernentes & statuentes, ut regularis vita in eodem loco tam noviter instituta secundum regulam S. Benedicti, futuris temporibus inviolabiliter conservetur. Nulli etiam facultas sit post factam apud vos professionem sine abbatis licentia, majoris vel minoris religionis obtentu ad alium locum transmeare. Quod si quis contra hanc prohibitionem nostram quocumque tempore in futurum discesserit, nullus abbas, aut quilibet audeat eum retinere. Quoties, abbate abeunte, de successore fuerit inter fratres ipsius loci tractandum, nullus inibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia cujusvis potestatis, sive ecclesiasticæ, sive temporalis, intrudatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & B Benedicti regu- C lam, de eodem collegio, vel de alio, si quod absit, idoneum inter se non invenerint, duxerint eligendum. Porro altarium consecrationem, chrisma, oleum sanctum, benedictionem abbatum & ordinationem monachorum a diœcesano ejusdem parochiæ archiepiscopo, siquidem gratiam & communionem apostolicæ sedis habuit, & si ea gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere, suscipiatur. Alioquin liceat vobis & posteris vestris, catholicum, quem volueritis, adire antistitem, & ab eo consecrationes & sacramenta suscipere. Sepulturam quoque istius loci liberam esse omnino censemus, ut eorum, qui illic sepeliri desideraverint, nisi forte excommunicati fuerint, devotioni & voluntati nemo obsistat. Possessiones quoque omnes, quas justo titulo possidetis, & in futurum quorumcumqe oblatione ac- D quiretis, auctoritate apostolica confirmamus, decernentes, quod nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel quomodolibet ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus perturbare, sed omnia integra vestris & pauperum usibus conserventur profutura. Si quis autem in posterum archiepiscopus, episcopus, Rex, dux, vel comes, vel cujuslibet ordinis princeps, seu quælibet ecclesiastica, secularisve persona hanc constitutionis nostræ paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, & si non subito satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini Dei nostri Redemtoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. E Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Data per manus diaconi sanctæ sedis apostolicæ, X. calend. Aprilis, indictione quinta, Incarnat. Dom. MCXXVII. pontificatus nostri anno tertio.

X.

Ex chron. Spanheim.

Adelberti senioris archiepiscopi Moguntini charta, qua præposituram Montis S. Johan. Bapt. in Ringavia in abbatiam erigit.

1130. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Adelbertus Dei gratia Moguntinus archiepisc. & apost. sedis legatus; omnibus Christi fidelibus, tam futuris, quam præsentibus notum esse cupio, dominum Ruthardum bonæ memoriæ antecessorem nostrum ecclesiæ S. Albani, montem quemdam in Ringavia, qui vocatur *Bischoffsberg*, potestiva manu tradidisse, ea videlicet ratione, ut fidelium circumquaque positorum auxilio, monasticæ ibidem vitæ institueretur religio. Cumque ex parte monasterium in eodem loco constructum fuisset, & ad dedicandum altare prædictus antecessor noster vocatus fuisset, volens laboris eorum, qui ad locum eumdem excolendum manum porrexerant, particeps existere, circumpositi nemoris aliquantam partem, usque ad alveum, qui dicitur *Hunenklingen*, & ita deorsum, usque ad locum, qui dicitur *Kalenberg*, in Septentrionali montis plaga, & in aliis tribus plagis, usque ad ruralia loca, in dotem supra sacras reliquias delegavit. Insuper & censum dimidii mansi in Winckela, qui ad jus episcopale pertinebat, addidit; quem eidem monasterio Ruthardus, filius Regesonis, & quidam Rabodo & Damburg, ibidem reclusi, pro remedio animæ contulerunt. Statutum est etiam a prædicto archiepiscopo, ut singulis annis a mercatoribus, tam Moguntinis, quam provincialibus nundinæ in Nativitate S. Johannis Bapt. ibi habeantur, omnemque utilitatem, quæ episcopo inde provenire posset, fratribus ejusdem loci contradidit. Præterea Richolfus comes in Ringavia & uxor ejus Clanckmodis, & filius eorum Ludovicus, communi consensu, bona inferius descripta, S. Johanni, in cujus honore principale altare supradicti monasterii dedicatum est, solemniter & sine omni contradictione donaverunt: videlicet curtim, quæ e regione montis proxima adjacet, cum appendente sibi prædiolo, vineis scilicet atque arboribus, molendino, vivario, pratis & hortis. Item vineam unam juxta Winckelam, quæ vocatur Ezelonis, alteram in campo, tertiam juxta curtim, quartam in Culersberg, quintam in ejusdem montis latere Orientali, sextam ad radicem montis, juxta aquæ ductum, & arabilis terræ partes quatuor. Obtulerunt etiam filium suum & filiam in eodem loco ad serviendum Deo & S. Johanni, quibus prædicta bona jure hereditario provenissent, si in seculo remansissent.

Nostris itaque temporibus, cum facultas ejusdem ecclesiæ, divina operante clementia, excresceret, & ipsa sibi sufficiens proprium pastorem expeteret; visum est nobis, ut statum ipsius in melius verteremus, & de adipiscenda ei libertate ageremus. Adhibito igitur nobiscum Henrico, majoris ecclesiæ præposito, & aliis quampluribus personis religiosis & sapientibus, dominum abbatem S. Albani adivimus, ejusque & fratrum suorum omnium assensu & voluntate obtinuimus, ut prænotata S. Johannis ecclesia, a priori subjectione libera, deinceps liberum de eligendo sibi abbate arbitrium retineret, libereque & canonice electum nobis vel successoribus nostris, baculum de manu episcopi suscepturum & consecrandum præsentaret. Hac ergo a prædicto Wernhero abbate & ejus fratribus concessione impetrata, postquam de manu & potestate eorum præmissam ecclesiam, abbatum, archidiaconorum & aliarum personarum nostrarum consilio & approbatione absolvimus, bona quædam in Lorcha prædictorum fratrum usibus antea tributa, partem quoque decimæ, in Burnheim ab eisdem fratribus jam multis annis possessam, abbati & fratribus S. Albani, justa & legitima recompensatione absolute & nullo contradicente donavimus. Insuper filiæ Richolfi comitis, juxta monasterium A S. Albani reclusæ, de Culersberg singulis annis vitæ suæ carratam vini & marcam argenti donari, & post ipsius obitum idem beneficium ad S. Johannis ecclesiam referri statuimus. Concessimus etiam ipsorum fratrum rogatu, ut quicumque fidelium ibidem baptisari aut sepeliri voluerint, omni contradictione presbyteri sui parochiani cessante, baptismum & sepulturam illic quietam inveniant. Præterea colonos prædictorum fratrum in eodem monte sub eis commanentes, ea libertate donavimus, ut supra justitiam, quæ vel de capitibus suis, vel de prædiorum episcopalium reditibus persolvere debent, nulli officialium nostrorum respondere habeant, quin potius ab omni exactione & pulsatione liberi, soli abbati placidam & quietam servitatem exhibeant. Item etiam a prædicto loco omnes B advocatos exclusimus, soliusque archiepiscopi patrocinio eum tutandum & defensandum reliquimus. Post hæc omnia competenti ordine observato abbatem eidem loco dominum Eigelwardum solemniter consecratum, præfecimus, concedentes atque confirmantes, ut quotiescumque ejusdem fratribus pater monasterii ordinandus fuerit, is tantum, quem communi consilio & assensu, dictante Spiritu sancto unanimiter elegerint, ab archiepiscopo investiatur. Hujus autem rei series ut stabilis & inconvulsa perseveret, paginam hanc imaginis nostræ impressione signavimus. Si quis vero, quod tam legitime factum est, infringere conabitur, eum anathematis gladio, donec resipiscat, percutimus. Testes sunt Wernholdus abbas S. Jacob. Henricus majoris ecclesiæ præpositus, Cuno custos & decanus, & alii C complures. Acta sunt hæc anno ab Incatione Domini MCXXX. ind. VIII. regnante Lothario Romanorum rege gloriosissimo, anno regni sui IV.

XI.

Adalbertus I. archiepisc. Moguntin. cives Moguntinenses privilegiis exornat.

IN nomine sanctæ Trinitatis: Adalbertus Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus, &c. Cognoscat futurorum per me successio, quantus ex alto prosperitatem comitentur casus, & dejectio; in medio enim prosperitatis meæ cursu, Henricus quintus, ut nostis, Imperator, post multa D beneficia, non nisi propter Romanæ ecclesiæ obedientiam, carceris etiam mihi captivo tenebras intulit & latibula. Ibi profecto longo manens tempore, primi pastoris omnium consolationem, dicentis; *si quid patimini propter justitiam, beati*; reduxi memoriæ. Memini etiam in mœrore, Isaiam incarceratum insectioni serræ servatum, Danielem innocentem de lacu leonum liberatum. Denique per multas tribulationes contritos corde visitans ex alto Deus, corda fidelium Moguntinensis metropolis ad hoc permovit, ut suum conarentur liberare captivum. Tamdiu itaque clerici, comites, liberi cum civibus & familia præfato Imperatori Henrico insistentes elaboraverunt, donec me tandem datis obsidibus, caris filiis & propinquis, corpore ex toto attenuatum, vix semivivum, sicut fideles filii patrem, in sua receperunt, sed quam caute, quam ho- E neste, quam juste obsides haberentur, sine mœrore nemo loqui poterit. Nam alii membris truncati redierunt, alii fame, alii exilio deputati, alii nuditate & coporis ægritudine præoccupati perierunt. Hæc & his similia fideles Moguntinensis civitatis cives pro justitia passi sunt. Quæ vero in defensionem civitatis suique honoris pertulerunt, satis omni regno patet. Mihi igitur cogitanti, quid eorum bonis & tantis recompensarem meritis, occurrit, ut sicut ipsi pariter meo communicaverunt labori, sic omnium aliquid conferrem honori & utilitati: communicato ergo primorum consilio, clericorum dico, comitum, liberorum, familiæ & civium, habitantes infra ambitum muri civitatis præfatæ, & manere volentes hoc jure donavi, ut nullius

1135.

1. Petri, c.3. N.14.

advocati placita vel exactiones extra murum expeterent; sed intra, sui nativi juris essent sine exactoris violentia. Ut autem hæc donatio rata ad posteros transeat, sigillo nostro confirmantes, subscriptis testibus signari jussimus. Huic quidem primæ traditioni interfuerunt viri venerabiles, Bruno Spirensis episcopus, Bocco Wormatiensis, Embricho Erbipolensis, Anshelmus majoris ecclesiæ præpositus, Ceizolfus decanus, Richardus cantor, Arnold præfectus civitatis. Fridericus comes de Arnesburg, Herman de Binscheburg, Sigebert & Friderich comites de Saresburgen, comes Gosvvinus de Satlechæ, comes Bertholdus de Noring, Reginboldus & Gerlacus de Isemberg. Se- A cundæ confirmationi interfuerunt, Henricus majoris ecclesiæ, & sancti Victoris præpositus, Adelbertus præpositus, Henricus Custos, Hartmannus decanus, Gusbertus præpositus, Wilhelmus comes de Luzelenburg, dux Fredericus, item præfectus civitatis Arnoldus comes & frater ejus Rupertus de Luzenburg, comes Herim. de Salm, & frater ejus Otho de Rinech, Emmecho comes & frater ejus, Gerlacus comes, Gerhardus & frater Henricus de Berebach, Henricus de Caceneleboge, &c. Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarn. MCXXXV. indict. XII. & confirmata regnante domino Lothario imperatore ejusdem nominis III. anno regni ejus IX. imperii vero II. feliciter.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM WORMATIENSEM SPECTANTIA.

I.

Præceptum Dagoberti regis pro eccl. Wormatiensi tempore Amandi episcopi.

627. DAGOBERTUS rex Francorum: Cunctos nosse volumus, qualiter nos de remedio animæ nostræ, & de futura retributione cogitantes omnino proposuimus in animo nostro ecclesias Dei de allodiis nostris coheredes facere, & loca sanctorum augmentare, & inde misericordiam Domini consequi, & ejus sanctorum suffragia promereri confidimus. Ideo omnes Dei fideles, & nostri, præsentes & futuri, recognoscite, qualiter omnes res juris nostri in pago Laudemburgensi, & quidquid ad nostram urbem ambulare visum est, & omne quod ad fiscum nostrum hactenus pertinebat (excepto stipe, & comitatu) ex eo nihil dimittentes, tradimus totum ex integro, magnum & parvum, ad basilicam S. Petri apostoli, quæ est in Wormatia civitate constructa, cui præest dominus vir apostolicus Amandus. Hoc est, quod tradimus, civitatem nostram Laudemburg, palatium nostrum, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas, & incultas, agros, prata, campos, omne sylvaticum in sylvis Otenwalt, cum omni utensilitate in omni pago Laudemburgensi, & undique in intraha, in pascuis, materiamina, aquas, aquarum decursus, piscationibus, quæsitis & inquirendis, omne theloneum, mercatum, & quidquid dici aut nominari potest, sicut prius ad nostrum usum ambulare videbatur, sic in antea ad præscriptam basilicam pro æternæ mercedis augmento possidendum donavimus, & sub integra communitate omnia ad eandem basilicam pertinentia præceptione nostra a novo confirmamus, sicuti priori anno communitatis tuitionem dedimus omnes villas, facultates, seu abbatias, & quidquid ad ipsam civitatem Wormatiam aspicere videtur, ut nullus judex publicus, nec causas audiendo, nec freda exigendo, nec homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam & servientes distringendo, nullum impedimentum audeat facere, nisi pro parte ipsius ecclesiæ vel ipse pontifex Amandus, aut successores hoc habent concessum atque pidultum, quieto ordine possidere B atque dominari, quod partibus fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et ut hæc auctoritas firmior sit, manu nostra subscriptionibus subditis illam decrevimus roborare. Dagobertus rex Francorum. Godefridus recognovit. Datum sub die II. cal. Octobris anno regni nostri VI. Actum Moguntiæ palatio nostro, feliciter fatis.

II.

C *Conradus II. rex, Henrici decessoris donationem ecclesiæ Wormatiensi factam confirmat.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Rex. Noverit omnium 1026.
Christi, nostrique fidelium universitas, qualiter fidelissimus noster Arzecho Wormatiensis episcopus, per interventum conjugis nostræ Gyselæ reginæ, nostri nominis celsitudinem adiens rogavit, ut donationes & traditiones rerum, quas antecessor noster beatæ memoriæ Henricus imperator per petitionem & servitutem Burchardi ejusdem sedis quondam episcopi, sancto Petro Wormatiæ fecerat, nostri nominis auctoritate denuo confirmaremus, hoc est tale prædium, quale avus noster Otto dux Wormatiensis habuerat, & forestum in Forehehe, cum foresteriis, mansis, & banno D regio, & omnibus utilitatibus ad hoc respicientibus & duos comitatus in Lobedengawe & Wingartebin, & tale beneficium, quale comes Gobbo, ad villam Hassinarech, & in ecclesia, & in omnibus utilitatibus retinuerat. Cujus petitionibus ob Dei omnipotentis amorem, nostræque conjugis Gyselæ reginæ supplicationem, libenter annuentes, easdem res prænominatas hoc nostro auctoritatis præcepto noviter confirmamus, per quod jubetur, ut præfato Arzechoni episcopo fideli nostro, ejusque successoribus, in rebus prædictis, nullum impedimentum proveniat. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas firmior in futura tempora permaneat, sigilli nostri impressorem eam consignare præcepimus, manu propria subtus annotavimus. Data 16. calend. Martii, indict. VIII. Dominicæ Incarnationis 1026. anno autem domini Conradi II. regis 2. actum Augustæ.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM SPIRENSEM SPECTANTIA.

I.

Charta fundationis monasterii Maulbrunensis ordinis Cisterciensis.

1148. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Guntherus Dei gratia sanctæ Spirensis ecclesiæ episcopus, omnibus tam futuri, quam præsentis sæculi fidelibus notum fieri desidero, quod domnus Walterus de Lomersheim vir nobilis, & ex antiqua prosapia in utraque parentum linea liber, & dum sæculo militaret, moribus compositus, ac in armis satis strenuus, hic, inquam, Spiritu sancto inspiratus, se suaque Deo mancipare devovit. Quapropter sanctum suum propositum effectui mancipare fervens, ab abbate Novicastri Udalrico multis supplicationum lacrymis Dietherum abbatem cum XII. monachis, ac paucis conversis ad construendam Cisterciensis ordinis abbatiam in patrimonio suo vix obtinuit, eosque in hunc modum sibi concessos in Ekkenwilere collocavit, illicque propositum suum, prout diu æstuabat, expetere posse speravit. Sed cum multa, quæ claustrali dispositioni sunt necessaria, illinc deficere perpenderet, nos cum prædicto abbate Diethero, gratia consulendi, auxiliumque quærendi, supplex adiit, & ut locum & conventum intuitu Dei visitaremus, tandem exorando obtinuit. Nos itaque sanctum ac religiosum conventum, prout exorati fuimus, gratia visitandi adeuntes, locum claustrali dispositioni omnino inutilem, & penitus indeptum perpendimus. Et idcirco ministerium & ecclesiam nostram honestare cupientes, prædictum abbatem Dietherum in fundum nostræ, ecclesiæ scilicet Mulenbrunnen, locum tunc quidem penitus incultum, ac omnibus transeuntibus præ insidiis latronum periculosum transtulimus. Siquidem VII. mansos illic sitos, & ad ecclesiam nostram pertinentes, sed a prædecessoribus nostris hominii occasione alienatos, pecunia a domino Werhardo de Thanne, & a quibusdam aliis hominii vinculis pro eisdem mansis sibi obligatis recuperavi, eosque prædicto conventui consensu totius nostræ ecclesiæ perpetualiter possidendos donavi. Hunc etiam fundum Deo ejusque genitrici a nobis dicatum, domina Ita soror prædicti Waltheri tribus mansis & dimidio ibidem sitis pro pia sui suorumque parentum defunctorum memoria adauxit. His etiam domina Bertha de Grunengen, cum filiis suis Waltero, Conrado, Ruggero duos mansos prædictis conterminos, pro remedio animæ suæ suorumque parentum defunctorum devote addidit. Præterea domnus Wernherus de Rossewag, qui per omnia prædictis Christi pauperibus diligentissime consilio & auxilio profuit, mansum unum supradictis continuum in honorem Dei suæque genitricis ipsis perpetualiter possidendum contradidit. Ad hæc etiam a Hirsaugiensibus mansum unum inibi situm duobus nostris mansis in Biberbach sitis legitimo concambio conquisivimus. Sed quia hæc omnis terra prædictorum scilicet XIII. mansorum, & dimidii tum quidem penitus incultis ad parochiam de Cnuttelingen decimalis extitit: ita ut tertia pars sacerdoti ejusdem ecclesiæ antiqua institutione contingeret, reliquarum vero duarum partium medietas ad prædictum Wernherum de Rossewag ex parentum jure spectaret, restantem autem medietatem duarum trium partium domnus Conradus de Lomersheim præfatæ parochiæ advocatus & prænominata Bertha cum filiis suis æquali partitione hæreditario jure possiderent, idcirco his decimarum cohæredibus una cum domno Bertholdo de Bretheim, qui pro hominii fidelitate præfatas duas decimarum partes a sæpe

A dictis cohæredibus usu tenebat, necnon fratre ejus Altmanno præfatæ parochiæ sacerdote. His, inquam, diligentia nostra in villam Cnuttelingen convocatis, me præsidente, ac prædictis confratribus Bertholdo & Altmanno omnimodo consentientibus, prætaxati hæredes pro pia sui suorumque memoria, decimas prædictorum tredecim mansorum & dimidii præfatis Christi pauperibus perpetualiter possidendas pro X. Bretchemerensis B monetæ solidis in festo B. Martini singulis annis solvendis contulerunt: ita ut sacerdoti tertia pars horum denariorum contingat, reliquæ vero duæ partes denariorum ad possessorem vel ad possessores decimarum attineant; parochianis etiam id fideli assertione attestantibus, & si necesse esset in reliquiis confirmare cupientibus horum denariorum pretium, utilitatem præfatarum decimarum in tertia vel eo amplius parte excedere. Quapropter nullus in posterum prædictæ parochiæ sacerdos vel decimarum hæres, de prædicta terra.... labore prænominatorum fidelium cultæ vel penitus neglectæ minus plusve se recepturum speret. Ad hæc etiam omnibus ad nostrum episcopium pertinentibus, clericis seu laïcis sua mobilia vel immobilia donandi, vendendi, emendi, seu si ad ipsos, si regulariter vivere volunt, conferendi publico nostræ C ecclesiæ consensu licentiam dedimus, ac decimas novellationum, & nutrimenta animalium, sicut summi pontifices, necnon reges & imperatores privilegiis suis universo ordini sanxerunt, & nos penitus remisimus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inve- D niant. Amen. Hæc autem ut rata & inconvulsa perpetualiter permaneant, nostri sigilli impressione munire curavimus, testesque hos subscribendos tam clericos quam laïcos utile fore in posterum putamus. Præpositus de domo Hartwicus, decanus Dietmarus, &c. Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnat. MCXLVIII. indictione XI.

II.

Charta Guillelmi abb. Cistercii, qua Maulbrunensi abbati ad Parisiense in Alsatia monasterium se se cum suis recipiendi potestatem facit.

E FR. GUILLELMUS abbas Cistercii in Cabilonensi diœcesi, totius ordinis Cisterciensis & capituli generalis ejusdem plenaria fungens potestate, venerabili, & in Christo nobis præcharissimo coabbati nostro de Maulbrun in Spirensi diœcesi, salutem in Domino & in bonis cœptis perseverantiam. Considerantes non sine gravi animi dolore dicti monasterii de Maulbrun ruinam ab ista virulenti dogmatis Lutherani peste imminere, & huic contagioni pro nostra virili occurrere volentes, vobis concessimus nostra plenaria authoritate, tenoreque præsentium concedimus facultatem, authoritatem, potestatem & mandatum speciale transferendi vos & quemlibet, aut majorem vestri conventus de Maulbrun partem in monasterium de Paris, in basiliensi diœcesi vestro monasterio in Maulbrun incorporatum, illucque 1536.

revocandi ad Divinum officium devote Deo persolvendum omnes & singulos dicti monasterii de Maulbrun religiosos; ista tamen Lutherana peste non infectos sed fideles adhuc in sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ gremio permanentes, qui ob religionis amorem extra monasterium exulant: necnon vobis assumendi nomen, titulum, authoritatem, officium abbatis dicti monasterii de Paris, ac ibidem exercendi & faciendi omnia & singula, quæ sunt & legitimi abbatis, donec tamen dictum monasterium de Maulbrun ab ista peste revaluerit, & se ecclesiæ catholicæ reformaverit. Item ne ea, quæ semel Deo dicata sunt, transeant in usus prophanos, recuperandi & transferendi ad dictum monasterium de Paris omnia & singula jocalia, clinodia, diplomata, litteras, privilegia, & quascunque libertates dicti monasterii de Maulbrun, illuc translata solicite conservandi tamdiu ac donec ista pestifera hæreseos contagio in dicto monasterio de Maulbrun cessaverit, qua per Dei gratiam cessante, omnia ibidem suo pristino statu restituenda, aut illuc referenda, ne fundatoris frustretur intentio. Insuper ne Divinæ vacationes dicti monasterii de Paris monasterio de Maulbrun incorporati patiantur detrimentum per vestram mortem, per cessionem, aut alias quovis modo, religiosis in dicto monasterio de Paris commorantibus sub observantia regulari & omnibus & singulis facimus potestatem procedendi canonice ad alterius abbatis electionem, ipsos ad hujusce electionis effectum duntaxat consequendum a sententiis & censuris, si quas forsitan incurrerunt, a quibus de jure possumus, absolventes, & in quantum opus est, realiter. Datum Cistercii sub appensione sigilli nostri, die 3. mensis Febr. anno Domini MDXXXVI. hoc est trigesimo-septimo, more Gallicano.

Copia hæc, ab alia copia authentica per me subscriptum notarium fideliter transsumpta & collationata ei consentit de verbo ad verbum, quod attestor ego sub hac mea syngrapha, & sigilli minoris impressione.

(L. S.)

M. LAURENTIUS SEEFELDER tam pontificia quam CÆSAREA authoritatibus publicus juratus notarius in imperialis præfecturæ ARCE KEISERSTERGENSI commorans. Ita habet copia vidimata.

III.

Translatio monasterii Maulbrunensis ob hæresim in eo dominantem, ad monasterium Parisiense diœcesis Basileensis.

1537. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Nos frater Johannes, permissione Divina, abbas Mulprunensis ordinis Cisterciensis Spirensis diœcesis, reverendissimi in Christo patris & domini Guillelmi Cistercii abbatis dignissimi in Cabilonensi diœcesi, totius sac. ordinis nostri capituli generalis plenaria fungentis potestate, superioris nostri super isto negotio obtenta authoritate, quæ visa, lecta, & audita est; notum facimus universis & singulis præsens hoc publicum instrumentum visuris, audituris, seu lecturis. Quare cum jam monasterium nostrum Mulprunense a Lutheranæ sectæ & doctrinæ fautoribus occupatum sit, divinaque officia Deo & fundatoribus debita sublata sint, & commorantes ibidem ab his abstinere compellantur, ad quæ religio & professio nos adstringit, animarumque nostrarum salus & votorum nostrorum obligatio illorum consortium declinare & fugere persuadet, & etiam adstringit: ut non minus dum epidimiæ lues sævit, pro redimendo corpore cœlum mutandum sit, sic ut animo videamus procul recedendum: & dum in una civitate persecuti, deambulandum in aliam, ne morbida ovis gregem contaminet, aut modica scintilla totam aream inflammet. Summa igitur necessitate compulsi, non temere, nec voluntate nostra sola, sed superioris nostri ordinarii, ut præmittitur, authoritate: insuper de pleno & deliberato consensu, præhabito tamen tractatis* tribus interpellatis diebus, & prius pro implorando auxilio, missarum celebratis solemniis, consensu fratrum præsentium infra nominatorum, signanter Otmari de Friburgo prioris Mulprunensis: Henrici de Horlingen prioris Parisiensis, Valentini de Bilstain confessoris in Regis-Ponte, Lucæ de Vaisingen supprioris Parisiensis, Ludovici de Binichen sacellani in Regis-Ponte, Johannis Cinzingen supprioris Mulprunensis tunc præsentium, & Ysidori de Woldenburg jam conventualis Parisiensis, atque Sebastiani de Elsas bursarii Mulprunensis absentium: quorum tamen consensum expressum litteræ tunc publice prælectæ indicarunt, qui quidem omnes & singuli monasterii & abbatiæ Mulprunensis professi, tanquam major & sanior pars conventus nostri jam dicti monasterii Mulprunensis in hanc translationem expressum ordinatum tunc dedere consensum pro nobis & successoribus nostrum conventum Mulprunensem, aut majorem saniorenque illius partem, & omnia jura, jurisdictiones & bona monasterii Mulprunensis in monasterium Parisiense Basiliensis diœcesis præfato monasterio de Maulprun perpetuo incorporatum, authoritate superioris jam nominata, & fratrum etiam nominatorum expresso consensu præhabito, transferre duximus, prout inpræsentiarum transferimus & translatas, & translata publice pronunciamus & definimus, donec & quousque locus in Mulprun a supra specificatis inimicis liberetur, pristinoque statu, privilegiis & juribus suis plene fuerit restitutus; revocamus quoque nos, omnes & singulos præsentes & absentes ejusdem monasterii & nostros professos peste Lutherani dogmatis non infectos ad nominatum monasterium in Paris, ut ibi divina officia Deo devote persolvere, & nobis, qui nomen, titulum, dignitatem, authoritatem, & officium abbatis sæpe recordati monasterii Parisiensis assumimus, obedire, ac sub ordinis nostri & observantia fideliter militare velitis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

* *f.* tractatu.

Transtulimus præterea, ne in usus prophanos raperentur, ad Paris. bona mobilia & immobilia, sacras reliquias, clinodia, privilegia, libros censuales, ad tempus tamen præscriptum & a superiore nostro assignatum, donec omnipotens Deus monasterium nostrum de Mulprun ab isto onere liberaverit: quo, sicuti speramus, contingente, omnia pristino statui restituenda esse volumus & mandamus authoritate superioris nostri, qua nunc fungimur. Insuper, ne ob diuturnam vacationem quidpiam ejuscemodi sæpe dictis monasteriis nostris de Mulprun & Paris. immineat, si ad omnipotentis Dei nutum, nos ex hoc sæculo evocari, aut huic nostro officio cedere contingeret, vobis omnibus & singulis, ac successoribus vestris religiosis, ac in dicto monasterio Paris. aut alibi sub ordinis nostri observantia regulari commorantibus, authoritate qua supra reverendissimi domini nostri Cisterciensis, facimus & damus potestatem procedendi, & procedi mandamus canonice juxta formam ordinis ad alterius abbatis electionem & institutionem: & ideo elegimus & instituimus, & jam denuo eligimus & instituimus per præsentes fratrem Otmarum de Friburgo in priorem, fratrem Sebastianum de Elsas in bursarium, & fratrem Johannem de Cinzingen in suppriorem Mulprunenses, qui in tali casu tanquam electores electorum, ceteros convocent citius extra monasterium commorantes: & quia omnis religio ad summi Dei laudes & divina officia prosequenda, ordinata & instituta est; & ne denique intentio ultimaque voluntas fundatorum & Christi fidelium frustretur, volumus & districte mandamus, ut vos prior & supprior Mulprunenses summam diligentiam adhibeatis, quatenus Divina officia & horæ canonicæ devote & diligenter in dicto monasterio Paris. persolvantur, & aliæ laudabiles consuetudines & cæremoniæ

ordinis, sicut religiosos devotosque decet, solicite observentur. In quorum fidem & testimonium præmissorum, nos Johannes abbas Mulprunensis prædictus præsens hoc publicum instrumentum exinde fieri, ac per notarium subscriptum subscribi mandavimus, sigillorumque abbatialis nostri Mulprunensis,necnon prioris & conventus nostri Mulprunensis in majus hujus translationis robur jussimus & fecimus appensionibus communiri. Acta sunt hæc in oppido Colmariensi Basiliensis dœcesis, & claustrali curia vulgo in Widen nuncupata, stubaque abbatiali ejusdem, anno a Nativitate Domini MDXXXVII. die vero Veneris vigesimaoctava mensis Septembris, horaque decima, pontificatu sanctissimi Domini nostri dom. Pauli Divina providentia Papæ tertii anno ejus tertio, præsentibus istic venerabilibus & circumspectis viris dominis Jacobo Carpentarii ecclesiæ collegiatæ divi Martini decano, & Michaële Buck medicinæ doctore, necnon præstantibus, ac benemeritis viris dominis Hieronymo Bonet, & Conrado Wickram optimatibus hinc inde prædicti oppidi Colmariensis testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Frater Johannes, abbas in Mulprun & Paris. manu propria subscripsit.

Frater Otmarus Ritter de Friburgo prior in Mulprun, propria manu subscripsit.

Frater Valentinus de Bilstain confessor in Regis-Ponte, manu propria subscripsit.

Frater Lucas Humel de Vaysingen subprior in Paris. manu propria subscripsit.

Frater Ludovicus Frimer de Brinchen sacellanus in Regis-Ponte, manu propria subscripsit.

Frater Sebastianus Lober de Cinzingen subprior in Mulprun, propria subscripsit manu.

Frater Sebastianus Brecht bursarius in Mulprun, manu propria subscripsit.

Et quia honorabilis vir dominus Lucas Frey presbyter sacellanus collegiatæ ecclesiæ divi Martini Colmariensis, sacra imperiali authoritate notarius publicus, atque curiæ Basiliensis commissarius juratus, dictæ translationi cum expresso, quorum intererat, consensu, ceterisque præmissis omnibus, dum sicut præmittitur agerentur, & fierent, una cum prænominatis testibus, præfuit, eaque omnia & singula sic fieri vidit & audivit.

Quoniam autem vehementi ægritudine, qua post receptum hunc actum, correptus est, utpote qui manibus pedibusque contractis detineatur, omnino scriscribere non valens, prout evidenter apparuit, ipseque proprio suo ore confessus est: cumque nullus hominum, convalescendi, moriendique tempus scire possit, ne hoc negotium, quod forsan longiorem moram non patitur, impediatur, idcirco me Johannem Synablein laïcum, Constantiensis diœcesis sacris apostolica, & Imperiali authoritatibus publicum notarium, instrumentum hoc, quod ipse de verbo ad verbum composuit, nomine suo transcribere, atque subscribere instanter rogavit, hocque faciendi in præsentia venerabilium, honorabilium atque spectabilium virorum dominorum Michaëlis Buck medicinæ doctoris physicique Colmariensis testium subscriptorum, necnon Johannis Hilds canonici, & Nicolai Wilman sacellani præfatæ ecclesiæ sancti Martini, testium ad hoc specialiter vocatorum mihi plenam tradidit authoritatem, & quod sibi, ni morbus impediret, hoc in loco faciendum fuisset, prorsus in me transtulit: quapropter hoc præsens publicum instrumentum a prædicto domino notario in suo prothocollo signatum & ad longum scriptum, a me vero in publicam formam redactum, manuque propria fideliter transcriptum signo & nomine meis solitis & consuetis signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM ARGENTORATENSEM PERTINENTIA.

I.

Privilegium Theoderici regis Francor. pro Noviento seu Aprimonasterio.

683. IN Christi nomine Thedericus rex Francorum vir illuster Attico duci, & Adelberto comiti, ceterisque fisci nostri exactoribus. Illud nobis ad æternam retributionem credimus in Dei nomine proficere, si petitiones hominum religiosorum ad effectum perducimus, vel pro Christi amore cum omni protectione solidamus. Atque ideo cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, venerabili viro patri nostro domno Herhardo abbati ac misso suo Radeberto monacho serenitati nostræ suggessisse de hominibus ingenuis, qui in Mundiburde monasterii Novientensis, quod in honore peculiaris patroni nostri Mauritii constructum esse videtur, ut eis tale beneficium concedere deberemus, hoc est de loco nuncupato Hiltesheim, quem propria manu eidem monasterio tradidimus, ut a judicibus nostris nullam inquietudinem vel quamlibet requisitionem aut fredum, seu redibitionem vel mandatum quod ad vos vel juniores vestros pertinuerit, ad quascumque necessitates, volumus esse commonitos pro mercedis augmento in luminaribus peculiaris patroni nostri jam supradicti S. Mauritii martyris per hanc auctoritatem visi sumus concessisse: ita ut neque a subditis vestris, neque a vobis, seu a successoribus vestris inquietentur, vel amoveantur, nisi ab actoribus præfati monasterii in Mundeburde impendant, & defensionem tam ipsi quam & posteritas eorum præsentibus & futuris temporibus sperare debeant, & quod fisci nostri ditionibus debuerant inferre, hoc ad ipsam congregationem sanctam hac auctoritate concedimus, ut hoc debeant habere concessum atque indultum. Et ut hæc, auctoritas, nostris, Deo auxiliante, & futuris temporibus, firmiorem obtineat vigorem, manus nostræ subscriptionibus & annuli nostri impressione eam decrevimus roborari. Ego Thiedericus rex subscripsit. Et ego Adeynus episcopus. Signum Theodorici regis invictissimi. Data mense Februario die nono, anno decimo regni ejus.

II.

Charta fundationis monasterii de Arnulfi-auga ab Heddone episcopo Argentino, facta anno 7. regnante Childerico rege.

✠ DOminis sanctis, adque honore dignissimo apostolicis, meisque in Christo patribus, Heddo gratia Dei ecclesiæ . . . . Stradburg civitate vocatus episcopus. Noverit sancta industria vestra, qualiter pastores ecclesiæ. . . . . cum summoque studio debent procurare, ut ecclesia Dei . . . . ceperunt monitis salutaribus in quantum valent. . . . . ut is, qui de terra pastoris relictis omnibus sequi . . . . abnegantes semetipsos perangusto calli. . . . . gradientes, vocem æterni Regis ac Redemptoris audientes, *exi de terra tua & de cognatione tua, & vade* Gen. 12. 1.

Circa 750.

Matth. 19. 29. *in terra quam monstravero tibi*, vel illud: *qui reliquerit patrem aut matrem, aut filios, aut agros, &c.* Matth. 16. 24. *propter nomen meum, centuplum recipiet, & vitam* Matth. 25. 35. *æternam possidebit.* Et, *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur* Matth. 10. 40. *me.* Oportet ut nos audiamus, qui dixit, *hospes fui &* Matth. 25. 40. *suscepistis me:* Et, *qui vos recipit, me recipit:* Et, *quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Ut quod a principe apostolorum in initio ecclesiæ institutum est, quia omnis multitudo credentium erat in unum, & nullus suum proprium dicebat aliquid esse, sed erant illis omnia communia, & cor unum, & anima una: unde institutio sancta ex hoc a sanctis patribus in postmodum ab oriente usque in occidente, & in partibus Galliarum monasteria multa sub regula sancta, horum exemplo religio clara promulgavit, præcipue monasteria Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, & in universo mundo sub regula sanctorum patrum, maxime beati Benedicti, & S. Columbani abbatibus, vita commune optime disposita, & per auctoritate clementia regum, & per privilegia sanctis atque catholicis pontificibus firmiter roborata, & sanctæ canones hoc non destruant, sed potius luculenter exobtant. Unde nos comperti quod vir Inluster Rothardus quomes in Insola, qui vocatur *Arnulfo-Auga*, juxta fluvium Reni infra nostra parochia, in honore sanctorum apostolorum & sanctæ Mariæ Dei genitricis, ceterorumque, cum Dei adjutorio, & nostro consilio, monasterio in suo proprio a novo ædificare conatus est, ad quod evocantes Saroardo abbate cum suis peregrinis monachis ibidem cynobio vel sancto ordine sub regula beati Benedicti cum Dei gratia & nostro adjutorio perficere deberent. Unde nos gratulantes hujus viri sancti devotione & illorum glorioso proposito, visa tali caritate pietateque, commoti devotione prumptissima, una cum consensu fratrum nostrorum abbatum, presbyterorum, archidiaconi, omnique clero ecclesiæ, ubi ego deservo. Set & duces & judicum timentiumque Deum populo hujus provinciæ catholico, ut ad ipso monasterio, seu cinubio, congregationeque peregrinorum monachorum, per nostra & per vestra auctoritate, privilegio conscribere vel confirmare deberemus: quod ita & fecimus, ut ipso monasterio omnia, quidquid ad ejus pertinet ditione, ædificiis, basilicis, cum ministeria, vel ornamenta, de quarum omnium rerum, sacrisque codicibus, strumenta cartarum; aurum, argentum, æramentum, vel quibuslibet rebus ipsius monasterii seu cellola vel aliis appenditiis, etiam villas cum agris, domibus, mancipiis, utriusque sexus acolabus, & quod jam dictus inluster Rothardus, vel alii pro salute animæ per qualibet modo donaverunt vel delegaverunt, seu & in antea tam per se, quam munificentia regum, principum, pontefecum, clericorum, vel a quocumque hominum, Christo inspirante, largitum fuerit, cum omnia & ex omnibus per hunc privilegium confirmamus, ut a die præsente ipse monasterius, præfati peregrini monachi eorumque successores sub regula sancti Benedicti cymubialiter congregati secundum sanctum propositum. . . . . re jure absque ullius repetitione tradimus atque tribuimus potestate, ut neque nos ipsi, neque successores hujus ecclesiæ pontifices, neque archidiaconi, neque exactores atque aliquis de parte ecclesiæ, vel quislibet nullus aliquid dominare, abere aut requerere. . . . . vel dona aut qualibet munera nullumquam tempore expetire non præsumant. Cum vero necesse fuerit chrysma petire, aut confirmare sacros ordines, benedici, aut aliquas benedictiones expetere, aut oratoria in eorum loca ædificare, rector ipsius monasterii, vel peregrini monachi ibidem consistentes, aut si de se episcopum habent, aut a quocunque de sanctis episcopis sibi elegerint qui hoc facere debeat licentiam sit eis expetire, & ille hoc tradere, benedicere, vel consecrare; & nullus in ipso monasterio inlicito ordine contra voluntate, aut votum ipsorum monasterio eorum adire non præsumant, nec

A secretius ingredire septa, & si aliquando pro qualicunque causa expetit, ut ipsius rector, vel ipsis peregrinis monachis congrua fuerit voluntas, & episcopus invitatus ad ipso monasterio venerit, celebrato officio inhonorem ejus episcopi donat ei abbas eam . . . . cum ergo abbas loci ipsius acceperit . . . . cumque peregrini monachi ibidem habitantes de semetipsis secundum Deum & regulam. . . . . invenerint, ipsum sibi constituant abbatem: quod si ibi de seipsis talem non invenerint, de alio monasterio de illas congregatione peregrinorum, quem sub uno modo petitiones vel una sancta institutione beati Benedicti coadunati sunt, ipse sibi constituentes abbatem regularem expediant, & constituant; & si ibi sanctus B ordo tepuerit, quod absit, vel aliqua discordia inter ipsis monachis surrexerit, & ipsi hoc non prævalent, aut non voluerint emendare, tunc qui ex ipsis rector ordene secundum regulam voluerit vivere, ubicunque in alia monasterii, ubi peregrini monachi supradicti consistere videntur, & satius regulariter invenerint, habeant expetire ex illi per eorum salubri consilio, Deo largiente, ipso sancto ordine, vel ipsis monachis per regulam restringere, emendare, corregere, adque pacificare faciant & nullum . . . . sancto ordine ibidem ponant ac de rebus suprascripti monasterii. . . . . apostolici patres & confratres . . . . ideo vestra catholica auctoritate nostraque gemina so-C ciamus, ut hic privilegius omni tempore firmissima habeat firmitatem, ut nullus nullumque tempore contra agere conpræsumat, sed præsens & futuris temporibus inviolatus permaneat, & nunc omnibus episcopis & Deum timentibus hominibus preco, supplico, & per caritate conjurare præsumo, ut quibus hic privilegius ostenditur, manus vestras subscribere & confirmare dignetis, ut vestra auctoritate fultus, inconvulsus permaneat, qualiter eisdem peregrinis monachis in ipso monasterio consistentes clarius delectet pro statum ecclesiæ & integritate sacerdotum, pro incolomitate regum, & pace christianorum, pro pœnitentium remissione pecatorum, vel requie fidelium defunctorum, divinæ misericordiæ tranquillius exorare. Preco igitur & contestor coram Deo & angelis ejus, cunctisque sanctis, omnibus successoribus. . . . . D christianis, ut hunc privilegium, quem consenso clericorum, laïcorum timentium Deum plebs & ecclesiæ nostræ, decrevimus vel condedemus in nullo erumpere præsumant, sed per ineffabilem Trinitatem cunctis conjuramus, ut in quo prævaluerint, in omnibus conservare studeant. Et si aliter obstinato animo, vel diabulo instigante, invidia vel cupiditate deceptus, vel qualibet modo, quod Deus avertat, si nos ipsi, aut successores nostri, vel quislibet de qualecunque parte contra hunc privilegium tentare conaverit, vel jam dictis peregrinis monachis, vel successores eorum inquietare vel eis aliquid minuare præsumpserit, si se emendare noluerit, & a mala voluntate celerius noluerit corregere, cum Dei genitricis semper Virginis Mariæ, vel beatorum apostolorum cunctorumque sanctorum ante conspec-E tum Regis æterni Christum Domini nostri, in cujus amore hunc privilegium ad jam dictis peregrinis, vel cynubio condedimus, se. . . . . pro nequissimis peccatis eorum vel iniquissima malitia æternos incendiis concremacturos, hac illa sententia se experiendos, qua falsis sacerdotibus Dominus minatur; *Væ vobis hypocritæ qui clauditis regnum Dei, quia nec vos introitis, nec alios introire permittitis:* Et, *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius erat illi ut alligaretur mola asinaria ad collum illius & projiceretur in profundum maris:* Et, *qui Domini timore neclexit:* judicantes hominibus inferat partibus ipsius monasterii, vel peregrinis monachis ibidem habitantes cum sociante

fisco auri libras triginta, argento ponda quinquaginta A multa susteneat atque dissolvat, & hoc quod repetit non vindicet: & nihilhominus præsens privilegius omni tempore firmus permaneat: & ut firmiorem obtineat vigorem, manus nostras subster scripsimus, & qui subscriberint, vel subsignaverint stipulatione subnexa. Actum Stradburgo civitate puplicæ, sub die v. ante calendas Octubris, anno VII. regni domni nostri Helderici regis.

✠ Ego in Dei nomen Heddo peccator, per misericordiam Dei vocatus episcopus, hunc privilegium a me confectum relegi & subscripsi. ✠ In Dei nomen [a] Baldobertus episcopus subscripsi. ✠ Ego in Dei nomine Dubanus episcopus rogitus subscripsi. ✠ [b] Ghrodegangus peccator episcopus subscripsi. ✠ In Dei nomen Hiddo peccator vocatus episcopus B subscripsi. ✠ In Dei nomen [c] Lullo peccator episcopus subscripsi. ✠ In Dei nomen [d] Magingaos indignus episcopus subscribens firmavi. ✠ In Dei nomine [e] Gutfridus peccator episcopus subscripsi. ✠ In Dei nomen ego Nycho rogitus a supra scripto pontifice scripsi & subscripsi. ✠ Ego in Dei nomine [f] Remedius peccator donum Dei episcopus subcripsi. ✠ Ego Hysamnus peccator episcopus subscripsi. ✠ In Dei nomen Jacob vocatus abba subscripsi. ✠ In Dei nomen Garroinus abba subscripsi. ✠ In Dei nomen Yppolitus peccator abba subscripsi.

[a] Ex abbate Fabariensi ep. Curiensis, vide Cointium ad an. 750. n. 15.
[b] episc. Metensis.
[c] Lullus episc. Mogunt.
[d] Megingaudus episc. Wirceburg.
[e] Gumfridus episc. Atrebatensis & Camerac.
[f] Forte is qui ex chorepiscopo noster factus est episc. Argent.

III.

Privilegium Caroli-Magni regis Francorum, prædecessorum suorum regum privilegia, pro Novientensi monasterio confirmantis. C

Circa 810.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Carolus serenissimus augustus a Deo coronatus, magnus patricius, Imperator Romanum gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei rex Francorum & Langobardorum, regni nostri honores credimus, si justas petitiones sacerdotum, vel ministrorum Dei, cum nostris auribus probatæ fuerint, perducimus ad effectum. Ipsi enim pro stabilitate regni nostri vel animæ nostræ salute Dei misericordiam frequentius exorant. Quapropter noverit omnium præsentium futurorumque industria, qualiter Thietbaldus abbas de monasterio, cujus vocabulum est Noviento, situm in pago Alsatiense super D fluvium Illa, quod vir illuster Adalricus, sive Atticus dux & conjux ejus Bersvinda in Christi nomine & in honore SS. apostolorum Petri & Pauli & S. Mauritii sociorumque ejus a novo in suo proprio fundo construxerunt, nostram adiit serenitatem deprecans, ut privilegia, quæ piæ memoriæ genitor noster Pippinus, ejusque antecessores reges Francorum eidem cœnobio, locisque quæ ad sustentationem fratrum ibidem Deo sub regulari disciplina servientium pertinent, renovemus. Præcipimus ergo per regiæ majestatis imperium, prædecessorum nostrorum statuta confirmantes, ut in villas supradicti cœnobii, id est Wiswilre, quæ sita est in pago Brisgaugiensi, super ripam Rheni fluminis, cum ecclesia & omnibus appenditiis suis, in Sulzha, in Egensheim, in Sigoltheshein, in Burcheim, in Lagelenheim, in Gruzenheim, in Hundensheim, in Northusen, in E Hollaswilre, quæ præfatus dux eidem venerabili loco delegavit, vel quæ adhuc donata fuerint, nullus judex publicus, nulla judiciaria potestas, spiritalis, seu secularis ingredi violenter audeat, nec ecclesiasticas possessiones contra justitiam sibi vindicare præsumat, sed prædictus abbas Thiebaldus, ejusque successores easdem res augmentando ac meliorando potestative possideant. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis permaneat & per futura tempora melius conservetur, hanc cartam jussu nostro conscriptam manu propria confirmantes, annuli nostri impressione sigillari jussimus, signum Caroli gloriosissimi regis.

Ego Ibbo ad vicem Erchambaldi relegi & subscripsi.

Data pridie idus Augusti anno X. Christo propitio imperii nostri & quadragesimo regni nostri in Francia, & trigesimo sexto in Italia, indictione tertia. Actum Ferdi in Saxonia, in Dei nomine feliciter. Amen.

IV.

Privilegium Ludovici Pii imperatoris Adalocho episcopo Argentinensi concessum. Ex autographo.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, quia vir venerabilis Adaloch Argentoratensis, sive Strasburgensis ecclesiæ vocatus episcopus, quæ est constructa in honore sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, detulit obtutibus nostris quandam auctoritatem domni genetoris nostri Karoli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua continebatur insertum, qualiter quondam locellum nuncupantem Stilla, quod a longo tempore per confirmationes regum prædicta possidet ecclesia, rectores ipsius ecclesiæ cum judicibus regalibus habuerunt intentionem & prædictum locum per loca denominata, id est regia strata quæ pergit super rivolum qui dicitur Stilla, super Cara & Runmaldi, deinde ubi dicitur Paphinis naida, inde totum montem qui vocatur, usque ubi rivolus surgit qui dicitur Hasla: deinde ubi Wichias surgit usquequo Brusta ingreditur. Inde iterum per longa Brusta, usque dum Stilla intus ingreditur, ad partem prædictæ ecclesiæ adquisierunt, & domnus & genitor noster per eamdem auctoritatem ad ipsam sedem perenniter ad habendum confirmaret: & deprecatus est paternum morem sequentes nostra confirmaremus auctoritate, quod ita nos fecisse omnium fidelium nostrorum constat industria. Præcipientes ergo jubemus, ut sicut præcepto domni genitoris nostri continetur & prædicta ecclesia moderno tempore possidet, ita deinceps absque ullius impedimento teneat atque possideat, & quicquid de ipso vel in ipso rectores prædictæ sedis ob utilitatem & profectum ipsius facere vel judicare voluerint jure ecclesiastico perennibus temporibus libero potiantur arbitrio faciendi. Hæc vero auctoritas ut firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus, signum Hludowici serenissimi imperatoris.

816.

Durandus notarius ad vicem Helisachar recognovit & SS. Data v. calendas Septembris anno Christo propitio tertio imperii domni Hludowici piissimi Augusti indictione x. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Privilegium Ludovici Pii imperatoris, Bernaldo episcopo Argentino concessum. Ex autographo.

Circa 831.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus, divina ordinante providentia, imperator augustus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Bernaldus Strasburgensis episcopus adiens serenitatem culminis nostri obtulit obtutibus nostris quandam præceptionis auctoritatem domni & genitoris nostri Karoli præstantissimi augusti, in qua continebatur, quod idem domnus & genitor noster Karolus pro emolumento animæ suæ eidem Strasburgensi ecclesiæ concesserit, ut ubicumque per civitates, castella, aut trajectus vel portus, excepto Quentowido, Dorestato atque Clusios, homines memoratæ ecclesiæ navigio

aut terreno (id est cum carris & saumariis) negotiandi gratia irent, & redirent, nullum telonium quisquam reipublica administrator ab eis exigeret. Pro firmitatis namque studio petiit idem Bernaldus venerabilis episcopus, ut paternæ auctoritati hanc nostram superadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libentissime annuimus, & hujus nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod omnibus comitibus, vicariis, centenariis, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu cunctis fidelibus nostris præcipimus, ut nullus vestrum de rebus quas navigio aut terreno, id est cum carris & saumariis per regna Deo propitio nostra homines ejusdem Strasburgensis ecclesiæ negotiandi gratia duxerint, ubicumque accessum habuerint, nullum telonium, aut ripaticum, aut portaticum, aut salutaticum, aut rotaticum, aut cenaticum, aut pastionem, aut laudaticum, aut trabuticum, aut pulveraticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam redhibitionem accipere vel exactare audeat, aut hominibus qui eadem mercimonia prævident ullam inquietudinem, aut impedimentum facere præsumat: sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem cum navibus & ceteris vehiculis absque ullius contrarietate vel impedimento per universum imperium nostrum, ubicumque eis necesse fuerit libere & secure ire & redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut mercati fuerint vel vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, telonii exigatur. Et ut hæc auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem sigillo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi & subscripsi. Data VIII. idus Junias anno Christo propitio XVIII. imperii domni Hludowici piissimi augusti indictione IX. Actum Ingelinheim palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VI.

Privilegium Ludovici Pii imperatoris, Hohemburgensi parthenoni concessum.

837. IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina repropitiante clementia imperator augustus. Cum locis Deo dicatis in quibuscumque indiguerint consulere satagimus, ejus gratiam cujus amore id noscimur efficere abundantius promereri confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam & futurorum industriæ, quia dilectissima conjux nostra Judith semper augusta offerri fecit obtutibus majestatis nostræ quamdam auctoritatis præceptionem, quam domnus & genitor noster Karolus piissimus imperator erga monasterium cujus vocabulum est *Hohenburc*, quod in honore genitricis Domini nostri Jesu Christi & B. Petri principis apostolorum constat esse dedicatum, tuitionis immunitatisque gratia fieri jusserat, petivitque ut eam amore consueto renovari præscriptoque monasterio tribui juberemus. Ejus quoque petitionem libentissime adimplentes hoc nostræ auctoritatis & immunitatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque sancimus, ut memoratum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus vel adspicientibus in nostra defensione atque immunitatis tuitione consistat, nullusque judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate, aut etiam alia major minorve persona in ecclesias, aut loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis in traditionem imperii nostri juste & legaliter possidet, vel ea quæ deinceps jure ipsius voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas, vel discutiendas, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius tam ingenuos quam & servos, & super terram ipsius commanentes injuste distringendos, vel freda exigenda, nec illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed, remota totius judiciariæ potestatis atque pravorum hominum inquietudine, idem monasterium cum omnibus rebus & mancipiis ad se pertinentibus, sicut dictum est, sub nostra imperiali protectione & immunitatis defensione semper quietum consistat. Quicquid autem de eisdem rebus jus fisci exigere poterat totum nos in nostra eleemosyna eidem concessimus monasterio, sicut domnum & genitorem nostrum fecisse constat ad utilitatem & profectum ipsius peragendum quatenus ancillas Dei inibi Deo famulantes pro nobis eademque conjuge nostra, ac prole, totiusque imperii divinitus nobis collati stabilitate & pace Dei immensam clementiam jugiter exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Data VII. idus Martii anno Christo propitio XXIV. imperii domni Ludovici piissimi augusti, indict. XV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Fundationis parthenonis S. Stephani Argentinensis confirmatio a Lothario imperatore facta.

IN nomine Domini nostri J. C. Domini æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, Imperator Augustus. 845. Cum petitionibus servorum in justis & rationabilibus, divini cultus amore favemus, superni Numinis donum nobis a Domino impartiri minime diffidimus. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ & nostræ, præsentium videlicet & futurorum comperiat industria, qualiter dilecta cognata nostra, venerabilis sanctimonialis & abbatissa S. protomartyris Stephani Basilla in ambitu infra muros Argentorat. majestatem nostram adiit, offerens obtutibus nostris auctoritatem & munimina chartarum illustris parentelæ nostræ progenitoris ducis Adelberti, qui fundavit jam dictum locum in parte suæ hereditatis, quæ sibi pertinuit, inter ruinas veteris Argentorati, pro opportunitate solitudinis, & juxta fluentis Prusci fluvium, & dotavit eum prædiis suis large, pro remedio animæ suæ & parentum suorum, ibidem attributis, & Attalam verissimam virginum abbatissam præsidere ordinavit; & quemadmodum in eisdem insertum continebatur auctoritatibus, eumdem locum per pragmaticam regis Childerici constitutionem prærogativa emunitatis libertate communiri impetravit, ita duntaxat, ut salva per omnia reverentia sacrosancti antistitis, in cujus consistit territorio, nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas in quibuslibet pagis, vel territoriis possidebat, nisi defensor, quem ipsius loci congregatio & abbatissa voluntario a palatio impetraverit, audeat ingredi ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel colonos, vel fiscalines homines ullo modo molestare. His itaque ita pertractatis, & meritis piorum votorum in vita futura compensatis, talis munificentiæ expertem me futurum. . . . . & piæ petitioni præfatæ cognatæ nostræ Basillæ facilem præbui auditum, sicut rogavit, facta antecessorum meorum scriptis & præceptis confirmavi & corroboravi, & constitutionis ordinem rememorando renovavi, ut videlicet ibidem permaneat certus numerus quatuor canonicorum sacerdotum, ex quibus liceat idoneum. . . . . cum opus fuerit accipere, & triginta sorores ad ministeria claustri peragenda cum congruis ministris & edituis intus & foris digne & fideliter in claustri actibus. Proinde vero eisdem confirmatis, hortatu & rogatu atque favore voluntario dilectissimæ conjugis Imperatricis Augustæ Hirmengardis, collecta utriusque manu, stipulatione firma, donatione legitima tradidimus jam sæpe dicto loco S. Stephani protomartyris, ad stipendium fratrum canonicorum & sanctimonialium Deo

ibidem famulantium XII. nominatas & dominicas curtes cum omnibus appendiitiis suis & justitiis suis nobis in eis constitutis, videlicet basilicis, capellis, villis, vicis, & antea tradita confirmavimus, tam infra muros Argentoratenses, quam in pagis, infra muros basilicam S. Crucis cum suis terminis & decimis Bettenbeur, & campis, pratis, pascuis, compascuis, aquis, aquarumque decursibus & piscationibus, & utriusque ripæ littoribus, juxta, vel infra, aut circa villam Stettingsbigell cultis vel incultis, quæsitis & inquisitis quibuslibet vel usibus, vel quæstibus aptis, servis, ancillis, colonis, ficialibus vilicis, insulis, exitibus, & reditibus, & banno & campo in pago de Sacinda-Wanga cum suis appenditiis, campis, silvis, vineis, rivis, eorumque decursibus, cunctisque justitiis Eigengehin, Hummeuweilere, Hundewilere, in pago Martinhango, cum supra dicto jure de Bettenbur & Stenttinsdtbigell, in pago Prisgaudi Nungingavilla, cum suis appenditiis, basilica, vicis, terminis, decimis, campis, silvis, pratis, pascuis, compascuis, cultis, incultis, quæsitis, inquirendis, mancipiis, servis, & ancillis, colonis, & fiscaliciis, tam de equestre quam pedestre ordine, banno & campo Mareaco, & omnibus justitiis, sicut ceteri cis Rhenum juxta fluvium Illa, nuncupatum Ilgein Wibelesgein, in simili jure, sicut certa supradicta basilica terminis usque ad fines Illifirig & super & inferius piscatum. In Bolsauls dominicam curtem, capellam & decimam cum salica terra, & suis appensibus; duas curtes ad luminaria concinnanda destinatum, cum suis appensibus Lymersguein, & Lypoteshen; sed ut præfata nepta nostra Basilla abbatissa, ejusque in eodem loco successuris jura & constitutiones sibi ab initio pragmatice & canonice contraditas quiete & inconvulse in perpetuum possideat & obtineat, hoc emunitatis edictum fieri jussimus, in quæ præcipimus & confirmamus, ut nullus publicus judex, vel quilibet ex judiciaria potestate, vel aliquis hominum audeat aliqua occasione, vel alicujus concessione, vel jussione, aliquis eorum ecclesias, possessiones, vel quaslibet res invadere, vel aliquo modo molestare, nec aliquis successorum Imperatorum, seu Regum hanc nostram constitutionem valeat immutare, nisi, quod absit, consultis summis ecclesiæ principibus atque regni fidelibus, pro aliqua evidentissima, & catholicis principibus legaliter cognita necessitate, vel utilitate, publice per aliam auctoritatem venire tentaverit, prædicto loco triginta libras argenti examinati exolvere, & fisco regio totidem auri purissimi cogatur. Et ut hoc firmitatis præceptum inviolabilem & ratam habeat firmitatem, manu propria subter illud firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Data idus Maii anno Christo propitio imperii domini Lotharii vicesimo-sexto, & in Francia sexto, indict. VIII. Actum publice in palatio regio Argentorat. Signum Lotharii serenissimi Augusti, Rynodus notarius confirmavi.

VIII.

Brevis notitia primæ fundationis Alti-monasterii sive Altorfii.

Circa 960.

LOcus erat in Alsatia, qui dicitur *Altum-cœnobium*, in suburbano agro Alolshemensi, vulgo *Altorff* appellatur, fluviis, & sylvis omnique fertilitatis genere affluens, qui cum excisis fruticibus & arboribus, situ genioque nimium pulcher & amœnus singulari quodam nitore humanos oculos invitaret, Eberhardus comes Alti-cœnobii hujus commoditatem advertens sæpius biduo & triduo in eo commoratus est; & quia vidit locum hunc vitæ monachorum nimis congruum esse, sæpe proposuit monachico ordine se se velle Deo laudes parare: sed cum præveniente ægritudine & morte sequente impediretur, filius ejus Hugo qui erat aliquantulum raucus, quoniam sæpe intellexerat voluntatem parentis, cœpit in supra memorato loco ædificare ecclesiam in honorem divi Bartholomæi apostoli, & summi præsulis divi Gregorii, aliarumque reliquiarum. Ad quem zelum corroborandum Leo nonus papa propter specialem dilectionem suorum parentum, qui constructores ejusdem Alti-cœnobii fuerant, Roma veniens, secum portari fecit imaginem sancti Cyriaci martyris, de præsepio Domini nostri Jesu Christi, de vestimento ejus, de vinea, quam propria manu plantavit, de ejus sepulchro, de ligno S. Crucis, de vestimento S. Mariæ, de barba S. Johannis Baptistæ, de veste S. Petri apostoli, de reliquiis S. Andreæ apostol. S. Laurentii M. Nicolai episc. de reliquiis S. Jacobi apost. de reliquiis sanctorum Bartholomæi, Mauritii mart. Stephani protomart. S. Gregorii M. S. Gregorii papæ S. Ceciliæ virg. S. Gerdrudis virg. S. Remigii episc. Cornelii papæ, SS. Cosmæ & Damiani mart. SS. Genesii, Cassii, Dionysii, Vincentii, Pancratii, Victoris, Amatoris Calisti, Johannis & Pauli martyrum, & aliorum octoginta-sex sanctorum, quæ omnia in statuta S. Cyriaci sunt posita. Idem S. Leo papa prædictus, præter hæc secum portavit brachium S. Cyriaci, item duas casulas & duas tunicas chorales, in quibus dedicans medium altare in ecclesia, & non mediocrem gratiam conferens, quæ in scriptis habetur, ipsemet missas cantavit.

Ad istas igitur reliquias majori cum fructu celebrandas hanc ecclesiam consecravit episcopus Argentinensis Erchenboldus petitione ejusdem Hugonis comitis, qui Hugo in ipsa dedicatione ad hanc ecclesiam tradidit decimas istius villæ, quæ dicitur *Altorff*, unaque omnis montani ruris quod adjacet circa Burchbergh tam in longitudine, in cujus montis cacumine suum extitit castrum, & decimas omnium prædiorum suorum in hac vicinitate in præsentia præsulis & abbatis Majoli Cluniacensis, & coram plerisque primatibus: neque in tam laudabili donatione Hugo comes acquievit, sed magna majoribus cumulavit beneficiis; siquidem locum ipsum in quo præfatum monasterium constructum est, cum omnibus pertinentiis suis, publicam curiam in Altorff, liberum advocatum, officinas suas, monetam, tabernas cum omni jure suo, curiam Tuttelheim in banno villæ ipsius, & justitiam quæ vulgo dicitur *Masth*; Curiam Icthol cum banno, capellam beati Michaëlis, ecclesiam Berbach cum pertinentiis suis, ecclesiam Grendelbruch cum pertinentiis suis; Curiam Argentinæ ad S. Aureliam cum pertinentiis suis; Curiam Ergersheim & Meistersheim cum pertinentiis suis, & alia multa omnibus & singulis ejusdem monasterii abbatibus & superioribus sub glorioso sanctissimi patris nostri Benedicti vexillo militantibus, libere & absque ulla contradictione regenda ac in omne ævum possidenda, concessit ac demandavit.

X.

Præceptum Henrici II. Romanorum regis, Werinhario episcopo Argentoratensi abbatiam S. Stephani concedentis.

Ex authentico in archivis serenissimi principis episcopi Argentor. asservato.

1003.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente clementia, rex. Si in considerande laborum recompensatione juxta tale tantique meriti, exsolvendum jubet æquitas tale tantique debiti, sed tamen non derogatur æquitati, si quid superaddatur liberalitati. Si ergo eos, qui sub quiete ac pacis ocio, consiliis tantum reipublicæ satagunt negotio, regia neutiquam defraudari convenit nec gratia, nec munificentia, quomodo non his summa, prout res se se locusque dederit, tam ex privato regis, quam ex publico legis, honoris & gloriæ debetur reverentia, quorum tenacissimam in commune bonum fidelitatis anchoram & honestum cum utili propositum, quamquam circumstrepentibus undique popularium seditionibus & principum dissensionibus, nullæ nec minæ, nec blanditiæ de statu sui rigoris avellere possunt, aut pellicere, quo-

minus, contemta rerum suarum funditus jactura, subter ipsas perfidiæ fauces fidei certent non perdere jura. Proinde noverit tota sancta Dei ecclesia & in omni populo nostræ fidelitatis integritas, præsentium scilicet & futurorum, qualiter divæ memoriæ senior noster & antecessor tertius Otto videlicet imperator augustus venerabilem virum Werinharium juge ejus servitium & fidei bonæ constantiam attendens, divina dispensante gratia, sanctæ Argentoratensis ecclesiæ ordinavit & præfecit episcopum. Post tanti namque Imperatoris ab hac vita discessum vetus inter nos a pueris propagata familiaritas, & ea, quæ cum tali Cæsare nobis erat parentelæ & consanguinitatis affinitas, præfato persuasit antistiti, cum ceteris, quorum infinitus numerus, nostræ dare manus fidelitati, &, Deo præside, concors populorum & principum nobis concederetur electio, & hæreditaria in regnum, sine aliqua divisione, successio. Fecit itaque misericors Deus pro voto nostro, quod suum erat, diabolus autem nostram sinens interturbare lætitiam, seminarium quoddam erroris invenit: sed gratias Deo, in ipso conatu prostratus, & ut semper inefficax & confusus erubuit. Nam quorumdam tunc temporis dissidens a nostra subjectione collegium, prædictam venerandi præsulis sedem hostiliter incurrens, & in nostri nominis injuriam, ea quæ in tota urbe & ecclesiis intus erant spolia auferens, nostri videbatur provectus desolari primitias. Sed pia manus Dei, quæ numquam in se confidentes deserit, cito & cum pace bona talium rebellionem sedavit, & nostræ dominationi fideliter subjugavit. Ne igitur tanta urbs, immo sanctæ Dei genitricis ecclesia, quia sua ex toto recipere non potuit, nostro non sublevaretur auxilio, communi tam episcoporum quam & principum nostrorum consilio, & in primis Herimanni ducis assensu, prænominato præsuli Werinhario, suisque in perpetuum successoribus, in nostram & nostrorum præcessorum, sive successorum memoriam tradidimus, & per hoc regale præceptum confirmavimus quandam abbatiam ancillarum Dei intus in urbe Argentorata, in honore S. Stephani protomartyris Christi institutam, cum omnibus eidem abbatiæ juste & legaliter pertinentibus in quibuscumque pagis, comitatibus & territoriis, hoc est mobilibus & immobilibus, areis, ædificiis, servis, & ancillis, terris cultis & incultis, agris, campis, pratis, pascuis, sive compascuis, vineis, vel vinetis, silvis, forestis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus, & reditibus, sive ceteris, quæ quolibet modo rite vocari possunt, utensilibus, & appendiciis, eo tenore, quatinus præfatus episcopus Werinharius, suique in perpetuum successores liberam de eadem abbatia deinceps habeant potestatem absque omni personarum contradictione & molestatione restituendi, & in usus ecclesiæ quidquid inde sublatum erat omnibus modis reformandi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc nostri præcepti paginam post conscriptum manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni Heinrici regis invictissimi, Egilbertus cancellarius ad vicem Willigisi archicapellani recognovit. Data XVIII. calendas Februarii anno Dominicæ Incarnationis MIII. indictione I. anno vero domni Henrici regis I. Actum in Diedenhova.

X.

Charta Wernheri Argentinensis episcopi de tradita sibi abbatia S. Stephani Argentinensis.

IN nomine D. N. Jesu Christi: Ego Wernherus
1005. voluntate Dei Argentinæ civitatis episcopus, universis christiani nominis cultoribus tam magnis quam parvis ex clero & populo, salutem in Christo Jesu. Cum pro tempore sub quo quisque in vinea Domini, id est ecclesia, vivere & operari debeat, cuilibet vigilandum sit, ut animæ suæ prospiciat salutem. Ego post innumeros sudores, quos pro fidelitate ecclesiæ, cui Deo authore præsidere visus sum, & pro statu regni Francorum & domini mei regis Henrici dilectione (pertuli) impetravi a præfato domino rege gubernationem abbatiæ sancti Stephani protomartyris in Argentina, id est Strasburc civitate, quæ antea nullam de temporalibus præbuit vel debuit subjectionem, mediantibus hoc principibus Hermanno duce, Ernesto palatino, Berengero defensore, præsente Moguntino archiepiscopo Barto: ea duntaxat ratione, quatenus de facultatibus illius repararet episcopalem sedem, quæ cum ædificiis & officinis claustralibus destructa fuit per dissensionem quorumdam principum electioni præfati Regis repugnantium. Postquam vero Deus confirmavit ei regnum illis subjugatis, terraque siluit coram eo, cum accepissem ab eo præfatam abbatiam disponendam, inspecto Dei timore, communicato consilio, pertractavi, computando omnes curias & possessionem a primo usque ad novissimum, inspectis singulis ejusdem loci privilegiis & cartis & testamentis. Inveni itaque in scriptis Adelberti ducis, qui locum fundavit, & in privilegio Childerici regis notatum infra ambitum veteris muri a media porta meridiana versus Bruscham cum ipsa aqua usque ad latam stratam, quæ ducit a porta magna occidentali, usque ad portam juxta magnos & inquadros lapides muri, cum omni suo jure & septis claustri, & mansionibus quatuor canonicorum, & emunitate, cum muro & antemurali, suburbiis, vicis, aquis, piscationibus, aquæ decursibus, pascuis, compascuis, silvis, pratis, portibus utriusque littoris, crepidinibus, insulis, usque ad limites infimos terminorum villæ nuncupatæ Botelburn & in nova transpositione Seseiltenehem, decimis, terminis, campis quæsitis & inquisitis cum omnibus usibus infra fluenta Rheni, usque ad confinia de Allode comitis Hugonis e Koreka nuncupante, & inde Lechefridesheim, Huttendorff, Wolffgangesheim, Rodesheim, Mulenhusen, Wifrichesheim, Regenesheim, cum omnibus eorum allodum petinentiis. In privilegio vero imperatoris Lotharii primi supradicta singula rememorata & roborata, quinetiam ab eo data Lugotesheim, Lumeresheim, ad lumina concinnanda, Wanga, Othenheim, Hunnewilre, Bundeswilre, Wibelosheim, Bolsenheim, Egesheim, ad cæteros usus. Hirmingardis quoque imperatrix per manum propriam & manum ejusdem imperatoris Lotharii dedit Mumlinga cum sua imperiali integritate, quorum omnium jura & debita, & quantitates, sic nos invenimus, in veredali carta describi jussimus, & ne in oblivionem fieret, vicedomino loci Erboni canonico & Liresindæ secundæ abbatissæ commisimus, & in signum adeptæ subjectionis & supplementum despoliatæ majoris domus, transtulimus inde crucem auream & argenteam, & capsas duas cum reliquiis, præter cætera utensilia. Ne vero tam antiqua & venerablis congregatio de insolita subjectione intolerabili conturbaretur, diligenti & pio studio statuimus eam honorare, cum omni communione & paritate claustralis religionis & fraternæ societatis, ita duntaxat, ut præter subjectionem omnia jura sua illibata permaneant, & abbatissa inter alias abbatissas in conciliis episcopalibus mediam & oppositam sedem obtineat, & in obsequio alicujus ejus sororis vel canonici, omnes canonici civitatis, ibidem conveniant, & exequias devote peragant, ipsique nobis vicissitudinem reddant similiter faciendo; si, quia certas habent stationes in solemniis vocari nequeunt in augmentum chori, sed si alio tempore vel necessitate quod absit, vel caritate invitati venerint, quia de secunda, ut prædiximus, sede civitatis sunt, in sede oppositæ mensæ honorentur, quomodo & nos pro necessitate reparandorum consultu tamen discreto imminuimus; & tamen describendo discrevimus quotidianam eorum præbendam, quæ major cæteris inveniebatur, & in quadam manuali cedula memoraliter conscribi fecimus, non in perpetuum, sed ad presens negotium, donec facultas rediret reformandi in pristinum plenitudinis statum.

ſtatum. Ne autem oblivio deleat, vel poſteritas in pejus A vergat, hanc paginam conſcripſimus & ſigillo noſtro roboravimus. Præſidente & annuente Lintſinda ſecunda abbatiſſa, Erbone canonico vicedomino, & cætera congregatione, Brunone majoris-domus præpoſito, Erbone decano, Werenbero cantore & cuſtode, Heldone ſcholaſtico, præſente toto conventu. Complevimus autem hæc anno Incarnationis Domini MV. indictione ſecunda, ep. XXVI. concur. VI. feliciter. Amen.

XI.

Litteræ Henrici II. regis Romanorum, quibus abbatiam de Schwarzach tradit poſſidendam Werenhario epiſcopo Argentinenſi, & ſucceſſoribus ejus. B

1014. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia rex. Cum ex rationabili ordine Omnipotentis Dei corporis humani forma eo modo ſit condita, ut quælibet minora membra capiti ſint ſubjecta, & ab eo veluti ſub quodam duce regantur, non incongruum putavimus ad hanc imitationem, quaſdam minores eccleſias, in regno noſtro ſubdere majoribus, & id voluntati Regis Regum nihil obſtare arbitrati ſumus, qui cœleſtes atque terrenos principatus miro ordine novit diſtinguere. Proinde nos etiam, qui ad tempus ſub æterno Rege electi ſumus regnare, in primis pro amore Dei, ejuſque genitricis, necnon pro aſſiduis petitionibus dilectæ conjugis noſtræ Chunegundæ, atque fidis perſuaſionibus Heriberti Colonienſis archiepiſcopi, & fratris ſui Becelonis epiſcopi Wurceburgenſis, & ſimul fratris noſtri Brunonis Auguſtenſis conſiliis, ceterorumque fidelium noſtrorum rogatu & aſſenſione, quin vero propter juge ſervitium Werenharii Argentinenſis epiſcopi, quandam abbatiam monachorum, quæ dicitur *Suarzaha*, ſanctæ Argentinenſis eccleſiæ in honore Dei genitricis fundatæ, in noſtram noſtrorumque ſucceſſorum memoriam tradidimus perpetualiter poſſidendam, cum omnibus ad eandem abbatiam legaliter pertinentibus, in quibuſcumque provinciis, mobilibus & immobilibus, areis, ædificiis, ſervis, ancillis, terris cultis & incultis, agris, campis, paſcuis, ſive compaſcuis, vineis vel vinetis, ſilvis, foreſtis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, ceteriſque utenſilibus, eo tenore quatinus præfatus epiſcopus Werenharius, ſuique ſucceſſores liberam de eadem abbatia deinceps habeant poteſtatem abſque omni perſonarum contradictione & moleſtatione poſſidendi, & in uſus eccleſiæ quicquid inde ſibi libeat omnibus modis faciendi, & ut hæc noſtræ traditionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc præcepti noſtri paginam Regio more. . . . . . & poſt conſcriptam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum domini Henrici regis inviſtiſſimi. Suncelinus cancellarius vice archicapellani Erchanbaldi recognovi. Data XVI. cal. Februarii feria III. luna IV. anno ab Incarnatione Dominica MXIV. indict. XII. anno vero domini Henrici regis XII. Actum Papiæ.

XII.

Ex autographo. *Præceptum Henrici II. imperatoris, Werenherio epiſcopo Argentino conceſſum.*

1017. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Romanorum auguſtus: Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, quod interventu dilectæ conjugis noſtræ Cunigundæ videlicet Imperatricis auguſtæ, ſed & Brunonis Auguſtenſis epiſcopi, fratris ſcilicet noſtri, necnon Popponis Lauraſunenſis venerabilis abbatis, ſacræ ſedis Argentinæ Werenherio venerabili epiſcopo, tum pro Dei genitricis Mariæ ſpeciali amore, tum etiam propter ejus tam ſpiritualiter quam carnaliter juge ſervitium, liberaliſſime nobis ſæpius impenſum, foreſtem ſic determinando proprietavimus. De littore Rheni contra Wizwilare ad vadum Hugonis, & de vado Hugonis ad Sceerauvillare, & de Sceerauvillare ad Dabechenſtein & de Dabechenſtein ultra Pruſcam uſque ad Roraham rivum. De Roraha ultra Sornam fluvium, deinde uſque ad Matram fluvium, ad illum locum qui dicitur *Phaffenhoven*, deinceps per Matram deorſum uſque ubi Matra intrat Rhenum, & deinde ſurſum per totum limitem Rheni cum inſulis omnibus adjacentibus uſque Wicenwilare. Jus igitur foreſtæ ei ſuiſque ſucceſſoribus noſtrorum, regum quoque & imperatorum more anteceſſorum per bannum noſtrum imperialem firmavimus. Ita vero ut nullus ibi cervum vel cervam, urſum vel urſam, aprum vel. . . . capreos vel capras ſine licentia ipſius quoquomodo capiat. Et ut hæc noſtræ donationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni tempore permaneat, hanc paginam inde conſcriptam manu propria ſignantes ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

Signum domini Henrici inviſtiſſimi. Guntherius cancellarius vice Erchambaldi archicapellani notavit. Data VII. idus Maii anno Dominicæ Incarnationis MXVII. indict. XV. anno vero domini Henrici ſecundi regnantis XVI. imperii IV. Actum Franchoneford feliciter.

XIII.

Otto Argentinenſis eccleſiæ epiſcopus, cum fratribus ſuis perficit inchoatam a matre ſua fundationem prioratus S. Fidis in Scheleſtat, & S. Fidi Conchenſi ſubjicit: hanc hodie eccleſiam RR. PP. Societatis Jeſu poſſident.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ottone Argentinenſi divina favente clementia epiſcopo, bona inchoare, & inchoata, nec ſegniter conſumare, & ab hoc affectu non deficere, ſicut apud homines honeſtum & memorabile notatur, ita apud Deum dignum eſſe & acceptabile non dubitatur. Hoc ego peccator Otto Argentinenſis eccleſiæ Dei gratia epiſcopus, & fratres mei dux ſcilicet Suetiæ Fridericus, Ledeuvicus, & Galtharius non abſurde attendentes, quod mater noſtra ad honorem Dominici ſepulchri in Scheleſtat, & S. Fidei benigne incœpit: hoc nos maternæ voluntatis heredes, ut prædii, ad effectum perducere, ea qua dicemus ratione, prout potuimus, Deo auxiliante, conati ſumus; matre enim noſtra, fratreque noſtro Conrado in Chriſto defunctis, nos quatuor, qui tunc, vita comite, Dei gratia remanſimus, pari conſenſu, communique voto convenimus, & matris noſtræ propoſitum effectualiter adimplere conſiderata diligentia deliberavimus: ergo prædium quod in Scheleſtat villa in pago Alſatiæ, & in comitatu Beirrichein hereditario jure poſſedimus, ſanctæ Fidei principaliter, abbatiſque Conchacenſis cœnobii obedientiæ libera manu tradidimus, legali aſtipulatione confirmavimus, cum mancipiis utriuſque ſexus ſua conditione deſignatis, debitæque ſervituti attitulatis, & cum ejuſdem prædii terminis certis, limitibus ſuperius & inferius, & ad utraſque plagas exitibus, & reditibus, viis, & inviis certiſſime denotatis; cum terris etiam, cultis, & incultis, vineis & vinetis, rivis, aquis, aquarumque decurſibus, pratis, paſcuis, piſcinis, ſilvis, ſilvarumque uſibus, venatoriiſque ſtationibus, & nemoribus fiſcalibus, & forum legitimum cum teloniis, & tabernariis, & cum ceteris omnibus eidem allodio antiquiſſima traditione ſubjacentibus. Ad hoc ergo ut hæc omnia ab adverſariorum invaſione ſecura permaneant, prædicti advocationem prædii ex fratribus noſtris, quoaduſque ſuperſit, ſemper majori natu conceſſimus, & per eorum

obitum præfati abbatis libero arbitrio ea lege addiximus, ut cui velit potestative committat, dedimus autem idem prædium ea ratione, ut præfatus abbas Conchensis cœnobii, suique successores deinceps liberam potestatem habeant commutandi, & præcariandi, vel quidquid ad utilitatem ecclesiæ placuerit inde faciendi; insuper eandem ecclesiam, ejusque atrium cum omnibus ad eam pertinentibus ab episcopalis, ceteræque servitutis jugo perpetualiter absolvimus, hujusque absolutionis libertatem sub beati Petri apostoli omniumque sanctorum auctoritate, & nostra ita confirmavimus, ut ab omni hostium incursione sit secura, & quicunque, sive ex eadem villa, sive ex totius episcopatus parochia illic sepulturam petierit, libere accipiat; & nullus sacerdotum contradicere præsumat.

Signum Ottonis Argentinensis episcopi. S. Friderici ducis, S. Lodeuvici, S. Gaharii, S. Anselmi, S. Hessonis, S. Conradi, S. Henrici, S. Bertholsi, S. Liutolfi, S. Otonis, S. Hermanni. Manno Argentinensis notarius scripsi & subscripsi, & recognovi. Data est decimo cal. Aug. . . . . anno Dominicæ Incarnationis MXXXV. indictione tertia, anno ordinationis domni Ottonis Argentinensis episcopi, nono, regnante Henrico quarto Romanorum imperatore augusto.

XIV.

Ex authentico in archivo serenissimi principis episc. Argentin. asservato. Circa 1050.

Bulla Leonis papæ IX. de consecratione ecclesiæ Hohemburgensis ab ipso facta, &c.

LEO episcopus, servus servorum Dei, ecclesiæ Dei genitricis Mariæ ubi requiescit corpus sanctæ virginis Odiliæ, quæ dicitur *Hohemburc*, & per eam sanctimonialibus perpetuo inibi famulaturis perpetuam in Domino salutem: Visitantibus nobis pio respectu Alsatiæ partes, contigit venisse Hohenburch, & cum nobis juste sit omnium ecclesiarum assidua sollicitudo, hæc etiam intercessit benivola devotio & parentum nostrorum semper inibi devote famulantium & in Christo quiescentium debita constrinxit recordatio, ut præfata ecclesia, quam velut incultam invenimus Spiritui sancto dedicaremus habitaculum: quod ut oportebat fecimus. Ad quod videlicet templum in honore S. Dei genitricis & S. Nicolai dedicatum venerabilis abbatissa nomine *Berta* pro remedio animæ suæ & parentum suorum prædium cum mancipiis, quod possidebat ad villam Archenheim dictam & apud Meinoldesheim, Sahsenheim, Uresheim, Gersheim contradidit. Præterea & nos statuimus, ut ad duo altaria quorum unum ad caput beatæ Odiliæ, alterum in majori ecclesia, nemo celebret missarum solemnia, nisi episcopus ipsius diœcesis & idonei ipsius ecclesiæ hebdomadarii, & præterea quæcumque venerit idonea persona, non tamen sine ipsius loci prælatæ seu congregationis, si ipsa minime interfuerit, communi consensu & licentia. Insuper & altari S. Odiliæ sacerdos religiosus cottidie ad ministrandum provideatur, qui & capellani officio in ministerio prælatæ digne fungatur. Et quia convenit nostro apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, sicut in privilegiis habetur prædecessorum nostrorum, ita & visum est nobis huic ecclesiæ & sanctimonialium inibi Deo famulantium desideriis congruum debere impertiri suffragium. Unde hoc nostræ auctoritatis stabile concedimus & confirmamus privilegium, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut præfata ecclesia prædictum prædium inviolabiter obtineat, & quæcumque a fundatoribus, seu aliis Christi fidelibus concessa sunt, sicut Rodesheim, Torolfesheim, Avelsheim Sahselsheim, Bladensheim, Bladensheim, Scafersheim, Ehenheim, Renchirchen, Ingemarsheim, Ehynheim, Egensheim, Sigoliesheim, Alege, Sunthusen, Argensheim, Scopfheim, Gersheim, Bercheim, Tullengen, Salica terra

A ad S. Naborem, & quæ concedenda sunt, nemini liceat exinde aliquid imminuere, vel auferre, sed omnia sanctimonialibus inibi Deo famulantibus integerrima permaneant. Illud etiam confirmandum decrevimus, ut, abbatissa ipsius loci aliqua vita decedente, sanctimoniales abbatissam, quæ eis legitime præsit, habeant potestatem sine disceptatione eligere: sane ut de suis, si condignam religiosamque invenire potuerint, absque omnium contradictione eligant, præcipimus; sin aliter, quo meliorem reperire potuerint accipiant, & electam consecrandam episcopo adducant, quæ & subditas suas ab episcopo consecrari in suo ordine faciat. Omnem namque aream montis quæ tempore B. Othiliæ, sicut antiqua relatione accepimus, a solis spiritalibus possidebatur, ita subjicere præfatæ abbatissæ decrevimus, scilicet ut omnem ipsum B montem infra septa gentilis muri, nullus hominum colere aut possidere sine permissione abbatissæ audeat, nullus aliqua inquietudine pacem perpetuo locis in illis a nobis indictam violare præsumat. Præterea decernimus ut nullus cujuscumque potestatis seu conditionis sit, a præfata ecclesia aliquid exigere potenter aut violenter audeat, sed semper quieta & secura in divinis laudibus consistat. Ipsa quoque abbatissa bona monasterii nullo modo injusta libertate dispergat, sed ut fidelis dispensatrix summi imperatoris omnia pauperibus Christi & utilitati ecclesiæ, non vanitati mundi, profutura diligenter colligat, prudenterque custodiat, ne ovibus Christi, quas spiritaliter & carnaliter pascere debet, temporalia desint pascua, ut liberius quærant & inveniant æterna. Quod si non fecerit, & semel aut C bis vel ter commonita incorrigibilis extiterit, judiciali censura coram ecclesia canonice deponatur, & utilior loco suo præponatur. Igitur ea auctoritate, qua S. Petri vice fungimur, irrevocabiliter confirmamus, ut nullus imperator, nullus rex, nullus archiepiscopus, nulla alia magna parvaque persona contra hanc confirmationem aliquo modo venire pertentet. Quicunque hoc fecerit, nostro apostolico anathemate percussus existat, donec humiliter resipiscat. Qui vero custodierit, vitæ æternæ particeps efficiatur. Eodem quoque anathemate percussus existat, si quis hebdomadariorum sacerdotum Hohemburgensem ecclesiam contentione vel rebellione gravare audeat. Ipsi etiam hebdomadarii nil in monte præter domos necessarias, ab abbatissa pro beneficio eis concessas possideant, amen. Data XVI. calendas Januarii D per manus Udonis Tullensis primicerii, & sanctæ apostolicæ sedis cancellarii & bibliothecarii, anno domini Leonis IX. papæ II. indictione IV.

XV.

Bulla Leonis papæ IX. pro cœnobio Altorfiensi.

LEO episcopus, servorum Dei servus, Ingilberto abbati ecclesiæ sancti Cyriaci positæ in Alsatia, loco qui dicitur, *Altum-cœnobium*, ejusque successoribus, & per eam monachis ibidem perpetuo famulaturis perpetuam in Domino salutem. Quoniam quidem apostolicæ convenit censuræ venerabilia loca propria protegere tuitione, quatenus Deo famulantes ab E impetentium se injuste...... quieti & liberi semper valeant manere. Quapropter æquissimum censuimus nostræ sanctionis pagina jam prædictam ecclesiam a nostris progenitoribus constructam perpetuo manere munitam, monasticoque ordini inviolabiliter omni tempore esse dedicatam. Igitur ea auctoritate, qua sancti Petri fungimur vice, confirmamus atque corroboramus ecclesiæ prænominatæ nostri apostolici privilegii potestate quæcumque a nostris parentibus, seu ab aliis Christi fidelibus ibidem concessa vel concedenda sunt, ut nemini liceat aliquid exinde minuere vel quidquam auferre, sed omnia monachis Deo inibi servientibus integerrima semper maneant. Illud etiam confirmandum decrevimus, ut, abbate ipsius loci aliquo vita decedente, monachi

1052.

cœnobii ejusdem abbatem, qui eis legaliter & juste juxta beatissimi Benedicti institutionem præsit, potestatem habeant eligere, sane ut de suis, si condignum invenire potuerint, eligant, præcipimus; sin autem, quo meliorem potuerint reperire accipiant, & electum consecrandum episcopo deducant: quod si justæ fratrum petitioni acquiescere episcopus renuerit, vel simoniacè in eum agere aliquid tentaverit, potestatem auctoritate apostolica adeundi nostram habeant præsentiam. Præterea decernimus, ut nullus unquam, aliqua magna parvaque persona, cujuscunque conditionis seu potestatis munimine roboratus, a præfata ecclesia seu monasterio aliqua exigere audeat, nisi quid sua sponte jam dicti loci abbas obtulerit. Igitur apostolica censura decernimus, & irrevocabiliter confirmamus, ut nullus imperator, aut rex, aut dux, sive marchio, comes, seu vicecomes, nullusque advocatus, nullus archiepiscopus, seu episcopus, & præterea nulla hominum persona utriusque sexus, ætatis, contra hanc nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationem atque constitutionem tentet venire, sed neque constitutus ibi abbas bona monasterii injuste audeat vel distribuere. Quod quicunque fecerit, nostro apostolico anathemate usque ad satisfactionem dignam percussus existat. Qui vero se custodierit & observaverit ad confirmationem & constitutionem, nostra accumuletur benedictione, & vitæ æternæ particeps efficiatur. Data nonas Maii per manus Friderici diaconi S. Romanæ ecclesiæ, bibliothecarii & cancellarii vice domini Hermanni archicancellarii & Coloniensis archiepiscopi, anno domini Leonis noni Papæ quarto, indict. 5. Domini vero MLII.

XVI.

Ex autographo episc. Argentin.

Notitia fundationis & restaurationis parthenonis de Hascowia, vulgo Eschau, *ord. S. Bened. diœcesis Argentinensis.*

Circa 1060.

QUoniam per diversos mundani pelagi anfractus fragilitas humanæ sæpius naufragando labitur, necesse est, quatenus boni operis expiatione commissi delicti summopere studeat consequi remedium. Innotescat itaque tam futuris, quam præsentibus, quod Remigius Argentinensis ecclesiæ episcopus in insula, quæ vocatur *Hascowia*, pro remedio animæ suæ, sub die idus Martii, anno X. regni gloriosissimi Karoli regis, præcipue in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Sophiæ & filiarum ejus Fidei, Spei, & Caritatis, & S. Trophimi martyris monasterium sanctimonialium construxit, & quod in usus præbendarios ibidem Deo famulantium reditus subsequenter assignatos donavit, Insulam videlicet prædictam cum omni integritate vel soliditate, cum domibus, ædificiis, curtis, pomiferis, mancipiis, vineis, silvis, campis, terris, proterrariis, farinariis, pascuis, peculiis utriusque tam majoris quam minoris sexus, aquis, aquarumque decursibus, vel quicquid ad eandem insulam pertinuit; Insulam, quæ dicitur *Zuzenowe*, cum arena in qua aurum colligitur; in villa Corkhe curiam cum conductu ecclesiæ & servitio parrochialis sacerdotis, tribus scilicet maturis porcis & trecentis ovis & triginta capponibus in eadem villa, VIII. talenta & obulum cum tributariis mancipiis, villam Olswilere cum agris, pratis, molendino, & omnibus appendiciis suis. In Birnheim tres mansus; in Domenheim mansum unum; in Kestenholz curtim dominicalem cum vineis, & prato & VIIII. mansibus; in Argentina civitate curiam unam, capellam S. Michaelis ante civitatem Argentinam; in Illekirchem novem mansus tributarios; in villa Rodbeaca curtim dominicalem cum vineis, agris, pratis, molendinis, mancipiis XXIIII. domorum areis X. & VIII. frumenti plaustratis cum consequenti jure. In eadem villa VII. hebdomadarum servitia cum XXIII. situlis vini. Ecclesiam ejusdem villæ cum quatuor partibus decimarum ad eamdem ecclesiam pertinentium, quintam vero partem prædictus episcopus propter opulentiam villæ & decimarum immensitatem parrochiali sacerdoti tantum indulsit. Prædictus etiam episcopus propter dilectionem prænominatarum, oblationes, quæ in Assumtione & Nativitate S. Mariæ infra nonam horam prioris diei & solemnem missam festivæ diei altaribus Rubeacensis ecclesiæ offerebantur, in sumtus luminarium prædicto monasterio dari constituit. Post longum vero intervallum temporis, prædicto monasterio per tyrannidem Hungarorum destructo, venerabilis Argentinensis ecclesiæ episcopus Wideroldus, divina revelatione amonitus ejusdem monasterii restaurator extitit, atque laudabile factum prædecessoris sui corroboravit, corroborando, ne esset inopia timentibus Deum; Ingoundoldesheim, curtim dominicalem cum tribus mansibus & molendinum; in Meienheim, curtim dominicalem cum tribus mansibus & molendinum; in Vescenheim juxta Rhenum, curtim cum pluribus mancipiis; in Egesheim, curiam unam; in Wittenheim, novem mansus & capellam S. Margaretæ; in villa, quæ dicitur *Danne*, mansum unum cum IV. vineis; in Usholz, curtim unam & vineam cum prato; in Nameneshein juxta Rhenum, sex mansus cum portu; in villa Elspach, curtim unam cum duobus mansibus; villam Bedendorf, cum pratis, nemoribus, mancipiis, & XXXII. mansibus, capellam S. Germani; in Argentoratensi episcopatu, ecclesiam villæ Kerzevelt cum decimis X. & VIII. mansuum & totius banni ejusdem villæ ex utraque parte fluvii, qui dicitur *Scere*, firma donatione prædictæ delegavit ecclesiæ. Successor vero Wideroldi Willehelmus venerabilis Argentinensis ecclesiæ episcopus tamquam divini cultus amator in Achenheim curtim dominicalem cum banno & villicatione ejusdem villæ, cum vineis, pratis, nemoribus, piscinis, duobus molendinis, XXVII. mansibus, & ecclesiam Rotenkirchem cum parrochia Sultenkeim, in Vendenheim mansum unum, in Albumen duos mansus & VI. jugera vinearum, in Diesendale pratum unum prædicto delegavit monasterio. Hujus etiam successor Hezel Argentinensis similiter episcopus curiam in Vegersheim dominicalem cum banno & villicatione ejusdem villæ, & ecclesiam cum duabus partibus decimarum & servitio annuali parrochialis sacerdotis, quod videlicet servitium in festo S. Michaelis, porco uno cum VIII. panibus & situla vini; in Purificatione S. Mariæ, porco uno comparatur cum pratis, nemoribus, molendino, piscina: XII. excepta quarta parte, mansus Salicæ terræ, mansus tredecim cum censualibus mansibus & dimidio, octo ædificiorum areis, in Geizbodesheim octo agros sexdecim nummos annuatim persolventes pro remedio animæ suæ, Escowiensi delegavit ecclesiæ. Præterea S. Rigardis duo jugera vinearum in Kunensheim, S. Adelheidis novem mansuum decimas in Egenesheim. Comes Egeno de Drahe in Scophim duos mansus; Anno miles de Kippenheim in Imelenheim duos mansus, & alii quamplures fideles; in Mittelenwilere vineam persolventem sexdecim amones, in Stotesheim curtim unam & novem jugera in campo, in Mollesheim novem jugera vinearum pro remedio animæ suæ, prædictæ contulerunt ecclesiæ.

XVII.

Privilegium Urbani secundi pro Marbacensi ecclesia.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis in Marbacensi ecclesia canonicam vitam professis, corumque successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celebrem sortiatur effectum. Proinde nos vestris per familiarem filium nostrum, vestrum autem præpositum Manegaldum precibus annuentes, tam vos quam vestra omnia sub tuitione apostolicæ sedis excipimus, & præsentis privilegii auctoritate munimus. Statuimus enim ut 1096.

nomini inter vos professione exhibita proprium quid habere, nec sine præpositi aut sine communi congregationis licentia de claustris discedere liberum sit. Quod si discesserit & redire contempserit, ei ejusque successoribus facultas sit ejusmodi ubilibet a suis officiis interdicere, interdictum vero episcoporum vel abbatum sine ejus consensu nullus absolvat. Præterea per præsentis privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque hodie vestra ecclesia juste possidet, sive in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium jure atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Ad hæc adjicientes statuimus, ut nullus vobis violentia vel astutia qualibet in præpositum constituatur, nisi quem fratres omnes communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem regulariter providerint eligendum, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, sive basilicarum, ordinationes clericorum ab episcopo, in cujus diœcesi estis, accipietis, siquidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere, alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Turonis per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis IX. cal. Apr. indict. IV. anno Dominicæ Incarnat. MXCVI. pontificatus autem domni Urbani secundi papæ IX.

XVIII.

Privilegium Calixti II. pro cœnobio Marbacensi.

Ex MS. Marbacensi.

Ista Calixtus ego tibi, Gerunge, relego,
Pastoris cura dans convenientia jura.

Circa. 1120.

CALIXTUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis in Marbacensi ecclesia canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione per omnipotentis Dei gratiam permansuris. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu sollicitos esse, & quæ recte statuta sunt stabilire. Quamobrem venerabilis filii nostri Gerungi vestri præpositi precibus non difficulter accommodamus effectum; prædecessorum siquidem nostrorum, videlicet sanctæ memoriæ Urbani secundi & Paschalis item secundi vestigiis insistentes, tam vos quam vestra omnia sub tuitione apostolicæ sedis excipimus, & præsentis privilegii auctoritate munimus: quæcumque enim illi vobis ad libertatem loci vestri & munimentum religionis concesserunt, nos quoque concedimus & confirmamus; videlicet ut quæcumque hodie vestra ecclesia juste possidet, seu in futurum juste atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant; quidquid præterea libertatis vel in prælati vestri electione vel in professorum illi stabilitate, vel in sacramentorum omnium susceptione,

A seu in ceteris hujusmodi professionis canonicæ religioni & stabilitati congruentibus, ecclesiæ vestræ a prædictis prædecessoribus nostris canonica æquitate concessum est, nos etiam præsentis scripti pagina stabilimus. Ad hæc adjicientes circa cœnobii vestri ambitum occasione qualibet assultum fieri prohibemus. Si vero, quod absit, in atrio vestro vel in effusione sanguinis vel in verberum datione, sive in aliquo hujusmodi violentiam irrogari forte contigerit, nequaquam propter hoc a divinis ecclesia vestra prohibeatur officiis. Porro laborum vestrorum vel animalium decimas, quæ penes ipsum locum vestris sumptibus & laboribus excoluntur vel nutriuntur, quietas vobis & illibatas manere censemus, nec vos super hoc aut ab episcopo ejusdem diœcesis, aut ab ejus ministris, seu parochialibus
B presbyteris inquietari permittimus. Communi enim vita viventibus, ut beatus Gregorius scribit ad Augustinum Cantuariorum episcopum, jam de fa..........
cetera desunt.

XIX.

Charta fundationis monasterii de Bongart, seu de Pomerio ord. Cisterciensis diœc. Argentinensis.

Ex autogr. principis Argentin.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, ego Borcardus Dei gratia Argentinensis ecclesiæ humilis minister, omnibus in Christo fidelibus pacem & salutem. Nosce non dubitamus universitatem orthodoxorum catholicorum, id præcipue spectare ad episcopalis ordinis sollicitudinem & auctoritatem, quatenus rationabilia facta præ-
C decessorum suorum non solum venerentur & confirment, sed si, Deo volente, facultas suppetat, adaugeant, & pio studio ad majora promovendo transferant. Significamus itaque tam futuris quam præsentibus, qualiter bonæ memoriæ Cono Argentinensis ecclesiæ episcopus........... totius illius viciniæ initiavit & destinavit ad servitium sanctæ Dei genitricis Mariæ quemdam locum *Bongartem* dictum, cum omni libertate & mancipatione censualis vel decimalis exactionis, & concessu sylvalis & pascualis usus & viarum itibus & reditibus ad opera monasticæ vitæ necessaria, scriptoque subnixo stabilivit.

1125. 1133. 1153.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno Dominicæ Incarnationis MCXXV. indictione tertia, ego Cono Argentinensis ecclesiæ, Dei gratia, humilis minister, Dei omnipotentis inspiratione, pro sempiterna ani-
D mæ meæ remuneratione, in loco quondam *Bomgarten* mancipato pro honore omnipotentis Dei & sanctissimæ Mariæ Dei genitricis Domini nostri Jesu-Christi, & omnium sanctorum, cum consensu & auxilio Moguntinensis archiepiscopi Adelberti & cardinalis domni Gerardi, abbatiam constitui, quatenus in loco præfato absque omni omnium hominum inquietudine Deo omnipotenti & S Mariæ genitrici Domini nostri Jesu-Christi cum omnibus sanctis per abbatis religionem confratrumque devotionem dignum ministerium sanctissime offeratur. Constitui quoque eisdem famulis Domini libertate canonicalis electionis perpetualiter concessa, ut quemcumque de propria congregatione prædictæ abbatiæ, vel si inter se non invenerint, ex alterius cœnobii grege fideli unanimitas famulorum Dei concorditer
E abbatem elegerit, hunc absque omni obstaculo patrem, pastoremque cum consensu sedis ejus libere obtineant, & eundem electum pro benedictione episcopo præsentatum secum reducant consecratum. Hujus abbatiæ primitivam constitutionem Friderico innocenti & simplici viro commendare curavi, ut quemadmodum fidelis operarius vineam Domini indesinenter excolat, & ad germina virtutum per celsitudinem contemplationis perducat. Ista sane ne in posterum a cujuscumque dignitatis vel ordinis hominibus irritentur, proprii traditione sigilli confirmo, quatenus orationis confratrum Deo ibidem famulantium particeps efficiar, una cum omnibus huic meæ monasticæ institutioni faventibus in æternæ beatitudinis remuneratione annumerari merear.

Proinde dilapsu temporis anno Incarnationis Dominicæ MCXXXIII. indict. X. regnante Lothario imperatore successit venerandæ memoriæ Geberhardus episcopus, cumque prædictus locus Bongartii Deo cooperante, & bonorum virorum studio insistente, in tantum profecit eorumdem christicolarum & aliorum religiosorum virorum rogatu, præfatus Gebehardus episcopus, intuitu futuri boni, eumdem locum adiit, inceptumque prædecessoris sui per consecrationem solemnem confirmavit, & in ipso consecrationis die coram omni multitudine virorum ac mulierum, præsentibus universis civibus de Ephico & Tambacho, ad quorum dioecesim locus isdem cultus & incultus eatenus pertinebat, eisdem convicaneis devote collaudantibus, & consentientibus, per auctoritatem sui banni fecit eumdem locum sic liberum & ab omni exactione censuali vel decimali quietum, ut ex ipsa die & in reliquum nulla persona potens vel impotens, spiritalis seu secularis contra voluntatem Deo & sanctis ejus ibidem monastico ritu militantium præsumeret aliquas ejusdem loci pertinentias ingredi, vel imminuere; quo sub testimonio totius populi solemniter peracto, dotata est eadem domus, quam consecraverat XVIII. cal. Decembris, in honore S. Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ & omnium sanctorum, cum allodio duorum laïcorum, quorum nomina sunt hæc, *Diezelin* & *Friderich*, ea videlicet conditione, ut nec ipse episcopus, nec aliquis suorum successorum sollicitarent eumdem locum pro cujuslibet secularis obsequii debito; sed & ipsi possessores loci possiderent res suas ad præsens habitas & in futurum habendas cum omni integritate & pace ad utilitatem loci & cohabitatorum ejus in Christi nomine feliciter profuturas, & manuscripto suo in hunc modum confirmavit.

EGO GEBEHARDUS per voluntatem Jesu-Christi, licet indignus, Argentinensis ecclesiæ minister humilis, omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris significare curavi, qualiter invitatus a famulis Christi in loco, qui *Bomgart* vocatur, Deo famulantibus & aliis religiosis abbatibus nostri episcopatus, quatenus dedicarem eumdem locum in ordinem monasticæ regulæ, cum itaque diligenti investigatione cognovissem, quia pie & rationabiliter locus isdem ad Dei cultum a prædecessore meo Cunone episcopo initiatus & emancipatus erat tam ab omni censuali servitio quam decimali debito, præsentibus & consentientibus pagensibus de Ephico & Tambacho, ad quorum publicalem usum sylvastica & pascualia rura antea dudum spectaverant, & rogatu omnium tam virorum quam mulierum dedicavi ecclesiam solemniter in honore sanctissimæ Dei genitricis Mariæ & omnium Sanctorum XVIII. calend. Decembris, assignata dote de allodio duorum laïcorum Diezelini & Friderici confirmans & attribuens eidem cœnobio per auctoritatem sanctorum & banni episcopalis, districtionem omnia ante data jura; videlicet potestatem secandi in sylva publicali quod vulgo *Almeide* dicitur, & jus viarum eundi & redeundi & deducendi, & jus agendi & pascendi cujuslibet pecoris in pascuis publicalibus tam in arbores quam in gramineis, & jus stirpandi in sibi datis locis & exceptionem decimarum de suis novalibus & propriis laboribus tam de fetibus quam de seminalibus, & emancipationem totius censualis vel decimalis exactionis ex tunc in perpetuum. His autem rite peractis, præsente & cooperante præposito majoris-domus Aldegoto, & aliis canonicis & abbatibus & clericis & laïcis, scripto & sigillo nostro confirmavimus, ita duntaxat ne vel ego vel quisquam successorum meorum episcoporum, vel ulla persona potens vel impotens, ecclesiastici vel secularis valeat, vel præsumat quicquam eorum, quæ dicta, vel scripta, vel facta ibidem cognoscuntur, imminuere vel perverse infringere; & si quis malitiosus attemptaverit anathema illi sunt. Acta sunt autem anno Incarnationis Dominicæ MCXXXIII. ind. X. regnante Lothario imperatore feliciter. Amen.

CUm autem placuit ei qui aufert spiritum principum, quod eo de medio sublato, ego Burchardus per voluntatem ejusdem substitutus sum, accepto saniore consilio, zelo bono inspirante, & auxiliante Divina gratia, induxi in præfatum cœnobium servos Dei monachos de ordine Cisterciensi, & dum tempus Deo placitum successit, factis habitaculis eorum religioni aptis, exorante Drogone abbate, cum suis personis, anno Incarnationis Dominicæ MCLIII. concurrente III. epacta XXIII. indictione prima, septimo calendas Maii, dedicatione solemni consecravi ibidem per septa & ambitum, atria & claustrum & ecclesiam in honorem sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & præcipue in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, & aliorum plurimorum sanctorum confirmans eidem loco suisque successoribus canonica & nostra auctoritate omnia prædicta jura a prædecessoribus meis, ita ut præscriptum est, rationabiliter definita, & Deo donante, & opera nostra exhortante, locupletatus est isdem locus per munificentiam convicaneorum tam in publicalibus quam in prædiis hoc modo; Adlheit de Tambacho dedit duo jugera vineæ super altare B. Mariæ, fratribusque ibidem servientibus ad integrum; Helfericus de Ephico cum uxore & filia, prius etiam concedente filio, duos agros ad integrum; Volfelmus de Ephico agrum ad integrum; Hugo de Zallwilr cum uxore & filio Borcardo dimidium agrum vineæ ad integrum. Ut autem tollatur omnis ambiguitas facti, nomina testium utriusque facti episcopalis subnotamus. In consecratione enim Gebehardi hæ personæ affuerunt, Algotus majoris-domus præpositus, Bertholdus custos & præpositus S. Thomæ, Eberhardus præpositus S. Petri, Henricus sacerdos de Ephico, qui assensit, quia in parochia ejus fuit, Eberhardus capellanus, Adelbertus de Otelingin, Luthwardus, Erluinus, & ceteri quamplures canonici & sacerdotes, abbates quoque & monachi eorum, Conradus de Aprimonasterio, & sui monachi; Meinhardus de Maurimonasterio, & sui monachi: Otto abbas S. Cyriaci: abbas S. Trutperti & alii plures. De laïcis, comes Rodulphus de Lenzeburch & filius ejus Arnoldus comes; Folmarus de Hunebur comes; Adelbertus de Habechesg comes: Wezelo de Heigerlo. Henricus advocatus: Valterius de Horeburg: Bertholdus de Thorolfesheim: Anselmus de Tabechenstein: Rodulfus de Widesse, & multi de Tambacho, & multi de Ephico tam majores quam minores: Walfridus vicedominus, Otto scultetus, Bruno, Herchembrecht, Cuonrat, Burchart, Waleco, & alii villani quamplurimi, viri & mulieres; Odalricus Lindaugensis in vice notarii scripsit & subscripsit.

In nostra autem consecratione hæ personæ interfuerunt: Drogo abbas ejusdem loci: Allodus abbas Hugonis curiæ: abbas de Ebersheim: abbas S. Leonardi: Erluinus capellanus: Engelbertus capellanus: Wolfelmus de Æhnheim, & alii quamplures clerici: de laïcis, Helferich de Ephico cum filio suo Tiethmaro; Otto, Cuono, Cuonrat, de villa eadem, & alii villani quamplurimi, viri & mulieres.

Confirmationi autem præsentium affuerunt hii: Rainaldus præpositus majoris ecclesiæ: Petrus decanus: Lenfridus cantor: Harpertus scholasticus: Conradus, Henricus archidiaconi; Rodulfus custos S. Thomæ, & ceteri quamplures canonici & sacerdotes: Ridungus abbas de Novo-castro: Bertholdus abbas S. Cyriaci, cum monachis suis: Lodowicus Suevìensis vice notarii scripsit & subscripsit.

Locus sigilli.

XX.

Ex archivo S. Johannis.

Fundatio S. Johannis prope Tabernas ordinis S. Benedicti parthenonis.

1126. NOtum sit omnibus ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, qualiter unus ex nobilioribus Francorum ac Salicorum proceribus, comes scilicet Petrus de Lutzelnburgc instinctu divino commonitus pro peccatorum suorum relevamine & tam pro suæ quam conjugis filiique ac parentum suorum animarum redemptione in augmentatione divini servitii aliqua de patrimonio suo erogare deliberaverit, qualiterque consilio fidelium suorum prædium suum *Magehem Wilre* vocatum in episcopatu Argentinensi in provincia & comitatu Alsatiensi, juxta saltum, qui dicitur *Vogesus* situm, hereditario jure a parentibus suis jure transmissum, & sine omni contradictione hactenus à se possessum, ad hoc opus destinaverit, vel qualiter deliberata ac destinata ad effectum usque perduxerit. Convocato denique piæ memoriæ domno *Vernhero* abbate monasterii *S. Georii*, quod situm est in Nigra-sylva juxta flumen Briganam, necnon & aliis idoneis ad hoc negotium personis, præsentibus & etiam concordantibus ac cooperantibus conjuge sua Icha & unico filio Regenaldo, dedit præfatum prædium beato *Georio* martyri omnique firmitate, certitudine ac stabilitate, delegavit super reliquias ejus perpetua hereditate ab ipso sibique subjectis obtinendum ea prorsus libertate, jure, ditione, atque integritate, quibus a parentibus suis ad se transmissum a se fuerat hactenus possessum, in ecclesiis, in cimiteriis, in decimis, in curtibus, in curtilibus, in arvis, in vineis, in pratis, in campis, in pascuis, in saltibus, in venationibus, in decimationibus, in mancipiis, in beneficiis, in servitiis, in tributis, in eulogiis, in tabernis, in aquis aquarumve decursibus, in piscationibus, in molendino, in banno, & in omni justitia. Peracta igitur traditione abalienavit & abdicavit abbatiam omnisque potestatis vendicationem super hoc prædio a se cunctaque sua posteritate. Facta sunt hæc in ipsa villa de Magenheims-Voylre anno ab Incarnatione Domini MCXXVI. indictione IV. temporibus honorii papæ & Lotharii regis anno scilicet secundo regni ejus: huic traditioni interfuerunt Rabbato, Dietericus, & alii plures.

Fuit autem ecclesia ibidem sita ab antiquis temporibus suis utens legibus, quæ sunt hujusmodi: quamvis non sit parochiana, nulli tamen est parochianæ subjecta; ab ipsa recipiuntur omnes hujus prædii decimæ a quocumque colono vel sub quacumque parrochia fuerint conquisitæ, sed & quivis ex mancipiis ad hoc prædium pertinentibus, etiamsi sub aliena parrochia fuerit defunctus, apud hanc ecclesiam est sepeliendus. Hæc collapsa fuerat & destructa, sed eo tempore in melius reparata: cumque in Argentinensi ecclesia pro obtinendo episcopatu esset eo tempore inter duos episcopos, Brunonem scilicet & Eberhardum, gravis dissensio, utriusque permissione convocatus est dominus Stephanus Metensis episcopus pro agenda dedicatione præfatæ ecclesiæ. Dedicata est autem hæc ecclesia ab Incarnatione Domini MCXXVII. indict. V. nonis Februarii in honore beati Johannis Baptistæ, ex cujus nomine locus ipse cella S. Johannis de cetero vocari ab episcopo decretum est. Ad quam ecclesiam cum multitudo magna nobilium & ignobilium convenisset comes Petrus jam dictam traditionem notificavit coram cunctis qui aderant, ex quibus primi & speciales testes sunt hii, Stephanus Metensis episcopus, Adelo abbas Mauri-monasterii, comes Volmarus de Huenburg, qui cum dudum partem rupis prominentis, quæ vocatur *Hertenstein* suo juri adjicere injuste voluisset, & ob hoc sæpedicto comiti Petro certamina crebro intulisset, ipse quoque eadem die huic controversiæ finem imposuit: nam si quod in ea juris habuit, coram omni multitudine abdicavit & beato *Georio* martyri tradidit. Testes etiam Otto de Gerol. . . . cum tribus filiis Diethero, Burchardo, &

A Ottone. Et pariter omnes qui primæ traditioni interfuisse inveniuntur. Præscripti insuper isti Eberhardus de Hunbourg, Eberhaldus & Berhelmus de Rozelizhusen, Berhelmus de Durckelstein, Anshelmus de Cannicha, Bertrammus de Sulza, Cuno & Waltherus de Virdenheim, Irmbertus de Quatzenheim, Mactfridus de Hunburg, Cuonradus de Neovilla. Dominus Stephanus episcopus, cum facta his terque percunctatione, copiam dedisset cuiquam huic traditioni contradicere volenti, nullusque ejus refragato rexisteret, ipse quoque eam S. Petri & Domini Honorii papæ pariterque suo banno corroboravit, amen. Est autem hujus prædii pars quædam determinata & ex toto nostri juris non admittens ditionem vel communionem alterius ecclesiæ sive seculari personæ qua hiis terminis designantur. Incipiunt ab orientali a marginalibus lapidibus determinantibus ipsum prædium a prædio S. Petri
B Neovillæ, quod adjacet terminis villæ Stemwirk; & procedunt inde ad torrentem, qui dicitur *Wildeguzembach*. Et tendentes sursum ad locum, qui dicitur *Rohenstein*, extendunt se usque in flumen Hornam, perguntque ad locum, qui dicitur *Ercunira*, & pervenientur ad prædam, quæ vocatur *Hertenstein*, ipsam ex toto complectentes, sicque ad terminos villæ Volanarswiller perducuntur. Hujus etiam villæ quarta pars super memorato prædio ascribitur, in vineis, in agris, in pratis, in silvis & in omni jure, sed & ultra fluvium Sornam tres mansi & fenis, & forestum quod dicitur *Wustebruyel*; itemque aliud quod vocatur Falchenburg, in Egoltzwiler quoque tres mansi absque uno quartario, & duodecim curtilia & plusquam tertia pars silvæ ad communitatem
C ipsius villæ pertinentis.

Præterea adscribuntur ipsi prædio vastitates circumque sibi adjacentem saltum, in quibus tamen admiscentur communitates duorum prædiorum, hoc est villæ *Steimwircke*, ad proprietatem S. Petri & Richardi *Andelach* pertinens, necnon villæ *Heroltzheim* ditioni S. Petri Neovillæ subjacentis. Solis colonis horum trium prædiorum licet usus & potestatem habere hiis saltibus & extra hos nulli hominum, etiamsi sint de familia qualibet principalium ecclesiarum ad aliud prædium pertinente. Trium ergo curtium unaquæque forestarium suum in saltus per se denominat quæ sibi debita ejus exquirat. Si quis comprovincialium novales in eis novare voluerit, permissione trium forestariorum hoc expleat, quorum census & decimæ in tres æquales partes
D dividantur, & sua cuique curti pars tribuetur; de pastione porcorum & reliquis usibus similiter fiet: horum termini incipientur a prædio proprietatis S. Petri Neovillæ, qui dicitur *Schwega*, ascendunt per alveum fluminis Cincile usque in torrentem Falbach, indeque tendentes usque in clivum, qui dicitur *Stanpfeschalda*, moxque ad locum vocatum *Vassergevelle*, inde perveniunt usque ad *Volbarlzwiler*, perguntque inde *Heroltzheim* per semitam quæ inter duas villas frequentatur, eaque huic semitæ superiora sunt sibi ascendentes, sicque per eandem semitam ex superiori parte ecclesiæ, quæ est Heroltzheim ad locum, qui dicitur *Sterga*, reducuntur. In ipsa villa Herotsheim quinque vineti ex superioris parte semitæ situm est, de una quaque dicta quartanum vini a possessore pro censu persolvitur, cujus persolutionis quantitate in tres æqualiter partes divisa præfatarum ec-
E clesiarum usibus sua cuique pars tribuitur: ad prædictum etiam jus pertinet aliud forestum nomine *Brietensnoch* vocatum, incipiens a torrente Vilspach & pertingit usque ad Lidersspach & ascendens a septentrionali parte usque ad locum, qui dicitur *Sibenbuch*, habensque ibi quaquaversum designatas arborum marginales provincialibus satis notas (nota quod inter hos saltus existat quoddam forestum, quod dicitur *Farnaskela*, quod ex integro est proprietatis S. Petri monasterii Neovillæ) prædium quod situm est in Schwindratsheim. Dominus Goc. viginti-sex agros & quartam partem habet in sylvis dominæ Richardæ, quatuordecim agros, Erbo quindecim, octo Dieterus, novem Erbo, octo mulier quædam, Gerlacus duas curtes, utramque pro quindecim denariis, alter vir habet curiam pro viginti denariis.

XXI.

Ex archiv. episcopi Argent.

Instrumentum fundationis S. Arbogasti, seu restaurationis ejusdem loci.

1143. AD honorem summi Regis, totius boni fontis, ortus & finis : ego Burchardus, ipsius gratia, S. Argentinensis ecclesiæ episcopus, tam præsentis quam futuri temporis fidelibus innotescere disposui, qualiter in ecclesia beatissimi Pontificis Arbogasti præfatæ civitati contigua, canonicæ vitæ religionem secundum regulam & auctoritatem magistri doctoris Augustini, præcedente & subsequente nos juvamine S. Spiritus, initiaverimus. Sanctæ memoriæ Hesel episcopus, qui me non parvo tempore in episcopatu præcesserat, instinctu divino succensus, quin & ipso beato Arbogasto, sicut veridico majorum relatu cognovimus, revelante, sicum diu cepit tractare, quomodo locum illum, in quo nunc ecclesia memorati S. Præsulis honori dicata cernitur, continuo famulatu Dei decorare potuisset ; noverat etiam sine causa non fuisse, sanctum Arbogastum quondam sacratis orationibus suis specialiter ipsum locum delegisse ; cujus sanctitatis excellentia ne posteros omnino lateret, miranda Dei virtute, aliquando absente navigio, præmisso sanctæ Crucis signaculo flumen præterfluens, sicco transiit vestigio : convocato ergo seniorum consilio, tam clericorum quam laïcorum, quod jam diu mense conceperat coram omnibus exponebat, ut videlicet quod solus minime præsumeret ipsorum consensu & favore perficere valeret ; quod cum omnibus placeret, omnes una voce fieri perficique concorditer acclamarunt, præsul venerandus locum cum primoribus adiit, ecclesiæ parietes ampliavit, & prudenti usus consilio nonam partem omnium redittuum episcopatus totius eidem ecclesiæ mancipari perpetuo decrevit ; accersitis itaque religiosis personis die noctuque divinis laudibus in eadem ecclesia vacare intendentibus, magnum civibus gaudium, multoque majus apud omnipotentem Deum sibimet providit hujusmodi studio præmium : postmodum vero, seu subsequentium negligentia præsulum, seu peccatis exigentibus hominum, paulatim religio divini cultus inibi adeo tepuit & defecit, ut quod pridem sancte ac religiose viventes juste possederant, e converso minus animarum suarum saluti prospicientes illicite sibimet usurparent, & quod vitæ communis professoribus præfatus episcopus constituerat, in secularium clericorum partiretur octo præbendas. Cumque non modico tempore tam miserandæ permutationis dispendia vigerent, accidit, non ut æstimo, casu, sed Dei nutu pro velle suo disponentis omnia, majoris-domus decanum virum admodum religiosum, nomine *Carolum*, ejusdem ecclesiæ fieri præpositum, qui scilicet, ut erat religionis amator, considerans, immo valde perhorrens eundem locum, ut dixi, communi vitæ deputatum, a non ejusdem vitæ dilectoribus occupatum, frequenter me familiarius adiit, & ut antiquo statui, nostro consilio & auxilio revocaretur, devotissime flagitavit ; cujus bonæ voluntati paterno congratulans affectu sæpius inter nos ascitis quibusdam personis Deum timentibus, scilicet Adelgoto domus præposito, Gotfrido decano, Henrico archidiacono, Petro canonico, Erlewino civitatis presbytero, conferre studuimus, quatenus hujus intentionis desiderium stabilem consequeretur effectum. Consuluimus itaque ut clericos ecclesiam quoquomodo possidentes, aliquatenus, salva populorum pace, religionem renovatam quiete summoverimus ; quapropter secretius, prænominatis personis astantibus, eosdem clericos conveniens, ac modo per neglectum servitutis quotidianæ tantis sanctorum reliquiis impendendæ justi judicii intentans eis offensam, modo retributionis æternæ præmia consecuturos promittens, si devotionis nostræ proposito non obsisterent, annuente superna pietate, tanto compendiosius eorum animos ad consentiendum nobis inclinavimus, quanto privatis irretiti negotiis, & ipsius loci tenuitate, causari videbantur. Ut autem præsentibus & futuris omnibus pateret, qua præfatus vir nobilis & religiosus Carolus intentione hiis conatibus insudaverit, repente misericordiæ Dei dispensatione, divitiis & honoribus seculi nobis stupentibus, & de ejus absentia non modice dolentibus renuntiavit, coadunatisque pauperibus Christi regulam beati Augustini profiteri sponte volentibus, nudus nudam crucem sequi deliberavit, sicque in beati Arbogasti ecclesia perpetuo se mansurum obtulit : precor ergo, & contestor in Domino clerum & populum tam nostri quam futuri temporis, ut respectu Dei, & in remissionem omnium peccatorum suorum, ecclesiam illam diligant, tueantur, foveant, ac summopere caveant, ne religionem labore tanto reparatam dilabi vel destrui patiantur. Si quis autem fratres ibidem deo famulantes amodo inquietare, vel infestare præsumpserit, & admonitus resipiscere contempserit, hic ecclesiæ communione privatus, & in futuro Dei justorum consortio proturbetur, eosdem vero foventes ac defensantes temporalibus abundent subsidiis, & celestibus perfrui mereantur gaudiis.

Anno Incarnationis Dominicæ MCXLIII. indictione VI. epacta III. episcopatus autem nostri anno secundo, cepta & perfecta sunt hæc omnia, adjuvante Domino nostro Jesu-Christo, vivente & regnante per infinita secula seculorum, amen.

Henricus Argentinensis episcopus, nonam partem fructuum de curtibus diœcesis, quam olim Heizelinus, per cujus gloriosa merita episcopatus termini magnifice fuerant ampliati, S. Arbogasto dederat, confirmavit anno 1218. pontificatus sui anno 16. Testes Rinhardus præpositus, Wernhardus decanus.

XXII.

Charta Burchardi episcopi Argentinensis de instituta hospitali domo a Chunegunde abbatissa Aschowæ pro peregrinorum susceptione.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis : Ego Burchardus Dei gratia Argentinensis episcopus, notum esse volo tam præsentibus quam futuris, quod domina Chunegundis abbatissa de Aschowa me concedente & astipulante, communicato consilio totius congregationis & conniventia populi, præfati videlicet loci, decreverunt & constituerunt hospitale foris villam antea dictam juxta stratam Romanam ad susceptionem & refectionem peregrinantium ubivis venientium, ad consolationem quoque eorumdem decreverunt & contradiderunt decimas omnium redituum & pensionum suarum venientium ad cellarium suum, expeditis tamen ad futurorum fructuum opera omnibus curtibus suis per singulos annos. Sed quoniam prolabente tempore & moribus hominum intervenientibus hujusmodi constitutiones in oblivionem vergentes vel propter negligentiam omnino deficiunt, vel propter præsumtionem perversorum immutantur, manuscriptum hoc fieri & sigilli nostri impressione muniri & consignari dignum duximus, & banno nostro confirmavimus: & ut nullus successorum nostrorum, aut aliqua substitutarum abbatissarum hoc institutum præsumat temere immutare vel infringere. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCXLIII. indictione VI. regnante Chounrado gloriosissimo Romanorum rege II.* anno episcopatus nostri 2. & anno regni Chounradi VI. præsentibus religiosis sanctimonialibus ejusdem cœnobii, Erlinde, Irmingarde, Adelheide, Adelmoede, Herecha, Berta, Gerdruht & aliæ quamplures. De fratribus Rudegerus plebanus, Gerungus canonicus : de laïcis vero Anshelmus & filius ejus Fridericus Adelbero. 1143.

* l. III.

XXIII.

Charta Friderici I. Imperatoris, donationes Altorfio factas confirmantis.

1152. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus Dei gratia Romanorum rex. Noverit omnium tam futurorum quam præsentium Christi fidelium solers industria, qualiter antecessorum nostrorum Regum, seu Imperatorum vestigia sequentes, & piam devotionem animadvertentes, ecclesias ac ecclesiasticas personas diligimus ac manu tenemus, unde donationes, quas antecessor noster pius Otto imperator Eberhardo quondam comiti concessit, largitus est & perdonavit, scilicet fas, jus, & potestatem, mercatum, monetam, tabernam & teloneum publicum habendi, construendi, & legitime faciendi in quodam suæ proprietatis allodio, quod dicitur *Altorff*, in quo avus & pater ipsius Hugo abbatiam in honorem sacratissimi martyris Christi construxit Cyriaci in provincia Alsatia, in pago quoque Nortgowe in comitatu prædicti quondam Eberhardi, nunc autem hæredis sui Hugonis sito. Has ego donationes, & universa, quæ ista parentela, vel alia qualibet persona, ob animæ suæ salutem prædicto loco contulit, vel, favente Deo, imposterum contulerit, eas donationes nostræ auctoritatis corroboratione firmamus, & perpetuo stabilimus, ut videlicet Bertoldus abbas, omnesque sui successores, eandem monetam legitimam, cum mercato, teloneo, taberna, & totius reipublicæ functione, cum universis ad eundem locum pertinentibus, libere disponant, & regant, & quidquid ipsi voluerint ad usum ecclesiæ faciendæ potestatem habeant, nec cuiquam inde quidquam persolvant, nostra omniumque contradictione remota. Si quis autem hujus corroborationis in aliqua re violator & contradictor extiterit, sciat se compositurum nostrum regalem bannum, ita sicut mercato, Moguntiæ, Coloniæ, & Argentinæ confracto & contaminato reus existeret, & taliter persolveret. Atque ut nostra confirmatio stabiliter perseveret, hanc paginam inde conscriptam sigilli nostri impressione muniri præcepimus. Testes quoque hujus rei subter notari jussimus, quorum nomina hæc sunt: Arnoldus archiepiscopus Coloniæ, Ordiebus Basiliensis episcopus, Wibaldus Corbeigensis abbas, Egilolfus Morbacensis abbas, Henricus dux Saxoniæ, Berdoldus dux Burgundiæ, Otto Palatinus de Witelinesbach, Sibertus comes de Franckenburg, memoratus Hugo ejusdem loci advocatus, & alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi. Ego Arnoldus cancellarius vice Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi. Datum Colmariæ III. calendas Februarii, anno Dominicæ Incarnationis MCLII. regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso, anno regni ejus primo, in Christo feliciter. Amen.

XXIV.

Fundatio prioratus Rubiacensis in diœcesi Argentinensi.*

* Ruffac.

1183. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Henricus, divina favente clementia, Argentinensis episcopus, omnibus, ad quos ista pagina pervenerit, æternam in Christo salutem. Dubium non est, omnia omnino, quæ consilio recte geruntur, atque scripto comprehenduntur, merito firmitate niti debere, ac perpetuam retinere memoriam. Quapropter tam ad præsentium quam futurorum fidelium recordationem scripto commendare proposuimus, qualiter monachi S. Mariæ de Campis, qui sunt in suburbio Metensis civitatis, cum reliquiis gloriosæ virginis Mariæ & aliorum venerabilium sanctorum, Alsatiam intrantes ad locum nostrum Rubiacensem devenerunt, ibique Christi fidelibus A meritis sanctissimæ Virginis, & aliorum sanctorum, sicut accepimus, multimodis sibi miraculis ostensis congaudentes & de eorum patrocinio plurimum confidentes, præfatas reliquias in confinio jam dicti loci retinere & venerari desideraverunt, hoc quidem ratum & acceptum habentes jam dicti monachi ad nos & ad fratres nostros majoris ecclesiæ canonicos venientes, devote supplicaverunt, ut in supradictæ villæ colle locum eis concederemus, in quo ad Dei laudem & S. Mariæ, & prænominatorum sanctorum reliquias collocarent. Nos vero considerantes eorum devotionem, & totius Rubiacensis populi tam militum, quam aliorum affectionem, pro honore Dei & sanctissimæ genitricis ejus reverentia, partem de ipso colle nostro, sito juxta Rubiacum ad monasterii sedem & cimeterii & officinarum eis concessimus. B Verum eo pacto convenimus, ut quando prior ibi eligendus fuerit, requisito consilio prioris Metensis, si infra triginta dies venire potuerit, unum de conventu suo fratres ibi Deo servientes eligant, si illic idoneus inventus fuerit, sin autem de capitulo Metensi convenientem personam accipiant. Si vero de eligendo prælato inter fratres discordia fuerit, per dominum episcopum Argentinensem, & priorem Metensem discordia terminetur. Electio vero facta domino Argentinensi episcopo primum præsentetur, & ab eo dignitatis suæ secundum locum investituram suscipiat, eique fidelitatem & monasterio de Colle faciat, de ordine autem suo priori Metensi reverentiam & obedientiam exhibeat cum fratribus suis. Hæc omnia in persona domni Walderici a fratribus, consilio prioris C Metensis in priorem electi per nos completa fuerunt. Sed, si prior pro culpa, aut excessu removendus fuerit, non sine consilio domni Argentinensis, & ejusdem villæ proborum virorum, priorisque Metensis assensu, hoc fieri valeat. Sed si contigerit priorem decedere & arctiori vitæ inhiare, aut propter majorem dignitatem, aut pro voluntate sua irrationabili discedere, substituendus in priorem a fratribus ejusdem loci, ut jam dictum est, eligatur in prædicto modo, electus semper domino episcopo Argentinensi præsentetur. Hæc autem omnia in perpetuum permanere debent salvo honore & justitia domini episcopi Basileensis, & antiquioris ecclesiæ de Rubiaco. Sunt autem hæc, quæ specialiter, & expressim monachi de Monte-vitarum debent, ne mater ecclesia, quæ Rubiaco est, gravetur: decimas parrochianorum ejusdem ecclesiæ nec manifeste nec occulte reci- D piant, nec de terra sibi data seu danda decimas retineant; ægros in ipsa parrochia sine consensu plebani nec communicent, nec oleo inungant, nec mortuos sepeliant, excommunicatis seu ab ecclesia ejectis divina officia non celebrent, missa matutina, quæ in plebana ecclesia celebratur, monachi sua matutina missa præveniant, & sicut de missa matutina diximus, sic etiam de processione, quæ in Dominicis diebus agitur, observandum constituimus, nisi ad plenitudinem conventus ecclesia de Monte sic augmentaretur, ut secundum monachalem regulam facere tardius tenerentur verbum ad populum; pronuntiatio vero festorum & petitiones, quas pro necessitatibus faciunt monachi, breviter fiant, ne moram generent populo ad ecclesiam parochialem festinanti; unde & simbolum in omni Dominica an- E nuntient. Ut autem concessio nostra, & omnia quæ dicta sunt, firma, & inconcussa permaneant, scriptum hoc sigilli nostri impressione confirmamus. Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIII. indict. prima, epacta XXV. concurrente V. Lucio papa Romanæ ecclesiæ præsidente, regnante Friderico invictissimo imperatore & semper augusto. Hujus rei testes sunt, Bertoldus præpositus majoris ecclesiæ, Frivo decanus, Lantfridus cantor, Ebirardus custos, Olricus præpositus de Habela, & ceteri fratres majoris ecclesiæ. Anselmus advocatus, Wernherius Marsalo, Sifridus Burgiannus, Krodolphus de Rinova, Krodolphus scultetus, Waheber frater ejus de Rubiaco, Wenberus de Speculo, Cuunradus Causticus, & fratres sui, Theodoricus & Algelh,

Hugo

Hugo filius domini Ruodolphi de la Begazza, Theodricus de Turre Hibilunæ, & fratres sui Werberus & Gerardus, Gerardus Tohho, Ordiebus, Fridericus de Urgesode, & fratres sui, Henricus Barre, & fratres sui, Burchardus de Milliluihei, & fratres sui, omnisque Rubiacensis populus cum plebano suo Bartungo. Amen. Amen. Amen.

XXV.

Charta Friderici imperatoris, qua donationem loci sancti Gorgonii factam ab Herrade abbatissa Hohemburgensi, Wernero abbati Stivagii ord. Præm. confirmat.

1183. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Fridericus, Dei favente clementia, Romanorum imperator semper augustus, tam futuris, quam præsentibus. Quotiens ea petimus, quæ religioni congruunt, servorumque Dei paci & tranquillitati necessaria sunt, gratum nos assensum præbere & benigne parere convenit, ut devoto corde Deum pro nobis interpellare studeant, quatinus dum temporaliter regnamus, fideliter vivere, & in futura vita cum Christo & sanctis ejus mereamur æternaliter regnare. Quapropter omnium fidelium, præcipue tamen principum nostrorum auribus intimamus, quod venerabilis Herrat Hohenburgensis ecclesiæ fidelis & prudens abbatissa, thesaurizare sibi volens misericordiam in die iræ, locum sancti Gorgonii pene desolatum ad honorem Dei & ecclesiæ suæ, ad cujus curam idem specialiter pertinet, promovere desiderans, religiosi Præmonstratensis ordinis canonicos ad serviendum ibidem Deo constituere curavit. Domino siquidem Warnero ecclesiæ Stivagensis abbate, & successoribus ejus prædictum locum, cum omnibus ad eum pertinentibus, ea intentione in perpetuum concessit, ut eundem officiis divino servitio congruis instituentes, illuc religiosos Ottiliæ suæ viros tam clericos, quam laicos in perpetuum delegare studeant, fraternitatis etiam consortium, & præbendam hebdomadarii, annuatim scilicet caratam vini, & quatuordecim maldros hyemalis frumenti, & septem hordei, vigintique solidos monetæ Argentinensis, & quicquid sibi, vel vicario suo, vel capellano sanctæ Odiliæ oblatum fuerit ad manus, necnon pratum & silvulam ad sanctum Naborem sitam, & septemdecim jugera terræ in Thalheim, & beneficium altaris sanctæ Odiliæ in Ergersheim situm, atque caratam vini in Wolffgangheim cum omnibus decimis tam pratorum, quam agrorum ad sanctum Gorgonium positorum, & quorumlibet animalium pascendi licentiam in Hohenburgensibus pascuis unanimi consilio, & benevolentia totius congregationis, & ministerialium, ipsi & successoribus ejus ea conventione concessit, ut uno quoque Stivagensis ecclesiæ abbate vita decedente, vel permutato, successor ejus eadem beneficia cum omnibus ad eundem locum collatis, & collaturis a manu abbatissæ, quæ illis diebus Hohenburgensi ecclesiæ præfuerit, absque ulla contradictione, primo aditu.... gratis accipiat, & quamdiu Stivagensis ecclesiæ prælaturam habuerit, in pace teneat: & quia servos Dei honore invicem prævenire convenit, hunc honestatis censum a præfato abbate & successoribus ejus eadem abbatissa exigere dignum duxit, ut quotiensecunque voluerit, & exoccupatus fuerit, fraterna visitatione Hohenburgensem Ottiliam visitet, & in festo sanctæ Odiliæ, & in dedicatione capellæ ejus, & in Nativitate sanctæ Mariæ, ad eandem ecclesiam, nisi infirmitate corporis præventus, vel aliquo ecclesiæ suæ negotio fuerit occupatus, missam solemnem annuatim celebrare veniat. Si vero venire nequiverit, priorem vel aliam idoneam personam pro se mittat.

Quia ergo, mundi malitia crescente, statuta bonorum impios & malignos subvertere homines plerumque contingit, prædicta abbatissa nostram serenitatem adire

A studuit, humiliter petens, ut prædicti pacti statutum secundum continentiam privilegii eorum aliquibus

. . . .

. . . .

amovebit, & alios loco ipsorum honestos atque religiosos ad honorem ecclesiæ & ordinis sui restituere curabit. Præterea, si fratres Stivagenses, & fratres apud sanctum Gorgonium commorantes, aliquo temporali commodo indiguerint, seu abundaverint, abbas eorum paterna provisione ea dispensare, prout discretioni suæ visum fuerit, singulorum indigentiam adimplere curabit. Ædificato itaque loco, ampliatisque fratribus, prædicta abbatissa verens, ne forte quisquam imposterum antiqui hostis stimulis exagitatus, eosdem fratres aliquibus vexationibus temere perturbare moliatur, a nobis B humiliter petiit, quatenus statuti sui pactum juxta tenorem privilegii, quod sibi unanimiter conscripserunt authoritate nostra sanciremus. Nos autem de sanctitatis eorum profectu, & animarum lytro vehementer gavisi, justis ejus petitionibus libenter annuimus, & sub Dei, nostraque protectione eosdem fratres suscipientes statuta illorum præsentis scripti auctoritate confirmamus, ac sigilli nostri impensione corroboramus. Statuere etiam dignum duximus, ut nulli hominum liceat, eosdem fratres in supra dicto loco Domino militantes perturbare, aut possessiones eorum aufferre, vel oblata retinere, minuere, sed omnia integra, & illibata conserventur, quæcumque etiam bona in futurum concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterint adipisci, firma C illis, & successoribus eorum & illibata permaneant. Si qua igitur ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam ire temptaverit, indignationem Omnipotentis Dei, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, incurrat, & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem in eodem loco Domino servientibus, ibique solatiantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia & dona pacis inveniant. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo-tertio, indictione prima, epacta vigesima-quinta, concurrente quinta, regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus trigesimo-secundo, imperii ejus vigesimo-D nono. Data in Scherwiller decimo-tertio calendas Februarii, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXVI.

Fundatio monasterii de Trutenhusen ordinis sancti Augustini diæcesis Argentinæ, seu *potius ejusdem fundationis confirmatio.* *Ex autographo episcopi & principis Argent.*

LUCIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis 1185. in Christo filiabus Herrardi abbatissæ, & sororibus in monasterio Hohenburg tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, apostolicam benedictionem, & perpetuæ salutis jocunditatem. Totius ecclesiæ fidelibus paterna dilectione familiariter insinuamus, quod audientiæ nostræ veridica asE sertione relatum est, qualiter Fridericus dux, pater Friderici imperatoris, ecclesiam, quæ dicitur *Hohenburg*, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ fundatam, in qua requiescit corpus S. Odiliæ virginis, per indiscretam rerum invasionem disturbaverit, & usque ad tempus filii sui Friderici imperatoris pene destructam reliquerit; ipse vero Fridericus Romanorum imperator divina gratia instinctus, pro tam miserabili patris delicto graviter doluit, & æterni Regis gratiam reconciliare volens, præfatam ecclesiam consilio spiritualium personarum restaurare elaboravit, & sicut ab eis didicit, religiosam & idoneam personam, nomine *Rilint*, eidem ecclesiæ præfecit. Hæc enim, dum regimen ecclesiæ feliciter suscepit, pro Dei amore destructa diligenter

reædificans, dissipata strenue plantans, auxilio & consilio Burkardi Argentinensis episcopi, aliorumque spiritualium, ipsam ecclesiam ad honorem Dei prudenter & honorifice reformavit, omnemque divinæ legis religionem, ac canonicæ disciplinæ rigorem secundum regulam beati Augustini inibi pleniter informavit; quam studii normam succedens ei abbatissa dilecta in Christo filia nostra Herrat fideliter in omnibus bonis secuta, inter cetera utilitatis opera, quibus invigilavit, prædium *in Trutenhusen* cum conventu suo, & cum Gunthero de Vinbege, a quibusdam ministerialibus ipsius cœnobii comparavit, & super majus altare in Hohenburc ea conditione tradidit, ut ad honorem Dei & Hohenburgensis cœnobii, per laborem suum præpositura ibi canonicorum regularium fundaretur, qui secundum beati Augustini regulam, & consuetudinem Marbacensis ecclesiæ, institui & permanere deberent: hoc autem favore & consilio carissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris semper augusti, & consensu ecclesiæ ipsius ministerialium, approbatione quoque bonæ memoriæ Petri Tusculanensis episcopi, tunc apostolicæ sedis legati, & Henrici Argentinensis episcopi statuit & construxit primum ibi capellam ad honorem Dei, ac memoriam B. M. semper virginis, & curtim cum ceteris ædificiis, donec construeretur ibi major ecclesia, id est, monasterium in memoriam beati Nicolai, cum claustralibus officinis, videlicet cum hospitali pauperum, & hospitio advenientium hospitum, ceterisque ædificiis ecclesiæ necessariis, in quo duodecim canonici, cum idoneo præposito ejusdem ordinis collocandi sunt, qui sub regulari professione degentes, Hohenburgensis cœnobii abbatissis omnique collegio in negotiis spiritualibus seu temporalibus, prout abbatissa, & necessitas cœnobii postulaverit, in timore Dei devote obtemperent, nec aliquo temerario ausu Hohenburgensem ecclesiam superbe inquietent, quibus utique præfatæ ecclesiæ *in Trutenhusen* ordinatione tali, ut prædictum est, fundatæ dare decrevit, cum prædictorum assensu, duarum hebdomadariarum stipendia præbendarum, non ad privatum usum, sed ad communem utilitatem distribuendarum, duas scilicet carratas vini, & duo talenta Argentinensium denariorum, & viginti-octo maldros hyemalis frumenti, & quatuordecim maldros ordei, & beneficia in inferiori Ehenheim, & in Rodesheim sita ad easdem præbendas pertinentia, & decimationem Salicæ terræ in Sunthusen, decimas quoque Salicæ terræ in Egensheim ad easdem præbendas pertinentes, & quidquid præposito, vel vicariis suis ad manus oblatum fuerit in Hohenburc. Insuper quoque ad eorumdem usum modo concessit in Gokkeswilre triginta duo frugifera jugera, & dimidium, & duo vinifera, cum arbustis, & duos ortos, & curtim; in Bercheim vero concessit illis quatuordecim jugera & unam curtim, in Heilingenstein quoque septem jugera vinifera, quæ omnia non pertinent ad præbendas. Ad hæc etiam concessit illis ex integro ipsum allodium *Trutenhusen*. Statutum est itidem, ut quilibet præpositus *in Trutenhusen*, cum voluerit, Hohenburgensem ecclesiam visitet, & missarum solemnia secundum ordinem ipsius ecclesiæ celebret, ac duos ex canonicis suis religiosos & idoneos hebdomadarios in Hohenburc semper constituat servituros. Quod si prædicti sacerdotes aliquando commutandi fuerint, præpositus, absque ulla contradictione abbatissæ, libere eos ad claustrum revocans, alios idoneos restituere curet, qui de monte, sine licentia abbatissæ, non recedentes divina officia absque ullo gravamine secundum consuetudinem Hohenburgensis ecclesiæ celebrare non recusent. In Purificatione quoque S. Mariæ, & in die Palmarum, & in Cœna Domini, & in Nativitate, ac Decollatione S. Johannis-Baptistæ, & in Assumptione S. Mariæ, & in festivitate S. Michaëlis, & Omnium sanctorum ad monasterium Hohenburgense, si inevitabilis causa non impediat, missam solemnem celebraturus, annuatim veniat, & etiam in festo S. Odiliæ, ac in capellæ ejus dedicatione

A & in Nativitate Domini missam diurnam priorem celebret. Quod si præpositus, & canonici sui hæc privilegii decreta neglexerint, ecclesiamque Hohenburgensem irrationabili gravamine inquiete perturbaverint, abbatissa & conventus præbendas ac beneficia ad præbendas pertinentia subtrahant; & aliunde sibi sacerdotes, quos voluerint, quietos & religiosos sibi provideant, isti vero officia in missarum solemniis prius sibi concessa amplius in monte Hohenburc, nisi permissione abbatissæ & conventus, sicut & alieni celebrare non audeant. Simili quidem modo, si Stivagiensis abbas, & canonici sui Hohenburgensem ecclesiam per injustam contradictionem contentiose impugnaverint, nec privilegii sui statuta a manu Hohenburgensis abbatissæ data, mansuete obtemperando, observaverint, locus B S. Gorgonii, qui est præbenda unius hebdomadarii, cum omnibus appendiciis suis, quem quilibet Stivagiensis abbas ab Hohenburgensi abbatissa accipere debet, ceteraque beneficia de Hohenburc suscepta, eis subtrahantur, aliique sacerdotes idonei pro libitu abbatissæ & conventus aliunde eligantur; ipsi autem amplius in monte Hohenburc missarum solemnia, quemadmodum alieni, nisi permissione abbatissæ, celebrare non audeant. Unanimi quoque consilio & consensu decretum est, ut uno quoque præposito *in Trutenhusen* a præsenti vita decedente, vel mutato, fratres inibi commorantes idoneam & religiosam ordinis sui personam eligant, & ipse electus investituram præpositurae de manu Hohenburgensis abbatissæ absque ulla contradictione primo aditu per librum gratis accipiat. Adjectum C est nihilominus, ut ecclesia *in Trutenhusen* sub Hohenburgensis advocati patrocinio deffendatur, & quælibet secularis causa inibi ventilanda in judicio ipsius advocati discutiatur. Nunc igitur, quia hæc pia, religiosaque statuta nostro confirmari munimine, atque apostolica protectione vallari prædicta filia nostra *Herrat* venerabilis abbatissa petivit, nos petitioni suæ benigno concurrentes assensu, prædictam constitutionem auctoritate apostolica confirmamus, & locum ipsum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, D præstante Domino, poterit adipisci, firma fratribus eorumque succedentibus, & illibata permaneant. Liceat quoque illis personas liberas & absolutas a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli canonicorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque præpositi sui licentia de eodem discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat ipsis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati fratrum paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus infra clausuras locorum seu grangiarum suarum violentiam, vel rapinam, seu furtum committere, E ignem apponere, hominem capere, vel interficere audeat; sepulturam præterea ipsius loci tam ad opus fratrum, quam familiæ peregrinorum, seu hospitum inibi decedentium, nisi forte excommunicati fuerint, vel interdicti, liberam esse decernimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia; si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam

temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Domini nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum Veronæ per manum Alberti S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, cal. Maii, indict. IV. Incarnationis Dominicæ an. MCLXXXV. pontificatus vero domni Lucii papæ tertii anno quarto.

XXVII.

Ex autographo.

Henricus episc. Argentinensis confirmat donationem amplissimam abbati & monachis de Bongart factam.

1187. IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Henricus Dei gratia Argentinensis episcopus, & clerus ecclesiæ majoris ejusdem civitatis, universis fidelibus in perpetuum. Quoniam tempora periculosa supervenerunt, in quibus conantur filii patrum decreta convellere, & eleemosynas ecclesiis Dei juste donatas retrahere, & illicite possidere contendunt, idcirco ratio postulat, ut speculatores domus Israel ex adverso stantes patrimonium Crucifixi tota auctoritate deffendere studeant atque tueri. Nunc igitur omnis generatio rectorum memoriter teneat, quod de sacro germine sanctæ matris ecclesiæ processerunt viri virtutis, qui pro Christo sua omnia seque dedentes, vitam apostolicam populo Dei in sua conversatione repræsentant, qui videlicet sacrum Cistercienses ordinem in suo sanguine plantaverunt, suo sudore plantatum rigare non cessarunt, quem nos cernimus tantis benedictionibus multiplicatum, ut ipsum patri spirituum spiritales fructus indesinenter afferre credamus. Hujus ordinis sacri religiosi fratres auctoritate sanctorum patrum missi venerunt olim mansionem suæ religioni congruam nostris in partibus avidius perquirentes, quos bonæ memoriæ prædecessor noster hujus sanctæ sedis episcopus Burchardus cum summa devotione suscepit, misericordia motus super eos, eo quod essent homines alterius nationis & ignotæ linguæ, qui in locis sylvestribus constanter laborarent, ut efficerentur cives sanctorum & domestici Dei. Hos ergo susceptos idem pontifex in fundo beatæ virginis Mariæ, in loco, qui dicitur *Bongart*, benignissime collocavit, quem servi Dei locum tunc horroris & vastæ solitudinis cum multa gratiarum actione suscipientes, humanis usibus idoneum, & habitabilem in brevi reddiderunt, quoniam spinis & vepribus extirpatis, secundum sui ordinis instituta religiosas officinas erexerunt, totis viribus tendentes adhoc, ut ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequenter sonabat in auribus hominum, ibi deinceps in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus crebrius resonaret melodia celestis in auribus angelorum: cumque pauperes Christi duro simul ac diuturno martyrio laborarent, dum essent pauci numero, eo quod in illis & austeritatem vitæ, & rei familiaris inopiam, & professionis rigorem plurimum abhorrerent homines deliciis assueti, tandem servorum Dei patientia superans corda diu contrita de profundo mœrore levavit, quoniam cum illis ad servitium Dei turba confluere & circummanentes de suis prædiis domui Dei paulatim offerre ceperunt, inter quos ceteris ferventior Walfridus de Bissopsheim fidei ac devotionis fervore succensus, qui cum de suo corpore non haberet heredem, semetipsum penitus exheredavit in terris, ut Christi coheres esse mereretur in celis. Dedit præfato cœnobio in Bissopsheim curias quinque cum pertinentiis suis, & cellarium unum, & in territorio ejusdem villæ, & alterius, quæ dicitur *Cregsheim*,

A de terris arabilibus agros circiter septuaginta, & prati agrum & dimidium; de vineis agros viginti novem; apud Bersan curias duas cum appendiciis suis; apud Engresheim, curias quatuor & molendinum, & agros triginta duos, & duos agros prati; apud Gaetzbotzheim, curias tres & cellarium, & agros circiter viginti quinque, & prata quatuor; apud Andelau, decem agros vinearum, quos manu tenendos susceperunt Fridericus plebanus S. Fabiani, Arkemboldus scultetus, Argothus, Gerardus, Fridericus; apud Vulvam, septem agros prati; apud Celenwilre, agros quatuor; apud Kercenvelt, agros quatuor. Hæc sunt dona, quæ prædictus Walfridus prædictæ contulit ecclesiæ secundum legitimam consuetudinem terræ, per manus scilicet amicorum, qui sibi erant & cognatione propinqui & conditione co-

B æquales, ut ipsi beneficium hoc & suo testimonio roborarent, & sua tuitione manutenerent ecclesiæ; & inde est quod ipsi suscepti sunt familiares & fratres conscripti in eadem ecclesia, ut sint orationum participes & beneficiorum omnium amodo in reliquum. Horum autem nomina sunt hæc: Burchardus de Bissopsheym, Theodericus pincerna, Walfridus, & filius suus Walfridus, Hartemothus scultetus, Theodericus & frater ejus Varinus, Adelbertus de Hynehcym, Otho & frater ejus Egololfus, Varnerus de Virdenheim, Cono de Bissopsheym, Ulricus filius Walfridi, Bertolfus filius Burcardi, Varnerius filius Warnheri; his autem solemniter datis, Walfridus ipse valefaciens seculo & sollicitudinibus ejus, & conversus in Bongart inter pauperes Christi factus est unus ex ipsis. Placuit igitur fratribus

C & canonicis nostris de capitulo S. Mariæ beneficium hoc suo sigillo confirmare in testimonium, quoniam vere dignum & justum est, ut illa mater ecclesia, de qua per latitudinem episcopatus & origo totius christianitatis emanat, filiabus suis ecclesiis diligendis ac manutenendis invigilet, ne sit sine affectione, si diligere desierit, & absque fœdere fiat, si manutenere neglexerit. Nos autem præfatas donationes sub protectione pontificali suscipientes confirmamus, & prædictum locum de Bongart in honorem gloriosæ virginis Mariæ consecratum ecclesiastica libertate donamus, & irrefragabili sanctione constituimus, ut nulli hominum liceat infra ambitum dedicati cimiterii, nec infra clausuram abbatiæ vel curiarum ejus rapere prædam, hominem capere, spoliare, vel occidere, nec aliquid de substantia domus furtim, vel violenter auferre, sed omnia perpetua li-

D bertate, sicut atria ecclesiastica, conserventur illæsa. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis decretum temeraria præsumptione violaverit, ipsum a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu-Christi, & a sanctæ matris ecclesiæ membris segregamus, & excommunicamus; & sicut extinguitur lucerna de manibus nostris projecta, sic in die judicii lucerna ejus cadat extincta, ne possit videre gloriam Dei, sed cum reprobis projiciatur in tenebras exteriores, nisi congrua satisfactione veniam consequatur & gratiam. Fiat, fiat, amen.

Actum legitime, publice recitatum, canonice confirmatum, in capitulo gloriosæ virginis Mariæ, indict. IX.* Incarnat. Dom. an. MCLXXXVII. ** melius V.*

XXVIII.

E *Charta Conradi episcopi Argentinensis, quædam statuta abbatiæ Hohemburgensis confirmantis.* *Ex autographo.*

EGO CUONRADUS gratia Dei Argentinensis ecclesiæ episcopus, notum facio omnibus tam futuris quam præsentibus, quod quædam statuta a fundatore Hohemburgensis ecclesiæ, scilicet sancto Adalrico patre S. Odiliæ, initiata, & hactenus in Hohemburc firmiter custodita audientiæ nostræ veridica relatione sunt patefacta. Statutum est equidem, ut nulli sæculari homini liceat curtile possidere, vel domum ædificare in monte Hohemburgensi, nisi cui abbatissa pro aliqua necessaria causa permiserit; quia omnis area montis 1190.

usque ad capellam S. Johannis Evangelistæ cimiterium est mortuorum ex antiqua constitutione. Ad hæc etiam statutum est, ut infra septa gentilis muri nullus homo aliquos agros excolat, vel domum ædificet, vel de aliquo se intromittat, sine permissione abbatissæ, quia salica terra est. Ex hac namque occasione nullus parrochianus ordinatur in monte, nec capella inibi constructa tenet locum parrochiæ. Itaque si abbatissa aliquibus hominibus secum commanendi in monte licentiam concesserit, illos idoneos, sacerdoti committere debet, qui eis in spiritualibus præsit. Compertum etiam est de hac re, quod tempore Gebehardi episcopi Argentinæ statutum sit, ut si abbatissa ipsos homines idoneo sacerdoti, ut prædictum est, committat, & si ille inconveniens, vel importunus ad hoc officium fuerit, iterum meliori & aptiori committat. Eidem quoque sacerdoti committit etiam abbatissa homines de Wiler, qui deberent Ehenheimensi parrochiæ in spiritualibus subjecti esse; sed rogatu cujusdam parrochiani in Ehenheim definitum est, ut Hohenburgensis abbatissa eosdem homines illi sacerdoti committeret, qui etiam hominibus secum commanentibus præesset. Decimæ vero de agris circa montem sitis, & decimæ de Wiler, cum sint paucissimæ, dantur abbatissæ, & ipsa sacerdoti necessaria providebit aliunde. Nos igitur justis petitionibus Herradis in Dei nomine Hohemburgensis ecclesiæ abbatissæ libenter annuentes, prædicta statuta, ut eo magis rata habeantur, præsentis scripti auctoritate confirmamus, & sigilli nostri impressione corroboramus.

XXIX.

Ex archivo Argentin. episcopi.

H. Argentinensis episcopus hortatur fideles omnes in sua diœcesi constitutos ad restaurationem ecclesiæ sancti Arbogasti, funditus eversæ ab exercitu Philippi regis.

1218. H. Dei gratia Argentinensis ecclesiæ episcopus, cum universo majoris ecclesiæ choro, omnibus ecclesiarum ministris, tam plebanis, quam vicariis, necnon & aliis Christi fidelibus, ad quos præsens pagina pervenerit, salutem in vero salutari, & spiritu pietatis repleri. Quoniam, ut ait apostolus, omnes præsentabimur ante tribunal Christi, recepturi sive bonum sive malum, prout gessimus in corpore; & idem alibi testatur, qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, ideo universitatem vestram attentius exhortamur in Domino, extremæ messionis tempus largitione eleemosynarum, & operibus misericordiæ, quasi quodam fideli seminario, prævenire, ut ex certa spe lucri seminemus in terris, de quibus nos plena falce messuros postmodum gaudere oporteat in celis. Hinc est, quod vestræ charitati, & omnium eorum, ad quos lator præsentium vir religiosus & sacerdotio decoratus pervenerit, præsenti scripto duximus significandum; quod ecclesia S. Arbogasti in suburbio Argentinensi constituta primitus, & voluntate Dei, & antiquitate collapsa, postmodum vero ab exercitu domini Philippi regis, tempore quo Argentinam possederat, funditus intus & extra destructa, sicut adhuc ejusdem destructionis super sunt vestigia, eleemosynarum vestrarum & aliorum simul bonorum hominum stipendiis cooperantibus, quasi de novo constat integraliter reædificanda; quapropter caritatis vestræ studium & devotionem propensius exhortantes, & in remissionem peccatorum vestrorum vobis indubitanter injungentes, universitatem vestram instanter & affectuose rogamus, & in Domino commonemus, quatinus divinæ retributionis intuitu, & pro omnium orationum, quæ in eadem ecclesia ad honorem Dei quotidie vigent, participatione, viscera misericordiæ aperientes, gravem casum præfatæ ecclesiæ affectu caritatis inspiciatis, & ad reædificationem ipsius eleemosynarum vestrarum

A suffragia conferentes, centuplam recompensationem a retributore omnium bonorum Jesu-Christo vobis in æterna beatitudine thesaurisetis: vos autem pastores ecclesiarum, & earum vicarios specialiter rogantes exhortamur, quatenus latorem præsentium cum suis ad vos venientem benigne & honorifice, sicut decet clericos se invicem honore prævenire, suscipiatis, & favorem vestrum & auxilium in petitione sua promovenda coram populo nobis subdito ei verbo & opere efficaciter impendatis. Præterea notum sit omnibus ecclesiarum ministris, tam plebanis, quam vicariis, quod specialiter illis, qui angariant lapides ad opus ecclesiæ, quartam partem venialium peccatorum, beati Arbogasti auctoritate, & nostra, indulgemus, & de injuncta eis pœnitentia pro capitalibus, quæ confessi sunt XV. dies
B relaxamus.

XXX.

Ex archivo Argentin.

Instrumentum fundationis monasterii omnium SS. in Nigra-sylva, ordinis Præmonstratensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Ego Uta ducissa de Scawenburc, cunctis fidelibus salutem. 1220.
Æterna tabernacula terrena mercari substantia quia Deo donante didicimus, prædecessorum nostrorum vestigia sequentes in honorem Dei & sanctorum omnium cœnobium plantamus ad ripam *Nortwasser* secus rupem *Unittenstein*, secundum regulam beati Augustini, & statuta præmonstratensis ordinis; statuentes eidem loco
C omnem libertatem, qua ulla ejusdem ordinis nobilitatur ecclesia. Ante omnia vero interdicimus, ac prohibemus, ne quis sub nomine advocati, vel sculteti, vel aliqua secularis persona fratribus hiis aut colonis eorum, sive hominibus, aliquam molestiam vel exactionem muneris vel obsequii facere præsumat, sed omne ministerium, quod ulli impendent pro Deo & in Deo exhibebunt. Decimas vero novalium, ac fructus eorum in ortis & in pomeriis, fœtibus quoque animalium, juxta ordinis privilegia illorum fore perpetuo jure firmavimus. Terminus autem ejusdem prædii est ab oriente in monte *Ganto*, ubi pluvia defluit ad *Remecham;* ab occidente quoque via illa, quæ a *Sowerck* ducitur in *Brimburc*: ab Austro fines, quos posuerunt dominus Erpherat & Rodgerus, mediante Durando Stulz; ab
D aquilone quoque fines *Crisebum* huic prædio adjicimus, in *Rincum* mansum unum, in dotem ecclesiæ, & in *Ramesbach* unum, & in *Hescembach* unum, & in *Elisgwilre* nemus ad plantandum vineam a termino Henrici usque ad terminos *Erpherardi*, & in palude duos mansos sine censu, & quartam partem piscationis *Bustric;* jus quoque patronatus in *Nusbach* ad omnes. , ... pertinere, cum cunctis sibi attinentibus, perpetuo jure confirmamus; ad Argentinensem quoque ecclesiam & episcopatum claustrum hoc spectare, sicut cella *Erbipolim*. . . . . plantatum est, constituimus: si quis autem hiis in aliquo gravaverit, vindictæ Dei & sanctorum omnium perhenniter subjacebit.

Ex litteris Henrici Argentinensis episcopi datis
E *1220. inferiusque referendis ad an. 1572. intelligimus Welphonem ducem Utæ maritum, fuisse quoque hujus monasterii fundatorem, item Conradum episcopum Argentinensem, quem Henricus appellat suum prædecessorem felicis memoriæ; Hugonem ducem de Ulenencburg, & Bechtoldum ducem de Ceringen. An. 1625. die 7. Aprilis Leopoldus episcopus Argentin. permisit transferri hoc cœnobium ex Nigra-sylva in præposituram Oberkhurch.*

XXXI.

Ex autographo.

Rodulphi imperatoris litteræ ad G. abbatissam Hohemburgensem principem, quibus eam a debito sibi hominio eximit.

1273. RODULFUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, honorabili G. abbatissæ de Hohenburg, principi suæ dilectæ, gratiam suam & omne bonum. Romani imperii pulcritudo consurgens antiquitus & fundata mirifice super immobile fundamentum ex præcellentiæ prærogativa, qua viguit, columnis meruit stabiliri stabilibus, & egregiis ædificiorum juncturis indissolubiliter adornari. Inter quæ quidem illustres principes ad totius operis machinam subportandam præcipue ut columnas potiori præstantia voluit præminere, ut quo uberius gratiæ privilegiis insigniri se sentiunt, eo amplius debeant in obsequiosæ redhibitionis vicissitudinem ceteris praeclarere. Sane licet tu in ceterorum principum nostrorum caterva coruscans Romano, cui divina favente clementia, præsidemus regno, principatus quem optines ex causis hujusmodi te constituat debitricem: quia tamen sexus imbecillioris excusabilem super hoc reddit infirmitas, & a debitis exhibendis obsequiis evidens aliarum causarum necessitas, ut audivimus, te retardat, ita quod pro recipiendis de sceptro regali feodis tuis regalibus, & præstando nobis homagii juramento, ac exhibendis debitæ servitutis obsequiis, absque gravi personæ rerumque dispendio nostræ te præsentiæ nequas præsentare, nos tuis ac honorabilis C viri O. præpositi S. Widonis Spirensis dilecti nostri cancellarii devotis supplicationibus inclinati, feoda tua regalia tibi de regia liberalitate transmittimus, & de ipsis te liberaliter investimus, administrationem temporalium principatus & ecclesiæ tuæ præsentium tibi serie committentes. Quocirca universis & singulis vassallis, ministerialibus & hominibus tuis, & ecclesiæ tuæ damus in mandatis, quatenus tibi, ut principi nostræ, ac dominæ suæ humiliter pareant & intendant. Datum Hagenoæ VIII. calendas Januarias, indictione secunda, regni nostri anno primo.

XXXII.

Charta Berchtoldi Argentinensis episcopi, qua præbendam custodis capellæ S. Catharinæ in ecclesia majori Argentinensi reditibus auget.

1353. IN Dei nomine, Nos Berchtoldus Dei gratia episcopus Argentinensium, notum facimus præsentibus inspectoribus, seu auditoribus universis, quod nos in ecclesia nostra majori, quæ mater est omnium ecclesiarum nostræ civitatis & diœcesis, cultum divinum desiderantes augeri, necnon præbendæ custodis capellæ S. Catharinæ in ecclesia nostra prædicta, per nos & capitulum nostrum in ipsa capella institutæ augmentationem affectantes, quæ nimis fuerat tenuis & exilis, omnes redditus & obventiones ecclesiæ parochialis in Guffede nostræ diœcesis, excepta portatione subscripta perpetuo vicario deputata, de consensu, & auctoritate venerabilium in Christo dilectorum præpositi, decani, ac totius capituli nostri, ad hoc & ad alia congregati, & deliberatione matura sæpius præhabita, ad augmentationem prædictæ præbendæ contulimus, donavimus, & deputavimus, ac tenore præsentium conferimus, & donamus, in hoc, non solum commodum ipsius capellæ, sed & ipsius parochialis ecclesiæ, ut frequentius in ea vicarii resideant, attendentes. Statuimus igitur & ordinamus, quod cedente, vel decedente dilecto in Christo Henrico nunc ipsius ecclesiæ Guffede rectore, cujus etiam ad præmissa accessit assensus, eadem ecclesia non amplius per rectorem, sed per perpetuum vicarium, per episcopum Argentinensem, qui pro tempore fuerit, inibi instituendum regatur; & quod

A quilibet sacerdos inibi instituendus se eamdem ecclesiam per se ipsum, & non per alium recturum, & eidem famulatum debitum ibidem continue residendo impensurum, nec super hoc quamvis dispensationem impetraturum, nec aliquid aliud beneficium obtenturum juramento astringat, quorum si aliquid violaverit, per episcopum ab ipsa ecclesia illico deponatur; cui etiam perpetuo vicario. . . . . antiquam & solitam præbendam vicarii, quæ continet & continebat oblationes & remedia, & annua quindecim quartalium siliginis, & quindecim amas vini de decima, ut possit honeste vivere, jura episcopalia solvere, & alia incumbentia onera supportare, superaddimus redditus quindecim quartalium ordei annuatim de decima prædicta; item minutam decimam totius B parochiæ, de qua decima idem vicarius tenetur habere perpetuum lumen nocturnale in eadem ecclesia. Et hanc præbendam & portionem pro vicario perpetuo perpetuis futuris temporibus per ordinationem nostram statuimus & præcipimus perpetuis futuris temporibus observandam. In quorum testimonium sigillum nostrum episcopale præsentibus est appensum; cui & nos præpositus, & decanus & capitulum prædicti sigillum capituli nostri in signum nostri consensus & auctoritatis coappendimus ad præsentes; quibus & ego Heinricus rector ecclesiæ in Guffede sigillum meum in signum mei consensus similiter coappendi. Datum & actum Argentinæ in capitulo nostro. . . . . anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, feria sexta post Dominicam *Lætare.*

XXXIII.

Charta Caroli Romanorum regis, de reliquiis S. Othiliæ, sibi ab Agnete abbatissa concessis.

Ex autographo archivi episcopi Argentin.

KAROLUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, & Bohemiæ rex, ad perpetuam rei memoriam. Universis nostris & sacri imperii fidelibus notum facimus tenore præsentium, publice profitentes, 1354. quod nos sub anno Domini MCCCLIV. quarto nonas Maii, monasterium de Hohemburg in acumine montis situm, nobis & sacro imperio absque medio subjectum, Argentinensis diœcesis, in quo corpus beati virginis Odiliæ natæ quondam Attici ducis carissimi principis D Romani imperii integrum vidimus, & in archa sepulcri ejusdem S. Odiliæ reperimus repositum, & laudabiliter conservatum, pia devotionis causa accedentes & ibidem in venerabilium Johannis Argentinensis, Johannis Olomocensis ecclesiarum antistitum, aliorum prælatorum, & plurimarum ecclesiasticarum & religiosarum personarum devotarum nostrarum dilectarum præsentia, cum magna devotionis reverentia dictam archam sepulcri ejusdem sanctæ virginis, quæ usque in hunc diem a tempore sepulturæ ejus fertur intacta, de consensu venerabilis Agnetis abbatissæ ejusdem monasterii, principis nostræ ejusque conventus aperientes, ibidem S. Othiliæ inibi reconditum, ut prædicitur, perspeximus capite, manibus, corpore & pedibus, sicut inibi primo reconditum fuerat, inconvulsis, de cujus corpore obtenta tamen primitus licentia ipsius abbatissæ, & con- E ventus dicti monasterii, partem anteriorem brachii dextri sustulimus, dante Deo in loco devoto & Deo dedicato pro christiani populi devotione feliciter adaugenda, reponendi, residuum totum corpus ejusdem beatæ virginis S. Odiliæ ibidem relinquentes, ipsamque tumbam cum prædictis Argentinensi & Olomacensi episcopis fideliter reclusimus, sicut ante; & nos sub obtentu gratiæ nostræ & sacri Romanorum imperii, prædictusque Argentinensis episcopus loci ejusdem ordinarius sub pœna excommunicationis latæ sententiæ districte inhibuimus, ne quis umquam eandem tumbam aperire, aut aliquid de ejusdem virginis corpore, vel membris auferre audeat in futurum, præsentium sub nostræ majestatis sigillo testimonia litterarum. Datum Schlestat

anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, indict. VII. VIII. idus Maii, regnorum nostrorum anno VIII. Per dominum Regem, Rudolfus de Firdeburg.

XXXIV.

Charta Willelmi Argentin. episcopi pro fratribus ordinis S. Willelmi.

1395. UNiversis præsentes litteras inspecturis, Wilhelmus Dei & apostolicæ sedis gratia electus confirmatus Argentinensis, salutem in Domino. Noveritis, quod in nostra constitutus præsentia religiosus & discretus vir frater Cuno dictus Turnem ordinis S. Wilhelmi & perpetuus vicarius parrochialis ecclesiæ in Eley nostræ diœcesis, litteras reverendi in Christo patris & domini domini Friderici dudum episcopi Argentinensis, nunc vero Trajectensis, nostri immediati prædecessoris, ejus vero sigillo impendente, nobis præsentavit sanas & integras, omnique vitio & suspicione carentes, tenorem, qui sequitur, continentes: Fridericus Dei & apostolicæ sedis gratia Argentinensis episcopus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad nostram audientiam de novo pervenit, quod inclusorium de Eley nostræ diœcesis, cujus collatio, ordinatio, seu quævis dispositio ad nos & prædecessores nostros episcopos Argentinos dinoscitur pertinere, suis inclusis, quod dolenter referimus, sit omnino destitutum, nos eidem pro paterno compatientes affectu, volentes de hujusmodi inclusorio in laudem Dei ipsiusque divini officii augmentationem, prout in ipso confidimus, salubrius providere, præsertim, prout intelleximus, easdem inclusas hactenus vitam incontinentem in dicto inclusorio deduxisse, & quamplures pro suæ libito voluntatis hujusmodi inclusorium exivisse, & ad sæculum rediisse, matrimonium contrahendo, sine alicujus superioris dispensatione; nosque attendentes hujusmodi inclusorium fore & esse infra limites & contiguum ecclesiæ parrochiali in Elley nostræ diœcesis prædictæ; in quo quidem loco multi christiani de diversis regionibus ad beatissimum patrem nostrum S. Maternum per totum circulum anni confluunt pro suis peccatis indulgentiam impetrando; nosque eisdem pro nostra salute annuentes, eorum vestigia inhærendo, supradictum inclusorium cum omnibus suis juribus, reditibus, proventibus, & obventionibus universis ecclesiæ parrochiali in Elley supradictæ, ut ibidem duo monachi ordinis sancti Wilhelmi Domino devote famulentur, & pauperes Christi per circulum anni eodem inclusorio, prout opus est, hospitentur caritative, tenore præsentium, perpetuis temporibus duraturis concedimus & donamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus mandamus appendi. Datum Dabichenstein anno Domini MCCCLXXXVII. feria III. ante Dominicam Paschæ. Post quam quidem litterarum præsentationem dictus frater Cuno nobis devote ac humiliter supplicavit, quatenus omnia & singula in ipsis litteris contenta & narrata laudare, approbare, & confirmare nostra auctoritate dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus benigne & favorabiliter, intuitu pietatis, annuentes, donationem & concessionem per prædecessorem nostrum factam, ac alia omnia per easdem litteras concessa & indulta, auctoritate nostra ordinaria, in quantum de jure possumus, laudamus & approbamus, & auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus. In quorum omnium & singulorum testimonium sigillum nostrum præsentibus jussimus appendi. Datum Argentinæ die XX. mensis Augusti, anno Domini MCCCXCV.

XXXV.

Præfatio statutorum Willelmi episcopi Argentinensis pro præbendariis de Eschowia in locum monialium introductis. Ex archivo principis Argentin.

WILHELMUS Dei gratia episcopus Argentinensis, Alsatiæque Langravius, honorabilibus nobis in Christo devotis dilectis præbendariis monasterii S. Sophiæ, filiarumque ejus Fidei, Spei & Charitatis in Eschow, nostræ Argentinensis diœcesis, ac aliis quibuscumque, quorum interest, interesseve poterit quomodolibet in futurum, notitiam subscriptorum cum salute, & nostris his firmiter obedire ordinationibus. Quamvis jam dictum monasterium pro nobilium religione virginum, femineo itaque sexu, institutum ultra hominum memoriam a monialibus possessum, horisque canonicis cantando, & legendo provisum fuerit, nihilominus tamen sinistris forsan eventibus, temporumque qualitate & Lutherana secta causantibus, monasterium hujusmodi a præmissis monialibus adeo desolatum extitit, quod nos ex pastorali nostro officio coacti, provisionem monasterii præfati per vos octo præbendarios instituendam decrevimus, & instituimus juxta tenorem institutionis nostræ, sexta mensis Augusti, anno a Nativitate Domini MDXXXIII. erectæ institutioni hujusmodi satisfiere volentes, & ut hæc in laudem Omnipotentis Dei modis & temporibus debitis unanimiter absque discordia compleatur, statuendum duximus, & statuimus in hunc qui sequitur modum, &c. *sequuntur statuta.* 1533.

XXXVI.

Attestatio veritatis litterarum Henrici Argentinensis episcopi anni 1220. de fundatione monasterii omnium SS. in Sylva-nigra, ord. Præm.

NOs scultetus & justiciarii oppidi episcopalis Tabernarum Alsaticarum, ad universorum & singulorum, quorum interest, vel intererit, nunc, vel in futurum, notitiam deducimus & deduci volumus, harum serie litterarum, quod hodie coram nobis constitutus excellens & doctus vir dominus Valentinus Adamus Conwius, jurium doctor, reverendissimique in Christo patris & domini domini Johannis præsulis Argentinensis, Alsatiæque comitis provincialis domini nostri gratiosi a consiliis, tenens in suis manibus certas litteras in latina lingua scriptas, quondam reverendissimi in Christo patris & domini, domini Henrici olim Argentinensium episcopi, sigillo rotundo in cera alba, cum cordulis sericeis, viridi rubeique coloris, impendente, sigillatas, & in membrana scriptas. Quas quidem litteras dictus dominus doctor nobis supradictis exibuit & porrexit, & in manus nostras easdem legendas & perspiciendas tradidit, petendo a nobis, & per nos easdem transumi & exemplari, ac in publicam formam redigi, ut videlicet tanta fides hujusmodi transumpto, quanta ipsi originali, adhiberi consueverit, adhiberetur in agendis ubilibet. Nos vero scultetus & justitiarii præfati petitioni hujusmodi rationabilibus de causis, & merito annuere debentes, litteras originales ad manus nostras accepimus, & postquam eas perspeximus non cancellatas, neque rasas, non abolitas, neque, corruptas, sed sanas, integras, & illæsas, ac omni prorsus vitio, & suspicione carentes, reperimus, per nostrum scultetum, tanquam notarium publicum infra scriptum fideliter transumi & transcribi mandavimus. Tenor itaque litterarum, unde supra fit mentio, sequitur, & est talis. Henricus divina favente clementia Argentinensium episcopus. Ætatis nostræ negocia illibatæ veritati impressa in perpetuum durabunt, si litterarum testimonio fulciantur. Inde est, quod per scriptum præsens ad notitiam Christi fidelium tam præsentium quam futurorum pervenire desideramus, quod monasterii omnium SS. 1572.

siti in Nigra-silva, & in diœcesi nostra existentis juxta aquam, quæ *Nort-vazzer* dicitur, primi fundatores erant, piæ memoriæ dominus Welpho dux, & uxor ejus domina Uta ducissa de Schawenburg, dominus Conradus fœlicis memoriæ noster prædecessor Argentinensis episcopus, dominus Hugo dux de Ulnenburg, dominus Bechtholdus dux de Ceringen, qui præfatum locum collatis ei pro divino respectu suis prædiis primitus extulerunt. Nos igitur prænominatorum excellentissimorum principum benignitate, devotione, liberalitate, & in Domino laudabilis facti memoria excitati, necnon intellecta opinione bona domini Waltheri ejusdem cœnobii præpositi, suorumque confratrum de ordine Præmonstratensium, ex benigno cordis affectu, in primis quidem, locum, in quo dictum monasterium est constructum, hospitale SS. Simonis & Judæ apostolorum ad Grammenshurst, cum suis pertinentiis, hospitale SS. Jacobi & Johannis juxta Urlesheim, cum suis attinentiis, jus patronatus de ecclesia in Nusbach, a præfato duce Welphone, & ejus uxore ducissa, eidem monasterio collatum, prædium Crisebon sibi a domino nostro Conrado Argentinensium tunc episcopo donatum, cum hominibus utriusque sexus, cum agris frugiferis, ac viniferis, pratis, nemoribus, aquis, molendinis, piscationibus, viis, semitis, pascuis, in bosco & plano, limitibus, & omnibus aliis libertatibus & emunitatibus, ac pertinentiis universis, & præterea quicquid usque nunc justo titulo adepti sunt, aut in posterum, dante Deo, poterunt adipisci confratres prædicti, auctoritate Omnipotentis & nostra, ipsis confirmamus, pacifice, & quiete in perpetuum possidenda, præsentem exinde pragmaticam cum diligentia conscribi, nostroque sigillo insigniri jubentes, & corroborari: sub anathematis quoque vinculo districte inhibemus, ne quis hominum hanc nostræ confirmationis paginam præsumat infirmare, vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis attentare præsumpserit, indignationem Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum se noverit incursurum, & in examine districti judicii cum Juda portionem recepturum. Omnibus autem intemerate ipsam conservantibus sit hic vitæ felicitas, & in futuro incomparabilis gaudii beatitudo. Datum in palatio nostro
1220. Argentinæ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, ind. VIII. his testibus Rheinardo majore præposito, Friderico cantore, Ulrico scolastico, Alberto præposito de Haselohe, Henrico vicedomino, Valthero notario; ex ordine militari, Valthero de Argentina, Alberto & Vernhero Bagariis, Volmaro de Heitterbach & aliis quampluribus. Super quarum quidem litterarum præinsertarum visione, transumptione, transcriptione, & exemplatione, sic, ut præmittitur, factis, nos sculteтus & justiciarii supradicti, testamur hisce nostris litteris originalibus, ut præmittitur, exibitis, de verbo ad verbum facta, omnino concordare, nec ab eisdem in aliquo, quod facti variat substantiam, aut immutet intellectum, discordare reperimus. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes litteras, sive præsens publicum transumptum, ad requisitionem & petitionem supradicti domini doctoris sigilli nostri appensione, una cum appositione signi & subscriptione notarii subscripti duximus roborandum. Datum & actum in Tabernis Alsaticis, vicesima septima die Novembris, anno vero a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Et ego Adamus de Bois Saræpontanus sacris apostolica & imperiali autoritatibus notarius publicus nunc temporis in Tabernis Alsaticis Argentinensis diœcesis residens. Quia præinsertarum litterarum exhibitioni transumptique petitioni, ac singulis aliis præmissis, dum sic, ut præmittitur, fierent ac agerentur, una cum supradictis justiciariis præsens interfui, atque omnia sic fieri & audivi. Idcirco præsens publicum transumpti instrumentum, manu alterius (me interim aliis occupato negotiis) fideliter scriptum, signoque, nomine, & cognomine meis solitis & consuetis, manuque propria, una cum præfati oppidi sigilli appensione, signatum & subscriptum dedi, rogatus & requisitus, in eorumdem testimonium atque fidem.

XXXVII.

Bulla Gregorii papæ XIII. invitantis Johannem episcopum Argentinensem ad eundum Romam pro jubilæo.

GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni 1574.
episcopo Argentinensi, venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Nihil est, quod nos non debere existimemus, venerabilibus fratribus episcopis, quorum prudentia atque opera nostram omnium ecclesiarum sollicitudinem allevari intelligimus. In his fraternitatem tuam numeramus, quæ causa effecit, ut ea quæ postulabas libentissime concederemus: idque tibi, ut scribis, gratissimum accidisse vehementer lætamur. Ipse etiam nobis gratissimum facies, si, ut polliceris, huc venies sequenti anno, sanctissimoque jubilæo perfrueris, tuosque non solum verbis, quod quidem te facere speramus, sed exemplo etiam permoveris, atque ad hunc coelestem thesaurum invitaris. Erit etiam adventus tuus alio nomine fructuosus ecclesiæ ac diœcesi tuæ: cupimus enim coram ex te cognoscere, quo in statu res istæ sint, qui cultus ecclesiasticæ disciplinæ, quid sit in quo possimus nostram operam navare Christo; neque enim ullum laborem deffugiemus. Hoc ut nemo te melius novit, sic nemo melius nobis aperire poterit. Expectamus igitur adventum tuum; ac si quid impedimento erit, teque istic necessario retinebit, facies omnino ut mittas aliquem ex canonicis tuis rerum istarum peritissimum, ut sciamus, quibus maxime rebus mederi possimus. Hæc tuæ fraternitati confidimus magnopere cordi futura esse, tuamque diligentiam tantæ rei minime defuturam. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die ultimo Augusti MDLXXIV. pontificatus anno III.

XXXVIII.

Bulla ejusdem papæ ad eumdem episcopum, qua conqueritur de collapsa in ejus episcopatu disciplina.

GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni 1575.
episcopo Argentinensi, venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Accepimus maximo cum dolore graviter in isto tuo episcopatu concidisse apud clericos ecclesiasticam disciplinam, eamque fœdissime violatam esse, tum in cultu divino, tum in moribus. Multa enim committi aliena a clericorum religione & vita, quæ quidem non possunt non gravissima judicari; quo enim quisque sua professione debet esse sanctior, eo insigniora apparent, quæ in eo sunt vitia: unde etiam necesse est aliorum præterea multorum animas pessimo exemplo interire, sanctumque ordinem & religionem ludibrio haberi. Hæc neque te coram dissimulari oportuit, neque ipsi possumus audita negligere. Itaque voluimus has ad te litteras dare, nostrumque inter nos munus recognoscere. Christi gregis pastores sumus: summa igitur nobis vigilantia utendum est, cum omnibus in rebus, tum vero in clericis regendis & in officio continendis, atque eo majore, quo gravior ex illorum lapsu ceteros ruina opprimit. Ubi vero connivemus, actum plane est, tum de gregis, tum de nostra salute; ruunt enim omnes quotidie in deterius, peccatorumque omnium causæ unius episcopi negligentiæ assignantur. Sic enim magnus Leo, inferiorum, inquit, ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam

sæpius nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. A Veniet istuc nuncius noster Porcia: ex eo fusius cognosces nostram sententiam de emendandis & corrigendis iis, quæ depravata sunt: ei omnem fidem tribues, reque ipsa ostendes, quantopere tum Christi gloria, tum clericorum ipsorum tum ceterorum omnium salus tibi cordi sit: summopere autem esse, quæ Dei est in te gratia, confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum annulo piscatoris die ultima Aprilis MDLXXV. pontificatus nostri anno tertio.

XXXIX.

Bulla ejusdem Gregorii papæ ad eumdem Johan. episc. de absentia clericorum a suis beneficiis. B

1575. GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni Argentinensi episcopo, venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Quanta universali ecclesiæ incommoda beneficiatorum a suis beneficiis absentia attulerit, non est qui ignoret, & Tridentinum concilium recte consideravit & salubri decreto per hoc edito providere studuit. Accepimus sane, quod nonnulli clerici & presbyteri istarum partium etiam beneficia ecclesiastica obtinentes, jurisdictionem, correctionem & reformationem locorum ordinariorum effugere satagentes, in civitate Argentinensi, seu aliis civitatibus & locis se recepiunt, ibique domicilium contrahunt, ibi- C demque sectariorum instituta amplectentes, se civitati, domui, & civium Argentinensium & aliarum civitatum numero & consortio aggregari curant, ut hæreticorum clypeo & patrocinio tutati & suffulti suorum beneficiorum fructus, etiam ordinariis locorum invitis, percipiant. Nos igitur malitiis horum obviare cupientes, ac decretis dicti concilii inhærentes, necnon prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigia insequentes, motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, fraternitati tuæ, de cujus prudentia, religione & diligentia plurimum in Domino confidimus, per præsentes apostolica auctoritate committimus & mandamus, quatenus per censuras & pœnas ecclesiasticas ac etiam per substractionem fructuum, redituum, & proventuum beneficiorum ecclesiasticorum & eorumdem privationem, ac alia juris remedia opportuna, contra inobedientes transfugas, D ac reformationem & correctionem hujusmodi effugientes, procedere, illosque ad obedientiam reducere studeas. Nos enim tibi quoscumque citandi, illisque etiam sub censuris & pœnis ecclesiasticis & aliis præfatis inhibendi & prædicta omnia & singula aliaque desuper quomodolibet necessaria & opportuna, appellatione remota, faciendi, gerendi, & exequendi, plenam & liberam facultatem, auctoritatem & potestatem concedimus & indulgemus. Contradictores & rebelles quoscumque, dicta appellatione remota, auctoritate nostra compescendo, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis & indultis eisdem beneficiatis quomodolibet concessis, approbatis, & pluries innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si beneficiatis prædictis, E quod ad prædicta cogi & compelli, seu quod excommunicari vel interdici non possint, per litteras apostolicas sit indultum, nisi de indulto hujusmodi mentio habeatur. Datum apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XIII. Septembris MDLXXV. pontificatus nostri anno quarto.

XL.

Bulla Gregorii papæ XIII. ad Johannem episc. Argentinensem de quibusdam bonis abbatiæ Hohenburgensis alienatis.

GREGORIUS papa XIII. venerabilis frater salutem 1575.
& apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus alias de anno MDXLI. seu alio veriori tempore, abbatissa & moniales monasterii S. Otiliæ loci Hohemburg, ordinis S. Benedicti Argentinensis diœcesis absque sedis apostolicæ licentia, vel subsecuta approbatione vendiderint dilectis filiis Sebastiano, & Theodorico a Lansperg fratribus certos census & redditus, curiam dominicalem, decimas, parrochialia nuncupata, & alia pro pretio inter partes convento, pacto inter alia adjecto, ut eisdem abbatissæ, & monialibus, tunc seu pro tempore existentibus post tunc proximum decennium in viginti annos liceret eadem bona pro eodemmet pretio redimere, postmodum cum eademmet abbatissa propter ejus senilem ætatem, & adversam valetudinem, sexusque imbecillitatem reliqua bona dicti monasterii conservare, & regere non valeret, nullis aliis monialibus in dicto monasterio existentibus, quoniam ob reddituum dicti monasterii, propter temporum malam qualitatem, valde imminutorum tenuitatem ibi sustentari non poterant, liberam & plenariam administrationem redditiuum, rerum, & bonorum ipsius monasterii, una cum illius juribus, jurisdictionibus & redditibus bonæ memoriæ Erasmo tunc existenti Argentinensi episcopo pro se & suis successoribus episcopis Argentinensibus consignavit, illisque cessit, ea lege, & conditione apposita, ut idem episcopus bona dicti monasterii alienata recuperaret, & ipsius monasterii ædificia, incendio consummata, cum primum fieri posset, reparare, cultumque divinum inibi restituere curaret; quam cessionem bonæ memoriæ Franciscus tituli sanctorum Nerei, & Achillei sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, Sfondratus nuncupatus, tunc in partibus illis de latere legatus, approbavit, & confirmavit, ita tamen quod, cum primum fieri posset, ipse episcopus in dicto monasterio tot moniales, quot juxta quantitatem reddituum ibidem sustentari possent, reponeret, prout in instrumento & scripturis privatis, ac litteris dicti cardinalis plenius continetur. Cumque Erasmus episcopus prædictus, a Sebastiano, & Theodorico fratribus prædictis molestatus, juri, & facultati census, redditus, decimas, res, & bona prædicta, sibi, ut præfertur, vendita redimendi renunciavit, eosdemque fratres a revenditionis pacto hujusmodi absolvit, & prædicta omnia, tum quia absque sedis prædictæ auctoritate facta fuerunt, cum etiam quia in evidentissimum damnum prædicti monasterii, & ecclesiæ Argentinensis cesserunt & cedunt, nulla & invalida sint. Nos propterea volentes indemnitati ejusdem monasterii consulere, motu proprio, & non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, tenore præsentium, fraternitatem tuam hortamur in Domino tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus alienationes, & cessiones hujusmodi revideas, & ubi illas nullas, & invalidas ex quavis causa existere, aut in damnum ejusdem monasterii cessisse, & cedere repereris, auctoritate nostra, illas, prout juris fuerit, casses, irrites, & annules, ac census, redditus, decimas, res & bona alienata præfata una cum fructibus eidem monasterio, etiam prout juris fuerit, quacumque appellatione remota, restitui facias, & mandes. Nos enim tibi prædicta faciendi, & quoscumque citandi, illisque inhibendi, etiam sub pœnis & censuris ecclesiasticis, arbitrio tuo moderandis, & applicandis, etiam summario, simpliciter, & de plano procedendi, aliaque faciendi, gerendi & exequendi in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna, contradictores & rebelles quoscumque dicta appellatione remota auctoritate nostra prædicta compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus

obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XIII. Septembris MDLXXV. pontificatus nostri anno quarto.

XLI.

Bulla ejusdem Papæ, qua hortatur Johannem episc. Argentin. ut idoneos sacerdotes ecclesiis præficere curet, &c.

1578. GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni episcopo Argentinensi; venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Nihil est quod tam conveniat nostro, episcoporumque omnium officio & muneri, quam meditari, quanam potissimum ratione possimus catholicæ ecclesiæ consulere, animarum saluti providere, Christi gloriæ omnibus in rebus servire. Debemus autem in hanc curam atque operam toto pectore incumbere, nihil nos quidem nostræ prudentiæ & viribus tribuentes, sed divinam semper opem implorantes, spemque omnem in Dei misericordia collocantes, nostram autem operam conferentes. Ut enim nihil possumus nostris viribus recte cogitare, nedum agere, sic non debemus omnia divinæ prudentiæ relinquere, sed, ut bonos & fideles servos decet, ad omnia vigilare, Christique gregem ab ejus benignitate nobis commissum omni studio & cura tueri. In quo, ut nos nostrum munus erga universam ecclesiam agnoscimus, sic fraternitatem tuam in ista ecclesia tuæ fidei & diligentiæ commissa agnoscere non dubitamus, quo etiam certius habemus hanc episcopalis officii commemorationem fore tuæ fraternitati jucundissimam. Tria autem hoc tempore occurrunt, quæ ad eam, quam diximus Christi gloriam atque animarum salutem magnopere pertinere judicamus, si ecclesiis probi & pii sacerdotes præficiantur, si ecclesiastica disciplina iis in locis, in quibus depravata est, restituatur: quod quidem sine frequenti visitatione fieri non potest, si, quod in concilio Tridentino sanctissime decretum est, seminaria instituantur, ad eos pie educandos, qui in ecclesiastico ordine futuri sunt. Dici enim vix potest, quantam afferat ecclesiæ Dei perniciem clericorum vita dissoluta: imperita enim multitudo aut nullum, aut certe levissimum crimen existimat esse id, in quo videt clericos versari, sicque exemplo ipso perditur, cum contra oporteat eos, qui divina præcepta non verbis tantum profitenda, sed rebus ipsis exequenda proponunt, eadem ipsa, quæ alios docent & monent, inviolate sancteque servare. Hæc igitur tria ut cures rogamus fraternitatem tuam per eumdem ipsum Christum, pro cujus grege, nisi mercenarii esse volumus, vitam ipsam profundere debemus. Longiores in cohortando non sumus, quia hæc maxime sentire & velle te persuasum habemus; hactenus autem tardatum esse, aut temporum iniquitate, aut magno aliquo impedimento. Expectamus summo cum desiderio litteras tuas, ex quibus intelligamus hæc quæ Dei gloriæ, catholicæque ecclesiæ dignitatis causa incredibiliter cupimus tua opera & diligentia perfecta fuisse. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 22. Martii MDLXXVIII. pontificatus nostri anno sexto.

XLII.

Bulla ejusdem laudantis episcopum Johannem de institutione collegii, hortantisque ipsum ad sacerdotii ordinem suscipiendum.

1581. GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni episcopo Argentino; venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. De tua præstanti pietate & conatu atque opera laudatissima in collegio istic constituendo, ceterisque in rebus curandis, quæ ad

A Dei gloriam pertinent, accepimus tanta cum voluptate, quantam debuit nobis afferre causæ ipsius gravitas, & optatissimus Deoque acceptissimus fructus animarum salutis; ab his enim initiis summa omnium expectanda sunt. Itaque & Deo gratias egimus, & te cogitatione atque animo amplexi sumus, tuamque istam tam præclaram voluntatem, vigilantiam, laborem Divinæ bonitati obtulimus, tibique bona omnia precati sumus. Largietur certe Deus: largitur enim abundantius multo quam petimus aut intelligimus; sed nostræ etiam partes sunt, ut nos ipsos comparemus ad ampliorem semper gratiam accipiendam: quod quidem sine ipsa gratia facere non possumus, sed eam semper pollicetur atque offert Deus. Ad hanc vero te ipsum præclare comparabis sacro sacerdotii ordine suscipiendo. Confertur B enim hoc ipso ordine, ut ceteris ecclesiæ sacramentis, nova gratia. Eam vero in sacrosancto altaris & incruento sacrificio, atque oblatione veri corporis & sanguinis sui augebit in dies Dominus noster Jesus Christus, si, ut speramus, pure sancteque ad tremendum illud mysterium accesseris. Hortamur igitur, & pro nostra etiam erga te caritate monemus, ut sacrum hunc ordinem quamprimum suscipias, gratiasque agas Deo, qui te ad id munus vocavit, in quo non posses hoc tanto beneficio carere. Nihil magis cupimus, quam certiorem fieri, te hac in re nostro summo desiderio satisfecisse. Quo autem dignius id facias, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, ac nostra auctoritate confisi, tibi eo ipso die, quo sacrum sacerdotii ordinem susceperis, plenariam C omnium peccatorum tuorum indulgentiam concedimus & impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 4. Martii MDLXXXI. pontificatus nostri anno nono.

XLIII.

Bulla ejusdem Papæ ad eumdem episcopum, ubi de Gebhardo archiep. Colon. in heresim prolapso, ob idque ecclesiastica communione privato.

GREGORIUS papa XIII. venerabili fratri Johanni episcopo Argentino; venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Doluimus gravissime ruinam Gebardi Truchses antea archiepiscopi Coloniensis, nunc autem hæretici apertissimi: neque cessavimus, D tum cum jam inclinare videbatur, succurrere, eumque per litteras hortari, monere, rogare denique, ut videret quid faceret, neve a sua concupiscentia abstrahi atque absorberi fineret. Postquam vero ignominiæ passionibus deditus, eo impietatis processit, ut non vereretur a catholica ecclesia desciscere, hæreticorumque impietatem palam amplecti, ac profiteri, noluimus ipsi nostro muneri deesse. Itaque hoc ipso die in consistorio nostro secreto de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio & assensu, auctoritate nobis a Domino tributa, Gebardum membrum putridum, atque a sincero sanctæ ecclesiæ corpore abscissum privavimus, privatumque esse declaravimus archiepiscopatu ecclesiæ Coloniensis, omnibusque honoribus, gradibus, beneficiis, titulis, officiis, administrationibus, dignitatibus tum eccle- E siasticis, tum sæcularibus. Mandavimus etiam canonicis & capitulo illius ecclesiæ, ut ad alterius archiepiscopi, in quo nullus sit scrupulus, electionem procedant. Hæc fraternitatem tuam ex nostris litteris cognoscere voluimus, ut illum scilicet posthac pro archiepiscopo ne habeas, neve illum hoc nomine appelles, neque cum eo ullis in rebus sive ecclesiasticis sive sæcularibus communices: quæ enim societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial! quæ pars fideli cum infideli! Quod autem capitulum ipsum, nobilissimæque illius ecclesiæ res fraternitati * commendamus nihil est; certe enim fore commendatissimas, teque auctoritatem, operam, studia omnia ad Christi causam collaturum esse. Pernecessarium autem esse existimamus, quod superioribus etiam

1583.

* tuæ.

diebus scripsimus, ut quoniam ecclesiæ Coloniensis canonicus es, eam tam gravi tempore ne deseras; sed quamprimum eo proficiscaris, electionisque negotio intersis: quæque opus esse intelliges cum aliis provideas. Scimus enim præsentiam atque auctoritatem tuam maximo afflictis illius ecclesiæ rebus adjumento futuram esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die prima Aprilis MDLXXXIII. pontificatus nostri anno XI.

XLIV.

Bulla Sixti papæ V. Johanni episcopo Argentinensi, condolentis de ipso & ejus ecclesia vexatis.

1585. XISTUS papa V. venerabili fratri Johanni episcopo Argentino; venerabilis frater salutem & apostolicam Benedictionem. Pie facis cum omnia tibi ecclesiæque tuæ a nobis paternæ caritatis officia polliceris; sic enim postulat gravissimum hoc summi pontificatus munus, & ecclesiarum omnium sollicitudo nostræ imbecillitati a Deo imposita. Dolemus tantopere te, ecclesiamque tuam ab impiis vexari, sed erit illorum injuria materia laudis tuæ & præmiorum ingentium a Deo promerendorum. Scripsimus ad nuncium nostrum, ut de tuis ecclesiæque rebus cum carissimo filio nostro Romanorum imperatore electo, cumque ejus consiliariis quam diligentissime ageret, curaretque, ut postulas, commissarium expediri, non dubitamus illum id summo studio curaturum esse. Tu in terra noli animo deficere, neque impiorum perversitati cedere, sed Deum virtutis tuæ spectatorem atque adjutorem habens ejusque præsidio confidens, perge, ut facis, magno animo Christi causam tueri. Nos si quid præterea præstare possumus, cupimus fieri certiores, nullum enim tibi ecclesiæque tuæ amantissimi parentis a nobis officium deerit. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 9. Novembris MDLXXXV. pontificatus nostri anno I.

XLV.

Litteræ Johannis Argentin. episc. de Marbacensi monasterio sub sua protectione posito.

1585. JOHANNES, Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Argentinensis, Alsatiæque comes provincialis, &c. Wernero Titiano pro tempore priori ordinis canonicorum Regularium S. Augustini monasterii corporis Christi Coloniensis. Notum facimus per præsentes, dum nos ex episcopali nostro munere monasterium Hyrenei martyris in Marbach sub nostra protectione in superiori Alsatia situm, canonicis Regularibus destitutum, & quantum ad religionem & divinum cultum jam prope collapsum, ante aliquot annos restaurare, atque in pristinum statum reducere cogitaremus; ideoque visitatorem seu priorem prædicti ordinis istius provinciæ per consiliarum nostrum nobilem Johannem-Jacobum Wormbserum debite requiri fecerimus, ut, necessitate sic exigente, aliquot Regulares canonicos istius ordinis in vita, moribus & doctrina qualificatos & idoneos nobis mittere, & ad prælibatum monasterium pro restitutione ejusdem deputare vellet. Qui intuitu nostræ inquisitionis te Wernerum Titianum, necnon Adolphum Wenelkraven ad nos, nostræque protectionis monasterium in Marbach misit & deputavit. Unde nos de tua tuique confratris persona confidentes, in primis præmemoratum monasterium juxta regulas ordinis vestri per vos visitari curavimus, teque postmodum, exauctorato tuo antecessore, in priorem ibidem cum certis conditionibus ordinavimus; necnon certam summam paratæ pecuniæ cum aliis rebus necessariis, pro restitutione prædicti monasterii tibi suppeditavimus, atque auxiliares manus gratiose præbuimus. Et licet de te ob vestri ordinis visitatoris commendationem spem firmam conceperimus, quod non tam tuum privatum, quam monasterii tibi concrediti commodum & utilitatem promoturus esses, cum singulari tamen admiratione intelleximus, quod tu jampridem Coloniam profectus, conventum tuum absque rectore, & ecclesiam ad tempus viduam reliqueris; & tandem inde cum ibidem quoque in priorem electus esses, redieris, electionem novi prioris absque scitu & consensu nostro ex inopinato inceperis, & etiam reclamantibus ibidem conventualibus, adhibito vicario Colmariensi ordinis Prædicatorum, in præjudicium nostræ ordinariæ jurisdictionis, aliorumque jurium, & præsertim juris advocatiæ, nobis ibidem competentium institueris, & prætensa electione peracta vigesima septima Julii proxime præterita, absque tamen eo quod nobis vel conventui tuo administrationis tuæ rationem ullam reddideris, cum duobus novitiis iterum Coloniam profectus sis, & omnem paratam pecuniam, in specie vero ex aliquot plaustris vini paulo ante divenditis redemptam contuleris, atque sic monasterium prædictum (ad cujus tamen utilitatem promovendam ratione præstiti juramenti tenebaris) præter omnem spem & expectationem nostram cum summa ingratitudinis nota, atque beneficiorum in te successive a nobis gratiose collatorum immemor, spoliaveris. Quandoquidem autem ratione ordinariæ jurisdictionis atque prætactæ advocatiæ, aliorumque jurium nobis ibidem competentium monasterium prædictum ipsiusque bona ab hujusmodi & similibus spoliis defendere, & manutenere, commodaque ejus promovere, ac damna avertere teneamur. Hinc est quod te per præsentes hasce patentes litteras ratione præstiti tui juramenti atque intuitu reversalium, quæ nobis eapropter dedisti requirimus, ut primo tempore ad prædictum monasterium in Marbach redeas, administrationis tuæ rationem conventui ibidem, coram a nobis ad hoc deputandis, reddas, abductam pecuniam, aliasque res restituas, atque electionem per te nulliter institutam revoces, omniaque alia in pristinum statum reponas atque reducas; ne opus sit aliis opportunis remediis te ad ea cogi & compelli. Datum sub sigillo nostro, 8. Augusti, anno millesimo quingentesimo octuagesimo-quinto.

XLVI.

Litteræ Johannis Argentinensis episcopi, Clementi VIII. papæ gratulantis de ipsius ad summum dignitatis apost. fastigium exaltatione.

SAnctissime pater & clementissime domine, post devota pedum oscula beatorum, & humillimam obsequii mei oblationem. Cum primum S. V. ad summum dignitatis apostolicæ fastigium in demortui locum electum cognovi, incredibili sane gaudio mihi & omnibus qui Rempub. Christianam salvam cupiunt, exultandum putavi; Dei optimi maximi namque singulari beneficio factum fuisse minime dubitamus, ut is ad suæ naviculæ gubernacula vocaretur, qui fluctuantem ac tempestatibus mirandum in modum conquassatam, summa patientia & prudentia in tranquillum ac salutarem portum dirigere sciret, vellet, & Dei auxilio posset. Grave, fateor, est nunc, si unquam antea, susceptum munus, adeoque ut præpotenti Deo pro immensa sua in nos misericordia, quam nobis in hac electione exhibuit, gratias immensas agere, nobisque potius, quam S. V. congratulari debeamus. Non possum tamen ipsi non congratulari, meumque obsequium & obedientiam omnem, quam humillime non deferre. Deum authorem omnium, ardentibus votis orans, ut hanc pontificalem dignitatem velit esse S. V. & diuturnam, & ipsi, & omnibus nobis, qui ab ipsa pendemus, salutarem. Cæterum in quanto quamque præsenti discrimine hæc nobilissima ecclesia Argentinensis, circumcincta undique adversariis fuerit, non dubium quin aliquando S. V. cognoverit, quin vero malum, ut plerumque fit, quando 1592.

in principio non occurritur, longius in dies serpit, atque non amplius malagmate, sed ferro egere videatur, quod longum esset referre, S. V. humiliter supplico, dignetur meum meique episcopatus deploratum statum ex mihi dilecto Richardo Stravio libellorum supplicum justitiæ S.V. revisore cognoscere, & paternum benevolumque animum, reipsa mihi comprobare: quandoquidem consilio, auxilio, & ope destituor, & adversarii, ut constans rumor est, arma conferunt in me, (quem diuturnis præsidiariorum militum sumptibus plane exhaustum norunt) irruere parant, facili, (mihi credat) negotio omnibus hujus ecclesiæ oppidis & locis ejecturi, si non aliquo S. V. (in qua omnem spem post Deum rejeci) consilio, paternoque aliquo subsidio mihi succurratur. Quod summa necessitas, summumque periculum postulat, in quod non mea, non capitularium meorum culpa, sed ardens meum obediendi sanctæ sedis apostolicæ & suorum nunciorum mandatis desiderium, me meumque capitulum conjecisse est notissimum. Eapropter S. V. me, meamque ecclesiam iterum iterumque quam humilime commendans, ab eadem paternum consilium subsidiumque aliquod supplex avideque expecto, a qua si hanc communem nunc Catholicæ ecclesiæ totius Germaniæ causam derelinqui videam, jus hujus episcopatus in sua fide, religioneque deponam. Deus ter maximus S. V. diu conservet nobis & ecclesiæ suæ incolumen. Datum Tabernis Alsatiæ die 24. Februarii an. 1592.

XLVII.

Charta Leopoldi Argentinensis episcopi, qua permittit præposituram omnium Sanctorum in Nigrasilva transferri in oppidum Oberkhurch.

1625. IN nomine Domini, amen. Leopoldus, Dei & apostolicæ sedis gratia, archidux Austriæ, & episc. Argent. & Passavien. & administrator Murbacen. & Luderen. &c. dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wittenbergæ, &c. comes Absburgi, Tyrolis, Goriciæ, &c. Landtgravius Alsatiæ, &c. reverendis & venerabilibus religiosis ordinis candidissimi Præmostratensis, ejus vicario generali, visitatori ordinario, præposito & conventui monasterii, sive Cellæ Omnium sanctorum in sylva Hercinia sincere nobis dilectis salutem in Domino sempiternam. Ex libello nobis vestro nomine exhibito satis sufficienterque intelleximus quantis incommodis coacti cogitetis & petatis ex horrida sylva Hercinia in oppidum nostrum Oberkhuch religiosos dicti monasterii transferre, quo in loco securius & quietius Domino servire, officia divina nocte & die celebrare, idque ad confirmandos ibidem catholicos, ad consolationem pauperum, tum ut plures ordini sancto sua dent nomina, qui vel asperitate loci cellæ Herciniæ absterriti, vel suscepti ob asperrima frigora, & atras hyemes monasterium deserere coacti fuerunt; denique ut commoditate annonæ majori numero religiosos alere valeatis. His & aliis gravissimis de causis permoti, nos ex officio ordinarii, qui honorem Dei promovere, saluti animarum consulere, & desideria justa petentium cum congruo favore prosequi tenemur & soliti sumus, in translationem conventus ex horrida ista valle Cellæ Omnium sanctorum in præposituram supradicti oppidi Oberkhurch paterne consentimus, & facultatem migrandi præposito, priori, totique conventui elargimur, dummodo dicta præpositura ita restituta & exædificata sit, ut usibus patrum & fratrum commoda inveniatur, regulis & statutis ordinis conformis, ut denique clausura monastica stricte observari queat, ne translatio illa religiosis sit in laqueum, nec in occasionem alicujus inordinationis. Ideo omnes aditus areæ sic præcludatis ut arceantur laici & maxime mulieres, totaliter etiam chorum in ecclesia parrochiali adaptabitis, ut officiis divinis secundum ordinis vestri formam a superioribus & successoribus commodus censeatur.

Non volumus tamen hac translatione ecclesiam sive monasterium ipsum antiquum dictæ vallis Cellæ Omnium sanctorum omnino ita deseri, aut derelinqui, quin semper aliquis de gremio vestro (ob sanctos Dei) ibidem morari queat, ne divinis destituatur obsequiis ecclesia, quive sanctum Missæ sacrificium suis celebret temporibus, quive attendat ne ruina pereat antiquum monasterium.

Quibus omnibus rite curatis, haud dubie multiplicabit Deus gentem, & per intercessionem sanctissimi patroni vestri Norberti magnificabit lætitiam. Ad cujus sancti operis promotionem omnes in Domino requirimus & adhortamur, singulisque nobis & jurisdictioni nostræ subjectis præcipimus, ac mandamus, ut vobis sint consilio & auxilio, nec quisquam ausu temerario præsumat in aliquo vos præpedire. Hanc nostram seriam esse voluntatem appressione sigilli vicariatus generalis episcopatus nostri Argentinensis communiri fecimus. Datum Rubeaci 7. Aprilis, anno millesimo sexcentesimo vigesimo-quinto.

Locus sigilli.

XLVIII.

Litteræ supplices Placidi abbatis de Schwarzach ad episcopum Argentinensem, de miserabili statu sui monasterii.

SErenissime, potentissime, reverendissime princeps, clementissime domine, &c. Jacuerat monasterium Schawarzach congregationis Benedictinæ in episcopatu Argent. serenitatis vestræ, ante decem annos prope desperatum, extremum sane spiritum trahebat: Religiosi supererant nonnisi duo, & quidem senes, exhausti: Vacabat cultus divinus, silebat chorus, silebant cathedræ parochiales in vicinia; visa religio plurimum infirmari & quasi nulla esse in populo, tanta religiosorum penuria, tantus monasterii casus erat. Ad hoc restituendum postulatus *ego F. Placidus in abbatem, ex S. Blasio*, nihil prius habui, quam accire aliunde idoneos patres, & deligere novellas juvenum plantationes ab illis sanctius instituendas. Fuimus a multis jam annis duodecim; cultus divinus, chorus, disciplina monastica, religio hodie in subditis florere, & augeri cum spectabili fructu, quem sacratissimi Rosarii confraternitas a me introducta contestatur, in qua modo mille & octoginta 9. personæ sunt inscriptæ. Vicinis parrochiis sui pastores itidem sufficiunt. 1658.

Unicum est, quod rerum tam beatum cursum sistit, & spem omnem futuræ durationis dubiam valde, & periculosam facit, debitorum ingens summa 50000. flor. quam ante bellum factam inveni, propter quam monasterii bona omnia & omnia pluribus pluries oppignorata sunt. A creditoribus quinquaginta coarctor & coangustor, ut sit timor minime vanus deserendi aliquando loci, quia in tribunalibus imperii contra me prævalebunt, quia nihil est unde solvantur, quia nihil de fundo quod monasterium suum dicat aut sciat. Cujus miseriæ faciem, serenissimus princeps Badensis advocatus meus clementissimus, probe perspectam ut habet, ita, non dubito, serenitati vestræ singularibus litteris & libello a me dato cognoscendam submisit.

Consilia in consiliis, ut quidam aquas in aquis frustra jam tot annis quæro. Rem omnem modo serenitatis vestræ arbitrio, consilio, voluntati humillime supplex submitto & commendo, paratissimus quæque possibilia sequi. Tantum, quæ faciam, jubear, quidvis agam. Cui uni vel sic afflictionem meam exposuisse, solatium & spes est alicujus salutis. Quam invenire dum confido, confido Dei, sanctorumque cultum, religionem avitam, subditorum salutem, & hoc monasterium episcopatus non ignobilem partem feliciter conservari posse. Gloria manebit facti a tempore, & ab æternitate serenitati vestræ, quam sero superi ut velint, omnia mea vota confero, me, monasteriumque afflictissimum supplice genu demississime commendo. Schwarzach 6. Maii an. 1658.

XLIX.

Charta Henrici II. imperatoris abbatiam in Gengenbach tradentis ecclesiæ Bambergensi.

1007. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex, &c. Saluberrimis igitur sacri eloquii institutionibus erudimur, & admonemur, ut temporalia relinquentes bona, & terrena postponentes commoda, æterna & sine fine mansura in cœlis studeamus adipisci consistoria. Quapropter Dominicis non surdum auditum præbentes præceptis, & Deificis obtemperando intendentes suasionibus quemdam nostræ paternitatis locum, Bambergensem dictum, in sedem & culmen episcopatus sublimando proveximus, & Romana auctoritate, atque venerabilis Henrici Wirziburgensis episcopi consensu, ac pari communique omnium nostri fidelium, tam archiepiscoporum, quam episcoporum, abbatumque, necnon dominorum & comitum consultu, decretoque, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, necnon martyrum Kiliani atque Georgii stabilivimus, & corroboravimus, ut inibi nostrum, parentumque nostrorum, ac Otonis III. imperatoris antecessoris & senioris nostri celebre haberetur memoriale, & jugis pro omnibus orthodoxis hostia mactaretur salutaris. Proinde noverint omnium nostri fidelium tam præsens ætas, quam futura posteritas, quia nos nostri quondam juris abbatiam *Gengenbach* dictam, in pago Hortenau sitam & in comitatu Helsini comitis, ad eamdem supradictam episcopalem sedem, Bambergensem dictam, cum omnibus pertinentiis ejus, sive adhærentiis, videlicet villis, vicis, ecclesiis, capellis, & servis & ancillis, areis, ædificiis, terris, cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, silvis, saginis, venationibus, aquis, piscationibus, molis, molendinis, rebus mobilibus & immobilibus, ac ceteris omnibus, quæ rite scribi & appellari possunt. . . . . hac nostræ auctoritatis præceptali pagina, prout firmius possumus, donamus atque proprietamus, omni contradictione remota. Præcipientes igitur, ut in Deo dilectus nobis sæpe dictæ sedis Eberhardus episcopus liberam dehinc habeat potestatem, suique successores eamdem abbatiam *Gengenbach* dictam, cum omnibus appenditiis suis tenendi, possidendi, seu quicquam sibi libere modis omnibus in usum episcopatus inde faciendi. Si quis igitur, quod absit, hujus nostræ donationis munificentiam destruere, seu violare præsumet, in die judicii coram oculis Dei tormento inextinguibili luat; quod ne fiat, sed hæc traditio nostra ab omnibus perpetualiter inviolabilis permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Datum calendis Novemb. indictione quinta, anno Dominicæ Incarnat. 1007. anno vero Domini Henrici II. regnantis sexto. Actum Frankenfurt feliciter.

L.

Charta Bertholdi Argentinensis episcopi de monasterio S. Marci

NOs Bertoldus Dei gratia episcopus Argentinensis notum facimus tenore præsentium universis, quod cum monasterium olim monialium S. Marci prope castrum nostrum Egisheim Basileensis diœcesis, sub nostro temporali dominio situm, & in quo jus advocatiæ habemus, ab abbatem & monasterium S. Georgii in Nigra-silva, ordinis S. Benedicti, Constantiensis diœcesis in spiritualibus & temporalibus pertinens pleno jure, olim per monialium inibi commorantium vitam infamem & dissolutam, adeo in spiritualibus & temporalibus dissolutum fuerit & devastatum, quod nulla ibi poterat monialium religio reformari; & ob hoc tunc per ipsos abbatem & conventum S. Georgii..... Basileensis & Argentinensis episcoporum auctoritate fuerit ordinatum, quod decedentibus monialibus, quæ tunc inibi extiterunt, idem cœnobium S. Marci postea per monachos S. Georgii tot, quot ex ipsis reditibus sustentari possent, regi & gubernari deberet, ac nunc omnes moniales obierint, una excepta, quæ extra monasterium a multis annis hinc inde discurrit; & adhuc ipsius cœnobii proventus & reditus adeo impignorati & distracti existant, ut ex his vix unus monachorum sustentari valeret; ac venerabilis & religiosus vir dominus Henricus abbas monasterii S. Georgii ad prædicti cœnobii reformationem intendat, ut aliqualis ibidem monachorum numerus posset restaurari, absque tamen gravi præjudicio sui monasterii supra dicti, intentionisque suæ esset nonnulla prædia cœnobii obligata solvere ex pecunia sui monasterii, & eamdem pecuniam ex fructibus prædicti cœnobii, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit, rehabere, & super hiis nostri consensus auxilium requisivit & favorem, nos ejus providentiæ piis voluntatibus annuentes, ut prædictæ suæ intentionis desiderium efficacius perficere valeat ad præmissa explenda, & ut pecuniam de suo monasterio exponendam de fructibus & bonis prædicti cœnobii S. Marci rehabere valeat, nostrum consensum adhibuimus & præsentibus adhibemus, volentes & mandantes advocatis & officialibus nostris in Rubeaco & in Egisheim, quatenus eumdem abbatem in hujusmodi suo proposito nullatenus impediant, sed fideliter & efficaciter studeant promovere, an. 1238. 1238.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CONSTANTIENSEM PERTINENTIA.

I.

Charta Ludovici I. Germaniæ regis pro monasterio Rhinaugiensi.

852. IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludewicus divina ordinante providentia rex. Quoniam principem ac defensorem ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur gratiæ, servicium suum augmentare, ecclesias ditare, bene & opportune constructas defendere, destructas vero nos oportet restaurare. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter Rabanus metropolitanus Moguncienfis, & Salomon episcopus Constantiensis, necnon Folcwinus venerabilis abbas Augiensis cum multis aliis principibus in generali concilio Moguncie celsitudinem nostram adierunt, & quemdam nobilem virum de Alemannia nomine Wolvene, cujus avus, & pater, necnon ipse quoddam cenobium Rinawa nuncupatum in Alemannia in pago Turgowe in comitatu Adalhalmi ob laudes divinas & regulares disciplinas construxerant, obtutibus nostris præsentaverint, humiliter deprecantes, quatenus monachum quemdam nomine Gohbertum, quem idem Wolvene a fratribus & a se electum dixerat in præfato locello abbatem constitueremus, quod & ita fecimus, ea videlicet ratione, quod monachos suos regulariter regat, nulli calumniam sine justo judicio

inferat, res monasterii intus & foris bene ordinet, omnia juxta sapientis architecti dispositionem decenter, congrue, & utiliter gubernet.

Hic talis atque successores a nullo ejiciantur, nisi tali, quod absit, facinori involvantur, quod ecclesiastici viri eos inter se non patiantur; tunc primo in concilio generali Constantiensi, vel Moguncienfi justo conregularium judicio deponantur. Postquam vero aliquis eorum sic depositus fuerit, vel de hac luce, quod magis cupimus, migraverit, non aliunde abbas constituatur, nisi, quod absit, inter eos nullus idoneus inveniatur. Præterea principes supradicti nobis flebiliter sunt conquesti, quod & nos satis audivimus, & veraciter scivimus, scilicet plerosque eorum, qui ecclesiarum vocantur advocati, debita potestate in tantum abuti, ut qui deberent esse modesti defensores, impudenter effecti sint rapaces & injuriosi exactores. Quapropter nostræ placuit providentiæ in præfati abbatis suorumque successorum & fratrum, videlicet monachorum hoc perpetualiter ponere potestate, ut sapientum usi consiliis ex eis, quos inter potentes seculi esse noverint equitatis & modestiæ amatores, eligant suo competenter loco advocatos & defensores, nec quisquam omnium sibi hanc curam vel potestatem præsumat vendicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem abbatis electio & monachorum consulta approbatione velint admittere. Cujuscunque autem fidei abbas ejusdem cœnobii advocatiam non timet committere, eidem nos & successores nostri bannum regale debemus contradere, eo videlicet tenore, ut quandocunque sui commissi prævaricator in rebus vel hominibus, quod vulgo *Balmunt* dicitur, existat, vel si aliquem advocatum, sive exactorem præter se sine abbatis permissione sibi uspiam constituat, semel, secundo & tertio commonitus, si non emendaverit, statim sine mora & sine præjudicio advocatiam cum omnibus commodis perdat. Idem advocatus in præfato loco nullum jus habeat placitandi, vel aliquam judiciariam potestatem exercendi, nisi forte ab abbate vocatus advenerit, & tunc voluntati, sive petitioni ipsius satisfaciat. Quæcunque autem potens vel impotens persona hoc statutum bone memoriæ Caroli avi nostri ac pie recordationis Hludewici patris nostri una cum nostra confirmatione aliqua temeritate transgredi & infringere præsumpserit, sexaginta libras auri, medietatem palatio nostro, medietatem abbati persolvat. Et ut hæc confirmationis nostræ auctoritas nunc & semper stabilis & inconvulsa permaneat, manu propria illam firmantes sigillo nostro consigniri jussimus.

In authentico, aiunt, legitur approbatiora.

Hadabertus subdiaconus ad vicem Grimaldi archicapellani recognovi. Datum anno ab Incarnatione Domini 852. anno regni domini Hludewici regis primo indictione xv. Actum Moguntiæ coram multis principibus in generali concilio feliciter. Amen.

II.

Charta ejusdem Ludovici regis, pro eodem cœnobio.

Circa 870.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis Hludowicus divina favente clementia Rex. Oportet igitur nos, qui divino sumus munere quodammodo præ ceteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere præceptis, cujus clementia prælati sumus, atque cujus præcellimus munere loca utique sibi sacrata nostro relevare juvamine atque regali tueri munimine, quoniam id nobis conducere & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, solertia, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, & pro remedio anime domini avi ac genitoris nostri, necnon pro salute dilectæ conjugis nostræ ac carissima prole concessimus quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium, quod vocatur Rinhouva, id est illam proprietatem, quam Udilloz habuit in locis subnotatis, Gahtelinga, Sibelinga, Houestat, Hidestat, Altunburg, Palba, Swabowa, Russa, Wolvencriuti, Wilechinga, Haselaha, Arcinga, Wizwila, Loucheringa cum ecclesiis cunctisque ecclesiasticis rebus & mancipiis utriusque sexus, curtilibus, ædificiis, terris cultis, & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, omnibusque ad eadem loca jure legitimeque pertinentibus, ut perpetualiter permaneant ad monasterium præscriptum Rinhowa, ubi nunc Wolvine abbas esse dinoscitur, quod volumus ut sit securiter diebus vitæ suæ per hoc nostræ auctoritatis præceptum.

Insuper etiam de loco Loufa in omni quoque tempore tertia post biduum die vel nocte usque Swabowa; ab eodem autem omni tempore in utraque Reni parte usque ad locum, qua Shura influit, sine ullius contradictione piscandi potestatem concedimus. Post obitum vero prædicti abbatis ejusdem monasterii, fratres licentiam habeant secundum regulam S. Benedicti abbatem eligendi, quamdiu inter se possit inveniri, at si non posse contingat invicem reperiri, quod absit, a quacunque monachicæ professionis congregatione sibi placeat, salva electione sui, sibi rectorem eligant, donec rursus eorum aliquem divina clementia inibi votivum disponet fieri dispensatorem.

Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas in succedentibus annis ab omnibus Dei fidelibus & nostris firmius habeatur & diligentius observetur, nostræ confirmationis præceptum conscribi jussimus, propriaque manu nostra illud firmavimus & anuli nostri impressione sigillari præcepimus. Heberhardus cancellarius ad vicem Grimaldi recognovi. Datum 13. kalend. April. anno tricesimo septimo, regni domini Hludowici serenissimi regis in orientali Francia regnante, indictione tertia. Actum Franconofurt in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Ottonis I. imperatoris diploma, quo Meginradicellam, sive monasterium Heremi B. Mariæ donat immunitate.

Ex annalibus Heremi.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter Hermannus dux deprecatus est nostram clementiam, quatenus pro Dei amore, loco, qui vocatur *Mehinratescella*, ei a quibusdam suis fidelibus in proprietatem tradito, ubi dominus Eberhardus heremita ecclesiam in honorem S. Mariæ & S. Mauricii, ceterorumque sanctorum Dei, ipsiusque adjutorio, a fundamentis ædificavit, & cetera ædificia monachis ad habitandum construxit; quem & modo nobiliter regit, & monachis præest, Deo ibi sub regulari disciplina militantibus, privilegium nostræ auctoritatis, atque immunitatem, quam & ceteris monasteriis concessam habemus, electionemque concederemus. Cujus petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri Jesu Christi, nostræque mercedis augmentum, jussimus hoc auctoritatis atque immunitatis privilegium conscribi; per quod volumus, firmiterque jubemus, ut post obitum venerabilis præfati abbatis Eberhardi, monachi ejus, qui supervixerint, monachicamque vitam, Deo auctore, in præfata cella observaverint, ac illorum successores amodo & deinceps firmissimam teneant potestatem eligendi quemcumque inter eos abbatem voluerint; & ut nullus ex judiciaria potestate constitutus aliquam super eos exerceat potestatem, vel super eorum caussas, seu super familias intus vel foris concessas; sed ejusdem cellulæ abbas potestative cum

946.

suis monachis ad illorum necessarios usus firmiter possideat absque ullius contradictione, & sub nostra defensione & immunitatis tuitione res illorum perpetualiter permaneant, ad illorum, ut supra diximus, necessarios usus. Et ut hæc auctoritas hujus immunitatis, ac confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria subter eam confirmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Signum domini Ottonis invictissimi Regis. Brun cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovit. Data VI. calend. Novemb. an. Dom. Incarn. DCCCCXLVI. indict. IV. regnante domino Rege Ottone anno XII. Actum Franconefurt. in Dei nomine feliciter, amen.

IV.

Privilegium Ottonis I. Romanorum imperatoris de libertate monasterii S. Blasii in sylva Hercinia.

963. IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Otto divina dispensante clementia imperator Aug. Ad perpetuam nobis in Christo felicitatem proficere speramus, si ecclesias ab antecessoribus nostris Deo constructas, vel temporibus nostris ad honorem ejus inchoatas, defendere, perpetua pace stabilire non negligimus. Unde Christi, nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos cellam in sylva Schwarzwald, a B. Regenberto eremita noviter constructam Deo & S. Blasio, cum locis circumjacentibus & terminatione eorum, pro remedio animæ nostræ, instinctu quoque fidelium nostrorum in proprium tradidimus, legitime confirmavimus, ab omnium potestate liberam fecimus, eamque eidem sancto viro, qui primus ibi habitare cœperat, & omnibus ibidem Deo servientibus libere & quiete possidendam, fruendamque concessimus, ea videlicet ratione, ut in eadem terminatione, hoc est a fonte Clienbach usque ad villam Heebensuanda,& inde usque ad locum Werenbrechtestvilla, & ita per declivum montis, usquequo Swendenbach influit Albam, inde usque ad ortum Steinaha, inde usque ad montem Veltperg ad ortum Albæ, & inde usque ad locum ubi Schwarzaha exit de lacu Schlurchsee, & juxta decursum prædicti fluvii usque ad locum ubi Clienbach influit Schwarzaha, & ita usque ad fontem Clienbac, nullus dux, aut comes, vel alia aliqua persona, major vel minor aliquid juris habeat, aliquam potestatem exerceat, vel ullam inquietatem monachis in eadem cella manentibus inferre præsumat; quod si præsumserit, regiæ potestati subjacebit. Et ut hæc nostra regalis traditio stabilis & inconcussa omni tempore permaneat, hanc chartam conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

OTTO Imp. Aug. (L. S.)

HILTEBALDUS episcopus & cancellarius vice Willegisi archicancellarii notavi. Data nonis Junii anno Dominicæ Incarn. DCCCCLXIII. regni vero Otthonis XXVII. Imperii autem II. indictione VI. Actum feliciter Veronæ, amen.

V.

Instrumentum fundationis cœnobii Murensis.

1027. NE qua ingeniorum pervicacia, quæ ordinavimus pervertantur, vel transeuntibus ætatibus oblivioni tradantur, præsenti testamento tam præsentium, quam succedentium generationum memoriæ commendamus, qualiter ego Wernherus Strasburgensis episcopus & castri quod dicitur Habesburch fundator monasterium in patrimonio meo, in loco, qui Mure dicitur, in pago Argoia, in comitatu Rore, in honore S. & individuæ
A Trinitatis S. Dei genitricis Mariæ, omniumque sanctorum construxi, quod titulo beati Martini episcopi in perpetuum dicavi, cui prædia, quæ hereditario jure mihi contigerant, per manum germani fratris mei Lancelini, qui, utpote militiæ cingulo præditus, defensor patrimonii mei extiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, silvarum, pratorum, montium, omniumque appendicium contradidi.

Statuimus etiam ut fratres inibi, sub monachica vita, secundum regulam beati Benedicti degentes, abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia congregatione præstituant. Quod si in eligendo quandoque, (quod Deus abnuat) fratres discordes fuerint; pars sanioris consilii quem elegerit, unanimiter omnes obtineant, qui non superfluitate, vel morum im-
B probitate, seu tyrannica dominatione dissipare, sed provida ordinatione & industria sagacitate res monasterii, ut fidelis dispensator, studeat disponere, nec cuiquam in beneficium, sed pro legitimo reditu præstare præsumat.

Ipse autem abbas communicato fratrum consilio, advocatum de mea posteritate, quæ præfato castro Habesburch dominetur, qui major natu fuerit, tali conditione eligat, ut si quas oppressiones intolerabiles monasterio intulerit; & inde secundo & tertio commonitus, incorrigibilis extiterit, eo abjecto, alius de eadem progenie, qui in eodem sit castro Habesburch, sine contradictione subrogetur, hoc adjecto, ut si masculinus sexus in nostra generatione defecerit, mulier ejusdem generis, quæ eidem castro Habesburch hereditario jure præsi-
C deat, advocatiam a manu abbatis suscipiat, quam advocatiam neque a Rege, neque alia persona, nisi a solo abbate, cuiquam suscipere liceat. Et si quis aliter ad eam accesserit, ipsa, quam illicite usurpaverat, omnimodis privetur. Porro nec ipse abbas, eandem advocatiam, ut beneficium, sed ut quandam commendationem, & monasterii tuitionem cuiquam committat.

Sed nec ipse qui præstitutus fuerit advocatus, quidquam de rebus monasterii, sive in fundis, sive in mancipiis, sive de ipsa advocatia cuiquam præstare audeat. Ad ampliorem etiam ejusdem monasterii honorem & utilitatem perpetua lege sancimus, ut si quis de nostris ministerialibus cujusque sexus quidquam de rebus suis, sive in agris, sive in mancipiis, sanus aut ægritudine positus, illuc dare voluerit, sine respectu domini sui, sine cujuslibet personæ reclamatione, libera hoc faciat
D facultate, & quod tradiderit, postmodum nec dominus, nec conjunx, aut filius, aut filia, aut quisquam aliquo modo abalienare præsumat.

Minor autem familia ejusdem monasterii, & familia dominorum, qui Castro Habesburch præsident, eodem jure ac lege, & sua teneant, & pensum servitutis reddant. Si quis demum huic nostræ conscriptioni aliqua temeritate contraire nisus fuerit, eum vinculo anathematis innodatum usque ad condignam satisfactionem pontificali authoritate damnamus; sigilli quoque nostri impressione hanc cartam, ut quod continet ratum permaneat, signamus: anno ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, indictione decima, regnante Conrado imperatore augusto scripta sunt hæc.

E

VI.

Blaubeuriensis monasterii fundationis confirmatio.

URBANUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Azelino monasterii Burensis * abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Sicut irrationabilia poscentibus negari debet assensus, sic justa petentium votis benigna debemus assensione concurrere. Eapropter carissimæ filiæ Adelheidis comitissæ desiderio & petitioni duximus annuendum. Hæc nimirum ad sanctorum apostolorum limina veniens & suam & viri ac leviri sui devotionem strenue adimplere curavit. Burensem * namque ecclesiam, cui nunc, auctore Deo, tua fraternitas præsidet, soceri sui

1099. *Burrhensis

* Burrhonensem.

studio a fundamentis ædificatam, secundum ipsorum vota super sacrosanctum B. Petri altare obtulit, & per manum nostram in proprium sedis apostolicæ alodium delegavit, quam videlicet oblationem scriptorum nostrorum petiit auctoritate firmari. Nos igitur præsentis decreti auctoritate sancimus, ut tam præfatus locus, quam universa quæ ibidem supradictorum comitum Heinrici & Hugonis, seu prænominatæ Adelheidis comitissæ largitione collata sunt, vel in futurum ipsorum aut aliorum fidelium oblationibus conferentur, sub apostolicæ sedis tutela integra & illibata permaneant, servorum Dei illic degentium usibus omnibus* profutura, salva Constantiensis episcopi canonica reverentia, ut tamen ex eodem loco unius bizantii census annuus Lateranensi palatio persolvatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere, vel quasi piis de causis suis usibus applicare: obeunte te nunc ejus loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam elegerint. Si quis igitur sacerdotum, clericorum, regum, ducum, comitum, & judicum vel sæcularium personarum hanc nostræ constitutionis paginam agnoscens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis VIII. cal. Februarii, indictione VII. anno Dominicæ Incarnat. MXCIX. pontificatus domini Urbani secundi papæ XI.

* omnimodis.

VII.

Diploma Henrici IV. Cæsaris pro cœnobio Murensi.

1114. IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet ac futurorum, cognoscat industria: quod in regno nostro regulare quoddam monasterium situm est, in provincia scilicet Burgundia, in episcopatu Constantiensi, in pago Argowe dicto, in comitatu Rore, quod Mure nuncupatum est, quod tempore Conradi imperatoris in honore S. Martini episcopi constructum est, & honorifice Deo dicatum a Wernhario Strasburgensi episcopo, parente scilicet Wernharii comitis de Habsburg. Nunc autem idem comes, a quo præfatum monasterium, sive abbatia hereditario jure possessa est nutu Dei tactus & instinctus ipsum scilicet locum Mure cum omnibus nunc impræsentiarum illuc collatis, institutis legitimis, & pertinentiis prædiorum, mancipiorum, censorum, pecuniarum, seu quarumcunque rerum ex toto super altare S. Martini reddidit, delegavit & contradidit Domino Deo, S. Mariæ, S. Petro apostolo, S. Martino episcopo, & S. Benedicto in proprietatem, & potestatem prædicti monasterii abbati nomine Luitfrido, ejusque successoribus in dispositionem liberam, monasterioque necessariam, fratribus sub regula monastica inibi servituris ad utilitatem. Et ne unquam a posteris suis Dei servitium illic destrui possit, constituit idem monasterium cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis & dehinc conferendis ab hac die, & deinceps non subdi omnino nec subesse alicujus terrenæ personæ, vel potestatis, nisi abbatis solius dominationi & potestati, & ordinationi: & sic totius libertatis jure, & privilegio eam adampliavit, & ob regni cœlestis hæreditatem in Christo omnimodis stabiliter sublimavit. Dehinc in potestate, servitio, jure, proprietate prædicti monasterii ipse cum conjuge sua, & filiis, & filiabus se se omnino abdicavit, & per manus Eghardi nobilis viri de Chusnach in jus apostolicæ sedis mancipavit, ac super altare S. Petri principis apostolorum contradidit, hac videlicet conditione, ut singulis annis ad altare S. Petri ab abbate prædicti monasterii aureus nummus in Quadragesima persolvatur eo pacto, ut libertatis istius, & contraditionis statuta perennius inconvulsa amodo permaneant, & ut prædictum cœnobium sub Romanæ Ecclesiæ mundiburdio & Majestate securum semper stabiliatur & defendatur. Et hoc etiam constituit, ut quandocunque patre spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum Regulam S. Benedicti intra vel undecunque, si opus fuerit, non solum eligendi, sed etiam constituendi: qui si forte, quod absit, libertatem monasterii pervertere, sibi locum sacrum subjicere attentaverit, sive aliquod servitii statutum inde sibi fieri exegerit, mox fratres cum suffragio Religiosorum abbatum, & cæterorum Christi fidelium in circuitu manentium secundum instituta S. Benedicti hunc accusatum, justeque ab eis convictum, dignitate sua abire perficiant, aliumque juxta prædictam libertatem, & S. Benedicti Regulam fratres sibi eligant, & absque omni contradictione pro illo substituant. Constituit autem, ut major natu filiorum suorum, commendante sibi abbate, advocatiam habeat, non in beneficium, & jus proprium, sed ad securioris, & gratæ defensionis suffragium, qui non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede sollicitus & studiosus bona & constitutam libertatem monasterii, & justitiam defendere voluerit. Hic denique, abbate petente, a Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si necesse fuerit, aut in ipso loco, aut ubicumque, vel quandocunque abbati visum fuerit, invitatus ab illo veniat, & ibi placitum justum pro causis & necessitatibus monasterii rite peragat: nullum autem aliud servitium, jus aut beneficium sibi pro hoc concedi cognoscat, nisi æternam Dei mercedem, & tertium bannum, & consuetudinariam justitiam, & in illis trium placitorum diebus in uno quoque unum maltrum de frumento, & unum fruitschingum, & unum siclum de vino, & cætera ad hoc pertinentia. Præterea constituit, quod nisi abbate volente & advocante bona & loca monasterii suis frequentiis temerarius, & sine causa minime adeat, vel attingat, nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet, vel pernoctandi licentiam habeat, nec omnino aliquem advocatum pro se faciat, nec aliquam absque ratione calumniam, pervasionem, aut injuriam monasterio, abbati vel familiæ faciat. Sin autem non ut advocatus, sed potius calumniator, & pervasor monasterii fuerit, omnino potestatem habeat abbas cum consilio fratrum hunc penitus reprobare, & alterum Regia adjutus potestate, si aliter fieri non potest, sibi utiliorem undecunque eligere. Ministris quoque & familiæ sanctuariæ eandem concedit legem, quam cæteræ liberæ abbatiæ, quæ secundum Deum ordinatæ sunt, habent, ut tanto fideliores prælatis suis per omnia serviant. Hoc etiam ipsi nos imperiali auctoritate nostra sancimus & confirmamus, ut nulla deinceps persona parva, sive magna supradictum monasterium de aliquo beneficio suo inquietare, molestare, disvestire, ulterius audeat. Si vero forte, quod absit, aliquis aliqua temeritate vel pertinacia prave inductus nostri præcepti paginam infirmare, vel infringere præsumpserit, centum libras auri componat, mediatatem cameræ nostræ, & medietatem prædictæ ecclesiæ. Ut autem hoc ab omnibus credatur, & inviolabiliter conservetur, hanc chartam manu propria corroborata sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Hujus rei testes sunt: Burchardus Monasteriensis episcopus, Rudolphus Basileensis episcopus, Wido Curiensis episcopus. Dux Fridericus, dux Bertholdus, comes Gotfridus Palatinus; Hermannus marchio, comes Arnolfus de Lentzburg, Rudolphus frater ejus, Adelbero comes de Froburg, Adelbertus comes de Habsburg. Data IV. nonas Martii, indict. VII. anno Dominicæ Incarnationis MCXIV. regnante Heinrico Rege Romanorum anno VIII. Imperante III. Actum est Basileæ in Christo feliciter. Amen.

VIII.

Bulla Calixti papæ pro cœnobio Montis-Angelorum.

1124. CALIXTUS episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Adelhelmo & fratribus monasterii S. Mariæ, quod nos *Mons-Angelorum* cognominari volumus, salutem & apostolicam benedictionem. Veniens ad nos vir nobilis Chonradus de Sellenburon ecclesiam vestram in juris sui prædio ejus sumptibus fabricatam, & omnia ad eam pertinentia per manus Egelolfi nobilis viri de Gamelinchoben B. Petro & S. Romanæ ecclesiæ extradidit, sub censu unius aurei ponderis Turicensis monetæ, singulis annis ad altare B. Petri a patre monasterii prædicti persolvendi. Nos ejus devotionem supplicem attendentes, locum vestrum & omnia ad eum pertinentia in B. Petri jus, ac protectionem suscepimus. Præsentis itaque scripti nostri authoritate constituimus, ut, quandocumque patre spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum Regulam S. Benedicti inter se, vel undecunque, si opus fuerit, non solum eligendi, sed etiam constituendi. Statuimus etiam, ut idem monasterium cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis, & dehinc ab hac die conferendis & deinceps non subjaceat jugo alicujus terrenæ potestatis personæ, nisi Patris monasterii solius dominationi, potestati, & ordinationi. Advocatum ipse cum consilio seniorum fratrum suorum eligat, undecunque ei placuerit, & ei commendet ad remedium animæ suæ, & ut numquam hæreditario jure in aliquem perveniat, qui non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede sollicitus & studiosus bona, & constitutam monasterii libertatem & justitiam defendere voluerit, a Rege tamen, patre monasterii petente, accipiat bannum legitimum. Si autem non ut advocatus, sed potius calumniator & pervasor monasterii fuerit, omnino potestatem habeat abbas cum consilio seniorum fratrum hunc penitus reprobare, & alium regia potestate adjutus, si aliter fieri non potest, sibi utiliorem undecunque eligere. Si vero, quod absit, aliquis aliqua temeritate vel pertinacia prave inductus supra dictum monasterium inquietare, molestare, aut disvestire audeat, sciat, se nostro judicio pro contemptu S. Romanæ ecclesiæ & testamentoriæ hujus nostræ scriptionis destructione, nisi resipuerit, æterna damnatione perire. Data Laterani anno Dominicæ Incarnationis MCXXIV. nonas April. indictione II. Sabbato S. Paschæ Luna 17.

IX.

Bulla Innocentii papæ II. de immunitate Brigantini cœnobii.

1139. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Gebardo abbati monasterii Brigantiensis, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. In apostolicæ sedis specula, disponente Domino, constituti, pro ecclesiarum quiete, & utilitate attentam sollicitudinem nos convenit adhibere, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas, & a pravorum nequitia tueamur, & nostræ defensionis A munimine pariter roboremus. Eapropter dilecte in domino fili Gebarde abbas tuis, & fratrum tuorum justis postulationibus paterna benignitate impertimur assensum, & monasterium Brigantiense, cui Deo auctore præsides, a nobilibus viris Udalrico bonæ memoriæ comite, & Bertha uxore sua & filiis ipsius loci fundatoribus beato Petro oblatum, ad exemplum prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis Gregorii & Urbani Romanorum pontificum sub ejusdem apostolorum principis tutela & protectione suscipimus, ipsumque cum omnibus suis pertinentiis, præsentis privilegii pagina communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem locus in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum, B vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Sepulturam ejusdem loci liberam omnino esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva justitia matricis ecclesiæ; si quas vero decimas pertinentes ecclesiis, quas habetis, vel habebitis a laicis recuperare assensu episcoporum, annuente Domino, potueritis, vestris perpetuo usibus mancipandas absque omni episcoporum contradictione censemus; & de laboribus, quos propriis sumptibus colitis, a vobis decimas exigi auctoritate apostolica prohibemus; laicos, seu clericos a sæculo fugientes ad conversionem suscipere nullius episcopi, vel præ-C positi contradictio vos inhibeat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum: nullus ibi qualibet surreptionis astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam sibi elegerint. Consecrationes sane altarium, vel basilicarum, ordinationes clericorum, chrisma, oleum sacrum, & cætera, quæ ad episcopale officium pertinent ab episcopo Constantiensi, in cujus estis diœcesi, accipietis, si tamen catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis, & sine pravitate impendere voluerit; alioquin liceat vobis catholicum quemcunque malueritis adire antistitem, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere, qui nostra fultus authoritate, quod postulatis indulgeat. D Abbas autem cum fratribus advocatum, quem voluerit, libere eligat, & instituat; qui si forte monasterio inutilis fuerit, remoto eo alium eidem loco præficiat. Præterea, ut præfati monasterii fratres sine inquietudine propositum suum valeant securius, & perpensius exequi & omnipotenti Domino debitæ devotionis obsequium exolvere, statuimus, & apostolica authoritate interdicimus ut nullus sacerdotum, Regum, ducum, aut comitum, seu qualibet magna, aut parva persona præsumat sibi in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hæreditarii juris, non advocatiæ, non investituræ, non cujuslibet potestatis, quæ libertati monasterii noceat, vendicare: non ornamenta ecclesiæ, sive possessiones invadere, imminuere, vel alienare. Vos ergo filii in Christo dilecti oportet regu-E laris disciplinæ institutioni sollicitius, ac devotius insudare: & quanto estis a sæcularibus tumultibus liberi, tanto studiosius placere Domino totis mentis, & corporis viribus anheletis, præcipue studentes Romanæ Ecclesiæ decreta veneranda servare, cujus patrocinio ab omni jugo viventium estis, donante Domino, præmuniti; ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis per singulos annos aureum, quem dicunt Bizantinum nobis, nostrisque successoribus persolvetis: si quis autem ausu temerario id............ præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus incurrat. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei, & eorumdem apostolorum benedictionem, & gratiam consequantur.

Ego

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus.

✠ Ego Lucas presbyter card. tit. SS. Johan. & Pauli.

✠ Ego Chrysogonus presbyter cardin. titul. S. Praxedis.

Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardin. & cancell. v. idus Apr. indict. II. Incarnationis Dominicæ MCXXXIX. pontificatus vero Domini Innoc. papæ II. anno X.

X.

Bulla Friderici imperatoris de limitibus diœcesis Constantiensis.

1155. IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus, desiderio quod ad sublimationem ecclesiarum & honorem ecclesiasticarum personarum pertinere cognoscitur, imperialem benevolentiam nostra gratuita pietate decet annuere, & fidelium nostrorum petitionibus congruum impartiri suffragium. Eapropter notum sit omnibus Christi imperiique nostri fidelibus, qualiter nos dilectissimi nostri Hermanni Constantiensis episcopi indefessum fidelitatis obsequium clementer animadvertentes ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, cui, Deo authore, præsidet, tanto præ cæteris specialius diligere, & amplioribus honoribus sublimare intendimus, quanto studiosius, quantove efficacius in repub. nostra gubernanda hactenus nobis cognoscitur assuisse. Decernimus ergo non solum eam nostris beneficiis decorare, verum etiam omnia, quæ a sanctissimis & gloriosissimis antecessoribus nostris, divæ memoriæ regibus & imperatoribus, ab omnibus retro temporibus, usque ad nos in possessionibus, in terminis, in immunitatibus, in meatu vel mercatu & moneta, in portu, thelonio, seu in cæteris justitiis, eidem ecclesiæ collata sunt, nos præsentis scripti privilegio communimus, & imperiali authoritate corroboramus, inprimis distinguentes terminos parochiæ inter Constantiensem episcopatum, & cæteros adjacentes, sicut ab antecessore nostro, felicis memoriæ Dagoberto rege, tempore Marciani Constantiensis episcopi distinctos invenimus; videlicet versus orientem inter Constantiensem & Augustensem episcopatus, sicut Hilera fluvius cadit in Danubium, ac deinde usque Ulmam villam nostram: versus Aquilonem vero inter episcopatum Wirtzburgensem & Spirensem usque ad Marcham Francorum & Alemannorum: ad Occidentem vero per silvam Schwartzwaldt in pago Brisgowe inter Argentinensem episcopatum usque ad fluvium Blechacha, qui dirimit Mortnaw, & Brisgow, inde per decursum ejusdem aquæ usque ad Rhenum fluvium: inter Basiliensem vero episcopatum, ubi fluvius prædictus Blechacha cadit in Rhenum, & sic per ripam Rheni inter præmemoratam silvam Swartzwaldensem usque ad fluvium Ara, ac deinde inter Losanensem episcopatum per ripam Aræ usque ad lacum Tunseh, inde ad Alpes, ad fines Rhetiæ Curiensis, ad villam Montigel. Termini autem pagelli, qui dicitur *Bischoffshorn*, aliorumque circumquaque commorantium populorum, hi sunt: a Rheno fluvio inter Legenweiler & Tribeltingen in Grawenstein, ac deinde in medium Falckmos inde in superius Falckmos, inde in superiorem partem Luthenrieth, ac deinde in Sarmos, inde in Butenrieth, inde in Forrenbach & per Forrenbach in Comum & sursum per Comum usque ad Tutemili, inde ad casam Regenfridi, inde ad domum Rothardi, inde ad Heimenbach, inde Wagerschlach, ac deinde in Grawenstein, & inde in Mittenbrunnen, inde in Graben, inde per plateam in occidentali parte ad casam Wolfweini, inde ad Annentobel, inde in Grawenstein, inde in lacum inter Nuheym & Monasteriolum; & quia hæc terra his terminis inclusa censualis est ecclesiæ Constant. nulli hominum in prædicto pagello liceat terram emere, vel ullo modo

A sibi vendicare sine permissione episcopi, exceptis tributariis hominibus ex eodem pagello natis. Præterea sunt termini foresti Arbon: ad flumen Salmasa, inde per decursum ejusdem aquæ ad flumen Steinacha, inde ad locum Musa, inde ad fluvium Sydronam, inde ad alpem Sydronam, inde ad albam Sydronam, inde per decursum ipsius aquæ usque ad montem Himmelberg, inde ad alpem Sambatinam, inde per Tirstum usque ad Rhenum, ubi in vertice rupis similitudo lunæ, jussu Dagoberti regis, ipso præsente sculpta cernitur ad discernendos terminos Burgundiæ, & Curiensis Rhetiæ, inde per medium Rhenum usque in lacum, inde ad Gemundas, ad prædictum fluvium Salmasa. Possessiones vero supradictæ ecclesiæ propriis duximus vocabulis exprimendas, videlicet abbatia Petershusensis, B abbatia S. Udalrici, abbatia sanctæ Mariæ in Awa, abbatia Wagenhausen, cœnobium in Monasteriolo, præpositura in Bischoffeszella, præpositura S. Stephani, itemque præpositure censuales Bolla & Sindolfingen, quarum census ad usus canonicos spectant, præpositura Oeningen, quam nos hæreditario jure ad nos transmissam ecclesiæ Constant. tradidimus, cujus advocatiam denuo de manu episcopi recipientes, spopondimus, quod nullius subadvocati districtui deinceps subjaceat; curtis in Horna, curtis in Arbona cum ecclesia parrochiali, curtis in Bischoffzella, curtis in villa Berga cum capella, curtis in Tegerwilla cum ecclesia, curtis in Wissendanga cum ecclesia, curtis in Winterthuna cum ecclesia, curtis in Stadelhoven, curtis in Horna cum ecclesia, curtis in Bollinga cum ecclesia, curtis in C Stusselingen cum ecclesia, curtis in Lauffen cum ecclesia, curtis in Nunkirchen cum ecclesia, ecclesia in Sippling, curtis in Sernatingen cum cappella, curtis in Podama cum ecclesia, curtis Lutzelchaim cum ecclesia, curtis in Muren cum ecclesia. Has prædictas possessiones ad dominicalia episcopi adhuc libere pertinentes, aliasque complures inbeneficiatas, quas præsens pagina capere non potest, privilegiis antecessorum nostrorum annotatas, sæpedictæ ecclesiæ & episcopo confirmamus; specialiter autem possessiones ad usus canonicorum pertinentes subnotari fecimus. Curtim in Pfina cum ecclesia, curtim in Wigoltingen cum ecclesia, curtim in Marsteten cum ecclesia, curtim in Altenowa cum ecclesia, ecclesiam in Richenbach longo, curtim in Richenbach minori, curtim in Egena, curtim in Mictelo, videlicet D totum quod Eberhardus illic visus est habere in ecclesia Warthbuhel præter castrum, curtim in Gutting cum ecclesia, curtim in Richasala cum ecclesia, capellam in Walwis, ecclesiam in Golbach cum vinea ad usus luminariorum, curtim in Stetten cum ecclesia, curtim in Tagedarsdorff cum capella, curtim in Turning cum medietate ecclesiæ & decimarum, curtim in Sittingen cum ecclesia, curtim in Balan cum capella, curtim in Husen, ecclesiam cum decimis & curte in Sachspach, curtim in Dugging cum ecclesia, curtim in Ouchaym, curtim in Uringen, curtim dominicalem cum hospitali, in columbaria, in Rhetia curiensi curtim Flumenes, curtim in Amedes, curtim in montanis Burch cum ecclesia. Has & alias fratrum possessiones tam privatas quam communes nulli personæ jure beneficii possidere præter ipsos concedimus, adjicientes ut curtes claustrales eo- E rumdem canonicorum nullus temere ingredi vel homines per aliquam justitiam distringendi præter episcopum potestatem habeat. Quod qui præsumpserit, eidem pœnæ, quam invasores palatii nostri promeruerunt, subjaceat. Præterea omne jus foresti in Hori a proavo nostro imperatore Henrico, tempore Rumaldi Constantiensis episcopi, ex consensu Ulrici Augiensis abbatis aliorumque prædia vel beneficia illic habentium, supra dictæ ecclesiæ collatum, jure perpetuo confirmamus, ut nullus illic venandi habeat potestatem sine permissione episcopi.

Hi autem sunt termini foresti, a villa Egoltingen usque ad ortum fluminis Murgæ, & flumen deorsum usque ad vadum, quod est in villa Rulassingen, &

finistrorsum per plateam, usque Ramesheym in fluvium Bibara, & per illam deorsum usque in Rhenum, & per Rhenum sursum usque in locum Augensem, & in circuitu laci ad villam Oeningen, & inde ad Kattenhorn, inde ad Wangen, inde Hemmenhofen, inde Geyenhofen, inde Horne, ac deinde per circuitum laci usque Vero, ubi fluvius secus Ratolficellam influit lacum, & deinde per eundem fluvium sursum usque ad lacum Egelsee, ac deinde ad pontem Wallenbrugg & per fluvium sursum usque ad villam Stalringen, & inde finistrorsum per plateam quæ ducit Walewiis in fluvium Simelsee, & sursum per fluvium usque ad supra dictam villam Eggoltingen. Decernimus itaque, & sub obtentu imperialis gratiæ nostræ præcipimus, ne aliquis hominum in possessiones supra memoratæ ecclesiæ Constant. tam inbeneficiatas, quam liberas, nec non ad eas, quæ ad usus monasteriorum seu ecclesiarum ad episcopatum pertinentium, vel in homines eorum, judicandi aut distringendi præter episcopum, & ipsius advocatum, aliquam potestatem habeat, removentes omnino jam sæpius abjudicatam subadvocatorum omnium detestandam exactionem. Ad hæc statuimus, ut nec nos, nec aliquis successorum nostrorum regum, seu imperatorum locum Constant. adeat, vel statuta servitia exigat, nisi vocatus ab episcopo, vel orationis causa, vel itineris necessitate veniat, quod a prædecessoribus nostris eidem loco collatum esse constat. Ceterum si qua persona contra hujusmodi nostrum confirmationis præceptum temere venire, vel aliquo ingenio infringere præsumpserit, banno imperiali nostro subjaceat, & mille libras auri purissimi componat, medietatem cameræ nostræ, & medietatem prædictæ ecclesiæ & episcopo persolvat. Et ut hoc ratum & inconvulsum omni ævo permaneat, præsentem inde paginam conscribi jussimus, & sigillo nostro aureo insignivimus, adhibitis idoneis testibus, quorum hæc sunt nomina: Conradus Augustensis episcopus, Conradus Wormatiensis episc. Frideloch Augiensis abbas, Wernherus abbas S. Galli, Adalbertus Campidonens. Welfo dux, Berchtoldus dux Burgundiæ, Conradus dux, fr. Imperatoris, Hermannus marchio de Baden, Rudolphus comes de Ramesberg, Humbertus comes de Lentzenburg, & frater ejus comes Ulricus, Eberhardus comes de Nellemburg, Kugenburg (Kiburg) & frater ejus, Adelbrechtus comes de Dillingen, & alii complures. Signum domini Friderici Romanorum imperatoris augusti. Ego Arnoldus Moguntinæ sedis archiepiscopus & archicancellarius recognovi.

Data Constantiæ anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo quinto, indict. IV. V. calend. Septembr. regnante domino Friderico Romanorum imperatore augusto, anno regiminis ejus quarto, imperii vero primo; actum in Christo feliciter, amen.

XI.

Charta fundationis monasterii Adelbergensis ordinis Præmonstratensis.

1181. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Ad præsentis & æternæ vitæ gloriam nobis admodum speramus profuturum, si ad conservandum largitiones & eleemosynas fidelium nostram auctoritatem & confirmationis robur apponimus, & dextram nostræ defensionis extendimus. Notum igitur esse cupimus omnibus imperii nostri fidelibus, quod claustrum Adelberg & omnia ei attinentia recepimus in nostram pacem & protectionem. Statuimus etiam cum Folkenando ministeriali nostro de Stowfen, qui fundator fuit loci illius, ut quicumque in sede apostolica successor fuerit, illi apostolico præpositus loci illius dabit aureum unum in signum & recordationem, quod illud claustrum defendi debet & adjuvari ab ipso apostolico, & illo qui fuerit dominus de Stowfen. Volumus etiam ut nullum habeant advocatum præter illum qui est vel erit dominus de Stowfen, nullum habeant subadvocatum nisi quem præpositus & conventus de Adelberg elegerint. Ut igitur hæc rata & incommutata permaneant, præsentem paginam inde jussimus conscribi & nostræ majestatis sigillo insigniri, statuentes & imperiali, qua fungimur, auctoritate præcipientes, ut contra hoc nostrum statutum nullus obviare attentet; quod qui facere præsumserit, XX. libras auri pro satisfactione componat, dimidiam partem nobis, reliquam injuriam passis assignaturus. Hujus rei testes sunt Henricus abbas de Lorche, Udalricus abbas de Ahusin, Ludovicus comes de Helfenstein, Gotfridus de Wineden, Billungus de Jussingin, Adelbertus de Mozzingin, Rupertus de Gundelfingin, Volknandus, Fridericus, Conradus, Bernoldus de Stowfen, Gerundus de Urachach, Udalricus de Rechberg, Egeno & Adelbertus de Walthusim, Henricus, Berngerus, Adelbertus de Lorchein, Diepoldus de Slechbach, & alii quamplures. Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Gotefridus cancellarius imperialis aulæ vice Christiani Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi. Acta sunt anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXI. indict. XIV. regnante Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXX. imperii vero XXVII. Datum castro Stowfen VIII. calendas Junii feliciter, amen.

Eamdem fundationem Odalrico præposito confirmavit Alexander papa III. XI. cal. Augusti 1181.

XII.

Diploma Rudolfi Palatini comitis de Tubingen pro Bebenhusano monasterio.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Ego Rodulphus Dei gratia Palatinus comes de Tubingen, venerabili abbati Diepoldo, cunctisque canonice sibi succedentibus in perpetuum. Noverit generatio præsens, & omnis, quæ nascetur & exurget, quod cum Universitatis auctor, suæ sanctissimæ Genitrici domum illam in Bebenhusen, per nostræ amministrationis impendia fundari disposuisset, adhibito consensu dilectæ jugalis nostræ Mathildis & liberorum nostrorum, prædium ipsum, quod erat Spirensis ecclesiæ, favente & confirmante gloriosissimo imperatore Friderico, ejusque filio rege Henrico, aliisque regni principibus, ordine judiciario per concambium acquisivimus, & eorumdem auctoritate, locum, ob jugem nostri, parentumque nostrorum memoriam, in cultum divinæ religionis, Præmonstratensi ordini deputavimus. Postmodum vero ejusdem ordinis conventu certa causa sublato, & ordine Cisterciensi per auctoritatem domini Henrici imperatoris (qui tunc, patre defuncto, in imperio successerat) feliciter subrogato, locum illum cum possessionibus suis jam habitis vel habituris in posterum, necnon & omnes homines censuales ad ipsum pertinentes, cum possessionibus suis, ab advocatoria simul & ab exactoria conditione, qua nobis tenebantur, sicut ejusdem ordinis exigit institutio, penitus emancipavimus. Et quoniam eorumdem religiosorum sancta & beneplacens conversatio, nos ad ampliora beneficia promovit; illud quoque specialis doni privilegium jure perpetuo contulimus. Ad hæc, ut quicumque ministerialium vel mercatorum, vel rusticorum, seu cujuscumque conditionis aut professionis homo, infirmus aut incolumis, ad ipsorum conversationem transire, vel quicquam de rebus suis, mobilibus aut immobilibus transferre voluerit, liberam de omnibus teneat facultatem, hic scilicet, qui nostræ ditioni est subjectus. Hos igitur apud tremendum judicem supplices advocatos, de meritis nostris nihil 1191. vel 1192. *ex Jongelino.*

præsumentes, magis eligimus, hanc ab ipsis recipientes gratiam, firmiter ac fideliter promissam, ut post obitum nostrum singulis diebus, quibus licuerit, missa defunctorum in nostri memoriam, parentumque nostrorum, semper ibidem celebretur. Nec illud sane prætereundum, quod possessiones & prædia, quæ sunt a nobis, ipsis collata, vel conferenda, ab omni advocati dominatione constituimus semper esse libera. Divinæ quoque retributionis intuitu eidem cœnobio indulsimus auctoritate imperiali, in sylva *Schainbuch* hos terminos, quorum primus est, ubi confluunt duo rivuli *Steinach* & *Bolsterbach*, & descensus per eumdem rivum, qui *Steinach* vocatur, abhinc per ascensus montium usque ad *Gebehartes Aich*, inde usque dum venias *Tabernenbrunnen*. Abhinc usque *Dieffenclingen*, & per ascensus ejusdem vallis, usque ad pratum, quod dicitur *Cunonis*. Inde ad verticem proximi montis & per ejus confinia usque ad sedes. Hinc ad lapideum pontem. Abhinc usque ad clivum, qui dicitur *Hannestaige:* Inde ad cornu, quod dicitur *Alegersrutin*, usquedum venias ad rivum, qui dicitur *Queronbach*, usque in *Stainache;* ut in his terminis ligna igni vel aliis usibus suis necessaria incidant. Quod si in præscriptis terminis non reperiantur ligna ad ædificia eorum sufficientia, in tota sylva, quæ *Scainbuch* dicitur, liberam incidendi habeant facultatem: & pascuis totius sylvæ utantur, exceptis ovibus eorum, quibus ibi depascendi non concedimus libertatem. Ne quis igitur hujus traditionis tam firmam traditionem temere præsumat infringere, præsentem chartam sigilli nostri impressione, testium quoque designatione fecimus insigniri. Testium itaque, qui interfuerunt, hæc sunt nomina. De clero: Diethelmus episc. Constantiensis, Godfridus abbas Schonaugiensis, Diepholdus abbas in Benhausen, &c.

XIII.

Bulla Innocentii IV. papæ pro cœnobio Murensi.

1247. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati monasterii S. Martini Murensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Martini Murense Constantiensis diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum & principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Mure, cum de Hermots-wilere de Bosswille, & de Wolon, capellis dependentibus ab eadem, & omnibus pertinentiis earumdem. De Getis-wilare, de Tellewilla, de Gersowo, de Egenwilare, de Cozlincholn & Vitichum ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem.

Quintam partem decimarum, quam habetis in ecclesia de Rordorf. Quartam partem decimarum, quam habetis in ecclesia de Stallinchon; duodecimam partem decimarum, quam habetis in ecclesia Reinfriswillare. De Bochoc, de Stagnes, de Riske, de Gersowo, de Spreitenbach, de Gangolswillare, de Terespac, de Halincon, de Wicwilare, de Schonuntollun, de Gepenowe, de Chalpac, de Wilpere, de Columbari, de Columbiogo, de Chonorgen, de Tintinchon, de Haclingin, de Totinckon, de Talheim, de Riffirswilare, de Bellinchon, de Widorf, de Preitenbach, de Tellewilare, & de Winziwiler, terras, mansos, quos habetis in Waltarata cum omnibus pertinentiis eorumdem, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuariis, & pascuis, in bosco & in plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos vel absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum fuerit terræ, liceat vobis clausis januis, exclusis excomunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, & suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacro-sanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi, & vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publicè usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vere te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum & B. Benedicti regulam providerit eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, sive violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur

eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione A concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva sedis apostolicæ authoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia, & in supradictis decimis moderatione concilii Generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christ aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud B districtum judicem præmia æternæ retributionis inveniant. Amen.

Datum Lugduni per manum magistri Marini Romanæ Ecclesiæ vice-cancellarii sexto kald. Maii ind. v. an. Dom. Incarn. MCCXLVII. pontificatus vero dom. Innocentii PP. IV. anno quarto.

XIV.

Bulla Innocentii papæ IV. qua bona cœnobii Brigantini recensentur & confirmantur.

1249. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati monasterii de Brigantia, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne C forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat: eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium de Brigantia Constantiensis diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontifi- D cum, largitione Regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam sancti Johannis in Lindegnowe cum decimis, redditibus, terris, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis. S. Petri in Andolspuoch, & S. Mariæ in Albrichsuendi ecclesias cum decimis, redditibus, terris, possessionibus, ac omnibus pertinentiis earumdem. Jus patronatus, redditus, & decimas, quæ habetis in ecclesia parochiali S. Galli in Bregenze. Capellam S. Nicolai loci ejusdem cum decimis, & omnibus pertinentiis suis. Capellam S. Georgii in Eutrahe cum E decimis, & omnibus pertinentiis suis, jus patronatus, decimas, & redditus, quæ habetis inde, Sanegaus, de Stophen, de Bruningeswilaer, de Gruenenbach, de Ractenbach, de Opfingen, de Simenningen ecclesiis. Alpes, grangias, domos, terras, redditus, possessiones, & nemora, quæ in Constantiensi diœcesi in Contrata, quæ Bregenzaetwalt dicitur, dicitis vos habere. Grangiam, quam habetis in loco, quæ dicitur Tutenbuoch cum terris, possessionibus, redditibus, domibus, nemoribus, piscariis, & omnibus pertinentiis suis. De Cluse de Zemrehofe, de Zerhaldum, de Zemspttal, de Zeberge Zemhelde, de Eutrahe, Zemkamerhove, de Zemmdernhove, de Hoeste, de Staige, de Tomburton, Zemhubaer, de Diepolsowe, de Altahe, de Sulles, de Rangwil, de Slins, de Radutz, de Senegaus, de Albrichsuendi, Zemaier, de Stophen, de Bruningeswillaer, de Taeringen, de Bonlanden, de Sickingen, de Gruenenbach, de Isenhersriet, de Roetenbach, de Opfingen, de Sigaemeringen, de Tiringen, de Rustanswilaer, de Faetingen & de Egenbrechtsoren, grangias cum terris, vineis, domibus, piscariis, redditibus, nemoribus, & omnibus pertinentiis earumdem, domos, terras, redditus, & possessiones, quas habetis in villis, & oppidis de Cutrache, Rienden, Bregente, Stade, Interuti, Celle, Kaenelbach, Ahe, Wolfurt, Berge, Staige, Rikenbach, Swarzahe, Kuum, Stegeingen, Tomburon, Sulles, in Walguoe, Slins, Rankwil, Wadutz, Sanagans, Dietpoetsowe, Altahe, Hoeste, Ruezache, Harde, Zedorff, Garspuron, Hasegnowe, Langunegge, Ririnsperg, Hitinsow, Crumbach, & Obekilchum, Andemuelde, Sulzberg, Lindenawe, Andolspuohoë, under Baezenegge, Crammberg - Indemmose, Haesbach, Haidegge, Berspuoch, Zembuhel, Zembuochon, Andemualle, Hirsowe, Baezenowe, Steingunhache, Saingenbuoch, Stophen, Briningervilaer, Gruenenbach, Rothenbach, Isenhersriet, Egebrechtshoven - Tiringen, Sickingen, Rustanswilaer, Bollanden, Ophingen, Simingen vulgariter nominantur, usum piscandi, quem habetis in lacu, qui Bodmen dicitur, & in fluvio, qui Bregenze nuncupatur, molendina, quæ habetis in locis, qui Cluse, Andem, Ogiez, Zerblatten, Ander Bregenze, Bidorff, Kanalbach, Telmoz, under Stophen, Bilenrot, Zelindenowe, Indemtobel, Rikenbach, & Zeandelspuoch vocantur. Cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non cepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos, & absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia, nisi artioris religionis obtentu de eodem loco descedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare. Crisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi, & vestro capellam, seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas, & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, sæcularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus; sepulturam quoque loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias, quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel

tuorum quolibet successore, nullus ibidem qualibet surreptione, astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum, & B. Benedicti regulam providerint eligendum: paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas, retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesanorum episcoporum canonica justitia, & in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate: reamque judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus.
Ego Petrus tit. S. Marcelli presb. card.
Ego Willelmus Basilicæ 12. apost. presb. card.
Ego frater Johannes tit. S. Laurentii in Lucina presb. card.
Ego frater Hugo eccl. S. Sabinæ presb. card.
Ego Petrus Albanensis episc.
Ego Willelmus Sabinensis episc.
Ego Johannes S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus card.
Ego Willelmus S. Eustachii diaconus card.

Dat. Lugduni per manum magistri Marini S. R. E. vicecancellarii XV. cal. Octob. indict. VII. Incarnationis Dominicæ anno MCCXLIX. pontrificatus vero domni Innoc. papæ IV. anno septimo.

XV.

Ex chronico edito episcop. Constant.

Privilegium Caroli IV. Henrico Constantiensi episcopo concessum.

1357. IN nomine S. & individuæ Trinitatis feliciter, amen. Carolus IV. divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, & Boëmiæ rex, ad perpetuam rei memoriam. Si de innata imperialis mansuetudinis benigna clementia in singulis subjectorum nobis commodis nostra delectatur serenitas, sanctarum tamen ecclesiarum commodis & quieti, & ipsarum procurandis honoribus ad laudem Dei & nostræ salutis augmentum, sicut ex assumpto imperialis dignitatis tenemur officio, sinceriori semper affectu dignamur intendere, ut hi, quos divina providentia suo deputare curavit mysterio* sub felici nostro regimine omni tranquillitate eo sincerius famulentur, quanto gratioribus

* f. ministerio.

A se viderent nostræ protectionis præsidiis communitos. Sane venerabilis Henricus Constant. ecclesiæ episcopus, princeps, consiliarius, & devotus noster dilectus ad nostram accedens præsentiam nobis humiliter supplicavit, quatenus sibi omnia sua & dictæ ecclesiæ suæ regalia seu feuda & universa, & singula privilegia, libertates, gratias, jura & indulta, quæ & quas a recolendæ memoriæ divis Romanorum imperatoribus, & regibus antecessoribus nostris, ab aliis principibus & personis quibuscunque super quibuscunque rebus, bonis, processionibus,* juribus, & honoribus obtinuisse noscuntur, necnon omnia & singula eorum judicia, alta & bassa, ac jurisdictiones, consuetudines, & usus eorumdem, & quidquid dicta ecclesia licite possidet vel quasi jura, & bona infra scripta approbare, ratificare, auctorare, innovare, concedere & confirmare, B ipsumque & ecclesiam suam Constantiensem cum omnibus eorum bonis & rebus, in nostram & imperii sacri protectionem recipere auctoritate Cæsarea dignaremur generose. Jura autem, quæ dictus episcopus in præfata civitate habere dignoscitur sunt hæc, in primis, ut quilibet episcopus Constant. pro tempore existens in sua diœcesi seu castris fabricare monetam argenteam, denarios Constantiens. vel Hallenses usuales & dativos. Itemque dictus episcopus Constantiensis in præfata civitate habeat ministrum, & omnes officiales seculares constituere & ponere, & quæ omnia judicia secularia ab eo, & ad eum tanquam a vero domino immediate dignoscuntur dependere, & pertinere. Itemque curiæ episcopi, canonicorum & clericorum civitatis Constant. C necnon abbatsim * monasteriorum Petershausen, Creutzlingen, & prælatorum subscriptorum & eorum familiarium debent esse liberæ, immunes & exemptæ ab omni steura, ungelto, impositione & vexatione quacunque magistrorum, & consilium dictæ civitatis Constant. & immunitate ecclesiastica gaudere debent. Itemque magistri, consules, cives, & inhabitatores dictæ civitatis, qui ad annos discretionis pervenerunt, episcopos pro tempore existentes, rite, legitime & canonice confirmatos, tanquam eorum veros dominos in temporalibus absque omni contradictione in dicta civitate Constant. teneantur reverenter recipere, ac eis fidelitatis & subjectionis juramenta præstare: itemque dictus episcopus & Constantiensis ecclesia, necnon monasteriorum abbates in Petershausen, in Creutzling. D & prælati subscripti; necnon omnes & singuli comites, barones, milites & nobiles cujuscunque dignitatis vel præeminentiæ existant, qui a nobis & sacro imperio, necnon ab ecclesia Constantiensi, seu monasteriis subscriptis feudati fuerunt, homines utriusque sexus ipsis jure servienti pertinentes, in civitate Constant. vel in aliis civitatibus in imperio constitutis, etiamsi hujusmodi homines in dictis civitatibus in cives reciperentur, in hæreditate suorum hominum succedere, legata & jura recipere possint, & debeant sine quacunque magistrorum & consulum dictæ civitatis Constantiensis contradictione. Volumus etiam quod præfati magistri, consules, & cives civitatis Constantiensis nullum ungeltum, nulla thelonia imponere vel recipere debeant, necnon consiliarios constituere absque episcopi suæque Constantiensis ecclesiæ consensu & voluntate, sed ipsum E & Constantiensem ecclesiam in moneta, ungelto, thelonio, emendis sive hominibus jure servienti pertinentibus, libere & absque omni contradictione & impedimento gaudere permittant. Item possessiones & jura ecclesiæ supra dictæ propriis vocabulis duximus exprimenda; videlicet abbatiam Petershausen, abbatiam S. Udalrici, abbatiam S. Mariæ in Awa, abbatiam Wagenhausen, cœnobium in Monasteriolo, præposituram in Bischoffcelle, præposituram S. Stephani, itemque præposituras censuales Bolla & Syndelfingen, quarum census ad usus canonicorum spectat; præposituram Oeningen: curtim in Horna: curtim in Arbon cum ecclesia parochiali; curtim Bischoffzella: curtim in villa Berga cum capella: curtim in Tegenweiler cum

* f. possessionibus.

* f. abbatiæ.

ecclesia: curtim in Wisendanga cum ecclesia: curtim in Wintherthura cum ecclesia: curtim in Stadelhoven: curtim in Homa cum ecclesia: curtim in Bollinga cum ecclesia: curtim in Stuslingen cum ecclesia: curtim in Loffen cum ecclesia: curtim in Nunkirchen cum ecclesia, ecclesiam in Supplingen: curtim in Sernatingen cum capella: curtim in Bodma cum ecclesia: curtim in Luzelnheim cum ecclesia, curtim in Murea cum ecclesia: hæ prædictæ possessiones ad dominicalia episcopi adhuc libere pertinentes, aliæque quamplures inbeneficiatæ, quas præsens pagina capere non potest, specialiter autem possessiones ad usus canonicorum pertinentes subtus notari fecimus: curtim in Pheyna cum ecclesia: curtim in Wigoltingen cum ecclesia: curtim in Mersteten cum ecclesia: curtim in Altnowa cum ecclesia: ecclesiam in Rukhembach longo: curtim in Rukhembach minori: curtim in Egena: curtim in Mittilo cum ecclesia Wartbuhel præter castrum: curtim in Guttingen cum ecclesia: curtim in Riethassa cum ecclesia, capellam in Waleweys, in Golbach cum vinea ad usus luminariorum: curtim in Stotten cum ecclesia: curtim in Dagerdastorff cum capella: curtim in Thuringen cum medietate ecclesiæ & decimarum: curtim in Bollen cum capella: curtim in Hausen, ecclesiam cum decimis: curtim in Sachsbach: curtim in Bugingen cum ecclesia: curtim in Eghesim: curtim in Uringen: curtim dominicalem cum hospitali in Columbaria, in Rhecia Curiensi: curtim in Flumenes: curtim in Amedes: curtim in Montanis & Burg cum ecclesia. Nos igitur præfati episcopi Constantiensis varia devotionis & alia multiplicia probitatis & virtutum merita, quibus ipse & sui antecessores Constant. episc. nostram celsitudinem, & sacrum Romanum imperium studuerunt hactenus attenta diligentia specialiter benemereri, clare nostræ mentis oculis intuentes, ipsius supplicationibus ad Omnipotentis Dei & gloriosæ Mariæ intemeratæ virginis genitricis ejus, cujus pretioso vocabulo decoratur titulus ecclesiæ supra dictæ, reverentiam, necnon sinceræ devotionis affectum, quem ad dictam ecclesiam semper gessimus, & præ cæteris habere dignoscimur inclinati benignius, præsertim cum supplicatio prædicta de fonte rationis emanet, & juste petentibus non sit denegandus assensus, præfato episcopo suisque successoribus episcopis & ecclesiæ Constantiensi, in perpetuum omnia sua & dictæ suæ ecclesiæ regalia seu feuda, necnon omnia universa & singula privilegia, litteras, libertates, gratias, immunitates, atque indulta, quæ, seu quas a recolendæ memoriæ divis Romanis imperatoribus, seu regibus antecessoribus nostris, ab aliis principibus aut personis quibuscumque rite obtinuerunt, in omnibus suis articulis, continentiis, sententiis, tenoribus, titulis & punctis de verbo ad verbum, prout scripta sunt, ac si tenores omnium præsentibus specifice forent inserti, seu insertæ, & etiam de his jure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis: necnon omnia jura, monetam, thelonium, ungelt, emere dictus, judicia sæcularia, curtes & possessiones supra scriptas, & etiam omnia, & singula alia bona ejusdem Constantiensis ecclesiæ, cum villis, hominibus, dominiis, bonis, agris, cultis & incultis, vineis, prædiis, rusticanis, urbanis, & judiciis, jurisdictionibus, bannis, forestariis, inhabitationibus, ferinarum redditibus, censibus, utilitatibus, pœnis, silvis, rubbetis, venationibus, aucupationibus, pratis, pascuis, aquis, molendinis, aquarumve decursibus, militibus, clientibus, vasallis, vasallagiis, feudis, feudatariis, advocatiis monasteriorum prædictorum, juribus patronatus, ecclesiarum collationibus, beneficiorum servitoribus, proprietariis, pignoribus, etiamsi ab Imperio tenerentur, consuetudinibus, usibus, honoribus, necnon universis & singulis attinentiis & pertinentiis, quibuscunque etiam specialibus vocabulis valeant designari ad præmissa spectantibus & quidquid eadem Constant. ecclesia inpræsentiarum licite possidet, vel quasi, & in futurum justis & rationabilibus modis & veris titulis, præstante Domino, poterit adipisci: animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed ex certa nostra scientia sano, principum, comitum & baronum, & aliorum nostrorum & imperii sacri fidelium accedentibus consiliis, auctoritate Cæsarea, & de plenitudine potestatis Imperialis, prout digne gessimus, approbamus, ratificamus, innovamus, concedimus, & confirmamus gratiose, omnem defectum, si quis obscuritate vel dubia interpretatione verborum, obmissione solemnitatis vel ceremoniarum, aut alia ex causa quacunque reperiretur in præmissis, eadem auctoritate Cæsarea penitus abolentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, ratificationis, auctorisationis, innovationis, concessionis & confirmationis paginam infringere, vel ex ausu quovis temerario quomodolibet contraire. Si quis autem secus attentare præsumpserit, pœnam centum librarum auri puri totiens quotiens contra factum fuerit, (quarum medietatem Imperiali nostro ærario sive fisco, residuam vero medietatem passis injuriam applicari decernimus) se noverit irremissibiliter incursurum. Signum serenissimi principis & domini Caroli IV. Romanorum imperatoris invictissimi & gloriosissimi Boëmiæ regis. Testes hujus rei sunt venerabiles Arnoldus sanctæ Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, Johannes Olomucensis, sacræ imperialis aulæ cancellarius & Theodoricus Mindensis, ecclesiarum episcopi, illustres Rodulphus dux Saxoniæ, sacri Romani imperii archimareschallus, Fridericus marchio Misnensis, Bolcko Falckenbergensis, Henricus Saganensis & Pzemislaus Thesginensis duces; spectabiles, Burckhardus Burggravius Maggdeburgensis, necnon Albertus de Anhalt, comites & nobiles Rodulphus de Warta, Jodocus & Johannes fratres de Rosenberg, & Stencko de Sternberg judex regalis curiæ Boëmiæ; & alii quamplures nostri & imperii sacri principes nobiles & fideles, præsentium sub bulla aurea typario nostræ majestatis impressa testimonio litterarum.

Datum Pragæ, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, indictione decima, ultimo id. Oct. regnorum nostrorum anno duodecimo, Imperii vero tertio.

Per dominum Imperatorum
RUDOLFUS DE FRIDENBERG.

XVI.

Diploma Sigismundi regis Romanorum; pro cœnobio Murensi.

NOs Sigismundus Dei gratia rex Romanorum, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, semper augustus, profitemur & notum facimus per has litteras omnibus visuris & audituris, quod venerablis & religiosi Georgii abbatis monasterii Mure in Argovia nostri dilecti & devoti oratores honesti coram nobis comparentes humiliter supplicarint, ut eidem abbati, conventui ac monasterio Mure omnes & singulas jurisdictiones, jura, consuetudines, statuta nationalia, litteras, rotulos, acta fundationis, homines subditos, judicia, tribunalia, banna, privilegia & quæ eorum antecessores a nostris in imperio prædecessoribus legitime acceperunt, & hactenus tenuerunt, confirmare, renovare, ac roborare dignaremur. Attenta igitur supplici instantia, consideratisque dicti abbatis & conventus honesta vitæ methodo, & laudabili Dei servitio continuo, ita plane considerate, prudenter, & scienter eidem abbati & cœnobio omnes & singulas jurisdictiones, jura, consuetudines, statuta nationalia, litteras, rotulos, acta fundationis, homines subditos, judicia tribunalia, banna, privilegia & sicuti de verbo ad verbum scripta, & consignata sunt, quæ eorundem antecessores a nostris prædecessoribus Imperatoribus, Regibus, atque etiam a domo Austriaca legitime accepere, & hactenus tenuere, confirmavimus, renovavimus, & roboravimus, atque Regia authoritate, tenore præsentium litterarum, 1415.

confirmamus, renovamus, roboramus; mandamus insuper & volumus, ut iis omnibus imposterum libere uti ac frui possint sine ullius contradictione vel impedimento. Facultatem quoque concessimus & de facto concedimus, ut ipse abbas & ejus successores pro suo cœnobio subditis ac prædiis defendendis advocatum quemlibet assumere possint, & valeant. Præterea præfatum abbatem ac monasterium cum omnibus eorum hominibus, prædiis, aliisque attinentiis ex singulari gratia in nostram & imperii tutelam atque Mundiburdium suscepimus: & idcirco severe ac sincere mandamus omnibus & singulis principibus ecclesiasticis & sæcularibus, comitibus, baronibus, dynastis, equitibus, famulis, Burggraviis, præfectis, officialibus, toparchis, judicibus, consulibus, senatoribus, communitatibus aliisque nobis & imperio subjectis ac fidelibus, ut præfatos abbatem, conventum & monasterium Mure in dictis illorum jurisdictionibus, consuetudinibus, statutis nationalibus, litteris, rotulis, actis fundationis, hominibus, judiciis, tribunalibus, bannis, privilegiisque & manu tenendis, ne impediant ullo modo, sed fideliter tueri, ac defendere satagant, quatenus in nostra & imperii tutela quiete vivere ac permanere valeant, qui secus faxit inde nostram imperii gravissimam incurret disgratiam, & in pœnam viginti marcas puri picti auri luet toties quoties, decem cameræ imperiali, & alias decem præfato abbati, conventui, & cœnobio sine omni diminutione persolvendas. In quorum omnium robur & fidem has nostro Regiæ Majestatis sigillo firmatas dedimus Constantiæ anno post Christum natum decimo quinto supra millesimum quadringentesimum, feria quarta ante festum S. Viti, regni Ungarici anno vigesimo nono, Romani quinto, &c.

XVII.

Bulla Julii papæ II. qua Pontificalium usus abbati Murensi conceditur.

1507. JULIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni abbati monasterii in Mure ordinis S. Benedicti Constantiensis diœcesis salutem & apostolicam benedictionem: exposcit tuæ devotionis sinceritas & religionis promeretur honestas, ut tam te, quem spirituali devotione prosequimur, quam monasterium tuum in Mure ordinis S. Benedicti Constantiensis diœcesis provinciæ Moguntinensis dignis honoribus attollamus. Hinc est quod nos te a quibuscunque excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, tuis ac dilectorum filiorum conventus ejusdem monasterii supplicationibus inclinati, ut tu fili abbas, ac successores tui abbates dicti monasterii, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo, & baculo pastorali, ac aliis pontificalibus insigniis uti, necnon tam in eodem monasterio quam quibuscunque prioratibus & ecclesiis ac portionibus eidem monasterio subjectis, & ab illo dependentibus, quamvis illi non pleno jure subsint etiam ad tuam fili abbas & conventus hujusmodi præsentationem pertinentibus, ac in quibus aliquam superioritatem obtinetis, nec non aliis quibuscunque locis ecclesiasticis, in quibus te fili abbas & successores tuos præfatos in pontificalibus pro tempore celebrare contigerit etiam in membra vestra benedictionem solemnem post missarum, vesperorum, matutinorum, & aliorum divinorum officiorum solemnia, supra populum inibi tunc interessentem, dummodo ibidem aliquis antistes, seu sedis apostolicæ legatus præsens non fuerit, vel si præsens fuerit, ad id ejus expressus accedat assensus, elargiri, ac omnes & singulos monachos, servitores & novitios dicti monasterii ad quatuor minores ordines simul & semel aut separatim,

A prout expediens fuerit, statutis a jure temporibus, promovere, & dictos ordines eis conferre, necnon imagines, cruces, corporalia, ac omnia & singula ornamenta ecclesiastica etiam sacerdotalia, & campanas, ac quascumque vestes, & vasa, ac tabernacula etiam pro conservatione Eucharistiæ sacramenti & reliquiarum, altaria & alia in dicto monasterio aut ecclesiis & ecclesiasticis locis illi subjectis ad divinum cultum dedicata benedicere, ac ejusdem monasterii & alias quascumque seculares vel regulares ecclesias tam eidem monasterio subjectas & ab eo dependentes, ac super quibus tu, & successores tui præfati superioritatem aliquam obtinueritis, & quæ ad præsentationem vestram pertinuerunt, quam pro quibus tu & successores præfati requisiti fueritis, illarumque
B cimiteria ac alia loca ecclesiastica, sanguinis vel seminis effusione, aut alio quovis modo pollutas, ac polluta, aqua tamen prius per aliquem catholicum antistitem, ut moris est, benedicta reconciliare libere & licite possis, felicis recordationis Alexandri PP. IV. prædecessoris nostri, quæ incipit *abbates*, & quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus & sinodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus. Per hoc autem constitutioni, quæ reconciliationem hujusmodi præcipit per episcopum tantum fieri, nullum volumus imposterum præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ
C absolutionis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo, IV. idus Julii. Pontificatus nostri anno quarto.

XVIII.

Diploma Leopoldi primi Romanorum imperatoris quo Placidus Zur-Lauben Murensis abbas, & successores, S. R. Imperii principes declarantur.*

* Ex idiomate Teutonico in Latinum conversum.

D NOS Leopoldus divina favente gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ rex, Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucembergi, & Wirtembergiæ, superioris inferiorisque Silesiæ, princeps Sueviæ, marchio S. R. I. ac Burgoviæ, Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, dominus marchiæ Sclavonicæ, Portus-Naonis & Salinarum. 1701.

Testamur nostro nostrorumque in S. Romano Imperio, necnon in hæreditariis regnis, principatibus & ditionibus successorum nomine palam his litteris, cunctisque notum facimus: quamvis sublimitas Romanæ
E Cæsareæ majestatis per vigorem fulgentissimi throni sui hactenus non solum quoad collustrationem magnitudinis, sed etiam pro necessitate ornamentorum & magnificentiæ S. R. Imperii principibus, & fratribus & nobilissimis familiis ornata est: & quo Cæsarea majestas secundum eorum præclaram originem virtutes atque merita majoribus dignitatibus illos instruit & donat, eo excelsiorem dictæ majestatis thronum ornari, & magnificentiorem reddi, etiam subditos in agnitione Cæsareæ clementiæ, & debita obedientia contineri & ad nobiles virtutes, heroica gesta, & continuam fidelitatem & servitia excitari, & informari: præterea & quamvis nos instinctu talis Cæsareæ majestatis & dignitatis nostræ, in quam nos Omnipotentis voluntas collocavit, insuper instinctu bonitatis & clementiæ

semper proclives sumus ad omnium & singulorum a nobis & S. R. Imperio addictorum superiorum & inferiorum statuum, atque membrorum honorem, & dignitatem, incrementa, & emolumenta consideranda & promovenda: nostram tamen Cæsaream magnitudinem merito magis inclinatam & permotam esse ad eos, quorum majores, & ipsi ex inclytis vetustis stemmatibus, & prosapiis oriundi, quique erga nos, S. R. Imperium, nostramque archiducalem domum Austriacam specialibus fidelibus servitiis, belli pacisque temporibus, meritos se fecere, & præ aliis promptos, & indefessos exhibuere in honoribus & statu exaltandos & suscipiendos.

Quandoquidem ergo clementer advertimus & suspeximus honestatem, sinceritatem, & religiosos bonos mores, fervorem, conversationem, virtutes, & prudentiam, quibus honorabilis dilectus devotus Placidus abbas monasterii Muri, ex familia Zur-Lauben baronum de Turn & Gestellenburg præditus, & coram nostra Cæsarea majestate laudatus, etiam clementissime perpendimus, tam antiquam & percelebrem fundationem, magnam celebritatem, & speciale augmentum hujus percelebris & nobilis a prædecessoribus nostris felicissimæ memoriæ fundati, & inclytis jurisdictionibus & proventibus dotati monasterii, etiam accepta fida, & utilia obsequia, quæ non solum dictus abbas, sed etiam antecessores sui, pacis & belli temporibus, nostris antecessoribus imperatoribus Romanis, & Regibus S. R. Imperii, & nostræ Austriacæ domui omnibus occasionibus promptissime exhibuere, & quia primis fundationis temporibus in humillima & perenni devotione perseveravere; ipse abbas Placidus una cum suis capitularibus in ea erga nos & S. R. Imperium, Austriacam domum continuo perseverare, necnon nostra, & S. Imperii servitia omnimode promovere promptissime spondet, prout & ipse id efficere potest & debet.

Idcirco nos probe deliberato animo, vero & maturo consilio, recta notitia, nominato abbati Placido hanc specialem Cæsaream gratiam contulimus, eumque non solum quidem, sed etiam legitimos successores hujus monasterii Muri, in statum, honorem, & dignitatem nostrorum, & S. Imperii principum clementer eveximus, honoravimus, & collocavimus, ut tam ipse abbas Placidus, quam futuri successores, nostri, & S. R. Imperii principes esse, seque tales nominare, agnoscere debeant, & possint, & dignamus ipsum, & illos honore & dignitate nostrorum, & S. R. Imperii principum: æquiparamus, collocamus & associamus illum illosque eorum collegio, & societati, simulque illi & illis impertimus, & attribuimus una, ac præter jam præhabitos honores, & titulos, nomen, & titulum nostri, & S. R. Imperii principis, & concedimus ipsi, ipsisque tales se erga nos, & quosque cujuscunque status, ac dignitatis sint, nominare & scribere, & sancimus, decernimus & volumus, ut sæpe dictus abbas Placidus, & legitimi successores sui, perpetuo, & in omne ævum nostri, & S. Imperii principes sint, ita se præter pristinos, & jure acquisitos titulos nominent, & scribant, a nobis, nostrisque in S. R. Imperio successoribus, ac universis pro talibus æstimentur, agnoscantur, inscribanturque, etiam omnes singulas gratias, privilegia, honores, & dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, jura, & jurisdictiones, in conventibus cum beneficiis ad superiores & inferiores diœceses, in ecclesiasticis & sæcularibus feudis, & præfecturis suscipiant, & obeant, aliaque omnia obtineant, & participent, hisque etiam omnibus, præsertim autem Principali titulo, ac nomine apud omnes summo cum honore in sessionibus, votis, & processionibus, ubique locorum, prouti par erit, & eorum necessitas, voluntas, & bene placitum feret, gaudere, uti, frui debeant ac possint, eo modo quo alii nostri & S. Imperii principes nati de jure & consuetudine gaudent, utuntur, ac fruuntur, nemine prohibente.

Insuper & pro majori confirmatione nostræ Cæsareæ gratiæ, nos venerando nostro & imperii principi dilecto & devoto Placido abbati, ejusque legitimis successoribus, & eorum monasterio, ut subsequentibus insigniis abhinc & in perpetuum uti possint concessimus: parmam nempe secundum longitudinem intercisam, in cujus inferiori dextera parte Austriacum candidum rubicundumque scutum, superiori flava parte rubicundus Habsburgicus Leo, in sinistra inferiori cærulea parte albus Leo, ambo erecti, & mutuo se respicientes, e quibus posterior in brachiis ramum fuscum cum tribus virentibus foliis tenet, in superiori parte flava turris nigra videnda est. In meditullio parmæ prominet vetus monasterii insigne in parva scutula, murus scilicet in superiori corona intercisus, prout mœnia veterum depingi solent. Parmæ in summitate tres ante retroque coronatæ librales nobiles equestres galeæ se erigunt, quæ a sinistris flavo nigroque, a dextris flavo rubroque galeæ tegmine una cum dependentibus cimeliis ornantur; dextra e corona erigit se dimidius rubeus Habsburgicus Leo sustentans brachiis vexillum, in quo imperialis aquila splendet: sinistra e corona prominet pariter dimidiatus candidus Leo, brachiis fuscum tribus cum virentibus foliis ramum tenens: media e galea spectabilem se præbet mitra cœrulea viridi cussino imposita, cujus medietati immersum pedum pastorale suam superius emertam exhibet rosam: & quemadmodum in præfatis duas in partes æquales divisis insigniis sinistra in parte moderni abbatis avitum insigne descriptum, ita eidem parti sinistræ in posterum abbatis tunc viventis avitum nobile insigne cum una vel pluribus impositis & prius de jure usitatis nobilibus galeis inseratur: prout moderna uti auditum a nobis clementissime indulta insignia in hoc nostro Cæsareo, libelli ad instar, descripto diplomate coloribus accurate depicta, & illuminata sunt: & quemadmodum prædictum asceterium a nostris antecessoribus pro nobilibus tantum hac conditione fundatum, ut si in hac parte defectus compareret mediante susceptione ipso facto nobilitandus foret, ita nos id per hoc renovamus & confirmamus.

Insuper pro majori dignitate & decore gratiosissime collati principatus nos sæpe nominato nostro principi & dilecto devoto Placido abbati monasterii Murensis, sicut etiam suæ devotionis legitimis successoribus, annuimus, concessimus, & indulsimus, ut ipsi pro majori splendore dignitatis Principalis quatuor hæreditaria officia, hæreditarium scilicet marescallum, hæreditarium camerarium, hæreditarium pincernam, hæreditarium dapiferum instituere, uti, & his capaces equestris dignitatis familias investire valeant, debeant ac possint: damus, annuimus, & concedimus ex Cæsarea plenitudine, ac potestate, scienter, vi præsentium litterarum, ut sua devotio & successores non solum hæreditaria officia instituere, uti, & his capaces equestris dignitatis personas investire, sed etiam officio hæreditarii mrrescalli pronunc, & inposterum natu maximum ex propria familia Zur-Lauben baronum de Thurn & Gestellenburg hoc investire, & ceteros ad placitum denominare, & quoties contingeret, quod una vel altera dictis hæreditariis officiis investita familia extingueretur, vacans hoc hæreditarium officium alteri similiter equestris dignitatis familiæ ad placitum conferre, & eo investire valeat, ac possit, nemine impediente.

Insuper deliberato animo, maturo consilio, rectaque notitia, nostro principi & dilecto devoto Placido abbati monasterii Murensis Cæsaream contulimus gratiam & suæ devotionis monasterium, sicut & ejus justo titulo acquisita, possessa, & acquirenda dominia, feuda, jura, jurisdictiones, privilegia & ususfructus quocunque exprimantur nomine, in nostram & S. Imperii specialem tutelam, præsidium, & protectionem clementissime suscepimus, suscipimus & accipimus dictum monasterium Muri una cum dominiis, feudis, & pertinentiis, uti supra dictum, in nostram, & S. Imperii specialem

specialem tutelam, præsidium & protectionem, ita ut A illud universa & singula jura, & jurisdictiones, privilegia, securitates, & prærogativas habere, his gaudere, uti & frui debeat, ac possit, sicut reliqui nostri, & S. Imperii status & subditi, qui hujusmodi Cæsarea tutela, præsidio ac protectione donati, & provisi sunt, nemine impediente.

Juxta hæc ergo omnibus & singulis electoribus, principibus ecclesiasticis, ac secularibus, prælatis, comitibus, baronibus, dynastis, equitibus, militibus, terrarum juxta marascalcis, colonellis, atque satrapis, centurionibus, vicepræpositis, præfectis, curatoribus, administratoribus, officialibus, terrarum judicibus, prætoribus, consulibus, scabinis, &c. civibus, communitatibus, denique omnibus aliis nostris, & imperii etiam hæreditariorum regnorum, principatuum, & B ditionum nostrarum subditis, atque fidelibus, sint cujus dignitatis, status, conditionisve, serio & stricte præsenti diplomate mandamus volumusque, ut venerandum nostrum, & imperii principem, & dilectum devotum Placidum abbatem monasterii Muri, sicut & etiam devotionis suæ futuros legitimos successores imposterum perpetuo ceu nostros, & S. R. Imperii principes recipiant, colant, habeant, scribant, compellent, & agnoscant, ipsi & iis etiam in omnibus & singulis honorificis conventibus, superioribus inferioribusque diœcesibus ac præfecturis, tam ecclesiasticis quam secularibus, quinetiam ubique locorum, & apud omnes, ceu nostrum, ac S. R. imperii principem colant, admittant, respectent, habeant, & agnoscant, & iis etiam titulum & nomen Principis scripto & ore tenus C attribuant, devotionem suam ita compellent, & inscribant, ut & omnes ac singulos honores, dignitates, præeminentias, prærogativas, jura & jurisdictiones, quibus alii imperii principes de jure & consuetudine gaudent, utuntur, & fruuntur, iis integra & salva conservent, nec in ullis dictorum obstaculo sint, & offendant, nihilque contra ea delinquant, aut aliis permittant, nullo pacto, & ratione, siquidem nostras, & Imperii gravissimas ingratias, & pœnas, mulctam insuper ducentarum marcarum auri puri evitare consultum videbitur. Cujus mulctæ dimidiam partem, quoties contumaciter aliquis contra hæc deliquerit, nobis in nostram, & imperii cameram, reliquam pluries dicto nostro principi, & dilecto devoto Placido abbati monasterii Muri, vel devotionis suæ successoribus, absque ulla remissione dependere damnatus esto, nihilo tamen minus illis principis honor, status, dignitas, & privilegia salva & illæsa manento, factoque ipso defenduntor, & proteguntor.

In horum firmamentum huic principali diplomati nostram Cæsaream auream bullam scienter appendi fecimus, dato in nostra civitate Wienensi vigesimo die mensis Decembris post salutiferam Nativitatem Christi Domini nostri & Salvatoris anno millesimo septingentesimo primo, regnorum nostrorum, Romani quadragesimo quarto, Hungarici quadragesimo septimo, Bohemici quadragesimo sexto.

LEOPOLD.

Ut DOMINICUS-ANDREAS comes a Caunitz.

Ad mandatum sacræ CÆSAREÆ majestatis proprium, C. F. Consbruch.

APPENDIX AD INSTRUMENTA ECCLESIÆ SPIRENSIS.

Bulla Clementis VII. papæ, qua Weissenburgensis ecclesia ex abbatiali in præposituram secularem commutatur.

1524. CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Clementia disponente ejus, qui immobilis permanens sua providentia mirabili, suo ordine dat cuncta moveri, in apostolicæ sedis cathedra, meritis licet imparibus, constituti, ac commissi nobis eadem clementia desuper pastoralis officii debito, ad singulas ecclesias & monasteria dirigentes circumspectæ considerationis intuitum, quandoque illorum statum in melius immutamus, & alteramus, prout temporum, locorum & personarum conditionibus diligenter pensatis, ad divini cultus augmentum, ac pro ecclesiarum & monasteriorum salubriori statu, decore & venustate conspicimus in Domino salubriter expedire; & ad illos dextram nostræ libertatis intendimus, quos E ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Georgii episcopi Spirensis, ac dilectorum filiorum nobilis viri Ludovici comitis Palatini Rheni Bavariæ ducis, fratrum germanorum Rudigeri abbatis monasterii Romanæ ecclesiæ immediate subjecti SS. Petri & Pauli, ordinis S. Benedicti, necnon decani ecclesiæ S. Stephani protomartyris oppidi Weissenburgensis, Spirensis diœcesis, ac conventus monasterii & capituli ecclesiarum prædictarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dictum monasterium, illiusque abbas pro tempore existens vassallos principes, comites, barones & militares de suis feudis investitos haberet, & idem abbas princeps monasterii Romani Imperii semper extiterit, necnon privilegiis principum usus fuerit, & utatur, ac de regalibus per Romanos Imperatores investiatur, ipsumque monasterium, seu illius bona temporalia partim sub dominio temporali dicti Ludovici D comitis Palatini constituta, & idem monasterium ab ejus primæva erectione & institutione digno & sumtuoso opere constructum & ædificatum, ac multis & magnis redditibus annuis & bonis temporalibus pro sustentatione monachorum illius, in quo tunc nonnisi baronum ac comitum filii, ac ex nobili & militari genere procreati in monachos recipiebantur, abundantissime ditatum extiterit; tamen alias cum, malitiis temporum & variis sinistris eventibus, plurimisque molestationibus & perturbationibus eidem monasterio illiusque abbatibus & conventui illatis causantibus, omnes monachi dicti monasterii, qui tunc erant & in illo professionem emiserant, ab hac luce decessissent, solo abbate ibidem tunc remanente, cujus ærumnis & desolationi quondam Fridericus comes Palatinus compatiens, & in hoc providere cupiens, certas a felicis recordationis Sixto papa IV. prædecessore nostro litteras, per quas idem prædecessor inter alia voluit & concessit, quod etiam filii innobilium sub observantia tamen regulari degentes in dicto monasterio recipi possent, & quondam Henricum in abbatem ipsius monasterii auctoritate apostolica præfici procuravit. Sed postquam dicto Friderico vivente idem Henricus abbas ipsum monasterium bene & laudabiliter gubernans quamplures inibi monachos sub dicta regulari observantia Altissimo famulantes instituerat, & congrue sustentaverat, eodem Friderico ab hac luce subtracto, dictus Henricus abbas cum quondam Philippo comite Palatino dicti Ludovici

genitore, & cum multis aliis nobilibus illarum partium quamplures lites & controversias habuit, adeo quod propter lites hujusmodi pro manutentione & conservatione rerum & bonorum ac jurium dicti monasterii quamplura bona, decimas, & res alias ejusdem monasterii partim hypothecare ac pensionibus gravare, ac partim in perpetuum vendere & alienare coactus extitit, ac tempore differentiarum hujusmodi plura dicti monasterii bona, arces, villæ, & jurisdictiones per certos nobiles & potentes sub eodem monasterio & illius abbate ablata & per incursus hostiles pro majori parte devastata fuerunt, quibus omnibus intestina oppidanorum dicti oppidi Weissemburg. bella ratione superioritatis, jurisdictionum & nonnullorum jurium, quorum abbas & conventus prædicti ante aliquot annos in possessione fuerant & in hodiernam diem esse deberent, accesserunt, quæ a ducentis annis citra durarunt & maxima damna eidem monasterio in suis redditibus & jurisdictionibus intulerunt, ex quibus omnibus sinistris eventibus monasterium prædictum redactum est, ut redditus ejusdem ad sustentationem ipsius abbatis & monachorum inibi degentium ac supportationem onerum & solutionem jurium Romano imperio exinde debitorum, ac pensionum annuarum, quibus gravatum est, amodo non sufficiunt, & nisi super his de opportuno & celeri remedio succurratur, de totali ipsius monasterii ruina & desolatione verisimiliter formidatur; verum si in dicto monasterio nomine monasterii ac abbatialis dignitas & tam in illo, quam in præposituris, prioratibus & membris aliis ab eo dependentibus, ac illi subjectis ordo prædictus, ac capellania per clericos sæculares obtineri solita ad altare S. Michaëlis situm in ambone dicti monasterii, quam dilectus filius Leonardus de Wilstein presbyter ad dictum altare perpetuus capellanus obtinet, necnon in dicta ecclesia S. Stephani, cujus abbas dicti monasterii fundator & patronus, & quæ eidem abbati subjecta existit illius præpositura, quam Matthias Wildenreit præpositus, necnon decanatus, quem etiam dictus Leonardus, ac quatuor canonicatus, & totidem præbendæ, quos Sifridus Schoim, Jodocus Balthasar, Johannes Welcker, & Wolffgangus Boklin canonici, necnon quinque vicariæ perpetuæ, quas Antonius Sartoris, Johannes Getz, Petrus Noll, Christophorus Renberger, & Joseph Schicq perpetui vicarii ejusdem ecclesiæ S. Stephani dilecti filii respective obtinent, perpetuo supprimerentur & extinguerentur, ac ecclesiam ipsius monasterii in secularem & collegiatam ecclesiam cum sigillo & archa communibus, ac aliis collegialibus insigniis, & præeminentiis, quibus aliæ ecclesiæ collegiatæ civitatis Spirensis & dictæ diœcesis utuntur, potiuntur & gaudent, erigeretur & illi ecclesia S. Stephani prædicta uniretur, annecteretur & incorporaretur, ac in ecclesia monasterii hujusmodi una præpositura, quæ principalis, & unus decanatus non tamen principalis dignitates, ac una custodia, quæ officium inibi existant pro uno præposito, qui caput aliorum existeret, ac inibi præeminentiam tam in choro & processionibus quam aliis solemnibus actibus primum locum obtineret, capitulum tamen nisi per decanum & capitulum ecclesiæ monasterii hujusmodi requisitus non intraret, & tunc ibidem primum locum haberet, ac uno decano & uno custode, necnon duodecim canonicis, qui simul cum decano & custode prædictis capitulum ipsius ecclesiæ facerent & constituerent, & inter quos unus esset plebanus parochialis ecclesiæ S. Johannis ejusdem oppidi Weissemb. cujus collatio seu præsentatio casu vacationis illius occurente ad abbatem pro tempore existentem monasterii hujusmodi pertinuit & pertinet, necnon sedecim vicariæ seu capellaniæ perpetuæ erigerentur, ipsique ecclesiæ sic erectæ dicta S. Stephani per eundem abbatem fundata perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profecto statui & indemnitati dicti monasterii opportune consuleretur, divinusque cultus in missis & horis canonicis, ac quotidie cantando & celebrando

A divina officia non modicum susciperet incrementum, populique illarum partium & præcipue dicti oppidi, in quo ipsum monasterium consistit non modicam exinde consolationem exciperent, majorique pace & tranquillitate ac amplioribus favoribus personæ ipsius ecclesiæ erigendæ gauderent & potirentur, ac nobiles & litteratæ & alias tales personæ in eadem ecclesia instituerentur, per quarum solertiam & diligentiam, ac etiam parentum & amicorum suorum potentiam jura & bona ipsius ecclesiæ conservarentur, alienata recuperarentur & ad jus & proprietatem ecclesiæ ipsius debita cum sollicitudine reducerentur. Quare pro parte Georgii episcopi ac Ludovici comitis Palatini, qui etiam dicti imperii elector existit, necnon abbatis & decani & conventus ac capituli prædictorum asserentium
B fructus, redditus & proventus monasterii & ecclesiæ S. Stephani, necnon præpositurae, canonicatuum & præbendarum, vicariarum & capellaniarum prædictarum octingentorum ducatorum auri de camera, secundum communem existimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in monasterio nomine monasterii ac abbatialem dignitatem & tam in illo quam præposituris, prioratibus & membris ab eo dependentibus & illi subjectis ordinem prædictum, necnon capellaniam, ac in ecclesia S. Stephani prædictos præposituram, decanatum, necnon canonicatus, præbendas ac vicarias hujusmodi, ut præmittitur, perpetuo supprimere & extinguere, ac ecclesiam ipsius monasterii in secularem & collegiatam, & in ea unam præposituram pro uno præposito, & unum decanatum
C pro uno decano & unam custodiam pro uno custode, necnon duodecim canonicatus & totidem præbendas pro totidem canonicis, qui simul cum ejusdem decano & custode capitulum ipsius erigendæ ecclesiæ constituit, necnon sedecim vicarias, seu capellanias perpetuas perpetuo erigere & instituere, ac dictam ecclesiam S. Stephani eidem erectæ ecclesiæ similiter perpetuo unire, annectere & incorporare aliaque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum existimationem prædictam etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset, quique monasteriorum & aliorum reli-
D giosorum locorum quorumlibet in melius directionem & in illis divinum cultum nostris potissime temporibus conservari & augeri sinceris desideramus affectibus, nonnullorum prædecessorum nostrorum, qui etiam aliquorum monasteriorum status in ecclesias seculares immutarunt, vestigiis inhærentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in eodem monasterio nomine monasterii ac dignitatem abbatialem & tam in illo, quam in præpositis nuncupatis *Quatuor-turrium* & S. Germani ecclesiis extra dictum oppidum sitis, & dudum devastatis, necnon prioratibus, membris & aliis ab eo dependentibus & illi subjectis ordinem ipsum, ac omnia & singula officia, ac capellaniam ad altare S. Michaëlis, necnon in dicta ecclesia S. Stephani præposituram &
E decanatum, necnon quatuor canonicatus & totidem præbendas, ac quinque vicarias perpetuas prædictas, fructibus tamen præpositurae ecclesiæ S. Stephani dicto Matthiæ, si in præmissis non consentiat, quoad vixerit, salvis, autoritate apostolica, tenore præsentium penitus supprimimus & extinguimus, ac ecclesiam monasterii hujusmodi ad laudem & gloriam omnipotentis Dei ejusdemque gloriosæ genitricis Virginis Mariæ, necnon eorumdem beatorum Petri & Pauli apostolorum ac Stephani totiusque curiæ triumphantis, in secularem & collegiatam ecclesiam cum sigillo & archa communibus, omnibusque & singulis aliis insigniis, honoribus & præeminentiis, quibus aliæ collegiatæ ecclesiæ civitatis & diœcesis Spirensis prædictarum utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere

possint, necnon in ea unam præposituram, quæ principalis, ac unum decanatum qui non principalis dignitates, necnon unam custodiam, quæ officium simplex & nullam præeminentiam, nisi quod post decanum primum locum habeat, inibi existant pro uno præposito, qui sit caput aliorum, & præeminentiam ibidem tam in choro & processionibus, quam aliis solemnibus actibus, primum locum obtineat; capitulum tamen, nisi, ut præfertur, requisitus, non intret & tunc ibidem etiam primum locum habeat, ac uno decano & uno custode, necnon duodecim canonicatibus & totidem præbendis pro duodecim canonicis, qui simul cum decano & custode prædictis capitulum ipsius ecclesiæ constituant & faciant, & inter quos unus dictæ ecclesiæ S. Johannis, cujus collationem ad decanum & capitulum in utrisque mensibus pertinere decernimus, plebanus existat, necnon sedecim vicarias, seu capellanias perpetuas, inter quas organista sive officium organi in eadem ecclesia exercens, qui ad sacros ordines suscipiendum compelli non possit, dummmodo sit clericus perpetuo unam, quam etiam capitulum similiter in utrisque mensibus conferre possint & debeant, semper habiturus sit, authoritate & tenore prædictorum, sine alicujus præjudicio erigimus & instituimus, necnon dictam ecclesiam S. Stephani cum omnibus illius bonis, juribus & pertinentiis eidem ecclesiæ sic per præsentes erectæ, ita quod liceat pro tempore existentibus præposito, decano & custodi ac capitulo ipsius erectæ ecclesiæ per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem ecclesiæ S. Stephani ac illius honorum, jurium & pertinentiarum prædictorum propria authoritate libere apprehendere & perpetuo retinere: illiusque fructus, redditus & proventus in suos & ecclesiarum earumdem usus & utilitatem convertere, diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, eidem authoritate & tenore etiam perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, omnesque & singulas obligationes, conventiones & pacta, licitas & licita inter dictos abbatem & conventum monasterii & decanum ac capitulum ecclesiæ S. Stephani hujusmodi, necnon personarum tam monasterii quam ecclesiæ sancti Stephani prædictorum rationabiliter desuper initas & inita, quæ præsentibus haberi volumus pro expressis, dummodo licita sint & honesta authoritate & tenore supradictis approbamus & innovamus, ac illis authoritatem sedis apostolicæ imponimus, necnon conventiones & obligationes prædictas inviolabiliter observari mandamus & observata fore decernimus, & nihilominus quod fructus, redditus & proventus præposituræ, decanatus, custodiæ, canonicatuum & præbendarum, ac vicariarum ecclesiæ erectæ hujusmodi juxta ipsius ecclesiæ erectæ qualitatem & conditionem, prout expedierit, per eosdem præpositum, decanum & capitulum statui & ordinari possint & valeant, ita tamen quod præpositus ejusdem erectæ ecclesiæ & sui pro tempore successores, ut eo commodius onera ipsis tam in spiritualibus quam temporalibus dicti Romani imperii incumbentia supportare valeant, omnes & singulas pensiones ad quarum solutionem monasterium prædictum ad dies vitæ nonnullarum personarum loco victalicii est obligatum, quando aliqua earumdem pensionum pro victalicio debitarum per mortem ejus cui victalicium debetur vacaverit, deinceps in perpetuum recipere, habere & sublevare, & in dictæ præposituræ, & in suos usus & utilitatem convertere, proprietate tamen ecclesiæ erectæ prædictæ in his semper salva remanente, quodque præpositi ecclesiæ per præsentes erectæ, occurrente pro tempore illius præposituræ prædictæ vacatione, electio, quæ ad ipsius olim monasterii monachos & conventum temporibus retroactis spectare solebat, ... & qui pro tempore in illius olim monasterii præpositum electus fuerit, confirmationem suæ electionis ad eandem præposituram infra quatuor menses a tempore datæ electionis hujusmodi computandos sub pœna privationis juris sibi in eadem electione quæsiti ipso facto incurrenda, a sede prædicta petere & obtinere teneatur, quodque erecta præpositura . . . . ac qua dictus præpositus conferre habeat custodiam, necnon canonicatus & præbendas pro plebano ac vicariam pro organista deputati hujusmodi sub quibusvis constitutionibus, cancellariæ apostolicæ regulis, ac etiam dignitatum principalium in collegiatis ecclesiis & aliis pro tempore reservantibus gratiis exspectativis, specialibus, etiam mentalibus, & generalibus, reservationibus etiam imperialibus, seu regalibus, primariis precibus specialibus, ac dictæ nationis Germanicæ, præterquam concordatorum olim inter sedem apostolicam & nationem ipsam initorum, vel aliis quibusvis præventivis litteris apostolicis sub quibusvis verborum formis in genere vel specie editis & edendis, ac concessis & concedendis, ullo unquam tempore comprehendi possint & idem quoad electionem decani ejusdem erectæ ecclesiæ, dicto decanatu vacante, in omnibus & per omnia præterquam quoad confirmationem, quam a sede prædicta recipere non teneatur, perpetuo observari, & super præmissis minime comprehendi debeat, nullusque in perpetuum, decanum, custodem, canonicum, vel vicarium ecclesiæ erectæ hujusmodi assumatur deinceps perpetuo, nisi de legitimo thoro sit procreatus, quodque dicta erecta ecclesia ejusque perpetuus decanus, custos, canonici, & aliæ ejus personæ eorumque familiares pro tempore existentes ab omni jurisdictione, dominio, & superioritate quorumcumque locorum ordinariorum, eorumque vicariorum & officialium liberi & exempti sint, & esse censeantur, quemadmodum abbas & conventus ac aliæ personæ ejusdem monasterii liberi & exempti erant, ac omnia & singula, litteras conservatorias, exemptiones, privilegia, immunitates, libertates, superioritates, jura, præscriptiones, honores, gratias, & indulta monasterio, abbati & conventui, ac decano & capitulo, & personis ecclesiæ S. Stephani hujusmodi per sedem prædictam & Romanorum reges & imperatores & alias quomodolibet & sub quacumque verborum forma concessa & competentia, & præsertim de introducendo & vendendo in dicto oppido Weissemburgo & extra ilud vina, grana & omnia alia necessaria præposito, decano, capitulo, canonicis, vicariis, & personis ecclesiæ erectæ hujusmodi in toto vel parte ad minutum absque dacii, staciæ, gabellæ, seu tributi, quæ prius abbas & conventus monasterii ac præpositus, decanus, canonici, & capitulum ecclesiæ S. Stephani hujusmodi habuerunt, & quibus hactenus gavisi & usi fuerunt, hactenus & illis utantur absque alicujus contradictione, ac judices conservatores desuper & deputati cum omnimoda eis tradita potestate eisdem modo & forma post hujusmodi erectionem, prout antea, eis in futurum remaneant in omnibus & per omnia perinde ac si erectio, unio, annexio, & incorporatio prædictæ factæ non forent & litteræ conservatoriæ, exemptiones, privilegia, immunitates, libertates, superioritates jura, præscriptiones, honores, gratiæ, & indulta prædictæ ecclesiæ per præsentes erectæ illiusque præposito, decano, custodi, canonicis & capitulo prædictis specialiter nominatim de novo concessa fuissent, quodque præpositus erectæ ecclesiæ hujusmodi pro tempore existens mitra, annulo & baculo pastorali, aliisque pontificalibus insigniis uti, & benedictionem solemnem post matutinarum, vesperarum, ac aliarum divinarum horarum solemnia, dummodo ibidem aliquis antistes, vel sedis apostolicæ legatus præsens non sit, seu si præsens fuerit, de illius licentia, super populum elargiri possit, ac in quibuscumque conventionibus & congregationibus, per sedem prædictam, seu Romanor. Regem vel imperatorem indicendis nomine ipsius ecclesiæ, consueta juramenta a vassallis exigere & recipere ipsique vassalli eidem præposito obedire teneantur, prout prius ipsi abbati tenebantur. Quod si decanus ecclesiæ per præsentes erectæ prædictæ in singulas illius personas, præpositus vero extra dictam ecclesiam omnimodam

jurisdictionem, correctionem & punitionem, quam idem abbas prius habebat, obtineant, & præpositus, decanus, custos, canonici & vicarii supradicti & eorum successores apud ipsam ecclesiam personaliter residere, necnon horas canonicas & alia divina officia celebrare, cantare & recitare, ac almutias de pellibus deferre adinstar canonicorum majoris, vel aliarum collegiatarum ecclesiarum civitatis & diœcesis Spirensis, & alias habitui illarum tam hyemali quam æstivali temporibus se conformare omnibusque & singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus & indultis, quibus aliæ collegiatæ ecclesiæ civitatis & diœcesis prædictarum ac eorum personæ de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere possint & debeant, authoritate & tenore prædicta pepetuo statuimus & ordinamus, ac decernimus, necnon eisdem decano, custodi & capitulo, ut pro felici statu & directione ipsius erectæ ecclesiæ & illius personarum quæcumque statuta & ordinationes justa, rationabilia & honesta, sacris canonibus non contraria, totiens quotiens eis videbitur, condere, mutare, limitare & declarare, eisque addere & detrahere, & si opus fuerit in totum cassare & alia de novo condere, cujusvis licentia, præterquam ejusdem pro tempore præpositi, super hoc minime requisita, ac omnia & singula in præmissis & circa ea necessaria, tam circa spiritualia, quam temporalia, seu quomodolibet . . . . etiam quoad collationem custodiæ, canonicatuum & præbendarum & vicariarum hujusmodi, alias tamen juxta concordata prædicta statuere, ordinare, facere & exequi libere & licite valeant, plenam & liberam facultatem & authoritatem concedimus. Et nihilominus volentes Rudigero nuper abbati & Leonardo præfatis, necnon Johanni Angeli, Johanni Benget, Jacobo Plack, Jacobo Hist, Wilhelmo Geyssen, Beato Dieterich, Henerico Osterwick, Johanni Schritman, Laurentio Dalen, Jodoco Fischer, Philippo Hatten, Leonardo de Treven, Wendalino Hellerman, Wilhelmo Aquis, Valentino Ludovici, Theodorico Herderwick, Christophoro Eich, Matthiæ Weibstat, Martino Danstat, Johanni Kirchsberg, Henrico Dietherich, Henrico Hilberg, Simoni Broden, Gerhardo Andreæ, Wolffgango Fatzinger, Jacobo Landsberger, Wolffgango Bocklin & Georgio Sternenfels, respective monachis dicti olim monasterii, & clericis Spirensis prædictæ ac Moguntinensis, Augustensis, Argentor. & aliarum etiam respective diœcesium, dictis filiis ob religionis zelum, vitæ & morum honestatem aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus singuli prædicti respective apud nos fide digno commendantur testimonio, gratiam facere specialem, ipsosque & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, necnon omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, quæ singuli prædicti ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinent, & expectant, ac in quibus & ad quæ jus eis quomodolibet competit, quæcumque, quotienscumque & qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditaum, proventuum veros annuos valores, ac hujusmodi dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes præposituram Rudigero, decanatum Leonardo de Wilstein, custodiam vero Johanni Angeli, & cuilibet eorumdem Leonardo & Johanni Angeli unum ex canonicatibus & unam ex præbendis, singulis vero ex Johanne Bingel, Jacobo Plack, Jacobo Hist, Wilhelmo Giessen, Beato Dieterich, Henrico Osterwick, Johanne Schritman, Laurentio Dalen, Jodoco Fischer, & Philippo Hatten singulos canonicatus & præbendas, necnon singulis ex Leonardo de Treven, Wendelino Hellerman, Wilhelmo Aquis, Valentino Ludovici, Theodorico Herderwick, Christophoro Eich, Matthiæ Weibstat, Martino Danstat, Johanne Kirchsberg, Henrico Dieterich, Henrico Heinsberg, Simone Broden, Gerardo Andreæ, Wolffgango Fazinger, Jacobo Landsberg, Wolffgango Bocklin, & Georgio de Sternenfels, singulas perpetuas vicarias hujusmodi, sic a primæva earum erectione apud sedem prædictam vacantes, & de quibus nullus præter nos pro eo quod nos dudum omnia dignitates & officia, ac canonicatus & præbendas, cæteraque beneficia ecclesiastica apud sedem eamdem tunc vacantia, & in antea vacatura collationi & dispositioni nostris reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, disponere potuit sive potest, reservationibus & decreto obstantibus supradictis, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus & pertinentiis suis dicta authoritate apostolica conferimus & de illis etiam providemus, ac eos in illis instituimus, necnon collationem & provisionem canonicatus & præbendæ Laurentio collatorum hujusmodi serenissimo in Christo filio nostro Carolo Romanor. Regi illustri in imperatorem electo perpetuo & ejus successoribus in utrisque mensibus reservamus, ac Rudigerum olim abbatem & alios monachos olim dicti monasterii ordinem ipsum tacite, vel expresse confessos, quorum nomina & cognomina supra descripta sunt, ut præfertur, a delatione regularis habitus dicti ordinis, ita tamen quod ab ipsorum professione, nisi in hujusmodi habitus mutatione, ac dignitatis, officii ac canonicatuum & præbendarum eis collatorum hujusmodi retentionis, in quibus licite recedere possunt, nullatenus recedant, præfata authoritate apostolica earumdem tenore præsentium absolvimus & liberamus, necnon cum eis ut deinceps habitum secularem canonicorum gestare ac præposituram, decanatum, custodiam, canonicatus & præbendas, ac vicarias hujusmodi vigore præsentium, necnon quæcumque quotienscumque, & qualiacumque alia cum cura & sine cura se invicem & cum eisdem præpositura, decanatu, custodia, canonicatibus & præbendis, necnon vicariis compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, & dignitates ipsæ in cathedralibus & metropolitanis post pontificales majores seu collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere & retinere libere & licite valeant, & ad illa obtinenda habiles & capaces habeantur, ac sint ut esse censeantur, eadem authoritate & tenore de speciali dono gratiæ dispensamus; quocirca cupientes ut præsentium litterarum votivus succedat effectus, venerabili fratri nostro episcopo Casertan. ac dilectis filiis præposito ecclesiæ sancti Pauli Wormaciensis, & officiali Spirensis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta, quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quotiens pro tempore existentium præpositi, decani, custodis, capituli canonicorum, & vicariorum erectæ ecclesiæ prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis omnibus efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra præsentes litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari ac singulos quos eædem præsentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos contra ipsorum præsentium tenorem quomodolibet molestari, ac Rudigerum præpositum nuper abbatem recepto prius ab eo nostro & Romanæ ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam in præpositura, ac singulos alios prædictos in decanatus, custodiæ, canoni-

catuum, & præbendarum & vicariarum eis respective collatorum, juriumque & pertinentiarum omnium prædictorum corporalem possessionem respective inducant auctoritate nostra, & defendant inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, facientes Rudigerum ad præposituram, Leonardum de Willstein, Johannem Angeli, necnon Johannem Bingel, Jacobum Plack, Jacobum Hirt, Willelmum Gyesten, Beatum Dieterich, Henricum Osterwick, Johannem Schritman, Laurentium Dalen, Jodocum Fischer, & Philippum Hatten ad præbendas hujusmodi in dicta erecta ecclesia in canonicos recipi & fratres, stallo eis in choro & loco in capitulo ipsius erectæ ecclesiæ cum dicti juris plenitudine assignatis, necnon Rudigerum ad præposituram, Leonardum de Willstein ad decanatum, Johannem Angeli ad custodiam, & reliquos, quibus vicarias prædictas contulimus, ad illas, ut est moris, admitti, ipsique Rudigero nuper abbati de præposituræ & Leonardo de Willstein de decanatus ac Johanni Angeli de custodiæ, & eisdem Leonardo de Willstein & Johanni Angeli & aliis quibus canonicatus & præbendas ac vicarias hujusmodi contulimus, de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, nonobstantibus priori voluntate nostra prædicta & aliis apostolicis constitutionibus, ac cancellariæ apostolicæ regulis editis & edendis, necnon ecclesiæ S. Stephani, ac monasterii & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui præfata apostolica & alia quavis authoritate in dicta ecclesia S. Stephani in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus & præbendis ac dignitatibus ipsius ecclesiæ S. Stephani, necnon hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis, vel legatorum ipsius litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitas per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad præposituram & decanatum, ac custodiam, necnon canonicatus, & præbendas, ac vicarias suppressos hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum & præbendarum, ac dignitatum, seu beneficiorum aliorum præjudicium generari, aut si pro tempore existenti episcopo Spirensi, & capitulo erectæ ecclesiæ

A hujusmodi, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, ... aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus & officiis ac canonicatibus & præbendis ipsius erectæ ecclesiæ, necnon hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam & de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus B non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si singuli prædicti præsentes non fuerint ad præstandum de observandis statutis & consuetudinibus dictæ erectæ ecclesiæ solitum juramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam ipsam accesserint corporaliter illud præstent provisi, quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas dicta ecclesia S. Stephani debitis non fraudetur obsequiis & animarum cura in ea, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nos enim quoad collationem & provisionem prædictas, prout est, si attentatum forsan est hactenus, & quoad illas, necnon C alia præmissa, ex tunc irritum & inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, decreti, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, approbationis, invocationis, impositionis, mandati, statuti, ordinationis, concessionis, absolutionis, reservationis, collationis, provisionis, institutionis, liberationis, & dispensationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vicesimo quarto, septimo kalend. Maii pontificatus nostri anno primo.

GLOSSARIUM

VOCUM BARBARARUM, CORRUPTARUM

& exoticarum, quæ in hoc quinto tomo continentur.

A

Actuarius capituli, 319. E. instr. Procurator, qui bona, facultates & possessiones administrat, redditus percipit, &c.

Æquidium autumnale, 289. D. instr. idem quod Æquinoctium, *Equinoxe*.

Aisentia, 299. E. instr. Jus utendi in alieno prædio rebus non suis, verbi gratia pascendi, &c. a Gallico, *Aisance*.

Ambachtus, 426. D. instr. Belgis, *Ambachter*, qui præsidet coloniæ, districtui, territorio.

Ammania, 426. D. instrum. Belgis, urbis districtus, jurisdictio.

Amo amonis, 474. D. instr. In Mittelenwilere dedit vineam persolventem sexdecim amones.

Angariæ, instr. 300. A. & 426. C. quælibet exactio.

B

Balmunt, 509. E. falsus tutor.

Bannum, 299. E. instr. Mulcta.

Bannum regale, 509. B. jurisdictio regia, judicium, quod auctoritate regia exercetur.

Berqueria, 374. D. instr. Prædii species, cum certa agri quantitate. Sic dicitur a *berbicibus*, seu ovibus.

Bisantius, 308. C. instr. Nummus aureus, quod Bizantii, seu Constantinopoli primum cusus fuerit.

Bodium, Belgis *Boden*, 325. C. instr. fundus, latifundium.

Bonarius, *Bonaria* & *Bonarium*, instr. 378. A. & 407. D. Modus agri certis limitibus, seu *bonnis* definitus.

Brasium, 407. D. instrum. Granum, ex quo cerevisia conficitur.

Breve, 304. D. instr. Annuus reditus, a *brevibus* seu schedulis, in quibus describi solet nuncupatus.

Bunæ, 375. E. instr. idem quod Bonaria.

Bunarius & *Bunarium*, 290. A. instr. idem quod Bonarius & Bonarium.

C

Cæsura, 289. D. inſtr. Locus ubi creſcunt arbuſculæ ad contexendas ſepes aptæ.
Cambutta, 875. C. Virga paſtoralis.
Campus mareacus, 465. B. *banno & campo mareaco (lege) cyppo* marcato, ex prob. hiſt. Alſat. pag. 5.
Carina, 297. E. inſtr. Quadrageſimale jejunium pœnitentibus impoſitum.
Cenaticum, 463. A. inſtr. paſtus, cœna, refectio,
Clenodia, 340. C. inſtr. res quævis pretioſa.

D

Dacium, 538. D. Tributum, vectigal, Gall. *Dace.*
Dangerium, 299. E. inſtr. Quidquid juri ſtricto, atque adeo confiſcationi obnoxium eſt.
Dativus, 526. B. inſtr. *denarios uſuales & dativos*, qui in uſu & commercio eſt.
Diffidatio, 392. B. inſtr. Provocatio Gall. *defi*, ſeu incurſio & invaſio poſt declaratam *diffidationem*.
Dominicalis terra, 445. C. inſtr. Propria, qua dominus fruitur ad ſuam alendam familiam.
Dominica curtis, 465. A. lin. 1. curtis propria domini.
Dominicatura, 407. D. inſtr. Dominium, proprietas.
Droſſardus, 426. A. inſtr. Præfectus provinciæ, Teutonice *Droſſaet*, vel *Droſſaert.*
Durum bladum, 299. E. inſtr. Triticum, ſiligo, frumentum, *blado molliori*, puta hordeo, avenæ, &c. oppoſitum.

E

Enogratus, 880. E.
Exfeſtucare, 409. E. inſtr. Rem dimittere tradendo feſtucam.

F

Farinarium, 473. D. inſtr. Moletrina, ubi farina conficitur.
Ficalines homines, 464. D. inſtr. Qui fiſco ſeu prædio principis deſerviebant erantque ei quodammodo addicti.
Ficiales vifici, 465. A. inſtr. idem quod *Ficalines homines.*
Fiſcalicii, 465. B. idem quod *Ficalines homines.*
Foreſactum, 295. C. inſtr. Delictum, Gall. *Forfait.*
Fortalitium, 339. E. inſtr. arx munita, Gall. *Fortereſſe.*
Fruitſchingum, 514. D. Porcellus major, ut videtur Cangio, *in Friſcinga*, ubi legit *Frintſchingum.*

G

Gabella, 538. D. cenſus, tributum, *Gabelle.*

I

Imaginatio ſigilli, 296. E. inſtr. Imago ſeu impreſſio ſigilli.
Indeptus, 453. C. inſtr. idem quod ineptus.
Intraha, 451. D.

L

Lachus, 697. A. lin. 2. Inciſio arborum.
Laudaticum, 463. A. inſtr. Tributi ſpecies.
Leibo, *Leibunculus*, 948. C. Panis craſſior & relictis furfuribus minus candidus.
Lignare, 980. A. lin. 5. Ligna in ſilvis exſcindere.

M

Maceria, & *Maheria*, 291. D. inſtr. & 376. B. ac 377. E. *ibid.* Macellum.
Majoria, vel *Majoratus*, 426. C. feudum *Majoris villarum*, qui ceteris villæ incolis præerat, & domini villæ nomine jus dicebat.
Malagma, 505. A. lin. 2. Gall. *Cataplaſme.*
Maldrum, 445. D. inſtr. *Maldrus*, 485. C. inſtrum. & *Maltrum* 514. D. inſtr. menſura Germanica continens quatuor modios, German. *Malter-halt-mut.*
Manſura, 378. A. inſtr. Manſio, domus, ædificium.
Marca, 993. A. Limes, terminus.
Materiamina, 451. D. inſtrum. Materia lignea ædibus ædificandis.
Morus, 304. D. & 332. Locus paluſtris, aquaticus, Anglis *Moore*, Flandris *Moer* & *Moeren.*

O

Obliæ, 377. inſtr. Panes tenuiſſimi, Gall. *Oublies*; quos vaſſalli & ſubditi dominis certis diebus præſtare tenebantur, quæ præſtationes poſtea in tenuem & puſillam pecuniæ quantitatem evaſerunt.
Obſonium, 290. D. & 296. C. inſtr. Convivium domino debitum in certam pecuniam aliquando commutatum.

P

Pensum & *piſum*, 374. E. & 353. B. C. inſtr. Libra, pondus.
Placitare, 309. C. inſtr. *Placitum* ſeu conventum judiciarium cogere.
Portaticum, 463. A. inſtr. Vectigal *ad portas* exſolvendum.
Præda, 480. B. forte pro *Prada*, Pratum, *ſeu* pratorum ſeries, Gall. *Prée.*
Precaria, 446. C. inſtrum. Tributum quaſi precando exactum.
Precariare, 471. A. Prædium eccleſiaſticum *in precariam*, id eſt ad vitam ſub annuo cenſu utendum dare.
Proterraria, 473. D. *forte* pro *Pertinentiæ*, appendices.
Pulſatio, 450. A. Moleſtia.
Pulveraticum, 463. A. ſpecies tributi.
Purum pictum aurum, 529. B. *lege* Purum-putum.

R

Reversales, 504. C. inſtr. ſcriptum, quo is, qui munus aliquod ſuſcipit, declarat ſe ſervaturum conditiones conſuetas & conventas, cujuſmodi litteræ plures habentur in probationibus hiſtoriæ Alſatiæ.
Ripaticum, 463. A. Tributum in ripis ſolvendum, vel pro ripis ſeu aggeribus continentis, vel pro mercibus in ripis exponendis, vel pro facultate ripas terendi ad ſubvehendas naviculas.
Rotaticum, 463. A. Vectigal pro damno, quod in viis publicis rotæ curruum facere ſolent, exſolutum.

S

Salutaticum, 463. A. xenium, ſeu præſtatio; quæ fiebat ultra debitum cenſum, ſic dicta, quod qui eam deferebat, ſalutem cum illa imperiretur.
Scabinus, 2. Conſul, Gall. *Eſchevin.*
Scultetus, 2. Prætor urbanus.
Servienti jure pertinentes homines, 526. D. E. iidem qui ſervi.
Siclus, 514. D. menſura vinaria.
Stacia, 538. D. *forte* tributum pro mercibus exponendis ſolvendum, Gall. *Droit d'etalage.*
Steura, 526. C. inſtr. Vectigal, tributum.
Stuba, Hypocauſtum, German. *Stube*, Gall. *Etuve.*
Stoupus, vel *Stoupum*, 948. C.
Subtulares, 875. C. Calcei, Gall. *Souliers.*

T

Trabuticum, 463. A. inſtrum. Tributi ſpecies, *forte* pro trabibus ad publica opera devehendis; vel præſtandis; ſic Cangius *in Trabaticum.*

V

Velko, 948. C.
Veredalis charta, 468. D. inſtr.
Veſtitus, 289. D. inſtr. cultus, conſitus.
Vierium, 295. A. inſtr. Piſcatoria tendicula.
Ungeltum, 526. E. & 527. D. inſtr. Tributum.
Waſtinæ, 331. E. 332. A. inſtrum. Agri ſilveſtres & inculti.

INDEX GENERALIS.

A

B

C

de Collonitz

G

H

K

L

M

de Manderſcheidt

N

O

P

Zilof

INDEX ARCHIEPISCOPORUM
maxime per cognomina.

INDEX EPISCOPORUM
maxime per cognomina.

INDEX EPISCOPORUM.

INDEX PRÆPOSITORUM ET DECANORUM.

A

B

Hanneron

INDEX ABBATUM, PRIORUM, DECANORUM, ET PRÆPOSITORUM MONASTERIORUM.

B

Coussere

I

Maderus

S

INDEX ABBATISSARUM.

C

D

de Heffe-caffel

N

O

P

Q

R

INDEX ARCHIEPISC. EPISC. PRÆPOS. ET DECAN. ABBATUM ET ABBATISSARUM,

ad alios tomos spectantium, quorum in præsenti fit mentio.

ARCHIEPISCOPI.

EPISCOPI.

PRÆPOSITI ET DECANI.

ABBATES ET ABBATISSÆ.